210.2
OT.8

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiafundame0002igna

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

TOMUS II

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

AUCTORE

IGNATIO OTTIGER S. J.

TOMUS II

DE ECCLESIA CHRISTI UT INFALLIBILI REVELATIONIS DIVINAE MAGISTRA

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURGENSIS
ET SUPER. ORDINIS

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
MCMXI
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

1816

Cum opus, cui titulus est: *Theologia fundamentalis vol. II*, a *P. Ignatio Ottiger S. J.* compositum, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaten, die 2 mensis Iulii anno 1909.

(L. S.)

E. Thill S. J.,
Praep. Prov. Germ.

Imprimatur.

Friburgi, die 29 Novembris 1910.

✠ **Thomas,** Archiepps.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

Index analyticus.

Pars II.

De Christi Ecclesia.

Pag.

Tituli librorum, quorum saepius fit usus XXI

§ 1. *Praenotanda* 1

Sectio I.

De institutione ac veritate perenni Ecclesiae romano-catholicae ut infallibilis Christi revelationis magistrae.

Caput I.

De forma et institutione Ecclesiae Christi.

§ 2. *Praenotanda* 3

Articulus I.

De forma Ecclesiae Christi externa.

§ 3. De institutione vivi et infallibilis magisterii 4

Thesis I. Ad propagandam docendamque integram religionem suam Christus apostolorum collegium ut vivum et infallibile magisterium instituit . . 4

Quid sit infallibilitas, quinam adversarii thesis (4—7).

Probatur thesis pars I: Christus instituit magisterium vivum (7).

Prob. thesis pars II: Christus instituit magisterium infallibile (8 sqq). Scil.:

A. Infallibile erat collegium apostolorum, id quod efficitur

1. ex Mt 28, 19 20, ubi specialis assistentia a Christo promissa includit infallibilitatem (8—12);
2. ex Io 14, 26; 16, 7 13, ubi absolute promittitur is qui dicitur Spiritus Sanctus inducens in omnem veritatem. — *Confirmatur* argumentum ex Act 1, 8; Io 15, 26 sq (13—16).
3. et 4. e Mc 16, 16 et e miraculis ab apostolis patratis (16—17). *Confirmatur* I. ex muneris apostolici natura (17); — II. ex concilio apostolorum (17—18). Satisfit obiectionibus (18—19).

B. Etiam S. Paulus infallibilis fuit (19). Quod efficitur

1. ex Pauli paritate cum ceteris apostolis (19);
2. ex Pauli ipsius professione miraculis confirmata (20—23).

Solvuntur quae obiciuntur (23 sqq): I. S. Paulum a coaevis non putatum fuisse infallibilem (23); — II. S. Petrum errasse: Gal 2, 11 (23—24); — III. scriptores Novi Testamenti inter se dissentire (25—27); — IV. imprimis Petrum et Paulum quam maxime discordes fuisse (placita scholae Tubingensis) (27—34); — V. apostolos secundum Christi ad iudicium adventum mox futurum putasse (35—44). Quid ad haec respondeant

Pag.

1. ii, qui apostolorum errorem concedunt (36—38); 2. quid ii, qui eum negant (38—44). Cur apostoli ultima dicant sua tempora, cur appropinquantem adventum Domini (39—40). Loci 1 Thess 4, 14; 1 Cor 15, 51; 7, 26; Hebr 10, 37 sq explicantur (41—44). — VI. Quid obiciatur e S. Patribus (44—47); — VII. quid ex rei natura (47—48).

Scholion. De infallibilitate apostolorum singillatim sumptorum (48).

Corollarium I—III. Apostoli non sunt usi accommodatione dogmatica; — eorum doctrina est doctrina Dei; — eorum potestas docendi est potestas iurisdictionis (48—49).

§ 4. De institutione imperii sacri 49

Praenotanda 49

Thesis II. Christus apostolis suis pro religionis suae negotio potestatem legiferam, iudiciariam, ultricem immediate conferens verum imperium statuit . 50

Prob. thesis pars I: collatam esse potestatem legiferam,

1. ex Mt 18, 18, quod argumentum confirmatur ex usu rabbinico vocum ligandi et solvendi (50—54);

2. et 3. ex Io 20, 21 et ex dictis et factis ipsorum apostolorum (54—55).

Prob. thesis pars II: collatam esse potestatem iudiciariam, quod efficitur 1. ex natura rei, 2. ex Mt 18, 15 sqq (55—58).

Prob. thesis pars III: collatam esse potestatem puniendi, quod efficitur 1. ex eius necessitate; 2. ex Mt 18, 17 et praxi apostolorum (58—59).

Solvuntur obiectiones ex Mt 23, 8 (Christus unus magister), Mt 20, 26 (nulla dominatio inter christianos). Sententia proposita a Sohm (59—61).

Thesis III. Imperium sacrum Christus tamen ita instituit, ut apostolo Petro primatum non tantum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis in ceteros apostolos atque in omnes christianos conferret 61

Quid sit primatus iurisdictionis. — Adversarii thesis (61—64).

Prob. thesis. A. Christus Petro primatum promisit verbis Mt 16, 18—20 (64 sqq). Nam

1. ad solum Petrum a Christo dicta sunt
   a) generatim omnia quae toto illo loco enuntiantur (64);
   b) speciatim quae de „petra“ Ecclesiae ibi habentur (65—70); fundamentum igitur hic non dicuntur Christus, Petri fides, omnes apostoli (licet ii fundamentum possint dici), nec christianorum multitudo (70—76), id quod concedunt multi recentiores protestantes (76—77).
2. Verbis illis iurisdictionis primatus promittitur (77 sqq). Nam
   a) Petrus dicitur α) fundamentum Ecclesiae totius eiusque β) fundamentum verum, ita ut non solum primum Ecclesiae lapidem eum posuisse affirmetur (77—80). Sed γ) sine iurisdictionis potestate non potest Petrus fungi fundamenti munere uniendi, firmandi, conservandi (80—85). — *Solvuntur quae obiciuntur* ex dissimilitudine fundandi et imperandi, ex satanae vocabulo Mt 16, 23, ex trina Petri negatione, ex Gal 2, ex eo quod fides sit Ecclesiae fundamentum, ex Eph 2, 20 (85—89).
   b) Petro solo traduntur claves Ecclesiae in terris degentis, qua metaphora iurisdictionis potestas exprimitur (89—93).
   c) Petro specialis potestas ligandi et solvendi traditur (93—95). Itaque Petri potestas est universalis et suprema (95—96). Ceteri vero apostoli loco Mt 18, 18 eandem potestatem non acceperunt

Pag.

(97—99); neque Christus omnem primatum inter suos exclusit (99—100).

Nota de rationalistarum et modernistarum contra authentiam textus Mt 16, 18 argumentis (100—106).

B. Christus Petro primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam revera contulit (106 sq). Nam

1. id sequitur ex primatus promissione (106);
2. id diserte refertur Io 21, 15 sqq (106 sq). Nam Christi verba Io 21, 15 sqq relata ad solum Petrum diriguntur (107—109); iurisdictionis autem primatum in universam Ecclesiam ibi conferri efficitur ex eo, quod a) omnes fideles Petro commendantur (109—113); b) quod pastor Ecclesiae constituitur Petrus Petrusque solus (113—117), quo munere pastoris supremi suprema iurisdictio significatur (117—120).

Confirmatur thesis I ex reliqua Christi cum Petro agendi ratione (120 sq), scil. 1. ex mutatione nominis (120); — 2. ex Christi singularibus pro Petro precibus Lc 22, 32. Quo loco confirmator in gravissimis periculis constituitur Petrus solus fratrum omnium (121—125; *nota* de voce ἐπιστρέψας 125—129); confirmatoris autem munus iurisdictionem requirit (129—132). Refelluntur quae obiciuntur (132—133).

Confirmatur thesis II ex Petri ipsius ceterorumque apostolorum agendi ratione (133 sq). Quamquam enim 1. si Petrus usus non esset primatu, nihil contra catholicos sequeretur (133), tamen 2. et Petrum exercuisse primatum et apostolos eius primatum agnovisse, arguunt et actus apostolorum (134) et evangelistae, cum loco magis honorifico Petrum ponunt in catalogis apostolorum et alibi (134—139). — *Nec obici* possunt 1. quaedam facta, scil. quod Petrus „mittatur" vel „rationem reddat", aliaque (139—141); — 2. quaedam S. Pauli effata (Gal 2, 9. 1 Cor 12, 28. Eph 4, 11. 1 Cor 3, 11. 2 Cor 11, 5; 12, 11) (141—144). — De S. Iacobi primatu (144—145; cf. 796).

Confirmatur thesis III antiquitatis testimonio (145 sq). Nam

1. super ipsum Petrum Ecclesiam aedificatam esse testantur scriptores graeci (145—149), syri et orthodoxi et nestoriani atque armeni (149—152), scriptores latini (152—154). Consentiunt liturgiae orientales (154—156) atque ipsi ethnici scriptores (156—157). — De SS. Patrum interpretatione petram ipsum Christum vel fidem intelligentium (157 sq), et imprimis 1. de S. Augustino, Theodoreto, Cyrillo, variisque medii aevi scriptoribus (158—165); 2. de Patribus, qui petram fidem esse Petri dicunt (165—169).
2. Claves Petro cum suprema potestate ligandi et solvendi traditas esse docent Graeci, Syri, Copti, Latini (169—175). Etiam alios apostolos claves habere quo sensu dicant Patres (175). Quo sensu Petro tamquam figuram Ecclesiae gerenti datae sint claves, ubi iterum de S. Augustino (175—177).
3. Petro supremam pascendi potestatem traditam esse affirmant Graeci, Syri et Armeni, Latini (178—182). — De Isidori et Cyrilli Alex. sententia (182).
4. Patres vocant Petrum caput apostolorum, novum Moysen, totius Ecclesiae rectorem (182—186).

Obiciunt eos Patres, quos aequalitatem apostolorum docere affirmant: I. de Cypriani et eius sequacium sententia (186—191; cf. 653—658); — II. de Origene (191—193); — III. de posterioris aetatis Patribus

Pag.

(193—198); — IV. de Andreae, Iacobi etc. cum Petro aequalitate (198—202). Quo sensu praecipue Paulus Petro aequetur (202—209).
Scholion. De munere prophetico, quod statuit Rothe (209—212).

Articulus II.

De institutione Ecclesiae Christi.

§ 5. *Praenotanda.* Quid sit vi vocis ecclesia, quid societas . . . 212
§ 6. Christus Ecclesiam instituit 218

Thesis IV. Itaque Christus ipse Ecclesiam universalem, i. e. religiosam societatem propriam ac vere et presse intellectam pro omnibus hominibus, eamque perfectam atque unicam instituit 218

Prob. thesis pars I: Christus instituit societatem religiosam, universalem, distinctam, veram. Instituit enim talis societatis

1. elementum materiale (218—219);
2. elementum formale, i. e. a) doctrinam, b) cultum, qui Io 4, 23 non vetatur, c) finem, d) auctoritatem; e) distincta haec societas erat a synagoga (219—224).

Confirmantur haec 1. ex eo, quod Christus Ecclesiam comparat ovili, domui etc.; — 2. ex apostolorum agendi ratione; — 3. ex subsequentium temporum historia; — 4. rationibus congruis (224—227).

Prob. thesis pars II: Christus instituit societatem perfectam (227 sq). Quod patet

1. ex intrinseca Ecclesiae prae aliis societatibus perfectione (227—229);
2. ex eius universalitate (229);
3. ex eo quod solis suis viribus finem suum obtinere potest (229—231);
4. ex obiectionum inanitate, scil.: Ecclesiam non habere territorium et esse „statum in statu", arrogare sibi iura potestatis civilis etc. (231—235).

Prob. thesis pars III: Christus instituit societatem unicam (235 sq). Quod ostenditur ex uno Ecclesiae regimine et magisterio, ex Christi et S. Pauli verbis, et confirmatur variis rationibus (235—237).

Corollaria I—V. Ecclesia est opus divinum; quomodo definiatur; ea est eadem cum religione Christi; innititur S. Scripturae; habet ius bona temporalia possidendi (237—238).

Caput II.

De proprietatibus Ecclesiae Christi.

§ 7. *Praenotanda.* Quid sit proprietas 238
§ 8. De inaequalitate Ecclesiae 241

Thesis V. Ecclesia Christi est iure divino societas inaequalis ratione tam magisterii quam imperii, sive ex ordinatione ipsius Christi potestas illa utraque non est omnibus Ecclesiae membris propria et communis . . 241

Quid sit societas inaequalis, qui adversarii thesis (241—244).

Prob. thesis. Apostoli a solo Christo acceperunt

1. potestatem magisterii (244—245);
2. potestatem imperii, id quod valet a) de potestate omnium apostolorum (245—247); b) de potestate primatus (248—250). Quid velit S. Augustinus, cum Petrum in figura Ecclesiae claves accepisse dicit (250—253). De aliis adversariorum obiectionibus (253—256).

Pag.
§ 9. De libertate Ecclesiae 256
Thesis VI. Christus Ecclesiam suam in colenda, conservanda, propaganda religione omnino liberam sive nulli civili potestati subiectam instituit . . 256
Prob. thesis pars I: Ecclesia in colenda Christi religione libera est, nam
1. libera sunt eius regimen et magisterium (257—258);
2. fideles in profitenda religione nulli civili potestati obnoxii sunt (258—259).
Prob. thesis pars II: Ecclesia in conservanda Christi religione libera est (259).
Prob. thesis pars III: Ecclesia in praedicanda et propaganda religione libera est (259—260).
Corollaria (260—261).
§ 10. De necessitate Ecclesiae ad salutem 261
Thesis VII. Ecclesia e Christi voluntate est omnibus hominibus via ordinaria ad salutem aeternam necessaria, ita ut, qui gravi sua culpa extra illam vivit ac moritur, eam salutem obtinere non possit 261
Non quaeritur *quis,* sed *per quid* quis salutem consequatur (261—264).
Probatur thesis 1. *positive* a) ex generali voluntate Christi, religionem suam praescribentis; b) ex Io 3, 5, Mt 18, 17 etc.; c) in sola Ecclesia posita sunt salutis adiumenta; d) ex S. Paulo (264—266). — *Confirmatur* ex persuasione a) veterum Patrum; b) posteriorum temporum et ipsorum protestantium (266—269).
Prob. thesis 2. *negative* solutione obiectionum. Non enim evertitur thesis loco Mt 5, 3 sqq; nec doctrina nimis dura aut „intolerans" ea traditur; nec ex ea vim esse inferendam infidelibus efficitur (269—273).
§ 11. De perpetuitate et immutabilitate Ecclesiae 274
Thesis VIII. Ecclesia e Christi voluntate non solum in perpetuum permansura, sed etiam immutabilis est ratione tum Petri primatus et totius regiminis sacri, ita ut sacer principatus semper in ea exsistat, numquam vero penes fidelium multitudinem vel principes civiles sit, tum infallibilitatis et ipsis quidem in sacro regimine apostolorum legitimis successoribus in perpetuum concessae. Unde efficitur, ut etiam ratione fidei et doctrinae Ecclesia sit immutabilis 274
Quid intelligantur perpetuitas et immutabilitas et quomodo differant Thesis quam necessaria et quomodo probanda? Excludaturne omnis progressus et evolutio doctrinalis? Adversarii thesis (274—278).
Prob. thesis pars I: Ecclesia est perpetua (278—281).
Prob. thesis pars II: Ecclesia est immutabilis
A. quoad Petri primatum (281—286).
B. Ecclesia est immutabilis quoad regimen sacrum apostolis commissum. Scil.
1. hoc regimen perpetuo erat continuandum (287 sqq) a) ex Christi voluntate, quam secuti b)—d) apostoli adiutores sibi constituebant, nec umquam futuro tempore pastores Ecclesiae non debere exsistere significabant (287—290); e) antiquissimi Patres episcopos (ex voluntate apostolorum) semper fuisse testantur (290—295).
Nota. Quomodo rationalistae (et modernistae) originem ecclesiasticae potestatis explicent. Qui frustra ostendere conantur: I. Christum numquam cogitasse de instituenda ecclesiastica potestate vel de condenda Ecclesia (295—301); — II. apo-

Pag.

stolos vera potestate (iurisdictionis) instructos non fuisse (301—302); — III. inter primos christianos talem potestatem non fuisse agnitam (302—306). — IV. De singulis rationalistarum systematis, originem „monarchici episcopatus" describentibus (306—308).

2. Ita continuandum erat hoc regimen, ut id numquam esset
   a) apud populum, cuius iura deinceps episcopi sibi usurpassent (308—309). Populi in electione praepositorum antiquo tempore suffragium eius ius divinum non probat (309—311). Nec seniores in Novo Testamento personam multitudinis gerebant (312).
   b) Nec apud principes civiles Ecclesiae regimen est (312 sq). De hac re antiquitatis christianae et ipsorum imperatorum sententia (313—317).

C. Ecclesia est immutabilis quoad infallibilitatem (318 sq). Quam
1. semper exstituram esse in Ecclesia probatur a) ex Mt 28, 20 (318); b) ex Mt 16, 18; eo loco quid significent verba „non praevalebunt", quid „portae inferi" (318—324). Ecclesia errans superata esset ab infero (324—326); c) ex 1 Tim 3, 14, quo effato agitur de universali ecclesia (327), quae dicitur columna et firmamentum veritatis (327—330), in perpetuum eam fulciens (330—331). Haec autem nomina includunt infallibilitatem (332—334). d) Idem ostenditur ex eo, quod Ecclesia semper divina et vera manet (334—335). — *Confirmatur* idem variis rationibus (336—337) et imprimis ex testimonio antiquitatis (337—341). — *Solvuntur quae obiciuntur* (342 sq): α) S. Paulum infallibilitatem ignorasse (Act 20, 26 sq) (342—344); β) synagogam fallibilem fuisse (344 sq); γ) apostolos non provocasse ad donum infallibilitatis (345 sq); δ) infallibilitatem nocivam esse auctoritati S. Scripturae, religionis existimationi, scientificae cognitioni etc. (346 sq); ε) controversias de religione ortas ostendere, infallibilitatem agnitam non fuisse (347); ζ) statui humanae vitae convenire non posse infallibilitatem (347 sq).
2. Infallibilitas Ecclesiae non est principum christianorum nec multitudinis (348—350).

D. Ecclesia immutabilis est quoad formam internam, i. e. fidem (350 sq). Nam Ecclesia doctrinae fidei 1. nullam partem potest reicere (350—351); 2. nullam falso explicare (351); 3. nullam omnino novam addere (351—354). — *Confirmantur* quae dicta sunt, doctrina et praxi Ecclesiae (354—355) et solutione obiectionum (356—358).

§ 12. **Consectaria, quae ex iis, quae hactenus de Christi Ecclesia diximus, consequuntur** 358

1. Revelatio non est spiritui privato permissa, quem iudicem revelationis esse non demonstratur locis 1 Io 4, 1; 1 Thess 5, 21; Col 2, 18; 1 Io 2, 20; Io 6, 45; Ier 31, 31; Mt 23, 8; 2 Cor 1, 23; 1 Cor 2, 15 (358—366).
2. Divino ex iure distinguenda est ecclesia docens et discens (366—367).
3. Post apostolorum praedicationem revelatio divina conclusa est, ita ut in Ecclesia sola inveniatur a) et b) revelatio et religio Christi (367); c)—e) authentica revelationis et S. Scripturae

Pag.

interpretatio; iudicium de authentia librorum S. Scripturae; approbatio versionum S. Scripturae (367—368). f) Revelatio vero privata divina fide universim credi non potest (369); g) Ecclesia est fidei iudex et interpres (369); h) debet se infallibilem publice praedicare (369—370).

4. Semper Ecclesia erit societas perfecta, libera, inaequalis, necessaria (370). Ergo a) semper omnibus incumbit officium inquirendi, ubi sit vera Ecclesia (370). b) Ecclesiae repugnat regimen democraticum, systema territoriale et collegiale (370—371). c) Oboedientia Ecclesiae debetur (371). d) Nulla legitima ratio est schismatis vel haeresis faciendae (371—374). e) Ecclesia universaliter neque umquam corrumpitur neque perfectior ecclesia condetur (375). f) Petrus in successoribus vivit (375). g) Variatio dogmatica repugnat (375—376).
5. Ex voluntate divina exsistunt successores Petri et apostolorum (376—377).

§ 13. De apostolicitate Ecclesiae 378

Thesis IX. Ecclesia Christi fuit estque necessario semper apostolica origine, dotrina, successione et missione tum ratione regiminis sacri generatim et speciatim primatus, tum ratione infallibilis magisterii 378

Origo immediate vel mediate apostolica; centrum apostolicitatis Petrus; doctrinae apostolicitas facti et iuris; successio apostolica formalis et materialis (378—381).

Prob. thesis. Apostolicitas Ecclesiae necessaria est ratione 1. originis (381—382), 2. doctrinae (383), 3. successionis et missionis (383—385).

Coroll. I. Ubi est apostolicitas successionis, ibi semper est etiam apostolicitas originis et doctrinae (385—387). — *Coroll. II.* Missio divina extraordinaria ad reformandam Ecclesiam nec fiet, nec, si fieret, ut divina cognosci posset (387—390). — *Coroll. III.* Omnis doctrina christiana in apostolica praedicatione saltem implicite continetur. Quomodo indirecte origo haec apostolica ostendatur praescriptionis argumento (390—398).

§ 14. De unitate Ecclesiae 398

Thesis X. Ecclesia Christi necessario quoque est semper una: primum unitate regiminis in eo sita, ut omnes Christi fideles in rebus religionis uni a Christo instituto sacro regimini oboediant, et ita quidem, ut simplices fideles immediatis suis legitimis praepositis et una cum istis totius Ecclesiae primati sint subiecti; deinde unitate verae doctrinae et fidei tanta, ut singuli et universi Christi fideles semper dogmata fide sincera et explicita credant, quae infallibile magisterium distincte credenda iis umquam proponat; tum unitate et necessariae mutuae communionis et essentialis cultus divini . 398

Intelligitur unitas iuris, non solum facti, formalis non materialis. Adversariorum articuli fundamentales. Puseyitarum de unitate Ecclesiae doctrina (398—403).

Prob. thesis. 1. Ecclesia una est unitate regiminis (403—404).

2. Ecclesia una est unitate fidei et doctrinae (404 sq); unitas enim haec consequitur unitatem regiminis. — *Confirmatur* idem a) ex Paulo apostolo, b) ex testimonio antiquitatis christianae (404—407). — *Obiciunt* (407 sq): a) synagogae imperfectam unitatem (407); b) aevi apostolici tolerantiam dogmaticam (407—412); c) haeresim non magis ab Ecclesia excludere quam alia peccata gravia (412); d)—g) exsistere non posse perfectam fidei unitatem; unum esse baptismum

Pag.

Ecclesiae et haereticorum; fidei unitatem exigere tyrannorum esse; ex varietate oriri pulchritudinem (413—414); h) docent, sufficere unitatem quoad articulos fundamentales (415 sq). Quae tamen doctrina *α*) in S. Scriptura fundata non est, sed ea excluditur (415—417); *β*) ante saec. XVI inaudita erat (417); *γ*) nulla regula statui potest, qua fundamentales articuli ab aliis secernantur (417—422); *δ*) necessario ea distinctio dissensionum parens est ac *ε*) revelationi iniuriosa (422—423).

3. Ecclesia est una unitate mutuae communionis (423 sq). Haec enim unitas a) ex supra expositis sequitur; b) a societate perfecta abesse non potest (423—424); c) Christus eam Ecclesiae impetravit Io 17 (424—426); d) Paulus apostolus eam saepe commendat (426—427). Item antiquitas christiana (427—429).
4. Ecclesia est una unitate cultus divini essentialis (429—430).

Coroll. I. Ecclesiae Christi haec unitas essentialis est (430). — *Coroll. II.* Unitatis centrum sunt Petri successores (430). — *Coroll. III.* Haeretici non sunt in Ecclesia; antiquitatis christianae hac de re iudicium (430—432). — *Coroll. IV.* Communio nominis non efficit unitatem (432). — *Coroll. V.* De Puseyitarum sententia (432). — *Coroll. VI.* De ecclesia „nationali“ (433).

§ 15. De catholicitate Ecclesiae 433

Thesis XI. Ecclesia Christi essentialiter catholica est catholicitate loci et fidelium numeri formali perpetua, morali atque simultanea, tum iure tum pro temporum ratione etiam re sive facto; ea autem non solum absoluta, sed probabiliter saltem ita relativa esse debet, ut nulla christianorum secta extensione et asseclarum numero eam diutius superare possit . . . 433

Catholicitas loci magnum fidelium numerum includit (433—434). De catholicitate iuris et facti, simultanea et successiva, physica et morali; quaenam catholicitas Ecclesiae semper conveniat (435—437). De catholicitate absoluta et relativa; de Ecclesiae initiis et extremis temporibus (437—440). De catholicitate materiali et formali (440). Quas impugnemus sententias (441—442).

Prob. thesis pars I: catholicitatem Ecclesiae iure competere. Ecclesia enim

1. mandatum accepit ita sese propagandi, ut evaderet a) catholica catholicitate absoluta (442—443); b) absoluta simultanea (443—445); c) relativa (445—447); d) perpetua (447);
2. mandati huius exsequendi absunt ab Ecclesia obstacula impedientia, adsunt in ea vires et efficacia (447—449).

Prob. thesis pars II: catholicitatem Ecclesiae facto competere (449 sq). Id sequitur

1. ex catholicitate iuris iam demonstrata (449—450);
2. ex testimonio antiquitatis christianae (450—454).

§ 16. De sanctitate Ecclesiae 455

Thesis XII. Ecclesia Christi essentialiter sancta est, et multiplici quidem modo, imprimis tamen vi efficaci producendi in nonnullis certe suis fidelibus sanctitatem vere eximiam, necnon dono miraculorum 455

Quid sit sanctitas et quo sensu hic sumatur (455—458).

Prob. thesis pars I: Ecclesiam sanctam esse sanctitate generatim spectata (458—459).

Prob. thesis pars II: Ecclesiam sanctam esse sanctitate speciatim accepta (459 sq), scil.

Pag.

1.—7. ratione institutionis, auctoris, essentiae, doctrinae et regiminis, finis, subsidiorum, vitae (459—461), imprimis vero
8. in quantum eximiae sanctitatis in nonnullis efficiendae capax esse debet (461 sqq), id quod patet a) ex fine Ecclesiae, quae est sanctificatio hominum, et efficaci Christi promisso (461—467); b) ex eo quod Christi missionem Ecclesia continuat. c) Quod confirmatur variis rationibus (467—469);
9. ratione doni miraculorum (469—473).

Coroll. I—II. Coetus, qui non est sanctus, non est Ecclesia Christi. Plerumque Deus miracula nec per infideles nec per impios patrabit (473—474).

§ 17. De visibilitate Ecclesiae 474

Thesis XIII. Ecclesia e Christi institutione ut vera ipsius Ecclesia essentialiter visibilis est, et ita quidem, ut facile ac certo ceu talis cognosci et discerni omni tempore possit 474

Quomodo differant visibilitas et cognoscibilitas; quid sit visibilitas materialis et formalis, sensu stricto et lato (474—476). Agitur praecipue de visibilitate formae constitutivae Ecclesiae (476—478). Protestantium de visibilitate Ecclesiae sententiae (478—481).

Prob. thesis pars I: Ecclesia visibilis est. Visibilia enim sunt 1. Ecclesiae elementa formalia (482—483); 2. eius elementum materiale, cuius visibilitas non eo impeditur, quod peccatores sunt in Ecclesia (483 ad 487). — *Confirmatur* 1. Christi et apostolorum doctrina, ex qua nihil in contrarium afferri potest (487—490); 2. testimonio christianae antiquitatis (490—491); 3. omnium christianorum agendi ratione (492).

Possitne credi visibilis Ecclesia (492—493).

Prob. thesis pars II: Ecclesiam facile cognoscibilem esse (493—494).

Coroll. I. Non est duplex Ecclesia (494). — *Coroll. II.* Ecclesia, quae est invisibilis, non est Christi Ecclesia (494). — *Coroll. III.* Sancti non faciunt Ecclesiam, sed fiunt ab ea (494). — *Coroll. IV.* Ecclesia Christi insignita est notis, quibus cognoscatur (494—495).

Caput III.

De notis Ecclesiae Christi.

§ 18. *Praenotanda* 495

Articulus I.

De notarum Ecclesiae notione et numero.

§ 19. De earundem notione 496
§ 20. Quot et quaenam sint notae 500
Praenotanda 500

Thesis XIV. Nec pura verbi divini praedicatio protestantium sensu intellecta nec legitima sacramentorum administratio sunt verae notae Ecclesiae Christi 502

Prob. thesis. Hae enim, quae dicuntur notae
1. Ecclesiae veritatem non manifestant (503);
2. arbitrarie statuuntur (504—505);
3. non habent ea, quae notis convenire debent (506—509).

Pag.

Thesis XV. Verae notae Ecclesiae Christi sunt ipsae eius proprietates apostolicitatis, unitatis, catholicitatis, sanctitatis, quatenus externo ac visibili modo sese manifestant 509

Prob. thesis. Omnia insunt illis notis, quae ad notarum essentiam requiruntur. Sunt enim 1. visibiles (509—512); 2. notiores Ecclesia (512—513); 3. Ecclesiae essentiales (513); 4. Ecclesiae propriae (513—516); 5. definitae et circumscriptae (517); 6. certae, ita ut positive aut negative Ecclesiam ostendant (517—519); 7. etiam rudibus cognoscibilem Ecclesiam reddunt (519—522).

Coroll. I. Omnes Ecclesiae notae elucere necesse est, ubi sunt 1. verum regimen sacrum, 2. Petri primatus, 3. Petri successor (522—523). — *Coroll. II.* Apostolicitas est nota Ecclesiae primaria (523—524). — *Coroll. III.* Quamnam certitudinem gignant notae (524—525). — *Coroll. IV.* Utrum possit ex Scriptura Ecclesia demonstrari ac dein ex Ecclesia Scriptura (525).

Articulus II.

Applicatio notarum Ecclesiae.

§ 21. *Praenotanda* 525

§ 22. Applicatio notae apostolicitatis 526

Thesis XVI. Apostolicitatis nota Ecclesiae romano-catholicae omnino competit 526

Cardo rei est in probanda apostolica successione Romani Pontificis, ad quam probandam sitne necesse demonstrare Romanum Petri episcopatum (526—529). Adversariorum sententiae (529—532).

Prob. thesis pars I: Apostolica est Ecclesia romano-catholica respectu regiminis (532 sqq). Nam caput ac fundamentum totius regiminis, R. Pontifex, apostolorum principis successor est iure divino. Ergo Ecclesia romano-catholica est apostolica.

DEMONSTRATUR ANTECEDENS tribus argumentis, quorum ultimum hoc est: S. Petrus usque ad mortem Romae episcopus fuit. Atqui succedendo in Petri episcopatum episcopi Romani successerunt in primatum. Ergo

Prob. maioris pars prima: S. Petrum Romae fuisse. Quod testantur 1. ipse S. Petrus 1 Petr 5, 13 (533—538), de quo loco quid sentiat ecclesia Syriaca (538—541); 2. Patres a) saec. I et II: Clemens Rom. (541—545), Ignatius (545—547), Dionysius Al. (547—549), Irenaeus (550—553), Clemens Al. (553); b) saec. III: Tertullianus (553—555), auctor Philosophumenum (555—556), Caius (556—560), Origenes (560); c) saec. IV: Petrus Alex. (560), Chrysostomus (560—561); d) orientales: Syri (561—562); Armeni (562—563). — *Solvuntur quae obiciuntur* I. ex Actuum apostolorum silentio et ex Act c. 28 (563 ad 565); II. ex S. Pauli silentio in epistula ad Rom. et in epistulis in ipsa Urbe scriptis (565—569); III. ex Gal 2, 7 (569—570); IV. ex Mt 23, 34 (570); V. ex inhumano modo crucifixionis Petri (571). VI. Obiectiones Tubingensium (571—574).

Prob. maioris pars secunda: S. Petrum Romae episcopum fuisse (574 sqq). Quod ostenditur 1. testimoniis saec. IV (574—578); 2. testimoniis priorum trium saeculorum (578—580). — *Solvuntur quae obiciuntur* (581 ad 586).

Prob. maioris pars tertia: S. Petrum episcopum Romanum Romae mortuum esse (587 sqq). Quod probatur 1.—2. ex silentio et ex testimonio

Pag.

antiquitatis (587—588); 3. ex apostolorum sepulcris Romanis (588—589); 4. ex consensu reliquarum ecclesiarum generatim (590) et speciatim orientalium (591—592). — *Obicitur*, Petrum in Aegypto sepultum esse (592—594).

Confirmatur maior praescriptionis argumento (594—598).

Prob. minor A. ex iure successionis (599—600); B. ex historia; scil.

I. historia testatur triplex hoc factum:

1. ascripsisse sibi semper primatum R. Pontifices, scil. Clementem, Victorem, Callistum, Stephanum, Dionysium (601—604); Iulium, Siricium, Innocentium etc. (604—612); Leonem M., Simplicium, Felicem (612—616); Gelasium etc. (617—621); Gregorium M. (621—626);
2. agnovisse semper hunc primatum Ecclesiam, quod ostenditur
   a) testimoniis Ignatii (626—630), Irenaei (630—653), Cypriani (653—677), Aureliani imp. et Amm. Marcellini (677 ad 678), Optati, Hilarii, Nazianzeni, Ambrosii, Marcelli Anc. (678—680), Hieronymi (680—684), Augustini (684—685), aliorum auctorum saec. V et VI (686—689). — Quid de Rom. primatu senserint orientis populi (689—692) et posteriorum temporum Graeci, Syri (Theod. Abu-Kurra), Latini (693—697);
   b) testimoniis conciliorum oecumenicorum: Ephesini, Chalcedonensis etc. (697—701), Lateranensis IV, Lugdunensis II (701), Constantiensis (702), ubi in nota de lectione „quemadmodum etiam“ (702—705), Tridentini, Vaticani (703—706). Quorum testimoniorum vis non frangitur can. 6 concilii Nicaeni (706—708). — De conciliis particularibus usque ad Lateranense anni 649 (708—709);
   c) ex eo quod exercuerunt semper primatum R. Pontifices Ecclesia non contradicente (709 sqq). Quod probatur
      α) ex agnita R. Pontificum in concilia etiam generalia potestate. Fuit enim *α′*) lex conciliorum, ut ea sine R. Pontifice invalida essent (709—712); *β′*) historia canonis 28 Chalcedonensis haec lex comprobatur (712—714) et *γ′*) sententiis ipsorum R. Pontificum ab Ecclesia non reiectis illustratur (715—716). Hac autem lege admissa sequitur, R. Pontifici competere ius concilia 1. convocandi (716—717), 2. ea confirmandi (718—719), 3. iis praesidendi (719—732);
      β) ex agnita potestate episcopos confirmandi (733—738), eos loco movendi (738—740), eos restituendi (740—741);
      γ) ex agnita potestate vicarios iurisdictione instructos sibi constituendi, v. g. *α′*) Constantinopoli (741—744), *β′*) Thessalonicae (744—751);
      δ) ex agnita potestate appellationes episcoporum iudicandi. Quae potestas agnoscebatur iam ante concilium Sardicense (751—758), ab ipso illo concilio (758—764), post illud concilium (765 sqq): appellatio Chrysostomi (765 ad 768), Coelestii, nestorianorum, Eutychis (768—769), Flaviani, Eusebii Dorylaei, Theodoreti (770—775), Adriani Thebaei (775). — *Satisfit obiectionibus*, ubi de Apiario et appellationibus Africanis (776—778);
      ε) ex agnita potestate dispensandi a legibus ecclesiasticis (779);

Pag.

ζ) ex agnita necessitate communionis cum Romana sede, quam α') diserte fatentur Patres (779—781), β') agnoscunt haeretici (781), γ') libri liturgici (781), δ') imperatores (782). — *Obiciunt,* Meletium Antiochenum verum episcopum habitum esse, licet R. Pontifices eum non agnoverint (782—783); atque aliquas ecclesias orthodoxas numquam cum Romanis communicasse, scil. armenam (783—785), persicam (785), aethiopicam (786), celticam vel culdaicam (786—790), franco-gallicam saec. VI (790 ad 791). — *Confirmatur* necessitas communicationis cum R. Pontifice (791—792).

Obiciunt primatum R. Pontificis ortum ducere ex scriptis pseudo-clementinis (792—793); in controversia de Paulo Samosatensi episcopos non curasse R. Pontificem (794—795); historiam concilii Arelatensis (a. 316) evertere doctrinam catholicam de primatu Romano (795—796); S. Iacobi successores fuisse primates Ecclesiae (796).

3. Et R. Pontifices primatum sibi adiudicarunt et Ecclesia eum agnovit propter ius eius divinum (796 sqq). Quod probatur a) argumento negativo: numquam enim primatus repetitur a causa mere humana aut ecclesiastica (796—801); — b) argumento positivo: ex iure enim divino repetunt primatum α) R. Pontifices (802—803), β) Patres (803—805).

II. Triplex hoc factum locum habere non potuit, nisi R. Pontifex iure divino obiective spectato revera Petri in primatu successor esset (805 sqq). Quod patet 1. argumento praescriptionis (805—809); — 2. nulla earum causarum mere humanarum, quas adversarii afferunt, vere explicat ortum Romani primatus, scil. nec lex aliqua, nec gratia imperatorum, nec dignitas civilis urbis Romae, nec dominandi cupiditas R. Pontificum, nec historica necessitas, nec primatus moralis necessitas, nec systemata a modernis rationalistis excogitata (809—817).

DEMONSTRATUR CONSEQUENS. Ecclesia quae R. Pontifici ceu primati obcedit, est apostolica 1. ratione primatus (817). — *Nec obstat* a) incertitudo quoad ordinem, quo sibi successerint Linus, Cletus, Clemens; b) quod aliqui R. Pontifices mali fuerint; nec c) schisma a. 1378—1417, nec narratio de papissa Ioanna (818—819); — 2. ratione regiminis episcoporum (819—821).

Prob. thesis pars II: apostolica est Ecclesia romano-catholica ratione originis (821).

Prob. thesis pars III: apostolica est Ecclesia romano-catholica ratione doctrinae ac fidei tum iuris tum facti.

1. Pollet ea hac apostolicitate ratione iuris, quod sequitur a) ex iis quae diximus (822); b) ex ipsa Ecclesiae de sua infallibilitate persuasione, nam Ecclesia infallibilitatem semper sibi ascripsit (822—823), ergo ea pollet; nam eam α) sola haec Ecclesia sibi vindicat (824—825); β) summe sibi necessariam esse iudicat (825—826); γ) quam maxime secure sibi vindicat (826—827); δ) Deus Ecclesiae huic eam sibi vindicanti assentitur (827—830).

Solvuntur obiectiones: a) in Galileo condemnando Ecclesia erravit (831 sqq); at α) haec condemnatio ut infallibilis in Ecclesia non habebatur (831—838); β) cur ea infallibilis magisterii sententia non sit (838—842); b) Ecclesia erravit contractum fenebrem ve-

Pag.

tando (842—845); c) inconstans ea fuit in doctrina de intentione in administrandis sacramentis necessaria (845—847); d) erravit non reprobando nec sagarum et magorum supplicia, nec Pseudo-Isidorum (847—848).

2. Ecclesia romano-catholica pollet apostolicitate doctrinae ac fidei ratione facti (848—849).

Coroll. I. Ergo Ecclesia romano-catholica non defecit iam primis saeculis a Christi doctrina (849). — *Coroll. II.* Ergo haec Ecclesia doctrinae verae est testis, custos, magistra, doctor, iudex, interpres (849). — *Coroll. III.* Ergo sedes Romana est prae aliis sedes apostolica (850). — *Coroll. IV.* Ergo saltem moraliter certum est, unumquemque R. Pontificem iure divino esse Petri successorem (850—851). — *Coroll. V.* Ergo ad unumquemque R. Pontificem applicari possunt verba Mt 16, 18; Io 21, 15 sq; Lc 22, 32 (851). — *Coroll. VI.* R. Pontifex est Christi vicarius sensu eminenti (851—852). Attribuatne hic titulus R. Pontifici divina attributa (852—857).

Schol. I. Secure firmiter credere possumus, quidquid Ecclesia credendum proponit (857—858). — *Schol. II.* Romanus episcopatus et praefectura totius Ecclesiae non sunt duo episcopatus (858). — *Schol. III.* Recte concilium Vaticanum R. Pontifici attribuit plenam, supremam, ordinariam, immediatam, universalem potestatem (858—863). — *Schol. IV.* Quo iure, divino an humano, Petrus primatum suum cum episcopatu Romano potius quam cum alterius urbis coniunxerit (864 sqq). 1. De sententia humanum ius statuente. Num, si haec sententia vera sit, sedes primatialis cum alio episcopatu coniungi possit ab Ecclesia R. Pontifice renuente, num ab ipso R. Pontifice? (864—866.) 2. De sententia divinum ius statuente, et quibus rationibus ea nitatur (866 ad 870).

Thesis XVII. Omnes religiosi christianorum coetus ab Ecclesia romano-catholica separati apostolicitatis nota carent 870

Prob. thesis. Deest illis coetibus

1. apostolicitas a) et successionis ob defectum centri apostolicitatis, et regiminis ob regimen magistratibus civilibus traditum (870—871); b) missionis, quia *α*) ordinariam missionem nec habent immediate ab apostolis, nec mediate a catholica Ecclesia nec a populo (871 ad 872); *β*) extraordinaria autem missio divina nec fit, nec eam se habere probare potuerunt vel reliqui coetus vel protestantium reformatores (872). Imprimis vero successu praedicationis reformatorum ea non probatur (873—875), nec miraculis probata est, quorum necessitatem agnoscebant reformatores (875—876), nec testimonio S. Scripturae (877);
2. originis apostolicitas immediata et mediata (877);
3. doctrinae apostolicitas a) ratione iuris, cum careant infallibili magisterio; b) ratione facti (878). Frustra recurrunt ad praecursores reformationis atque ad S. Scripturam (878—880).

§ 23. Applicatio notae unitatis 880

Thesis XVIII. Ecclesia romano-catholica integra quoque unitatis nota potitur 880

Prob. thesis. Potitur scil. illa Ecclesia

1. unitate regiminis. Habet enim a) regimen sacrum, quod est unitatis principium in se semper unum; hoc vero numquam divisum fuit, nec tempore schismatis 1378—1417, nec tempore S. Chrysostomi (880—882); b) huic autem unitatis principio reliqua Ecclesia unitur oboedientia (882—884);

Pag.

2. unitate fidei et doctrinae et iure et facto (884—886). — *Nec obstant* sententiarum theologicarum varietas, erroneae theologorum quorundam sententiae, iansenistarum in Ecclesia toleratio, multorum catholicorum incredulitas (886—888); Ecclesiae conniventia tempore schismatis Istrici vel in lite de libris Carolinis (889—891), incertitudo de oecumenica indole quorundam conciliorum, leges disciplinae inter se contrariae vel infallibilitas R. Pontificis olim non ab omnibus agnita (891—892);
3. unitate communionis (892—894);
4. unitate cultus (894).

Coroll. I. Unitas Ecclesiae non efficitur coactione (894). — *Coroll. II.* Nec „altiore unitate" perficitur (895). — *Coroll. III.* Varietas sectarum laudanda non est (895).

Thesis XIX. Nulli religioso christianorum coetui, qui ab Ecclesiae romano-catholicae communione separatus est, unitatis nota plene ac vere competit . 896

Non enim habent illi
1. unitatem regiminis. Carent enim a) unitatis principio, b) oboedientia erga regimen deest (896—898);
2. unitatem doctrinae et fidei. Hanc enim a) iure numquam habent, nam *α*) carent unitatis principio (899), quod suppleri non potest nec S. Scriptura, nec articulorum fundamentalium distinctione, nec symbolis fidei vel fidei confessionibus (899—902); *β*) statuerunt ea principia, quae necessario dissensum efficiunt, nam ex defectione orti sunt et proclamarunt omnimodam libertatem sentiendi (902—907); b) facto unitatem fidei non habent (907—908);
3. unitatem communionis (908);
4. unitatem cultus essentialem (908—909).

Coroll. Protestantium principia pugnant cum conceptu Ecclesiae vel societatis (909).

§ 24. Applicatio notae catholicitatis 909

Thesis XX. Ecclesia romano-catholica eaque sola semper insignita erat et adhuc est etiam catholicitatis nota 909

Prob. thesis pars I. Catholicitas Ecclesiae romano catholicae soli *iure* competit. Atque
I. competit ei catholicitas iure, nam 1. competit ei munus se diffundendi; 2. habet in se nullum impedimentum se diffundendi (909 ad 910), sed 3. aptitudinem summam: de missionum catholicarum perpetuitate et fructibus; de missionariorum zelo (910—914);
II. soli huic Ecclesiae competit ea catholicitas (914 sqq); de protestantium missionibus (916—921).

Prob. thesis pars II. Catholicitas Ecclesiae romano-catholicae soli *facto* competit.
I. Competit ei facto (921—922);
II. soli ei competit facto (922—924); ariani num catholicos numero superarint (924—927).

Coroll. Nomen romano-catholicae Ecclesiae legitimum est (927).

§ 25. Applicatio notae sanctitatis 928

Thesis XXI. Ecclesiae romano-catholicae denique etiam tota sanctitatis nota competit 928

Competit enim ei
I.—III. sanctitas originis et institutionis, auctoris, essentiae (928);

Pag.

IV. sanctitas 1. regiminis et magisterii, quae non destruitur personali indignitate quorundam R. Pontificum et episcoporum (928—930); 2. doctrinae et fidei (930—932), contra quam iniuria *obiciunt:* a) ex Ecclesiae doctrina haereticis fidem non esse servandam (932—934); b)—d) arbitrarie Ecclesiam iuramenta dissolvere; permittere concubinatum, et laxas in re morali sententias (934—936), e) docere eam iniuste persequendos esse homines religionis causa, at *α*) qui non sunt christiani, eos Ecclesia vult non cogi ad christianam religionem (936—938); *β*) adversus eos, qui defecerunt a catholica Ecclesia, nullo crudelitatis sensu ducitur (938—942). De inquisitione (942—946); de episcoporum iuramento: haereticos persequar (946—947). — Ecclesiae competit

V. sanctitas finis, ubi de Ecclesiae „dominationis cupiditate" (947—948);

VI. sanctitas subsidiorum, quibus utitur ad hunc finem consequendum (948 sqq). Sunt autem haec subsidia: 1. sanae doctrinae propositio (948—950); 2. virtutum variarum praeceptio, quae ut revera colantur, adiuvat vario et efficaci modo (950 sqq). Ostenditur praecipue, quantae efficaciae sint confessio sacramentalis (952—956), et ordines religiosi (956—958), contra quos quae obiciantur (958—964);

VII. sanctitas vitae internae et externae (964 sq), contra quam scientia statistica adeo non reclamat, ut eam suo testimonio confirmet (964—970);

VIII. sanctitas heroica in quibusdam omnibus temporibus sociis suis (970 sq), ubi de canonizationis processu (971—973); catalogus canonizatorum (973—975);

IX. sanctitas ratione miraculorum (975 sqq). De miraculis primorum saeculorum (975—979), S. Bernardi (979—980), de miraculis, quae constant ex processibus canonizationis (980—982). Frustra *obiciunt* fabulosa esse omnia haec, id quod ostendi dicunt ex vitis conscriptis S. Ignatii et Francisci Xaverii (982—985).

Thesis XXII. Contra nota haec sanctitatis tota nulli prorsus religioso christianorum coetui ab Ecclesia romano-catholica separato convenit . . 985

Nam deest illis

I. sanctitas originis (985);

II. sanctitas auctorum. De Photio (985—987); Henrico VIII (987 ad 988); Luthero (988—1006, ubi imprimis 989 sqq de eo, quod iniuria se legatum divinum dabat); de Zwinglio (1006—1013); de Calvino (1013—1024).

III. sanctitas ratione essentiae (1024);

IV. sanctitas 1. regiminis et magisterii (1025); 2. doctrinae et fidei (1025 sqq). Docuerunt enim reformatores falsa v. g. papam esse antichristum (1025—1026); peccato originali naturam hominis esse plane corruptam (1026—1027); et libertatem arbitrii destructam (1027—1031); Deum praedestinasse quosdam ad aeternum interitum (1031—1034); nullum bonorum operum meritum esse (1034—1038); catholica doctrina meritum Christi obscurari (1038—1039). De morum corruptione ex reformatorum doctrina secuta (1039 ad 1041). — Lutheri vitae christianae documenta (1041 sqq): christianum solutum esse ab omni lege (1041); „pecca fortiter" (1041—1042); de polygamia quid senserit (1042—1043); tentationum vincendarum industriae (1044);

Pag.

V. sanctitas finis (1044—1045);
VI. sanctitas subsidiorum (1045—1046);
VII. sanctitas vitae externae et internae (1046—1052);
VIII.—IX. sanctitas quorundam membrorum eximia et miracula (1052 sqq). 1. De protestantibus eorumque martyribus (1052 ad 1053); 2. de schismaticis, possintne sancti et miracula apud eos inveniri (1053—1054); num revera apud eos habeantur sancti (1054—1056) et miracula (1056). De miraculis apud pristinos haereticos et iansenistas (1057—1058).
Coroll. I—II (1058).
§ 26. Conclusio 1058

TITULI LIBRORUM

quorum saepius fit usus.

Alexander, Natalis, Historia ecclesiastica. Tom. I—XX. Bingii 1785 sqq.

Azarian, Steph., Ecclesiae armenae traditio de Romani Pontificis primatu iurisdictionis et inerrabili magisterio. Romae 1870.

Bouix, D., Tractatus de Papa, ubi et de Concilio. Tom. I et II. Paris-Lyon 1869; tom. III ib. 1870.

Calvinus, Io., Opera quae supersunt omnia, ed. G. Baum, E. Cunitz, E. Reuß. Vol. I sqq (Corpus Reformatorum vol. XXIX sqq). Brunsvigae 1869 sqq.

Cercia, Raphael, S. J., Tractatus theologici. Tractatus secundus: De Romano Pontifice. Ed. 3. Neapoli 1858.

Coll. Lac. = Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Auctoribus presbyteris S. J. e domo B. V. M. sine labe conceptae ad lacum. Tomus VII. Friburgi Brisg. 1890.

Cornely, Rud., S. J., Commentarius in S. Pauli epistolas. I: Epistola ad Romanos, Parisiis 1896. II: Prior epistola ad Corinthios, ib. 1890. III: Epistolae ad Corinthios altera et ad Galatas, ib. 1892.

— Historica et critica introductio in U. T. libros sacros. Vol. III: Introductio specialis in singulos Novi Testamenti libros. Ed. 2. Paris. 1897.

Coustant = Epistulae Romanorum Pontificum et quae ad eos scriptae sunt, a Clemente I usque ad Innocentium III, ed. P. Coustant O. S. B. Paris 1721.

Cypriani, S. Thasci Caecili, Opera omnia. Recensuit et commentario critico instruxit Guil. Hartel. Pars I—II. Vindobonae 1868; Pars III ib. 1871.

David, Ios. (chorepiscopus Mossulensis), Antiqua Ecclesiae syro-chaldaicae traditio circa Petri apostoli eiusque successorum Romanorum Pontificum divinum primatum. Romae 1870.

De Groot, I. V., O. Pr., Summa apologetica de Ecclesia catholica ad mentem S. Thomae Aquinatis, Ratisbonae 1906.

Denzinger, Henr., Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum. Editio decima, quam paravit Clemens Bannwart. Friburgi Brisg. 1908.

De San, Lud., S. J., Tractatus de Ecclesia et Romano Pontifice. Brugis 1906.

Ephraem Syri, Sancti, hymni et sermones, quos e codicibus Londinensibus etc. edidit Th. Ios. Lamy. Tom. I—IV. Mechliniae 1882—1902.

Franzelin, Io. B, S. J. (S. R. E. presb. cardinalis), Theses de Ecclesia Christi opus posthumum. Romae 1887.

Funk = Patres apostolici, ed. F. X. Funk. Vol. I. Tubingae 1901.

Guenther = Epistulae Imperatorum, Pontificum, aliorum inde ab a. CCCLXVII usque ad a. DLIII datae. Avellana quae dicitur collectio. Recensuit Otto Guenther. Pragae, Vindobonae, Lipsiae 1885—1888.

Gutberlet, C., Lehrbuch der Apologetik. III. Bd. 2. Aufl. Münster 1899.

Harduin = Conciliorum collectio regia maxima, ad P. Philippi Labbei et P. Gabrielis Cossartii e Soc. Jesu labores haud modica accessione facta. . . . Studio P. Io. Harduini ex eadem Soc. Jesu presbyteri. Parisiis 1715.

Hase, K. v., Handbuch der protestantischen Polemik gegen die römisch-katholische Kirche. 7. Aufl. Leipzig 1900.

Hettinger, Franz, Lehrbuch der Fundamentaltheologie oder Apologetik. 2. Aufl. Freiburg 1888.

Janus, Der Papst und das Konzil. Leipzig 1869 (cf. infra p. 631 nota 3).

Khayyath, Georg Ebedjesu (archiepiscopus Amadiensis), Syri orientales, seu Chaldaei, Nestoriani et Romanorum Pontificum primatus. Commentatio historico-philologico-theologica. Romae 1870.

Knabenbauer, Ios., S. J., Commentarius in quatuor s. Evangelia Domini Nostri Iesu Christi.

I. Evangelium secundum S. Matthaeum. Vol. I—II. Ed. 2. Paris. 1903.
II. Evangelium secundum S. Marcum. Ed. 2, ib. 1907.
III. Evangelium secundum S. Lucam. Ed. 2, ib. 1905.
IV. Evangelium secundum S. Ioannem. Ed. 2, ib. 1906.

— Commentarius in Actus apostolorum, Parisiis 1899.

Langen, Jos., Das Vatikanische Dogma von dem Universal-Episkopat und der Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältnis zum Neuen Testament und der patristischen Exegese. Bitte um Aufklärung an alle katholischen Theologen, Bonn 1871. — II. Teil: Die exegetische Überlieferung vom 7. bis zum 13. Jahrhundert, ib. 1872. — III. Teil: Die Überlieferung vom 13. bis zum 16. Jahrhundert, ib. 1873. — IV. Teil: Die Überlieferung seit dem Ausbruch der Reformation, ib. 1876.

Luther, Werke (vel Werke: Erl.) = M. Luther, Sämtliche Werke. Bd I—LXVII, herausg. von J. G. Plochmann und J. A. Irmischer, Erlangen 1826 sqq. — Tomorum I—XVI utimur secunda editione, curata ab E. L. Enders, Frankfurt und Erlangen 1862 sqq.

Luther, Werke: Weim. = D. Martin Luthers Werke. Kritische Gesamtausgabe. Bd I—XXX, Teil 3. Weimar 1883—1910.

Luthers, M., Briefe, Sendschreiben und Bedenken, vollständig gesammelt von W. M. L. De Wette. Bd I—V. Berlin 1825—1828.

Mansi = Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio, in qua praeter ea quae Phil. Labbeus et Gabr. Cossartius S. J. et novissime N. Coleti in lucem edidere, et omnia insuper suis in locis optime disposita exhibentur, quae Io. Dom. Mansi Lucensis, Congr. Matris Dei evulgavit. Editio novissima ab eodem Patre Mansi . . . curata, Florentiae 1759 sqq.

Mazzella, C., S. J., De Religione et Ecclesia praelectiones scholastico-dogmaticae, Romae 1880.

MG = Patrologiae cursus completus. Series graeca, in qua prodeunt Patres, doctores scriptoresque ecclesiae graecae a S. Barnaba ad Photium [vol. I—CIV], accurante J. P. Migne, Parisiis 1857 sq. — Series graeca posterior, ab aevo Photiano ad Concilii usque Florentini tempora [vol. CV—CLXI], ib. 1862 sq.

ML = Patrologiae cursus completus. . . . Series prima [vol. I—LXXIX], in qua prodeunt Patres, doctores scriptoresque Ecclesiae latinae a Tertulliano ad Gregorium Magnum, accurante J. P. Migne, Parisiis 1844. — Series secunda [vol. LXXX—CCXVII], a Gregorio Magno ad Innocentium III, ib. 1850 sqq. — Indices [vol. CCXVIII—CCXXI], ib. 1862 sqq.

---

[1] Cum nec Viennensis latinorum nec Berolinensis graecorum scriptorum christianorum editio ad finem perducta sit, nisi particularis ratio exceptionem suadeat, Patrum locos ex Migneana editione recitare commodissimum et optimum visum est.

Müller, Joh. Tob., Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche. Deutsch und lateinisch. Stuttgart 1847 sq.
Murray, Patr., Tractatus de Ecclesia. Vol. I—III. Dublini 1860—1863.
Niemeyer, Herm. Agathon, Collectio confessionum in ecclesiis reformatis publicatarum. Lipsiae 1840.
Palmieri, Dom., S. J., Tractatus de Romano Pontifice cum prolegomeno de Ecclesia. Ed. 3 in nonnullis emendata. Prati 1902.
Passaglia, Car., S. J., De Ecclesia Christi commentariorum libri quinque. Vol. I—2. Ratisbonae 1853 1856.
— Commentarius de praerogativis b. Petri. Romae 1850.
Pesch, Chr., S. J., Praelectiones dogmaticae. Tom. I. Ed. 3. Friburgi 1903.
Reinerding, F. H., Theologiae fundamentalis tractatus duo. Monasterii 1864.
Roskovány, Aug. de, Romanus Pontifex tamquam primus Ecclesiae et princeps civilis e monumentis omnium saeculorum demonstratus. Vol. I—XX. Nitriae et Comaromii 1867—1890.
Schanz, P., Apologie des Christentums. III. (Schluß-) Band: Christus und die Kirche. 3. Aufl. Freiburg 1906.
— Kommentar über das Evangelium des hl. Matthäus. Freiburg 1879.
— Kommentar über das Evangelium des hl. Lukas. Tübingen 1883.
Schegg, P., Die heiligen Evangelien übersetzt und erklärt. I. Teil: Evangelium nach Matthäus. Bd I—III. München 1856—1858. — IV. Teil: Evangelium nach Lukas. Bd I—III, ib. 1861—1865.
Schulte, Joh. Fr. Ritter v., Die Stellung der Concilien, Päpste und Bischöfe vom historischen und canonistischen Standpunkte und die päpstliche Constitution vom 18. Juli 1870. Mit den Quellenbelegen. Prag 1871.
Schwetz, Io., Theologia fundamentalis seu generalis. Vol. I—II. Ed. 6. Viennae 1874.
Segna, Card. Fr., De Ecclesiae Christi constitutione et regimine. Romae 1900.
Thiel = Epistolae Romanorum Pontificum genuinae et quae ad eos scriptae sunt a S. Hilaro usque ad Pelagium II, recensuit et edidit Andr. Thiel. Tom. I [unicus]: A S. Hilaro usque ad S. Hormisdam a. 461—523. Brunsbergae 1868.
Wilmers, Guil., S. J., De Christi Ecclesia libri sex. Ratisbonae 1897.
Zwingli, Opera = Huldreich Zwinglis Werke. Erste vollständige Ausgabe durch Melchior Schuler und Joh. Schultheß. Bd I—II: Der deutschen Schriften Teil 1—4. Zürich 1828—1841. — Huldrici Zuinglii Opera. Completa editio prima curantibus Melchiore Schulero et Io. Schulthessio. Vol. III—VI: Latinorum scriptorum pars 1—6. Turici 1832—1838. Vol. VII—VIII: Epistolarum a Zuinglio et ad Zuingliam scriptarum pars 1—2, ib. 1830. 1842.
— Werke = Huldreich Zwinglis sämtliche Werke. Unter Mitwirkung des Zwingli-Vereins in Zürich herausg. von Dr E. Egli und Dr G. Finsler. Vol. I—II (Corpus Reformatorum vol. LXXXVIII—LXXXIX). Berlin 1905; Leipzig 1908. — Voluminis VII prodierunt fasc. 1—7, Leipzig 1909—1910.

In Cypriani tamen, Patrum apostolicorum, Romanorum Pontificum verbis ponendis, moti rationibus obviis, Migneana editione usi non sumus. Historia ecclesiastica Eusebii cum utimur, praeter libros et capita etiam numeros marginales editionis Berolinensis apponimus (Eusebius' Werke. Bd II: Die Kirchengeschichte, herausg. von Ed. Schwartz I—II, Leipzig 1903 1908). S. Hieronymi librorum duae editiones apud Migne inveniuntur, ex quibus utimur ea, quae prodiit anno 1845.

§ 1.

Praenotanda.

1. Demonstrata iam primo huius operis tomo divinae ac speciatim christianae revelationis exsistentia anquirendum superest, utrum Christus revelationem suam privatis hominibus permiserit propagandam, conservandam, ac prout eorum quisque posset, hac vel illa ratione intelligendam, an vero quaedam instituerit, quae apta sint ad religionis christianae conservationem, propagationem et rectam intelligentiam procurandam. Quaeritur scilicet, an instituerit magisterium vivum et infallibili auctoritate ab ipso ideo instructum, ut ipsius universalem revelationem non solum ubique gentium propagaret, sed etiam sine ullo errore puram ac plenam perpetuo doceret integramque in perpetuum conservaret. Quod magisterium si reapse institutum dicatur, quaeritur ulterius, *ubinam* sit, sive in quonam eorum coetuum, qui singuli Christi se Ecclesiam esse contendunt, inveniatur. Quod idem est ac quaerere, quaenam Ecclesia sit illa, quam Christus instituit suae revelationis infallibilem magistram. Affirmamus porro, a Christo revera institutum esse magisterium illud vivum atque infallibile, idque in sola Ecclesia romano-catholica inveniri, hanc igitur Ecclesiam esse solam veram ac fide dignam revelationis christianae magistram, ideoque veram Christi Ecclesiam; totius ergo Christi doctrinae cognitionem certam et ab omni errore liberam huius solius magistrae ope haberi posse; omnem igitur hominem huic Ecclesiae sese addicere eamque sequi debere. Quapropter cum agatur de re summi momenti maximeque ab adversariis impugnata, per se patet, omni qua valeamus diligentia et cura firmiter ac clare id quod affirmamus demonstrandum esse. Cum autem veritas Ecclesiae romano-catholicae ut infallibilis magistrae ostensa erit, ulterius indagandum est, quanam ratione Ecclesia infallibili suo magisterio fungatur, sive quonam modo Ecclesiae infallibilitas exerceatur.

2. Unde haec tota de Christi Ecclesia tractatio in duas quaestiones dispertitur, quarum prior de institutione ac perenni exsistentia Ecclesiae romano-catholicae ut infallibilis revelationis magistrae et verae Christi Ecclesiae agit, altera de exercitio illius ipsius infallibilitatis. Uti igitur huius nostri operis pars prior, ita etiam haec altera in duplicem sectionem dividenda est. Utriusque autem sectionis materia cum amplissima sit, suum utrique volumen addicemus, atque in priore quidem tractabimus de Ecclesiae romano-catholicae ut infallibilis magistrae veritate, in altero de ipsius infallibilitatis exercitio.

3. Nomine autem Ecclesiae romano-catholicae illum christianorum coetum intelligimus, qui sub regimine unius summi capitis, Pontificis Romani, inter se coniuncti sunt.

4. Adversarii porro, quibuscum in hac tractatione nobis res est, sunt plus minusve omnes illi christianorum coetus, qui ab Ecclesia romano-catholica seiuncti exsistunt, qui, quamquam plurimi sunt, ad tres ferme classes

revocari possunt. Alii enim, ut Graeci ac Russi schismatici et reliquae sectae orientales, nobiscum admittunt, Christum Ecclesiam fundasse, eique religionem suam custodiendam ac propagandam tradidisse atque propterea eam immutabilitatis et infallibilitatis proprietate supernaturali exornasse. Sed negant illi, hanc Christi Ecclesiam esse Ecclesiam romano-catholicam. Alii, ut anglicani, nobiscum quidem Christum Ecclesiae a se fundatae doctrinam suam commisisse statuunt, sed minime concedunt, Ecclesiam ab ea aut numquam deficere posse, aut reapse numquam aberrasse; romano-catholicam autem veram esse Christi Ecclesiam aut omnino negant aut ita concedunt, ut *solam* eam esse veram non admittant. Reliqui vero protestantes contendunt, Christum revelationem suam singulis hominibus sive, ut loquuntur, spiritui privato uniuscuiusque interpretandam permisisse. Moderni protestantes rationalistae Christum Ecclesiam instituere voluisse omnino negant. Ex eorum placitis Christus neque novam doctrinam dogmaticam praedicavit, neque coetum religiosum a synagoga iudaeorum separatam condere voluit, sed totus in eo erat, ut mores reformaret, ostendendo hominibus, meram externam legis impletionem sine omni valore morali esse, omniaque pendere ab interna mentis et animi sanctitate ac fiducia in Deum filiali. Post Christi mortem eius asseclas, ut a synagoga se separarent et novam societatem religiosam conderent, adductos esse variis rationibus, quam alii aliter assignant.

Docuit v. g. F. Chr Baur[1] cum schola Tubingensi, Paulum apostolum, cum reiceret legem mosaicam, exstitisse illius separationis auctorem; cui cum Petrus cum aliis apostolis non consentiret, ortas esse communitates Petrinas et Paulinas, ex quarum coniunctione et in unam doctrinam consensione, quae variis ex utraque parte concessionibus mutuis effecta sit, ortam esse Ecclesiam catholicam. Ad Harnack vero separationem christianorum a synagoga inductam esse autumat et iudaeorum odio, qui christianos e synagoga eiecissent, et ex voluntate christianorum, qui ethnicis se non posse imponere legem mosaicam experientia docti cognoverant. Porro christianas communitates initio inter se prorsus independentes fuisse ac suo unamquamque modo credidisse. Pugna autem cum gnosticis exorta eos coactos demum fuisse, ut in unum symbolum fidei, unam formam cultus divini, unam formam regiminis hierarchici convenirent. Atque haec de protestantibus sufficiant.

Ad protestantes ii, qui a. 1870 ab Ecclesia catholica desciscentes ‚veteres catholicos' se dixerunt, cum tempore procedente magis magisque accesserunt; nam „abdicata qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia iam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?"[2] Postremo in una alteraque quaestione minoris momenti etiam catholicorum nonnulli nobis adversantur. Unde horum omnium adversariorum suis locis in hac tractatione ratio habenda est.

[1] Das Christentum und die christliche Kirche der drei ersten Jahrhunderte[2], Tübingen 1860, 42 sqq. A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengesch. I[3], Freiburg 1909, 48 sq. Similiter O. Pfleiderer, Die Entstehung des Christentums, München 1905, 127 sqq et R. A. Lipsius, Lehrbuch der evangelisch-protestantischen Dogmatik, Braunschweig 1879, § 862. R. Sohm, Kirchenrecht I, Leipzig 1892, 22 sqq. — De protestantium systematis cf. Wilmers, De Ecclesia 24 sqq; De San, De Ecclesia 8 sq; Chr. Pesch I 186; St. v. Dunin-Borkowski, Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats, Freiburg 1900.

[2] Vincentius Lirin., Commonit. 1, c. 23 (ML L 669).

Sectio I.

De institutione ac veritate perenni Ecclesiae romano-catholicae ut infallibilis Christi revelationis magistrae.

Caput I.

De forma et institutione Ecclesiae Christi.

§ 2.

Praenotanda.

Cum Ecclesiae ut societatis verae ac proprie dictae fundatio e S. Scriptura clare ac firmiter demonstrari non possit, nisi antea probata sit verae *auctoritatis* ecclesiasticae institutio [1], antequam de Ecclesiae origine loquamur, inquiremus, utrum Christus revera constituerit necne ea principia, quibus formatur vera et stricto sensu intellecta societas, ac talis maxime societas, quae doctrinas religiosas profiteatur. Agemus igitur primum de iis, quae ad formam *externam,* qua Christi Ecclesia revera constat, spectant eamque partim constituunt; quibus probatis tractandum erit de Ecclesiae institutione eiusque forma *interna.*

Forma nimirum, sive principium informans, generatim spectata dicitur illud, quo aliquid determinatur ad id, quod esse aut fieri debet, potestque tum ad rei essentiam tum ad aliquod eius accidens referri. Hic porro de forma loquimur, quae ad *essentiam* refertur, haecque intelligitur id, per quod aliquid fit, nempe id, quo accedente materia determinatam accipit in aliquo genere essentiam. Ecclesiae ergo forma essentialis est id, quo posito Christi fidelium multitudo, quae se habet instar materiae, fit vera societas, et illa quidem, quam Christus instituit; est igitur illud, per quod Ecclesia suam a Christo effectam essentiam sive naturam habet.

Est autem Ecclesiae Christi, utpote societatis stricto sensu intellectae, forma *essentialis* ideoque quam maxime intrinsecus ad Ecclesiam spectans duplex, *externa* et *interna.* Illa est auctoritas ut *visibilis* per homines, a quibus tum Christi doctrinam docendo, tum fidelium multitudinem regendo exercenda est. Ea quidem, quatenus a Deo communicatur hominique inhaeret, etiam invisibilis est, hacque ratione Ecclesiae forma interna quoque dici potest; sed nos spectamus eam hic ut institutum propter subiectum *indole sua visibile* atque hoc modo *externum.* Forma contra Ecclesiae Christi interna est fides fidelium *subiectiva,* ac praeterea, ut theologi communiter dicunt, subiectiva vera spes,

[1] Cf. vol. I, p. 23.

quae in Deo reponenda est, et caritas erga eum. Haec enim forma dat Ecclesiae veram suam vitam, estque Ecclesiae necessaria, ut sit vere societas illa, quam Christus instituit, cum manifesto Ecclesia Christi esse non possit, quae veram vel fidem vel spem vel caritatem non habeat. Per se autem patet, hanc formam *natura sua* esse *invisibilem* ideoque internam. Quatenus tamen fides christiana etiam *obiective* spectatur ut doctrina credenda, quatenus insuper fides subiectiva professione, spes vero et caritas suis actibus se produnt atque *visibili modo sese manifestant,* et quatenus denique harum virtutum exercitatio est proximus Ecclesiae propositus finis, finis autem ab ipsa forma Ecclesiae interna distinctus est, possunt illae virtutes etiam recte dici pertinere ad formam eius externam. Quamvis autem singulae hae virtutes Ecclesiae ipsi sive *instituto* Christi aeque necessariae sint, non tamen eadem ratione singulae singulis fidelibus, ut Ecclesiae socii externo saltem modo esse possint, necessariae sunt, cum manifesto possit aliquis veram Ecclesiae fidem profiteri, qui vera spe et caritate erga Deum destituitur. Singulis igitur hominibus, ut Ecclesiae socii aliqua saltem ratione esse possint, magis necessaria est rectae fidei professio quam vera spes et caritas.

In proximo iam articulo agemus de forma Ecclesiae externa in auctoritate posita, non tamen secundum totum eius ambitum, sed eatenus modo, quatenus de ea hoc loco agi potest. De sacri igitur ministerii institutione et exsistentia nihil dicemus, cum huius quaestionis tractatio ad theologiam fundamentalem non pertineat, sed ad eam dogmaticae partem, qua doctrina de sacramento ordinis tractatur. De forma autem Ecclesiae interna quantum opus est, in altero articulo loquemur.

Articulus I.

De forma Ecclesiae Christi externa.

§ 3.

De institutione vivi et infallibilis magisterii.

Thesis I.

Ad propagandam docendamque integram religionem suam Christus apostolorum collegium ut vivum et infallibile magisterium instituit.

I. **Status quaestionis.** 1. Thesis haec in duas dividitur partes, quarum prima de magisterii vivi ecclesiastici generatim spectati, altera de eiusdem ut infallibilis institutione a Christo profecta agit. Magisterium porro vivum intelligimus magisterium non librorum, sed hominum, scil. apostolorum Christi: infallibile autem *activa* infallibilitate illud dicimus; distinguitur enim infallibilitas *activa* et *passiva.* Activa infallibilitas intelligitur divino ac supernaturali auxilio collata ea immunitas ab errore in *testanda, docenda* et *iudicanda divinae revelationis doctrina,* ut in tradendis vel diiudicandis *rebus fidei ac morum* nihil umquam, quod verum non sit, proponi possit. Passiva autem infallibilitas est effectus activae nihilque aliud quam certitudo pariter infallibilis, qua Christi fideles teneant et profiteantur doctrinas ab infallibili magisterio

tamquam divinitus revelatas vel saltem ut veras acceptas, ideoque melius ac proprie *inerrantia* vocatur.

Infallibilitas porro activa, alia est *essentialis* et propria Dei, alia *participata;* participatam apostolis ascribimus, quae secundum communem ac veram theologorum sententiam non est *qualitas* aliqua spiritualis ei, qui infallibilis dicitur et est, inhaerens et ad veram doctrinae definitionem conferens, sed nititur speciali providentia et, ut dici solet, *assistentia divina,* saltem *negativa,* qua homo, cui illa tribuitur, ab omni errore in rebus fidei ac morum religionis christianae iam exsistentis declarandis ac docendis immunis servatur. Ad eam igitur minime necessaria est nova revelatio, cum infallibilitas simpliciter ut talis spectata detur tantum ad revelationem iam impertitam atque exsistentem et doctrinam cum ea necessario cohaerentem vere ac pure docendam, neutiquam vero ad novas doctrinas in religione christiana neque contentas neque cum ea connexas sine errore proferendas. Neque ad eam necessaria est singularis illa excitatio ad doctrinam definiendam, quae in homine divinitus inspirato requiritur ad scribendum; neque denique mentis illustratio et actio divina ista *positivo* modo adiuvans in docenda ac definienda doctrina, quae communiter ad inspirationem postulatur; sed per se sufficit externa assistentia divina mere negativa, quae religionis doctorem ab omni errore defendit ac tutum reddit ratione tum ipsius ac totius revelationis divinae, tum etiam eorum omnium, sine quibus verbum Dei revelatum neque tuto conservari, neque scite probari et exponi ac valide defendi possit; eorum igitur, quae necessario cum revelatione ipsa uno ex istis modis connexa sunt. Neutiquam tamen negamus, posse Deum utiliter magisterio Ecclesiae nonnumquam etiam positivo modo plus minusve assistere suumque auxilium praestare, non solum ut ipsum non erret, sed etiam ut res fidei ac morum *opportuno* tempore definiat et insurgentium haeresum conatus retundat.

Iam sequitur, hanc divinam assistentiam sive infallibilitatem collatam non necessario hominem, cui praesto est, ab omni prorsus errore, etiam eo, qui cum doctrina religiosa nullatenus cohaereat, uti v. g. error est in re facti pure personalis, immunem reddere nisi eatenus, quatenus istiusmodi errorem non possit ut dogma fidei christianae statuere. Nec sequitur, assistentiam divinam excludere omnem diligentiam mere humanam in anquirenda veritate alicuius doctrinae, si de eius definitione ac propositione agitur. Talis diligentia saltem ut utilis requiritur potius, licet non ita ea requiratur, ut propter eius defectum, si is umquam contingeret, infallibilitatem sacri magisterii in dubium vocare liceret. Si enim ministris suis Christus infallibilitatis donum contulit, id maxime propter fidelium et religionis suae bonum dedit; nec ea tam ab humana scientia, quam a divino auxilio pendet. Unde tametsi infallibilitas conceditur hominibus et in utilitatem hominum, ideo tamen minime est humana, utpote merum donum Dei, sive assistentia divina, ab humana vel mentis acie vel doctrina per

se neutiquam pendens. Etiamsi igitur Christi ministri in ipsius religionis veritate indaganda non omnem debitam diligentiam adhiberent hacque sua negligentia etiam peccarent, eam tamen Deus extraordinaria ope emendaret, ita ut proposita doctrina christiana ab omnibus fidelibus necessario credenda nihilominus infallibiliter certa ac vera haberi iure posset et reapse esset, cum Deus non possit permittere, ut nomine suo doctrina falsa omnibus credenda proponatur, ac omnes necessario in errorem inducantur. Evidens quoque per se est, infallibilitatem, quam apostolis vindicamus, non esse *absolutam*, cum haec soli Deo competat, sed *relativam*, restrictam scil. ad rectam explicationem et conservationem doctrinae divinitus revelatae, nec etiam ullatenus sitam esse in libertate a peccato, sed in libertate ab errore in praedicanda et docenda religione christiana.

2. Infallibilitatem apostolis collatam esse negarunt non solum recentiorum temporum increduli, sed iam veteres gnostici, ac valentiniani quidem, ut videtur, quam maxime.

Teste enim Tertulliano[1] isti dicere solebant, „non omnia apostolos scisse". Irenaeus[2] autem illorum sententiam hisce refert: „Quoniam apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem et responsiones secundum interrogantium suspiciones [i. e. ὑπολήψεις opiniones], caecis caeca confabulantes secundum caecitatem ipsorum, languentibus autem secundum languorem ipsorum, et *errantibus secundum errorem eorum*, et putantibus, demiurgum solum esse Deum, hunc annuntiasse; his vero, qui innominabilem patrem capiunt, per parabolas et aenigmata inenarrabile fecisse mysterium; uti *non quemadmodum habet ipsa veritas*, sed in hypocrisi et quemadmodum capiebat unusquisque hominum." Et rursus Irenaeus[3] refert, sui temporis haereticos (gnosticos) docuisse, „apostolos quidem adhuc, quae sunt iudaeorum, sentientes annuntiasse evangelium, se autem sinceriores et prudentiores apostolis esse". Docuerunt igitur illi gnostici, apostolos non solum plura ad christianam doctrinam pertinentia ignorasse, sed ad praeiudicatas falsasque audientium opiniones se etiam accommodasse.

Recentiore aetate protestanticae scholae Tubingensis coryphaei et asseclae Baur, Schwegler, Lipsius aliique contenderunt, non idem a singulis apostolis evangelium praedicatum esse, sed eos, Petrum maxime ac Paulum, inter sese dissensisse, Petrum scil. eiusque sectatores praedicasse evangelium carnale circumcisionis, Paulum vero evangelium praeputii, spirituale ac plenius ad moralem sensum expressum[4]. Atque in eo quod apostolos et evangelistas suam quemque doctrinam

---

[1] De praescript. c. 22 (ML II 34).

[2] Adv. haer. l. 3, c. 5, n. 1 (MG VII 858).

[3] Ib. c. 12, n. 12 (ib. VII 906).

[4] Cf. Passaglia, De Eccl. Christi II 185; Hergenröther, De catholicae Ecclesiae primordiis recentiorum protestantium systemata, Ratisbonae 1851, Prooem.

tradidisse contendunt, scholam Tubingensem sequuntur omnes theologi hodierni rationalistae protestantium [1].

Qua in re hi rationalistae praedecessores habent Marcionem aliosque gnosticos. Ut enim e Tertulliano [2] apparet, Marcion praeter Paulum omnes alios apostolos dicebat pseudoapostolos et iudaicos evangelizatores atque iudaismi protectores; alii, teste Irenaeo [3], pariter dicebant, solum Paulum veritatem cognovisse, alios autem apostolos Christi verbis eo, quae sunt legalia, admiscuisse. Quibus variis sententiis doctrinam de apostolorum infallibilitate impugnari ac prorsus reprobari manifestum est.

Itaque tum propter tot adversarios, tum propter rem ipsam, quia infallibilitatis donum est summi momenti planeque extraordinarium, necesse est, apostolorum infallibilitatem firmiter et accurate demonstrari. Praestat autem infallibilitatem *S. Pauli separatim* probare.

S. Pauli enim infallibilitas quamvis ex ceterorum apostolorum infallibilitate *indirecte* monstrari possit, *directe* tamen ac per se inde non sequitur. Argumenta enim, quae demonstrant, undecim illis apostolis, qui cum Christo in ultima coena et post eius resurrectionem fuere, infallibilitatis donum promissum esse, proxime saltem non ostendunt, idem etiam Paulo postea electo collatum esse; pariter neque ea, quae apta sunt ad directe monstrandum, Paulum omnium errorum in tradenda Christi doctrina immunem fuisse, per se demonstrant, ceteros apostolos eadem immunitate gavisos esse. Cum autem in hac de Ecclesia tractatione e Pauli doctrina imprimis quam plurima argumenta petantur, manifestum est, ipsius infallibilitatem pariter speciatim esse monstrandam. Ut enim hoc unum commemorem, qua vi polleret argumentum summi momenti pro infallibilitate Ecclesiae ex 1 Tim 3, 15 petitum, nisi antea S. Pauli infallibilitas ut certa demonstrata esset? Itaque

II. **Probatur thesis pars I: institutum esse magisterium vivum.**

1. Undecim praecipuis discipulis, quos elegit et apostolos vocavit (Lc 6, 13), Christus post resurrectionem suam a mortuis non tantum facultatem, sed sollemni modo mandatum dedit, ut omnibus gentibus evangelium, revelationem scil. suam praedicarent; dixit enim iis (Mt 28, 18—20): „Data est mihi *omnis* potestas in coelo et in terra; euntes *ergo docete* omnes gentes ... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“ Apostoli igitur ipsius Christi auctoritate summa constituti sunt eius legati, ut *omnes omnino gentes* evangelium docendo atque in religionis doctrina et officiis probe instruendo Christi ‚discipulos facerent‘ (*μαθητεύσατε*) [4]. Patet quod asserimus ex ipsis verbis

---

[1] Cf. eorum libros, qui de „theologia Novi Testamenti“ agunt, e. g. J. Holtzmann, Lehrbuch der neutestamentl. Theologie, 1897.

[2] Adv. Marc. 5, 19; 4, 4 (ML II 519 sq 365 sq).

[3] Adv. haer. 3, 13, 1; 2, 2 (MG VII 910 847).

[4] Vocabulum *μαθητεύω* significat 1. alicuius discipulum *esse*, ut Mt 27, 57 (in aliquibus codicibus; in aliis et hoc loco legitur *ἐμαθητεύθη*); 2. aliquem alicuius discipulum *facere*, ut Act 14, 21 et Mt 13, 52. Posteriore sensu hoc loco illud vocabulum intelligendum esse patet ex contextu, quo illo vocabulo significari munus *e* baptizandi *et* docendi discimus.

πάντα τὰ ἔθνη atque ex alio Christi effato (Mc 16, 15): „Euntes in mundum universum praedicate evangelium *omni creaturae.*“

Illi igitur apostoli a Christo immediate et summa eius auctoritate omnium gentium doctores ita constituti sunt, ut qui apostolos praedicantes audirent, discipulorum instar illis tamquam magistris e Christi voluntate fidem et oboedientiam praestare deberent.

2. Item Paulum Christus etiam ipse apostolum ac gentium praecipue doctorem constituisse legitur Act 9, 15, ubi ad Ananiam de illo Christus: „Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel“, i. e. ut ipsum Messiam eiusque doctrinam praedicet. Ipse vero Paulus gentium doctorem se esse palam profitebatur 1 Tim 2, 7; 2 Tim 1, 11, atque talem se gerebat.

Iniunctas sibi sacri magisterii partes apostoli strenue usque ad mortem expleverunt; ut enim Marcus (16, 20) ait, et ut patet ex Actibus apostolorum et ab historia ecclesiastica refertur, in omnes ferme cogniti orbis terrarum partes profecti ubique Christi doctrinam praedicarunt, in concilium convenientes unanimi consensu, quid creditu quidque factu opus esset, declararunt; evangeliis scriptis ac literis ad christianorum coetus datis doctrinae christianae praedicationem confirmarunt, erumpentes errores praefocarunt, subsidia dederunt, quibus integritati fidei et conspirationi doctrinae consuleretur, dissidia denique circa doctrinam ac mores composuerunt: verbo, sese ut evangelii praecones ac doctores, ab ipso Christo summa sua auctoritate constitutos ubique ac semper gesserunt. Quare etiam istud apostolorum munus magisterii ab omnibus christianis adeo agnitum et confessum semper fuit atque etiamnum est, ut ulterior istius veritatis probatio plane inutilis esset.

Prob. pars II: infallibile esse illud magisterium in praedicatione rerum fidei et morum. Nam

A. Infallibilitas divinitus collata est undecim illis apostolis, quibus Christus ante ultimum discessum legati ac doctoris munus contulisse legitur Mt 28, 16 sqq; et vero

1. probatur id e Mt 28, 19 20. Postquam Christus undecim apostolis praedicandi revelationem suam omnibus gentibus easque suas discipulas faciendi atque in doctrinis omnibusque suis mandatis erudiendi munus demandaverat, dicit: *Καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος* — Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Unde ita argumentamur: Christus hoc loco apostolis ut revelationem suam praedicaturis singularem, efficacem ac perpetuam assistentiam absolute promisit; atqui haec assistentia infallibilitatis donum in se comprehendat necesse est; ergo Christus apostolos in docenda religione sua infallibiles effecit.

Probatur propositio maior. Nam a) Christum *assistentiam suam apostolis,* ut revelationem integram ipsis traditam alios recte docerent,

promisisse clarissime ex ipso eius sermone patet. Nisi enim verba „ego vobiscum sum" ad proxime praecedentia referantur et de apostolis ut praedicantibus explicentur, a priore sermone prorsus aliena essent, nullamque cum eo coniunctionem haberent; iam vero coniunctionis particula „et" evidenter ostendit, illa verba ad haec alia „euntes docete" referenda et cum iis omnino coniungenda esse. Certe, si „Caio diceret Titius: Vade, fac illud, et ego sponsor tuus ero, omnes statim intelligerent, Titium significare, se Caio sponsorem fore in munere isto peragendo" [1].

b) *Singularem* autem, *efficacem* ac *perpetuam assistentiam* Christum istis verbis promisisse, non minus clarum ac certum est. Id enim patet „*tum* ex gravitate summa missionis hic collatae, *tum* ex sublimi modo, quo Christus exorditur, invocans et appellans istam supremam et divinam potestatem ipsi datam, *tum* denique, quia (alioquin) non esset, cur forma promissionis adeo gravis et insignis — ‚et ego vobiscum' etc. — adhiberetur, si dandum esset nonnisi commune auxilium" [2]. Sane verba *esse cum aliquo* vi sua et usu loquendi scriptorum tum profanorum tum S. Scripturae [3] (Mt 12, 30 coll. 1 Io 2, 19), significant non solum praesentiam physicam, sed etiam moralem et ethicam, talem scil. unionem plurium alicubi simul exsistentium, quae includat coniunctionem conspirationemque actuum, de quibus sermo habetur. Deinde cum in S. Scriptura Novi Testamenti affirmatur, Deum esse cum aliquo, semper significatur singularis, extraordinaria assistentia divina: et si affirmetur, Deum esse cum aliquo in opere aliquo peragendo, semper significatur exitus operis felix et prosper [4]. Ac certe

α) *si Deus* promisisse refertur, se cum aliquo in opere faciendo futurum, eo significatur fore, ut opus istud certo ac feliciter perficiatur. Ita sane cum Ex 3, 11 12 Moses Deo dixisset: „Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Aegypto?" Deus ei certam boni eventus spem daturus respondit: „Ego ero tecum." Et Moses opus illud, quantumvis difficile et arduum, optimo successu perfecit. — Item Ier 1, 8 legitur Deus ad hunc prophetam dixisse: „Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te."

β) *Quotiescumque affirmatur*, Deum esse cum aliquo in eius negotio, eo ipso etiam affirmatur, negotium illud felicem exitum habiturum esse. Certe de Ioseph dicitur Gn 39, 2: „Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens." Et Ios 14, 12 Caleb ait: „Da mihi montem istum . . . in quo Enacim sunt . . ., si forte sit Dominus mecum, et (ideo) potuero delere

---

[1] Murray, Tract. de Eccles. II 195. — Scriptores igitur medii aevi, qui sat multi, ut videre est apud Langen, Das Vatikanische Dogma II 119, ista Christi verba nonnumquam etiam de perpetuo gratiae divinae auxilio singulis fidelibus dando interpretati sunt, ea ita minime proprie ac vere explicarunt.

[2] Murray II 198.

[3] Cf. Schrader, De theologico testium fonte deque traditione, Paris. 1878, App. p. 334 sq.

[4] Murray l. c.

eos, sicut promisit mihi." Et cum Gedeon Domino praecipienti, ut liberaret Israel de manu Madian, respondisset: „Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei", dixit ei Dominus: „Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum" (Iud 6, 14—16); cui promissioni eventum respondisse testatur historia (Iud c. 7 et 8). Ac Ps 22 (23), 4 David cantat: „Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu (Deus) mecum es."

γ) *Cum aliquis precatur,* ut Deus sit cum aliquo, petit ei bonum successum. Ita Ios 1, 17 leguntur principes populi hebraei ad Iosue dixisse: „Sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse." Et 1 Chr 22, 11 David dicit Salomoni: „Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare."

δ) *Affirmare,* Deum *non* esse cum aliquo, idem est ac dicere, illum minime prospera fortuna uti, sed res ei adversas esse. Sic dicit Moses ad populum Israelitarum Dt 1, 42: „Ait mihi Dominus: nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris." Et ib. 31, 17 Deus refertur haec de Hebraeorum populo dixisse: „Irascetur furor meus contra eum in die illo, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem; invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die: vere quia non est Deus mecum, invenerunt me haec mala." [1]

In omnibus locis modo allatis habetur etiam in versione graeca (LXX) praepositio μετά, excepto ultimo loco, ubi est ἐν ἐμοί.

Porro evidens est, hac locutione, qua Deus cum aliquo esse dicitur, exprimi singulis allatis locis aliisve Novi Testamenti omnibus divinum auxilium non omnibus commune, sed prorsus singulare atque extraordinarium et effectum, ad quem datur, infallibiliter certo producens; ergo ipsa etiam hoc de quo agimus Matthaei loco idem significat, cum Christus verba secundi membri v. 20 certe non, ut primi membri et verba versuum 18 et 19, dixerit ut homo, sed ut Deus; quod patet tum per se, cum solus Deus possit apostolis in terrarum orbe esse *ubique* ac *semper* praesens, tum ex ipsis verbis: „Ego vobiscum *sum omnibus diebus*". Dicit „ego sum", non dicit „ego ero", ac ita usus est verbi forma, quae Deo aeterno soli semper competit, utpote in cuius aeternitate nec praeteritum nec futurum, sed solum praesens semper est. Atqui id Christus dixit summa etiam vi, cum praemiserit „Et ecce", quae locutio maxime momentum sequentis sententiae manifestat.

Singularem prorsus atque maxime efficacem assistentiam Christum hoc loco apostolis promisisse insuper patet, si *qua occasione* ista locutus sit perpendas. Modo enim iusserat eos docere omnes gentes ipsique subicere, viditque ut Deus, animos eorum futuros pusillanimitatis atque timoris plenos. Cum enim viri illi undecim pauperes essent omnique eloquentia et scientia atque potentia destituti, ac tristi

[1] Plurima alia harum locutionum exempla vide apud Murray II 199 sqq, atque etiam ex quibusvis S. Scripturae concordantiis facile colligi possunt. Cf. etiam Wiseman, Lectures on the principal doctrines and practices of the Catholic Church, Dublin 1867, 98 sqq.

praeterea experientia edocti, quam saepe eousque imperfecte magistri doctrinam intellexerint scirent, fieri non potuit, quin audita et intellecta ad omnes totius terrae gentes missione penitus desperarent, se posse, Christo absente atque singillatim dispersos, gravissimum illud sibi demandatum opus bene sustinere revelationemque Christi omnes gentes docere, non solum integram, sed etiam omnino puram. Manifesto enim dubitare non potuerunt, quin Christus Deus-homo revelationem suam ab ipsis omnis erroris immunem doceri vellit. Atque ad tacitam istam apostolorum dubitationem praeveniendam omnemque timoris causam tollendam utitur Christus illis verbis: „Ecce ego vobiscum sum." Quibus virtute sua divina ita singulis atque universis singulari modo se licet corpore absentem affuturum esse promittit, ut absentiam suam corporalem dolere minime debeant, opusque sibi iniunctum perfecte perficere valeant: quae sane assistentia prorsus extraordinaria et efficax dicenda est. Hanc autem assistentiam *perpetuam* iis promissam esse e Christi verbis „omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" manifestius est, quam ut ampliore probatione opus habeat.

c) *Istam Christi promissionem* factam esse *absolute* etiam certum et clarum est imprimis ex ipsis eius verbis. Ne minimum enim quidem indicium continent ullius conditionis, a cuius observantia promissionis illius effectus ac adiutorium prorsus singulare praestandum pendeat. Eodem modo absolute Christus dixit: „Et ecce ego vobiscum sum", ac simpliciter mandavit: „Euntes docete" etc. Ac magis etiam idem ex eo elucet, quod Christus voluit ac aliter velle non potuit, quam ut doctrina sua adeo perfecta et divina, quam ad aeternam salutem consequendam hominibus omnino necessariam declaraverat, in perpetuum pura et integra doceretur et conservaretur. Si enim Christus eam pendentem fecisset ab hac vel illa conditione, e. g. a sanctitate subiecti infallibilitatis, fideles christiani vix umquam omnino certi esse possent, utrum sacrum magisterium doctrinam vere infallibiliter definire valuerit necne, ac certe adversarii tunc innumeras difficultates non sine aliqua iuris specie opponere possent. Dicendus est ergo Christus assistentiam suam apostolis prorsus *absolute* promisisse.

Probatur iam propositio minor: hanc assistentiam infallibilitatis donum necessario in se comprehendere. Nam, ut vidimus, illa assistentia promissa est a Christo apostolis, in quantum revelationem suam praedicare debebant, ergo eo consilio, ut ipsi eam ab omni errore immunem et qualem ipse mandaverat integram omnes populos docerent. Neque enim dici potest Christus Deus aut quidquam inutile revelasse, aut voluisse permittere, ut una cum revelationis suae veritatibus etiam falsa ut divinitus revelata et ut credenda a suis summae auctoritatis legatis atque vicariis generi humano traderentur, sed dicendus omnino est voluisse, ut religio sua integre et pure praedicaretur. Et propter hoc ipsum, quod nihil nisi suam revelationem, sed utique hanc totam

et modo prorsus puro ab apostolis praedicari voluit, Christus ipsis singularem illam atque perpetuam assistentiam promisit, ut nempe ne unum quidem vel minimum errorem docerent, et ne uno quidem die periculum errandi atque alios fallendi subirent cessarentque tamquam veri sui legati atque vicarii agere: quo enim die falsam doctrinam tamquam divinitus revelatam docuissent, eo sane die non opus a Christo demandatum peregissent, sed opus patris mendacii, ideoque eo etiam die Christus iis affuisse dici non posset. Iam vero *omnibus* diebus, ergo singulis et universis, iis affuturum se esse promisit, et ita quidem affuturum, ut nec absentiam suam corporalem dolere deberent, nec timendum ipsis esset, ne officio suo Christi revelationem integram ac prorsus puram docendi umquam deessent. Si autem Christus singulis apostolis docentibus corpore praesens atque provisurus affuisset, eorum sane nullus sub ipsius quasi oculis falsum tamquam ipsius, supremae veritatis, dictum proferre atque praedicare potuisset. Et nisi Christus illis suis verbis apostolis infallibilitatis donum promisisset, ipsis, utpote hominibus errori aliorum instar per se obnoxiis et neutiquam doctis, summopere timendum fuisset, ne, quantumvis inviti, christianam religionem multis erroribus corruptam docerent.

Nec sane opponere licet, homines illos, quibus Veteris Testamenti tempore Deus illis verbis „vobiscum, tecum ero“ singulare auxilium promisit, infallibiles redditos non esse; nulli enim eorum istam promissionem quoad tradendam revelationis suae doctrinam fecisse legitur, sed quoad alia omnino negotia, unde illi homines certo atque etiam infallibiliter quidem sciebant, negotia illa bonum exitum habitura esse, sed ideo minime uti Christi apostoli infallibiles doctores constituti sunt.

Quod autem porro opponitur [1], Christi praesentiam *idealem* in sua Ecclesia non magis errores excludere, ac apud apostolos ipsos praesentia eius personalis ac corporea excluserit errores falsasque interpretationes, futile omnino est. Non enim Christus Mt 28, 20 simpliciter loquitur de ideali sua praesentia in Ecclesia futura, sed de singulari prorsus auxilio, quod ipse Deus apostolis revelationem suam praedicantibus iamiam collaturus sit, quodque illis pro priore tempore nondum contulerat. Uti autem stolidum esset dicere, hominem, qui, cum prius pauper fuerit, deinde ingentem pecuniae summam hereditate acceperit, adita hac hereditate aeque ac prius pauperem esse, ita etiam ex eo, quod apostoli prius erroribus obnoxii erant, absone concluditur, eos etiam post acceptum infallibilitatis donum in tradenda revelationis christianae doctrina errare potuisse.

Quod praeterea apostoli primo quidem tempore gentibus non praedicabant, postea vero ad eos evangelizandos convertebantur, neutiquam monstrat, eos prius errasse, postea errorem agnovisse et correxisse. Nam, cum Petrus de tempore, quo iungendi Christo etiam gentiles essent, mox iam, antequam ipse contrarium ullatenus statueret, divinitus edoctus sit (Act 11, 4 sqq), eo ipso evidentius etiam fit, Deum apostolos ab omni errore liberos voluisse. Non enim, id quod iam diximus, infallibilitas ita concipienda est, ac si sit qualitas

[1] Hase, Handbuch 39.

apostolis inhaerens, sed erat ea mera assistentia, quae non permittebat, ut ipsi falsum tamquam divinitus revelatum proponerent. Ceterum apostolorum infallibilitas non ad tempus, quo ipsi gentilibus Christi doctrinam praedicare inciperent, sed ad huius ipsius praedicationis veritatem refertur.

Infallibilitatis autem praerogativam non destruxisse in apostolis libertatem arbitrii ex se patet. Mentis enim humanae utpote ad verum cognoscendum creatae vera libertas non in eo sita sit, ut mens a veritate aberret, sed ut veritatem lubens amplectatur et possideat; eam autem infallibiliter certo possidet, si Deus tali auxilio eam adiuvet, ut, licet non physice, moraliter tamen impossibile ipsi fiat error sive ut, licet absolute, scil. per se sola quidem a veritate aberrare possit, propter divinam tamen assistentiam, saltem negativam et externam, numquam reapse aberret vel aberrare possit. Sane etiam libertas Moysis, Iosue et ceterorum, quibus in nonnullis negotiis gerendis Deus successum infallibiliter certum promisit, ideo minime violata vel sublata fuit. Sed etsi Deus positiva ratione, mentem scil. illustrando et ab omni caligine liberando eam ab erroribus liberam reddat, eius vera libertas, utpote in sola veritatis possessione sita, tolli nullatenus dici potest. Christus igitur sine ulla libertatis humanae laesione apostolis promittere et praestare potuit auxilium omnino efficax, quo ab omni errore in docenda ipsius religione liberi conservarentur.

2. Probatur e promissione dandi Spiritus Sancti apud Io 14, 26; 16, 7 13. Dicit enim Christus ad apostolos priore loco: „Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis (*ὑμᾶς διδάξει πάντα καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν*). Altero autem loco haec dicit: „Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.“ Denique tertio loco dicit: „Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (*ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν*) . . . et quae ventura sunt, annuntiabit vobis.“

Antequam ex his locis argumentamur, iuverit nonnulla praenotare. Is, quem Christus Παράκλητον dicit, manifesto idem est atque ille, quem nominat Spiritum Sanctum et Spiritum veritatis. Nomen autem Paracliti, quod legitur apud solum Ioannem allatis locis et 14, 16 necnon 1 Io 2, 1, ubi de Christo adhibetur, secundum suam originem e verbo παρακαλέω significat advocatum, et hinc tum eum, qui causam alicuius agit coram iudice sive defensorem, quo sensu intelligendum est 1 Io 2, 1, tum generatim adiutorem, opitulatorem. Atque hoc sensu illam vocem allatis evangelii Ioannis locis adhiberi recentiores S. Scripturae interpretes plerique, et ut videtur omnino recte contendunt. Significat autem istis locis Paraclitus opitulatorem in munere docendi, cum solummodo de docendo hic diserte ac definite Christus loquatur. — Dicitur porro hic Paraclitus etiam τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας aut quia, id quod plerique interpretes dicunt, ex ipso veracissimo sit veritas, vel quia doceat veritatem sine erroris admixtione aut forsitan [1], quia ipse sit ex veritate.

Praeterea quid τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον (14, 26) proprie significet, sive quid nomine illius spiritus, qui idem est ac Paraclitus, proprie intelligendum sit,

[1] Sic Patrizi, Comment. in Ioan. 14, 16, Romae 1857, 174.

utrum Deus ipse an tantum aliqua vis divina, huius loci non est disputare. Hic tantummodo statuendum est, spiritu illo non designari rem aliquam humanam, mere naturalem atque hominis ipsius industria comparatam, sive ea dicatur, id quod nonnullis rationalistis placuit, nova mentis indoles in auxilium ventura apostolosque directura, sive, ut alii somniarunt, cognitio doctrinae christianae certior, plenior et accuratior, eo scil. sensu, quasi apostoli de veritatibus religionis christianae ulterius meditando, concludendo et omnia ad formulam ac summam doctrinae ipsis cognitam referendo, ambitum scientiae suae auxerint et amplificaverint, atque haec uberior et accuratior doctrinae cognitio eos ad profitendam, propagandam ac defendendam religionem idoneos reddiderit. Ista enim interpretatio non solum durior, sed aperte falsa est, cum repugnet non solum locis Io 14, 26 et 16, 13, ubi spiritus ille dicitur mitti a Christo, docere omnem veritatem, nec tamen loqui a semetipso, sed loqui tantum, quaecumque audierit, verum etiam Mt 28, 19, ubi de eodem profecto Spiritu Sancto dicitur, baptizandas esse omnes gentes in nomen (εἰς τὸ ὄνομα) ipsius aeque atque in nomen Dei Patris et Iesu Christi; quibus verbis manifeste docetur, Spiritum Sanctum esse omnino ab homine distinctum atque divinum. Certum igitur est, πνεῦμα ἅγιον indicare saltem, id quod vel ipsi rationalistae alii concesserunt, aliquam *vim divinam*, quae multiplici auxilio apostolos adiuvet, et cui omnia, quae ad promovendam religionem christianam faciunt, in literis sacris Novi Testamenti ascribuntur [1].

Quibus praemissis hac ratione iam argumentamur: Spiritus Sanctus apostolis a Christo absolute promissus ideoque etiam datus est propterea, ut ipse Spiritus veritatis eos universam revelationem christianam, sive omnes eius veritates doceret et ut in memoriam revocaret atque suggereret explicatius omnia, quaecumque Christus ipsis umquam quasi in germine tradiderat. Ergo in docenda universa Christi revelatione apostoli infallibiles fuerunt.

Antecedentis veritas constat ex iam dictis; promissus enim est Spiritus Sanctus, ut apostolos omnia doceret, id est, in omnem revelationis christianae veritatem induceret simulque futura Ecclesiae fata annuntiaret, ut clarius igitur et amplius iis omnia declararet, quaecumque ipsis etiam tum obscura et nondum plene cognita erant. Sensus

[1] Annotare iuverit, plerosque Ecclesiae defensores ad probandam eius infallibilitatem afferre etiam Io 14, 16 17, ubi Christus dixisse refertur: „Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis“ etc. At, ni fallor, satius est, hunc locum in hac quaestione omittere, non solum, quia diserte et patenter nihil habet de auxilio praestando in tradenda Christi doctrina, sed etiam, et maxime quidem, ideo, quod ista promissio, uti plurimi S. Scripturae interpretes tum protestantes tum catholici recte, ut videtur, dicunt, est respectu saltem singulorum christianorum *conditionalis*, pendens nimirum ab observantia mandatorum Christi et amore erga ipsum vero, ut dicitur v. 15; quae conditio auxilio divino sive Spiritu Sancto si cum servata fuerit, dicit Christus, se rogaturum Patrem, ut illum Spiritum *abundantiore* modo ad *omnia* religionis suae officia perfecte explenda tribuat. Infallibilitas porro apostolorum eorumque successorum *a vitae sanctitate* pendere dici nequit. Universali utique Ecclesiae Spiritus Sanctus etiam ut sanctificator secundum catholicorum doctrinam promissus est non sub conditione, sed absolute.

enim v. 26 c. 14 hic est: „Vi divina adiuti, cognoscetis omnem veritatum religionis meae ambitum, et idonei reddemini ad perspicienda et intelligenda ea, quae vos docui et quae nondum perspicitis“; *πᾶσα ἡ ἀλήθεια* vero (16, 13) „est universus veritatum doctrinae divinae ambitus, quarum nonnisi partem a Christo didicerant ob ingeniorum imbecillitatem et tarditatem“ necnon propter praeconceptas falsas de Messia opiniones.

Multiplici autem modo Spiritus Sanctus apostolos in omnem induxit veritatem. „Principio multa, quae a Christo audiverant et obliti erant, in memoriam perfecte reducendo; quo Spiritu evangelistae dicta et facta Christi perfectissime scripserunt, ut ne verbum excideret. Deinde Christi verba et facta, quorum multa prius non intellexerant, explicando et declarando. Tum multa alia, quae Christus non expressit nec docuit, docendo et illustrando, sive quae ad dogmata, sive quae ad mores, sive quae ad regimen Ecclesiae pertinebant. Demum veteres scripturas et prophetias, quae de Christo erant, aperiendo, et verum ac legitimum sensum exponendo. His modis veritatem Spiritus Sanctus omnem docturus, nunc promittitur apostolis.“ [1]

Promissionem istam Spiritus Sancti *absolutam* fuisse patet non solum inde, quod nulla illi promissioni conditio annexa legitur, sed etiam ex eo, quod 14, 25 Christus, cum omnia prius dicta quasi concludit dicens: „Haec locutus sum vobis apud vos manens“, non ignorans multa ab apo-

---

[1] Sic Toletus, Comment. in Ioan. 16 II, Romae 1588, 253. Spiritus Sancti esse revelationem etiam earum rerum, quas Christus nulla ratione docuerit, ipsum quoque Concilium Trident. sensuisse nonnullis videtur, cum in sess. IV in decreto de canone S. Scripturae et traditionibus haec dicat: „Quae ex ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, *aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante* quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.“ Attamen magisterium Spiritus Sancti aliis non videtur etiam ad hoc se extendisse, ut apostolis res nondum revelatas revelaret, sed tantum ad hoc, ut, exceptis eventuum futurorum revelatione (Io 16, 13), Christi doctrinam tum puram et completam conservaret, tum verum eius sensum et plenam intelligentiam fidelibus conferret. Cum enim Christus dixerit (Io 15, 15): *„Omnia, quaecumque* audivi a Patre meo, nota feci vobis“, cumque addiderit (Io 16, 13 14), Spiritum Sanctum non *a semetipso* locuturum esse, sed ea, quae audierit, ipsumque de suo [Christi] accepturum et apostolis annuntiaturum esse, non videtur, inquiunt, Spiritus Sancti fuisse, ut doceret, quae Christus nulla ratione iam docuerat, sed tantum, ut apostolis plenam revelationis divinae iam factae intelligentiam conferret. Et vero apostoli diserte nihil dicunt de acceptis a Spiritu Sancto novis quoad rem ipsam revelationibus, sed tantum de modo, quo ipsi ab eo ad utendum Christi doctrinis recte et opportune in eventibus particularibus instructi fuerunt (cf. Act 10, 11 sqq; 15, 28; 1 Cor 7, 25—40). Et Christus ipse Io 14, 26 ait, Spiritum Sanctum apostolos docturum esse ea omnia, quae ipse iis iam *dixerat* (*ἃ εἶπον*). Hinc huius sententiae defensores non existimant, Concilii Trident. verba significare, a Spiritu Sancto novas doctrinas, exceptis futuris eventibus, apostolis esse revelatas, sed tantum exprimere, vel eas, quas Christus ipsos iam docuerat, magis explicatas, vel clariorem intelligentiam, vel, ut Io 1, 1, recta verba inspirata fuisse. Sed quidquid hac de re est, nostrae hic probandae sententiae nullatenus obstat, cum manifeste ex utraque explicatione aeque sequatur id, quod in antecedenti affirmavimus.

stolis non fuisse bene intellecta, v. 26 iam asseverat, Spiritum Sanctum ipsos postea omnia prorsus docturum esse.

Consequens etiam evidenter verum est. Si enim apostoli vel in una revelationis christianae doctrina a vero aberrassent, falsum esset, Spiritum Sanctum eos *omnia* docuisse, quae Christus tradiderat, atque ad *omnem veritatem* perduxisse. Qui autem in tradenda universa Christi doctrina ope divina ab omni errore immunis iure servatur, is eo ipso infallibilis est, cum infallibilitatis nomine nihil aliud quam ista ipsa omnis falsitatis immunitas divinitus promissa ideoque iure accepta intelligatur.

Nec sane opponere licet, posse aliquem doceri et nihilominus non discere, uti etiam in viam rectam duci atque tamen ab ea aberrare. Quamvis enim hoc de aliis verum nonnumquam esse possit, de apostolis tamen non valet. Allata enim Christi verba clarissime significant fore, ut apostoli a Spiritu Sancto efficaciter omnino erudiantur, cum ab ipso et omnia edocendi et in omnem veritatem inducendi dicantur. Iam vero magister nec umquam discipulum, qui discere non vult, *omnia*, quae ipse scit, docet, nec etiam dici potest, eum induxisse in aliquam scientiam, si discipulus eam reapse non calleat. Neque Deus ullibi de apostolis ut de suae revelationis adversariis legitur queri, ipsos aures obturare, ne audiant, et tenebras magis quam lucem diligere. Affirmandum ergo omnino est, apostolos Spiritus Sancti ope atque magisterio in docenda Christi doctrina infallibiles effectos esse.

Confirmatur argumentum e missione Spiritus Sancti petitum insuper aliis locis, in quibus de eodem Spiritu Sancto docemur. Ut enim refertur Act 1, 8 (cf. Lc 24, 48 49), Christus apostolis ultimo, quo apud eos corpore versabatur, momento dixit: „Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.“ Et iam prius iis dixerat (Io 15, 26 27): „Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis.“ Promissus igitur est apostolis Spiritus Sanctus, ut una cum ipsis testimonium daret Christo eiusque doctrinae, sive ut ipsi adiuvante Paraclito eiusque virtute superna roborati boni veritatis christianae testes evaderent. Porro testis praecipua ac plane necessaria virtus haec est, ut veritatem eamque omnem et solam testetur, utque hanc solam apostoli in praedicanda revelatione christiana testarentur, Spiritus Sanctus collatus est. Apostolorum igitur testimonium omnem hominem christianum verum habere necesse est, alioquin Spiritus Sanctus suo officio defuisse dicendus foret. Verum autem in omnibus illud ipsorum testimonium esse non potuisset, si ipsi testes infallibiles non fuissent.

3. Probatur e Mc 16, 16, ubi Christus dato apostolis mandato, ut praedicarent evangelium omni creaturae, refertur haec addidisse: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; *qui vero non crediderit, condemnabitur*“, ad poenam scil. in altera vita. Iam vero

iustitia non ferret, ut aeterna condemnatione mulctarentur, qui apostolis praedicantibus fidem non adhiberent, nisi divina esset illorum auctoritas et authenticum atque erroris expers magisterium. Eiusmodi autem iniustitiam committere Christus Deus omnino nequit.

4. Probatur e miraculis in apostolicae praedicationis gratiam editis. Ut enim Marcus (16, 20) refert, apostoli „profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis", i. e. veris divina virtute effectis miraculis[1]. Sive enim Deus ista miracula effecit per eos, qui apostolorum praedicationi fidem habebant, sive, id quod evangelistae verbis multo conformius videtur et Actorum relationi, v. g. 5, 12—17; 8, 7; 9, 33 sqq confirmatur, per apostolos ipsos, vel etiam per utrosque, apostolorum infallibilitas in praedicanda Christi doctrina miraculorum illorum patratione monstratur. Si enim errores docuissent, Deus profecto eorum praedicationem miraculis confirmare et illustrare non potuisset, quin falsa quoque tamquam vera confirmasset, et in omne tempus confirmasset; id autem Deo prorsus repugnat. Ergo apostoli nihil falsi docuerunt, vere igitur infallibiles fuerunt, cum alioquin procul dubio multa falsa cum veris mixta protulissent.

Confirmatur I e munere apostolorum. Ipsi enim iussi erant, universos populos Christi religionem docere, et docere integram ac puram. Iam vero, si infallibilitatis donum iis Christus non contulisset, sane nullo modo sperare potuisset fore, ut illi singuli suam religionem adeo spiritualem et amplam atque nonnumquam intellectu difficilem docerent sine ullo umquam vel graviore errore. Apostoli enim non solum instar omnium aliorum hominum errori per se obnoxii erant, sed et indocti et usque ad Christi e terris discessum a falsis iudaeorum opinionibus de Christi regno nondum liberati. Itaque potius timendum Christo fuisset, ne consilio suo adeo non responderent, ut revelationem suam graviter corrumperent, et hinc non solum inutilem, sed etiam nocivam et philosophis gentilium fortasse iure contemptibilem redderent. Iam vero Christus Deus hoc permittere omnino non potuit, alioquin dando apostolis munus et auctoritatem praedicandi suam doctrinam eorumque auditoribus grave officium imponendo iis credendi traditamque doctrinam amplectendi ipse auctor errorum et seductor generis humani fundatorque regni mendacii evasisset. Quod cum Christo prorsus repugnet, evidens est, ipsum non potuisse non apostolis infallibilitatis praerogativam conferre.

Confirmatur II eo quod apostoli ipsi suae infallibilitatis sese conscios exhibuerunt. Cum enim, ut Act 15 narratur, apostoli una cum senioribus de controversia prorsus dogmatica, utrum christiani etiam ad legem de circumcisione et generatim ad legem mosaicam ritualem

[1] Partem huius evangelii c. 16, 9—20 genuinam esse vide huius operis vol. I, p. 924.

observandam obligati essent necne, decidissent, sententiam suam hac sollemni formula expresserunt (v. 28): „Visum est enim Spiritui Sancto et nobis“ (ἔδοξεν γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν), illi scil., id quod omnes ferme interpretes fatentur, ut causae principali, ipsis vero ut causis secundis, illius virtute actis. Quae sane „eo pertinent, ut apostolicum magisterium atque iudicium *humano-divinum* demonstretur: humanum, ne *conspicuitate* careret: et divinum, ut *infallibile* haberetur: id quod insuper inde sufficienter declaratur, quod huic praesenti formulae dispar omnino est illa v. 25: placuit nobis collectis in unum eligere viros et mittere ad vos.“ [1]

Nec obiciatur cum Hase [2], nomine Spiritus S. hic intelligendum esse animum ac conscientiam christianam et fiduciam, qua spiritus a Christo in animis fidelium excitatos et promissos sibi affuturos confidebant. Isto enim nomine non quidquam humani, sed saltem virtutem divinam, quae ab homine nullatenus pendeat neque in ipso sita sit, accipiendam esse supra p. 13 probavimus. Praeterea si apostoli voce Spiritus Sancti id, quod Hase affirmat, dicere voluissent, cur addidissent „et nobis“, cum haec verba secundum adversarii sententiam idem omnino ac nomen Spiritus Sancti significarent? Et quid aliud sibi vellet illa fiducia auxilii spiritus a Christo *excitati* et promissi, nisi rursus eundem illum animum christianum?

Nec magis admittendum est Spiritum Sanctum apostolis hic se manifestasse etiam per verba prophetarum, quorum duo, Iudas et Silas, nominatim fuisse praesentes referatur (Act 15, 27 32) [3]. Non enim refertur, prophetam in hoc concilio locutum esse; si tamen locuti sint, probari nequit, eos tunc ex divina inspiratione locutos esse, vel sua sententia propositam de legis mosaicae observantia quaestionem definitiva ratione solvisse; hoc enim Petrus et Iacobus praestitisse diserte leguntur, dum contra de Iuda et Sila v. 32 tantum dicitur, eos Antiochiae fratres „verbo plurimo“ consolatos esse et confirmasse. Ista igitur explicatio ut prorsus vana et temeraria reicienda est.

At opponunt, apostolos in illo concilio non simpliciter ad suum infallibilitatis privilegium provocasse, sed argumentis pugnasse, ipsorumque decretum, quatenus est positivum, nullibi umquam observatum esse. Sed ad priorem obiectionis partem iam supra (p. 5) respondimus, cum infallibilitatis donum usum humanae scientiae et diligentiae non excludere ostenderemus. Ex apostolorum igitur agendi ratione non sequitur, eos infallibilitatis privilegium a Christo sibi datum nescivisse, sed infallibilitatis sibi tributae naturam probe intellexisse. Apostolorum autem decretum, quatenus primum legis mosaicae obligationem sustulit, semper et ubique a christianis e gentibus oriundis, pro quibus tantum latum est, observabatur et adhuc observatur. Quod deinde hoc decretum dicit verbis ἀπέχεσθαι τῆς πορνείας, si ea, ut plurimi volunt, de proprie dicta fornicatione et luxuria intelligenda sint, id etiam semper et ubique observandum est; si vero, ut Schenz, Cornely [4] aliique interpretantur,

[1] Passaglia, De Ecclesia II 150. [2] Handbuch 16.

[3] E. Rothe, Wo ist die Eine, heilige, katholische und apostolische Kirche? Berlin 1872, 15.

[4] Schenz, Das Apostelkonzil, Regensburg 1869, 124 sqq. R. Cornely, Comment. in S. Pauli epistolas II, Parisiis 1890, 119. Cf. de hac re Knabenbauer in Act. apost. 265 sq.

accipienda sint de matrimonio propter certa impedimenta invalido declarato, etiam saltem ab Ecclesia romano-catholica et nonnullis orientalium coetibus religiosis ab ea Ecclesia separatis adhuc observatur. Quod denique illo decreto praecipitur, ut christiani abstineant ab idolothytis, sanguine et suffocato, id ostendi nullatenus potest fuisse ab apostolis tamquam rem *iuris divini* prohibitum, et hinc abrogari non potuisse, quam primum istud praeceptum tempori haud amplius conveniret [1].

Difficultatem parere potest, quod S. Paulus cum decreto apostolorum Act 15 relato convenire non videtur, dum scribit 1 Cor 10, 27 28: „Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam" non tuam, sed alterius, qui te admonuit. Atque ibidem v. 25 dicit: „Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam." Apostolus autem Paulus profecto non ignorabat, in foro Corinthiorum aves suffocatas et carnes idolis oblatas prostitisse venales. Respondent alii decretum apostolorum statutum esse „his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae, fratribus ex gentibus" (Act 15, 23), pro aliis regionibus igitur et populis vim obligantem non habuisse, cum decreta, quae onera imponant, strictae sint interpretationis. Quod responsum sufficit, ut contradictio, quae videtur esse inter Paulum et concilium apostolorum, evanescat. Addi potest, contradictionem illam qui velit statuere, debere eum asserere, concilium apostolorum idolothytorum esum omnem omnino prohibuisse, ita ut nulla occasione iis vesci liceret. Atqui hoc, cum ratio legis non fuerit intrinseca edendi idolothyta malitia, sed scandalum iudaeorum, probabile non est, sed iure supponi potest, a promulgatoribus istius legis varias explicationes ex mente apostolorum additas fuisse, legemque sic explicatam omnino conformem fuisse cum iis, quae S. Paulus 1 Cor 8—9 de idolothytis tradit. Scandalum enim in eorum esu vitandum esse et ipse tradit Paulus [2].

Multo etiam minus obstat, quod pronomine „nobis" non solum apostoli, sed etiam seniores et secundum aliquos alii quoque ex populo praesentes intelligendi sint; nam etsi his etiam infallibilitas ex nostra argumentatione tribuenda diceretur, apostolos ipsos non infallibiles suaeque infallibilitatis conscios fuisse inde manifeste neutiquam consequeretur.

B. Infallibilitas etiam apostolo Paulo collata est.

1. Istius doni collatio consequitur iam satis ex eo, quod Christus illud aliis apostolis prius electis contulit. Par enim erat ratio, cur Christus infallibilitatem etiam Paulo immediate a se electo apostolo conferret, cum etiam ipse suam doctrinam praedicare deberet, eamque reapse latius quam ullus alius apostolus propagarit. Cum ergo primos apostolos infallibiles doctrinae suae magistros Christus ideo reddiderit, ut eam puram atque integram populos docerent, necesse profecto est, etiam Paulum, qui plus aliis in propagando evangelio

[1] K. Böckenhoff, Das apostolische Speisegesetz in den ersten fünf Jahrhunderten, Paderborn 1903.

[2] Cornely l. c. 308.

laboravit, necnon Matthiam quoque apostolum eandem apostolici magisterii dotem accepisse.

2. Id clare ac certo monstratur ipsa Pauli professione miraculis confirmata. Nam

a) *Paulus se infallibilem evangelii magistrum professus est.* Etenim

α) *dicit* 1 Cor 7, 40: „Puto (*δοκῶ*) autem, quod et ego Spiritum Dei habeam", quibus verbis, ut ait *Estius* in h. l., „minus dicit, plus volens intelligi". Modeste enim, addit *Cornelius a Lapide,* „suam auctoritatem interponit, ne videatur haec humano, non divino spiritu dicere et consulere". Non enim, ut contra loquendi usum S. Pauli aliqui interpretes voluere, per Spiritum Dei hic intelligendus est „sincerus serviendi Deo et pius affectus". Et probabiliter saltem dum dicit „et ego", Paulus se comparat cum aliis apostolis, cum etiam c. 9 diserte cum iis se conferat, non vero cum pseudoapostolis, qui, Paulo contempto, Spiritum Dei sibi ascribebant. Istis porro verbis S. Paulus manifesto docet, se a divino Spiritu in tradenda christiana veritate instar aliorum apostolorum adiutum et illustratum, ideoque infallibilem esse, sive se errori non esse obnoxium.

β) *Paulus doctrinam suam verbum Dei et non hominum dicit.* Ita certe 1 Thess 2, 13 scribit: „Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est *vere*) *verbum Dei.*" Istis enim verbis Paulus manifeste gratias agit Deo, quod Thessalonicenses omnem suam doctrinam susceperint non ut doctrinam humanae originis et auctoritatis, sed ut divinam et coelestem, atque insuper de novo affirmat, eam esse vere verbum Dei. Verba enim *λόγον ἀκοῆς τοῦ θεοῦ* non significare sermonem de Deo, sed verbum, quod Deus protulerit cuiusque auctor ipse sit, ostendit iam satis sequens sententiae membrum contrarium: *οὐ λόγον ἀνθρώπων.* Idem affirmat Paulus Gal 1, 11 12: „Notum enim vobis facio, fratres, evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi." Asserit enim hic apostolus sollemni modo, id quod patet ex sollemni formula: *γνωρίζω δὲ ὑμῖν,* evangelium suum non esse secundum hominem (*κατὰ ἄνθρωπον*), scil. non tale, quale esset, si sapientiae humanae inventum esset, sed esse divinum. Particula enim *κατὰ* cum accusativo non rei originem, sed qualitatem denotat. Doctrinam autem suam divinam esse probat ex eo, quod eam ab ipso Christo revelatione divina accepit. Iam vero Paulus doctrinam a se praedicatam divinam esse adeo, ut tamquam verbum Dei haberi deberet, ita asseveranter et ex animo affirmare nullatenus potuit, nisi aut firmiter persuasum habuit, se esse revelationis Christi magistrum infallibilem, aut summe mendax esse voluit. Paulum vero impostorem non fuisse nota eius indoles totaque vita

apostolica[1], atque divina imprimis eius ad munus apostoli vocatio, multaque per eum patrata miracula manifeste ostendunt. Dicendum ergo est, Paulum intimae persuasionis fuisse, se Christi doctrinam puram atque omnis erroris immunem praedicare atque in ea tradenda infallibilem esse, cum alioquin certus esse neutiquam vere potuisset, se nihil humani atque erronei in praedicatione sua immiscuisse, omnem igitur ab ipso traditam doctrinam vere ac pure esse divinam.

Unde explicandus est locus Gal 2, 2. Si enim Paulus scribit, se Hierosolymis cum τοῖς δοκοῦσι, i. e. cum viris primariae auctoritatis, apostolis scil. Petro, Ioanne, Iacobo, qui v. 9 nominantur, aliisque praecipuis viris sive presbyteris[2] evangelium eousque a se inter gentes praedicatum amice contulisse, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset, nullatenus id cum Hieronymo[3], Tertulliano[4] et paucis recentioribus ita intelligendum est, ut ista *respectu sui ipsius* dixerit, quasi scil. *possibilitatem* erroris a se commissi in praedicando Christi evangelio agnoverit, doctrinamque suam examinandam et comprobandam illis tribus apostolis aliisque ecclesiae Hierosolymitanae viris proposuerit. Dixit igitur secundum omnes ferme huius epistolae interpretes Paulus ista *respectu aliorum,* timens, ne, pseudoapostolis iactantibus, doctrinam ipsius ab aliis apostolis reprobari, homines in posterum sibi fidem haud amplius haberent, et ii quos iam habebat discipulos, a sua doctrina deficerent. Nihil enim ipsius praedicationi eousque deerat, quam externa aliorum apostolorum approbatio et publicum testimonium consensus cum ipso. Hoc igitur Paulus obtinere volebat, ut adversariorum ora obtruderentur palamque fieret, nihil se tamquam divinitus revelatum docuisse, nisi quod reliquorum apostolorum doctrinae consentaneum esset[5]. Ideo ipse etiam ut causam huius sui itineris non attulit dubitationes de fidei doctrina, quas ipse habuerit, sed „revelationem" divinam. Hinc iam S. Chrysostomus[6] recte concludit: „Non ipsi opus fuit discere (οὐκ αὐτὸς ἐδεῖτο μαθεῖν), an in vacuum cucurrisset, sed ut iis, qui ipsum accusabant, id omnino persuaderet."

b) *Quod Paulus de infallibilitate sua profitetur, saltem mediate miraculis confirmatum est.*

Certe de Paulo *Ephesi* Christi doctrinam praedicante Act 19, 11 12 legitur: „Virtutes (*δυνάμεις*) non quaslibet (*οὐ τὰς τυχούσας*, i. e. eximias) faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos (*ἀσθενοῦντας*) deferrentur a corpore eius sudaria et semicinctia, et recedebant ab iis languores (*νόσους*) et spiritus nequam egrediebantur."

[1] Cf. Döllinger, Christentum und Kirche, Regensburg 1860, 86.

[2] *Οἱ δοκοῦντες*, ii qui videbantur aliquid esse, nullatenus cum contemptu quodam dici, vide apud Cornely in h. l. 424; Reithmayr in h. l. 121.

[3] Ep. 112, n. 8 (ML XXII 921), ubi scribit: „Ostendens [Paulus] se non habuisse securitatem praedicandi evangelii nisi Petri et ceterorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus." In Comment. tamen in ep. ad Gal. 2, 2 (ML XXVI 332) hanc opinionem non profert; et probabiliter allata verba secundum nostram sententiam explicare licet, praesertim cum in Gal 1, 18 dicat, Paulum ivisse, ut videret apostolum „*non discendi studio* . . ., sed honoris priori apostolo deferendi".

[4] Adv. Marc. 4, 2; 5, 3 (ML II 364 473).

[5] Cf. Belser, Die Selbstverteidigung des hl. Paulus, Freiburg 1896, 78 sqq.

[6] Comment. in Gal. 2, 2 (MG LXI 633).

Has enim aegrotorum sanationes miracula fuisse sive supernaturali divina virtute effectas patet tum e re ipsa, cum sane sudaria et semicinctia per se nullatenus aegros sanare valeant, tum ex auctoritate S. Lucae, qui istas sanationes Dei virtuti ascribit, necnon ex eo, quod praestigiatores minime eosdem effectus producere valebant (Act 19, 13 sqq), atque ex istarum sanationum effectu, cum propter illa Pauli opera nomen Iesu celebraretur (v. 17) eiusque religio magnum caperet incrementum (v. 20). *Lystris* vero Paulus (Act 14, 7—9) hominem a natalibus adeo pedibus debilem, ut incedere numquam potuerit, hoc solo imperio: „Surge super pedes tuos rectus“ subito ita sanavit, ut ille exsiliret et ambularet, gentilesque hoc factum videntes Paulum deum esse dicerent. Sane fuit id factum prorsus supernaturale, et manifesto divinitus contigit. — Sed sicut ista compluraque alia, quae in apostolorum Actibus narrantur, miracula Paulus ad hominum salutem proxime temporalem patrabat, ita aliud non minus stupendum in poenam adversarii edidit. Cum enim, ut Act 13, 7—12 narratur, magus Bariesu proconsulem Sergium Paulum ab amplectenda religione christiana a S. Paulo praedicata avertere studuerit, apostolus annuntiat ei divinam poenam in eo sitam, ut ad tempus caecus reddatur. „Et“, ait S. Lucas, „confestim cecidit in eum caligo et tenebrae, et circuiens quaerebat, qui ei manum daret“; protinus igitur ille Christi adversarius caecitate perculsus est. Haec porro poena manifesto divinitus inflicta est et prorsus extraordinaria fuit.

Quod enim nonnulli rationalistae [1] suspicati sunt, oculos illius magi iam antea aegros et ad caliginem dispositos fuisse et subito terrore, cum et Paulum ipsi caecitatem minitantem et Iesum Messiam ac dominum esse audiret, caligine fuisse offusos plane fictum et toti huius facti relationi contrarium est. Lucas enim istam magi caecitatem ut poenam divinitus inflictam clare perhibet, et nisi talis reapse fuisset, profecto proconsul Sergius non obstupefactus de miraculis doctrinae Christi praedicationi annexis, ei fidem praebuisset; nec sane etiam magus ille, homo adeo perversus, tam meticulosus fuit, quam eum adversarii fuisse volunt. Fuit ergo etiam iste eventus verum miraculum.

Ista porro miracula omnia a Paulo effecta sunt, dum Christi doctrinam praedicabat; iam vero si Paulus etiam falsa docuisset, si falso igitur infallibilem professus se esset, Deus sane per eum miracula patrare non potuisset, cum alioquin iis etiam Pauli errores indirecte saltem approbasset ac publice tamquam sua rata habuisset verba, quae sua minime fuissent. Quamquam enim, si quis missionarius christianus nostrae aetatis miracula patrat, ea infallibilem ipsum esse neutiquam probarent; notandum tamen est, eiusmodi virum non ut S. Paulum infallibilitatem sibi attribuere; insuper ea miracula monstrarent tamen, ipsum religionem christianam praedicando nullas falsas doctrinas docere;

---

[1] V. g. Heinrichs, Act. Apost. Excurs. V 357.

alioquin enim Deus non posset miracula per ipsum patrando tantam ei auctoritatem tribuere. Itaque uti Paulus instar aliorum apostolorum Dei legatus fuit in docenda Christi religione, ita etiam aeque atque illi infallibilitatis dono divinitus insignitus erat.

Obiciunt I, *Paulum a pluribus christianis non habitum esse infallibilem.* In controversia enim de necessitate observandae legis mosaicae ipsius auctoritatem iudaizantibus non suffecisse, cum alioquin nullius concilii sententia ac consultatione opus fuisset.

At facile respondetur, „absonum esse de germana primitivae Ecclesiae sententia ex iudicio hominum arbitrari, qui vixdum essent christianae religionis elementis initiati, qui turbatae tranquillitatis accusentur, quique pristinis institutis vehementius, quam par foret, inhaererent. Atqui non alii, referente Luca, Paulo et Barnabae obstitere, quam qui Act 15, 5 audiunt christiani ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν φαρισαίων, v. 24 perhibentur turbasse Ecclesiam, et in epistula ad Galatas ψευδάδελφοι nuncupantur. Praeterea admodum ab invicem distant infallibilitate pollere, et nonnisi exserta obiectaque infallibilitate pugnare, officiumque doctoris negligere, cuius est veritatem patefacere argumentisque idoneis stabilire. Quem latet, Christum fuisse infallibilem? At quem pariter latet, ipsum Io 5, 39—47; Mt 22, 31 32 ad Moysen, ad prophetas aliaque instrumenta provocasse, quibus fidem suae praedicationi conciliaret? Est igitur ineptum, eo nomine Pauli infallibilitatem in controversiam adducere, quod non illam dissidentibus continuo opposuerit, sed 2 Cor 4, 2 τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας devios fratres lucrari contenderit. Ad haec non ea solum prudentia iubentur, quae necessaria sunt, sed etiam quae opportuna, quaeque nonnullam afferre commoditatem existimantur. Quo igitur iure affirmatur, propterea Paulum et Barnabam missos ab ecclesia Antiochena fuisse Hierosolymam, quod id necessarium expediendae liti putaretur, vel quod Pauli infallibilitas ignoraretur?“ [1]

Obicitur II: Ut narratur Gal 2, 11 sqq, Petrus, cum esset Antiochiae, sententiam falsam et ab apostolorum concilio reiectam sua agendi ratione approbavit: approbavit scil. advenarum Hierosolymitanorum opinionem, qua legem mosaicam etiam post Christi religionem susceptam obligare putabant. Ergo Petrus infallibilis non fuit [2].

Ad haec respondemus 1. illud quod Petrus approbare videbatur, certissime non pugnabat cum decreto in concilio apostolorum emisso. Ab apostolis enim Hierosolymis congregatis nihil aliud decretum erat, nisi *ethnicos* ad Christum conversos legi mosaicae subdendos non esse. Ethnicos autem ad legem servandam obligari, ex Petri a convictu ethnico-christianorum sese retrahentis facto certe non potest legitime concludi. Praeterea illud tantum approbasset, quod Iacobi familiares (Gal 2, 12) de ritibus iudaicis sentiebant. Hi autem ethnico-christianis legem mosaicam imponendam esse non putabant. Si enim ita contra expressam concilii apostolorum sententiam opinati fuissent, profecto Petrus et Barnabas non se accommodassent illis, sed aperte restitissent. Qui enim Petrus, qui in conventu apostolorum intrepide pro ethnicorum conversorum libertate pugnaverat, post rem definitam ac decisam ce-

[1] Passaglia, De Ecclesia II 192, nota.
[2] Ita J. F. Schulte, Die Stellung der Konzilien 123.

deret iis, qui damnatam opinionem restaurare conati essent! Et Barnabam, qui iam ante concilium illud acriter contra circumcisionem ethnicis conversis praescribendam institerat, quis post partam victoriam in adversariorum partes ivisse credat? Nihil igitur, quod concilio apostolorum contrarium esset, advenae illi Hierosolymitani sentiebant, quapropter Petrus, si illorum sententiae calculum adiecisse visus est, nihil contra illud concilium approbavit. — 2. Putabant igitur, qui advenerant a Iacobo, christianis ex Iudaeis oriundis interim legalium observationem retinendam esse. His igitur si agendi rationem conformabat Petrus, *licite* hanc opinionem iudaeo-christianos interim sequi posse ostendit. Qua in re Petrus certe non erravit. Licet enim post Christi mortem lex mosaica inutilis facta esset, poterat tamen in Iudaea ac pro iudaeis per aliquod tempus eius observatio tolerari, non quod ea ad salutem aeternam quidquam conferret, sed quia adeo intime cum omnibus populi consuetudinibus, moribus, institutis cohaerebat, ut statim post Christi mortem abrogatam eam esse evidens non esset. Atque in lege illa interim inter iudaeos observanda consentientem habuit Petrus vel ipsum Paulum, qui et ipse factus est „iudaeis tamquam iudaeus", ut iudaeos lucraretur (1 Cor 9, 20; cf. Act 16, 3; 21, 24). — 3. Ceterum Petrus revera sua agendi ratione tunc nihil approbavit. Etiam pro iudaeo-christianis legem veterem abrogatam esse ostenderat, dum ipse, licet ex iudaeis oriundus, cum Cornelio manducaret, et id licite fieri posse exponeret (Act 11, 3 sqq), dum iterum Antiochiae approbantibus ac sequentibus ceteris iudaeo-christianis id faceret (Gal 2, 13), dum legem onus importabile etiam iudaeis nominaret (Act 15, 10). Hanc vero persuasionem suam eum retractasse eo, quod, posteaquam venissent quidam a Iacobo, „subtrahebat et segregabat se", probari non potest. Tantummodo enim, ut scandalum advenarum vitaret, veram sententiam suam dissimulavit. Periculum utique erat, ne quidam male ita interpretarentur hanc dissimulationem, ut legalium observationem necessariam putarent. Sed per se necessarium non erat Petri agendi modum ita intelligere. Dogmaticum igitur errorem Petrus non comedendo cum ethnico-christianis nullatenus approbavit [1]. Utrum omnino recte egerit S. Petrus, ex timore retrahens se a communione ethnico-christianorum, an venialiter peccaverit, huius loci non est inquirere.

Contra S. Petri infallibilitatem praeterea illud obiectum est, quod post acceptum praeceptum omnibus gentibus evangelium praedicandi (Mt 28, 19), post acceptum die Pentecostes Spiritum Sanctum nesciverit, etiam gentiles Ecclesiae Christi aggregandos et iudaicam de interdictis nonnullis cibis legem pro christianis sublatam esse, antequam Deus ei specie obiecta hoc monstraverit et ter eum diserte monuerit (Act 10, 11 sqq). Ad quae facile respondetur, scivisse Petrum gentiles Christo aggregandos esse, nescivisse, quo tempore id fieri deberet. Defectus autem ulterioris scientiae minime est error.

---

[1] Hac ratione iam S. Cyrillus Alexandrinus S. Petrum purgavit: „Audax ille et confidens [imperator Iulianus scil.] Petrum apostolorum praecipuum (ἔκκριτον) cavillatur et hypocritam esse dicit, atque a Paulo reprehensum, quod modo Graecorum, modo Iudaeorum ritu vivere vellet, ignorans plane singularem in his consilii rationem (οἰκονομίαν). Non enim diversa sentiebat ille discipulus, sed congrua moderatione tempestive utens (ἐπὶ καιροῦ ταῖς καθηκούσαις οἰκονομίαις χρώμενος) omni ratione prodesse iis studebat, qui ad se venirent (Contra Iulianum l. 9: MG LXXVI 999). Cf. etiam Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1873, 32.

Obiciunt III moderni rationalistae, ipsos apostolos in doctrina, quam tradebant, non consensisse inter se, nam v. g. alia de iustificatione tradere Paulum, alia Iacobum; alium Christum depingere Ioannem, alium ceteros evangelistas, immo ipsis illis, quae Paulo ascribantur, epistulis varias doctrinae quasi typos vel formas proponi. Ita epistulam ad Colossenses datam magnificentius de Christo loqui ac alias Paulus loqui soleat, in epistulis quae dicuntur pastoralibus „bonis operibus" multum tribui, cum alioquin Paulus fidei omnia ascribat etc. Quapropter recentiores protestantes liberales eo processerunt, ut in illa theologiae suae parte, quam „Theologiam Novi Testamenti" dicunt, omnes Novi Testamenti libros in varias classes dividant ac separatim uniuscuiusque classis quae sit doctrina peculiaris inquirant. Quodsi igitur apostolorum doctrina non est una in se, quomodo apostolis infallibilitas concedi possit?

At revera nulla veri nominis dissensio inter apostolos umquam demonstrata est. Nam 1. plerumque recentiores illi protestantes, ut pugnare inter se sacros scriptores ostendant, eo modo procedunt, ut, quae quis scriptor tacuerit vel expresse non docuerit, nescisse eum vel negasse contendant. Qui concludendi modus si legitimus est, utique facillime est, sacros scriptores inter se committere. At iniuste ita inter se opponuntur. Non enim ex eo, quod v. g. S. Ioannes totus in eo est, ut divinitatem Christi demonstret, reliqui evangelistae aliis veritatibus tradendis magis insistant, legitime concludi potest, divinitatem Christi minus synopticis evangelistis cordi fuisse; illud solummodo sequitur, evangelistas synopticos rationem habuisse, cur doctrinam uberiorem de divinitate Christi scripto tradere nollent, sed institutioni de ore ad os faciendae relinquerent eam. Nec propterea, quod S. Pauli epistulae quae dicuntur pastorales magis communis christianae vitae officia inculcant, aliae in eo sunt, ut sublimiores christianismi veritates evolvant, statim iudicandum est, diversos utriusque generis epistularum esse auctores et doctrinam. — Deinde vero 2. quae ad demonstrandam positivam oppositionem et dissensionem inter apostolos afferuntur quam frivola sint ut intelligatur, consideremus illud, quod maximam et evidentissimam contradictionem in se continere adversarii iactant, doctrinam dico de fide et operibus, ut ea docetur ex una parte a Paulo, ex altera a Iacobo, atque inspiciamus, quae in recenti quadam „theologiae neotestamentalis" delineatione[1] hac de re continentur. Cuius auctor postquam evidentem quae negari nullo modo possit oppositionem hac in re adesse in S. Scriptura contendit[2], postquam deinde pluribus ostendere conatus est, prorsus alias res in mente habuisse Paulum, prorsus alias Iacobum, cum fidei, operum, iustificationis vocabula usurpet, priusquam oppositio Pauli et Iacobi qua in re con-

---

[1] H. J. Holtzmann, Lehrbuch der neutestamentlichen Theologie, Freiburg und Leipzig 1897.

[2] „Die Bemühungen, einen so offen zu Tage liegenden Tatbestand zu verdunkeln bzw. nachzuweisen, daß beide Schriftsteller [Paulus und Jakobus] entweder das gleiche meinen oder doch wenigstens keinen entgegengesetzten Standpunkt einnehmen, sondern in irgend welcher höheren Einheit sich zusammenfinden, bilden ein keineswegs erfreuliches oder rühmliches Kapitel in der Geschichte der protestantischen Bibelwissenschaft (Holtzmann l. c. II 330).

sistat ostendere aggreditur, antea haec concedit [1]: eum qui accurate loqui velit, Iacobum non tam contra Pauli doctrinam quam contra eius doctrinae exaggeratores pugnare, immo rem fortasse ita concipiendam esse, ut Iacobus „Paulum contra Paulum", i. e. Pauli genuinam doctrinam contra eos, qui falso Pauli nomine glorientur, defendere velit, quamquam id si revera obtineat, male a Iacobo Paulum defendi dici debeat. Sed haec qui concedit, saltem evidentem contradictionem inter Paulum et Iacobum demonstrare non potest; postquam autem certo infallibilitatem apostolorum probavimus, thesis sic statuta everti non potest obiectionibus, quae probabilem admittant solutionem. Praeterea saltem evidentem dissensum inter Iacobum et Paulum non adesse etiam ex hoc sequitur, quod ipse Paulus pluribus locis praeter fidem etiam opera necessaria esse inculcat (v. g. Rom 2, 6; 1 Cor 13, 1 sqq), et maxime ex eo, quod praeter paucos illos protestantes rationalistas omnes theologi christiani dissentire inter se Paulum et Iacobum nec sensere nec sentiunt.

Dissensionis illius, quam adesse dicunt inter sacros scriptores, ut aliud exemplum consideremus, maxime dissentire a reliquis Pauli epistulis eas dicunt, quas ad Timotheum et Titum miserit. Quas ita generatim typum Paulinianum retinere concedunt, ut a genuina eius indole multum deficiant, exiliora enim et ieiuniora hic esse omnia, Paulinorum principiorum severitatem molliri et ad posterioris temporis ideas et necessitates accommodari [2]. Quo in genere nihil memorabilius esse dicunt, quam quod non iam soli fidei salus ascribatur, sed ei coordinentur ac substituantur caritas et virtutes morales, quod bona opera multum commendentur, ita ut eorum conceptus praesertim his epistulis in Ecclesiam introductus censeri debeat, quod multum tribuatur veritati ac sanitati doctrinae ac doctrinae huius publicae professioni, quod quae ad Ecclesiam pertineant eo modo theologice evolvantur et commendentur, ut longe post Pauli tempora haec scripta esse appareat [3].

---

[1] „Korrekterweise ist somit bei Jakobus von einer Polemik nicht sowohl gegen den Paulinismus als vielmehr gegen diejenige Zuspitzung zu reden, welche er auf dem einen der zwei nebeneinander herlaufenden Gedankengänge durch direkte Umkehr der alttestamentlichen und jüdischen Begriffsverbindung in ihr Gegenteil erfahren hat. Es besteht sogar die Möglichkeit, daß Jakobus, der sich sonst so vielfach an paulinische Formeln anschließt, in seiner Polemik nur den Paulus gegen Paulus (unter einer Voraussetzung wie die 2 Petr 3, 16 vorliegende) verteidigen wollte, was dann freilich in überaus unvorsichtiger und mißverständlicher Weise bewerkstelligt worden wäre" (Holtzmann II 337).

[2] „Wir haben hier den mit Rücksicht auf die kirchlichen Bedürfnisse einer fortgeschrittenen Entwicklungsphase umgebildeten, den kirchlich verfestigten und katholisch temperierten Paulinismus vor uns" (ib. II 259).

[3] „Gerade in diesen sittlichen Eigenschaften, welche teils mit dem Glauben zusammengestellt, teils ihm substituiert werden, zeigt sich der vermittelnde und katholisierende, der im Vergleich mit Paulus schlaffere und abgeflachte Charakter des Lehrbegriffes dieser Briefe am auffälligsten" (ib. II 272). — „Die Pastoralbriefe sind es, welche Begriff und Namen der ‚guten Werke' in die Kirchenlehre und Kirchensprache recht eigentlich eingeführt haben" (p. 274). — „Neben der praktischen Frömmigkeit bildet die richtige Lehre einen gleich wichtigen Pol, darum die werdende Kirchlichkeit unserer Briefe sich bewegt" (p. 276). — „In der Tat empfängt auch die Idee der Kirche in unsern Briefen eine dogmatische Begründung und Bedeutung, welche weit über Paulus hinausführt" (p. 279).

Sed hisce omnibus apostolorum infallibilitatem a nobis certo demonstratam everti non posse manifestum est. Quod enim Paulus modo minus sublimi loquatur in epistulis pastoralibus, verum est, sed facile explicatur, cum in iis illa tantum tradat, quae ad populum in communis vitae christianae officiis instruendum necessaria sunt, cum alias plerumque agat de altissimis christianae religionis mysteriis. Nullo autem modo haec inter se repugnant, ut Paulus modo altissima tractet, modo ad simplices fideles sese demittat. Immo plerumque cum inciperet praedicare in aliqua urbe, certissime initium non sumpsit a sublimibus illis rebus, quae in epistula v. g. ad Romanos exponuntur, sed iis praetermissis communia et maxime intellectu facilia eum docuisse existimandum est, alioquin enim non multi eius mentem assecuti ac ad christianam religionem aggregati essent. Deinde iniuria Paulo ascribi eam doctrinam, qua fidem sine caritate solam ad salutem sufficere doceatur, iam supra monuimus. Praeterea animadvertendum est, epistulas pastorales extremo vitae suae tempore a Paulo datas esse, cum iam haeretici esse coepissent. Quorum conatus cum Timotheo et Tito retundendi essent, mirum non est, magis Paulum „sanam doctrinam“ et Ecclesiae auctoritatem inculcare quam antea. Rationalistarum autem de pastoralibus epistulis sententias ut recte iudices, eos fere concedere animadverte, catholicam doctrinam in iis iam contineri [1].

Adverte praeterea, neoprotestantes ita ad sacros scriptores interpretandos accedere, ut a priori et ante omnem inquisitionem apud eos constet, apostolos homines ad instar ceterorum erroribus obnoxios fuisse ac nullo speciali divino auxilio adiutos doctrinam christianam docuisse. Ex qua eorum opinione sponte sua fluit, ut in diversas sententias apostolos abiisse ac contraria inter se docuisse persuasum habeant, ac in interpretandis sacris scriptoribus umbram omnem ac speciem dissensus pro vero dissensu venditent. Nam ubi doctrina aliqua hominibus nullo divino auxilio relinquitur, qui fieri possit, ut non vario modo ea intelligatur, mutetur, evolvatur, pervertatur, idque interdum etiam in rebus maxime essentialibus?

Iam vero speciem dissensus in S. Scriptura inveniri posse non negamus, patet enim id inspicienti scholasticorum praesertim qui dicuntur theologorum libros; hi enim postquam quamcumque religionis christianae doctrinam ex Sacrae Scripturae verbis demonstrarunt, statim transire solent ad removendas difficultates, quae contra doctrinam statutam ex aliis Sacrae Scripturae textibus ad speciem contrariis moveri possunt. Neque difficultatem habere sacrorum librorum doctrinam mirum est; cum apostolo Petro enim omnes facile concedunt, v. g. S. Pauli epistulas difficiles persaepe intellectu esse, tum propter rerum ipsarum sublimitatem, tum etiam propterea, quia contra quos errores apostolus scripserit, quam legentium conditionem vel necessitatem spectaverit interdum nescimus, quare fieri potest, ut quae scientibus illa Pauli coaevis facilia erant, nobis illa nescientibus sint difficillima.

Obiciunt IV asseclae scholae neotubingensis, dissensum maximum fuisse inter Paulum ex una parte et ceteros apostolos ac praecipue

---

[1] Sic Holtzmann (l. c. II 280) dicit, in iis inveniri „totam catholicitatem in nuce“.

Petrum ex altera[1]. Quae schola etsi multos sectatores hodie non habeat, notissima illa eius obiectio silentio praeteriri non debet.

Scilicet scholae neotubingensis fundator F. Chr. Baur († 1860) omnino novam de christianae religionis initiis theoriam invenit[2]. Ex eius enim sententia primitus christiana religio nihil aliud quam iudaismus paululum modificatus erat; legem mosaicam etiam post Christi mortem obligare, salutem operibus parari primi christiani putabant. Contra hos vero, quorum dux erat Petrus, mox surrexit Paulus, qui legem mosaicam abolitam esse, salutem sola fide niti defendebat. Hinc lites infinitae inter Paulinismi et Petrinismi asseclas, quae totam priorem historiae christianae aetatem repleverunt, usquedum multorum pacem amantium conatu id effectum est, ut litigantes in unum corpus sese coniungerent, cui, quia omnes in se continebat, „catholicae" Ecclesiae nomen inditum est. Unionem illam qui respuebant, post unionem factam haeretici habiti sunt; ita extremus iudaeo-christianismus vocabatur ebionitismus, extremus ethnico-christianismus marcionitismus.

Feliciter stabilita unione catholici nihil magis cordi habuerunt, quam ut omnia veteris dissensionis vestigia tollerent, ac semper intimum inter christianos concordiam locum habuisse omnibus persuaderent. Quapropter in primis illa, quae litium ac controversiarum memoriam ad posteros propagare poterant monumenta deleverunt, atque revera soli illi libri, qui pseudo-clementini dicuntur, testes illius discordiae ad nos pervenerunt. Ex altera vero parte, ut apostolos inter se quam maxime concordes fuisse persuaderent, multos tunc libros conficere coeperunt, quibus doctrina prorsus inter se cohaerens ac sibi consonans continebatur, hosque libros tamquam ab apostolis vel apostolicis viris conscriptos venditaverunt. Hoc modo orti sunt fere omnes illi libri, qui Novi Testamenti corpus constituunt; genuini enim sunt inter illos paucissimi, scil. ex una parte Apocalypsis, iudaeo-christianismi seu Petrinismi monumentum, ex altera quatuor S. Pauli epistulae ad Romanos, Galatas, Corinthios. Reliqua omnia conficta sunt et apocrypha. Praecipue vero Actus apostolorum hoc fine conscripti sunt, ut Petrum et Paulum concordia maxima inter se unitos fuisse ostenderetur; simillimos enim inter se

---

[1] Cf. de hac re H. Hagemann, Die Römische Kirche und ihr Einfluß auf Disziplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten, Freiburg 1864, 642 675; C. de Smedt, Dissertationes selectae in primam aetatem hist. eccl., Gandavi 1876, 22—27; M. Lecler, De Romano sancti Petri episcopatu, Lovanii 1888, 175sq 187 sq.

[2] Eius qui huc pertinent scripta sic enumerat Th. Zahn in Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche V[3], Leipzig 1898, 268: „Nachdem Baur in seiner Abhandlung über ‚Die Christuspartei in Korinth' (Tübinger Zeitschr. für Theologie 1831) seine Auffassung vom Gegensatz des Paulus und der Urapostel als einem fundamentalen, die kirchliche Entwicklung auf langehin beherrschenden dargelegt hatte, ging er mit der Schrift über ‚Die sog. Pastoralbriefe des Paulus' (1835), worin er an Schleiermachers Kritik des ersten Timotheusbriefes (1807) anknüpfte, zur ausführlichen Kritik der einzelnen Bücher über; und noch ehe er diese und andere Einzeluntersuchungen in seinem ‚Paulus' (1845; 2. Aufl. [2 Bde] 1866—1867) zusammenfaßte, begann er seine Methode auch auf die Evangelien anzuwenden" (Theol. Jahrbücher 1844, zusammengefaßt in den „Kritischen Untersuchungen über die kanonischen Evangelien", 1847).

repraesentari dicunt in eo libro ambos illos apostolos, ita ut quod in priore Actuum parte narretur de Petro, in altera tribuatur Paulo.

Ad haec ut respondeamus 1. de ipsis neotubingensis critices fundamentis haec dicimus: a) Improbabile quam maxime est, Petrinistas et Paulinistas in doctrina diversos in unam doctrinalem formulam ita consensisse, ut propter unionem efficiendam utraque factio a doctrina antea pertinaciter defensa ex parte recederet, talique transactione unio stabilis conficeretur. Nullum enim unionis stabilis eo modo procuratae exemplum historia refert. — b) Credibile non est, memoriam dissensus pristini posteriores christianos aut voluisse delere mendaciis, aut potuisse. Praeter catholicos enim christianos unionis amicos tunc temporis erant etiam haeretici, unionis inimici, qui fraudibus restitissent. — c) Prorsus arbitrarie tubingenses quosdam Novi Testamenti libros genuinos, quosdam spurios declararunt. Iisdem enim argumentis, quibus v. g. epistulae ad Romanos authentia historice ostenditur, etiam v. g. epistula ad Ephesios vel Philippenses, vel prima Petri epistula a suppositionis suspicione defenditur. Quod probatum invenies in libris introductionem in libros Novi Testamenti tractantibus.

2. Petrum autem et Paulum in doctrina non dissensisse ipsis iis quos Baur admittit Novi Testamenti libris demonstratur. Sane a) Paulus Hierosolymam tetendit, ut videret Petrum (Gal 1, 18), rursusque secundum acceptam revelationem eo rediit et contulit cum Petro aliisque qui ibi erant apostolis ac viris primariis evangelium, quod praedicabat gentibus, ut obtrectatoribus iudaizantibus manifestum fieret, doctrinam suam etiam ceteris apostolis probari (Gal 2, 1 2). Deinde dicit ib. v. 8: „Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes"; praeterea Iacobum, Petrum, Ioannem Ecclesiae columnas vocat, summa scil. auctoritate instructos. Etiam reliquos apostolos agnoscit legitimos Christi legatos, nam „Rom 10, 15 apostolis Isaiae dictum 52, 7 applicat veluti Christi praeconibus per totum orbem. . . . Verbum veritatis ita ut ad Colossenses pervenit, venit in totum mundum (Col 1, 5 6), et pariter Romanorum fides καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ (Rom 1, 8), quos tamen Paulus minime instituerat, sed alii a prioribus apostolis edocti. Reliquos apostolos sicut se ipsum Paulus habet Χριστοῦ διακόνους (2 Cor 11, 23), perinde ipsi est, sive ipse sive reliqui apostoli evangelium praedicent (1 Cor 15, 11). . . . Sunt omnes ministri, per quos propagatur fides (ib. 3, 5), sicut omnibus Christus suae resurrectionis gloriam manifestavit (ib. 15, 3—9). Neque si fidei vel minima fuisset differentia inter ecclesias a Paulo fundatas et eam, quae Hierosolymis erat, Paulus spiritualia huius bona (περίσσευμα) illorum spirituali inopiae supplemento fore diceret (2 Cor 8, 14; cf. Rom 15, 27); fuissent enim qui externis bonis ditiores exstiterant, et internis, quae maximi faciebat Paulus, ditiores." [1] His adde, ex Pauli sententia iudaeo-christianos cum conversis ex gentibus unam ecclesiam efficere, id quod Rom 11, 17 diserte dicit. — b) Sicuti autem Paulus Petrum, ita et Petrus Paulum verum apostolum esse agnovit. In pignus enim amicitiae et arctissimae necessitudinis in evangelio praedicando cum Paulo dexteram societatis conseruit (Gal 2, 9). Atque ut Paulus refert Gal 2, 3, Titus e gentilibus oriundus a Petro ceterisque apostolis, Hierosolymis cum esset, non est compulsus ut circumcideretur. —

[1] Hergenröther, De catholicae Ecclesiae primordiis recentiorum Protestantium systemata, Ratisbonae 1851, 112 sq.

c) Accedit testimonium antiquissimorum saeculi primi exeuntis et secundi ineuntis scriptorum. Clemens enim Romanus (1 Cor. 5) et Ignatius (Ad Rom. 4) cum ad eos viros, qui omnium maximae inter christianos erant auctoritatis, provocant, ita Petro iungunt Paulum, ut de eorum dissidio et inimicitia eos ne suspicari quidem appareat [1].

3. Argumenta, quibus adversarii apostolorum principes inter se dissensisse persuadere conantur, duo proferunt: Petri Paulique contentionem Antiochenam et pseudo-clementinorum auctoritatem. At nihil his argumentis efficiunt. Nullo enim modo doctrinae diversitas demonstratur

a) *ex eo quod Paulus Antiochiae Petro praesenti sese opposuit* (Gal 2, 11—14) [2]. Si enim ea divisio fuisset inter christianos ex iudaeis et christianos ex gentibus conversos, id quod adversarii fingunt, Paulus pati non debuit, ut Petrus cum ovibus suis conversaretur; si enim „aliud omnino erat evangelium praeputii ab evangelio circumcisionis, ut cum Semler nostri critici contendunt, si erat ‚ἕτερον', ad quod quidam Galatas trahere conabantur (Gal 1, 6 7), iam anathema fuit dicendum (ib. 8 9) Petro alterum illud evangelium praedicanti" [3]. Neque, si res ita se habebat, Paulus increpare

---

[1] Quapropter de tubingensium theoria ita, qui est in antiquissimorum Patrum scriptis versatissimus J. B. Lightfoot (The apostolic Fathers. Part I: S. Clement of Rome I, London 1890, 9): „This theory can be upheld only by trampling under foot all the best authenticated testimony. The three apostolic Fathers more especially are a strong phalanx barring the way. The two Apostles are directly named by Clement 1 Cor. 5 and by Ignatius (Rom. 4) as of equal authority; while the remaining father, Polycarp, though as writing to a church founded by this Apostle (Phil 3) he mentions Paul only by name, yet adopts the language and the thoughts of S. Peter again and again. Thus we have the concurrent testimony of Rome, of Syria, of Asia Minor, to the co-ordinate rank of the two great Apostles in the estimate of the Christian Church at the close of the first and beginning of the second century." In ipsa Germania neotubingensium systema magis magisque deseritur. Sic v. g. A. Harnack (Die Chronologie der altchristlichen Literatur bis Eusebius I, Leipzig 1897, VIII): „Es hat eine Zeit gegeben — ja das große Publikum befindet sich noch in ihr —, in der man die älteste christliche Literatur einschließlich des Neuen Testaments als ein Gewebe von Täuschungen und Fälschungen beurteilen zu müssen meinte. Diese Zeit ist vorüber. . . . Die älteste Literatur der Kirche ist in den Hauptpunkten und in den meisten Einzelheiten, literarhistorisch betrachtet, wahrhaftig und zuverlässig." Ibid. p. IX: „Die Voraussetzungen der Baurschen Schule nun sind, man kann fast sagen, allgemein aufgegeben." Cf. E. Jacquier in L'Université catholique, Nouv. Sér. XXIV (1896) 481—502. Similiter Zahn loco supra pag. 28, not. 2 citato tubingenses late refutat.

[2] Hoc loco agi de Petro apostolo, non de alio nescio quo discipulo Cepha, certum est. Contrariam quidem opinionem etiam hoc saeculo aliqui defendere conati sunt, ut anonymus auctor in Analectis iuris Pontificii tom. IV, ser. 7, Paris. 1864, 897 sqq; Pujol in Études religieuses, Nouv. Sér. VII, Paris 1865, 192, et maxime Al. Vincenzi, De hebraeorum et christianorum sacra monarchia et de infallibili in utroque magisterio P. III, Romae 1875, 305—372. Refutant eam v. g. Mertian in Études religieuses VIII (1865) 325; Chr. Pesch in Zeitschr. für kath. Theol., Innsbruck 1883, 465. Sententia vero, quae apostolos non ex animo egisse statuit, ita ut ex condicto Petrus a consortio iudaeorum sese retraxerit, ut Paulus occasionem haberet iudaeo-christianorum praeconceptas opiniones corrigendi, iam a S. Augustino est refutata.

[3] Hergenröther, De catholicae Ecclesia primordiis etc. 106.

potuit Petrum ad morem iudaeorum revertentem. Praeterea Petrum in doctrina consentientem se habere clare indicat Paulus. „Simulationem" enim Petri et sociorum eius agendi rationem nominat, qua voce „Paulus indicat, iis persuasum quidem fuisse, se ritibus mosaicis non ligari, nihilominus eos a gentium convictu recedentes egisse, ac si illis etiam tunc ligarentur" [1]. Deinde Petrus, antequam venirent quidam a Iacobo, cum gentibus convixerat, a quibus recesserat ob iudaizantium tantum metum, non vero, quod subito dogmaticam sententiam de iudaicis ritibus mutaverat. Quodsi igitur Petro „in faciem", i. e. praesenti Petro restitit Paulus, id factum non est propterea, quod Petri doctrinam Paulus vituperaret. Nec „simulationem" eius in se malam habitam a Paulo fuisse illa oppositione demonstratur. Cum enim Iacobi familiares etsi erronee, sine peccato tamen mosaica lege obligari putarent eos, qui originis essent iudaicae, Petrus iure timere debuit, ne a lege illa recedendo graviter illos advenas offenderet, ac viam ad iudaeos Christo lucrifaciendos sibi occluderet. Quod scandalum iuste removere studuit, ac in hac re non aliter egit ac postea in simili occasione ipse Paulus (Act 21, 20 sq). Quapropter neque Antiochiae, cum Petrus ab ethnico-christianis inciperet se segregare, statim Paulus eum monuit, licet tempus monendi eum deficere non potuerit; Petrum enim „lente ac gradatim esse progressum separationemque eius aliquo tempore durasse, antequam reliqui iudaeo-christiani et Barnabas sese separare coeperunt", clare iudicat tempus imperfectum („subtrahebat et segregabat se"), quod in narratione usurpatur [2]. Quapropter ratio ob quam resisteret in eo erat, quod Paulus citius Petro praevideret, quae sequelae ex principis apostolorum exemplo fluere possent. Non enim solum Antiochiae videbat pacem ac concordiam illam intimam evanescere, quae fuerat inter christianos ex gentibus et christianos ex iudaeis, sed etiam timendum erat, ne unionis inimici, quae Antiochiae evenerant, in rem suam traherent, et his ubique sparsis plenae christianorum in unum corpus unioni obstacula crearent. Petrum autem quae Paulus contra ipsum argumentatus erat approbasse ac confirmasse, licet diserte non dicatur in S. Scriptura, ex contextu orationis tamen satis eruitur. Si enim Petrus ipsi repugnasset, haec ad confirmandam veritatem sui apostolatus Paulus non narrasset.

Atque ita iam antiquitas christiana illam duorum apostolorum controversiam interpretata est. Certe iam Origenes [3] ut demonstret, Petrum nimis antea fervidum post Domini negationem plene mutatum esse „adeo ut postea factus sit fortissimus atque ad quidquid accidisset aequanimiter ferendum paratissimus", provocat ad illud, quod ad Pauli vituperationem „cum fortitudine tacuerit". Similiter Theodoretus [4] „magnus Petrus", inquit, „silentio dicta [a Paulo] confirmat, iudaeo-christianis praesentibus quasi dicens, nos iuste reprehendit nec verbis eius contradicere licet. Quod enim audientium utilitati consulens verba Pauli approbaverit, id nemini non est manifestum." Bene etiam hac in re loquitur Theodorus Mopsuestenus [5], qui primum Pauli verba sic paraphrasi reddit: „Non solum iudaeis communicantibus illi, sed et Barnaba meo socio . . ., solus ego ex omnibus illis praehonorans veritatem *praecellenti et omnium maiori Petro* stans in faciem dixi."

---

[1] Cornely ad h. l. 447—448.
[2] Cornely l. c. 451. [3] In Ioan. tom. 32, § 5 (MG XIV 753).
[4] In h. l. (MG LXXXII 472).
[5] In Ep. ad Gal. n. 20 21, apud Pitra, Spicilegium Solesmense I, Parisiis 1852, 59 sq. Errore haec card. Pitra ascribit S. Hilario.

Postquam deinde gradationem aliquam in prioribus duobus ad Galatas capitibus observari a Paulo animadvertit: „Primum quidem dicens, qualis erat erga legem, deinde quia ad fidem transiit non per hominem, post illud, quoniam apostoli complacuerunt in eius doctrinam, *post omnia vero,* quoniam necessitate cogente, nec resistere dubitavit pro hoc ipsi Petro", sic pergit: „Quoniam ergo b. Paulus illis nunc abusus est, ut ostenderet, quoniam publice pro illis, qui ex gentibus sunt, et iustitiam vindicare et arguere *elegantissimum apostolorum* non piguit, et quoniam suscepit ille [Petrus], quae ab hoc dicebantur, evidens est. Si enim aliqua controversia de hoc fuisset aborta ..., alterum isto stabiliente, alterum eo firmante, necessario utique et differentia aliqua huiusmodi fuisset facta inter christianos, aliis Petro, aliis Paulo intendentibus.... Sive consensu ipsam controversiam inter se simulaverunt pro aliorum utilitate, sunt vere quidem mirandi: eo quod omnia ad aliorum utilitatem facere acquieverunt, sive quia Petrus illorum curam habens, qui ex iudaeis crediderant, visus est se cohibere a communione illorum, qui ex gentibus erant, Paulus vero eorum, qui ex gentibus crediderant, curam habens, resultare et arguere eum in faciem non piguit. Utrique sunt demirandi de suis sententiis et arbitriis. Hic quidem qui praehonorandam omnibus credidit veritatem et propter hanc non piguit nec *praecellenti insigni apostolorum* in faciem resistere. Ille vero licet videretur argui, tamen acquievit, totum ferens silentio, et quidem *ex multis negotiis primatum sibi sufficiens vindicare,* illa quae erga se fuerant nullius momenti faciens, veritatem hominibus praehonorandam esse existimavit. Quoniam autem contentio illorum nullam fecerit separationem, consensus eorum in consequenti tempore demonstravit. Si enim vilissimorum hominum differentia, et de frivolis rebus facta, saepe universas separavit ecclesias, quemadmodum talium contentio et de talibus negotiis effecta, si non consensus interfuisset, utique magnam omnium fecisset separationem, nullo ultro sufficiente coniungere scissam multitudinem, quae ex illorum controversia semel fuerat separata? Utrique enim dignitate contendentes, proponentes pro partibus suis stultum esse censerent, alii post Petrum. alii post Paulum alium quidem recipere veritatis magistrum." Similiter apud Latinos iam Cyprianus [1], dum de Petro ait: „Consilium veritatis admisit, et rationi legitimae quam Paulus vindicabat facile consensit", quem locum postquam recitavit Augustinus [2], haec adiungit: „Ecce ubi commemorat Cyprianus, ... apostolum Petrum, in quo primatus apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore apostolo Paulo esse correctum." Alibi Augustinus [3]: „Ipse vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctae ac benignae pietate humilitatis accepit: atque ita rarius et sanctius exemplum posteris praebuit, quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent, etiam minores maioribus pro defendenda evangelica veritate, salva fraterna caritate resistere. ... Est laus itaque iustae libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro." Gregorius vero Magnus sic ait [4]: „Se etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in hoc praeiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate." Facundus Hermianensis [5]: „Sic aliquando Petrus apostolorum primus, ... cum non recte ambularet ad veritatem evangelii reprehensus a Paulo minimo apostolorum (Gal 2, 14) non indigne tulit, nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit; quoniam caritas, quae Paulum ad arguendum prioris culpam fidenter erexerat, eadem Petrum ad suscipiendam minimi correctionem dociliter inclinabat."

---

[1] Ep. 71, n. 3 (Hartel 773).
[2] De baptismo c. Donatistas l. 2, c. 1, n. 2 (ML XLIII 127).
[3] Ep. 82, n. 22 (ML XXXIII 285).
[4] In Ezech. l. 2, hom. 6, n. 9 (ML LXXVI 1002).
[5] Pro defensione trium capit. l. 10, c. 2 (ML LXVII 773).

b) Petri et Pauli dissidium demonstrare student neotubingenses etiam illis *libris, qui vocantur pseudo-clementini,* i. e. ex „Homiliis" et „Recognitionibus" Clementi Romano falso suppositis. Continentur illis libris praeter narrationes confictas de Clementis eiusque familiae fatis mirabilibus praecipue disputationes, quas apostolus Petrus cum Simone Mago habuisse dicitur; atque in his disputationibus aliquibus locis revera inducitur Petrus eam doctrinam profitens, quam Baur primis christianis ascribit, scil. christianam religionem nihil aliud esse nisi puriorem quendam mosaismum; praeterea satis aperte apostolus Paulus sub persona Simonis Magi interdum impugnari videtur. Quae ut in rem suam convertant neotubingenses, quorum hac in re praecipuus est R. A. Lipsius († 1892)[1], ex ipsarum pseudo-clementinorum critica tractatione student ostendere, ex antiquissimo fonte hanc de Petri Paulique inimicitia narrationem fluxisse; quod si obtinuisse sibi videntur, factionem maximam iudaizantem in primordiis christianismi exstitisse huiusque doctrinam maximi pro christianae religionis evolutione momenti fuisse concludunt. Eundem librum, ex quo pseudo-clementini ultimatim hauserint, etiam actorum Petri et Pauli apocryphorum fundamentum fuisse, horum critica analysi ostendere studet Lipsius.

Sed frustra argumentantur. Nam α) imprimis mirandum non est S. Paulum in pseudo-clementinis illis scriptis vel eorum fonte impugnari vel reici. Omnibus enim fatentibus, libri illi, ex quibus pseudo-clementini ortum ducunt, ab ebionitis gnosticis erant conscripti. Ebionitae autem omnes, si excipias eos qui dicuntur nazaraei, S. Paulum respuebant. Scilicet sicuti iam S. Pauli tempore aliqui christiani legem mosaicam nimium venerabantur ac S. Pauli plus minus adversarii erant, ita posteriore tempore ex his iudaeo-christianis aliqui longius progressi atque in haeresim prolapsi ab Ecclesia plane recesserunt et in S. Paulum contumeliosi magis exstiterunt[2]. Nihil igitur miri in hac re, quod liber ebioniticus inimicitias ostendat in apostolum gentium, ac apostolo circumcisionis eam inimicitiam affingat. Sed quid horum ebionitarum testimonium probat contra Clementem Romanum, Ignatium, Irenaeum, Petri Paulique concordiam testatos?

β) Concessum est hodie fere ab omnibus, numquam post tempora apostolorum iudaeo-christianos magni momenti in historia ecclesiastica fuisse. Erant illi pauci numero in ultimo orbis angulo ad Mare Mortuum et trans Iordanem habitantes, qui quid sentirent reliqui christiani non multum attendebant[3].

---

[1] Die Quellen der römischen Petrus-Sage kritisch untersucht, Kiel 1872; Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden. Ein Beitrag zur altchristl. Literaturgeschichte. II. Bd, 1. Hälfte, Braunschweig 1887.

[2] Cf. Hergenröther, Handbuch der allgem. Kirchengeschichte I[3], Freiburg 1884, 207. Illos pseudo-clementinorum locos, quibus Paulus sub Simonis nomine impugnari videtur, collegit imprimis R. A. Lipsius, Die apokryphen Apostelgeschichten l. c. 43 sqq.

[3] Sic ipse Lipsius (l. c. 55): „Man wird mit Uhlhorn die Ansicht als überwunden bezeichnen dürfen, daß der Lehrbegriff dieser Schriften ‚je der in der Kirche herrschende gewesen ist. Wir haben es vielmehr mit dem Lehrbegriff einer Fraktion des Judentums, und zwar höchst wahrscheinlich eines essenisch gefärbten, von der Gnosis stark berührten und von hellenisch-heidenchristlichen Elementen zersetzten Judenchristentums zu tun'. Aber so richtig dieses Urteil auch ist, so" etc.

γ) Antiquissimum esse fontem, ex quo profluxerint partes illae pseudo-clementinorum librorum quae Paulum impugnant, R. A. Lipsius [1] ex ipsis illis libris studet ostendere. Investigatione enim critica, et „Homiliarum" et „Recognitionum" accurata inter se comparatione erui putat, pseudo-clementinos libros, quos hodie habemus, fluxisse ex alio libro, quem iterum ex alio hausisse putat, scil. ex „Praedicatione Petri", qui in Recognitionibus 3, 75 nominatur. Praedicatio illa Petri post S. Iustini martyris tempora conscripta est, sed nondum ea est pseudo-clementinorum fons; ex alio enim rursus fonte, sive scripto sive orali traditione transmisso, et ipsam deducendam esse Lipsius se probare posse existimat. — At ut Praedicationem Petri exstitisse et fontem pseudo-clementinorum fuisse improbabile non est, ita eam iterum ex alio libro fluxisse hodie vix quisquam concedit [2]. Argumentum enim unicum, quo huius fontis exsistentiam Lipsius demonstrare vult, hoc est, quod eae pseudo-clementinorum partes, quae Praedicationem Petri constituisse putandae sint, Simonem Magum generatim non ut Paulum, sed ut gnosticae haeresis parentem insectentur. Ergo si in his vel aliis pseudo-clementinorum locis Paulus impugnetur, id ad hominem ab auctore Praedicationis Petri diversum referendum esse. Quem antiquiorem quam Praedicationis Petri auctorem fuisse inde concludit Lipsius, quod solummodo antiquissima christianae religionis aetate Simon Magus typus Pauli a Petro impugnati fuerit. Sed haec ratio nulla est, cum etiam postea scriptor aliquis ebioniticus ut Paulo invidiam crearet, eum cum Simone Mago comparare potuerit. Praeterea eam rationem proponendo, Lipsius ut axioma fundamentale scholae neotubingensis a benigno lectore sibi concedatur postulat. Sed adeo benigni hodie non multi sunt. Ad prorsus eandem autem rationem confugit Lipsius, ut actorum Petri et Pauli fontem ad secundum saeculum ascendere persuadeat [3].

δ) Addendum restat, omnia quae ad pseudo-clementinos illos libros pertinent adeo in incerto ac obscuro posita esse, ut viri docti inter se quam maxime de iis dissentiant [4]. Unde plura de his dicenda hic non sunt.

---

[1] Die apokryphen Apostelgesch. II 1, 37—54.

[2] Cf. Lecler, De Romano S. Petri episcopatu 205 sqq; Uhlhorn in Realenzyklopädie für protestant. Theol. und Kirche IV[3] 178.

[3] L. c. II 344: „Trotz aller heutzutage Mode gewordenen Ungeneigtheit, das Vorhandensein einer Richtung in der alten Kirche anzuerkennen, welche Paulus und Petrus zueinander in Gegensatz stellte, wird man sich dem Zugeständnis nicht zu entziehen vermögen, daß die ganze Komposition der [Petrus- und Paulus-] Akten von dem apologetischen Interesse beherrscht ist, die Meinung von einem prinzipiellen Gegensatz beider Apostel zu bekämpfen. Nun ist aber die geschichtliche Situation, aus welcher eine Darstellung wie die unserer Akten hervorgehen konnte, nur in den Zeitverhältnissen bis etwa zur Mitte des 2. Jahrhunderts und sonst niemals wieder in der Geschichte der Kirche gegeben gewesen. Den geschichtlichen Hintergrund der Akten bildet mit einem Worte der Gegensatz der petropaulinischen und der ebionitischen Legende, wie derselbe uns im 2. Jahrhundert begegnet." Quid iudicandum sit de hac argumentatione, exemplo illustrari potest. Saeculo VII Sophronius patriarcha Hierosolymitanus homiliam habuit de SS. Petro et Paulo, in qua totus est in horum apostolorum inculcanda concordia et unione (MG LXXXVII 3355 sq). Ergo ex Lipsianis principiis homilia illa scripta dici debet saeculo II.

[4] Scripserunt de pseudo-clementinis praeter Baur Schliemann (1844), Schwegler (1846), Hilgenfeld (1848), Uhlhorn (1854), Lehmann (1869), Lipsius. Atque ex his

Obicitur V: Apostoli docuerunt, se sperare et exspectare, secundum Christi adventum ad iudicium ultimum ac generale esse ante ipsorum mortem futurum. Nam 1. tempora quibus ipsi vivebant vocant *ultima*. Ita Ioannes: Filioli, novissima hora est (1 Io 2, 18; cf. 1 Petr 1, 5 20; 1 Tim 4, 1; Iud 18); Paulus vero (1 Cor 10, 11): Scripta sunt, inquit, haec ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum (*τὰ τέλη τῶν αἰώνων*) devenerunt. Christus vero secundum Hebr 9, 26 passus est in consummatione saeculorum (*ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων*). — 2. Dicunt omnium rerum finem et adventum Domini appropinquare. Certe 1 Petr 4, 7 dicitur: „Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus." Item Iac 5, 8 9: „Confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce

---

vix duos inter se convenire in assignandis vel fontibus librorum illorum vel temporibus quibus orti sunt, ostendit Uhlhorn l. c. 176 sqq, qui ib. 178 sic commentationem suam concludit: „Der gegenwärtige Stand der Clementinen-Frage ist dahin zu charakterisieren, daß bisher nach keiner Seite hin sichere Ergebnisse, die in weiteren Kreisen Zustimmung gefunden hätten, erzielt sind. . . . Ob . . . diese Kerygmen (liber qui inscribitur Praedicatio Petri) die älteste Grundlage des ganzen Schriftenkreises bilden, oder ob diese selbst wieder die Überarbeitung einer noch älteren Schrift sind und welchen Charakter diese trug, namentlich ob sie schon eine antipaulinische Tendenz hatte, ist bei dem gegenwärtigen Stande der Frage nicht mit Sicherheit zu sagen. . . . Während darüber bisher ziemliches Einverständnis herrschte, daß die Schriften auch in ihren jüngeren Schichten noch in das 2. Jahrhundert gehören, spätestens bis 170 oder 180 anzusetzen seien, mehren sich neuerdings die Stimmen, die sie für jünger erklären." Deinde postquam H. Waitz (Die Pseudoklementinen, Leipzig 1904) iterum de scriptis his egit, Ad. Harnack (Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius II, Leipzig 1904, 519), quamquam multum laudat librum a Waitz compositum, ita dicit: „In Bezug auf das Alter der letzten Quellen der Pseudoklementinen hat mich Waitz [qui Praedicationem illam Petri mox post a. 135 ortam putat] nicht überzeugt. An keinem Punkte der altchristlichen Literatur haben die Urteile so schroff gewechselt wie in Bezug auf die pseudoklementinischen Schriften: in der Mitte des vorigen Jahrhunderts standen sie im Zentrum der Hypothesen über die Entwicklung des vorkatholischen Zeitalters der Kirche (denn man verlegte sie — Quellenschriften und Bearbeitungen — in das Ende des 1. und kaum über die Mitte des 2. Jahrhunderts); jetzt werden sie von vielen neueren Forschern bei den Untersuchungen über die Entstehung des Katholizismus nicht oder kaum mehr berücksichtigt, sind in einen Winkel der Literaturgeschichte verstoßen, und ihre Abfassungszeit wird tief heruntergerückt (wenn auch über das Alter ihrer Quellenschriften eine Einigung noch längst nicht erzielt ist). Meines Erachtens ist ihnen damit nur ihr Recht geschehen." Librorum illorum, quibus usus est vel redactor pseudo-clementinorum vel eius praedecessor, Harnack (l. c. 538) nullum antiquiorem putat quam annum 200. Et in Lehrbuch der Dogmengeschichte I⁴, Tübingen 1908, 332 Harnack dicit: „Somit enthalten die Pseudoklementinen keine Quellenschrift, die mit irgend welcher Wahrscheinlichkeit dem 2. Jahrhundert zugewiesen werden dürfte. . . . Für die Entwicklungsgeschichte der katholischen Lehre und Kirchenverfassung dürfen sie als Faktoren nicht in Betracht gezogen werden." Origenem iam recitasse locos duos e pseudo-clementinis recentiores scriptores negant; putant enim, locos illos postea in eius Philocaliam insertos esse (cf. J. Chapman, Journal of theol. Studies III, London 1902, 436 sqq).

iudex ante ianuam assistit." Hebr 10, 25 monentur fideles, ut ad constantiam in fide inter se adhortentur, „tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem (*τὴν ἡμέραν*)"; „adhuc enim modicum aliquantulum (*μικρὸν ὅσον*), qui venturus est (*ὁ ἐρχόμενος*) veniet et non tardabit" (ib. v. 37). Admonet porro Phil 4, 5 fideles: „Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est." — 3. Maxime vero adversarii nituntur his duobus locis: 1 Thess 4, 15: „Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia *nos* qui vivimus (*ἡμεῖς οἱ ζῶντες*), qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt. *Nos* qui vivimus (*ἡμεῖς οἱ ζῶντες*) qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra." Deinde 1 Cor 15, 51 52, ubi textus graecus receptus habet: *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα*, i. e. omnes quidem non dormiemus (moriemur), omnes vero mutabimur, addit S. Paulus, cum mortui resurgant incorrupti, „et *nos* immutabimur".

His nixi locis multi contendunt, apostolos secundum Christi adventum proxime ac sua aetate instantem docuisse ac ita in errorem docendo incidisse. Qua in sententia, paucis exceptis, sunt in Germania fere omnes protestantes [1].

Ad hanc obiectionem dupliciter responderi potest. 1. Dicunt aliqui, apostolos secundum quidem Christi adventum mox futurum putasse, sed hanc suam opinionem non ut dogma fidei ab omnibus credendum proposuisse [2]. Iam vero, si apostoli illum Christi adventum mox futurum existimarunt quidem, sed fide tantum humana ita existimarunt hancque suam opinionem etiam aliis ut mere humanam notam fecerunt, manifeste hic error apostolorum infallibilitati non repugnat.

Sed, salvo meliore iudicio, mihi quidem verum neutiquam videtur, apostolos, *si* tamen proxime futurum secundum Christi adventum crediderint, eum non ut rem fidei divinae et ipsos habuisse et aliis praedicasse. Primum enim nullo eorum locorum, qui ad probandam ipsorum proximi Christi adventus spem afferuntur, apostoli vel minima ratione indicant, non ut infallibiles christianae revelationis magistros, sed tantum ut homines coniecturando se loqui. Ioannem enim 1 ep. 2, 18

[1] Horum nomina invenis v. g. apud L. Atzberger, Die christl. Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung im Alten und Neuen Testament, Freiburg 1890, 325. Cf. G. Wohlenberg, Der erste und zweite Thessalonicherbrief, Leipzig 1903, 99; W. Bornemann, Die Thessalonicherbriefe, Göttingen 1894, 203 sq. Refutare conabantur argumenta, quae apostolorum errorem demonstrare videntur, inter protestantes v. g. Heidenreich, Comment. in priorem D. Pauli ad Cor. ep. II, Marburgi 1828, 578; J. F. Flatt, Vorlesungen über die beiden Briefe Pauli an die Korinther, Tübingen 1827, 398.

[2] Ita inter catholicos existimant A. Maier, Kommentar über den ersten Brief an die Korinther, Freiburg 1857, 375; A. Bisping, Exegetisches Handbuch zu den Briefen des Apostels Paulus III², Münster 1863, 47 (cf. I 2 [1865] 295); Seisenberger, Die Lehre von der Auferstehung des Fleisches nach 1 Cor 15, Regensburg 1868, 161; Thomas in periodico Analecta iuris Pontificii XV, Romae 1876, 10; Ioh. Ev. Belser, Die Briefe des hl. Johannes, Freiburg 1896, 53; F. Tillmann, Die Wiederkunft Christi nach den paulinischen Briefen, Freiburg 1909.

scribentem: „Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia antichristus venit; et nunc antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est", coniecturam tantum vel meram opinionem et non rem certam exprimere [1] equidem non video. Utique non tam sollemni modo Ioannes hic loquitur, ut nonnumquam alibi, v. g. initio sui evangelii; atque argumentatione concludit, novissimam horam esse. Nihilominus quia minime dubius illam conclusionem ut veram affirmat, et quidem tamquam Christi apostolus, non ut merus homo — de hoc enim nihil indicat —, ea conclusio ut verbum Dei et ut res fidei divinae a Christi fidelibus haberi non solum potuit, sed etiam debuit et adhuc debet. Iam vero si apostoli secundum Christi adventum mox futurum vere quidem credidissent, sed persuasione mere humana eaque plus minusve incerta, ne christianos in gravem errorem inducerent, sane non solum tam asseverate de eo loqui non potuissent, sed etiam sua loquendi ratione significare debuissent, se istam persuasionem non ex revelatione divina, verum ex sola humana coniectura hausisse.

Deinde si Paulus 1 Thess 4, 15 hisce verbis: *Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου, ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας*, ut adversarii volunt, sperare se asseveret fore, ut secundus Christi adventus se vivo locum habiturus sit, affirmat quoque diserte, se id secundum Dei praeceptum, sive tamquam divinitus revelatum docere. Licet enim „verbum Domini" referendum sit primario saltem et directe ad praecipuam veritatem, quae isto loco profertur et ad conditionem vivorum et mortuorum tempore adventus Christi, tamen, si cum adversariis ponatur, vocibus *ἡμεῖς οἱ ζῶντες* Paulum se ipsum suosque aequales intellexisse, certe etiam ad *ὅτι ἡμεῖς* refertur ita, ut dicendum sit, ab apostolo tamquam divinitus revelatum affirmari, *se suaeque aetatis* christianos, utpote vivos atque superstites usque ad Christi adventum futuros, non praeventuros esse eos, qui iam tum mortui erant. — Quae cum ita sint, non video, quo iure affirmetur, apostolos suam de tempore secundi adventus Christi sententiam nullatenus ut revelatam. sed ut mere humanam atque incertam protulisse. Profecto si res ita se haberet, nescirem, quot alii innumeri S. Scripturae loci pari vel maiore etiam iure ut non revelati considerari possent. Concludendum igitur est, apostolos aut secundum Christi adventum non ut sua iam aetate vel saltem non ut brevi futurum positiva ratione docuisse, aut in gravem errorem incidisse.

Quam porro causam, cur apostolica aetate secundus Christi adventus a christianis universim exspectatus fuerit, aliqui ex hoc repetunt, quod cum secundum iudaeos adventus Messiae in fine mundi futurus esset, iudaeo-christiani et hinc mox etiam alii non facile cogitare potuerint, post primum Iesu Messiae adventum longam aetatem usque ad finem mundi superesse, respectu saltem apostolorum post Christi ascensionem admittere plane non possumus. Ista enim sententia iudaeorum de tempore adventus Messiae nullatenus prophetarum oraculis ac generatim revelationi divinae innixa erat, sed falsae interpretationi prophetiarum. Insuper valde dubitare licet, utrum iam initio apostolicae aetatis eiusmodi opinio in iudaeorum animis universim saltem insederit, cum ea expressa legatur tantum in libris talmudicis et apocryphis non ab initio apostolicae aetatis scriptis. Ceterum in libro 4 Esdrae (7, 28), qui scriptus est post urbem Hierosolymorum dirutam, et in quo primum duratio regni messianici certo modo definitur, spatium 400 annorum ei attribuitur. In Talmude varii rabbini valde diversa temporis spatia regno Messiae attribuunt, ita ut quemcumque ex numeris 40, 70, 90, 365, 400, 1000, 2000, 7000 etc. regno messianico attribuere malueris, semper alicuius somniatoris rabbinici auctoritatem pro te habeas [2]. Qui iudaei ante auctorem libri 4 Esdrae scripserunt, infinitum ei

[1] Études religieuses, 4e Sér. II 859.

[2] A. F. Gfrörer, Das Jahrhundert des Heils II, Stuttgart 1838, 255. Atzberger l. c. 172. Ex versionibus libri 4 Esdrae arabica et latina loco 7, 28 habent numerum 400 annorum, ceterae vel alium vel nullum.

tempus ascribunt, vel nihil definiunt. Tametsi igitur, iudaei Christo posteriores unanimes non erant in assignanda Messiae regno temporis longitudine, id tamen patet, eos generatim terreno Messiae regno adeo breve tempus non attribuisse.

2. Alii negant, apostolos umquam pronuntiasse, sua ipsorum aetate Christum rediturum esse. Optime illos sibi conscios fuisse, de tempore secundi illius adventus nihil constare, posse illum brevissimo, posse longissimo post tempore locum habere. Cui sententiae astipulamur. Nam

a) plurima sunt, quae apostolorum tali in re errorem prorsus improbabilem reddunt. Scilicet α) „si praedicassent apostoli atque scripto etiam tradidissent, impendere universalis tempus iudicii, nec illud protrahendum ultra finem ipsius quo vivebant saeculi, quo pacto apostolicae ecclesiae deceptos illos fuisse aut deceptores non animadvertissent evidentissimo admonitae eventu? Qua ratione, animadverso tanto errore vel fraude, talibus tamen magistris, saeculo secundo, quo res indubitanter patuisset, non abrogassent fidem? Quo incitamento tam alacriter pro christiana doctrina sanguinem profudissent tot martyres, quos ea deceptio latere non potuisset? Quos inter periti gravesque philosophi, qui nonnisi post maturum severumque examen christianae militiae nomen dederunt." [1] Praeterea qui factum est, ut veteres haeretici, valentiniani praecipue ac generatim gnostici apostolis infallibilitatem denegantes, hunc iis errorem numquam exprobrasse legantur? *Deinde* β) „noverant apostoli, non posse unius intra saeculi, et quidem iam partim elapsi spatium absolvi, quaecumque Christo ipsisque praenuntiantibus essent antecessura universale iudicium: oportebat, ut *omni creaturae* (Mc 16, 15) praedicaretur evangelium, in Ecclesiae complexum asciscerentur *plenitudo gentium* (Rom 11, 25), ad Christum converteretur gens israelitica (ib. v. 15 et 24 sq), cuius conversionis proxima nulla indicia vidit ipse confectus senio S. Ioannes. Num aliunde probabile videbatur, tam angusto ut temporis spatio terminaretur docendi ministerium a Christo institutum, tumque in terris desineret iam a primordiis quam fundaverat Ecclesia; unius hominis aetate aboleretur christiana fides, cui tamquam umbrae et figurae praeiverant lex naturae et lex mosaica, quae quatuor circiter annorum milia compleverant?" [2] Audiverant insuper apostoli Christum sollemni ratione affirmantem, portas inferi non praevalituras esse adversus Ecclesiam suam; nonne igitur cogitandum illis erat, eam in longius tempus quam ne integrum quidem in saeculum ab ipso institutam esse? Noverant denique ex prophetarum vaticiniis et ex angeli verbis (Lc 1, 32), regnum Christi sive Messiae „in domo Iacob", ergo in his terris mansurum esse εἰς τοὺς αἰῶνας, in saecula; qui iam fingere potuerunt, hos αἰῶνας indefinite dictos vix uno constare saeculo? [3]

Atque istae rationes certe tales sunt, quae magnopere suadeant, ut apostolorum dicta de secundo Christi adventu non tamquam de proxime instanti intelligamus, nisi ea id prorsus evidenter significent. Iam vero

b) eorum locorum, qui obiciuntur, ne unus quidem id evidenter et in dubitate docet. Ac primum quidem

---

[1] Regnier, Tractatus de ecclesia P. 1, sect. 3, cap. 1, obi. 2 (Migne, Theol. cursus IV 450 sqq).

[2] Regnier l. c.

[3] Cf. Stimmen aus Maria-Laach LXXIV (1908) 493 sqq.

α) ii loci, qui *tempora ultima* iam apostolorum aevo advenisse enuntiare videntur, nullam habent difficultatem. Novissima enim tempora secundum loquendi modum prophetis usitatum nihil aliud sunt nisi tempora messiana (Os 3, 5; Is 2, 2; Ier 23, 20; Ez 38, 16; Dn 2, 28). A quibus cum adventus Messiae futurus praedicaretur futurus in novissimis diebus, בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, LXX: ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις (cf. etiam Act 2, 17), sic factum est, ut a iudaeis duo temporis spatia distinguerentur, quorum primum עוֹלָם הַזֶּה. αἰὼν οὗτος, tempus usque ad Messiae adventum, alterum vero עוֹלָם הַבָּא, αἰὼν μέλλων, tempus totum messianum designabat [1]. Quem loquendi modum Novi Testamenti scriptores sequuntur, dum Christum novissimis diebus advenisse dicunt (Hebr 1, 1 2; 1 Petr 1, 20), licet interdum αἰὼν οὗτος non primo, sed secundo Christi adventu in fine mundi concludatur (Mc 10, 30; Eph 1, 21). Messianum vero tempus apte ultimum vocatur, „quia, ut dicit S. Thomas, non succedet alia religionis observatio", sed est ultima theocratiae hisce in terris periodus, quam sola consummatio ac perfectio coelestis consequitur; est finis dierum, in quem finem saecula anteacta tendunt et ad quem praeparandum et significandum Vetus ordinatur Testamentum; unde τέλη τῶν αἰώνων (cf. 1 Cor 10, 11) et ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν (Hebr 1, 1; 1 Petr 1, 20 etc.) [2]. Quod vero S. Ioannes 1 ep. 2, 18 aetatem messianam nominet novissimam *horam*, mirandum non est. Ea enim vox non solum adhibetur de duodecima diei parte, sed de omni tempore definito, ut vere, autumno, et de tempore generatim sumpto [3]. Illud autem, quod v. 18 dicitur, multos iam antichristos exsistere, ex quo appareat, novissimam horam esse, S. Ioannem christianam aetatem existimasse ultimam ostendit; existimasse eum hanc ultimam aetatem brevi finiendam esse, non ostendit. Illi enim antichristi, id quod ex illo ipso versu patet, praecursores tantum magni antichristi proxime ante secundum Christi adventum futuri a S. Ioanne habentur; hunc autem mox futurum esse nullo modo dicit apostolus, sed contra Apc 20, 7: „Et cum consummati fuerint", inquit „*mille anni* (i. e. tempus longissimum), solvetur satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes": quod quidem tempus manifeste ante secundum Christi adventum sive ante mundi finem decurret, cum et post eum nullae amplius gentes perverti possint, et quae de resurrectione prima ib. v. 5 et 6 dicuntur, non de tempore ultimi ac generalis iudicii intelligenda sint. Unde etiam patet, nihil nostrae vocis ὥρα explicationi obstare, quod et ab eodem evangelista alibi, scil. in evangelio 6, 39 40 44; 11, 24 „novissimo die" designatur dies resurrectionis corporum, secundi igitur adventus Christi, et 1 Petr 1, 5 atque Iac 5, 3 „tempus novissimum" de fine mundi dicitur. Quo igitur iure Ioannes Christi secundum adventum iam suae aetati proximum cogitasse dicatur?

Atque ex iis, quae diximus, etiam liquet, quo modo S. Pauli verba, quibus fines saeculorum iam suo tempore advenisse dixit, sint intelligenda.

β) Quod vero apostoli affirmant, *finem omnium rerum et adventum Domini appropinquare*, atque hoc motivo usi christianos ad colendas virtutes excitant, nullo modo demonstrat, apostolos secundum Christi adventum iam suo tempore

---

[1] Huther, Kritisch-exegetisches Handbuch über die Briefe des Johannes [2] 116. Reinke, Beiträge zur Erklärung des Alten Testaments IV, Münster 1855, 236.

[2] Knabenbauer in Is. 2, 2, Paris. 1867, 59.

[3] Iam S. Augustinus (Ep. 199, c. 6, n. 17: ML XXXIII 910) de loco: „Novissima hora est", scripsit: „Intelligendus est horam pro tempore posuisse."

ut propinquum suspectasse. *Primum* enim, ut Estius ad varios illos locos fere ait, finem omnium rerum et adventum domini appropinquare vere dici potuit, tum quia reapse magis ac magis fiebat propior, et cum aliquando venerit, probe intelligetur, quam revera propinquus, quamque breve et instar momenti omne tempus fuerit, quod eum praecessit, comparatum cum subsequente aeternitate numquam desinente; tum quia iam illo tempore incipiebat „senectus mundi", i. e. aetas eius ultima, vocata a Ioanne novissima hora. Ante primum adventum Christi homines certi erant, finem mundi non posse mox ingruere. Postquam Christus apparuit, in ea sumus conditione, ut numquam consummationem omnium longe abesse certo nobis persuadere debeamus. Ergo eo ipso, quod tempus messianum coepit, appropinquavit mundi finis. — *Deinde* Petrus 2 ep. 3, 8 dum dicit: „quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus", ipse quod dixerat 1 ep. 4, 7 magis explicat et quasi dicit, non debere longum videri quantumcumque tempus, quo finis mundi differtur, cum aeternitatis comparatione breve appareat omne tempus, quod aliquando finitur; quemadmodum etiam Paulus 2 Cor 4, postquam v. 14 dixit se scire, Deum Christi fideles resuscitaturum esse die utique ultimi iudicii, v. 17 omnem tribulationem in hac etiam longissima vita sufferendam *momentaneam* appellat. — *Tum* apostoli certum tempus adventus Christi ignorabant, utpote soli Deo notum (Mt 24, 36; Mc 13, 32). unde neque affirmare neque negare poterant, diem iudicii proxime instare [1]. Atque hinc etiam patet, prorsus nihil nobis obstare, quod apostoli christianos ad fervorem in vita christiana et ad patientiam in sufferendis aerumnis et persecutionibus hortati sunt eo, quod dies illius Christi adventus *incertus* esset. Et eo minus quidem haec apostolorum exhortatio nostrae sententiae obstat, quod, ut Estius ad 1 Thess 5, 4 ait, cum apostolus „de die adventus Domini admonet, id consequenter de die mortis et exitus singulorum, quo iudicium agitur particulare, vult intelligi. Nam talis quisque exhibebitur in universali iudicio, qualis in morte fuerit inventus; et sicut diem Domini venturum scimus, quando venturus sit, ignoramus, ita et diem mortis nostrae. Quare eadem est exhortatio de huius atque de illius diei exspectatione." [2] Eadem certe ratione ipse etiam Christus, postquam de secundo suo adventu locutus est, discipulos ad christianam vigilantiam adhortatur Mt 24, 42 ea ratione adducta, quod nesciant, quo tempore ipse venturus sit. Noverat tamen ipse, Deus omniscius, profecto quam optime, quo tempore post plurima tantum saecula rediturus esset ad iudicium de hominibus ferendum, nec poterat ignorantia discipulorum uti ad eos exhortandos, ut christiano more vigilarent, exspectantes illius iudicii diem quasi proxime futurum, sed voluit illud simul intelligi de singulorum die obitus et iudicii particularis.

[1] Ceterum allatos ex epistulis ad Philippenses et ad Romanos (13, 11 12) locos multi S. Scripturae interpretes non de instante secundo Christi adventu explicant. Ita ad Philippenses (4, 5) cum pluribus aliis Beelen explicat de auxilio, quod Dominus suis afferre soleat sive ad bene operandum sive ad eos in tribulationibus protegendos. Locum vero ex epistula ad Romanos Estius, Beelen aliique multi ita interpretantur, ut dicant apostolum alloqui christianos, qui magna vitae parte in fide christiana iam peracta temporis progressu in virtutum studio refrixerint, eosque ad fervorem adhortari eo, quod iis reliquum tempus usque ad mortem breve et aeterna gloria exspectanda multo iam vicinior sit.

[2] Adventus Domini pro morte sumitur Io 14, 3. Cf. Knabenbauer in h. l.

γ') *Superest, ut ad locos* 1 Thess 4, 15 et 1 Cor 15, 51 respondeamus, quibus utendo pronomine *nos* (ἡμεῖς) S. Paulus se connumerare videtur iis. quos Dominus secundo adveniens vivos inventurus sit.

α') Et quod quidem ad 1 Thess 4, 14 15 attinet, primum non repugnat, quominus verba ἡμεῖς οἱ ζῶντες per figuram communicationis (per κοίνωσιν, Verallgemeinerung) dicta intelligantur, ita scil., ut Paulus voce *nos* designet *christianos* tempore adventus Christi, quandocumque is futurus sit, exsistentes. Qua voce utendo positive nec excludit se ipsum ac suae aetatis christianos, nec includit. Inclusos eos intelligi vult, *si* ipsis viventibus finis ac consummatio mundi eveniat; *utrum* autem finis omnium mox eveniat necne, non dicit. Quod enim aliqui in h. l. dicunt, κοίνωσιν hic locum habere vix posse, cum ea usu veniat, ubi aliena vitia nobis aut nostras virtutes aliis per modestiam communicemus; hic autem de eventibus agi universim non valet, cum κοίνωσις etiam adhibeatur, quando de eventu agitur. Ita Iosephus Flavius[1] scribit: „Eo enim mense ex Aegyptiorum servitute liberati *sumus*. Sacrificium autem, quod tum exituros ex Aegypto *nos* obtulisse (supra) dixi ...“ Et nonne militibus, qui in ipso proelio non fuerunt, dicere licet: nos vicimus, aut victi sumus? Etiam personae secundae pronomen v. g. Dt 30, 1 sqq per communicationem adhibetur de parte tantum populi israelitici eaque tempore omnino diversa ab ea, quam Moyses revera alloquitur, scil. de eorum Hebraeorum, qui Moysis aetate vivebant, posteris, iisque non omnino omnibus, sed de maxima tantum eorum parte[2]. Cur igitur etiam pronomen primae personae non eodem modo per communicationem a Paulo usurpari potuit, praesertim cum etiam alibi (1 Io 2, 19; 1 Petr 4, 17) de christianis generatim spectatis id adhibeatur ideoque nihil repugnet, vocem hanc de aliqua christianorum parte, et diversa quidem a tunc vivente ipsorum integra multitudine, ab apostolo usurpari, ita ut dicere voluerit: *ii nostrum, qui tempore adventus Christi vivunt*, inter quos se suosque aequales ita comprehenderit, ut non definiat, sintne inter eos revera futuri necne. Quod vero non ἡμῶν οἱ ζῶντες, sed ἡμεῖς οἱ ζῶντες dixit, facile ex eo explicatur, quod priore illa loquendi formula positive se exclusisse videri potuisset e numero eorum, qui Christi adventum in corpore exsistentes visuri sunt. Hoc autem noluit, cum utique *absolute* fieri potuisset, ut etiam ipsi inter illos essent.

Probabilis etiam ratio afferri potest, cur S. Paulus hoc loco pronomine primae personae utatur. Totus scil. loquendi modus quo utitur apostolus ad hunc scopum conformatus est, ut anxietatem illam ac difficultatem, qua cruciabantur Thessalonicenses, ex eorum animis evellat; anxii autem ii erant de defunctorum suorum sorte, quos deteriore conditione teneri putabant quam eos, quos vivos in adventu suo mox futuro Dominus inventurus sit. Tota igitur eorum difficultas comprehendi potuit ac probabiliter comprehendebatur hac sententia: „Nos qui vivimus praeveniemus eos qui dormierunt.“ Hunc eorum errorem ut quam clarissime et efficacissime retundat, totam qua comprehendebatur sententiam iisdem quibus proferebatur verbis repetit et totidem

---

[1] Antiq. 3, 10, 5: *Τούτῳ γὰρ μηνὶ τῆς ὑπ' Αἰγυπτίοις δουλείας ἠλευθερώθημεν. Καὶ τὴν θυσίαν, ἣν τότε ἐξιόντας Αἰγύπτου θῦσαι προεῖπον ἡμᾶς ...*

[2] Cf. etiam Io 7, 19: „Nonne Moyses dedit vobis (ὑμῖν) legem?“ Mc 10, 3: „Quid vobis praecepit Moyses?“

verbis prorsus negat dicendo: „Nos qui vivimus *non* praeveniemus eos qui dormierunt.“ Explicatur igitur pronomen primae personae ex eo, quod responso repetitur idem, quod adversarius obiecerat [1].

Cum autem S. Pauli verba figura communicationis intelligi *possint* [2], dicendum etiam est, dicta ratione ea *intelligenda et explicanda esse;* alioquin absurde dicendum foret, *Paulum sibi ipsi in hac eadem re contradixisse.* Nam in eadem epistula ad Thessalonicenses (5, 1 2) ipse diserte affirmat opus non esse, Thessalonicenses de tempore et hora reditus Christi instruere, cum iam sciant, illum Domini diem instar furis nocturni, i. e. tempore nobis prorsus incognito advenire; v. 10 autem in medio relinquit, utrum Thessalonicenses die adventus Domini iam mortui, an aliqui eorum etiam tunc superstites sint. Cum nihilominus apud Thessalonicenses accepta prima Pauli epistula mox rumor increbruisset prope esse, ut Christus universum genus humanum iudicaturus rediret, apostolus haud diu post 2 Thess 2, 1 sq a praeiudicata falsa illa opinione ipsos revocat scribens: „Rogamus vos, fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi et nostrae congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistulam tamquam per nos missam, *quasi instet dies Domini* (ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου).“ Negat igitur Paulus adventum Domini revera iam instare certo dici posse, suamque sententiam deinde v. 3—11 eo probat, quod ante illius adventus diem locum habere debeat magna omnino a religione defectio et postea venturus sit homo peccati (ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας), filius perditionis, sive magnus Christi adversarius, antichristus. Nomine enim τῆς ἀποστασίας hic defectionem a vera religione intelligendam esse evidens est et ex his, quae consequenter ad illam ἀποστασίαν de homine peccati tamquam illius culmine dicuntur, et ex eo quod ἀποστασία v. 7 vocatur ἀνομία, iniquitas, et denique etiam ex hoc, quod haec vox in S. Scriptura constanti usu de defectione a religione adhibetur (cf. LXX: 2 Chr 29, 19; Ier 2, 19; 1 Mach 2, 15; Act 21, 21; 1 Tim 4, 1).

Porro huic apostoli vaticinio secundum plerosque S. Scripturae interpretes et communem ferme christianorum fidem eventus ad nostram usque aetatem nondum respondit, nec sciri potest, quandonam responsurus sit. Nullatenus enim probabilis est Grotii et aliorum quorundam interpretatio, qua adventum Domini intelligunt hoc loco Christi ad urbem Hierosolymorum excidio puniendam reditum, ita tamen, ut simul intellectus fuerit a Paulo adventus Christi ad iudicium universale. A quibus interpretibus si quaesiveris, quis antichristus in urbis Ierusalem excidio fuerit et quis ille κατέχων, nullus cum alio convenit, sed suam fere quisque hac de re sententiam statuit, eamque satis miram. Quae sententiae hic refutandae non sunt. Profecto enim statui non debet, Paulum de apostasia et antichristo hic loquentem vaticinatum esse de tempore ita certe propinquo, ut ea ipso vivo eventura esse putaverit ac speraverit fore, ut ante suam mortem Christus ad iudicium universale rediret. Paulus enim si apostasiam et antichristi adventum adeo

[1] Sic Knabenbauer in periodico Stimmen aus Maria-Laach XXVIII (1885) 308; XXXVIII (1890) 344.

[2] Cf. Cornely, Prior epistula ad Corinthios 510; Epistulae ad Corinthios altera et ad Galatas 146 sq.

propinquum cogitasset, num quod probare intendit vere probasset, diem Christi Domini propinquum dicendum non esse, eosque qui contrarium docebant, recte arguisset? Num vero Paulus bene argumentari nesciebat, aut contra adversarios, quos seductores appellat, sententiam suam tam male defendere voluit? Non utique huius loci est inquirere, utrum Paulus de tempore omnino remoto loqui voluerit necne; sed ne prorsus temerarie et iniuriose de ipso sentiamus, hoc certe affirmandum est, illam apostasiam et antichristum non adeo eum propinquum cogitasse ideoque hoc nostro loco contra eos dixisse, qui prope esse adventum Christi Domini contendebant.

β') Atque ex iis, quae diximus, patet etiam probari pariter non posse, alterum locum, 1 Cor 15, 51 sq, adversariorum sententiae favere. Nulla enim ratio proferri potest, propter quam pronomen primae personae v. 52 et v. 51 πάντες (utique ἡμεῖς) ἀλλαγησόμεθα eodem modo, quo in priore loco id modo interpretati sumus, hic explicandum non sit. Iure igitur etiam hunc locum ita explanare possumus, ut sententiam Pauli v. 51 hac ratione reddamus: Omnes quidem christiani (de his enim agit) non morientur — utrum autem nos etiam inter hos simus necne, non definio —, sed omnes immutabimur; membrum autem ultimum v. 52 hoc modo: Mortui quidem resurgent incorrupti, ii vero nostrum, qui tunc nondum mortui erunt — inter quos utrum futurus sim ego et vos, nec affirmo nec nego —, immutabuntur.

Nec huic interpretationi ullatenus repugnat, quod Paulus 2 Cor 5, 2—4 exoptat, ut ipse corpore putredini obnoxius non fiat, sed ex hac vita migrans continuo coelesti gloria superinduatur. Potest enim aliquis bonum aliquod cupere, etiamsi rationem id certo vel sperandi vel obtinendi omnino non habeat. Sic ipse Paulus Phil 1, 23 dicit, se habere „desiderium dissolvi et esse cum Christo", hocque multo melius esse quam remanere in terris, et tamen ib. v. 25 affirmat se certe scire, mortem sibi nondum instare.

Nec etiam profecto obstat, quod Paulus 1 Cor 7, 26 virginitatem consulat propter instantem necessitatem (ἀνάγκην). Nulla enim apparet ratio, cur haec verba de fine mundi quasi instanti sive de secundo Christi adventu intelligantur, nisi *aliunde* certum sit, apostolos hunc Christi adventum ut propinquum sperasse. Sed tantum abest, ut hoc certum sit, ut ne probabile quidem haberi possit. — Contra pro nostra interpretatione facit, quod Paulus 1 Cor 6, 14 („et nos suscitabit per virtutem suam") et 2 Cor 4, 14 („et nos cum Iesu suscitabit") utendo pronomine „nos" inter eos, quos a *mortuis* Christus suscitaturus est, eodem modo se annumerat, ac 1 Cor 15, 51 sq inter eos se computare videtur, quos Dominus in secundo adventu suo *vivos* inventurus est. Si igitur non liceret illud „nos" utroque loco modo communicativo interpretari, Paulus in eadem epistula aperte contra se ipsum loqueretur, se suosque aequales modo morituros et resuscitandos, modo non morituros sed vivos immutandos habens. Ceterum non solum locis modo recitatis, sed etiam 2 Tim 4, 6 ac Phil 1, 21 (cf. 2, 17; 3, 10) moriturum se Paulus dicit.

Etiam ex Hebr 10, 37 probare quidam student, Paulum proxime instantem putasse adventum iudicis. Ibi enim cum legatur: „Adhuc modicum aliquantulum qui venturus est veniet et non tardabit", ecce tibi, dicunt, is „qui venturus est" evidenter est iudex vivorum et mortuorum, et post „modicum aliquantulum" ex Pauli sententia est venturus. At animadvertendum est S. Paulum, ut ad patientiam christianos exhortetur, verba a propheta Habacuc 2, 3 sq (LXX) prolata adhibere et *accommodare* ea ad conditionem

eorum, quibus inscribit epistulam suam. Unde fit, ut singula effati verba non sint nimis urgenda. Hodie etiam ut desperantem ac animo cadentem ad spem excitemus, possumus ei occinere idem prophetae effatum, quo utitur Paulus; quod si fecerimus, nemo inde concludere debet, nos loqui de secundo Christi adventu, quem mox futurum existimemus. Sensus igitur S. Pauli l. c. solummodo est: ne cadatis animo, cito videbitis auxilium Domini; mementote effati Domini vobis notissimi, quo desperantes apud prophetam Habacuc consolatus est Deus. Animo cadentibus tunc in memoriam reduxit promissiones suas, quae effectu carere non possint. Etiam vobis in *similibus* rerum adiunctis constitutis dedit promissiones divinas. Cur nunc illae effectu destitui possint? De secundo igitur Christi adventu Hebr 10, 37 non agitur[1].

Obicitur VI, plures SS. Patres apostolis non eam infallibilitatem ascripsisse, qua ne per breve quidem tempus ratione doctrinae errare potuerint, sed eam tantum, qua falsae doctrinae nec diu adhaererent nec conscientia reclamante aut spretis rationibus peremptoriis adversariorum suorum[2].

Ita certe Gregorius Naz.[3] scribit: „Etiam Paulus evangelium cum apostolis communicabat . . ., ut vel confirmaretur, quod recte et cum laude gerebat, vel corrigeretur, quod officio deerat, *si quid* tamen huiusmodi erat in iis, quae ab ipso *dicebantur* vel agebantur (ἵν' ἢ βεβαιωθῇ τὸ κατορθούμενον, ἢ διορθωθῇ τὸ ὑστερούμενον, εἰ ἄρα τι καὶ τοιοῦτον ἦν ἐν τοῖς ὑπ' ἐκείνου λεγομένοις ἢ πραττομένοις). Quibus verbis Gregorius utique videtur aliquam, tametsi levem et potius *negativam* quam positivam dubitationem expressisse, utrum Paulus non solum agendo, sed etiam docendo aliquid, quod corrigi potuerit, commiserit; sed manifestum est ex supra dictis, eum nullo iure hanc dubitationem non penitus exclusisse. Quod autem Didymus Alex.[4] relato Gal 2, 14 addit, solius divinae naturae esse, numquam a veritate recedere (τὸ ἀεὶ ἀψευδεῖν), nullatenus ostendit, eum apostolos *docentes* errori obnoxios habuisse. Retulerat enim ex Paulo, apostolos Petrum et Barnabam non recte secundum veritatem ambulasse sive *egisse* (ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν), minime vero eos *docendo* a veritate aberrasse; infallibilitas autem *per se* neutiquam impedit, quominus homo ea ornatus non possit ulla ratione contra veritatem *agere*. Contra Deus, utpote per se non solum infinite sapiens et verax, sed etiam sanctus, utique nullo omnino modo etiam in suis actionibus a veritate deflectere umquam potest. Insuper Didymus alibi[5] dicit, apostolis neminem eorum, qui Christi evangelium sint secuti, *fide* aut conversatione celsiorem esse. Pariter quod idem Didymus[6], atque Cyrillus Alex.[7] et Origenes[8] dicunt, Petrum revelatione vel visione et illustratione coelesti omnino opus habuisse, ut Cornelium aliosque gentiles Ecclesiae aggregaret, quodque Didymus addit, etiam alios apostolos hac de re docendos fuisse, cum alioquin non

[1] Knabenbauer in Prophetas minores II, Paris. 1886, 73.
[2] Langen, Vatik. Dogma I 105; cf. 101 sqq.
[3] Orat. 42, n. 1 (MG XXXVI 457).
[4] De Trinit. l. 2, c. 6, n. 13 (MG XXXIX 540).
[5] Enarr. in 1 Petr 1, 10—12 (ib. 1758).
[6] In Act. apost. 10, 10 (ib. 1675 sq).
[7] In Ioan. 16, 12 (MG LXXIV 442).
[8] C. Celsum l. 2, c. 1 (MG XI 794 sq; ed. Koetschau 127).

cum Petro de iis, quae cum Cornelio acta erant, disputassent, neutiquam monstrat, eos Patres de Petri vel aliorum quoque apostolorum infallibilitate dubitasse. Non enim illi ignorabant, apostolos iam antea probe scivisse, *omnes* gentes, ideoque gentiles quoque, ad Christi religionem ipsorum suorumque successorum ope amplectendam divinitus vocatas esse (Mt 28, 19 20; Mc 16, 15; Lc 24, 47; Io 10, 16), sed utique de ipso tempore, quo ista gentilium ad Christum conversio incipi deberet, et de modo, quo gentiles Christo aggregandi forent, utrum nimirum lex mosaica caeremonialis ab iis simul observanda esset an non, apostoli eousque nondum edocti ac certi fuerunt, praesertim cum secundum Christi dictum Mt 5, 17 18 necessitas illius observantiae ipsis probabilior videri potuerit. Qua igitur ratione Dei cultus „in spiritu et veritate" a Christo doctus consistere simul posset cum lege mosaica (non penitus utique) abolenda, Spiritus Sanctus hoc consilio promissus, ut eos *omnem veritatem* doceret, ipsis opportuno tempore et modo suggerere debuit. Quae quidem cum Patribus illis ignota certe non fuerint, ista eorum dicta nequaquam demonstrant, ipsos de apostolorum infallibilitate respectu *doctrinae* ullatenus dubios fuisse.

Porro S. Asterius Amasenus[1] dicit quidem de Paulo: „Solus hic imperculsa mente nihil remissum (ac non accuratum) docuit (μόνος οὗτος ἀκαταπλήκτῳ φρονήματι οὐδὲν ὑφειμένον ἐδίδαξεν) additque, eum cum ipso apostolorum principe (αὐτῷ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων) congressum esse huncque ubique reprehendisse ceu eum, qui veterum usu atque eorum, quae abolita essent, novam turbaret christianorum institutionem, Paulumque nihil reveritum esse senis canos aut apostolatus praerogativam (τὰ τῆς ἀποστολῆς πρεσβεῖα), ubi creari periculum veritati vidisset, libertatem tamen decore ac modestia temperasse (τὴν παρρησίαν εὐπρεπείᾳ κεράσας). Sed haec manifeste nullatenus probant, Asterium S. Petrum apostolum infallibilem non habuisse, verum illud tantum, eum Petri *agendi* rationem Antiochiae evangelii doctrinae respectu legis mosaicae conformem non existimasse. Atque idem prorsus dicendum est de aliorum Patrum locis, quos Langen in suae sententiae confirmationem affert, quique agunt de Petri simulatione a Paulo reprehensa. Ex eo certe, quod Augustinus[2] saepius dicit, Petrum contra veritatis regulam gentes coegisse iudaizare, quodque hac Petri agendi ratione etiam Cypriani errorem de rebaptizandis haereticis excusat, nihil contra Petri infallibilitatem sequitur; nullibi enim Augustinus vel minimum indicat se putare, Petrum *docendo* christianos e gentibus oriundos ad iudaeorum vivendi rationem coegisse. Quod autem ista Petri agendi ratione illum Cypriani errorem excusat, inde nullatenus colligi potest, ab Augustino controversiam illam inter Petrum et Paulum habitam esse dogmaticam, ac Petro falsae *doctrinae* culpam attributam esse; falsae enim doctrinae Petrus ab Augustino in istis locis incusatur nullibi.

Idem plane valet de verbis Cypriani[3] necnon Gelasii[4] ea de re. Quorum hic quidem dicit: „S. Petrus, primus apostolorum, sic existimans

[1] Hom. 8 in SS. Petrum et Paulum (MG XL 291).

[2] De bapt. c. Donat. l. 2, c. 1, n. 2; C. Gaudent. l. 2, c. 8, n. 9 (ML XLIII 126 sq 746); De mendacio c. 12, n. 26 (ML XL 536).

[3] Ep. 71 ad Quint. c. 3 (Hartel 773).

[4] Tract. 4 sive tom. de anathematis vinculo n. 2 (Thiel 559).

Novi Testamenti gratiam praedicandam, ut a legis veteris non recederet institutis, quaedam per simulationem legitur inter iudaeos gentilesque *gessisse:* numquid ideo aut illa eius sequenda sunt, quae merito et coapostolus eius *facta* redarguit et postea consequenter ipse vitavit, pariterque assumenda sunt cum his, quae utpote primus apostolus salubria praedicavit? Numquidnam aut eius recta doctrina cum his, quae humanitus acciderant, repudianda est, aut illa adhuc imbecillis inscitia cum perfecta eius suscipienda doctrina est? Numquidnam in ipsorum haereticorum libris non multa, quae ad veritatem pertineant, posita releguntur? Numquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, ubi pravitas interest, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quae illic inserta est, non negatur? Ait apostolus: *Omnia probate, quae bona sunt tenete.* Scimus apostolum (Act 17, 28) etiam de paganorum libris aliqua posuisse. Numquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quae cum his pariter sunt prolata?" At neque Gelasium istis verbis revera dicere voluisse, Petrum *docuisse* non licere a lege vetere recedere, patet tum ex eo, quod dicit Petrum quaedam *gessisse*, Paulumque eius *facta*, et non doctrinam, redarguisse, tum etiam nonnihil ex his, quae allatis verbis proxime antecedunt: „Quia in libris sanctis . . . quoniam quorundam illic et profanitates esse feruntur et scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sunt aut sequenda, quia in illis sanctis libris et venerabilibus continentur?" Hic enim pontifex facta tantum commemorat; minime igitur, id quod etiam Schulte[1] contendit, Petro errorem in fidei doctrina ascribit. Nec aliud quidquam concludere licet ex hoc, quod monachus Varadatus[2] de Petro a Paulo admonito scribit: „Et non contradixit Petrus et reliqui apostoli Paulo, sed verba Pauli cum gratia susceperunt *permanentes* in vera fide, quae per Paulum iis adiecta est." Tantum enim abest, ut his verbis Varadatus negaverit, Petrum antea respectu circumcisionis veram doctrinam habuisse, ut dicens, eum *permansisse* in vera fide, contrarium indicarit; alioquin enim dicere debuisset, Petrum tunc tandem veram fidem *suscepisse.* Ergo si a Paulo veram fidem Petro adiectam esse scribit, intelligendum id est de recta agendi ratione sive de ea rectae fidei professione, quae fit ipso vivendi modo.

Idem dicendum est de his verbis, quae Zosimus a Tharassa in synodo Africana dixit[3]: „Revelatione facta veritatis, cedat error veritati, quia et Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem praedicanti." Ad quae verba Augustinus dicit: „Simul et admonet nos, non fuisse impossibile, ut de baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet, quam veritas postulabat . . ., si potuit aliquid etiam Petrus aliter sapere, quam veritas habebat, quam Paulo apostolo doctore didicimus." Nam neque Zosimus ait, Petrum circumcisionis et generatim legis mosaicae caeremonialis observantiam *verbis tamquam necessariam docuisse.* Quod enim Petrus dicitur aliter sapuisse, quam veritas habuerit, non de Petri doctrina, sed de eius vivendi sive agendi ratione affirmatur. Etiam Gregorius M. dicit[4], Paulum cum Petrus apostolus servari adhuc in circumcisione legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitisse,

[1] Die Stellung der Konzilien 117.
[2] Cod. encyclius c. 41 (Harduin II 770; Mansi VII 626).
[3] Apud Aug , De bapt. c. Donat. l. 3, c. 7, n. 10 (ML XLIII 143).
[4] Hom. in Ezech. l. 2, hom. 6, n. 9 (ML LXXVI 1002).

Petrumque hac in re reprehensibilem fuisse adeo, ut hoc eius studium non solum culpa, sed „quod maius est, hypocrisis, i. e. simulatio“ fuerit. Sed Gregorius nullatenus dicit, Petrum simulationis reum se fecisse *docendo*; ista igitur eius verba minime indicant, Petrum ab ipso non habitum esse infallibilem.

Praeterea opponuntur[1] Pelagii II verba haec[2]: „Sed his insuper factum Petri, qui et Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat. *Diu quippe restitit,* ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet; diu se a conversarum gentium communione subtraxit, Paulo attestante, qui ait: ‚Cum venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam ab Iacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat se, timens eos, qui ex circumcisione erant.‘ Et paulo post: ‚Et cum vidissem, quod non recte ambularet ad veritatem evangelii, dixi Petro coram omnibus: si tu cum iudaeus sis, gentiliter et non iudaice vivis, quomodo gentes cogis iudaizare?‘ Qui tamen *ab eodem Paulo postmodum ratione suscepta,* dum quosdam respiceret, qui gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandae circumcisionis onerarent, dixit: ‚Cur tentatis Deum, imponentes iugum cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?‘ Numquid, fratres dilectissimi, Petro apostolorum principi sibi *dissimilia docenti* debuit ad haec verba responderi: haec, quae dicis, audire non possumus, *quia aliud ante praedicasti.*“ Sed etiam haec Petri infallibilitati in docenda Christi doctrina non obstant; cum enim Pelagius non dixerit, Petrum *verbis* necessitatem circumcisionis docuisse et verba Pauli de Petri *agendi ratione* tantum loquentis retulerit et reapse in S. Scriptura nullibi referatur, Petrum necessitatem observantiae legis mosaicae verbis docuisse, dicendum est, Pelagium nihil aliud voluisse quam Petrum *sua vivendi ratione* aliud praedicasse, quam in concilio Hierosolymitano secundum ipsius Petri sententiam definitum iam erat, ipsumque a Paulo pariter tantum respectu huius agendi modi, prout reapse in S. Scriptura refertur, melius edoctum esse.

Obicitur VII, iam propterea nullam omnino inter homines esse posse auctoritatem infallibilem, quod ea ut talis non possit cognosci, cum ad hoc requireretur, ut haec ipsa cognitio esset pariter infallibilis et *absoluta;* eiusmodi autem subiectivam fidelium infallibilem cognitionem auctoritatis obiectivae infallibilis locum nec habere nec habere posse, quia ista auctoritas nimium difficilis cognitu sit, quam ut facile infallibili ratione sicut alia, v. g. prima principia et theoremata mathematica, cognosci possit[3].

Ad quae respondemus, ad infallibilem auctoritatem cognoscendam minime infallibilem, sed moraliter certam cognitionem requiri. Nam haec certitudo plane sufficit, ut prudenter et iure optimo fidem habere possimus ac debeamus et legationi divinae nuntii revelationis, et ipsi huic eius revelationi[4]. Infallibilem porro apostolorum auctoritatem ista certitudine vere constare ideoque a nobis quam optime

---

[1] Schulte, Die Stellung der Konzilien 178.

[2] Ep. ad Eliam 3, n. 8 (Harduin III 427; Mansi IX 440; Mon. Germ. Ep. II 455).

[3] Frohschammer, Recht der eigenen Überzeugung, Leipzig 1869, 94.

[4] Vide huius operis tom. I, p. 61 82.

cognosci posse, hactenus, ni fallor, ita certo et clare a nobis demonstratum est, ut eam nemo veritatis studiosus negare possit, nisi temere et impie negare velit, et Christi Dei verbis fidem haberi posse ac deberi, et ipsius absolutam promissionem efficacem esse, ita ut quod illa enuntiet, Deus reapse etiam conferat.

Scholion. Christus quidem allatis locis allocutus est simul omnes undecim apostolos una cum S. Petro praesentes, ideoque infallibilitatis donum illis verbis contulit toti apostolorum collegio, non vero singulis apostolis distincte spectatis. Quapropter secundum *ordinariam* suam potestatem, suis postea successoribus transmittendam, excepto Petro, *singuli* apostoli infallibiles non erant. Nihilominus apostoli singuli, et non tantum omnes in unum collecti, per se infallibiles fuerunt. Singuli enim *extraordinarium* munus habebant Christi religionem *fundandi*, i. e. non debebant Christi doctrinam ab aliis praedicatam et constitutam solummodo conservare et explicare, sed ipsi *primi* post Christum eam debebant praedicare ac christianam religionem vere ac proprie in omne tempus *constituere*, unde fit, ut eam omnis erroris expertem sive infallibiliter vere docere debuerint. Praeterea simul omnes semper eodem loco esse non poterant, sed in omnes regiones dispersi longissime plerumque inter se aberant et vix umquam inter se poterant consulere. De singulorum quoque praedicatione valebat, quod Christus Mc 16, 16 dixit, eos damnandos fore, qui ipsis non credidissent. Quae sententia sane iniusta esset, si singuli apostoli non infallibiles et hinc periculo expositi fuissent, ne religionem christianam multis gravibusque erroribus permixtam praedicarent. De singulis denique apostolis videtur quoque Marcus (16, 20) dicere, eorum praedicationem a Domino miraculis confirmatam esse; unde licet non sequatur, singulos apostolos infallibiles fuisse, patet tamen, eorum doctrinam saltem ut veram divinitus comprobatam esse, cum, si errores docuissent, Deus miracula per ipsos patrando tantam iis auctoritatem tribuere non potuisset.

Unde iterum patefit falsissimum esse, quod nonnulli rationalistae somniarunt, apostolos inter se ac maxime quidem Paulum Petro contradixisse, atque Ioannem novam ac diversam ab aliis doctrinam praedicasse, ut non dicam, quae in apostolorum, et praesertim Pauli et Ioannis scriptis videri possint primo aspectu aliorum apostolorum dictis contraria, a S. Scripturae interpretibus doctis et veritatis solius studiosis quam optime inter se conciliari.

Evidens quoque est, de apostolis ut christianae religionis magistris, sicut de singulis aliis hominibus supernaturali infallibilitatis praerogativa donatis ut talibus neutiquam valere, quod Paulus Rom 3, 4 dicit: „Omnis homo mendax“ vel infidus, scil. natura sua.

Coroll. I. Ergo uti de Christo, ita etiam de apostolis firmissime constat, eos in docenda christiana revelatione numquam, ut rationalistae opinantur, usos esse *accommodatione positive dogmatica*, ea nimirum, qua in auditorum gratiam, ne exacerbarentur, pravas falsasque eorum opiniones comprobaverint. Ista enim rationalistarum sententia apostolorum infallibilitati in docenda Christi religione prorsus repugnat; propterea enim Christus istud privilegium illis contulit, ut divinam suam doctrinam, ut oportebat, omnis erroris immunem docerent; ergo impossibile prorsus erat, ut contra Dei, singulari auxilio iis in docenda revelatione assistentis, efficacem voluntatem umquam errarent. Quae quidem inconcussa veritas ipsa etiam docendi ratione apostolorum clarissime monstratur et confirmatur. Praedicarunt enim ubique „Christum crucifixum, iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam“

(1 Cor 1, 23); docuerunt, ut modo vidimus, legis mosaicae abrogationem, ac falsis doctoribus summa qua poterant vi restiterunt; tradiderunt intrepidi contra omnem sensualium iudaeorum exspectationem, Iesum Christum, pauperem ac cruci affixum, esse et verum Messiam et a mortuis suscitatum (Act 2, 22—36). Et nonne apostoli quaecumque vitia, quantumvis tunc inter homines communia, publice damnabant, virtutesque a Christo commendatas omnes, eousque etiam inauditas, iudaeos aeque ac gentiles docebant? Atque ipsorum plerique, si non omnes, propter evangelii praedicationem non solum summos labores obierunt, sed etiam innumeras persecutiones, aerumnas, ludibria, vincula, carceres atque ipsam violentam mortem tolerarunt. A quibus sane omnibus facile se liberare potuissent, si ad falsas gentilium vel iudaeorum opiniones accommodare sese voluissent.

Coroll. II. Apostolorum igitur doctrina est vere *verbum Dei divinaeque auctoritatis*, ita ut eorum unusquisque de sua evangelii praedicatione potuerit dicere, quod Christus de sua affirmavit (Io 7, 16): „Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me." In posterum igitur licebit nobis apostolorum dictis, non solum cum Christi effata referunt, sed etiam quando sua auctoritate ut revelationis divinae praecones et ut legati Christi loquuntur, tamquam veris argumentis uti aeque ac verbis Christi ipsius.

Coroll. III. Patet tum ex fine magisterio isti proposito et ex his Christi verbis: „Data est mihi *omnis potestas;* euntes *ergo* docete" etc., tum ex docendi ratione apostolorum, qua iam credentes iubebant erroris magistros vitare, nutantes autem in fide ab ipsis praedicata increpabant, et contumaces ab evangelii veritate aberrantes ex fidelium numero excludebant: patet inquam, potestatem magisterii a Christo instituti esse potestatem *iurisdictionis*[1]. Haec enim potestas ea est, quae subditos ad communem aliquem propositum finem attingendum efficaci modo dirigere valet; auctoritas autem instituti a Christo infallibilis magisterii manifesto talis est, cum ea omnes fideles ad unam eandemque Christi doctrinam integram credendam ac sincere profitendam ex Christi voluntate, morali utique efficacia, ita cogendi sint, ut, qui ei oboedire nolit, ex Christi Ecclesia excludendus sit. Quae quidem potestas tanta est, quanta nulli auctoritati mere civili competit. Nulla enim civilis auctoritas valet actus mere internos praecipere et de eiusmodi actibus iudicare. At infallibile a Christo institutum magisterium, utens potestate Christi vicaria, eaque spirituali, ad rectam fidem propagandam et conservandam divinitus accepta, pro suo munere exigere necessario debet animi ac mentis assensum revelationis divinae veritatibus praestandum, fidem ergo internam, coniunctam cum externa eiusdem professione. Nisi enim illius magisterii doctrinae deberetur fides interna vere sincera et recta, fidelium professio fidei externa posset esse mere simulata, nec plena ac vera hominum ad Christum conversio magisterii sacri praedicationi responderet, et hinc dicendus foret Christus sacrum magisterium inutiliter fere instituisse.

§ 4.

De institutione imperii sacri.

Praenotanda.

In hac paragrapho duae quaestiones solvendae sunt, quarum prior est, utrum Christus apostolis suis praeter munus revelationem suam homines sine

[1] Cf. Franzelin, De Ecclesia 46 sqq.

ullis erroribus docendi aliud etiam verum in christianos imperium dederit necne; altera vero, utrum singuli apostoli aequalem imperii potestatem acceperint, an vero eorum aliquis primatu fuerit insignitus. Ad quas quaestiones duabus thesibus affirmantes respondebimus. Imperium autem sive regimen istud dicimus *sacrum* tum propter finem spiritualem, cuius causa a Christo institutum est, tum propter res ad quas refertur religiosas.

Thesis II.

Christus apostolis suis pro religionis suae negotio potestatem legiferam, iudiciariam, ultricem immediate conferens verum imperium statuit.

I. St. q. Affirmamus, Christum dedisse immediate apostolis non respectu rerum mere civilium, sed negotiorum et rerum religionis potestatem pro fidelibus suis *leges ferendi,* de oriundis iuris sacri controversiis et de christianorum actionibus *iudicandi,* de earum scil. bonitate aut malitia authenticum iudicium ferendi, denique potestatem legum transgressores *puniendi* atque coercendi[1]. Nomine porro Ecclesiae in hac et proxima thesi intelligimus interim tantum christianorum multitudinem, nomine autem episcoporum tum hic tum in toto hoc opere supremum alicuius particularis Ecclesiae sive dioecesis, i. e. maioris christianorum coetus praepositum.

Adversarii thesis sunt moderni protestantes, ex quorum sententia apostoli solummodo munere et iure praedicandi et docendi instructi sunt, nullo modo vero potestate iudicandi et imperandi pollent[2].

Dividitur autem probatio thesis manifesto in tres partes, secundum triplicem sacri imperii in thesi statutam potestatem.

II. Prob. pars I: collatam esse potestatem legiferam. Enimvero istam potestatem a Christo apostolis collatam esse patet

1. e verbis Christi Mt 18, 18: „Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis (*δήσητε*) super terram, erunt ligata (*δεδεμένα*) et in coelo; et quaecumque solveritis (*λύσητε*) super terram, erunt soluta (*λελυμένα*) et in coelo.“ Nam

---

[1] Drey (Apologie III 176 sqq) a triplici illa potestate distinguit et tamquam potestatem propriam ac distinctam tractat ius fidelium moribus invigilandi. At illud invigilandi ius ad potestatem iudicandi pertinet ut res ad iudicii aequitatem requisita; et si nihilominus ea potestas ut per se propria et distincta statueretur, eodem iure, ut reapse iam aliqui voluere, posset etiam statui potestas *deliberativa.* Sed his distinctionibus opus non est; potestas enim legifera, si vera sit, omnes alias, ut in argumentatione ostendemus, potestates, quae leges respiciunt, in sese continet. Quare satius videtur, ut cum plerisque aliis theologis praeter potestatem leges ferendi distincte solam potestatem iudicandi et puniendi apostolis a Christo traditam esse dicamus.

[2] Cf. v. g. C. Weizsäcker, Das apostolische Zeitalter, Freiburg 1886, 607. Etiam J. Langen (Vatik. Dogma I 28) eandem sententiam defendit. Contra quos agit Schanz, Apologie III[3] 106.

a) *agitur* de potestate *apostolis* communicanda. Ad hos enim Christi oratio dirigitur. Obiciebatur quidem a nonnullis cum Grotio, hominem offensum, de quo agitur v. 15, etiam hic intelligi, ita ut ad eum sermo dirigatur. Sed hoc consistere non potest, quia dum de correctione fraterna Christus loquebatur, semper usus est secunda persona numeri singularis: si peccaverit in *te* frater *tuus,* vade, corripe, dic; hic autem subito praemittens formulam sollemnem „Amen dico vobis" utitur numero plurali. Ex quo apparet, ad alios nunc sermonem fieri, ad illos scil., qui v. 1 nominantur discipuli, i. e. ad apostolos. His igitur Christus committit illud, quod vocibus ligandi et solvendi designat.

b) *Haec autem potestas* ligandi et solvendi includit potestatem legiferam. Ligare enim et solvere versantur circa vincula. Cum vero evidens sit, hic non agi de vinculis physicis, quae alligent corpora, sed de moralibus, quae astringant voluntates, potestas ligandi et solvendi est potestas imponendi vincula moralia voluntati vel ab his vinculis eam solvendi. Ligamina autem animis hominum imprimis inferuntur legibus, quae obligationem pariant. Ergo potestas ligandi et solvendi in se comprehendit potestatem leges ferendi.

c) *Haec autem potestas* legifera apostolis communicata *α) summa* est in suo genere ac prorsus independens ab omni potestate humana. Nam quod apostoli ligaverunt, „ligatum est", licet omnes ceteri, qui non sunt eiusdem potestatis participes, solvant; quod vero solverunt, „solutum est", licet ceteri ligare conentur. Deinde *β)* haec potestas est *efficacissima,* i. e. gravissimam obligationem inducit. Nam quod apostoli ligant, ligatum est in coelo, i. e. quod ligaverunt, Deus approbat et etiam ipse ligat, ut pari poena teneatur, qui apostolorum iussa ac qui Dei transgressus sit. Est etiam *γ)* haec potestas *universalissima.* Nam bis repetit Christus: *quaecumque* alligaveritis, *quaecumque* solveritis. Nihil igitur excipitur, nisi quod evidenter ad finem potestatis a Christo institutae ordinatum non est.

Confirmari potest haec explicatio ex usu vocum ligandi et solvendi, qui iam tempore Christi probabiliter vigebat apud doctores iudaeorum. Apud eos enim ligare nihil aliud videtur fuisse ac „vetare", solvere nihil aliud ac „permittere". Certum enim est, in scriptis rabbinorum ligare (אָסַר) et solvere (הִתִּיר) hunc sensum habuisse, in quibus saepissime, ubi deciduntur quaestiones de liceitate vel illiceitate quarundam actionum, occurrunt voces: hoc est ligatum (אָסוּר), i. e. vetitum, hoc est solutum (מוּתָּר), i. e. licitum, vel: rabbi Schamai hoc ligat, rabbi Hillel hoc solvit [1]. Quamquam autem antiquissima Talmudis pars, quae vocatur Mishna, ante saeculi secundi finem literis tradita

[1] Io. Morinus, Commentarius hist. de disciplina in administr. sacramenti poenitentiae, Antverpiae 1682, l. 1, c. 8, p. 17.

non sit, tamen rabbinos, quorum ibi auctoritates recitantur, longe antea vixisse atque eorum decisiones per longum tempus traditione orali propagatas fuisse, priusquam literis consignarentur, constat. Valde probabile igitur est, iam Christi aetate eodem sensu voces ligandi et solvendi usurpatas fuisse, praesertim cum iam in partibus aramaicis Danielis (6, 8 9 14 16) vox אֱסָרָה significet prohibitionem, dum Num 30, 3 10 ligare ligamen super animam suam idem sit ac voto sese obstringere. Quod, quamquam extra locos Mt 16, 18; 18, 18 nusquam in S. Scriptura occurrunt coniuncti termini ligandi et solvendi, neque usquam alibi in ea solvere sit idem ac permittere, sufficere possit, ut aliquam posterioris harum vocum usus praeformationem etiam in S. Scriptura adesse dicamus. — Iam vero, si iam Christi tempore in scholis legisperitorum illae voces in usum abierant, non poterant ignorari a communi populo, qui optime noverat distinctiones legisperitorum (Mt 5, 34—36; 15, 2 5; 23, 16—22) ac ex eorum dedecisionibus pendebat; in eius enim humeros imponebant legisperiti onera importabilia, quae alligabant (Mt 23, 4). Cum igitur Matthaeus pro iudaeo-christianis scripserit, apud quos noti erant termini technici scribarum ac legisperitorum, probabile est, secundum sensum, quem tunc communiter prae se ferebant voces ligandi et solvendi, eas debere intelligi[1].

Quem sensum si his vocibus subesse concedimus, iterum sequitur, apostolos summa et amplissima potestate legifera instructos fuisse. Tota enim auctoritas, quam ii habebant, qui in cathedra Moysis sedebant, his vocibus ligandi atque solvendi concludebatur et exprime-

---

[1] Affertur ab aliquibus, ut a Morino (l. c. 20), a Passaglia (Commentarius de praerogativis b. Petri. Romae 1850, 498), a Palmieri (Tractatus de Rom. Pontifice 331 334), a G. B. Tepe (Institutiones theologicae I, Paris. 1894, n. 277) aliisque ad explicandam vim illorum terminorum etiam inscriptio, qua teste Diodoro Siculo (Bibl. hist. l. 1. c. 27) Isidis tumulus ornatus erat: „Ego sum Isis, regina huius regionis a Mercurio erudita, et quaecumque ego ligavero, nemo solvere potest (*καὶ ὅσα ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λῦσαι*)." Qui locus, si lectio ista vera sit, procul dubio ad probandam nostram sententiam faceret, cum, tametsi nomine Isidis terra Aegypti intelligenda est, ea tamen sub imagine reginae exhibeatur. At lectio ultimi membri saltem dubia videtur, cum in nonnullis exemplaribus manuscriptis atque etiam in Diodori editione, quam Lutetiae Paris. a. 1842 ex recensione Dindorfii curavit Car. Müller, itemque in editione, quam 1888 Lipsiae dedit Frid. Vogel (I 43), istud membrum ita legatur: *καὶ ὅσα ἐγὼ ἐνομοθέτησα, οὐδεὶς κτλ.*, quamquam Morinus loco laudato dicit, illud verbum *ἐνομοθέτησα*, statueram, primitus appositum fuisse in margine tantum ab homine, qui insolitam *τοῦ δήσω* significationem voluerit claram reddere. — Nec validius est alterum, quod e Flavio Iosepho afferri solet. De regno enim Alexandrae verba faciens, de potentia, quam Pharisaei sibi acquisiverant, haec scribit (De bello Iud. 1, 5, 2): „Alexandrae autem sese in potestatis societatem adiungunt pharisaei. . . . Illi autem in feminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes, statim res omnes gubernant et moderantur, ita ut quosvis (*οὓς*) pro voluntate in exsilium mittant, ab eoque revocent, solvant ligentque (*λύειν τε καὶ δεῖν*)." Nam *δεῖν καὶ λύειν* hoc loco probabiliter nihil aliud dicunt quam in carcerem mittere et inde liberare.

batur. Dum igitur apostolis Christus concedit potestatem ligandi et solvendi, apostolos constituit doctores auctoritate praecipiendi instructos. Sed eorum auctoritas iisdem limitibus, quibus legisperiti coarctabantur, non restringitur, cum *quaecumque* visum iis fuerit ligare vel solvere ligent vel solvant, ac eorum iudicium in terra Dei iudicium sequatur in coelo.

Obiecerunt aliqui, ligare ac solvere apud rabbinos non significare prohibere ac permittere, sed declarare, aliquid lege prohibitum esse vel permissum. Unde concludunt, Christum etiam apostolis non illud dedisse, ut potestate propria leges conderent, sed ut declararent, quid ex lege Christi permissum vel prohibitum sit. Sed

1. non est verum, ligare ac solvere exclusive hunc sensum habere. Audi enim, quid de hac re scribat Morinus [1], cui consentiunt Wünsche et Edersheim: „Antiquissimi ... rabbini, Hillel, Sameas, Gamaliel, Eliezer, Akiba, Iose aliique, qui ante Christum, vivente Christo atque eo in coelos recepto praedicantibus apostolis floruerunt eorumque [iudaeorum] traditiones composuerunt et velut a Deo Moysi in monte Sinai traditas populo venditarunt, cum praecipiendi, prohibendi, permittendi, leges condendi aut eas moderandi, immutandi, abrogandi auctoritatem significare voluerunt, ligare et solvere fere semper dixerunt, ita ut ista significatione cum de his rebus quaestio est, nihil sit apud eos frequentius. Huncque loquendi morem non minus frequenter eorum discipuli in hunc usque diem usurparunt"; id quod continuo allatis exemplis demonstrat.

2. Secundum effatum Christi approbatio ac constitutio Dei actum legislativum apostolorum non antevertit, sed sequitur. Ergo non tantum vi legum a Christo antea latarum apostolorum constituta obligant.

3. Ergo etsi concedamus, apostolos ligando et solvendo legem tantum Christi interpretari, certe interpretationes suas tamquam leges fidelibus imponunt, et leges ferendo ius interpretandi exercent. Ergo etiam sic agnoscere deberemus potestatem legislativam in apostolis.

4. Denique voces ligandi et solvendi si usurpantur de potestate rabbinorum, ad arctiorem significationem restringuntur non ex eo, quod illis terminis ex se ac nativa eorum institutione arctior significatio insit, sed ex eo, quod applicantur ad munus docendi rabbinicum. Sicut enim v. g. vocabulum sapientiae, si usurpatur de Deo, significat sapientiam illimitatam, si usurpatur de homine, significat sapientiam communicatam, sic etiam fit, ut voces ligandi et solvendi, si praedicentur de rabbinis, quorum potestas nulla alia in re versabatur quam in explicandis legibus mosaicis et traditionibus seniorum, induant significationem restrictam *declarandi*, quae sint licita et prohibita, si vero praedicantur de apostolis, nulla ratio restringendi adest.

5. Versus 18 cum antecedentibus is est nexus, ut v. 18 illa potestas tradatur universalis et quascumque causas complectens, cuius pars quaedam vel applicatio ad causam particularem describitur v. 15—17. Atqui v. 15—17 agitur de potestate componendi dissidia et inoboedientes puniendi, nullo modo vero de nuda facultate leges interpretandi. Ergo neque v. 18 restricto illo modo illa potest intelligi.

---

[1] L. c. 17.

6. Loco Mt 16, 19 Christus immediate post memoratam potestatem ligandi et solvendi ad declarandam eandem rem adhibet imaginem clavium. At „claves non dantur, ut *declaretur* ostium esse apertum, sed ut aperiatur ostium“ [1]. Ergo idem de potestate ligandi et solvendi valet.

7. Si ligare et solvere nihil aliud valent ac prohibitum vel licitum declarare, his verbis enuntiatur infallibile magisterium apostolorum. Hoc autem infallibile magisterium cum perenne in Ecclesia esse debere facile demonstretur, haec interpretatio contra ipsos protestantes est, qui infallibilitatem in Ecclesia esse negant.

Explicant Clericus, Dodwell aliique [2] potestatem ligandi et solvendi de potestate extraordinaria morbos vel immittendi vel fugandi. Sed cum huius explicationis probabilis ratio reddi non possit, eam transmittimus.

Nec etiam admitti potest explicatio Maldonati, qui hic proprie et quasi proxime et primario de remissione peccatorum agi putat. Quamquam enim *etiam* hanc potestatem assignificari ex contextu et voce „quaecumque“ demonstretur atque sat multi Patres [3] verbis illis hoc sensu usi sint, primario tamen et unice de remissione peccatorum agi non probatur.

Apostolos potestate legifera instructos esse probatur

2. ex eo quod Christus pariter ad solos apostolos dixit (Io 20, 21): „Sicut me misit Pater, et ego mitto vos“, i. e. mitto vos non solum propter eundem finem prosequendum, propter quem miserat me Pater, sed etiam simili auctoritate et potestate instructos, qua ipse ut homo instructus sum a Patre [4]. Christus autem potestatem leges ferendi et habuit et exercuit; saepius enim de praeceptis suis ac mandatis locutus est (Io 14, 21. Mt 28, 20), et revera novas leges statuit, ut patet v. g. e Mt 5, 21 sqq. Ergo Christus etiam apostolis potestatem legiferam dedit. Ex Christi enim verbis Io 20, 21 apostolorum potestas Christi potestati in omnibus similis dicenda est, quae ad finem apostolis a Christo propositum utilia esse poterant, iis tantum exclusis, quae ex natura rei soli Christo convenire poterant. E Christi igitur verbis satis patet, apostolos ab ipso potestatem in religionis suae bonum leges statuendi accepisse. Sed

3. idem manifestum fit ex dictis ac factis ipsorum apostolorum. Veram enim legem in concilio Hierosolymitano condiderunt (Act 15, 28 sq). Illud scil. praeceptum integrum non fuit legis divinae aut naturalis aut positivae mera declaratio. Nulla enim lege naturali homo obligatur ad abstinendum a sanguine et suffocato, vel etiam per se et absolute ab immolatis simulacrorum, cum idolothytorum esus per se et absolute non sit malus, ideoque si propter

[1] G. B. Tepe, Institutiones theol. I, n. 277. — Cf. de tota hac re De San, De Ecclesia 24*; Knabenbauer in Matth. II 67; Wilmers, De Ecclesia 42.

[2] Wolfius, Curae philolog. in Matth. 16, 19.

[3] S. Cypr., Ep. 57 ad Cornelium c. 1 (Hartel 651). Pacian., Ep. 1, n. 6 (ML XIII 1057). Ambros., De poenit. l. 1, c. 7, n. 33 (ib. XVI 476).

[4] Apostolos Christi legatos esse, sicut Christus est legatus Dei, etiam Mt 10, 40; Lc 10, 16; Io 13, 20; 2 Cor 5, 20 supponitur. Idem dicunt Clemens Rom. 1 Cor. 42 (Funk 152), Tertullianus de praescript. 21 (ML II 33).

finem honestum et sine ullius offensione sive scandalo fiat, et propter nulla adiuncta speciem professionis falsae gentilium religionis habeat, licitus sit. Nec etiam lege positiva mosaica christiani, praesertim illi qui e gentilibus oriundi erant, ad illam abstinentiam obligabantur, ut patet per se et ex eo, quod per Christum illa lex abrogata erat.

S. Paulus porro non solum apostolorum leges, varias civitates obeundo, christianis observandas tradidit (Act 16, 4), sed ipse etiam v. g. praecepit, ut vir aperto, mulier velato capite preces ad Deum funderent (1 Cor 11, 4—17). Vetuit lites inter christianos ortas apud iudices gentiles agi (ib. 6, 1—6); item quoad agapen varia constituit (ib. 11, 33 34); insuper se, cum Corinthum venerit, cetera ordinaturum esse dicit. Statuit praeterea, ut mulieres in templis tacerent (ib. 14, 34), utque discerent „in silentio cum omni subiectione", non vero docerent aut in virum dominarentur, neque etiam luxuriose, sed honeste se ornarent (1 Tim 2, 9—12); atque ib. 3, 2 plura alia statuit de episcopis, diaconis, viduis. Tantum autem abest, ut vel Paulus vel alius apostolus hanc suam potestatem umquam tamquam a fidelium multitudine acceptam descripserit, ut omnes semper ceu Dei ministros et Christi legatione fungentes sese exhiberent.

Prob. pars II: collatam esse potestatem iudiciariam.

Christus apostolis potestatem legiferam dedit non vanam et inutilem, sed veram et salutarem. Iam vero potestas legifera sine iudiciali vana fuisset et inutilis; iudicialis enim, quatenus hic distincta intelligitur ab ea apostolorum potestate, qua ut infallibiles magistri de doctrinae christianae eiusque legum sensu iudicant, complectitur maxime iudicium faciendum de christianorum actionibus, quatenus nimirum vero christianae doctrinae eiusque legum sensui conformes sint necne. Ergo si potestas legifera apostolis concessa exsisteret sine ulla iudiciali potestate, sive sine facultate inquirendi et statuendi cum auctoritate, utrum leges ab ipsis latae servarentur necne, manifestum est, potestatem illam legiferam mancam et ferme inutilem esse. Cum autem Christus potestatem adeo imperfectam et inutilem conferre nec voluerit nec potuerit, debuit etiam iudiciariam instituere.

Iudiciaria vero potestas ipsis *apostolis* tributa dicenda est. Nam

1. iis tributam eam esse tamdiu existimandum est, quamdiu certis ac manifestis argumentis non probetur, Christum eam aliis quam apostolis contulisse.

2. *Deinde* idem probatur ex verbis Christi, quae referuntur Mt 18, 15—17. Ex hoc enim loco, si quis alium iniuria (graviore utique) affecerit et fraterna privatorum hominum correptione eo perduci non potuerit, ut se reum agnoscat suamque culpam fateatur, denuntiandus est Ecclesiae, et si neque hanc audierit, neque ei ita paruerit, ut peccatum suum poenitens fateatur et se emendet, habendus est instar

ethnici et publicani, i. e. excommunicatione ex Ecclesia eiciendus[1]. Iam vero nomine Ecclesiae Christus

a) *non* intelligit *synedrium,* quia in Novo Testamento illa numquam ita appellatur et Christus non iudaeos, sed apostolos suos alloquitur, atque insuper manifeste non de synagoga, sed de iis, qui ipsi fidem habituri sint, et ad quos potestas legifera apostolis v. 18 collata refertur, ergo de christianis loquitur. Neque obstat, quod Christus illum peccatorem, si Ecclesiae non paruerit, habendum esse dicit instar ethnici, i. e. hominis a vera religione plane alieni. Constat enim, Christum de temporibus et rebus Novi Testamenti loquentem uti locutionibus a consuetudine sui temporis et synagogae petitis. Ita etiam Paulus loquitur 1 Cor 16, 22. Et sane optime illa Christi verba etiam ad Ecclesiam referuntur.

b) Neque Christus Ecclesiae nomine *fidelium suorum multitudinem* designavit. Nam *α*) Christus versu proximo fundamentum ac rationem assignat, quo nitatur potestas reum illum e christianorum coetu excludendi. Cuius potestatis cum hanc rationem afferat, quod *apostoli* habent ab ipso potestatem omnia ligandi atque solvendi talem, ut nemini pertinaciter iis resistere liceat, necesse est, a Christo *apostolos,* minime vero omnes christianos illius causae iudices esse constitutos. Nomen igitur Ecclesiae hic intelligendum est, sicuti illud iam intellexit S. Chrysostomus, cum diceret[2]: „Dic Ecclesiae, i. e. praesidibus (*τοῖς προεδρεύουσιν*)", ac proxime quidem apostolis.

Nec obstat, vel quod de Ecclesia simpliciter Christus loquatur, vel quod eo tempore, quo haec dixerit, Ecclesia nondum exstiterit. Ut enim ipse protestans Camero ad v. 17 ait[3], „Ecclesiae illa recte dicuntur dici, quae dicuntur iis, qui Ecclesiae praesunt cum auctoritate. Nam quemadmodum corpus [homo] dicitur videre, cum soli videant oculi, sic Ecclesia audire id dicitur, quod ii audierunt soli, qui sunt veluti Ecclesiae aures." Praeterea addit: „1 Cor 6, 1 apostolus Corinthios graviter reprehendit, quod non detulerint cognitionem litium suarum Sanctis; non intelligit autem promiscuam multitudinem, sed eos qui in Ecclesia constituti erant, ut vacarent gubernationi Ecclesiae, vel certe electis arbitris quibusdam christianis; quemadmodum igitur apostolus *Sanctos* dicit quosdam ex Sanctis, sic Christus *Ecclesiam* dixit quosdam et praecipuos (quidem) ex Ecclesia", scil. proxime apostolos. — Quod vero tempus dicti huius attinet, probari sane nequit, Christum ista loquentem rationem habuisse temporis tantum illius, quo ea dixit, non vero futuri. Nec enim loquitur de facto, quod illo ipso tempore acciderit, nec quae dicit ad ullum certum tempus restringit potestatemque ligandi et solvendi apostolis non tradit tantummodo pro illo momento, sed pro omni tempore. Et ut tunc temporis erant quidem iam nonnulli, qui

[1] Kober, Der Kirchenbann nach den Grundsätzen des kanonischen Rechts dargestellt, Tübingen 1857, 10 sqq.

[2] In Matth. hom. 60 (61), n. 2 (MG LVIII 586).

[3] Critici sacri in Matth. 18, 17.

Christo fidem habebant, ita etiam iamdudum apostoli electi ac minime a Christo eodem numero ac reliqui omnes fideles habiti sunt. Optime igitur potuerunt iam tunc apostoli ut futuri Ecclesiae gubernatores ideoque ut praecipua eius pars nomine Ecclesiae designari.

β) *Deinde* „ne apud ipsos quidem iudaeos omnis populi multitudo, sed soli seniores et archisynagogi excommunicare consueverant“ [1]. Itaque cum „Christi discipuli eam reipublicae formam, qua summa rerum potestas penes populum est, omnino ignorarent, minime fieri potuit, ut verba Christi de iudicio quodam ab ipsa multitudine fidelium instituendo vel de sententia ab ipsa ferenda conciperent“ [2]. Nec obstat, quod, ut Lightfoot[3] ait ac probat, „usitatissimum erat apud iudaeos, obstinatos in hac vel illa perversitate post indultam admonitionem publico praeconio in synagoga notare ac infamiam iis inurere“. Istis enim iudiciis rei e gente iudaica non excludebantur, atque insuper ista reprehensione, praesente quidem multitudine, sed a senioribus et praesidibus proprie ac certe primum afficiebantur. Unde minime censendus est Christus hoc loco iudicium adeo grave, ut eo reus excommunicationis poenam incurreret, ipsi christianorum multitudini permittere voluisse.

γ) *Addendum est, quod si rei crimen esset occultum,* contra ius naturae et contra christianae caritatis legem esset, illud toti multitudini vel pluribus eius legatis patefacere atque ita immediate vel mediate publicum reddere.

δ) *Denique hoc loco* „privata correptio a publica sollemnique secernitur, verbisque ‚dic *Ecclesiae*‘ auctores publicae sollemnisque animadversionis demonstrantur. Fieri autem non potest (quaecumque tandem sit administrationis forma, qua coetus aliquis regitur), ut omnes et singuli, qui illius sunt partes, ex sese et ἀμέσως loquantur, agant, iudicent. Oportet igitur, ut Ecclesiae voce designentur, qui totius coetus nomine loquuntur, agunt, iudicant. Hi vero sunt praesides. Sunt ergo praesides, qui Ecclesiae vocabulo exprimuntur. Sed cuiusmodi praesides? talesne, qui ius ab ipso coetu acceperunt, an satius qui illud a Christo obtinuerint? Tales nimirum praesides, qui non aliunde quam a Christo huius animadvertendi formae institutore ius suum habuerint“ [4]. Sane Christus potestatem, doctrinam suam docendi et ubique praedicandi, leges ferendi omnemque aliam non plebi et universitati fidelium, sed immediate apostolis contulit; ergo nec hoc loco aliter egisse censendus est, nisi, id quod minime locum habet, rationes contrariae essent omnino clarae atque ad probandum plane firmae. Nec profecto Paulus vel alius apostolus iudicandi potestatem ab hominibus sibi traditam esse umquam professus est.

---

[1] Maldonatus in Matth. 18, 17.
[2] Knabenbauer in h. l. II 129. [3] In Matth. 18, 17.
[4] Passaglia, De Ecclesia Christi I 11.

ε) *Postremo optima huius rei interpres,* apostolicae aetatis historia, nihil refert de tradita christianorum omnium multitudini potestate iudiciaria, refert vero ac saepius testatur, apostolos eam sibi attribuisse. Sic S. Petrus iudicium tulit de Anania et Saphira (Act 5, 1—9), et Paulus cum turpissimum incestum a christiano Corinthi commissum comperisset, in hominem incestuosum iudicium aperte exercuit, scribens 1 Cor 5, 3 5: „Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est . . . tradere satanae." Quibus verbis sane verum iudicium exprimitur, non ab omnibus, sed ab uno Paulo latum. Simili modo idem apostolus 1 Tim 1, 20 iudicat, cum Hymenaeum et Alexandrum tradit satanae.

Prob. pars III: collatam esse potestatem puniendi, et

1. quidem ex ipsa eius necessitate. Parum enim prodest potestas legifera et iudiciaria, nisi etiam coniunctam habeat potestatem ultricem, sive potestatem legum transgressiones puniendi. Ab accurata enim legum observantia pendet ut omnis societatis, ita etiam ac maxime quidem religionis bonum atque prosperitas. Iam vero homines plerique natura adeo ad malum propensi sunt, ut non sine magna difficultate perpetuo servent eas leges, quae malis cupiditatibus multum atque omnino repugnent ac gravia officia homini iniungant. Sicuti ergo propter similem causam in omni bene ordinata republica una cum potestate legifera et iudiciaria etiam potestas puniendi exstat, sic certe Christus imperium a se in bonum religionis suae institutum ac potestate legifera et iudiciaria praeditum nullatenus potestate coercitiva destitutum esse voluit. Nec enim poena ex iustis causis et ad bonum omnino finem propositum a publica auctoritate inflicta caritati et mansuetudini ab ipso adeo commendatae adversatur. Christus enim ipse, perfectissimum sane illarum virtutum exemplar, non solum pharisaeos et scribas, pessimos simulatores, graviter ac publice corripuit (Mt 23, 13 sqq), sed etiam ementes ac vendentes e templo eiecit (Lc 19, 45).

Neque obstat, quod religio hominem ad salutem perducere non possit nisi per liberam et internam voluntatis subiectionem. Haec enim subiectio a multis rebus externis pendet, quibus religio vera profecto conservari hominesque ad eam bene colendam excitari debent; unde imperium recte et rite exerceri potest in actiones, quae auctoritatis iudicio subiacere possunt. Non enim potestatis istius finis ultimus est, ut homines ad amplectendam religionem christianam compellantur, sed is tantum, ut qui iam libere eam amplexi sunt, bene dirigantur et aut ad obsequium reducantur aut excludantur ii, qui bonum commune religionis impediunt et contumaces sese ostendunt.

2. Sacrae Literae docent, istam puniendi potestatem a Christo ipsis apostolis traditam esse. Nam

a) *Christus* contumacem peccatorem, postquam Mt 18, 17 ad praepositos Ecclesiae deferendum esse docuit, poena exclusionis e coetu christianorum, si is oboedientiam detrectet, plectendum esse

v. 17, 18 edicit, eiusque ut hominis a religione christiana prorsus alieni et insigniter improbi consuetudinem a christianis fugiendam esse vult. Quae poena, cum religio christiana sola vera sit sola per se ad aeternam salutem consequendam via, sane gravissima est.

b) *S. Paulus* saepius aperte ac publice professus est, se habere potestatem puniendi ac coercendi. Certe 1 Cor 4, 21 scribit: „Quid vultis? in (i. e. cum) virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?" Virga autem significat hic et per se et praesertim ut opposita spiritui caritatis et mansuetudinis severitatem disciplinae una cum auctoritate eam exercendi, potestatem igitur puniendi. Item 2 Cor 10, 6 dicit de se: „In promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam", i. e. ad manum se habere potestatem ulciscendi omnem inoboedientiam sive puniendi singulos christianos, qui non velint sibi veram Christi revelationem praedicanti oboedire. Et ib. 13, 2 ait: „Praedixi et praedico ut praesens et nunc absens iis, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam"; v. 10 vero: „Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem." Dicit ergo Paulus, se posse cum delinquentibus christianis etiam dure agere sive eos punire, et quidem secundum potestatem divinitus acceptam.

Sed Paulus non solum istam potestatem a Domino sibi datam esse professus est, sed saepius etiam ea utebatur. Sane incestuosum Corinthium (1 Cor 5, 3—5) atque Hymenaeum et Alexandrum, qui circa fidem naufragarunt (1 Tim 1, 19 20) tradendo, ut ait, satanae graviter punivit, sive illa traditione sola publica et sollemnis excommunicatio, sive insuper poenae corporales intelliguntur[1]. Quam autem potestatem apostolus Paulus habuit, eadem etiam aliis apostolis divinitus tributa dicenda est tum propter rationes initio huius tertiae partis allatas, tum etiam propterea, quod Paulus nec ullibi legitur nec iure dici possit maiorem prae aliis apostolis potestatem accepisse.

Quae cum ita sint, affirmandum prorsus est, Christum apostolis suis triplicem suae similem ideoque quam maxime sublimem potestatem leges ferendi, iudicandi et puniendi immediate contulisse, atque ita verum imperium sive regimen pro christianis ut talibus instituisse.

Obiciunt quidam 1. locum Mt 23, 8 sq: „Vos autem nolite vocari rabbi. Unus enim est magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim pater vester, qui in coelis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus." Ex quo loco

---

[1] De qua controversia vide quae disputat Cornely in 1 Cor 5, 1—13 (p. 123 sq). Iuxta SS. Patrum communem interpretationem „satanae tradi is dicitur, qui ex Ecclesia ita expellitur, ut simul corpus eius dominio satanae subiciatur, qui eum morbis aliisve corporis afflictionibus vexet ad carnis cupiditatem destruendam" (ib. 124).

v. g. Weizsäcker[1] concludit, apostolis non convenisse ius docendi cum auctoritate et potestatem leges ferendi. At

a) si haec interpretatio vera esset, nemo christianus eum, qui vere pater suus est, nomine patris nominare deberet. Quod certe nemo affirmaverit.

b) Sensus igitur textus hic est: α) Nemo magister alterius est nec vocari debet, si comparetur cum Christo magistro. Minima enim sunt, quae homo *ex se* alterum docere potest, si comparentur cum iis, quae Christus docet. Scil. „solus Christus possidet omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei; solus Christus ita docet illustratione gratiae, ut animus revera illuminetur luce divina et voluntas efficaciter propellatur ad bonum amplectendum, solus Christus est via, veritas, vita.... Iam quis hominum, qui sibi conscius est et excellentiae Christi et suae ipsius imbecillitatis, qua et plurima ignorat et solum externe verbis sonantibus pauca quaedam docere potest, quis, inquam, non refugiat et vereatur titulo vocari eodem quo Christus salutatur?“[2]

β) Opponit Christus modum, quo discipuli sui gerere se debent ei, quo pharisaei se gerunt, monetque suos, „ne *eo modo*, quo illi [pharisaei], id est *ambitiose glorioseque* aut praeceptores aut patres appellemur aliosve appellemus, ut illi appellabant, qui dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo (1 Cor 3, 4), ut suo quisque magistro gloriaretur; alioqui dubium non est, quin patres et magistros et vocari et vocare nobis liceat.“[3]

γ) „Nolite vocari rabbi“ igitur idem est, ut iam notat Euthymius, ac: Ne *quaeratis* vocari rabbi.

2. Obiciunt locum hunc: „Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos“ etc. (Mt 20, 26). Unde concludunt: Ergo Christus noluit potestatem spiritualem inter suos. At a) haec consequentia si legitima est, sequitur, inter christianos neque magistratus politicos et civiles debere esse. b) Tantum igitur monet, „non debere apostolos, qui ad Ecclesiae gubernationem vocati sunt, gentilium principum ambitionem et tyrannidem imitari“[4]. Aliis verbis, e medio tollere vult non potestatem sive civilem sive religiosam, sed fastum ac tyrannidem in huius potestatis usu. c) Quod ex eo confirmatur, quod Christus v. 28 se ipsum apostolis exemplar proponit; Christus autem sine dubio potestate instructus erat, sed in usu huius potestatis erat quam maxime remotus ab omni fastu et ambitione.

3. Affirmat Sohm[5], iuridicam Ecclesiae organisationem ac iuridicam Ecclesiae gubernandae potestatem pugnare cum ipso conceptu Ecclesiae. Nam a) Ecclesiam esse aliquid summe spirituale, ius aliquid mere humanum. b) Eam esse iuris naturam, ut postquam ex certis factis temporis praeteriti ortum sit, adsit et maneat iuridica facultas, etiamsi posterioris temporis vel hominibus displiceat vel conditionibus non conveniat. Atqui in rebus spiritualibus talem iuridicam facultatem repugnare. Numquid, sic fere ille, concipi potest, ut doctrina aliqua propterea tamquam Dei doctrina agnosci debeat, quod is, qui eam docet, ante aliquod tempus legitime a communitate electus vel alio modo legitimo constitutus sit? ... Verbum Dei non cognoscitur ex ulla formalitate externa impleta, sed ex insita ac nativa sua vi et potestate.

---

[1] Das apostolische Zeitalter 37.
[2] Knabenbauer in h. l. II 284.
[3] Maldonatus in h. l. p. 458.
[4] Ibid. p. 419.
[5] Kirchenrecht I, Leipzig 1892, 23.

Christianorum est, ei tantum verbo obsequi, quod ex intimo libero consensu tamquam Dei verbum agnoscant etc. Unde deducit Sohm, in primitiva Ecclesia nullum munus perpetuum fuisse, quo sive facultas docendi cum auctoritate sive facultas gubernandi cum auctoritate ulli concederetur. Auctoritatem illos tantum habuisse, qui correpti a Spiritu verba Dei loqui putarentur, atque hanc etiam auctoritatem ex libera voluntate singulorum ortum duxisse.

At haec sententia si veritate nitatur, sequitur, neque ipsum Deum, etsi velit, posse efficere, ut propter externa facta homini competat ius ita docendi, ut doctrina sua tamquam Dei doctrina admittenda sit; nam quae ex conceptu suo repugnant, ne ab ipso quidem Deo effici possunt. Iam quis Deo hanc potentiam negare audeat? Revera Christo homini ex Dei voluntate competebat ius, ut doctrina sua suscipi deberet ut Dei doctrina, atque hoc ius competebat illi propter factum illud, quod a Deo legatus missus erat, quod factum iterum factis externis, scil. miraculis et impletis prophetiis demonstrabatur. Ergo non repugnat illud ius. Neque obiciatur, haec de Christo valere, quia Christus simul et Deus sit. Nam dicit apostolis ipse Christus: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Ergo quae de legatione Christi valent, etiam suo modo de legatione apostolorum valent. Etiam ipsis competit ius exigendi oboedientiam propter factum illud externum, quod legati Christi sunt, quam missionem testimonio suo miraculis confirmato demonstrabant. — Ad Sohmii argumenta vero haec dicimus: a) Negandum omnino est homini christiano, oppositionem exsistere inter res iuridicas et res spirituales. Etiam ipsae potestates saeculares et ethnicae sunt ex Dei ordinatione (Rom 13, 1), atque oboediendum est dominis etiam ethnicis tamquam ipsi Christo (Eph 6, 5). Ubi igitur oppositio inter ius et res spirituales? b) Quod vero de origine iuris ab externis factis profert Sohm, nullam difficultatem habet. Si enim Deus vult, ut doctrina alicuius hominis tamquam Dei doctrina suscipiatur, eum facto aliquo externo ut suum legatum signabit, et post hoc factum externum curabit, ut iste legatus, si tamquam Dei legatus doceat, ab omni errore immunis sit[1].

Thesis III.

Imperium sacrum Christus tamen ita instituit, ut apostolo Petro primatum non tantum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis in ceteros apostolos atque in omnes christianos conferret.

I. St. q. 1. Primatus est principatus, qui uni ex multis convenit et aliis communis non est; potest autem tripliciter ille distingui. Dicitur enim alius *primatus honoris*, qui nihil aliud est quam nominis praecellentia sive, ut vulgo dicitur, tituli praerogativa, coniunctum habens ius honorificum in conventibus primum locum occupandi, res tractandas proponendi, sententiam de iis primum dicendi et eiusmodi alia agendi, quae ad merum honorem pertinent. Hinc qui hoc primatu plene gaudet, pollet aliqua auctoritate non praecipiendi quidem, sed in socios consilio ac suasione agendi. Qui quidem primatus viris vel

---

[1] Alias minoris momenti obiectiones vide solutas apud Schanz, Apologie III 97 sq 106 sq.

aetate, vel praeclaris meritis, vel ingenio et scientia conspicuis tribui solet. Alius est *primatus ordinis,* qui „quaedam insuper iura tribuit, quae ad rectam negotiorum expeditionem opportuna sunt; prout est ius senatum indicendi, referendi de negotiis, rogandi sententias easque promulgandi, monendi totamque actionem hortando regendi. Eiusmodi primatu *ordinis* in omni republica praeses insigniri solet. Tunc nempe, quamvis tota iurisdictio penes senatum resideat, nec in ferendis decretis plus possit praeses quam ceterorum quilibet, in dirigenda tamen negotiorum tractatione nonnulla praecipere ac exigere valet, quae ad rectum ordinem opportuna sunt. Hinc eius primatus, qui nec *meri honoris* nec *iurisdictionis* est, *ordinis primatus dicitur.*“ [1]

Primatus denique *iurisdictionis* in praerogativa iurium et potestatis supremae consistit, ita ut qui eo insignitus est verum ac summum imperium ideoque supremam in legibus ferendis, tuendis ac vindicandis potestatem, verbo, omnem potentiam ad supremum regimen necessariam habeat. Hunc igitur primatum qui obtinet, eo ipso etiam honoris et ordinis primatu potitur. Quare si demonstratum est, Petro collatum fuisse a Christo primatum iurisdictionis, minime opus est ostendere, eum etiam honoris et ordinis primatum accepisse.

Cum autem Petro iurisdictionis primatum vindicamus, discrimen inter potestatem Petri et eam, quam omnes alii apostoli a Christo acceperunt, nullatenus in ipsa parte muneris apostolici aut in potestate ad id necessaria, sed in eo ponimus, quod ceterorum apostolorum potestas annuntiandi evangelium, instituendi et regendi christianorum coetus et alia eiusmodi agendi licet per se et actu illimitata, tamen Petro subiecta erat, adeo ut nullas ecclesias fundare possent, quin eas supremae Petri auctoritati et potestati subicerent, nullasque apostoli singuli possent propria auctoritate vere regere, nisi quas ipsi instituerant. Minime igitur negamus, singulos et universos apostolos sui muneris sive, ut dici solet, apostolatus potestatem ex aequo accepisse, sed contendimus, eosdem apostolos in huius potestatis usu non ita liberos fuisse, ut non iure saltem a suprema Petri auctoritate penderent eique subiecti essent. Aliis verbis: dicimus apostolos, quamvis Petro ut tali pares essent, ut episcopos tamen fuisse ipsi subiectos; fuerunt igitur ei subiecti ratione sui muneris ordinarii episcopatus, non vero ratione muneris extraordinarii apostolatus [2].

2. Argumenta, quibus thesis nostra demonstretur, petenda sunt praecipue e duobus S. Scripturae locis: Mt 16, 17—19 et Io 21, 15—18, quorum priore primatus iurisdictionis promissio, altero eiusdem communicatio refertur. Quae quidem demonstratio insuper nonnihil collustratur atque confirmatur tum reliqua Christi ipsius ac Petri aliorumque apostolorum agendi ratione, tum etiam antiquitatis christianae illos S. Scripturae locos explicantis testimonio, sive, ut

[1] Bouix, De papa I 4. [2] Cf. Palmieri 375 sqq.

vocari solet, traditione exegetica. Ea quidem testimonia cum hoc loco non maioris quam mere humanae auctoritatis spectari possint, quamquam hic non tam argumentum proprie dictum et plane evincens efficiunt quam confirmationem, tamen haud levis momenti sunt, praesertim cum protestantes, qui iurisdictionis primatum diu post apostolos ratione mere humana tandem inductum esse contendunt, antiquitatis testimonio eum diu ante agnitum ac ut in apostolo Petro institutum agnitum fuisse convincuntur.

3. Variae sententiae. Iurisdictionis primatum Christum Petro reapse contulisse affirmant omnium temporum et locorum romano-catholici, qui vere sunt, quos se esse profitentur; negarunt contra saeculo XIV Marsilius Patavinus et Ioannes de Ianduno, ut patet ex secunda ipsorum propositione a Ioanne XXII damnata quaeque haec est[1]: „Quod beatus Petrus apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii apostoli habuerunt, nec aliorum apostolorum fuit caput." Illum primatum negarunt pariter Wicleffus, Huss, recentiores Graeci et Russi schismatici. Atque etiam inter doctores Parisienses initio saeculi XV fuerunt, qui istam veritatem certam non habebant. Ita Ioannes Breviscoxa, qui promotus fuit ad sedem episcopalem Parisiensem anno 1421, deinde ad episcopatum Gebennensem et nominatur *sollemnis doctor* in sacra theologia Parisiensi[2], haec scribit[3]: „Opinio, quae ponit, quod Petrus recepit a Christo immediate principatum super ceteros apostolos et discipulos Christi, est communior et securior, immo *fortasse* non est securum, dicere oppositum; licet bene concederem, quod ex S. Scriptura non sequitur *evidenter*, quod Petrus fuerit primas aliorum, sed *probabilius* sequitur illud quam oppositum." Insuper quid nonnulli alii eiusdem academiae professores senserint, idem hisce verbis indicat[4]: „Alii vero dicunt, quod Petrus pro se et suis successoribus primatum super omnes fideles recepit a Christo; sed ista dignitas seu potestas consistit in ordinando et praeficiendo episcopos, presbyteros et doctores populo christiano et fideli, *nullam habens per ordinationem Christi iurisdictionem coactivam sibi annexam.*"

Petri autem primatum negarunt iam a sua origine ad nostram usque aetatem praecipue omnis generis protestantes; concedunt quidem eorum plerique, Petrum insignitum fuisse a Christo primatu *honoris* et aliquatenus etiam ordinis, ita ut respectu aliorum apostolorum *primus inter pares* fuerit, sed omnem proprie dictam potestatem in ceteros apostolos ac christianos ei denegant vel certe eius collationem probari posse inficiantur. Novissime critici rationalistae contendunt, textum Mt 16, 18, super quem totum primatum pontificium exstructum putant, non continere ipsius Christi verba. Sic v. g. A. Harnack, A. Resch, O. Pfleiderer, I. Holtzmann, H. Wendt, I. Réville, A. Sabatier, A. Loisy etc. Quorum alii hunc textum saeculo II in evangelium intrusum esse autumant, alii totum evangelium Matthaei paulatim saeculo II consarcinatum esse dicunt.

---

[1] Denzinger-Bannwart, Enchir. n. 495.

[2] Vide Gersonis Opera, ed. Dupin I, Antverpiae 1706, 904.

[3] De fide, Ecclesia, Rom. Pontif. et Concil. gener. art. 2 (ib. 882).

[4] L. c. 875.

M. A. de Dominis (1560—1624) apostata factus docuit[1], „apostolos omnes in omni officio et munere apostolico ac in omni potestate fuisse inter se pares et omnino aequales", et insuper diserte denegat[2] Petro omnem iurisdictionis primatum, additque[3], „potestatem cum vera praefectura, iurisdictione, coactione ac dominatu in Ecclesia nullam esse".

Secundum Febronium (i. e. Io. Nic. de Hontheim 1701—1790)[4] omnes apostoli fuerunt potestate aequales, salvo tamen Petri primatu, scil. honoris et ordinis, ita ut eorum nulli competeret iurisdictio in alium, sed singuli omnium collegio fuerint subiecti, Petrus vero fuerit instar praesidis in senatu.

Atque etiam ii, qui se dicunt veteres catholicos, brevissimo post separationem ab Ecclesia tempore eo devenerunt, ut Petri primatum omnino negent. Langen v. g. contendit[5], Petrum respectu aliorum apostolorum tantum fuisse *primum inter pares*, ita ut reliqui apostoli ipsi vere subiecti non fuerint. Idem docent I. F. Schulte[6], et F. Michelis[7]. I. Friedrich[8] vero nisus est probare, non Petrum, sed Iacobum fuisse Ecclesiae primatem.

II. Thesis quam statuimus vera ac certa haberi debet, si duo haec demonstrentur: A. Petro Christum primatum promisisse, ex quo fiat, ut in Petrum primatus ex hac promissione collatus sit; B. Petro Christum primatum revera contulisse. — Haec igitur duo nunc demonstrare aggredimur.

A. Christus Petro primatum promisit.

Postquam Iesu apostolos interroganti: „Vos autem quem me esse dicitis?" Petrus respondit: „Tu es Christus, filius Dei vivi", Iesus respondens dixit (Mt 16, 17—19): „Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram (ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ) aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves (τὰς κλεῖς) regni coelorum. Et quodcumque (ὃ ἐὰν) ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis."

Quibus verbis duo contineri demonstrandum est, scil. et omnem Christi promissionem hoc loco expressam referri directo ac solum ad apostolum Petrum, et Christum ei illis verbis primatum iurisdictionis promisisse. Itaque

1. Verba Christi Mt 16, 18 sqq referuntur directo ad solum Petrum. Quod probatur

a) *generatim* de toto illo Christi responso. Nam Christi verba directo et solum ad Petrum referri patet *α*) ex *testimonio evangelistae,* qui ea ad Petrum directa esse refert. Nam v. 17 scribit: „Respondens

---

[1] De republ. ecclesiast. l. 1, c. 3. [2] Ibid. l. 1, c. 5 sqq. [3] Ibid. l. 5, c. 2.
[4] De statu Ecclesiae c. 1, § 7; c. 2, § 4, n. 1.
[5] Das Vatikanische Dogma I 33; II 81.
[6] Die Stellung der Konzilien, passim.
[7] Cf. Bonner Theol. Literaturbl. 1874, 175.
[8] Zur ältesten Geschichte des Primates in der Kirche, Bonn 1879.

autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est"; v. 18: „Et ego dico tibi" etc. Ex hac relatione evangelistae verba v. 17 et 18 ad eandem personam eam diriguntur, quae immediate antea locuta fuerat; sed persona, quae immediate antea locuta fuerat, eodem evangelista teste ipse est Petrus, qui v. 16 sic introducitur: Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus, filius Dei vivi. *β) Patet idem ex verbis Christi* Petrum nomine proprio „Simon, Bar Iona" appellantis. *γ) Patet ex relatione* inter verba Christi, praesertim v. 17, et verba Petri v. 16. Nam eum Christus v. 17 alloquitur, qui aliquid grande de ipso confessus fuerat, quod Pater coelestis ei revelasse dici possit, sed hic ex praecedentibus solus est Petrus, qui Christum v. 16 non solum Messiam, sed etiam filium Dei vivi confitetur. Atque item ad Petrum eumque solum referenda sunt verba v. 19: „Et tibi dabo claves" etc. Cum enim Christus dicit „tibi", alios excludit, et cum affirmat, se ipsi daturum esse *τὰς κλεῖς*, clare indicat, se nullam aliam clavem aliis dandam retinuisse. Unde verissime observat Bellarminus[1], tot modis Christum in ista oratione Petri personam designasse, ut vix pluribus adiunctis describere soleant aliquem certum hominem notarii illi, qui publica instrumenta conficiunt. Expressit enim Christus substantiam personae singularis per pronomen *tibi*, deinde addidit nomen inditum in nativitate, cum ait: beatus es *Simon*. Adiunxit nomen patris, cum dixit: *filius Ionae*. Mox etiam adiecit nomen a se recens illi impositum, subiungens: ego dico tibi, quia tu es *Petrus*. Atqui prorsus inepta fuisset tam accurata personae, cui respondit, descriptio, si non ipsum Petrum designare Christus voluisset.

b) *Probatur idem insuper speciatim* ratione horum verborum: „et super hanc petram". Nam

a) Christus aramaica lingua tunc inter iudaeos in Palaestina vulgari loquens loco nominis Petri vocabulo כֵּיפָא (hebr. כֵּף) usus est, et Matthaeus eadem (vel hebraica) lingua evangelium suum scribens illud ipsum vocabulum adhibuit. Itaque verba Christi haec fuisse putanda sunt: tu es Cepha, et super hoc Cepha[2]; sive: tu es saxum, et

---

[1] De Rom. Pontif. l. 1, c. 12.

[2] Cum syriaca lingua valde affinis sit aramaicae, abs re non erit, quid syriacae versiones hoc loco habeant ante oculos ponere. Itaque 1. communis illa versio, quae dicitur Peshittha, pro graeco *Πέτρος* et *πέτρα* utroque loco idem adhibet vocabulum „kipha": דאנת הו כאפא .ועל הדא כאפא אבניה לעדתי. Ex versionibus illis, quae communiter antiquiores quam Peshittha censentur, 2. illa, quam edidit Cureton, ad literam cum Peshittha hoc loco consentit (Remains of a very ancient recension of the four Gospels in Syriac, hitherto unknown in Europe. Discovered, edited and translated by W. Cureton, London 1858 [syriacae parti huius libri paginae non sunt ascriptae; versionis angl. pag. 23]); 3. Codex sinaiticus Lewisianus Novi Testamenti cum lacunam habeat a Mt 16, 15 usque ad 17, 11, hoc loco quid testatus sit ne-

super hoc saxo aedificabo Ecclesiam meam. Etenim Syri nullam habent agnominationem; unde utrobique saxum sive Cepha in suo sermone Christus ponere debuit. Graece porro saxum dicitur *πέτρος* et *πέτρα* promiscue in masculino et femineo genere usurpatum. Haec graeco interpreti ratio fuit, cur uno loco *πέτρος*, alio *πέτρα* collocaverit. Quoniam enim id lingua ferebat, masculinum genus Petri personae, femineum vero rei, quae significabatur, accommodavit[1]. Posset etiam cum Grotio affirmari, ideo Matthaei interpretem mutasse genus, quia nimirum *πέτρος* usitate non significabat, quod intendebat Christus, videlicet saxum tale, super quo aliud aedificari soleat, atque idcirco posuisse *πέτρα*. Interim latinus interpres secutus est graecum. Versiones syriaca Peshittha, arabica, aethiopica, persica habent utrobique *petram*[2].

---

scimus; 4. Tatiani harmonia evangeliorum, quae antiquissimo tempore valde usitata erat in Syria, in syriaco textu ad nos non pervenit; versio autem arabica loco Mt 16, 18 habet: „Et ego dico tibi, quia tu es petra, et super hanc petram" etc., ita ut utroque loco idem vocabulum redeat (Tatiani Evangeliorum Harmoniae, arabice ed. Aug. Ciasca, Romae 1888, c. 23, p. 42 [lat.], p. 91 [arab.]). In S. Ephraemi commentario in Tatianum (armenice tantum servato) textus Mt 16, 18 non integre recitatur, ita ut quid hoc loco Tatianus habuerit, ex Ephraemo nequeat dignosci; 5. ex versionibus syrorum posteriorum haereticorum Philoxeniana (vel potius charklensis) versionem Peshittha ita mutat, ut ubi graecus textus habet *Πέτρος*, retineat graecum nomen Petros (פהטרוס), in locum vero graeci *πέτρα* ponat vocabulum שועא. Vox igitur „kepha" ibi omnino vitatur, ita ut legatur דאנת אתיה ועל הנא שועא אבניה לעדתא. פהטרוס. Additur tamen in margine: פטרוס שועא מתפשק, i. e. „Petrus petra exponitur" (Sacrorum evangeliorum versio syriaca Philoxeniana . . ., nunc primum edita, cum interpretatione et annotationibus Iosephi White I, Oxonii 1778, 81); 6. Evangeliarium denique Hierosolymitanum, quod primus edidit F. Miniscalchi Erizzo, et ipsum loco graeci *Πέτρος* retinet פטרוס, graecum *πέτρα* cum Peshittha vertit כיפא (Bibliothecae syriacae a P. de Lagarde collectae, quae ad philologiam sacram pertinent, Gottingae 1892, 293).

[1] Cercia, Tract. de Rom. Pontifice[3] 9 sq.

[2] Cf. Waltoni Polyglottam V, Londini 1657, 81. Persica versio, quae utique ante saec. VIII ac fortasse XVI non exstitit, energice reddit: Et ego dico tibi, tu es petra religionis meae, et fundamentum Ecclesiae meae super te exstructum erit, et portae inferi illam non destruent. „Notandum est", ut ait Gravius in Waltoni Polyglotta, „Persicum hunc interpretem (quisquis fuerit) ea quae ad D. Petri laudem et honorem spectant multum verbis ornare et amplificare" (ib. VI, Londini 1659, tract. 7, p. 59). Diversitatem vocum „Petrus" et „Petra" in rem suam iam Zwingli convertere studuerat (Opera, ed. M. A. Schuler et I. Schulthess, 6 vol., Turig. 1822—1844, T. I, p. 321): „In Germanico lapsus facile fieri potuit: Uff den velsen; sed Latina [!] omnem dolum et dubitationem excludit, dicit enim: Super hanc petram, non super hunc Petrum." Similiter etiam hoc saeculo Wieseler (Chronologie des apostolischen Zeitalters, Göttingen 1848, 585): „Die gegnerische Meinung der *Identität* des durch beide Ausdrücke bezeichneten Begriffs hätte mindestens durch die Wendung *σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ τοῦτον τὸν Πέτρον κτλ.* angedeutet werden müssen. Indem der Evangelist die nämliche Form gebraucht, zeigt er an, daß er den *persönlichen* Fels Simon meine . . ., und wenn er nun im Gegensatz dazu die weibliche Form setzt, so muß er einen sächlichen Fels meinen, nämlich . . . das dem Herzen von Gott versiegelte Bekenntnis, daß Jesus der Christus, der Sohn Gottes sei." Contra vel ipse Faust. Socinus (Bibioth. Fratr. Polonor. I, Irenopoli „post a. 1656", 334) fassus est: „Non dubitamus affirmare,

Itaque pronomen demonstrativum *hoc* nihil aliud indicare potest quam Cepha prius nominatum.

Neque obstat, quod pronomen οὗτος, *hic*, aliquando ad remotiora refertur [1]. Hoc enim non contingit, nisi quando aliquid est praecipuum sermonis obiectum, et brevis tantum sermo de alia re incidit; tunc enim pronomen οὗτος praecipuum sermonis obiectum, tametsi remotius, menti tamen loquentis tamquam praesentissimum respicit; quod ex ipsis locis a Glassio laudatis Io 6, 50 et Act 4, 11 evidenter patet. Iam vero nostro loco praecipuum sermonis obiectum est ipse Petrus, ideoque οὗτος ad alium quam ad ipsum referri nullatenus potest. Sensus ergo idem est, ac si Christus dixisset: tu es petra, super *quam* aedificabo. Pronomen tamen demonstrativum maiorem emphasim habet, quasi Christus dixerit: super *hanc* et non super *aliam* petram. Quare ex hoc quod Christus non dixit ἐπὶ σέ, aut ἐπὶ σὲ τὴν πέτραν, sed ἐπὶ ταύτην τὴν πέτραν, nullatenus, ut loco laudato Wieseler vult, sequitur, de alia petra a Petro diversa Christum loqui.

β) Idem confirmatur ex impositione nominis Petri Io 1, 42 et Mc 3, 16. Christus enim Mt 16, 18 manifeste alludit ad nomen Petri Simoni prius impositum, rationem reddens, cur ei illud nomen dederit, ergo ipsum Petrum dicit hic petram Ecclesiae. Nam si promissio Mt 16, 18 non ad Petrum referenda esset, Christus eum quasi ludibrio habuisset; sensus enim ipsius orationis tunc esset: tu quidem a me agnominatus fuisti *Cephas;* sed non tu ipse eris *Cephas* sive saxum Ecclesiae meae, verum alius omnino erit rupes, super qua aedificabo Ecclesiam meam. Qui sensus si verus esset, iure sane Petrus Christo reponere potuit: Quare igitur Cepham iam pridem dixisti et modo rursus dicis me, non illum alium, qui revera futurus est Ecclesiae Cephas? Et eo magis quidem Petrus id respondere potuit, quod nec ab hominibus, nec, et multo quidem minus, a Deo sine certa causa et sapienti consilio nomina data immutantur novaque imponuntur. Sane quoties in S. Scriptura Deus nova nomina imposuisse legitur, id fecit ad significanda magna beneficia ac privilegia concessa iis, quorum nomina mutavit, ut Abrahae, Sarae, Iacobi aliorumque exemplis constat. Ergo procul dubio etiam Simoni nomen Petri propter eiusmodi causam datum est; et Christus Mt 16, 18 alloquens Petrum id non vult negare, sed quam maxime comprobare [2]; negaret autem, si

verba illa *Hanc petram* ad ipsum Petrum referri debere." De recentioribus protestantibus hac in re cum catholicis consentientibus cf. infra p. 76 sq.

[1] Ita Glassius, Philol. sacra, Lipsiae 1725, l. 3, n. 2, p. 713 sq.

[2] Card. Du Perron (Réplique à la réponse du roi de la grande Bretagne, Paris 1633, l. 1, ch. 56, p. 465) recte observat, omnes allusiones ad nomina vel *confirmationis* esse vel *correctionis*. Allusiones confirmationis illae dicuntur, quibus confirmatur aut probatur nominis impositio, quod alicui primum datum est, ut cum Vopiscus vocat imperatorem Probum *vere probum*, et imperatorem Carum *vere carum* etc. Allusiones autem correctionis illae sunt, quae fiunt ad reprehendendum aliquem, eo quod immerito nomen gerat sibi impositum. Haec autem correctio duplici ratione fit: aut scil. per negationem et antithesim, uti cum Noemi dixit: *Non vocetis me Noemi*, i. e. *pulchram, sed vocate me Mara*, i. e. *amaram*; aut

super hoc saxo aedificabo Ecclesiam meam. Etenim Syri nullam habent agnominationem; unde utrobique saxum sive Cepha in suo sermone Christus ponere debuit. Graece porro saxum dicitur *πέτρος* et *πέτρα* promiscue in masculino et femineo genere usurpatum. Haec graeco interpreti ratio fuit, cur uno loco *πέτρος*, alio *πέτρα* collocaverit. Quoniam enim id lingua ferebat, masculinum genus Petri personae, femineum vero rei, quae significabatur, accommodavit[1]. Posset etiam cum Grotio affirmari, ideo Matthaei interpretem mutasse genus, quia nimirum *πέτρος* usitate non significabat, quod intendebat Christus, videlicet saxum tale, super quo aliud aedificari soleat, atque idcirco posuisse *πέτρα*. Interim latinus interpres secutus est graecum. Versiones syriaca Peshittha, arabica, aethiopica, persica habent utrobique *petram*[2].

---

scimus; 4. Tatiani harmonia evangeliorum, quae antiquissimo tempore valde usitata erat in Syria, in syriaco textu ad nos non pervenit; versio autem arabica loco Mt 16, 18 habet: „Et ego dico tibi, quia tu es petra, et super hanc petram“ etc., ita ut utroque loco idem vocabulum redeat (Tatiani Evangeliorum Harmoniae, arabice ed. Aug. Ciasca, Romae 1888, c. 23, p. 42 [lat.], p. 91 [arab.]). In S. Ephraemi commentario in Tatianum (armenice tantum servato) textus Mt 16, 18 non integre recitatur, ita ut quid hoc loco Tatianus habuerit, ex Ephraemo nequeat dignosci; 5. ex versionibus syrorum posteriorum haereticorum Philoxeniana (vel potius charklensis) versionem Peshittha ita mutat, ut ubi graecus textus habet *Πέτρος*, retineat graecum nomen Petros (ܦܛܪܘܣ), in locum vero graeci *πέτρα* ponat vocabulum ܫܘܥܐ. Vox igitur „kepha“ ibi omnino vitatur, ita ut legatur ܐܢܬ ܐܝܬܝܬ ܦܛܪܘܣ ܫܘܥܐ ܡܬܦܫܩ ܘܥܠ ܗܢܐ ܫܘܥܐ ܐܒܢܝܗ ܠܥܕܬܐ ܕܩܕܫܝܢ. Additur tamen in margine: ܦܛܪܘܣ ܫܘܥܐ ܡܬܦܫܩ, i. e. „Petrus petra exponitur“ (Sacrorum evangeliorum versio syriaca Philoxeniana .... nunc primum edita, cum interpretatione et annotationibus Iosephi White I, Oxonii 1778, 81); 6. Evangeliarium denique Hierosolymitanum, quod primus edidit F. Miniscalchi Erizzo, et ipsum loco graeci *Πέτρος* retinet ܦܛܪܘܣ, graecum *πέτρα* cum Peshittha vertit ܟܝܦܐ (Bibliothecae syriacae a P. de Lagarde collectae, quae ad philologiam sacram pertinent, Gottingae 1892, 293).

[1] Cercia, Tract. de Rom. Pontifice[3] 9 sq.

[2] Cf. Waltoni Polyglottam V, Londini 1657, 81. Persica versio, quae utique ante saec. VIII ac fortasse XVI non exstitit, energice reddit: Et ego dico tibi, tu es petra religionis meae, et fundamentum Ecclesiae meae super te exstructum erit, et portae inferi illam non destruent. „Notandum est“, ut ait Gravius in Waltoni Polyglotta, „Persicum hunc interpretem (quisquis fuerit) ea quae ad D. Petri laudem et honorem spectant multum verbis ornare et amplificare“ (ib. VI, Londini 1659, tract. 7, p. 59). Diversitatem vocum „Petrus“ et „Petra“ in rem suam iam Zwingli convertere studuerat (Opera, ed. M. A. Schuler et I. Schulthess, 6 vol., Turig. 1822—1844, T. I, p. 321): „In Germanico lapsus facile fieri potuit: Uff den velsen; sed Latina [!] omnem dolum et dubitationem excludit, dicit enim: Super hanc petram, non super hunc Petrum.“ Similiter etiam hoc saeculo Wieseler (Chronologie des apostolischen Zeitalters, Göttingen 1848, 585): „Die gegnerische Meinung der *Identität* des durch beide Ausdrücke bezeichneten Begriffs hätte mindestens durch die Wendung *σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ τοῦτον τὸν Πέτρον κτλ.* angedeutet werden müssen. Indem der Evangelist die nämliche Form gebraucht, zeigt er an, daß er den *persönlichen* Fels Simon meine ..., und wenn er nun im Gegensatz dazu die weibliche Form setzt, so muß er einen sächlichen Fels meinen, nämlich ... das dem Herzen von Gott versiegelte Bekenntnis, daß Jesus der Christus, der Sohn Gottes sei.“ Contra vel ipse Faust. Socinus (Bibioth. Fratr. Polonor. I, Irenopoli „post a. 1656“, 334) fassus est: „Non dubitamus affirmare,

Itaque pronomen demonstrativum *hoc* nihil aliud indicare potest quam Cepha prius nominatum.

Neque obstat, quod pronomen οὗτος, *hic,* aliquando ad remotiora refertur [1]. Hoc enim non contingit, nisi quando aliquid est praecipuum sermonis obiectum, et brevis tantum sermo de alia re incidit; tunc enim pronomen οὗτος praecipuum sermonis obiectum, tametsi remotius, menti tamen loquentis tamquam praesentissimum respicit; quod ex ipsis locis a Glassio laudatis Io 6, 50 et Act 4, 11 evidenter patet. Iam vero nostro loco praecipuum sermonis obiectum est ipse Petrus, ideoque οὗτος ad alium quam ad ipsum referri nullatenus potest. Sensus ergo idem est, ac si Christus dixisset: tu es petra, super *quam* aedificabo. Pronomen tamen demonstrativum maiorem emphasim habet, quasi Christus dixerit: super *hanc* et non super *aliam* petram. Quare ex hoc quod Christus non dixit ἐπὶ σέ, aut ἐπὶ σὲ τὴν πέτραν, sed ἐπὶ ταύτην τὴν πέτραν, nullatenus, ut loco laudato Wieseler vult, sequitur, de alia petra a Petro diversa Christum loqui.

β) Idem confirmatur ex impositione nominis Petri Io 1, 42 et Mc 3, 16. Christus enim Mt 16, 18 manifeste alludit ad nomen Petri Simoni prius impositum, rationem reddens, cur ei illud nomen dederit, ergo ipsum Petrum dicit hic petram Ecclesiae. Nam si promissio Mt 16, 18 non ad Petrum referenda esset, Christus eum quasi ludibrio habuisset; sensus enim ipsius orationis tunc esset: tu quidem a me agnominatus fuisti *Cephas;* sed non tu ipse eris *Cephas* sive saxum Ecclesiae meae, verum alius omnino erit rupes, super qua aedificabo Ecclesiam meam. Qui sensus si verus esset, iure sane Petrus Christo reponere potuit: Quare igitur Cepham iam pridem dixisti et modo rursus dicis me, non illum alium, qui revera futurus est Ecclesiae Cephas? Et eo magis quidem Petrus id respondere potuit, quod nec ab hominibus, nec, et multo quidem minus, a Deo sine certa causa et sapienti consilio nomina data immutantur novaque imponuntur. Sane quoties in S. Scriptura Deus nova nomina imposuisse legitur, id fecit ad significanda magna beneficia ac privilegia concessa iis, quorum nomina mutavit, ut Abrahae, Sarae, Iacobi aliorumque exemplis constat. Ergo procul dubio etiam Simoni nomen Petri propter eiusmodi causam datum est; et Christus Mt 16, 18 alloquens Petrum id non vult negare, sed quam maxime comprobare [2]; negaret autem, si

verba illa *Hanc petram* ad ipsum Petrum referri debere." De recentioribus protestantibus hac in re cum catholicis consentientibus cf. infra p. 76 sq.

[1] Ita Glassius, Philol. sacra, Lipsiae 1725, l. 3, n. 2, p. 713 sq.

[2] Card. Du Perron (Réplique à la réponse du roi de la grande Bretagne, Paris 1633, l. 1, ch. 56, p. 465) recte observat, omnes allusiones ad nomina vel *confirmationis* esse vel *correctionis.* Allusiones confirmationis illae dicuntur, quibus confirmatur aut probatur nominis impositio, quod alicui primum datum est, ut cum Vopiscus vocat imperatorem Probum *vere probum,* et imperatorem Carum *vere carum* etc. Allusiones autem correctionis illae sunt, quae fiunt ad reprehendendum aliquem, eo quod immerito nomen gerat sibi impositum. Haec autem correctio duplici ratione fit: aut scil. per negationem et antithesim, uti cum Noemi dixit: *Non vocetis me Noemi,* i. e. *pulchram, sed vocate me Mara,* i. e. *amaram;* aut

particulae *et* non postulatur, sed excluditur, id quod vel ipse protestans Camero in hunc locum iam dixit.

Nec opponere licet, si Petrus sit illa petra, super quam Christus Ecclesiam suam aedificaverit, deficiente Petro in atrio principis sacerdotum defecisse Ecclesiam. Nam quo tempore Petrus Christum negabat, proprie nondum aedificata erat Ecclesia, sed eius tantum initia posita; neque probari potest, eam iam tunc dono immutabilitatis, sive ut theologi loquuntur, indefectibilitatis fuisse ornatam [1]. Deinde vero prorsus negandum est, iam tunc Ecclesiam super Petrum aedificatam fuisse. Non enim Christus dixit: „Super hanc petram aedifico", sed „aedificabo". Ergo tunc temporis Petrus nondum erat petra Ecclesiae, sive super quam ipsa iam tunc aedificata erat, sed super quam postea aedificanda fuit.

δ) Petro *soli* promissa esse, quae promittit Christus Mt 16, 18, indirecte ex eo patet, quod nulla alia horum verborum explicatio sustineri potest. Qui enim negarunt, petram esse Petrum, affirmarunt, eam esse vel Christum, vel fidem confessionemve fidei, vel omnes simul apostolos vel denique christianorum multitudinem. Iam vero

α′) *petra hic non intelligitur Christus.* Nemo enim, qui illa Christi verba audiebat, cogitare potuit de isto sensu, nisi Christus proferendo pronomen „hanc" se ipsum digito vel alio quodam signo indicaverit. Sumere autem, eiusmodi signo Christum se ipsum reapse significasse, nihil nisi vanissimum commentum est, cum sacrae Literae de edito eiusmodi signo nihil omnino referant [2].

Nec possunt adversarii provocare ad Io 2, 19. Non enim Christus alio prius nominato templo de suo corpore inopinato addidit: „Destruite templum hoc" etc., sed simpliciter digito suum corpus demonstrans illa verba protulit. Contra Mt 16, 18 Christus primum Petrum petram compellavit, et deinde repente ad se petrae nuncupationem transtulisset. Unde facile retorquetur argumentum. „Si enim, ut apud Matthaeum, Christus e. g. conversus ad templum Hierosolymitanum apostrophe quadam dixisset: hoc est templum, et ego hoc templum aliquando destruendum tribus diebus reaedificabo, nemo non intellexisset vel explicaret totam Christi propositionem de templo Hierosolymitano, ex illo antecedente: hoc est templum; et in nullius mentem veniret suspicio de templo corporis Christi; sic igitur in nostra apud Matthaeum." [3] Adde praeterea, ne quis dubitaret, utrum illud Io 2, 19 Christi dictum de ipsius corpore intelligendum esset, evangelistam clare admonuisse v. 21 scribendo: „Ille autem dicebat de templo corporis sui." Multo igitur etiam magis loco Matthaei simili admonitione opus fuisset, si petrae nomen de Christo ipso explicandum esset; nihil autem tale ibi additum legimus. Insuper accedit, ut si verba praedicta ad Christum referrentur, sententia adversativa evaderet; quapropter Christus, si digito se indicasset, dicere debuisset: *super hanc autem,* seu graece: ἐπὶ δὲ ταύτῃ, non autem: *et super*

[1] Murray III 456 sqq.

[2] Vosen, Der Katholizismus und die Einsprüche seiner Gegner[3], Freiburg 1885, 48 sq.

[3] Cercia 28.

hanc, seu graece: καὶ ἐπὶ ταύτῃ. Quinimmo tunc „inepta foret et irrisoria redditio Christi, si remuneraturus Petrum dixisset: tu es Petrus, at non super te, sed super me aedificabo Ecclesiam meam." Denique „ne subiectum immediate expressum nomine petrae intelligatur Christus, prohibet quoque forma verbi futuri *aedificabo;* si enim de se loqueretur Christus, non diceret *aedificabo,* sed *aedifico;* iam enim supra se, qui erat a se ipso petra, aedificare inceperat Ecclesiam suam" [1].

Neque opponi potest, quod Paulus 1 Cor 3, 11 scribit: „Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus." Christus, utpote Ecclesiae auctor et summum caput, profecto iure primarium eius fundamentum dicitur, sed inde non sequitur, Petrum *secundarium* et *visibile* Ecclesiae fundamentum constitutum non fuisse. Ipse Paulus aliis praeter Christum rationem fundamenti attribuit, dum Eph 2, 20 christianos dicit superaedificatos super fundamentum apostolorum et prophetarum, vi ac virtute veri fundamenti a Christo dotatum, discernitque fundamentum primarium, quod est Christus, a secundario, quod sint apostoli, per haec verba, quae protinus subiungit: „ipso summo angulari lapide Christo Iesu". Dici autem revera ipsos apostolos hic fundamentum, quatenus Christi doctrinam hominibus praedicarunt, manifestum est ex eo, quod Christus ipse, non eius doctrina tantum dicatur protinus lapis angularis, sive lapis, super quo fundamenta construantur. — Praeterea apostolus illis ad Corinthios verbis nihil aliud dicit, quam posse quidem fundamento a se penes ipsos iacto superaedificari, sed neminem praestare posse, quod ipse Paulus fecerit, scil. novum ponere fundamentum, cum non esset alius Christus praedicandus praeter eum, quem Paulus praedicaverat, nec alia eius doctrina annuntianda. Patet igitur ex contextu, „loqui Paulum de fundamento principali, de primaria scil. basi fidei, spei et dilectionis nostrae, quae certe praeter unum et unicum Christum nequit alia exstare. Hinc non excluditur, ut Ecclesia habeat aliud sui fundamentum secundarium, quod a Christo ipso soliditatem accipiat et ad sustentandam inter homines visibiles visibiliter ipsam veram fidem, spem et dilectionem valeat" [2], quemadmodum ex eo, quod Christus Io 8, 12; 9, 5; 12, 46 semetipsum mundi lucem, praecipuam utique et primitivam, dixit, non sequitur falsum esse, quod ad apostolos dixit (Mt 5, 14): „Vos estis lux mundi." Tamquam huiusmodi autem fundamentum secundarium Christus Mt 16, 18 Petrum, non vero se ipsum constituit. Christus igitur, si metaphoram petrae sive rupis retineamus, dicendus est esse terra vel mons, in quo ceu suo sustentaculo et fulcro illa rupes posita est, quae *proximum, visibile* et *proprie dictum* Ecclesiae fundamentum sit.

β′) Petra illa non est Petri fides vel fidei confessio. Qui ex adversariis hanc interpretationem sequuntur [3], rem non ita concipiunt, ut

---

[1] Palmieri 300. [2] Cercia 26.

[3] Etiam hodie non desunt, qui hanc interpretationem sequuntur. Sic v. g. Wilh. Schmidt (Christliche Dogmatik II, Bonn 1898, 479) dicit: „Die Kirche ist die Gemeinschaft der Christgläubigen. Der Christusglaube (Mt 16, 16) ist der Fels, der sie hält, mit dem sie steht und fällt." R. Sohm (Kirchenrecht I, Leipzig 1892, 38) dicit: „Das Bekenntnis des Glaubens an Christum, den Sohn des lebendigen Gottes, ist der Felsen, auf welchen die Kirche gegründet ist" (cf. ib. 489). A. Edersheim (The life and times of Jesus the Messiah II[5], London 1890, 83)

Petrus ipse propter fidem suam et cum fide sua, i. e. Petrus credens et confitens fundamentum Ecclesiae dicatur; sed excludentes personam Petri, in sola fide faciunt Christum hoc loco Ecclesiam aedificare. Quorum alii significari hic volunt fidem obiectivam, i. e. obiectum quod confessus est Petrus, scil. divinitatem Christi, ita ut Christus dixerit, divinitatem suam fore Ecclesiae fundamentum; alii intelligunt fidem subiectivam vel fidei externam confessionem, ita ut in fide christianorum instar Petri in Christum credentium et eum confitentium Ecclesia dicatur exstrui. At hic si sensus esset, Christus non dixisset: *aedificabo* Ecclesiam meam, sed vel *aedifico* vel *aedificavi,* quia iam aedificata erat eo sensu, quod tunc temporis iam plures Christi divinitatem et doctrinam credebant, uti v. g. beatissima ipsius mater Maria. Deinde „fides non potuit vocari petra, nisi hoc nomine ex usu loquendi vocari solebat, vel nisi vocabulum ‚petra' iam institutum fuerat ut alterum nomen fidei ab eo, qui eiusmodi nomina imponendi auctoritatem habuit, ut reges solent aliquando nova nomina urbibus et aliis rebus vel etiam personis indere. . . . Iam vero vocabulum ‚petra' nec ex usu nec ex institutione significat ‚fidem' sive obiectivam sive subiectivam: non ex usu, nullibi enim in universa Scriptura vel extra eam exstat vel unum exemplum istius usus; non ex institutione, nullibi enim exstat vestigium huius institutionis." [1]

Sicuti igitur, si quis, antequam nomen Cephae a Christo Simoni promissum vel inditum erat, dixisset: Cephas fiet apostolus Christi, nemo intelligere potuisset, quis eo nomine indicaretur, utrum Simon an aliquis alius; ita etiam nostro loco nulli in mentem venire potuit, nomine Cephae sive petrae designari directe Petri fidem, sive subiectivam sive obiectivam, ut talem sive formaliter acceptam; ergo nec Christus eam illo nomine significare voluit, quamquam fides ista in Christi divinitatem est utique reliquarum revelationis christianae veritatum velut basis ac fundamentum. Ludunt igitur, qui fidem in Christi divinitatem propterea hic intelligendam esse contendunt, quod haec fides sit praecipua Novi Testamenti veritas, alibi vero in S. Scriptura non habeatur exemplum analogum, quo probetur, Christum Ecclesiam super *Petrum* ut petram aedificare voluisse [2]. Quod enim illis probandum erat, fidem in Christi divinitatem vocari alibi in S. Scriptura simpliciter *petram,* et hinc etiam hoc loco eam intelligi saltem posse, probare prorsus omittentes argumentum aliud, quod omnino alienum et invalidum est, afferre malunt. Ergo non fides per se sola, sed Petrus ipse Christi divinitatem credens et confessus intelligi debet. Per synecdochen tamen Petri confessio vel fides petra Ecclesiae eatenus dici potest et totius orationis contextae habita ratione debet, quatenus *propter* illam fidem et confessionem Petrus

---

textum sic explicat: „Thou art Peter (Petros) — a Stone or Rock —, and upon this Petra — the Rock, the Petrine — will I found my Church. If therefore we would not entirely limit the reference to the words of Peters confession, we would certainly apply them to that which was the Petrine in Peter: the heaven-given faith which manifested itself in this confession."

[1] Murray III 378. [2] Cf. Wieseler l. c. 585; Sohm l. c.

Ecclesiae fundamentum constitutus est, ita ut Petri fides *causaliter*, Petrus vero ipse *formaliter* Ecclesiae fundamentum sit. Hoc loquendi modo qui utitur, catholicae interpretationi non repugnat. „Dum enim Petri fides aut fidei confessio Ecclesiae fundamentum a Christo constitui dicitur, fides aut fidei confessio designatur esse causa, ob quam electus sit Petrus." [1]

γ') *Nec petra sunt omnes apostoli.* Nam imprimis valet etiam hic ratio modo allata; nec enim ex usu nec ex institutione vocari potuit apostolorum collegium nomine petrae. Praeterea probari nequit, Petrum aliorum apostolorum vel etiam Ecclesiae nomine tamquam oratorem, qui provinciam pro omnibus respondendi ab illis accepisset, divinam Christi dignitatem professum esse[2]. Nam tantum abest, ut vel in natura rei ipsius vel in verbis huius loci eiusque oratione contexta quicquam sit, quod istam provinciam Petro ab aliis demandatam demonstret, ut contrarium plane appareat. Nam iure opponitur, quod „repugnant *antecedentia;* cum enim Christus omnes indiscriminatim interrogavit, omnes item indiscriminatim respondisse e verbis Matthaei v. 14 constat: *οἱ δὲ εἶπον*. Mos igitur apostolis non erat, ut in communi causa suas Petro partes committerent. Repugnant *consequentia*: cum Christus accepta Petri responsione non *omnes apostolos,* sed ipsum unum (v. 17) *μακάριον*, felicem fortunatumque, praedicarit. Omnes vero *μακαρίους* dixisset, si Petri responsio non eius propria, sed omnibus communis exstitisset." [3] Neque vere soli coelestis Patris revelationi tribueretur, quod a ceteris apostolis in unam eandemque responsionem conspirantibus Petrus accepisset, ut communi omnium nomine responderet.

Quod autem Petrus Io 6, 69 70 Christo omnes apostolos interroganti eorum nomine solus respondisse legitur, non modo nihil nostrae sententiae obstat, sed eam etiam confirmat. Nam et Petrus cum dicit: „Ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes; et *nos* credimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei", ipse se omnium nomine loqui clare indicat, et Christus id declarat, dum respondit *„iis"*, atque insuper monet, Petri responsum non esse verum de omnibus, cum Iudas idem non credat. Econtra loco Mt 16, 18 Christus non dicitur respondisse *iis,* sed *„ei"*, Petro nimirum soli.

Apostolorum collegium a Petro tunc repraesentatum fuisse eatenus tamen dici potest, quatenus vel gloria confessionis eius in illos quoque redundavit, vel ipse fidem, quam illi habuerunt, magis claram et firmam habuit atque incunctanter et intrepide professus est, vel quatenus illi eius confessionem ratam habuerunt. Petrum igitur hoc loco fuisse „os apostolorum", vel „respondisse pro omnibus", eatenus

---

[1] G. Wilmers, De Christi Ecclesia 153. Cf. Palmieri 321. — Synecdoches illa figura notissima est; cf. v. g. S. Basilii verba: „Nam tabulas, quas ieiunium [i. e. Moyses ieiunans] impetrarat conscriptas digito Dei, ebrietas comminuit [i. e. ebrietas ratio erat, cur comminuerentur]" (MG XXXI 169).

[2] Ita v. g. Wieseler l. c. et iansenista Tamburini, Praelect. de Ecclesia Christi P. 3, p. 15 sq.

[3] Passaglia, Comment. de praerog. b. Petri 385.

dici potest, quatenus „respondet, quod etiam ab aliis respondendum erat. . . . Personam ergo reliquorum gessit Petrus, ut primarius quilibet causam agit aliorum, quorum supplet defectum. Hinc autem sequitur, ut respondendo eminet Petrus, ita eundem et eminere remuneratione accepta.“ [1] Nullo tamen modo dici potest, eum non suo nomine et merito proprio ac singulari nec ex revelatione sibi propria, sed ut ab aliis delegatum et ex communi omnibus facta revelatione illam suam professionem edidisse.

Ceterum etiamsi daretur, Petrum omnium apostolorum nomine Christo respondisse, tamen minime sequeretur, illud quod Petro in praemium datum est, omnibus datum esse. „Promissio enim muneris“, ut ait Franzelin[2], non est promissio *mercedis debitae* omnibus, qui forent in eadem dispositione; sed professio fidei non potest concipi nisi ut dispositio *congrua*, cui gratuito et evidenter non in omnibus, sed in solo Petro, cum clara distinctione ab omnibus aliis repromittitur (ut donum gratis datum) munus petrae et fundamenti Ecclesiae totius.“ Scite etiam in hanc rem scribit Wiggers[3]: „Si rex aliquis casum proponeret collegio doctorum simul congregato, et unus ex illis principalior ac praestantior doctrina et ingenii promptitudine responderet ex tempore cum plena satisfactione interrogantis; quam resolutionem ceteri collegae collaudarent, licet fortassis ab initio iis non occurrisset, et tum audita responsione princeps ei, qui respondisset, diceret: ego te constituam cancellarium regni mei, nemo existimaret, promissionem illam ex aequo concernere omnes doctores illius collegii, etsi is, qui primus diceret sententiam, modo quodam omnium nomine respondisse dici possit.“

Quod autem quidam opponunt, verba Christi „super hanc petram“ significare posse: *super talem petram,* ut adeo his verbis praeter Petrum respiciantur quoque „apostoli reliqui“, nullatenus admitti potest. Pronomen enim demonstrativum hunc sensum neque apud Hebraeos neque apud Graecos per se habet; si tamen aliquando habet, non ipsius natura, sed natura rei, de qua agitur, eum postulat. Glassius[4], qui hoc pronomen aliquoties id significare censet, duos locos affert, quorum prior est Dt 5, 29, quem ipse ad verbum ita transfert: „Utinam esset cor tuum istud ad timendum me“ etc.; alter vero est 2 Io v. 7: „Hic (οὗτος) est seductor et antichristus.“ Manifestum autem est, in his locis non pronomen per se, sed per naturam rei, de qua agitur, facere, ut *talis* pro demonstrativo pronomine in translatione substitui possit, et sive substituitur sive non, sensum omnino eundem manere. Enimvero οὗτος generatim tantum significationem *talis* habere potest, quando nomen, ad quod refertur, exprimit rem vel rei qualitatem modo generalem vel modo cogitatione spectatam, non vero, quando rem singularem et revera exsistentem denotat. Iam vero loco Mt 16, 18 οὗτος refertur ad rem singu-

[1] Wilmers 152. [2] Theses de Ecclesia 129.
[3] Tract. de Pontif. n. 36 (Comment. in 2, 2 S. Thomae, Lovanii 1630, 38).
[4] Philol. sacra, Lipsiae 1725, 710.

larem et exsistentem, scil. S. Petrum; ergo *talem* hoc loco neutiquam significare potest. Verum etiamsi concederetur, Christum dixisse: *super talem petram*, h. e. super petram tam firmam, qualis tu es, et per se et propterea, quod Christi verba v. 17 ad solum Petrum directa aliorum apostolorum consortii ne minimam quidem mentionem faciunt, neminem tamen alium huius petrae nomine quam ipsum Petrum intelligere liceret.

Afferuntur etiam aliqui *medii aevi scriptores*, qui omnes apostolos fundamentum Ecclesiae esse ex Mt 16, 18 concludere dicuntur [1]. Qui si revera hunc locum ita intellexissent, nihil nisi eos errasse sequeretur. Sed praeterea *omnes* apostolos fundamentum esse iis qui afferuntur locis revera ita videtur concludi, ut pro solo Petro afferatur Mt 16, 18, pro reliquis apostolis id concludatur ex variis aliis S. Scripturae locis, mystice plerumque ac pie interpretatis et accommodatis. Quod inspicienti singula patebit. Explicans versum „*Lapides* pretiosi omnes muri tui" ex officio dedicationis Ecclesiae Remigius Antissiodorensis [2] initio saeculi X dicit eos, qui divinitus inspirati S. Scripturas conscripserint, propter invincibilem firmitatem *lapides* vocari, „quorum *uni* dictum est: tu es Petrus" etc. Quod vero abbas Smaragdus [3] scripsit: „Initium creaturae rationabilis angeli in coelo . . ., et in Ecclesia . . . apostoli sunt; nam *uni* eorum dicitur: tu es Petrus", vere dictum est. Nam si Petrus est fundamentum, est etiam initium aedificii, cuius dignitatis expertes esse non possunt, qui cum Petro arctissime coniunguntur. Vere item Gerardus [4] presbyter explicans Apc 21, 14 dicit: „Haec positio duodecim lapidum figurat firmitatem apostolorum, qui in fundamento Ecclesiae sunt positi, sicut Salvator mundi beato dixit Petro: tu es Petrus" etc. Haec dicendo *ad Petrum* omnibus notum fecit apostolis, quod *super eos* esset Ecclesia sua aedificanda." S. Martinus Legionensis [5] vero saeculo XII: „Qui [apostoli], inquit, a Christo, qui petra dicitur (1 Cor 10), petrae vocantur. Unde et *Petro donavit*, ut petra vocaretur, *in cuius sensibus requiescentes* recte dicuntur translati de petra." A quo si quaesiveris, ubi apostoli vocentur petrae, non te remittit ad Mt 16, 18, sed ad Ier 16, 16: „De cavernis petrarum", quem locum mystice explicat. Rupertus Tuit. [6] scripsit: „Super fidem illorum [apostolorum] fundata est Ecclesia Dei; verumtamen ita, ut fundamenta ipsorum Christus sit. Denique ab hoc fundamento unico ipsi fundamenta sic dicuntur, quomodo unus idemque primus eorum a petra, quae sine dubio Christus est, dictus est Petrus. . . . Etenim quaecumque scripserunt, quibus videlicet scriptis eorum, tamquam fundamentis, universum fidei christianae et doctrinae ecclesiasticae innititur aedificium, non de suo scripserunt, sed de plenitudine Agni acceperunt. . . . Apostoli per *fidem et doctrinam fundamenta* erant gloriosae civitatis Dei." Rupertus igitur videtur potius Eph 2, 20 quam Mt 16, 18 respexisse. S. Petrus etiam Damianus iniuria huc trahitur. Sermonem habens de S. Ioanne, ut eius dignitatem explicet, comparat eum cum S. Petro. Petro commisisse dicit Christum claves Ecclesiae, quae est mater christianorum, Ioanni custodiam Mariae, matris Christi. Petrus fuit clavicularius coeli; idem valet quodammodo de apostolo, cui custodia Mariae, quae fuit quasi coelum quoddam, erat tradita. Sic etiam postquam ex Mt 16, 18 probavit, Petrum fuisse petram, pergit [7]: „Petra quoque factus est Ioannes, supra cuius fidei fundamentum totius Ecclesiae structura consurgit", quia scil. in evangelio suo divinitatis Christi tam egregium testimonium reliquit. Paucis interiectis addit: „Nec mirum, si instar Petri et Ioannes petra dicitur,

---

[1] Langen, Vatik. Dogma II 31 sq.
[2] De dedicat. Ecclesiae (ML CXXXI 860).
[3] Collect. in Ep. et Ev. (ML CII 295).
[4] Vita S. Udalrici August. Episc. n. 9 (ML CXXXV 1029).
[5] Serm. 27 de temp. (ML CCVIII 999).
[6] In Apoc. l. 12, c. 21, v. 14 (ML CLXIX 1197).
[7] Serm. 63 (ML CXLIV 862).

cum haec ad Ezechielem Dominus dicat: ... (Ez 3, 8). Damianus igitur Mt 16, 18 ad solum Petrum applicat.

δ') Petra illa non est christianorum multitudo. Ne enim repetam, Christum illis verbis solum Petrum allocutum esse, fidelium multitudo iam ideo per petram designari non potest, quia a Christo dicitur Ecclesia, quae super petram aedificetur; ergo si petra illa esset ipsum omnium fidelium corpus, Ecclesia super se ipsam aedificaretur: quod sane repugnat. Praeterea „si omnes fideles sunt ista petra, super quam fundatur Ecclesia, omnes erunt fundamentum; si omnes fundamentum, ubi erunt parietes et tectum huius aedificii? quemadmodum, si totum corpus oculus, ubi auditus, ubi cetera membra?“ [1]

Atque haec de ista quaestione sufficiant[2], praesertim cum ipsi protestantes recentiores ultro concedant, illa verba: „super hanc petram“ de Petro dicta esse, immo eorum plures sincere fateantur, id a maioribus suis non veritatis, sed partium studio negatum esse[3].

---

[1] Bellarminus, De Rom. Pontif. l. 1, c. 10.

[2] Qui plura desiderat, adeat Passaglia 388 sqq et Franzelin 127 sqq.

[3] Sic ut aliquos nominemus, J. G. Rosenmüller (Scholia in Novum Testamentum I, Norimbergae 1792, 306) licet catholicam loci interpretationem non plane admittat, sic ait: „Petra nec est confessio Petri, nec Christus, semetipsum digito vel nutu designans (quas interpretationes nec contextus admittit), sed ipse Petrus. Dominus syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit *Cephas*, quemadmodum gallicum nomen Pierre tam de proprio quam de appellativo dicitur.“ Kuinoel in h. l. post explicationes petrae in Christum et Petri professionem reiectas dicit: „Neque vero ad has contortas interpretationes confugissent interpretes, si non Pontificii e verbis *καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* ad Petrum relatis male ac perperam vindicare voluissent Petri successoribus, h. e. Pontificibus Romanis auctoritatem et praerogativam singularem ac divinam.“ F. W. J. v. Schelling (Philosophie der Offenbarung II, Stuttgart und Augsburg 1858, 301): „Diese Worte Christi [Mt 16, 18] sind völlig entscheidend für den Primat des hl. Petrus unter den Aposteln; es gehörte die ganze Verblendung des Parteigeistes dazu, das Beweisende dieser Worte zu verkennen oder den Worten einen andern als diesen Sinn unterzulegen, wie es übrigens zu allen Zeiten, schon vor der Reformation, versucht wurde.“ H. A. W. Meyer (Kritisch-exegetisches Handbuch über das Evangelium des Matthäus[6], Göttingen 1876, 351): „Ohne Zweifel wird übrigens hier dem Petrus der *Primat* unter den Aposteln zuerkannt, insofern Christus gerade *ihn* persönlich auszeichnet als denjenigen, dessen apostolisches Wirken, zufolge seiner hervorragenden *glaubensfesten* Eigentümlichkeit, die menschlicherseits ... Halt und Bestand gebende Bedingung der von Jesus zu gründenden und weiter zu fördernden Gemeinde sein werde.... Dieser Primat ist unparteiisch zuzugeben, aber ohne die römischen Konsequenzen, da Jesus weder Nachfolger des Petrus im Auge hat noch die Päpste solche Nachfolger sind.... Die oft von der Polemik gegen Rom ergriffene Auskunft, mit dem Felsen sei nicht Petrus selbst, sondern *der feste Glaube und dessen Bekenntnis* von seiten des Apostels gemeint (Calovius, Ewald, Lange, Wieseler), ist unrichtig, da das hinzeigende *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* nach dem eben gesagten *σὺ εἶ πέτρος* nur den Apostel selbst meinen kann, wie ihn auch das folgende *καὶ δώσω* etc. meint, wobei allerdings der Glaube des Petrus es war, um dessen willen er vom Herrn zum Grundfelsen erklärt wurde. Dies Verhältnis liegt auch der Beziehung der Väter auf den Glauben ... zu Grunde.“ Th. Keim, Jesu von Nazara II, Zürich 1871, 552: „Die Einsetzung des Petrus

Certissime igitur constat, omnem Christi promissionem Mt 16, 17—19 contentam directo ad apostolum Petrum eumque solum referendam esse. Quo posito probatur

2. illis Christi verbis Petro primatum iurisdictionis promissum esse a) *ex eo*, quod Petrus est *petra sive fundamentum Ecclesiae*. Dicendo enim: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Christus Petrum *totius* Ecclesiae fundamentum et *verum* eius fundamentum futurum esse promisit. Ergo etiam iurisdictionis primatum in eam Petro promisit.

---

als Grundstein dieser Gemeinschaft schließt den Gedanken ... eines Ersatzmannes und Nachfolgers des zum Himmel Entrückten noch keineswegs mit Bestimmtheit ein. ... Das Regentenamt an Petrus, den ersten menschlichen Herold seines Messiastums, vergab er ohne Einbuße seiner persönlichen Obergewalt in gleichem Sinn, wie er weiterhin eine Zwölfregentschaft der Apostel nannte und zwölf Apostelstühle." C. v. Hase, Geschichte Jesu, Leipzig 1891, 494: „Er [Petrus] war eigentlich kein Felsenmann, und doch ist er durch Christus der Felsen geworden, auf dem sich die erste große Gestaltung der Kirche begründet hat." Et in Handbuch p. 116 dicit: „Das Recht der römischen Auslegung ergibt sich schon aus dem Wortspiel mit dem Namen des Petrus, d. h. des Felsenmannes; nur derselbe kann als der Felsen gemeint sein, auf den Christus seine Kirche gründen will." Addit utique Petri successores esse eos qui credunt. H. J. Holtzmann, Lehrbuch der neutestamentl. Theologie I, Freiburg i. Br. u. Leipzig 1897, 430: „Die berühmte Felsenrede 16, 17 18 ist trotz aller alt- und neuprotestantischen Tendenzexegese auf die Person des Apostels zu beziehen, durch welche nach 7, 24 25 menschlicherseits der Bestand der Ekklesia gesichert erscheint, wie denn auch demselben Petrus 16, 19 sofort die Vollmacht zu binden und zu lösen übertragen wird." Et in eodem libro (I 212): „Wenn 16, 18 ein geschichtliches Wort Jesu ist, so hat, da es sich fragelos auf die Person des Petrus, nicht auf sein Glaubensbekenntnis oder sonst etwas Abstraktes bezieht, die katholische Auslegung mindestens Oberwasser. Und wenn diesem Petrus die Schlüssel des Himmelreiches 16, 19 vor der Gemeinde 18, 18 verliehen sind, so ist jene Auslegung doppelt im Vorteil. Dreifach recht hat sie vollends, wenn die durch den Zusammenhang von 16, 18 und 19 gebotene Identifizierung der *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* mit der *ἐκκλησία* den Sinn Jesu ausdrückt, denn eben dies ist der richtige Kirchenbegriff des Katholizismus." O. Pfleiderer, Das Urchristentum I, Berlin 1902, 604: „Dogma, Moral, Kirchenverfassung der werdenden allgemeinen Kirche, zu allem finden sich die Ansätze in diesem Evangelium. Kirchlich ist seine trinitarische Taufformel ..., kirchlich ist seine Christuslehre ..., kirchlich ist endlich die dem Petrus zugeschriebene Autorität als Fundament der allgemeinen ‚Kirche' und Inhaber der Schlüsselgewalt, dessen Binden und Lösen zum voraus im Himmel sanktioniert wird." (In priore libri editione [1887, p. 541] loco vocis „kirchlich" posuerat vocem „katholisch"; cf. Zeitschr. für kath. Theol. 1902, 188). Idem auctor alibi (Die Entstehung des Christentums, München 1905, 211): „Dieser Ausspruch [scil. Mt 16, 18], dessen geschichtliche Unmöglichkeit im Munde Jesu in die Augen fällt [!], enthält schon den Keim zu dem ‚Primat des Petrus' und zu den von der römischen Kirche daraus abgeleiteten Herrschaftsansprüchen." Sieffert, in Realenzyklopädie für protestant. Theol. u. Kirche XV[3], Leipzig 1904, 193: „Daß Jesus unter diesem Felsen nicht sich selbst (Augustin, Beza, Wolf u. a.), auch nicht das Bekenntnis zu Jesus als dem Christus (Chrysostomus, Melanchthon, Olshausen), sondern die Person des angeredeten Apostels meint, macht die Beziehung zwischen Fels und Felsenmann (was in der ursprünglichen aramäischen Rede Jesu sogar beidemale durch dasselbe Kepha bezeichnet wurde) unzweifelhaft."

α) *Probatur antecedentis prima pars,* qua Ecclesiae *totius* primatum Petro promissum esse affirmatur. Sane id adeo certum et planum est, ut a nullo fere nisi a Dodwell[1] negatum sit. Qui non tam argumentis quam coniecturis suadere studuit, verbis *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν* designari non universalem, sed *certam ac particularem* Christi familia praefiguratam *ecclesiam,* quae ceterarum omnium archetypus foret atque exemplar. Quae opinio quam falsa sit patet. Quotiescumque enim Ecclesiae vocabulum in Novi Testamenti scripturis de christianorum coetu *absolute* adhibetur, ita ut neque apposito neque ex contextu ad certum christianorum coetum restringatur, indefinite se extendit ideoque generatim Christi fideles omnes, ubicumque exsistunt, comprehendit, uti 1 Cor 11, 16; 12, 28; Eph 3, 10 21; 5, 24 25 27 29 32; Col 1, 24 et alibi. Si vero illud vocabulum sensu arctiore usurpatur, id aut ex verbis ad eius significationem restringendam diserte adiectis aut e re, de qua agitur, sive, ut dici solet, e materia subiecta facile constat. Ita istius nominis sensus diserte restringitur Act 8, 1; 9, 31 et saepenumero alibi; e subiecta autem materia noscitur illud nomen arctiore sensu accipiendum esse v. g. Act 8, 3; 14, 26; 20, 17. Iam vero Mt 16, 18 Ecclesiae nomen absolute adhibetur nullisque appositis coercetur. Porro „Ecclesia mea" idem significat atque *Ecclesia Christi.* Ecclesia vero Christi simpliciter dicta est Ecclesia universalis.

Atque Ecclesiam totam significari clare etiam patet ex eo, quod Ecclesia, quae Petro ceu fundamento innititur, ea est, cui portae inferi non praevalebunt. Sed haec est *Ecclesia tota,* cum contra particulares ecclesias multas portae inferi iam praevaluerint. Accedit, quod in interpretandis illis Christi verbis non debemus cum Dodwello esse solliciti, quid *antea* iudaei quidve discipuli Christi eousque imperfecti et altiora nondum intelligentes de „domo Domini" existimaverint, sed quid ipse novae legis auctor proprie dixerit ideoque aequum fuerit, ut iudaei et discipuli *in posterum* de ipsius Ecclesia existimarent et crederent. Iis porro verbis usus est Christus, quae, ut vidimus, Ecclesiam *simpliciter* et *absolute* exprimunt totumque eius regnum repraesentant; unde Petro pollicitus est fore, ut ipse petra esset sive fundamentum totius christianorum multitudinis.

β) *Probatur iam antecedentis altera pars,* Petrum *verum* fundamentum Ecclesiae constitui. Multi scil. protestantes contendunt, Petrum fundamentum eatenus tantum fuisse, quatenus primus tum iudaeis (Act 2, 14) tum gentilibus (ib. 10, 27) praedicaverit primosque Christi asseclas in Ecclesiam admiserit[2]. Hac enim ratione initium eum fecisse aedificii, quod est Ecclesia, aedificandi eiusque fundamenta posuisse. Sed

[1] Dissert. Cyprianicae, London 1684, 7, § 38, 11—42.

[2] Similem sententiam defendit Th. Zahn, Das Evangelium des Matthäus [2], Leipzig 1905, 546.

α′) sat frigida fuisset Christi oratio, si emphasi tantoque verborum apparatu nullum aliud praemium Petro pollicitus esset, quam ut primus evangelium praedicaret. Praeterea

β′) si Petri praedicationem Christus spectasset, dicendum ipsi fuisset: *per te,* i. e. per tuam praedicationem, per tuos labores, non: *super te* aedificabo Ecclesiam meam. Scil. Christus Mt 16, 18 super Petrum Ecclesiam suam aedificaturum se esse pollicendo, *se ipsum* ut Ecclesiae architectum exhibet, Petro vero *fundamenti* personam ascribit. Quapropter verbis Christi vim inferunt ii, qui Petrum iis architectum Ecclesiae designari autumant. De alio igitur fundamento hic non agitur quam de eo, quod primaria ipsius Ecclesiae pars sit; nec Petro hic assignatur munus, quod cum ceteris apostolis illi commune est, praedicatione aedificandi Ecclesiam, sed muneri singulari hic praeponitur, quod ipsi soli competit.

γ′) „Notio fundamenti continet necessario notionem stabilitatis; aliquid scil. stabile et perseverans est fundamentum, manet enim fundamentum, ut aedificium maneat. At praedicatio prima Petri fuit actus transiens; mansit quidem doctrina, sed prima praedicatio, quae actus fuit, transiit prorsus, praerogativa ergo haec prioritatis praedicationis non respondet imagini fundamenti. Sane fundamento deficiente corruit aedificium, at desinente prima illa praedicatione Petri Ecclesia perseveravit.“ [1] Quod igitur primus et iudaeis et gentibus praedicavit Petrus, effectus est primatus promissi, non ipse ille primatus. Denique

δ′) portae inferi adversus Ecclesiam ex Christi promisso *ideo* non praevalebunt, *quia* exstructa est in firmissimo fundamento. Hoc enim modo loco Mt 16, 18 Ecclesiae ad fundamentum suum relationem concipiendam esse evincitur tum ex natura rei, quia generatim omnis fundamenti ea est ratio, ut aedificio in eo exstructo tribuat firmitatem, tum ex verbis Mt 7, 24, quibus fundamenti et aedificii relationem Christus diserte explicat. Ergo etiam Ecclesiam ex eo, quod Petrus est eius fundamentum, firmitatem inconcussam accipere necesse est. Iam vero quaenam firmitas potest illi accrescere ex eo, quod Petrus potius quam alius primus evangelium praedicavit?

Futile omnino est, quod aliqui adversarii dixerunt, nomen Cephae in syriaca lingua significare non rupem vel saxum et lapidem magnum, sed lapillum, qui non esse possit fundamentum aedificii, sed qui in ipso eiusdem muro ponatur. Cephas enim vi sua significat lapidem, petram generatim, et modo quidem adhibetur de lapide magno modo de parvo, uti v. g. de gemmis, quas Ephod continebat. Nostro autem loco illud nomen designare magnum saxum sive rupem evidens est ex hoc ipso, quod Christus se Ecclesiam suam, magnam utique domum, *super* illam petram aedificaturum esse dicit. Insuper quam plurimis Novi Testamenti locis in versione syriaca

[1] Palmieri 308.

legitur Cephas, in quibus est sermo de *magno lapide.* Certe ita adhibetur Cephas Mt 27, 60 bis: „Posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in *petra.* Et advolvit *saxum magnum*"; item ib. 51: „Et *petrae* scissae sunt"; necnon Mc 15, 46: „Et advolvit *lapidem* ad ostium monumenti"; et rursus Mc 16, 3: „Quis revolvet nobis *lapidem* ab ostio monumenti?" Atque eadem vox est etiam bis 1 Cor 10, 4: „Bibebant autem de spiritali consequente eos *petra; petra* autem erat Christus"; et 1 Petr 2, 6: „Ecce pono in Sion *lapidem* summum, angularem." Christus igitur nomine Cephae designavit Mt 16, 18 rupem vel petram, et non lapillum, illisque verbis promisit, Petrum vere totius suae Ecclesiae fundamentum futurum esse.

Antecedens igitur nostrae argumentationis verum est. Probatur iam

γ) *consequens*: *Petro ideo iurisdictionis primatum in universam Christi Ecclesiam illis verbis promissum esse.* Nam cum Petrus dicatur futurum fundamentum Ecclesiae Christi, ea relatio analoga promissa est Petro ad Ecclesiam, quae propria est fundamenti ad aedificium super ipsum exstructum; iam vero relatio fundamenti ad aedificium ea est, ut fundamentum totius aedificii eatenus sit praecipua ac nobilissima pars, quatenus ipsius munus est, ut sit *principium* et *causa* proxima atque efficiens *primum* unitatis aedificii, ita ut per ipsum et in ipso primum ac per se illa unitas efficiatur. In solo enim fundamento et per illud solum congregantur omnes lapides et partes, ex quibus coalescit aedificium; et tametsi eae mutuo etiam inter se coniungantur, eatenus tamen unum aedificium componunt, quatenus super unum idemque fundamentum exstruuntur. *Deinde* fundamentum est principium et causa efficiens *firmitatis,* ita ut aedificium per illud soliditatem et immobilitatem accipiat suamque unitatem conservare possit, utque hinc *denique* aedificium totum adeo a fundamento pendeat, ut ab ipso seiungi sine sui ruina et dissolutione non possit.

Ergo cum Petrus sit Ecclesiae fundamentum, necesse est pariter, eum potiorem nobilissimamque eius partem esse, quatenus nimirum sit *causa ac principium efficiens* tum *unitatis* tum *firmitatis* Ecclesiae. Aliis verbis: solummodo in Petro et per Petrum componitur primitus ac coagmentatur aedificium Ecclesiae atque partes huius aedificii unitatem accipiunt; solummodo in Petro ac per Petrum Ecclesiae aedificium unum atque solidum primario conservatur; denique Ecclesia a Petro ita pendet, ut cum eo semper iuncta sociataque manere debeat, ne cesset esse Christi Ecclesia et ut talis concidat et destruatur. Ista porro Petri ad Ecclesiam relatio sine iurisdictionis primatu Petri cogitari et subsistere plane nequit. Nam ex iis quae diximus est Petri

α') *universam Christi fidelium multitudinem* efficienter ita coniungere, ut omnes eorum coetus sive ecclesiae particulares in unitatem cum inter se ipsae tum praecipue cum ipso Petro tamquam supremo et universali unitatis Ecclesiae centro conveniant; hanc enim unitatem habet aedificium tum in singulis suis partibus, tum praesertim cum fundamento. Atqui haec unitas — in quacumque

tandem re consistat, in quod hoc loco nondum inquirimus — tanta est, ut effici et componi non possit nisi ab eo, qui iurisdictionis primatu polleat. Est enim ea unitas, utpote similis unitati aedificii, manifesto non minor, quam est unitas familiae ac regni atque vel ipsorum membrorum corporis. Iam vero membris corporeis unitas corporis, et membris moralibus unitas familiae, civitatis, regni effici plane nequit nisi in capite et per caput, patremfamilias, regem; notione vero capitis, patrisfamilias, regis continetur primatus non solum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis. Ergo cum quod est pro aedificio fundamentum, idem sit pro corpore caput, pro familia paterfamilias, rex pro regno, Petro autem promissum sit fore, ut fiat totius Christi Ecclesiae fundamentum, promissus eo ipso ei est primatus non solum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis, ita ut Petrus in hoc mundano Christi regno sit rex visibilis, in hac Dei familia pater, in hoc spirituali Christi corpore caput visibile.

Insuper secundum ea quae hactenus diximus, ratio fundamenti pariter postulat, ut super ipso solo lapides aedificii congregentur et ita unum aedificium efficiant; ergo in solo Petro ut fundamento Ecclesiae huius membra et ecclesiae particulares congregari et per Petrum unam Ecclesiam universalem efficere et possunt et debent; id autem impossibile est, si Petrus non habeat supremam potestatem legiferam, iudiciariam, ultricem sive coactivam, ut dici solet, i. e. primatum iurisdictionis. Cum enim Petrus Ecclesiae fundamentum fieri debeat, ipsius est, unitatem Ecclesiae non tantum repraesentare, sed eam reipsa et primario efficere. Iam vero primatus honoris et ordinis non sufficeret nisi ad repraesentandam unitatem; ad efficiendam vero requiritur primatus iurisdictionis, cuius auctoritate et vi saltem morali omnia Ecclesiae membra omnesque christianorum coetus particulares efficaciter cogi possint ad adhaerendum unitatis centro, scil. Petro[1].

Neque opponere licet, Paulum Eph 4, 3 sqq Ecclesiae unitatem repetere ab uno Deo, uno Christo, una fide, uno baptismate etc., non vero ab uno visibili primate, cuius ne mentionem quidem faciat. Paulus enim l. c. motiva proponit, cur fideles debeant „servare unitatem spiritus (i. e. mentium) in vinculo pacis“. Inter haec motiva primum est, quod ex institutione Dei Ecclesia est unum corpus et unus spiritus, quod una fides est et unum baptisma, unus Christus et unus Deus. Quomodo autem efficiatur, ut Ecclesia sit unum corpus, quibus subsidiis servetur unitas fidei, utrum per Petri primatum an alio modo, Paulus non dicit. Addit deinde aliud motivum, cur debeat servari unitas a fidelibus, Deum scil. instituisse apostolos, prophetas, evangelistas, pastores, doctores (v. 11 sqq), omnia autem haec charismata ordinata esse ad unitatem corporis, i. e. Ecclesiae, efficiendam. Certe etiam hoc est motivum, quod movere debeat ad unitatem mentium inter fideles colendam. Cur autem hic non memoretur primatus Petri, haud diffi-

[1] Cf. Cercia 19 sq.

cile explicatur. Nam 1. non omnia munia ecclesiastica apostolus enumerat, omittit etiam diaconos. Pastores generatim tantum memorat, non enumerando varias species pastorum. 2. Apostoli scopus est ostendere, exsistere in Ecclesiae corpore varia organa, quae in uno Christo capite adunentur. Sine longiore explicatione autem non poterat inter haec organa numerari ille, qui et ipse caput est Ecclesiae, licet caput ministeriale sub Christo, capite primario [1].

β') *Sed Petrus* ut Ecclesiae fundamentum non debet tantum eius unitatem efficere, sed etiam unum Ecclesiae aedificium adeo firmum ac stabile reddere et conservare, ut nulla vi dirui valeat. Hoc enim est fundamenti munus, ut aedificio super ipsum exstructo soliditatem et immobilitatem tribuat eamque conservet; ergo multo magis id munus est Petri ut Ecclesiae fundamenti. Christus enim Ecclesiae suae fundamentum firmissimum esse voluit, ut patet praecipue ex metaphora ipsius nominis petrae ceu fundamenti Ecclesiae.

Cum enim aliquis vocatur nomine alicuius rei, v. g. petrae, ita vocatur propter aliquam quae ei inest qualitatem, qua similis est petrae; propter hanc enim similitudinem ipse petra vocatur, cum metaphora nihil aliud sit quam tacitae similitudinis expressio. Ista autem qualitas necesse est sit *insignis* in illa re, cuius nomine aliquis vocatur, et talis quidem, qua vel ex natura sua vel ex usu loquendi hominum vel ex utroque ista res ab aliis eiusdem generis distinguatur. Comparatio praeterea in ista *sola* qualitate (aut etiam numero qualitatum) fieri debet, cum in ceteris qualitatibus maximum inter duos terminos comparationis intercedere possit discrimen. Quae quidem regulae ab omnibus receptae communes sunt omnibus metaphoris. Sic si quis appellatur vulpes, eo nomine significatur, eum esse valde callidum et vafrum; si vocetur leo, intelligitur esse insignis fortitudinis; si angelus, eximiae puritatis, si diabolus, summae impietatis.

Petra porro ex omnium hominum consensu typus est roboris, soliditatis, firmitatis, ideoque nemo vocatur simpliciter petra, nisi possideat qualitates, quae firmitatem et robur aut corporis aut animi, scil. vel voluntatis vel intellectus vel utriusque manifestant, quales sunt fortitudo, sapientia etc., eaeque et tam eximiae sint necesse est, ut hominum admirationem excitent, et adeo constantes, ut qui iis potitur, eas data occasione semper et ubique egregio generatim modo exserat. Si quis enim, etsi multoties se fortem et impavidum exhibuisset, semel tantum ignave se gereret, profecto haud amplius propter fortitudinem petra vocaretur. Iam si metaphora petrae respectu aedificii in ea construendi adhibeatur, tum nomen petrae inicit nobis cogitationem non tantum roboris, sed etiam rei roborantis, firmantis; petra enim aedificii sedes non solum petra est, sed etiam fundamentum e sola rupe constans. Unde clare atque emphatice ista metaphora significatur,

[1] Ios. Corluy, Spicilegium dogmatico-biblicum I, Gandavi 1884, 13—31.

etiam aedificium super petram exstructum firmum esse, idque propterea, *quia* super petram constructum est. Certe si quam domum super petram aedificatam dixeris, a quovis intelligitur, velle te indicare, eam domum esse firmam et a ruina tutam, *quia* in sede tam solida est constructa; si dixeris, domum super arenam vel aliud fundamentum valde infirmum aedificatam esse, quivis etiam videt, velle te significare, eam esse instabilem, et ideo quidem instabilem, *quia* super sedem tam infirmam constructa sit.

Immo si aedificium super firmum, ac maxime si super saxeum fundamentum erectum dicatur, significatur, illud non tantum ab omnimoda ruina, sed etiam ab eiusmodi scissuris tutum esse, quae verum periculum creare possint, ne aliqua pars *essentialis* aedificii cadat domusque ut talis haud amplius integra subsistat; singuli igitur eius muri, saltem *necessarii,* necesse est stent cohaerentes atque inter se coniuncti et uniti, *quia* super tale fundamentum constructi sunt; ipsa enim firmitatis notione etiam notio cohaerentiae partium, saltem necessariarum, comprehenditur. Ac certe si qua domus illiusmodi scissuris obnoxia est, non firma, sed conspicua instabilitatis imago vocanda est.

Patet etiam super fundamentum firmum domum aedificari posse infirmam. Sed hic non quaeritur de eo, quod fit aut fieri potest, sed de eo, quid metaphora petrae, quae est fundamentum aedificii, exprimatur. Prius illud si quaeritur, de facto quaeritur sive de eo, quid architecti peritia possit efficere; posterius si quaeritur, de significatione verborum agitur, quae ex usu loquendi pendet. In nostra autem hac re veritate istius significationis etiam veritas ipsius facti sive aedificii Ecclesiae bene aedificati continetur. Christus enim hic loquitur, qui, quod promisit, aedificaturum se aedificium firmum, etiam opere certissime exsecutus est. Sane si qua domus a peritissimo et sapientissimo architecto constructa perhibetur, nemo dubitat, quin affirmetur, domum illam esse optime aedificatam et firmissimam. Iam vero Deus-homo dixit: „*Aedificabo* Ecclesiam meam"; ergo Christus Deus huius aedificii construendi descriptionem fecit, qui illud in solidissima petra collocavit atque ita constituit et exstruxit, ut totum opus ipsius proprium, et nullius alterius sit. Denique ipse Christus, iudex sane optimus, declaravit atque affirmavit, istud suum aedificium firmissimum fore, quia et super *petram* exstruendum (cf. Mt 7, 24—27), et nullis umquam etiam potentissimis viribus subruendum sit. Certum igitur et luce clarius est, Christum voluisse Ecclesiae suae fundamentum firmissimum.

Iam vero si Christus Petro merum honoris atque ordinis, non vero etiam iurisdictionis primatum contulisset, fieri non posset, ut Petrus Ecclesiae Christi illam insuperabilem stabilitatem ac firmitatem tribueret; non enim tunc ullam veri nominis auctoritatem Petrus haberet, ideoque neque ullam vim et efficaciam proprie dictam ad singulas essentiales

illius aedificii partes in necessaria unitate continendas, conservandas atque a dissolutione defendendas. Et vero nemo potest civilem societatem tutam reddere, nisi qui universali in eam iurisdictione ornatus sit. Quod adeo clarum est, ut „auctores passim, sive catholici sive protestantici, pro principio fundamentali teneant, proximum finem et rationem primariam institutionis supremae potestatis in societate civili esse ipsius societatis membrorumque eius, in personis et bonis eorum, praesidium et incolumitatem. . . . Qui in societate civili constituitur ad eam contra incursus hostiles, contra omnia pericula interna et externa defendendam, eo ipso constituitur cum auctoritate res et membra societatis, quantum opus est inspiciendi et cognoscendi; has et illas leges, ordinationes, munia statuendi; his et illis muneribus idoneos praeficiendi; praemiis et poenis afficiendi etc., ut ubique in societatibus civilibus fit, sive potestas suprema in rege solo sita sit, sive in comitiis regni solis, sive in utrisque coniunctim.“ [1] Iam vero cum notio defensoris ac tutoris societatis civilis necessario supremam iurisdictionis auctoritatem postulet, eandem profecto non minus notio Petri ut fundamenti Ecclesiae eam firmam et invictam reddentis requirit, cum, Christo teste, Ecclesia ab ipsis „portis inferi“ sit impugnanda quidem, non tamen umquam superanda. Munus ergo, quod promissum est Petro, Christi Ecclesiam non solum defendendi, sed etiam tutam et illaesam atque ideo victricem conservandi, universalem atque supremam iurisdictionem annexam habeat necesse est.

Quod amplius etiam patet, si attendamus, quaenam maxime in Ecclesia defendenda sint, et quemadmodum defensio haec secundum apostolorum exemplum instituenda fuerit. Defendenda enim erat praecipue et doctrinae praedicatae et morum puritas. Nam in defendenda et tutanda pura Christi doctrina, ubicumque ea periclitetur, maxime defenditur ipsa Christi Ecclesia, cum sine pura doctrina esse non possit. Quomodo vero in Novo Testamento christianae doctrinae integritas defendenda exhibetur? Docendo, praecipiendo, exhortando, instando „opportune et importune“, obsecrando, invigilando fidelium gregi, increpando, arguendo cum imperio, redarguendo atque immo pertinaces adversarios e fidelium coetu excludendo (Mt 28, 19. 1 Tim 1, 3 20; 4, 11; 6, 2. 2 Tim 4, 2 5. Tit 1, 9 11 13; 2, 15. Act 20 28. Mt 18, 17. 1 Cor 5, 1 sqq). Simili modo etiam morum puritas ab apostolis defensa est, scil. officia sua singulos docendo, praecipiendo, invigilando, puniendo.

Petrus ergo ad universam Ecclesiam contra portas inferi tutam ac firmam reddendam constitutus eam simili ratione custodire ac tutam efficere debuit. Ad hoc autem praestandum universalis atque supremae iurisdictionis auctoritate opus habebat. Unde etiam ex hoc altero

[1] Murray I 381 sqq.

Petri ut Ecclesiae fundamenti officio eius primatus iurisdictionis necessario consequitur.

γ') *Denique* cum Ecclesia a Petro ut fundamento adeo pendeat, ut, ne cesset esse Christi Ecclesia, cum eo usque coniuncta esse debeat, inde pariter efficitur, primatum non honoris et ordinis tantum, sed etiam iurisdictionis promissum esse. Nam si Petro primatus honoris tantum promissus fuisset, tanta illa intimae coniunctionis cum eo necessitas non intelligeretur, cum prorsus repugnare videatur, quominus aliquis a sapientissimo Deo solum honoris et ordinis primatum ita accipiat, ut tota Christi Ecclesia eo ipso cesset esse Christi Ecclesia, quod ab eiusmodi praeside se separet et recedat a fundamento, quod nullum fundamenti munus explet, ideoque fundamentum proprie nec est nec esse potest.

E notione igitur veri et firmissimi fundamenti clare ac certo sequitur, Christum Petro eique soli primatum iurisdictionis in *universam* suam Ecclesiam, ideoque etiam in ceteros apostolos promisisse.

Obiciunt I, nullam esse inter petram et rectorem similitudinem, ideoque, licet Petrus sit Ecclesiae petra, propterea tamen non esse eius rectorem. At etiamsi inter petram et rectorem Ecclesiae nulla esset similitudo *directa,* esse tamen potest *analogica.* Est enim directa similitudo earum rerum, quae *in se* sunt similes, sive similitudo est sub omni respectu, ut est inter hominem et hominem ut talem, atque inter rem eiusque imaginem perfectam, sive est tantum partialis quoad certam aliquam qualitatem, ut est inter montem et fluctum maris ingentem, inter avem celeriter volantem et sagittam emissam, inter agmen accurrentium militum et examen apum. Similitudo analogica autem est rerum, non in se aut in aliqua sua qualitate similium, sed in relationibus, quas ad alias res habent, v. g. in effectibus similibus. Sic Christus assimulat Io 15, 5 se viti, nos palmitibus, et ib. 10, 11 sq se bono pastori, fideles vero suos ovibus; sicut enim pastor bonus oves suas bene curat, ita etiam Christus fideles suos [1]. Res autem possunt etiam esse inter se similes similitudine directa simul et analogica. Atqui hoc modo Petrus similis petrae constitutus est. Sicut enim petra est per se insigniter firma et inconcussa physice, ita Petrus est secundum ea, quae hactenus diximus, Christi virtute in se insigniter firmus et inconcussus moraliter, primario et maxime quidem in fide; et haec est similitudo directa. Insuper, sicut petra aedificium in ea exstructum firmum et immotum efficit et servat, ita Petrus Ecclesiam universam, aedificium spirituale, Dei ipsius manu super eo aedificatam, firmam et immotam reddit atque conservat; atque haec est similitudo analogica. Hanc autem similitudinem analogicam a Deo institutam, necessario et clare continere similitudinem inter petram et rectorem et, posita similitudine directa, significare rectorem potentissimum et invictum, paulo ante demonstratum iam est.

Obiciunt II, Petrum certe tunc non fuisse petram, cum a Christo audiret (Mt 16, 23): „Vade post me, satana, scandalum es mihi", nec cum Christum in atrio principis sacerdotum sibi notum esse negaret, nec cum

[1] Murray III 452 sqq.

post acceptum iam Spiritum Sanctum Antiochiae contra christianae religionis indolem ageret ideoque a Paulo reprehenderetur [1].

At locum Mt 16, 23 mirum est ab adversariis opponi. Profecto Petrus cum nondum intelligeret, quomodo Christum multa pati et occidi oporteret, ideoque ipsi diceret: „Absit a te, Domine; non erit tibi hoc“ fidem, quam modo professus erat, non negavit, sed amoris teneri, tametsi non puri et vere spiritualis, signum Christo dare voluit. Concedimus sane, quod tunc, cum apostolis Spiritus Sanctus, qui eos omnem religionis christianae veritatem doceret iisque omnia suggereret, ne promissus quidem, nedum datus esset, Petrus nondum vel totam veritatem christianam vitaeque Christi propositum omne intellexit. Sed num propterea cessavit esse petra, si tamen tunc petra iam fuisse dicendus sit? Nam tantum abest, ut hoc certum sit, ut contrarium multo probabilius videatur. Ut enim vera essent verba Christi, necessarium non fuit, „ut Petrus illico petra evaderet in tota amplitudine sensus verbi. Petrus creatus est definite, ut super eum aedificaretur Ecclesia et exinde firmaretur. Adhuc autem Ecclesia super eum non fuit aedificata. Eodem modo Christus pro Petro rogavit indefectibilitatem fidei, ut ipse fratres confirmaret. Et tamen non statim evasit confirmator fratrum, nec statim factus est in fide indefectibilis. Nec minimum obstat verbum de praesenti ‚es‘. Nihil enim usitatius est non solum in Scriptura, sed etiam in sermone communi, quam ut de certo futuris, sive praevisis et praedictis sive promissis, verba fiant tamquam de praesentibus.“ [2] Ita v. g. Christus Io 10, 15 de se ipso dicit: „Animam meam pono (i. e. ponam) pro ovibus meis.“ Ad apostolos vero paulo post eorum electionem, quamquam eo tempore nondum vel scientiam apostolicam vel robur apostolicum atque ipsum munus apostolicum nisi incohatum acceperant, ideoque neutiquam iam tunc sal terrae et lux mundi erant, Mt 5, 13 14 dicit: „Vos *estis* sal terrae — Vos *estis* lux mundi.“

Ex eo autem, quod Petrus vocatus est satanas pro eo momento, quo adversabatur Christo volenti pati et crucifigi, minime sequitur, eum non constitutum esse divinitus pro tempore saltem futuro Ecclesiae Christi fundamentum, eoque minus id sequitur, quod petra effectus est in praemium maxime confessionis suae divinitus acceptae, satanas vero dictus, quatenus a Dei voluntate, quam ignorabat, recedens humanum sequebatur affectum, quo nolebat, Christum a se tantopere amatum violenta morte mori. Nihil igitur prorsus sequitur contra Petrum ut *petram*, et multo etiam minus ut Ecclesiae fundamentum, cum primatus eo tempore ei promissus tantum fuerit, cumque nemo umquam affirmaverit, ipsa primatus communicatione hominem, qui eum accipiat, omnibus non bene ordinatis affectibus exui virumque omnino sanctum reddi. Nihil aliud sequitur, quam errare eos, qui Petrum dictum esse petram propter naturalem suam virtutem putant, cum ita vocatus sit propter virtutem divinitus ipsi tribuendam tantam, qua instar petrae immobilis in vera fide fieret. Cum enim Christus, Deus omniscius, optime nosset, Petri virtutem naturalem esse valde infirmam, et clarissime tristes ipsius casus praesciret, non potuit Petrum propter quamcumque animi fortitudinem natura inditam petram nominare, petramque eam, quae Ecclesiam perpetuo immobilem redderet [3].

---

[1] Hase, Handbuch 116. [2] Murray III 457.

[3] Scribit Schegg in Mt 16, 23: „Nur mit Schmerz und Mitleid kann es den Katholiken erfüllen, wenn er sieht, wie protestantische Erklärer selbst noch der

Atque iis, quae diximus, solutum est iam etiam alia obiectio, quam sumunt ex trina Petri negatione. Petrus utique Christum sibi notum esse ter negavit verbis; quid autem eo tempore animo senserit, Deus solus et ille, cui Petrus id aperuerit, scire certo potuit. Ex hoc enim, quod Petrus ore negavit, se Christum nosse, neutiquam sequitur, eo tempore etiam animo ita eum alienum a Christo fuisse, ut ei fidem habere amplius noluerit, cum fides interna cum eius negatione externa, metu praesertim effecta ac semel iterumque tantum brevi temporis intervallo repetita consistere facile possit. Neque obstant Christi verba Lc 22, 32 ad Petrum dicentis: „Et tu aliquando conversus (ἐπιστρέψας) confirma fratres tuos." Ut enim mox probabimus, verbum ἐπιστρέψας hoc loco neutiquam significat conversionem ad Deum, sed, etiamsi eam denotaret, inde utique sequeretur, Petrum in praedicta a Christo tentatione peccasse contra fidem falsum dicendo et iurando atque omittendo debitam fidei confessionem, minime vero sequeretur, eum a fide penitus defecisse et apostatam evasisse. Atque illam Petri negationem reapse mere externam fuisse inde patet, quod Petrus, respiciente eum Christo eiusque praedictionis de galli cantu memor redditus, continuo culpam amare flevit (Lc 22, 61 62). Qui enim hoc fieri potuit, si Petrus tempore negationis a Christo plene defecit? [1]

Petri denique in urbe Antiochia agendi modus tunc eum petram non fuisse nullo modo probat. Ut enim supra (p. 23 sq) iam vidimus, perperam ibi egisse Petrum monstrari non potest; etsi vero peccasset, ut Tertullianus [2] iam dixit, fuit „conversationis vitium, non praedicationis". Cum enim periculum esset, ut, si ipse pergeret cum christianis ἐκ τῶν ἐθνῶν, ipsorum more vivere atque legem mosaicam quoad victum omnino negligere, ex iudaeo-christianis multi a fide christiana deficerent, existimabat, ad illud periculum avertendum opportunum esse, ut a convictu christianorum, qui ex gentibus erant, omnino abstineret et sese iudaeis accomodaret; qui sane agendi

---

neuesten Zeit auf diesen Vers einen besondern Nachdruck legen, um gegen den Primat Petri zu argumentieren."

[1] Nihilominus I. F. Schulte (Die Stellung der Konzilien 124) haec scripsit: „Nach der Darstellung der Bibel hat Christus schon im Anfang seiner Tätigkeit die Apostel entsendet (Mt 10, besonders V. 20), *Petrus* am Ende den Herrn verleugnet (Mt 18, 17 ff [sic]). Augenscheinlich hat also das Apostelamt Petrus nicht verhindert, eine Apostasie zu begehen." Sed 1. apostatae nomine Petrus vocari non debet, cum ex usu biblico et theologico hac voce significetur plena et interna a fide in Christum defectio, Petrum vero interne a Christo defecisse minime affirmari possit. 2. Ante Christi a mortuis resurrectionem eius discipulis apostolorum munus non erat delatum. Hoc enim obtinuerunt vere ac proprie proxime ante Christi ascensionem, cum Christus iis praeciperet, ut evangelium omnibus gentibus praedicarent (Mt 28, 18—20). Quare Act 1, 21 22 25 apostoli munus suscipere et *resurrectionis* Christi testem fieri tamquam re unum et idem perhibetur. Eo igitur quod Christus duodecim discipulos collegit, atque respectu futuri muneris apostolos nominavit (Lc 6, 13) ac verbo et vitae exemplo ad apostolatum praeparavit, Christi discipuli nondum revera apostoli fuerunt; idque Schulte ex ipso Mt 10, ad quod caput provocat, facile perspicere potuisset. Apostolatus enim ex voluntate Christi est perpetuus atque ad totum terrarum orbem sese extendit, Mt 10 autem leguntur apostoli missi ad solos iudaeos (v. 5 6) et tantum ad annuntiandum, Christi sive Messiae regnum prope esse.

[2] De praescript. c. 23 (ML II 36).

modus fuit per se nullatenus illicitus, sed, ut ex eventu postea patuit, forsitan non sat prudens. Qui igitur hoc agendi modo Petrus cessavit esse petra? Eum enim sibi ipsi timuisse nulla ratione indicatur a Paulo nec aliunde probari potest; Christum autem ipsa primatus communicatione eum ab omni prorsus imprudentiore agendi ratione in conversatione liberum reddidisse, nemo adhuc contendit. Quinimmo ex hoc ipso, quod Paulus tanta libertate Petro restitit, concludendum potius est, Petri exemplum maximi momenti ab ipso habitum esse propter summam Petri auctoritatem. Quare tantum abest, ut illud factum contra Petri primatum afferri possit, ut ipsum probet [1].

Obiciunt III, recte dici, Ecclesiam super fidem aedificari, quamquam fides Ecclesiae rector nominari non possit. At fides est christianis quidem fundamentum omnium virtutum atque etiam ad internam Ecclesiae formam pertinet, ita ut eam animet; at Ecclesiae fundamentum proprie nullatenus dici potest. „Debent enim eiusdem generis esse fundamentum et reliquum aedificium. Est autem Ecclesia hominum congregatorum quasi lapidum vivorum, ut dicitur 1 Petr 2, 5; debet ergo lapis, qui est fundamentum, esse etiam aliquis homo, non aliqua virtus. Deinde etiamsi proprie diceretur (fides Ecclesiae fundamentum), nihil concluderet argumentum. Nam sunt omnia intelligenda accomodate ad naturas rerum. Itaque si dicatur Ecclesia aedificari super fidem, sensus esse debet, ut intelligatur Ecclesia pendere a fide ut a principio iustificationis, et a dono quodam, sine quo sponsa Christi non esset; si autem dicitur aedificari super Petrum, sensus erit, Ecclesiam pendere a Petro ut a rectore.“ [2] Iam vero Christus revera dixit, se Ecclesiam suam super Petrum et non supra fidem ut talem et abstracta ratione consideratam aedificaturum esse.

Obiciunt IV, quod Ecclesia Eph 2, 20 dicitur aedificata super fundamentum apostolorum, non vero super fundamentum unius apostoli. At Paulus hoc loco non agit de apostolis ut rectoribus Ecclesiae, aedificatam enim dicit Ecclesiam super fundamentum non solum apostolorum, sed etiam prophetarum. Qui prophetae, si (ut plurimi recentiores, maxime protestantes, volunt) intelligantur prophetae Novi Testamenti (1 Cor 12, 10; Eph 3, 5), Ecclesiam regendi munere aut nullo aut certe apostolis subiecto et multo inferiore fungebantur; si vero cum Estio, Palmieri aliisque contendunt, intelligi prophetas Veteris Testamenti, idem prorsus evidens est. Atque generatim hic Paulus metaphora fundamenti non utitur ad iniciendam cogitationem rei firmae et firmantis, quae cogitatio, licet a mentione petrae, quae est fundamentum, separari non possit, cum simplici mentione fundamenti, quod etiam infirmum esse possit, necessario coniuncta non est. Non enim Paulus hic agit de firmitate Ecclesiae, sed de eius initiis et incrementis atque de omnium fidelium unitate cum Christo, primario summo angulari lapide, qui ipse igitur hic ut principium firmans Ecclesiam indicatur. Dicuntur igitur apostoli hic fundamentum Ecclesiae ratione doctrinae ab ipsis singulis et universis divinitus acceptae et populis annuntiatae, siquidem fides Ecclesiae inniti debet doctrinae apostolicae. Nec alio sensu probari possunt duodecim apostolorum nomina in duodecim fundamentis coelestis civitatis inscripta

---

[1] Cf. Palmieri 374.

[2] Bellarm., De Rom. Pontif. l. 1, c. 10 11.

Apc 21, 14 intelligenda esse. Atque hac in re nullus apostolorum ceteris maior erat, et hinc Petrus sub hoc respectu optime esse potuit et reapse fuit unum ex duodecim fundamentis Ecclesiae. Quod non impedit, quominus Petrus simul sit petra, quae totam Ecclesiam sustentet atque firmet, i. e. is, qui solus imperio supremo universam regat Ecclesiam. Omnes enim concedunt, apostolos singulos parem cum Petro accepisse missionem ratione apostolatus, sive potestatis Christi doctrinam ubique praedicandi, fundandi ecclesias et alia huiusmodi gerendi, ita ut universalis esset ceterorum etiam apostolorum iurisdictio hoc sensu, quod eorum singuli potuerunt quocumque loco eam exercere. Sed exinde neutiquam sequitur, apostolos singulos etiam ratione regiminis Ecclesiae supremae quam Petrus habebat potestatis participes fuisse. Accedit insuper, quod „penes Paulum de fidelibus dicitur, quod sint superaedificati super fundamentum apostolorum; apud Matthaeum vero de universa Ecclesia affirmatur, quod super Petrum aedificetur; universa autem Ecclesia ipsos apostolos comprehendit, qui proinde super Petrum sunt aedificati: dignitas ergo Petri et intensione et extensione differt.“ [1]

Certum igitur est, illis verbis Petro dictis: „Tu es petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam“ Christum Petro verum iurisdictionis primatum in universam apostolorum ac christianorum multitudinem promisisse. Idem vero non minus probatur

b) *ex eo, quod Christus Petro claves regni coelorum promisit* dicendo (v. 19): *καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.* Sicut enim metaphora petrae Ecclesiam sustentantis ac firmantis significatur suprema in Ecclesiam potestas, ut dici solet, *implicite,* ita metaphora clavium exprimitur eadem potestas *explicite* ac *diserte.* Quod ut pateat, ita argumentamur:

Christus verbis allatis Petro eique soli promisit claves totius Ecclesiae suae in terris degentis; atqui istis clavibus indicatur suprema in Ecclesiam potestas iurisdictionis; ergo promisit hic Petro iurisdictionis primatum.

Propositionis maioris veritas constat quoad *primum: soli* Petro claves hic promissas esse. Christus enim v. 19 *solum* Petrum allocutus est eique soli claves tradidit (cf. supra p. 64), nec ullibi legitur, eum aliis quoque apostolis claves Ecclesiae suae diserte tradidisse. — *Alterum* autem: agi illis verbis de Ecclesia in terris degente, sive, ut dici solet, militante, non vero de multitudine beatorum in coelis, ita evidens est, ut probatione vix opus habeat. In prima enim parte totius promissionis Christi ex omnium consensu agitur de Ecclesia militante, ac pariter in tertia parte, ubi potestas solvendi et ligandi promittitur, cum haec potestas solum in terris exerceatur; ergo etiam in secunda media parte promittuntur Petro claves pro eiusdem in terris militantis Ecclesiae bono; alioquin transitus esset ab Ecclesia militante ad triumphantem et protinus rursum ab hac ad illam: qui sane loquendi modus valde durus et obscurus dicendus esset, eoque magis, quod

[1] Palmieri 311.

eiusmodi transitus nostro loco nulla ratione indicatur. Verba enim „regnum coelorum" tametsi aliquando ad ipsam beatorum sedem designandam a Christo adhibentur, non raro tamen, praesertim in parabolis, ab ipso proferuntur, quando de sola Ecclesia militante loquitur, uti v. g. Mt 4, 17; 10, 7; 11, 11; 13, 24 31 33 47; 18, 23; 20, 1; 22, 2 et alibi. Itaque verbis „regni coelorum" hic proxime intelligenda est Christi Ecclesia terrestris, quamquam indirecte simul etiam Ecclesia coelestis denotari eatenus dici potest, quatenus vita aeterna est finis ultimus Ecclesiae terrestri propositus, et hinc aliquo modo terminus, ad quem potestatis clavium actus tandem referantur[1].

Propositio minor iam probatur: *clavibus hoc loco intelligendam esse supremam vicariam iurisdictionis potestatem.* Nam metaphora clavium summam eius rei, cuius claves dicuntur, potestatem designari patet

α) ex eo quod possessio aut traditio clavium, v. g. domus, civitatis, arcis, apud antiquos, praesertim orientales populos symbolum erat possessionis aut traditionis potestatis, si a domino tradebantur subdito[2], (si enim a subdito tradantur domino, subditus hac traditione significat, se illi subiectum esse et ab eo pendere); et si claves uni soli competebant aut tradebantur, symbolum erant potestatis supremae, saltem vicariae in eum locum. Cuius metaphoricae significationis ratio sita est potissimum in eo, quod antiquis temporibus praecipuum civitatis munimentum consistebat in portis, adeo ut qui portas civitatis occuparet, ipsam civitatem possideret; unde factum est, ut dicere, aliquem *habere claves civitatis,* secundum communem loquendi usum idem esset atque dicere, ipsum praeesse civitati. Atque adhuc vel inter ipsos Europae populos idem symbolum eodem sensu adhibetur de traditione arcis aut civitatis facta duci exercitus, qui eam obsederat. Et „qui domum tenet conductam, dominium usus nonnisi traditione clavium perfecte cedit", ac „similiter vendens domum nonnisi traditione clavium consummat et perficit traditionem dominii proprietatis" [3].

β) Patet idem ex usu S. Scripturae. Quoties enim vox *clavis* in ea metaphorice usurpatur, auctoritatem semper significat. Certe id significat clavis Is 22, 22, ubi primum hoc symbolum adhibetur. Ait enim Deus v. 19—22: „Expellam te [Sobnam] de statione tua, et de

---

[1] Quid apud iudaeos et in Novo Testamento sit regnum coelorum vel regnum Dei, multum disputant protestantes, qui quasi uno ore affirmant, regnum Dei in Novo Testamento non intelligi ecclesiam organizatam, i. e. eam, quae habeat rectores et praepositos. De his disputationibus hic agi necessarium non est. Loco enim Mt 16, 19 regnum coelorum idem esse ac Ecclesiam, de qua agitur v. 18, per se patet, facilique consequentia ex ipso hoc loco deducitur, de Ecclesia organizata hic agi.

[2] E. F. K. Rosenmüller, Das alte und neue Morgenland, Leipzig 1817—1820, V 66 sq. Wiseman, Lectures on the principal doctrines and practices of the Catholic Church, Dublin 1867, 247 sqq.

[3] Murray III 388.

ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae, et induam illum tunica tua et cingulo tuo confortabo eum et potestatem tuam dabo in manu eius; et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda. *Et dabo clavem domus David super humerum eius,* et aperiet, et non erit, qui claudat; et claudet, et non erit, qui aperiat." Sive iam ille Sobna fuit summus sacerdos sive unus ex dignioribus sacerdotibus, cui cura templi et sacri aerarii fuerit commissa, sive, id quod probabilissimum videtur, domus regiae administrator, certum esse videtur, locum, a quo amovendus erat, et in quem substituendus erat Eliacim, haud exiguae fuisse dignitatis et auctoritatis. Alioquin enim Deus istam expulsionem et substitutionem procul dubio non singulari et sollemni vaticinio praedixisset futuram, et a se ipso quasi directo procurandam. Insuper id clarius etiam fit ex ipsis vaticinii verbis iam allatis et hisce, quae v. 23 et 24 de Eliacim sequuntur: „Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris eius. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum." Quod quidem illustratur ex versione LXX, quae dimissis metaphoris locum hunc ita reddit: *Καὶ στήσω αὐτὸν ἄρχοντα ἐν τόπῳ πιστῷ, καὶ ἔσται εἰς θρόνον δόξης τοῦ οἴκου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Καὶ ἔσται πεποιθὼς ἐπ' αὐτὸν πᾶς ἔνδοξος ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, καὶ ἔσονται ἐπικρεμάμενοι αὐτῷ.* Atque simili prorsus modo etiam Paraphrasis Chaldaica hunc locum explicat. Hoc igitur loco clavium symbolum magnam omnino auctoritatem significat [1].

Atque non alio sensu metaphora clavium in Novo Testamento adhibetur. Ita cum Christus Apc 1, 17 18 dicit: „Ego sum primus et novissimus; et vivus, et fui mortuus; et ecce ego sum vivens in saecula saeculorum, et habeo *claves mortis et inferni*", exprimit supremum suum in mortem et infernum dominium. Item ib. 3, 7 legitur: „Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet *clavem* David; qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit"; quibus significatur secundum recentiorum communem ferme et rectam interpretationem potestas Christi suprema in regno suo. Atque ib. 9, 1 scribit apostolus: „Vidi stellam de coelo cecidisse in terram, et data est ei *clavis putei abyssi*"; quo loco nomine clavis abyssi significari magnum in abyssum dominium mani-

[1] Etiam apud rabbinos claves sunt symbola potestatis sive physicae sive moralis in aliquam rem. Cf. Aug. Wünsche (Neue Beiträge zur Erläuterung der Evangelien aus Talmud und Midrasch, Göttingen 1878, 195), qui v. g. hunc locum ex Talmude, tract. Sanhedrin f. 113 a affert: „Cum Elias ut sibi clavis pulviae daretur rogaret, Deus dixit illi: prius redde mihi clavem mortuos resuscitandi, per quam filium viduae Sareptanae in vitam revocasti. Non enim decet, ut cum una clavis sit in manu magistri, duae sint in manu discipuli." Rabbinis cum munus doctoris ii acciperent, tradebatur clavis symbolum potestatis suae. A. F. Gfrörer, Das Jahrhundert des Heils I, Stuttgart 1838, 155.

festum est ex horrendis malis, quae, ut proxime describitur istius abyssi apertio affert. „Ei enim magnum datur dominium alicuius rei, cui datur potestas ea utendi ad magnos effectus gignendos.“ [1] Similiter ib. 20, 1, ubi dicitur: „Et vidi angelum descendentem de coelo, habentem *clavem abyssi* et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem . . ., qui est diabolus et satanas, et ligavit eum“, illa clavi abyssi magna significatur potestas, qua satanas ligatur.

Enumeravimus iam, si excipis Lc 11, 52, ubi de ablatione clavium scientiae agitur, locos omnes, quibus nomen *clavis* in S. Scriptura metaphorice adhibetur; unde constat, eam metaphoram in Bibliis semper de vera auctoritate non tantum honoris et ordinis, sed iurisdictionis usurpari.

Itaque Christus Petro promittens claves Ecclesiae suae, domui comparatae, ei potestatem iurisdictionis in eam totam pollicitus est, et *supremam* quidem vicariam, plenam et in suo genere *regalem* atque in terris visibilem, eumque primarium thesaurorum et mysteriorum Dei dispensatorem, ut Paulus 1 Cor 4, 1 loquitur, fieri voluit, cum ipsi *soli* eam potestatem totam in universum suum regnum promiserit.

Falsum igitur est, clavium promissione Petro *nihil aliud* promissum esse, quam ut primas ageret partes in regno Christi aperiendo, i. e. in praedicando evangelio et admittendo homines in coetum christianorum, ideoque etiam ceteros apostolos instar Petri claves Ecclesiae accepisse eo ipso, quod acciperent potestatem aperiendi Ecclesiam, admittendo in eam exteros, et claudendi, eiciendo malos. Claves materiali quidem sensu acceptae inserviunt solum ad ostia aperienda et claudenda; et utique si Petrus hoc sensu Ecclesiae claves accepisset, vera esset adversariorum sententia; sed claves non materiales, verum symbolicas a Christo traditas esse concedunt omnes, et concedere debent, cum Christi Ecclesia domus materialis non sit. Clavium traditione Petrus accepit sine dubio etiam potestatem aperiendi Ecclesiam, admittendo in eam, qui nondum eius socii erant, et eam claudendi, eiciendo ex ea, qui in ipsa male vivebant; haec enim facultas pertinet ad potestatem eius, qui habet summam in domo, ergo hic in Ecclesia auctoritatem. Ea tamen potestas secundum ea, quae diximus, nec sola nec praecipua est vel esse potest inter eas, quas Christus clavium symbolo Petro tradidit; alioquin nihil proprii ac praecipui istis verbis a Christo collatum esset, cum id tamen exigant tum verba promissionis tum ratio et causa eiusdem. — Patet etiam, opponi non posse verba Christi Lc 11, 52. Ut enim alia taceam, agitur illic de clave *scientiae*, hic vero modo definito de *clavibus regni coelorum* sive Ecclesiae.

Nec sane opponere licet, quemadmodum ex eo, quod Petrus diserte constitutus est hominum piscator (Lc 5, 10), non sequatur, eum solum aut peculiari modo delectum fuisse ad homines Christo conciliandos, ita etiam ex eo, quod claves acceperit, non consequi, eum singulari ratione clavium potestatem accepisse. Haec enim conclusio minime iusta est. Si enim Petri vocatio Lc 5, 10 eadem esse dicatur cum ea, quae Mt 4, 19; Mc 1, 17 narratur, non

[1] Murray III 387.

solum Petro, sed etiam eius fratri Andreae Christus dixit, eos facturum se esse piscatores hominum; praeterea eo ipso, quod decem alios apostolos elegit atque ad convertendas ad Deum gentes misit, eos omnes etiam diserte hominum piscatores constituit. Contra claves soli Petro promisit, et ea quidem occasione, qua ipsum etiam fundamentum totius Ecclesiae suae futurum esse praedixit. Praeterea hominum piscatores singuli et universi apostoli esse optime poterant et vero esse debebant; *suprema* autem clavium potestas profecto Petro tantum competere potuit, utpote cui soli singulari modo promissa erat. — Si autem vocatio ad hominum piscationem sive ad apostolatum apud Lucam non eadem cum illa, quae apud Matthaeum et Marcum narratur, sed tertia fuisse dicatur, haec Petro ita propria fuit, ut non solum nostrae interpretationi de clavium potestate nullo modo repugnet, sed etiam aperte ei faveat, cum ita Petrus etiam singulari modo ad apostolatum, tametsi non solus, vocatus fuisset, sicut fuit postea, et ipse quidem solus, peculiari ac praecipua ratione clavium potestate instructus.

c) *Iurisdictionis primatum* in universam apostolorum et christianorum multitudinem Petro fuisse a Christo promissum probatur denique *promissione potestatis ligandi atque solvendi.* Addidit enim Christus prioribus verbis haec: „Et quodcumque (ὃ ἐὰν) ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis."

Quibus verbis Christus minime videtur imaginem a clavibus desumptam continuasse, sed alia nova omnino metaphora eandem *universalem* ac *summam* potestatem, cuius symbolum hic claves sunt, nominatim ac diserte expressisse. Si enim continuata esset clavium imago, atque adeo interpres graecus a Matthaeo usurpatum reperisset verbum פתח, haud dubie id verbo notiore ἀνοίγειν expressisset, et usus fuisset etiam verbo κλείειν. Nam „ex octo locis Scripturae, in quibus invenitur vocabulum *clavis,* quinque sunt (Iud 3, 25; Is 22, 22; Apc 3, 7; 20, 1 3), in quibus mentio fit aperiendi vel claudendi vel utriusque, in nullo autem solvendi vel ligandi. In Apc 20 mentio est ligandi; sed satanas est, qui ligatur, non porta" [1]. Insuper „pluries in S. Scriptura fit mentio claudendi ostia et aperiendi. Sexaginta circiter locos inspexi; in omnibus illis et singulis verba, quae claudere et aperire significant (κλείω, ἀνοίγω et similia), usurpantur, in nulla autem adhibentur verba, quae ligare et solvere (δέω, λύω) significant; et haec duo verba, etsi saepius in Scriptura inveniuntur, nusquam, ne uno quidem loco, in sensu claudendi et aperiendi adhibentur." Tametsi igitur veterum ianuas clausas fuisse putas funibus, quibus ligandis aut solvendis claves adhiberentur, nullatenus tamen, ut multi putant, videtur Christus hoc loco moris illius ianuas claudendi et aperiendi rationem habuisse.

Iam ligandi et solvendi potestatem tradendo potestatem Christus dedit Petro *iurisdictionis universalis ac supremae,* extendentis se ad omnes causas religionis christianae, tam fidei quam disciplinae, tam personarum quam rerum, ita ut Petro daret potestatem tum fidei causas decidendi, tum leges pro omnibus fidelibus ferendi, ac res pro-

[1] Murray III 389.

hibendi vel permittendi, iudicandi, poenas decernendi et infligendi, leges abolendi, delicta ac poenas condonandi.

Expressisse enim eum istam summam potestatem, promittendo potestatem ligandi atque solvendi, patet ex iis, quae supra pag. 51 de vi verborum *δέειν* et *λύειν* diximus.

Accedit, quod *oratio contexta* hunc sensum requirit et protestantium sententiam de potestate solum declarandi, quid licitum quidve illicitum sit, excludit. Secundum istam enim interpretationem in ultima trium illarum metaphorarum, quibus Christus Mt 16, 18—19 usus est, non solum nullus esset ascensus sive gradatio, sed contra *descensus et defectio orationis.* Christus enim postquam primum duplici diversa metaphora auctoritatem Petro conferendam exhibuit ut supremam ac universalem, tertia deinde metaphora secundum protestantes partem aliquam huius auctoritatis exprimeret, cum tamen, spectata emphasi orationis, exspectandum sit, vim atque amplitudinem eiusdem auctoritatis magis etiam adaugeri. Si vero contra potestate ligandi atque solvendi intelligatur universalis potestas iurisdictionis, bene concinneque inter sese excipiunt et sequuntur variae illae orationis Christi partes. Sic enim Christus amplitudinem auctoritatis Petro aliquando committendae sub triplici respectu declaravit, scil. *primum* respectu *finis* huic auctoritati propositi, in hoc siti, ut Ecclesia sustineretur ac defenderetur invictaque redderetur contra omnes inimicorum aggressus; *deinde* respectu *extensionis* et *termini* eiusdem auctoritatis, qui terminus complectitur totam Ecclesiam sive omnes christianos, tam fideles quam praepositos; *denique* respectu *obiecti* huius auctoritatis, quod obiectum comprehendit omnes religionis christianae causas, ita ut potestas ligandi ac solvendi sese extendat ad universas causas tum fidei tum disciplinae, et tam personarum quam rerum. Certa igitur est sententia, quam defendimus.

Confirmatur autem ea etiam ex eo, quod contrariae expositiones, quae hic afferri solent, plane arbitrariae sunt et orationi repugnant.

Vana certe ac plane arbitraria est explicatio de hominibus in christianorum coetum recipiendis atque dimittendis, cum innitatur soli antiquorum mori portas claudendi et aperiendi, qua de re secundum ea, quae diximus, Christus hoc loco nihil locutus est (cf. p. 93).

Nec verior videtur sententia, quam proposuit Schegg, Christum illis verbis loqui solum de spiritualibus Ecclesiae thesauris vel occludendis vel aperiendis et communicandis. Promissione enim clavium licet Petro promissa sit etiam suprema potestas in illos thesauros, si qui, id quod hoc loco nondum scimus, reapse sunt; sed cum in alia metaphora hic versemur, in alia, dum de clavibus agebatur, cumque verborum solvere et ligare sensus explicationi, quam proponit Schegg, non faveat, ea ut plene sufficiens admittenda non videtur.

Denique a vero huius loci sensu prorsus abhorret explicatio, secundum quam hic *diserte, proxime* et *solum* potestas retinendi et remittendi peccata promittatur. Nam ubicumque in S. Scriptura diserte agitur de remissione

peccatorum, vel nomen peccati adicitur vel actus ipse improbus nominatur aut aliquo modo satis claro indicatur. Hoc autem loco nec nomen peccati usurpatur nec actus aliquis malus significatur. Insuper ubi de peccatorum remissione loquitur S. Scriptura, plerumque verbum ἀφιέναι usurpatur, et quamvis etiam λύειν aliquoties, ut Is 40, 2; Eccli 3, 17; 28, 2, ad significandam peccatorum remissionem adhibeatur, numquam tamen legitur δέειν de retentione peccatorum usurpatum. Denique tantum abest, ut ullo modo hoc loco promitti solam eam potestatem, quae Io 20, 23 confertur, significetur, ut hi duo loci inter se comparati res omnino distinctas atque diversas exprimant. Nam α) „verba Matthaei universalissima sunt: ‚quodcumque'; verba Ioannis rem definitam significant diserte: ‚quorum peccata'. β) Obiectum potestatis in Ioanne sunt peccata sola; obiectum in Matthaeo ‚quodcumque' est, nec aliquid insinuatur de peccato.... γ) In Matthaeo potestas exercetur ligando et solvendo (δήσῃς—λύσῃς); in Ioanne remittendo et retinendo (ἀφῆτε—κρατῆτε). δ) In Matthaeo potestas ligandi primo loco ponitur; in Ioanne potestas remittendi primo loco ponitur. Potestas enim regendi primario et praecipue ordinatur ad libertatem hominum coercendam legibus, praeceptis etc.: *ad ligandum;* potestas vero remittendi et retinendi peccatum non tantum primario et praecipue, sed spectato fine ultimo, omnino ordinatur ad exstinctionem peccati: ad *remittendum*" [1], quacumque tandem ratione ea potestas exercenda sit, sive scil. illa remissio efficitur sive tantum declaratur. Non igitur de sola peccatorum remissione hic loquitur Christus, quamquam non negamus, eam etiam comprehendi.

Explicuit igitur et ampliavit Christus istis verbis *usum universalem* potestatis duabus prioribus metaphoris Petro iam promissae in hanc fere sententiam: Et ideo quodcumque in rebus religionis meae ut fundamentum et ut claviger totius Ecclesiae suprema potestate docueris, praeceperis, vetueris, iudicaveris, erit rectum, ita ut Deus illud ratum habeat. Promisit igitur Christus hic Petro potestatem non solum christianam religionem authentice interpretandi et declarandi, sed etiam potestatem legiferam ideoque etiam iudiciariam et ultricem, et eam quidem *universalem, amplissimam, summam.*

Universalis enim illa potestas est 1. *ratione loci,* talis scil., quae in universo terrarum orbe exerceri possit. Dixit enim Christus: Quodcumque ligaveris *super terram* (ἐπὶ τῆς γῆς), erit ligatum et in *coelis.* Quotiescumque autem eodem S. Scripturae loco simpliciter, sine ullo restringente apposito, mentio fit terrae et coeli, significatur non pars terrae, sed universa terra, uti v. g. Mt 5, 18 36; 6, 10; 11, 25 et alibi saepe, ergo etiam hic. — Universalis potestas illa est 2. *ratione rerum.* Vocabulum enim „quodcumque" (ὃ ἐὰν) universale prorsus est nec oratione contexta ullatenus restringitur, sed sola rerum natura et fine Ecclesiae proposito, quatenus scil. illa potestas non ad res mere civiles ut tales, sed ad religiosas refertur. — Universalis illa potestas est 3. *ratione hominum.* Potestas enim spiritualis res et locos ut tales non respicit, sed refertur ad homines, qui rebus

[1] Murray III 463 sq.

utuntur et locos inhabitant, in eorumque solum gratiam datur. Ergo cum promissa Petro potestas legifera universalis sit ratione locorum et rerum religiosarum, necesse est concludere, eam universalem esse etiam respectu omnium christianorum, sive omnium sociorum Ecclesiae ut talium, utpote cuius supremam curam Christus Petro commissurum se esse dixit. Promisit igitur hic Christus respectu religionis suae Petro potestatem gravissimam, utpote universalem, cuiusque usus ab ipso Deo ratus haberetur; ergo potestatem universalem in totam Ecclesiam.

Ambitus vero huius potestatis quinam sit, quidve in se comprehendat, ex dictis patet. Pro omnibus scil. Ecclesiae membris Petrus potest *leges ferre,* eas abrogare et nonnullos, si opus sit, lege solvere. Deinde Christi doctrinam potest cum auctoritate *docere,* declarare, definire, pravamque quae adversatur doctrinam damnare. Cum enim promissa potestas referatur ad praecipiendam omnem rem religioni christianae proficuam, iustam, ideoque divinae positivae et naturali legi non contrariam [1], ad omnem pariter malam vetandam, refertur etiam ad doctrinam tum dogmaticam tum moralem. Et cum potestas legifera sine potestate iudicandi, inspiciendi, monendi, puniendi inefficax sit atque inutilis (cf. p. 55 58) potestatem legiferam nominatim promittendo Christus pollicitus est Petro respectu rerum religionis suae etiam potestatem *iudiciariam* et *ultricem.* Sane Christus verbis „Quodcumque ligaveris“ etc. Petro cum promiserit amplissimam potestatem vinculum morale iniciendi et ab eo liberandi, sequitur eo ipso, hoc vinculum posse etiam indi vel relevari per sententiam iudicialem et per poenae inflictionem.

Summam denique ac supremam in Ecclesia Petri potestatem esse, quae in omnes christianos et ceteros apostolos se extendat, patet tum ex universalitate huius potestatis respectu omnium totius Ecclesiae sociorum, tum ex eo, quod cum Christus duobus prioribus suae orationis membris promiserit, Petrum facere se velle et fundamentum firmans et supremum oeconomum totius suae Ecclesiae, tertio deinde membro diserte de potestate legifera loquens eamque universalem Petro promittens, non potuit non intelligere potestatem supremam in omnes exercendam, licet vicaria tantum esset illa potestas. Alioquin enim nulla gradatio, sed eius contrarium esset, sollemni illa Christi oratione minime dignum [2].

---

[1] Absurde concludit Lutherus, Petrum, si possit leges ferre et abrogare, posse etiam legem divinam et naturalem tollere, et permittere atque praecipere, quod iis vetitum sit. Cf. Luther, Von den Schlüsseln, Wittenberg 1530, f. 5^{b}, (Werke XXXI 136): „Sol man das binden auff das gesetze deuten, so muß man das lösen auch darauff deuten. Wolan, so mag der Bapst die zehen gebot Gottes, die Evangelia und die ganze schrifft aufheben und alle Welt davon entbinden und lösen. Kann er das nicht thun, so kann er auch nicht binden oder gesetze geben.“

[2] Falso igitur Langen (Das Vatik. Dogma I 12) haec scribit: „Als der erste Gläubige sollte er [Petrus] sich und allen, die gleich ihm an Christus glaubten, also [!] durch den Glauben, den Himmel öffnen. [Quasi vero claves significent fidem,

Obiciunt *adversarii,* eandem potestatem, quam promiserit Mt 16, 19 Petro, eandem Christum ceteris apostolis promisisse Mt 18, 18, dum iis traderet potestatem quaecumque ligandi et solvendi super terram. Ergo nihil singulare Petro promissum esse. At 1. multum inter se distant quae promittuntur Petro ac quae promittuntur ceteris apostolis. Petro enim Christus pollicitus est a) dignitatem fundamenti, b) claves regni coelorum, c) potestatem ligandi et solvendi. Apostolis vero ceteris solam hanc tertiam potestatem se esse daturum edicit. Singularis autem ille promissionis modus singulare aliquid Petro dandum esse significat.

2. Ceteros etiam apostolos usum clavium habuisse concedimus, clavibus enim ligant et solvunt. Sed *suprema* clavium potestas soli Petro data est, soli enim Petro traditae sunt *claves regni.* Quas qui possidet maius aliquid habet quam is, qui sola potestate ligandi et solvendi instructus est; habet enim id, ex quo tamquam fonte ac principio manet potestas ligandi et solvendi. Unde fit, ut is cui claves *regni* traditae sint, instructus sit potestate regendi plena, suprema, independente. Contra mera potestas ligandi et solvendi independentiam ab alio superiore humano non excludit. „Quare sub diverso respectu et concedi et negari debet, datas esse claves ceteris apostolis. Datae sunt iis claves, quia data est iis potestas quaecumque ligandi et solvendi quoad ceteros fideles, quae potestas continetur potestate clavium; non datae sunt iis claves, quia non data est iis haec potestas suprema prorsus et independens." [1]

3. Ceteri apostoli potestatem ligandi et solvendi etiam ideo non acceperunt *supremam* et plenam, quia acceperunt eam simul cum Petro et in quantum membra sunt collegii apostolici, Petrus vero insuper alio tempore eam *solus* accepit, ideoque totam et summam. Verba enim Mt 16, 18 a) „ad unum Petrum citra reliquos apostolos dicta fuerunt; contra vero, quae ad reliquos apostolos dicebantur, ad eosdem non citra Petrum fuerunt directa. Rursum b) iis, quae uni Petro dicta fuerunt,

---

et regnum coelorum hoc loco de sede beatorum sive de Ecclesia triumphante intelligendum sit!] Selbst der Ausdruck ‚binden und lösen' *braucht* nicht von einem Amte verstanden zu werden. Bei den Rabbinen heißt derselbe soviel als ‚für unerlaubt und für erlaubt erklären'. [At nonne rabbini qua *munere* doctorum legis fungentes, quae ex illa lege licita vel illicita essent declarabant?] Der Heiland hätte also damit sagen können: was du als der Gläubige κατ' ἐξοχήν über religiöse Fragen entscheidest, das soll entschieden sein, weil und insofern du eben den rechten Glauben hast." — Utique Christus ista dicere *absolute* potuit; sed *eum reapse non ita locutum esse* et istas adversarii suppositiones omnino vanas esse manifestum est. Nullo enim modo Christus indicat, se Petro istam ligandi et solvendi potestatem tribuere tantum sub hac conditione, *quatenus* Petrus habeat rectam fidem; contra ex ipsa *huius* potestatis collatione sine *ulla apposita conditione absolute* facta evidenti ratione, id quod postea videbimus, *consequitur,* veram et rectam Petri fidem numquam defecturam esse.

[1] Palmieri 338.

is constituebatur princeps apostolorum; quae vero apostolis omnibus una cum Petro dicebantur, ad eosdem pro distinctionis ratione, quae Petrum inter ac reliquos intercedebat, referebantur. Porro c) quaecumque omnibus apostolis una cum Petro illis in locis dicta fuerunt, ea Petro etiam soli dicta sunt; sed omnibus etiam una cum Petro apostolis nullatenus dicta sunt, quae uni Petro Dominus dixit." [1]

4. Petro Christus dedit potestatem ligandi et solvendi, *postquam* eum fundamentum et oeconomum Ecclesiae effecerat. Unde fit, ut potestas ligandi et solvendi Petro concessa significet usum eius potestatis universalis et plenae, quae vocibus fundamenti et clavium exprimitur. Contra vero in ceteris apostolis res se habet: potestas ligandi et solvendi iis concessa non solum non potest demonstrari universalis, sed necessario restringitur ex eo, quod Petro universalis potestas tradita est.

Praestat igitur potestas Petri potestati apostolorum et *extensione* et *intensione*. Atque a) extensione quidem latius patet potestas Petri primo quoad subditos. Subditi enim apostolorum quoad potestatem ligandi et solvendi sunt ceteri fideles, subditi Petri sunt cum universa Ecclesia etiam ipsi apostoli, quippe qui membra sint Ecclesiae. Deinde etiam latius patet potestas Petri quoad res, in quantum causarum, quae inter apostolos oriri possent, iudex supremus erat Petrus. Nec obstat, quod apostoli ornati erant donis extraordinariis, v. g. infallibilitate, ut non errarent, impeccabilitate quadam in caritate, ut in schismata non inciderent, quibus donis fiebat, ut correctione et admonitione superioris alicuius vix indigerent. Nihil enim deperit iuri et auctoritati superioris in subditos, si propter alicuius subditi perfectionem exercitium auctoritatis raro vel numquam necessarium est. — b) Intensione vero maiorem esse Petri potestatem patet; „ea enim potestas est intensione maior in regno, quae potest in omnes et in quam nemo potest, talis vero est potestas Petri" [2].

Unde inter Petrum et reliquos apostolos neutiquam fuit *perfecta* et *adaequata aequalitas*. Aequales scil. ipsi Petro fuerunt respectu *substantiae* aposto-

---

[1] Sic aliquis theologus in concilio Vaticano (Coll. Lac. VII 275; cf. 320 sq). — „Quod si omnibus etiam apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem, ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis" (Innoc. III, Ep. 209: Patriarchae Constantinopolitano: ML CCXIV 760). „C'étoit donc manifestement le dessein de Jésus-Christ de mettre premièrement dans un seul ce que dans la suite il vouloit mettre dans plusieurs; mais la suite ne renverse pas le commencement, et le premier ne perd pas sa place. Cette première parole: tout ce que tu lieras, dite a un seul, a déjà rangé sous sa puissance chacun de ceux à qui on dira: tout ce que vous remettrez: car les promesses de Jésus-Christ, aussi bien que ses dons, sont sans repentance; et ce qui est une fois donné indéfiniment et universellement, est irrévocable: outre que la puissance donnée à plusieurs, porte sa restriction dans son partage; au lieu que la puissance donnée à un seul, et sur tous, et sans exception, emporte la plénitude; et n'ayant à se partager avec aucun autre, elle n'a de bornes que celles que donne la règle" (Bossuet, Sermon sur l'unité d'Église: Oeuvres complètes de Bossuet, évêque de Meaux VI, Paris 1828, 90).

[2] Palmieri 338—339. Magis evolvit haec Franzelin 140 sqq.

latus, quatenus „hic includit immediatam a Christo missionem, infallibilitatem in docendo, plenam iurisdictionem et potestatem promulgandi ubique locorum evangelium, fundandi et administrandi ecclesias“ etc.[1] Sed cum hac aequalitate multiplex coniuncta erat inaequalitas. In Petro enim primum haec auctoritas erat *ordinaria*, scilicet, ut postea probabimus, propaganda in suos successores; in ceteris vero apostolis haec potestas erat partim saltem extraordinaria, adeo ut ipsorum successores singuli non sint heredes totius potestatis, qua fruebantur apostoli, sed tantum partis eiusdem. Deinde Petri auctoritas erat immunis ab aliorum apostolorum auctoritate; reliqui vero apostoli suum munus exercere non poterant citra respectum ad Petrum et seiuncti a Petro, suasque ecclesias Petro utpote unitatis centro et origini subordinare debebant.

Itaque dicta Christi verba probant omnino primatum iurisdictionis Petro promissum, nec possunt aliter intelligi; contra Christi verba ad apostolos simul omnes congregatos directa nullatenus requirunt interpretationem, quae Petri primatum excludat, et ideo interpretatio nostra necessario admittenda est, cum alioquin Christus falsa pronuntiasse dicendus esset. Quare „reliqui apostoli quidquid acceperunt, acceperunt in communi et una cum Petro; Petrus vero quidquid accepit, accepit seorsum a reliquis et singulariter. Hinc omne id, quod ceteri apostoli etiam simul sumpti a Domino sunt consecuti, consecutus est etiam Petrus; sed non e converso id omne, quod habuit Petrus solus, ceteri pariter habuerunt apostoli. Aliquid propterea Christus contulit speciale Petro, quod non contulit reliquis apostolis, i. e. praeeminentiam atque primatum.“[2]

Constat igitur, Christum etiam ista metaphora sicut duabus prioribus Petro promisisse primatum non tantum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis et amplissimae quidem. Et cum Christus Dominus munus illud tribus metaphoris expresserit eiusque promissionem ter repetierit, patet, eum voluisse illud ut gravissimi momenti munus describere.

Nihil autem primatui Petri obstat, vel quod discipuli contendebant, quis in regno Christi videretur futurus esse maior (Mt 18, 1. Mc 9, 33. Lc 9, 46 et 22, 24), vel quod Christus ad componendam discipulorum litem non respondit, rem iam esse diremptam promissione principatus Petro facta, sed iterum iterumque humilitatem iis commendavit. Nam cum istud promissum sub figurata locutione factum et sat diu postea exsolvendum esset, mirum non est, rudes tunc temporis apostolos eius vim nondum plene perspexisse, cum vel clarissima Christi verba de violenta sua morte futura propter prae-

[1] Cf. Hurter, Compendium theologiae [7], Oeniponte 1891, 386, n. 500.

[2] Perrone, De loc. theol. P. 1, sect. 2, c. 1, obi. 3 ad 3. — Nihilominus scribit I. F. Schulte (Die Stellung der Konzilien, Anhang p. 204 sq): „Was Petrus bei Mt 16, 19 und allen Aposteln bei Mt 18, 18 gesagt wird, ist ja materiell vollkommen identisch. Weil aber Mt 16, 19 vorhergeht: Und dir will ich die Schlüssel des Himmels geben, kann man daraus eine verschiedene Binde- und Lösegewalt folgern? Denn für den Himmel kann doch nur Kraft haben, was dies Leben nach dem Tode betrifft. Nun diese Gewalt haben *alle* Mt 18, 18 und nochmals *nach der Auferstehung* bei Io 20, 23 als Gewalt der Sündenvergebung *alle* erhalten.“

conceptas suas de Messia opiniones nullatenus intellexerint (Lc 9, 44 45; 18, 31—34).

Christus vero sua responsione primatus promissionem neutiquam negavit, sed volens ex discipulorum animis omnem vanam cogitationem et honoris cupidinem expellere, eos sui ipsius exemplo ad humilitatis virtutem sectandam adhortatus est, dominandique morem arrogantem ac superbum interdixit. Tametsi enim se ipsum vere professus est magistrum ac dominum (Io 13, 13 14), ita tamen se gessit, ac si omnium esset minister. Atque non ipsam dignitatem ac principatum, sed ambitum et dominationis abusum ab ipso fuisse proscriptum insuper patet ex hisce ipsius verbis (Lc 22, 26): „Qui maior (ὁ μείζων) est in vobis, fiat sicut minor (ὁ νεώτερος), et qui praecessor (ἡγούμενος) est, sicut ministrator (ὁ διακονῶν)." Nam quod Rosenmüller in h. l. ait: „Potest etiam ὁ μείζων esse senior, et ὁ νεώτερος iunior", falsum est, cum huic explicationi repugnent non solum verba parallela membri secundi: ὁ ἡγούμενος, princeps, dux, et ὁ διακονῶν, minister, sed etiam manifesta oppositio inter *maiorem* et *ministrantem* v. 27: „Nam quis maior (μείζων) est, qui recumbit, an qui ministrat (ὁ διακονῶν)?" Nec etiam dici potest, Christum hic loqui non de eo, qui *est* maior, sed de eo, qui *vult* esse maior, quasi una eademque occasione prolata essent ista verba apud Lucam et haec alia apud Matthaeum (20, 26): „Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister." Utrumque enim locum inspicienti evidens est, omnino diverso tempore diversaque occasione illa Christi verba dicta esse. His igitur verbis primatus unius apostoli prae ceteris adeo non negatur, ut sat clare futurus indicetur. Ad quid enim gubernandi modum pro ipsorum duce praescripsisset, si nullus umquam inter ipsos primus futurus fuisset?

Nota. Aliqui protestantes rationalistae asserunt, quae Mt 16, 18 referuntur non ipsius Christi, sed falsarii verba esse, postea in evangelium Matthaei intrusa (cf. supra p. 63). Quorum aliqui contendunt post annum 150 ea in evangelium inserta esse. Sed haec obiectio curanda hic non est[1]. Nam

1. agimus hoc loco per se non cum rationalistis; valde enim absurdum esset, cum iis de primatu in Petro instituto velle disputare, qui Christo potestatem eum instituendi negant. Incidenter igitur rationalistarum obiectiones tangimus, sed per se in toto hoc volumine res nobis est cum iis, qui Christum agnoscunt legatum divinum (cf. supra p. 1). Ii autem omnes admittunt, genuina esse verba Mt 16, 18 relata.

2. Et revera id debent admittere illi. Sicuti enim ex eo, quod Deus creavit corpus humanum modo adeo mirabili instructum, recte concluditur (cf. Mt 6, 25), Deum etiam daturum esse media, quibus corpus illud conservetur (plus est enim anima quam esca), ita simili modo etiam in nostra re concludi potest. Si enim Deus humano generi beneficium illud maximum confert, ut per Filium suum doctrinam veritatis illi annuntiet, certe eo magis eius providentia curabit, ut doctrina illa immunis a falsariorum machinationibus conservetur. Plus enim est, dare doctrinam illam et dare eam modo adeo excellenti, quam eam conservare providentia ordinaria. Ergo saltem in re adeo fundamentali et, ut ita dicam, fundamentalissima, quippe quae ipsum fundamentum Ecclesiae respiciat, Deus permissurus non erat, ut statim primo initio doctrina divina corrumperetur.

[1] Cf. Stimmen aus Maria-Laach L (1896) 129 sqq; Yves de la Brière in Études relig. CXIX (1909) 585 sqq; De Groot, Summa apologetica 495 503.

3. Et revera si doctrina de primatu Petri in falsificatione nititur atque falsario originem suam debet, de omni alia christianae religionis parte idem suspicari possumus et debemus. Atque sic de tota revelatione christiana evanescit omnis certitudo, atque actum est de christiana religione universa. Ut scil. ad rationes criticas accedamus, de textus Mt 16, 18 genuinitate critice prorsus eandem certitudinem habemus, quam de omnibus aliis textibus, qui continentur Novo Testamento, de nulliusque textus evangelii genuinitate securi esse possumus, si textus Mt 16, 18 ut spurius reicitur. In omnibus enim manuscriptis evangelii, in omnibus versionibus antiquissimis textus ille, quo Petrus fundamentum Ecclesiae praedicatur, invenitur atque ubique semper eodem constanti modo sine ulla lectione variante, quae sit alicuius momenti, recitatur. Accedit praeterea testimonium antiquissimorum scriptorum ecclesiasticorum. Atque a) Tertullianus quidem recitat textum Mt 16, 18 praesertim in libro de pudicitia, quem scripsit, postquam ab Ecclesia ad montanismum defecerat. Ex quo libro (c. 21) discimus, Pontificem Romanum (Callistum) textu Mt 16, 18 usum esse, ut vindicaret Ecclesiae potestatem omnia peccata condonandi. Contra Callistum exsurgens Tertullianus hanc eius argumentationem convellere studet. Ex quo eius studio patet, Tertullianum, si ullo modo ei dubia fuisset textus Mt 16, 18 genuinitas, certissime id adversario obiecturum fuisse. Sed nihil eiusmodi dicit, sed probare studet, illo textu personale tantum Petro privilegium tribui, quod ad eius successores non transierit. Etiam Cyprianus [1] illum textum bis expresse recitat, et saepe ad eum alludit [2]. Cypriani aequalis Firmilianus, episcopus Caesareae Cappadociae, item hunc textum novit [3]. — b) Origenes, quo nemo melius in tota antiquitate christiana varios evangeliorum manuscriptos libros et varias lectiones noverat, de genuinitate textus Mt 16, 18 nullam suspicionem habet. Explicat eum latissime in commentario evangelii Matthaei [4] et saepissime eum significat [5]. — c) Ante Tertullianum et Origenem textum Mt 16, 18 se nosse significant Iustinus martyr et Irenaeus. Atque Iustinus quidem: „Unum ex discipulis suis, qui eum revelante ipsius Patre Filium Dei Christum esse agnoverat, Petrum appellavit, cum prius Simon vocaretur.“ [6] Unde certum est, Iustinum in evangelio legisse saltem haec: „Petrus dixit: tu es Christus, filius Dei vivi. . . . Iesus dixit ei: beatus es Simon, Bar Iona, quia caro et sanguis non revelabit tibi sed Pater meus . . . Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.“ At his verbis: „Tu es Petrus“ Christi sermo concludi non poterat, sed evidenter etiam in Iustini evangelio additum erat, quid haec vox *Petrus* significaret et cur Christus

---

[1] De unit. Eccl. 4; Ep. 33, 1 (Hartel 212 566).

[2] Ep. 43, 5 (Hartel 594); ep. 59, 7 (p. 674); ep. 66, 8 (p. 732); ep. 70, 3 (p. 769); ep. 71, 3 (p. 773); ep. 73, 7 11 (p. 783 786); De hab. virg. 10 (p. 194); De exhort. mart. 11 (p. 338); De bono pat. 9 (p. 403).

[3] Inter Ep. Cypriani ep. 75, 16 (p. 820).

[4] In Matth. t. 12, n. 10—13 (MG XIII 996—1011).

[5] In Matth. t. 12, n. 32 33; t. 14, n. 5 (MG XIII 1057 1060 1193); Series interpret. in Matth. n. 77 139 (ib. 1724 1791); In Isaiam hom. 7, n. 1; cf. hom. 8 fin. (ib. 247 252); In Ezech. hom. 13, n. 2 (ib. 761); In Ps. 38 hom. 1, n. 10 (ib. XII 1399); In Exod. hom. 5, n. 4 (ib. 329); In Ep. ad Rom. l. 5, c. 10 (ib. XIV 1053); In Ioan. t. 5, n. 3; t. 10, n. 6 (ib. 188 320); C. Cels. l. 6, n. 77 (ib. XI 1416).

[6] Dial. cum Tryph. n. 100 (MG VI 709).

hoc nomen discipulo inderet. Secus enim quid sibi vellet mutatio nominis et cur haec mutatio praemium confessionis Petri esset, intelligi non poterat. Praeterea mutatione illa nominis ex Iustini sententia magnum aliquid portendebatur [1]. Ergo notum supponit lectoribus suis, quid nomen Petri significet. Atqui a Iustini tempore ad Tertulliani tempus christianorum persuasio de Petri nominis significatione certe mutata non est. Ergo in Iustini evangelio nomen Petri Mt 16, 18 eodem modo explicabatur ac in hodierno. Haec de Iustino. Porro Irenaeus vituperans haereticos dicit de iis: „Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in se ipsa lapides multos." [2] Quodsi haereticis *obicitur*, eos *non* esse fundatos super petram, ergo vera Ecclesia debet fundata esse super petram. Sed hoc unde scire Irenaeus poterat nisi ex loco Mt 16, 18? Certe minime ex loco Mt 7, 24, quem *etiam* cum textu Mt 16, 18 respici non negamus. Quodsi vero textum Mt 16, 18 Iustinus et Irenaeus cognoscunt, nullo modo verum est, quod dicunt, eum post annum 150 in evangelium intrusum esse.

4. Accedit, quod ex adversariorum sententia locus intrusus esset in evangelium non statim primis decenniis post Christi mortem, sed longe postea. Nam si eum v. g. iam Pauli tempore vel ante a. 80—90 in evangelio exstitisse dicerent, eo ipso concederent, quod summopere exhorrent, scil. fuisse tunc temporis in Ecclesia auctoritatem, quae divinae originis putabatur, vel, ut loquuntur, episcopatum monarchicum. Ipsa enim textus illius in evangelio exsistentia hunc episcopatum tunc fuisse demonstraret. Ergo affirmandum est adversariis, posteriore tempore ab homine *graeco* Matthaei *graeco* evangelio textum assutum esse; post prima enim decennia christianae religionis exortae iudaeo-christiani iam nullius auctoritatis in Ecclesia erant. Iam vero locum Mt 16, 17—19 a graeco homine originem non ducere legenti statim in oculos incurrit. Nam et in elocutione et in modo res concipiendi eam is indolem et quasi faciem prae se fert, quae longissime absit a graecorum more. Petrus ibi nominatur Bar Ionae, ubi Bar, i. e. filius, est vox aramaica. Dicitur porro: „caro et sanguis" non revelavit tibi, i. e. solis viribus naturalibus intellectus tui haec non cognovisti, usurpantur voces ligandi et solvendi iudaico sensu (cf. supra p. 51 sq). Quae omnia ut iudaeis familiaria, ita a graeco res concipiendi et eloquendi more alienissima sunt [3].

5. Petro Petroque soli sollemni modo Christus nomen mutavit. Quae mutatio cum certissime aliquid magni portenderit atque ab evangelistis cum emphasi quadam narretur, omnino exspectandum est, ut quid tandem illa sibi velit alicubi in evangeliis tradatur. Iam vero nullibi id traditur, si textus Mt 16, 18 est falsificatus. Quod est omnino absonum.

6. Praeterea nihil iuvat rationalistas, si textum illum spurium declarant. Quem postquam ex evangelio eiecerunt, utique ita se gerunt, ac si ex rerum natura atque historia ille evanuisset. At non ita res se habet; eiectus enim ille statim cum maiore vi recurrit. Cum scil. nemo gratis mendax sit, si

---

[1] Dial. cum Tryph. n. 106 (MG VI 724).

[2] Adv. haer. 3, 24, 2 (MG VII 967).

[3] „Daß Mt 16, 17—19 nicht etwa erst von dem griechischen Übersetzer oder Überarbeiter eines aramäischen Evangeliums eingeschoben ist, beweist allein schon der sprachliche Ausdruck des Stücks, welches von Anfang bis zu Ende so recht jüdisch klingt wie nur irgend ein Stück des Matthäus" (Th. Zahn, Das Evangelium des Matthäus[2], Leipzig 1905, 547).

opus falsarii ille textus est, ob certum finem consequendum a falsario in evangelium insertus est. Qui finis quis alius esse poterit, quam ut Petrus, romana Ecclesia, romanus primatus fulciantur? Ergo ex ipso falsificationis facto illud constat, saeculo vel primo vel secundo factionem exstitisse inter christianos romano primatui addictissimam atque ita ubique inter christianos potentissimam, ut omnes ubique locorum evangeliorum codices nemine reclamante potuerit falsare. Quod si est, quomodo fit, ut nihil historia de ea factione referat? Quomodo iam affirmare poterunt illi rationalistae, textus omnes saeculi secundi, v. g. Ignatii et Irenaei, qui ex catholicorum sententia primatum romanae Ecclesiae testificantur, nullam illius primatus mentionem continere? Hoc enim illi solent affirmare. — Praeterea quid nomen Petri adeo sollemniter apostolo inditum significaret, etiam evangelistis tacentibus e christianorum memoria elabi non poterat. Ergo etiamsi locus, quo Petri nominis significatio explicatur, postea in evangelium insertus esset, non poterat tamen alia significatio ei subdi, quam illa, quae in christianorum memoria vigebat et ab omnibus ei tribuebatur. Ergo Petrum petram esse Ecclesiae etiam in adversariorum suppositione manet.

7. Argumenta denique illorum rationalistarum vi probandi prorsus destituuntur. Unicum locum ex omnibus Patrum graecorum, latinorum, syriacorum libris proferunt, quem putant sententiae suae fulcimini esse. S. Ephraem Syrus scil. in commentario suo in Tatiani Diatessaron sic textum refert: „Vos autem quid dicitis de me, quod sim? Simon, caput et princeps, locutus est: tu es Christus, filius Dei vivi. Et respondit: beatus es, Simon. Et portae inferi te non vincent, i. e. quod non destruetur fides.“ [1] Unde ita concludunt: Ephraem in toto libro suo non explicat unum aliquod ex quatuor evangeliis, sed illam evangeliorum harmoniam, quam ex quatuor evangeliis composuit Tatianus, S. Iustini († ca 165) discipulus; Tatiani liber scil. in ecclesia syriaca per longum tempus in usu erat; ergo textus Mt 16, 18 illa forma, quam commentatur Ephraem, est illa, quam legebat Tatianus saeculo secundo, et est primogenia illius textus forma. Unde vides, in primogenia illa forma nullam mentionem fuisse Ecclesiae aedificandae in Petro, sed solummodo Petro ipsi personaliter victoriam de diabolo promissam fuisse. At respondendum est, Ephraemum non totum textum, quem in evangelio suo legebat, posuisse, sed eum compendio referre. Et revera a) omittit Ephraem verba: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in coelis est. Sed haec Tatiani tempore et ante eum in evangelio fuisse etiam adversarii admittere debent, patet id enim ex Iustini supra p. 101 allato loco, ex Irenaeo [2], Clemente Alexandrino [3]. Porro continebat textus, quem in evangelio suo legebat Ephraem, b) mentionem Ecclesiae aedificandae. Nam immediate post verba superius allata Ephraem pergit: „Quod enim dominus aedificat, quis potest destruere?... Dominus cum Ecclesiam suam aedificaret, aedificavit turrim, cuius fundamenta omnia, quae erant superaedificanda, portare possent.“ Praeterea c) legebat Ephraem in textu, quem commentatus est, etiam verba: tu es Petrus. Nam procedente commentario Ephraem illa verba explicat, quo certo probatur, in textu explicando ea affuisse. Dicit enim

[1] Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo doctore syro, ed. G. Moesinger, Venetiis 1876, 153.

[2] Adv. haer. 3, 13, 2; 19, 2 (MG VII 912 940).

[3] Stromata 6, 15 fin. (MG IX 357; ed. Stählin II 499).

sic: „Tu es petra, illa petra quam erexit, ut satanas in eam offenderet.“ [1] Accedit quod Ephraem in aliis scriptis suis saepe Petrum fundamentum Ecclesiae nominat [2]. Etiam Aphraates, qui floruit c. 337—345 et itidem utitur Tatiani Diatessaro, saepe Petrum fundamentum Ecclesiae nominat [3]. Quod autem Ephraem in illo inciso: καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς vocabulum αὐτῆς ad „petram“, non vero, ut communiter fit, ad „Ecclesiam“ videtur referre atque consequenter vertit: portae inferi *te* non vincent, vim ac sensum loci illius non mutat. Si enim contra fundamentum Ecclesiae non praevalet infernus, neque contra ipsam Ecclesiam praevalet et vice versa. Etiam Origenes illud αὐτῆς sic videtur intellexisse, nam saepe laudat Petrum, „contra quem portae inferi non praevalebunt“ [4]. Aliqui Patres dum recitant locum Mt 16, 18, ita eum recitant, ut de Petro dicant: portae inferi non praevalebunt „adversum te“ [5]. Multi alii Patres, licet textum eo modo non recitent, contra Petrum tamen dicunt infernum non praevaliturum [6].

Obiciunt, Lc 9, 18 sqq et Mc 8, 27 sqq narrari quidem Petri confessionem, nihil tamen ibi haberi de Ecclesia in eo aedificanda. Ergo haec postea addita et conficta esse. — At 1. saepius fit, ut res etiam magni momenti ab uno tantum evangelio narrentur, v. g. baptismus in nomine SS. Trinitatis conferendus a solo Matthaeo commemoratur. Lucas post multiplicationem panum 9, 10—17 narratam 9, 18 statim transit ad Petri confessionem, permultis omissis, quae narrantur Mt 14, 22 ad 16, 13 et Mc 6, 45 ad 8, 26. Ergo magis consideratione dignum est, quod post tam multa omissa Lucas Petri confessionem *non* omittat, quam quod breviter tantum de Petro confitente agit. — 2. Petri confessionem rem magni momenti et esse et visam esse Marco et Lucae praeterea tum ex rei natura tam ex modo narrandi elucet. Ergo certum videri debet, Christum ad eius confessionem non tacuisse, sed eam approbasse et laudasse, et hanc approbationem et laudem Marcum et Lucam optime cognitam habuisse. — 3. Cur eam non memorarint, nescimus; coniecturas probabiles tamen afferre possumus. Scripserunt evangelistae, ut in memoriam revocarent christianis Christi doctrinam. Sed superiorum ecclesiasticorum potestas iam praxi et quotidiano usu satis in memoriam reducebatur. Ita facile explicatur, cur Marcus, Petri comes et interpres Romae scribens, Petri primatum non magis efferat, qui Romanis ante oculos versabatur. Sufficiebat enim, quod in uno Matthaeo haec res clarissime explicabatur, unde necessarium non erat, ut Petrus ipse multum de primatu suo loqueretur; unde cur eius interpres, Petri catecheses chartae tradens, et ipse parcus in hac re sit, optime intelligitur. Lucam praeterea

---

[1] Evangelii concordantis expositio 154.

[2] Cf. infra huius thesis Pars B, Confirmatur III, 1, b. [3] Ibid.

[4] In Matth. t. 12, n. 32 33; t. 14, n. 5 (MG XIII 1057 1060 1193).

[5] Sic v. g. Cassianus c. Nestorium l. 3, c. 14 (ML L 70); Thomas patriarcha Hierosolymitanus (*οὐ κατισχύσουσί σε*) ap. Theodor. Abucara, Opusc. IV (MG XCVII 1505). Ab his textibus distinguendi sunt alii, in quibus Patres rhetorice alloquentes Ecclesiam dicunt: adversus te, *o Ecclesia*, non praevalebunt portae inferi (Ps.-Athanasius, i. e. probabiliter Hesychius, in Ps. 147, 5 [MG XXVII 1328]. Ephraem in Is. 54, 17, apud Lamy, S. Ephraemi hymni et sermones II 156). Hi enim Patres *αὐτῆς* referunt ad *ἐκκλησίαν*.

[6] Cf. Petri Ballerini De vi ac ratione primatus Rom. Pontif. c. 15, n. 2 (Westhoff 269 sqq).

monent exegetae saepe praetermittere, „quae cum aliis ab eo narratis aliquam habeant cognationem vel similitudinem". Iam vero Petri primatum satis aliis locis innuerat — praecipue Lc 22, 32, ubi vox ‚confirma' (στήρισον) idem dicit ac esse fundamentum —, quapropter necessarium non esse ipsi videri poterat, omnia exscribere, quae iam apud Matthaeum (16, 16—19) legi poterant [1].

De aliis adversariorum argumentis in universum haec dici possunt, eos quae veteres protestantes protulerint contra Petri primatum, contra authentiam textus Mt 16, 18 vertere. Sic v. g. dicunt, Petri ingenium et mores cum firmitate et immutabilitate petrae non convenire, Christi verba Mt 23, 11 excludere primatum Petri, Pauli contra Petrum agendi modum Gal 2, 10 sqq, eius verba Eph 2, 20 ostendere, eum non agnovisse Petrum fundamentum Ecclesiae [2]. De his omnibus hoc loco respondere opus non est, cum alibi in tractatione nostra de his agatur. I. Holtzmann locum Mt 16, 16—18 genuinum non esse ex eo probat, quod Christus usque ad finem vitae operam det, ut totum populum Israel ad se convertat. Christum autem, si ecclesiam sibi propriam fundare aggressus esset, ex hoc ipso argui desperavisse de toto populo sibi aggregando [3]. Quod frivolum esse patet. Nam etiamsi sciebat Christus, operam et laborem suum magna ex parte inutilem futurum esse, tamen strenue in labore pergebat, ut officio a Patre sibi iniuncto satisfaceret. Meliora non sunt, quae alii adversarii proferunt.

Ut res clarius pateat, videamus libellum [4], cuius auctor sibi demonstrandum proponit, textum de quo agimus esse spurium. Concedit ille, verbis Mt 16, 18 Petrum solum, non vero alios apostolos fundamentum et summum administratorem regni Dei in terris constitui eiusque officium ad Petri successores transire debere [5]. Talem autem promissionem a Christo ipso profectam non esse sic suadere conatur: 1. Repraesentari in illa Christum ut Filium Dei ex Deo genitum. Atqui omnes textus, in quibus Christus ita nobis proponatur (v. g. Mt 11, 25), esse postea in evangelium intrusos. 2. Non esse verum, quod usque huc omnes putaverunt, Christum ipsum indidisse discipulo suo nomen Petri. 3. Iacobum, non Petrum primis Ecclesiae annis summae auctoritatis fuisse. 4. Quae Gal 2 narrentur, excludere primatum Petri. 5. Petri indolem non eam prae se ferre fortitudinem, qua Petrus vocari potuerit. 6. Ex Christi voluntate omnes discipulos inter se esse pares. 7. Chri-

---

[1] Cf. Knabenbauer in Luc. 311—313; In Marc. 219—221.

[2] A. Resch, Außerkanonische Paralleltexte zu den Evangelien. II: Paralleltexte zu Matthäus und Markus, Leipzig 1894, 189 sq 441. Cf. Stimmen aus Maria-Laach L (1896) 129 sqq.

[3] Lehrbuch der neutestamentl. Theologie I, Freiburg-Leipzig 1897, 211.

[4] J. Grill, Der Primat des Petrus, Tübingen 1904.

[5] „Indem er [Christus] jetzt dem Simon Barjona jenen Beinamen erteilt, der ihn als Felsenmann charakterisiert, bestimmt er ihn zugleich ausdrücklich und feierlich für die ganze Folgezeit zum Fundament seiner Gemeinde und ernennt ihn zum höchsten Beamten und Würdenträger des Himmelreiches auf Erden" (ib. 1). — „Daß die übrigen [Apostel] in *ταύτῃ τῇ πέτρᾳ* nicht mit einbegriffen sein können, folgt schon daraus, daß bei ihnen die besondere Offenbarung fehlt, aus der sich allein das auszeichnende Bekenntnis des Simon erklärt" (ib. 9—10). — „[Es] ist hier in der Tat eine auf Christus zurückgehende Veranstaltung vorausgesetzt, vermöge deren die Persönlichkeit und Autorität des Petrus durch seine ordentlichen Amtsnachfolger vollgültig repräsentiert wird, so daß die letzteren auf ähnliche Weise der ‚Petrus' sind, wie seit Ezechiel (34, 23 24; 37, 24 25) die erwarteten Träger der messianischen Verheißung als der ‚David' erscheinen" (ib. 11—12).

stum solum fundamentum asseclarum suorum debere esse. Denique probabilissimum esse putat, Romae sub Romano Pontifice Victore (ca a. 190) textum Mt 16, 18 Petro appropriatum et loco, ubi hodie legitur, in evangelium insertum esse [1]. — Ex quibus argumentis primum non est necesse ut refutetur, nullo enim modo, quod audet effutire, auctor demonstravit. Ad alias vero rationes partim iam respondimus, partim aliis locis respondebimus. Sufficiat igitur hic annotasse, ex scriptoris illius sententia primatum Petri et eius successorum doctrinae Christi prorsus adversari, et tamen ca 150 annis post Christi mortem illum primatum in Ecclesia ita universaliter agnitum fuisse, ut in omnes evangelii codices insereretur; aliis verbis: iam tunc Ecclesia a Christi doctrina prorsus defecit. Quis hoc admittat et tamen christianus esse pergat?

Quod adversarii dicunt de verbis Christi Mt 16, 18, idem prorsus enuntiant de ceteris evangelii textibus, quibus doctrina de auctoritate in Ecclesia a Christo statuta demonstratur. Ita spurium declarant verba de clavibus Petro datis [2], promissiones Mt 28, 18 sq, verba, quibus Petrus „primus" dicitur Mt 10, 2, totum denique caput 21 ex evangelio Ioannis. Quae singula refutare operae pretium non est, cum quae supra sub n. 1—3 diximus, etiam de his textibus valeant. Unum admonere sufficiat: vide, quanta hi adversarii catholicis concedant! Concedunt enim etsi non verbis, tamen agendi suo modo, 1. catholicam Ecclesiam optime in evangelio, sicuti usque nunc legebatur, fundatam esse, nec posse everti, nisi ipsum evertatur evangelium. 2. Totam protestantismi scientiam a Luthero usque ad finem saeculi XVIII errasse, et a catholicorum scientia victam esse. Falsis enim rationibus veteres protestantes catholicam textus Mt 16, 18 explicationem impugnasse moderni protestantes concedunt.

Postquam igitur promissum esse primatum Petro ostendimus, Christum promissis stetisse restat ut demonstretur.

B. Christus Petro primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam revera contulit. Et

1. quidem ex ipsa primatus promissione consequitur, primatum Petro revera collatum esse. Ea enim promissio fuit vera atque absoluta, a nulla apposita conditione pendens; Christus vero non est mendax, sed fidelis; ergo promissis stetit Petroque iurisdictionis primatum reapse contulit. Et vero

2. id diserte refertur a Ioanne (21, 15—17) [3]. Hic enim legitur Christus post gloriosam a mortuis resurrectionem tertio discipulis apparens Simoni Petro dixisse: „Simon Ioannis, diligis me plus his (*πλέον τούτων*)? Dicit ei: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos (*βόσκε τὰ ἀρνία μου*). Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos (*ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*). Dicit

[1] Grill 61 sqq. Audi, quid dicat de Romano Pontifice Victore: „Merkwürdigerweise ist nun gerade Bischof Viktor derjenige unter den ‚Nachfolgern' des römischen Petrus, in dessen Auftreten, Amtsbewußtsein und Kirchenpolitik der dem Petrus in der Matthäusstelle zuerkannte Primat zuerst und zugleich in unerwartetem Maße sich spiegelt" (ib. 65).

[2] W. Köhler in Archiv für Religionswissenschaft VIII (1905) 214—243. Vix credibile est, quam absurda in hac commentatione congerantur, ut textum illum ex magia et cultibus paganorum originem ducere suadeatur.

[3] Cf. Schanz, Apologie III 421 sqq; Gutberlet III 124 sqq.

ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas (*βόσκε τὰ προβάτιά μου*)." Discrimina porro lectionis graecae et latinae ea non sunt, ut vis argumenti ex hoc loco petendi multum afficiatur[1]. Ut autem vere demonstretur, hoc loco Petro primatum iurisdictionis in totam Christi Ecclesiam communicatum esse, ostendendum est, tum ista Christi verba immediate ad Petrum eumque solum referri, tum iis supremam iurisdictionis potestatem in universum Christi gregem ipsi tribui. Itaque

PROBATUR PRIMUM: illa verba ad solum Petrum referri. Nam a) *id testatur evangelista,* referens, Christum Simonem Petrum allocutum esse; scribit enim: „Dicit Simoni Petro Iesus."

b) *Patet idem ex ipsa Christi allocutione.* Dicit enim ter: „Simon Ioannis", qua eadem compellatione Christus usus est Mt 16, 17; hic autem alius non est quam Simon Petrus; et eum quidem solum compellari patet e numero singulari, quo Christus eum alloquitur, dum v. 10 12 omnes apostolos alloquens usus est forma loquendi plurali.

c) *Idem liquet praeterea ex eo,* quod Christus *Petrum aliis apostolis opponit,* interrogans eum: diligis me plus quam hi (*πλέον τούτων*)?

Secundum grammaticam quidem structuram ista verba significare possunt: diligis me plus quam hi, alii scil. praesentes apostoli; vel: diligis me plus quam has res, scil. pisces captos, suppellectilem piscatoriam etc., vel: diligis me plus quam hos, scil. apostolos. Attamen et secundus et tertius sensus, quo aliqui protestantes illa Christi verba acceperunt, reiciendus est. Imprimis enim Petrus ad Christi interrogationem non statim confidenter respondet, sed manifesto haesitat; minime autem haesitasset, si interrogatus fuisset, diligeretne Christum plus quam naves vel etiam apostolos. Quis insuper opinetur, Christum talia eum discipulum interrogasse, qui iam dudum Christi divinitatem professus fuerat, quique, antequam Christum in atrio principis sacerdotum ex timore negaret, tam insigni ipsum amore prosecutus erat? Recordare modo, quae Io 6, 69; 13, 6—9 37; 18, 10 de eo narrantur, sicut etiam amoris et honoris, quo eum Christus toties antea affecerat, uti Io 1, 42; Mt 16, 18 et Lc 22, 31 32; recordare doloris, quo Petrus negationis peccatum defleverat (Lc 22, 62) et amoris, quo actus paulo ante (Io 21, 7), ut *citius* ad Iesum veniret, omnis morae impatiens in mare se dederat, cum reliqui discipuli interea navigio vecti tardius appropinquarent. — Verum non solum Petri indoli et moribus, sed imprimis etiam Iesu dignitati repugnasset ista interrogatio tam accurata ac toties repetita, utrum se magis quam ceteros apostolos diligeret. Eiusmodi enim sollicitudo eo solum digna videtur, qui zelotypia uritur; tametsi autem Christus ab hoc defectu eodem modo, sicuti ab omnibus aliis, liberrimus fuit, Petrum toties interrogando

---

[1] Notum est, in singulis illis versibus legi a nonnullis *πρόβατα*; ita in v. 15 a codd. C, D, Chrysost. et aliis; in v. 16 a codd. A, D aliisque auctoritatibus; in v. 17 denique a codd. D, X, G aliisque. Etiam versionis Italae codex Vercellensis ter habet: pasce *oves* meas (ML XII 497). Complures codices Italae (l. c.) et versio syriaca Lewisiana v. 15 omittunt „plus his".

istius vitii saltem *speciem* prae se ferre visus esset iis, qui eum nondum firma fide Deum-hominem esse credebant. Omnino autem Iesu Christo convenit, ut etiam nullam istius speciei causam ullatenus daret.

Denique licet secundum constructionis formam sensus istorum verborum dubius esse possit, ex ipsorum tamen mutua collocatione ambiguitas tolli videtur, cum ii tandem inter se relati termini censendi sint, qui sunt iuxta se positi seque proxime excipiunt. Quare[1] „si inter μέ et τούτους relatio intercederet, ita fuissent verba disponenda: ἀγαπᾷς τούτων με πλεῖον; cum igitur disposita secus sint legamusque ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων, concludi debet, *subiecta,* non *obiecta, Simonem* et *discipulos, non Christum* et *discipulos,* ad invicem referri, eo vel magis, quod Ioanni infrequens haud sit, *obiecta comparata* ἀμέσως iungere, *subiecta* vero, interiecto comparativo, tum etiam dividere ac separare, cum nullum imminet ex ambiguitate periculum. Iungit enim *comparata obiecta* scribens (7, 31): μή τι πλείονα σημεῖα τούτων ποιήσει; Ac iterum iungit, dum *subiecta* dividit et separat, cum 8, 53; 14, 28 tum 4, 12 inquiens: μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. Ac denuo (13, 16; 15, 20): οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ. Liquet igitur, non Christum, sed Petrum cum apostolis reliquis conferri; Christum vero de eo interrogare, non utrum Petrus maiore se ipsum amore quam socios discipulosque diligeret, sed utrum *impensiore eum caritate,* quam socii ac apostoli, prosequeretur.“ Secus debuisset Petrus respondere: utique Domine amo te creatorem plus quam has creaturas. De hoc enim secundum illam adversariorum opinionem interrogatus fuerat neque ulla suberat causa, cur ad hoc non responderet.

Contra si catholica interpretatio vera est, Petrus aliter respondere non potuit, quam revera respondit, non solum quia alioquin visus esset se immodeste efferre supra ceteros discipulos, sed etiam ideo, quod Christum a se diligi ex testimonio conscientiae suae sciebat, plus vero a se Christum quam a ceteris discipulis diligi, ex testimonio solius Christi discere poterat.

Illi porro soli respondet Christus: *pasce,* quem ter interrogando ad sollemnem amoris professionem provocaverat; interrogaverat autem solum Petrum; ergo ad hunc solum huius loci verba referuntur.

d) *Prima ista Christi interrogatio* manifesto atque ex omnium etiam consensu refertur ad triplicis negationis peccatum a Petro antea commissum; ille proinde hic interrogatur, qui Christum ter negaverat; is autem fuit solus Petrus.

e) *Christus* eadem omnino oratione nullatenus inflexa pergit v. 18 dicere: „Cum esses iunior, cingebas te“ etc., quae manifesto solius Petri sunt propria, continentque praedictionem mortis, qua Petrus, ut annotat ipse evangelista, „clarificaturus“ erat Deum. Ergo etiam ea, quae praecedunt in eadem illa oratione, ad solum Petrum pertinent.

f) *Denique illi dicitur:* „pasce“, de quo agunt, quae v. 18—21 habentur; sed istic manifesto agitur de solo Petro, eoque ut apostolici collegii vice nullatenus fungente, sed *per primatum dilectionis* a ceteris apostolis omnino distincto. Manifestum enim est, de singulis aliis apostolis non dici, ipsos Christum plus diligere prae reliquis apostolis,

[1] Passaglia, De praerogat. b. Petri 581.

qui aderant. Unde luce clarius est, nostri loci verba immediate ad Petrum eumque solum referri. Qua re non impeditur, quin sensu *accommodato* ea ad alios etiam apostolos cum nonnullis medii aevi scriptoribus referri possint. Itaque

PROBATUR SECUNDUM: isto loco iurisdictionis primatum Petro in totum gregem, sive in universam Ecclesiam conferri.

Enimvero hic verae iurisdictionis primatus in universam Ecclesiam Petro collatus est, si a) *Christus istis verbis* omnes omnino fideles ideoque etiam apostolos Petro credidit pascendos, si b) *istud Petri munus* pascendi veram ac supremam iurisdictionem spiritualem significat. Iam vero ita se res habet. Nam

a) *definite omnes Christi fideles pastorali Petri curae commissi sunt.* Etenim *α) Christus agnorum* et ovium nomine fideles suos sive, qui sibi nomen daturi sint, christianos designat. Iam in Vetere Testamento homines persaepe vocantur oves vel agni vel grex Dei cum relatione aliqua sive expressa sive tacita ad munus pastorale ipsius Dei vel aliorum sub eo pastorum, et per ista nomina semper designantur fideles sive membra veteris Ecclesiae, scil. synagogae, uti v. g. Ps 73 (74), 1; 78 (79), 13; 94 (95), 7; Ier 23, 1—4; Ez 34 per totum caput, et alibi saepe. Christus vero ipse Io 10, 11—16 se bonum pastorem hominum vocat, et de suis fidelibus ut ovibus suis loquitur. Et Hebr 13, 20 dicitur ipse magnus pastor ovium, atque 1 Petr 5, 4 princeps pastorum (*ἀρχιποιμήν*); christiani vero vocantur pariter 1 Petr 5, 23 grex Dei. Quare cum Christus nullius alterius quam hominum gregis pastor fuerit, nullum dubium esse potest, quin agnos *suos* et oves *suas* Petri pastorali curae committens, ipsos fideles, qui Christi gregem constituunt, ei crediderit; neque id a quoquam negatur.

β) Sed non minus certum est, agnorum et ovium nomine Christum definite *universum* fidelium gregem, ne apostolis quidem exceptis, Petro pascendum tradidisse. Nam

α′) omnes Christi fideles sunt vel agni (*ἀρνία*) vel oves (*πρόβατα*) vel oviculae (*προβάτια*). Quamquam enim ea integri ac completi gregis partitio non est perfecta, si grex sensu proprio accipitur, cum is praeter oves et agnos comprehendat etiam arietes, perfecta ea tamen est et absoluta, si grex intelligitur sensu metaphorico et, prout in S. Scriptura maxime Novi Testamenti fit, ad significandam Dei Ecclesiam vel denotandos Christi fideles adhibetur.

Si enim in S. Scriptura isto sensu translato de grege agitur, numquam arietum, sed ovium et agnorum tantum mentio fit, et insuper in Novo Testamento vocabulum „aries“ ne semel quidem sensu vel proprio vel translato invenitur. Neque obstat Mt 25, 32 33, ubi Christus, de universis hominibus loquens, bonos nominat oves (πρόβατα), malos vero et aeternum damnandos hoedos (ἐρίφια). Caper enim non pertinet, tamquam pars necessaria, ad ovium gregem, et hoc loco manifeste a Christi grege excluditur. — Pariter

non obstat, quod versio syriaca Peshittha legit v. 16 non agnos (πρόβατα), sed *arietes,* secundum quam lectionem Christus gregem suum in tres classes divisisset, agnorum scil., arietum et ovium. In qua versione nomina leguntur nominibus agnorum et ovium respondentia haec tria diversa: v. 15 אמרא, v. 16 ערבא, v. 17 נקותא [1]. Porro nomen ערבא est masculini generis potestque igitur arietem significare, quamquam alibi in Novo Testamento de gregis ovibus *cuiusvis aetatis et generis* generatim adhiberi solet, uti Mt 9, 36; 10, 6; 12, 11 12; 15, 24; 18, 12; 26, 31; Mc 6, 34; Lc 15, 4; Io 2, 14 15; 10, 3 4 12 26 27. Usurpatur autem hoc nomen, si, ut hoc nostro loco, metaphorice adhibetur, *bono sensu;* quod patet cum ex Io 10, 26 27 tum maxime ex Mt 25, 23, ubi homines iusti et aeterna felicitate beandi illo nomine appellantur. Eo tamen vocabulo hoc nostro loco arietem significari vult etiam celeber Iacobitarum doctor saeculi IX Moses Barcepha, utpote qui Christi verba Io 21, 15 17 ita interpretatus est [2]: „Per *agnos* quidem intelligit [Christus] pastores et praesides Ecclesiae, super quos ipse *Simon constitutus* est a Domino suo *caput et rector*. . . . Item per *agnos* intelligit sanctos apostolos duodecim, necnon et septuaginta duos; . . . per *arietes* autem sacerdotes, doctores, antistites, rectores, . . . denique *oves* nuncupavit sanctos, greges fidelium universaliter sumptos.“ „Ubi nota“, addit I. David, „quo sensu interpretetur auctor et cum eo *omnes* scriptores syrochaldaei tres pascendorum classes, iuxta versionem syrochaldaicam a Christo Petri regimini creditorum.“ Accedit, quod cum syriacum vocabulum v. 17 ovem femineam designet, nomen v. 16, quod per se significat ovem masculini generis, videtur hic, utpote alteri oppositum, suo proprio omnino sensu accipiendum esse. Sed haec, inquam, nostrae sententiae, qua dicimus, Christum *omnes* suas oves Petro pascendas tradidisse, manifesto non solum non obstant, sed potius favent; cum profecto ad ovium gregem sensu proprio acceptum alia animalia quam oves, agni et arietes non pertineant, hincque Christus secundum syrochaldaicam versionem pariter *totum* suum gregem istis suis verbis pascendum tradidisse dicendus sit. — Ceterum opus non est, quid significent agni et oves singillatim investigare, cum totum gregem Petro tradi ex tota oratione eluceat.

Ergo oves et agni, de quibus Christus loquitur, totum eius gregem constituunt, cum oves et agni Christi non sint hi et illi, sed omnes, ipsis quoque apostolis inclusis; nulla enim apponitur restrictio, nulla vel insinuatur. Non enim dixit Christus: pasce aliquos agnos, aliquas oves, sed universim *suas* oves *suosque* agnos Petro tradidit. Quod vero apostoli ceteri pastores etiam fuerunt respectu christianorum, profecto non impedit, quominus comparate ad Christum, cuius vices gerere debebat Petrus, essent etiam ipsi oves. Itaque illas omnes suas

[1] Eadem nomina retinuit Versio Philoxeniana (ed. White I 553). Versio Lewisiana nomina habet: ערבי, ינקותי, אמרי, i. e., ut vertit A. Lewis, my lambs, my sheep, my flock. Arabica versio Tatiani evangeliorum harmoniae (ed. Ciasca, Romae 1888, c. 54, p. 207 [arab.] 98 [lat.]) habet: Pasce mihi agnos meos — hircos meos — oves meas. Homilia aliqua syriaca incertae aetatis ab haeretico homine conscripto explicat Io 21, 15 sqq ita, ut oves intelligantur viri, oves-matres feminae, oviculae pueri et puellae (Anecdota Oxoniensia. Semitic Series. Vol. I, Part IX, Oxford 1896, p. 76).

[2] I. David, Antiqua ecclesiae syro-chaldaicae traditio 25.

oves et agnos committens Petro pascendos, Christus omnes fideles sive totam Ecclesiam non solum ex iudaeis, sed etiam e gentilibus colligendam, quam ipse *unum* suum ovile dicit (Io 10, 16), Petro credidit.

Quod quam plurimum confirmatur tum ex articulo, qui in lectione graeca habetur, tum ex apposito pronomine. In graeco enim textu habetur: *τὰ ἀρνία μου, τὰ πρόβατά μου, τὰ προβάτιά μου*; articulus porro ad *totum* genus significandum praeponitur; certum autem imprimis est, etiam apostolos ad Christi gregem pertinere. Pariter pronomen certo ad singulas et universas Christi oves extenditur easque omnes comprehendit, cum nemo possit esse christianus, qui saltem iure et ex officio non sit ovis Christi. Certe „qui dicit: relinquo *mea* bona filiis *meis,* sine dubio nihil ex suis bonis nec ullum ex suis filiis excludit. Et Dominus cum ait (Io 10, 14 sqq): cognosco oves *meas,* et oves *meae* vocem meam audiunt, et ego pono animam meam pro ovibus *meis,* tametsi non dicat: *omnes* oves, et *omnibus* ovibus, nemo negare potest, quin de omnibus sit locutus.“ [1] Ergo Christus omnes omnino christianos, nullo excepto, Petro credidit.

β′) Christus dicendo Petro: pasce oves et agnos meos, aliud nihil dixit quam: *habe curam mei ovilis.* Ipse autem Io 10, 16 de suo ovili dixit: „Erit unum ovile et unus pastor“; universum igitur gregem suum ex iudaeis et gentilibus colligendum ipse supremus pastor Petro ut suo vicario plane commisit, eique soli, cum eum solum et non alium *omnium* ovium suarum pastorem creaverit.

γ′) Quoties in Novo Testamento de particulari aliquo christianorum coetu sub imagine *gregis Christi* agitur, is numquam simpliciter grex Christi, sed semper cum additamento, quo haec imago circumscribatur et coarctetur, appellatur, uti v. g. Act 20, 28, ubi Paulus iis, qui particularibus provinciae Ephesinae ecclesiis praeerant, dicit: „Attendite vobis et universo gregi, *in quo* vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.“ Similiter 1 Petr 5, 2 legitur: „Pascite, *qui in vobis est,* gregem Dei.“ Christus autem Petro dum oves suas committeret, *absolute* locutus est, suumque ovile nullis prorsus astrictum limitibus ipsi tradidit. Universos igitur singulosque fideles, ideoque etiam ceteros apostolos Petri curae potestatique subiecit. Qua de re S. Bernardus [2]: „Cui, non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas,* Petre, *pasce oves meas*: quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi [al. certe] regni? *Oves meas,* inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.“

Neque opponere licet, apostolos saltem non esse creditos Petro pascendos, utpote qui pastorali eius cura non indiguerint. Nam licet nulla ratio fuerit,

---

[1] Bellarm., De Rom. Pontif. l. 1, c. 16.
[2] De considerat. l. 2, c. 8 (ML CLXXXII 751).

cur apostoli a Petro pascerentur, eo quod ipsi singuli infallibilitate aliisque plurimis extraordinariis Dei auxiliis erant dotati, inde tamen colligi nequit, eos non ad ovile a Christo Petri curae traditum pertinuisse. Certe ita etiam ratio non est, cur filius omnino bonus a patre increpetur, vel cur magistratus plane diligens, fidelis ac doctus a rege corripiatur vel doceatur; inde tamen minime sequitur, patrem vel regem in omnes suos subditos propria ac vera auctoritate non pollere. Ex eo igitur, quod apostoli Petri cura aut omnino non, aut certo multo minus quam alii christiani indigebant, nihil aliud consequitur quam Petri primatum, si, id quod postea probabimus, sit in omne tempus ex Christi voluntate mansurus, respectu Ecclesiae praepositorum non tam propter apostolos quam propter ipsorum successores constitutum esse.

Minime etiam cum Ellies Dupin [1] obici debet: „Petro totius orbis oves commissae dici possunt, quia non unius cuiusdam regni aut loci oves regendas accepit, sed indefinite totius mundi oves, *ad quas ille accederet.*“ Nam hoc sensu non solum Petro ut *apostolo,* sed etiam ceteris apostolis omnibus ratione suae missionis omnes oves, ad quas eorum quisque accedebat, regendae commissae erant, nisi saltem sub regimine immediato alterius apostoli iam constitutae erant; quod Dupin etiam ipse diserte et ultro concedit. Cur igitur, si haec sententia vera esset, Christus Petro, quem iam ut alios apostolos elegerat et nominaverat, eique soli tam sollemni modo munus pascendi gregem suum totum commisit, non plus quam ceteris apostolis conferre voluerit? Cur *ipsi soli* ita locutus est, ut omnes omnino suas oves secundum nativum suae locutionis sensum ipsi credidisse plane dicendus sit, si non definite, sed indefinite tantum omnes, i. e. plures paucioresve, ad quas Petrus ipse accederet, ei committere voluisset? Nec sane „est sapientis provisoris, relinquere indefinitam curam, cum possit eam definire, praesertim cum certa confusio et perturbatio ex illa indeterminatione oriatur“ [2]. Iam vero Christus potuit profecto Petro gregem assignare plane definitum, et cum secundum maiorem sui amorem, quem a Petro postulaverat, ei voluerit maius aliquid dare quam ceteris apostolis, et secundum proprium verborum sensum reapse curam totius sui gregis definite sumpti tradiderit, sane ineptum ac temerarium foret, Christi Dei infinite sapientis et tam definite loquentis sermoni adeo sollemni sensum prorsus indefinitum et nihil singulare continentem attribuere. Quinimmo indefinitus ille sensus Petri aliorumque apostolorum mentem potius perturbasset. Credere enim secundum clara Christi verba debuerunt, Petro totius Christi gregis definite accepti curam fuisse commissam, et tamen secundum adversarium nihil plus illi, quam ipsis singulis fuisset commissum, munus scil. evangelium omnibus gentibus praedicandi, et quos quisque ad Christum converteret, pro apostolatus sui ratione etiam curandi atque spirituali modo pascendi.

Certissimum igitur est, Christum Petro non tantum vel iudaeo-christianos, vel oves suas indefinite acceptas, sed omnes omnino pascendas assignasse.

b) *Istud Petri munus pascendi universum Christi gregem veram et supremam iurisdictionem in totam Ecclesiam significat.*

---

[1] De antiqua Ecclesiae disciplina, Mogunt. 1788, dissert. 4, c. 1, p. 249.
[2] Bellarm. l. c.

Nam hoc loco Christus Petrum totius sui gregis sive Ecclesiae constituit vere *pastorem* et solum quidem in terris supremum; atqui munere pastoris supremi significatur iurisdictio vera et suprema; ergo vi illius muneris accepit Petrus iurisdictionis primatum in universam Christi Ecclesiam.

PROBATUR PROPOSITIONIS MAIORIS PARS I: Petrum constitutum esse hoc loco vere pastorem Ecclesiae Christi. Nam

a) *minime* ea huius loci vis est, Christum Petro tantum munus et dignitatem apostoli restituisse. Imprimis enim tantum abest, ut ista protestantium sumptio, Petrum Christi negatione dignitatem et munus apostoli amisisse, ullo argumento probari possit, ut etiam primo aspectu prorsus vana appareat. Iure enim, id quod iam supra diximus, negatur, Petrum, uti etiam reliquos apostolos, ante Christi mortem vere ac proprie apostolatum habuisse. Nondum enim tunc temporis illi acceperant mandatum, ut evangelium gentibus ubique terrarum praedicarent, christianorum coetus fundarent, praepositos iis constituerent; nondum habebant potestatem peccata remittendi, leges christianis praescribendi, earum transgressionem iudicandi ac puniendi. Itaque tametsi ad apostolatum destinati erant, nondum tamen eo munere eaque potestate vere ac plene instructi erant, in quibus propria apostolatus ratio sita est; apostolatus igitur vere dicti nec iacturam facere vel Petrus vel quivis alius apostolus tunc temporis potuit[1]. — Sed etiamsi daremus, Petrum et reliquos apostolos iam antea apostolatus munus vere ac proprie obtinuisse, undenam probaretur, Petrum negationis peccato illius muneris iacturam fecisse? Tametsi enim singuli evangelistae verba Christi lapsum Petri praedicentis ipsumque lapsum diserte referunt, nemo tamen eorum indicat, Petrum propter illam negationem apostolicum munus amisisse. Num vero ipso peccato gravi munus apostolicum vel aliud quodcumque munus sacrum amittitur? At qui hoc demonstretur? Num forte ex natura rei, num vero e lege aliqua divina positiva? Non puto, quemquam nostra aetate tam temerarium esse, ut istam Wicleffi absurdam doctrinam redintegrare velit, alioquin cum eodem Wicleffo consequenter etiam concludere deberet omnem quoque potestatem civilem quocumque gravi peccato deperdi, hincque relative paucos esse magistratus ac reges, qui iure suo munere fungantur.

Neque porro hoc loco apud S. Ioannem minimum istiusmodi restitutionis Petri indicium habetur. Eiusmodi signum certe non est tristitia Petri. Non enim contristatus est Petrus, quia Christus ter ei mandatum dedit oves suas pascendi[2], sed, ut Ioannes diserte ait, „quia dixit ei tertio: amas me?“ Quomodo autem hac tristitia significetur, Petrum vel amisisse apostolatum, vel eum nunc recu-

[1] Cf. Hettinger, Lehrbuch der Fundamentaltheologie 598 sq.
[2] Ita Wieseler, Chronologie des apostol. Zeitalters 589.

perare, non intelligitur. Neque obstat, quod Christus triplici interrogatione triplicem professionem amoris ac fidei triplici Petri negationi oppositam elicere voluit. Quaestio enim non est de professionibus Petri, nec de Christi consilio in iis eliciendis, sed de sensu verborum Christi Petro munus pastorale demandantis; hoc autem munere restitutionem dignitatis apostolicae amissae significari tantum abest, ut ulla ratione ostendi possit, ut contrarium evidens sit, cum secundum ea, quae hactenus diximus, illud munus multo amplius sit, quam quod vel Petrus ut merus apostolus, vel ullus alius apostoli dignitate insignitus accepit.

Praeterea Petrus post Christi mortem cum aliis apostolis tamquam socius versabatur, ut patet e Lc 24, 9—12; et Christus a mortuis resuscitatus iam ante hanc tertiam apparitionem eum prae ceteris in honore habuit. Certe secundum Lc 24, 34 et 1 Cor 15, 5 Christus Petro soli apparuit, antequam se aliis apostolis ostenderet; quod sane argumento est, Petrum iam tunc iterum in gratia cum Christo fuisse. Ceterum si etiam Petrus munere apostolico iam ante Christi mortem proprie ac vere fuisset ornatus illoque negatione sua excidisset, illud nihilominus iam ante hanc tertiam apparitionem ipsi restitutum dicendum foret. Cum enim Christus vespere diei, quo a mortuis surrexit, congregatis apostolis prima vice apparuisset, dedit iis singulis, ergo etiam Petro, peculiarem apostolici muneris potestatem remittendi peccata (Io 20, 19—23), quam praeter apostolos nulli communicasse legitur.

β) Neque magis admitti potest, non tam veram in oves potestatem Petro tradi, quam curam earum per modum admonitionis commendari, quasi Christus diceret: si diligis me, noli gregis mei oblivisci. Quamquam enim non negamus, Christi verba etiam admonitionem continere, ita ut Petrus sollicita cura gregis probare debeat ac ratum facere suum erga Christum amorem, negamus tamen, iis exprimi solam admonitionem, ita ut iis nulla potestas collata sit. Nam Christi verba: „Pasce agnos, pasce oves meas“ nec magis puram monitionem, nec minus auctoritatem tributam sonant quam haec alia eius verba omnibus apostolis dicta: „Euntes ergo docete“ etc. Omnis enim muneris collatio monitum illo bene fungendi saltem tacitum continet. Certe si rex alicui dicat: vade, rege talem provinciam, omnes intelligunt, eum tali provinciae praefectum esse, et ut eam bene regat a rege moneri. Itaque „munus pascendi, de quo Christus loquitur, tum verborum vi tum etiam ex ipsa rei natura tale est, quod ad solum caritatis officium revocari nequeat et potestatem in eos, qui pascendi commendantur, necessario supponat. At si potestatem in eos, qui pascendi sunt, supponit, quomodo Petro totus grex dominicus pascendus commendari potuit, quin ipso facto potestas ad hoc necessaria communicaretur? Quodsi adversarii, ut haec verba nullam potestatem contineant, hanc potestatem non tunc primum, quando Christus verba illa: pasce agnos

meos, pasce oves meas locutus est, sed iam prius collatam fuisse vellent, hoc parum nostra referret. Nobis sufficit, admonitionem pascendi totum dominicum gregem sine auctoritate in totum eundem gregem concipi non posse."[1] Unde etiamsi illa verba Christi per se solam monitionem et hortationem diserte exprimerent, postularent tamen tacite ius pastorale Petro datum; Christus enim „non moneret eum de officio pastoris, nisi eius esset hoc officium, seu potius monendo de officio, eo ipsum officium tribuit, sive antea tributum fuerit sive non"[2]. Quomodo enim illis verbis: „Pasce oves meas" sedulam a Petro pastoralis officii administrationem exegisset, nisi officium ipsi una cum idonea potestate contulisset?

Cui conclusioni ab aliquibus Chrysostomum adversarium reputari mirum est. Diserte enim, id quod postea ostendetur, Chrysostomus textum Io 21, 15 nobiscum interpretatur[3]. Neque ullatenus admitti potest, Petro hic solum *praedicandi* munus traditum esse. Constituitur enim Ecclesiae pastor, pastor autem oves non tantum nutrit, sed etiam regit ac dirigit.

Revera autem Io 21, 15 sqq Petrum constitutum esse totius Ecclesiae pastorem confirmatur ex eo, quod quem Petro Christus promiserat primatum, aliquando debuit illi conferre. Alio autem loco non legitur collatus, „quae autem hoc loco referuntur, de primatu reapse collato optime intelliguntur; defertur enim potestas pascendi sive regendi, et quidem gregem universum sive universam Ecclesiam. Haec autem potestas aut ipse est primatus aut cum primatu saltem connectitur. Ergo primatus olim promissus merito hic censetur esse delatus."[4]

Nec sane obstat, quod primatus aliis metaphoris promissus est; non enim repugnat, quominus idem alia metaphora promittatur, alia vero detur. Sic Christi passio praedicitur Is 53, 5 sub metaphora medicinae morbos animorum sanantis: „Livore eius sanati sumus"; Apc 1, 5 vero eadem memoratur sub metaphora lavacri: „Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo."

PROBATUR PROPOSITIONIS MAIORIS PARS II: constitutum esse Petrum solum Ecclesiae totius pastorem ideoque supremum. Nam

α) *ut paulo ante* probavimus, huius nostri loci verba immediate ad solum Petrum a Christo directa sunt. Ergo Petrus solus iis constituitur pastor *totius* gregis Christi, ideoque pastor omnium christianorum *supremus,* cum sane repugnet, quominus pastor aliquis ecclesiae particularis superior sit pastore totius Christi Ecclesiae.

β) *Quod Christus* hoc loco Petro contulit, tamquam mercedem *maioris* caritatis Petri erga ipsum dedit, ut manifestum est ex eo, quod Christus interrogaverat, utrum Petrus plus quam alii apostoli

---

[1] Reinerding n. 157, p. 91. [2] Murray III 482.
[3] In Ioan. hom. 88 (al. 87), n. 1 (MG LIX 477).
[4] G. Wilmers, De Christi ecclesia 167.

ipsum amaret, quodque Petro ter amorem suum erga Christum asseveranti ter etiam pascendi munus committit; si autem ut mercedem *maioris* caritatis, qua Petrus super alios apostolos emineret, id contulit, non de munere agitur, quod ipsi cum ceteris commune esset. Quod enim hic confertur, „respondet amori, quem Christus exigit; maiorem a Petro exigit quam a reliquis apostolis; ergo potestatem etiam maiorem quam reliquis confert.“ [1]

γ) *Soli Petro,* id quod demonstravimus, primatus promissus fuit; ergo ipsi etiam soli hoc loco collatus est.

δ) *Neque valent*, quae adversarii opponunt. Non enim valet

α′) Petrum pastorem fore *solum*, si verba huius loci ad ipsum solum referenda sint. Ex eo enim, quod Petrus unus est pastor *supremus*, profecto non magis sequitur, non posse esse pariter ex voluntate Christi alios inferiores pastores, quam ex eo, quod rex est supremus totius regni gubernator, colligere licet, non posse constitui alios provinciarum atque urbium gubernatores ac magistratus. Ita enim Christus ligandi atque solvendi potestatem supremam soli Petro contulit, ut nihilominus eam distincta et minore ratione aliis etiam apostolis concesserit. Atque hinc

β′) *patet*, quam inepte nonnulli posuerint, Petrum muneri pastoris universalis administrando nequaquam parem ideoque eo munere minime ornatum fuisse. Ut enim taceam, Christum ipsum Deum, qui impossibilia numquam iubet, universalis pastoris muneri Petrum praefecisse ideoque Petrum eo rite fungi etiam potuisse, evidens est, Petrum non quidem per se solum, sed per se et alios simul ipsi subiectos pastores totum Christi Ecclesiam sive omnes christianos pascere ac regere potuisse, ita tamen, ut ipse supremus pastor esset et ut talem se gereret. Eadem certe ratione summus reipublicae moderator universam rempublicam vere moderatur, tametsi quam plurima officia particularia ubique locorum per quam maxime varios inferiores magistratus exsequitur. — Nec sequitur, sic ceteros apostolos vicarios tantum Petri fuisse. Apostoli enim alii ab ipso Christo constituti sunt christianorum pastores et rectores, sed ita tamen, ut Petro tamquam supremo pastori essent semper subiecti; ideoque ipsorum iurisdictio non erat vicaria, sed muneri eorum divinitus instituto inhaerens adeoque ordinaria, nec tamen propterea omnino libera, sed superiori Petri iurisdictioni per se subiecta.

γ′) *Adversarii* ut alios apostolos eadem potestate ac Petrum ad pascendum dominicum gregem instructos fuisse ostendant, etiam verba Christi Mt 28, 18: „Euntes ergo docete omnes gentes“ etc. et Io 20, 22 23 afferre solent, at temere omnino. Num enim „apostoli si singuli, quantum in ipsis erat, in evangelio disseminando laborabant, eo ipso singuli etiam *totum* Christi gregem pascebant? Num mandatum omnibus cum Petro datum iam aliud, quo Petrus omnibus praeficiebatur. sustulit, an vero intactum servandum supponit? Potestas Mt cap. ult. apostolis collata in solidum iis confertur et subiectionis rationem inter eos exsistentem non tangit.“ [2] Porro aliud est, potestatem in omnes *gentes,* aliud, potestatem in omnes *oves* accepisse. Potestas in oves data includit potestatem supra apostolos, qui sunt ex ovibus Christi.

---

[1] Wilmers 169. [2] Reinerding n. 157, p. 92.

Contra potestas in gentes non includit ius in reliquos apostolos [1]. Quod vero ad locum Io 20, 22 23 attinet, is potius nostrae sententiae favet. Cum enim isthic „omnibus simul apostolis, in quibus et Petrus profecto erat, [Christus] parem dedisset potestatem, quid potuit esse causae, cur nunc (Io 21, 15—17) singularibus verbis oves suas illi uni pascendas committat? Si eadem haec atque illa prior potestas erat, cur eam illi iterum tradit? cur non iisdem tradit verbis? cur non eodem ritu? cur non eodem affectu, sed ter interrogato, num se diligeret? cur maiorem ab eo quam a ceteris erga se amorem exigit? cur denique non omnibus eandem iterum tradit? Praeter illam ergo, quam communem cum omnibus apostolis illo loco acceperat [Petrus] potestatem, propriam hic super ceteros auctoritatem accipit.“ [2] Illic nimirum acceperunt omnes potestatem remittendi peccata, hic vero solus Petrus accipit munus pascendi omnes, apostolis non exclusis, Christi oves, potestatem ergo in totum Christi gregem, ergo multo ampliorem atque supremam.

Quod igitur in propositione maiore enuntiavimus, certum omnino est, Petrum solum scil. totius gregis sive Ecclesiae Christi supremum institutum esse pastorem. Iam

PROBATUR PROPOSITIO MINOR: munere pastoris supremi significari veram atque supremam iurisdictionem. Nam

a) *pastorale munus* Petri est *pastoralis muneris ipsius Christi participatio.* Cum enim Christus, pastor divinus, Petro agnos et oves suas omnes pascendas traderet, eum vicarium suum in munere ipsius fideles pascendi constituit. Quod patet tum ex eo, quod Christus mox ex hoc mundo discessurus Petrum totius gregis pastorem instituit, tum etiam inde, quod in hoc munere deferendo vocibus ad verum pastorale munus designandum quam maxime propriis usus est. Ergo cum Petrus gregem Christi pascendum accipit, voces *βόσκειν* et *ποιμαίνειν* eodem sensu accipiendae sunt, quo etiam ipse Christus pastor esse et populum Israel pascere enuntiatur. Iam vero pastoralis potestas Christi erat potestas regendi, potestas verae iurisdictionis; ergo vicaria Petri potestas pastoralis est etiam potestas verae iurisdictionis, et supremae quidem, cum ista eius potestas in totum Christi gregem sese extendat.

Nec tamen, id quod per se intelligitur, dicimus, Petrum accepisse potestatem a lege divina liberam, vel dotibus auctam, quae ad istam potestatem exercendam necessariae vel saltem utiles non erant. Potuit enim Petrus universae Ecclesiae ipsisque apostolis ut rector supremus praefici et vicarius Christi iure vocari, etsi omnem omnino facultatem, qua Christus potitus vel usus est, v. g. leges divinas positivas abrogandi, non acceperit.

β) *Idem est munus* Petri respectu totius Ecclesiae, quod est munus pastoris respectu gregis ovium; metaphora enim nihil aliud est quam similitudo tacita; idem ergo significant verba Christi: „Pasce agnos meos, oves meas“, ac si dixisset: quae supremi pastoris iura et officia sunt erga oves tibi creditas, eadem iura et officia erga Ecclesiam

---

[1] Wilmers 169. [2] Maldonatus in Ioan. 21, 15—17.

meam tibi mando exercenda. Iam vero pastoris iura et officia erga gregem sunt, ut non tantum ei cibum praebeat, sed eum regat et in pascua salutaria ducat, reducat, a malis avertat, tueatur, ei praesit ovesque non oboedientes puniat.

Pastoris officia et iura sunt, „ut alimenta ovibus praeparet, et praebeat salubria, ut in pascuis salubribus eas contineat et a pestilentibus retrahat; ut lupos rapaces et canes rabidos et fures insidiantes procul ab ovili arceat, vel in eo latitantes deprehendat et eiciat; ut infirmas oves curet et errantes reducat: et si ob ovilis amplitudinem et ovium multitudinem his et aliis officiis pastoralibus impar sit per se satisfaciendis, ut alios pastores particulares et inferiores his et illis partibus gregis praeponat, eosque, quantum secundum varias locorum et temporum circumstantias opus est, doceat officia sua, inspiciat, moneat, laudet, increpet, et etiam, si id postulet bonum ovium, iis munus pastorale adimat“ [1]. Cum porro Petrus homines acceperit pascendos modo spirituali et hominibus congruente, potestatem accepit, „in universam Ecclesiam, fideles omnes, in omnibus, quae ad eorum salutem aeternam pertinent, regendi et curandi. Potestatem accepit ea omnia per universam Ecclesiam agendi et constituendi, quae ad munus spiritualis rectoris et moderatoris pertinent, sive quae ex ipsa idea et natura muneris eiusmodi emanant plane, sive quae in ea ex ordinatione divina positiva includuntur. Potestatem ergo habet universam Ecclesiam docendi; potestatem definiendi, quae sint alimenta salubria, quae sint dogmata certa et pura ab omnibus credenda; et quae sint venenata, quae sint doctrinae pravae ab omnibus respuendae [2]. Potestatem habet leges universales vel particulares ferendi, in iis dispensandi, eas tollendi. Potestatem habet omnes, omnia, omnibus locis, in iis, quae spectant ad fidem et mores, inspiciendi et cognoscendi. Potestatem habet universalem iudicandi, absolvendi, puniendi, probandi, corrigendi. Potestatem habet, pastores particulares constituendi [3], eorumque iurisdictionis limites quoad locos, res et personas definiendi, eosque a munere suo amovendi. Uno verbo, omnia ubicumque terrarum potest, quaecumque, ut dixi, pastoris sunt sive ex natura rei, sive ex lege divina.... Pauca sane verba sunt: pasce agnos, pasce oves meas, sed verba Dei sunt, et amplus est eorum ambitus, magna eorum vis divina.“ [4] Quibus sane omnibus verae et supremae iurisdictionis potestas exprimitur [5].

---

[1] Murray III 420.

[2] „Pascere oves Christi est credentes Christo, ne a fide deficiant, confirmare, et ut in fide magis magisque proficiant, incunctanter operam dare“ (Beda, Hom. lib. 2, hom. 15: ML XCIV 217).

[3] Utique non hoc sensu, quod munus episcoporum non sit divinae institutionis.

[4] Murray III 404; cf. De San 38*.

[5] Cum Io 20, 30—31 evangelista ita loquatur, ac si narrandi finem facere velit, c. 21 post finitum iam evangelium postea ille addidisse videtur. Unde rationalistae, qui quartum evangelium a Ioanne apostolo scriptum esse negant, multo magis c. 21 Ioannis non esse pronuntiant, in quo clarissime quis evangelii auctor sit edicitur (v. 24—25). Cf. de hac re K. Horn, Abfassung, Geschichtlichkeit und Zweck vom Evangelium des Johannes, Kap. 21, Leipzig 1904. Sed cur in hoc de Ecclesia tractatu talium obiectionum rationem habere necesse non sit, iam supra p. 100 diximus. Atque quae ibi innuimus, multo magis de Ioannis evangelio vera sunt. Rationalistae enim ad negandam eius authentiam praecipue ea ratione per-

γ) *Denique* ea inter Petrum et fideles ratio intercedit, quae inter pastorem et oves locum habet. Iam vero ipse Christus Io 10 ovium esse docet, ut vocem pastoris audiant eumque sequantur. Petrum igitur dum Christus gregis sui pastorem institueret, tale ei pastorale munus concessit, ut totus ei grex oboedire teneretur; tale igitur, ut esset munus verae et summae iurisdictionis in omnes omnino christianos, et hinc etiam in ipsos apostolos. Ergo vi istius muneris accepit Petrus iurisdictionis primatum in universam Christi Ecclesiam.

Quae demonstratio licet non proprie confirmetur, aliquatenus tamen collustratur ipsa voce a Christo adhibita ποιμαίνειν. Usurparunt quidem Septuaginta hanc vocem, uti nomen quoque ποιμήν, etiam sensu proprio de pascendis ovium gregibus, ut Gn 13, 7; 26, 20; 30, 31; 37, 2 13; 1 Rg 16, 11; 17, 34 et alibi, saepius tamen sensu tropico pro *gubernare, regere,* uti 2 Rg 5, 2; 7, 7; Is 44, 28, ubi ipse rex Cyrus pastor appellatur, Ier 23, 2 sqq; Zach 10, 2, et eodem sensu etiam adhibetur Mt 2, 6; Apc 2, 27; 12, 5; 19, 15. Voce ποιμήν etiam ipse Christus utitur, cum se bonum pastorem vocat Io 10, 11 14; ita appellatur ab apostolis 1 Petr 5, 4 et 2, 5; Hebr 13, 20. Nec vero ipse se ovium suarum pastorem vocavit, quin se earum supremum rectorem designare vellet. Notum quoque est, ab Homero Agamemnona aliosque exercitus duces saepe pastores populorum vel virorum vocari[1]. Unde patet, vocibus ποιμήν et ποιμαίνειν saepe potestatem regendi significari, ideoque etiam hoc loco apud S. Ioannem verbum ποιμαίνειν saltem valde apte adhiberi, ac certe vi sua non solum officium docendi, praedicandi et instruendi, sed etiam potestatem gubernandi exprimere. Quodsi vero Ier 3, 15 de pastoribus, quos Deus Hebraeorum populo daturus sit, dicitur: „Pascent vos scientia et doctrina", minime tota vis exhauritur, quam verbum ποιμαίνειν metaphorice usurpatum per se et maxime loco Io 21, 15 17 habet.

Obicitur locus Mt 20, 23, ubi Iesus dixit, suum non esse, varios dignitatum gradus in regno Dei constituere et distribuere, sed id Patri suo competere: ergo non potuisse eum, quin sibi ipsi contradiceret, Petro prae ceteris apostolis tam incomparabiliter altam dignitatem tribuere, ut regnum in terris institueret[2]. At sicuti hoc loco et aliis multis discipulorum electionem *Patri* Christus attribuit, sic alibi dicit, omnia quae Patris sint *sua* esse (Io 17, 10) et: *ego* dispono vobis . . . regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo etc. (Lc 22, 29 sq). Scilicet loquitur interdum Christus ut Deus, qui propria potestate omnia disponat interdum ut homo, secundum quod constitutus in humana natura opus a Patre sibi datum perficit. Solent vero opera praedestinationis Patri attribui, ad praedestinationem autem spectat

---

moventur, quia omnium evangelistarum nemo clarius Ioanne professus est de divinitate Christi, quam agnoscere rationalistae summopere exhorrent. Quod fatetur fere ipse F. Loofs: „Die johanneische Frage kann, weil es letztlich auf die persönliche Stellung zur christologischen Frage mit ankommt, nicht im Wege rein geschichtlicher Diskussion erledigt werden" (apud Horn 8). Sed de Christo legato divino et Dei Filio iam in primo tomo egimus, neque iterum in hoc volumine tractandum est.

[1] Cf. Ilias 2, 243; 4, 413; 5, 556 570; 14, 423; 16, 2 et alibi.

[2] Frohschammer, Der Primat Petri, Elberfeld 1875, 19.

parare alicui locum in regno Dei. — Ceterum Christum Deum et religionem ab ipso annuntiatam veram esse iam probavimus, nemo autem christianus dicere potest, vel Christo non competivisse ius, S. Petro primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam conferendi, vel Christum conferendo eum sibi contradixisse.

Confirmatur thesis I ex reliqua Christi erga Petrum agendi ratione. Etenim Christus legitur alibi saepius Petrum aliis apostolis praetulisse, et ita quidem, ut haec eius praelatio multo magis primatui iurisdictionis quam meri honoris et ordinis congruat; ergo etiam reliqua Christi agendi ratione Petri primatus iurisdictionis confirmatur. Et vero

1. Petro concessa est mutatio nominis in nomen praeclarum Cephae. Mutatio enim nominis *a Deo* sive immediate sive mediate facta indicat, eum, cuius nomen mutatur, ad aliquid singulare et magnum in eo rerum genere, quod ipsum novum nomen significat, destinari, scil. eum futurum esse talem, qualem nominis significatio indicat. Ita Deus voluit, ut Abram vocaretur Abraham, i. e. pater multitudinis, ut ipso eo nomine significaretur dignitas hominis illius, qui, utut senex, ex uxore sterili divinitus fieret pater plurimorum posterorum, vel potius gentium et populorum. Quapropter cum Christus Simoni, filio Ioannis, diceret (Io 1, 42): „Tu vocaberis Cephas", dixit: tu *eris* Cephas. Hoc autem apprime cum iurisdictionis primatu convenit, cum hunc ipsum, ut vidimus, postea metaphora Cephae usus Petro promiserit, et ideo procul dubio Christus istud nomen imposuerit, ut indicaret, se velle facere Petrum fundamentum et caput visibile Ecclesiae suae. — *Solius* porro Petri ex omnibus apostolis nomen Christus mutavit. Nam tametsi Mc 3, 17 „imposuit nomen filiis Zebedaei Boanerges, tamen fuit illud potius quoddam cognomen quam proprium nomen. Itaque nusquam postea ab evangelistis vocantur Boanerges, sed tantum Iacobus et Ioannes, ut antea vocabantur. At Petrus deinceps semper vocatur Petrus, et Paulus Gal 2 Petrum saepe nominat, et numquam aliter quam Petrum aut Cepham, quod est idem; Ioannem autem saepe quidem nominat, sed Ioannem perpetuo, numquam Boanerges." [1]

Omittimus plura alia, v. g. quod Petro hominum piscatio fuit potissimum commendata (Lc 5, 10), quod Iesus pro se et Petro censum miraculo paratum solvit (Mt 17, 23 sqq), quod Petro prius quam aliis apostolis Christi divinitas revelata est (Mt 16, 16 17), quod Christus ipsi probabiliter primo pedes lavit (Io 13, 6), ipsi speciatim mortem violentam praedixit (Io 21, 18), post suam resurrectionem ei, ut p. 114 diximus, seorsim et ante alios apostolos redivivus apparuit. Haec enim licet Petrum aliis apostolis a Christo praelatum ostendant, ideoque

[1] Bellarm. l. 1, c. 17. — Christus cum maximi tantum momenti res, antequam eas efficeret, efficiendas praedixerit, nomen Petri sollemniter praedictum non meri honoris rem significat. De San 7*.

eius primatui bene congruant, eumque aliquatenus confirment, iurisdictionis tamen primatum nullatenus ostendere videntur.

2. Christus singulariter pro Petro preces fudit, ut eius fides numquam deficeret, Petrusque fratrum confirmator esset. Ita enim Christus Lc 22, 31 32 in ultima coena ad Petrum locutus est: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit (ἐξῃτήσατο) vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat (ἐκλίπῃ) fides tua; et tu aliquando conversus (σύ τε ἐπιστρέψας) confirma (στήρισον) fratres tuos." Unde ita argumentamur:

Hoc loco Petrus, et Petrus solus, a Christo munus accepit fratres suos in communibus gravissimisque fidei periculis confirmandi invictosque reddendi; atqui hoc munus postulat aliquem non meri honoris, sed auctoritatis primatum; ergo hoc loco thesis nostra confirmatur.

PROBATUR PROPOSITIO MAIOR. Nam a) *Petro Christum mandasse,* ut fratres confirmaret et invictos redderet, patet ex ipsis verbis Petro dictis: „Confirma fratres tuos." Qui ideo confirmandi erant, ne in tentatione satanae succumberent, ut liquet tum ex ipso Christi loquentis manifesto consilio, tum etiam ex ipsa vi verbi *στηρίζειν*, quod significat stabilem, firmum reddere, fulcire, ideoque usu metaphorico ad significationem moralem traductum denotat, animos fulcire, vires suggerere atque in concepto proposito stabilire, uti per se patet et ex usu biblico demonstratur (Act 14, 21; 15, 41. Apc 3, 2. 1 Petr 5, 10. Rom 1, 11, 16, 25. 1 Thess 3, 2. 2 Thess 2, 16). Cum igitur hoc loco verbum *στηρίζειν* sensu morali adhibeatur, dubitari nequit, quin Petrus fratres suos in fide roborare immotosque tueri debeat.

b) *Commune autem illud periculum,* in quo confirmandi sunt, omnibus fratribus fuisse ipse Christus indicat, cum dicit: „Satanas expetivit *vos.*" Grave autem fuisse illud periculum Christus pariter patefecit *primum* compellatione repetita: *Simon, Simon,* et particula *ecce,* quibus attentio ad rem, de qua sermo est, dirigitur; *deinde* voce expetivit (ἐξῃτήσατο) vos, i. e. vos sibi tradendos postulavit; *tum* metaphora, qua tentationem imminentem describit: *ut cribraret*[1] *sicut triticum,* quae certe maximam agitationem indicat; *denique* etiam eo, quod, ne Petri fides deficiat, orasse se profitetur, et quod ei a se confirmato munus alios confirmandi demandat. Qua ultima ratione insuper hoc periculum fuisse fidei periculum ostenditur.

c) *Soli autem Petro* confirmandi munus delatum esse manifestum est. Diserte enim soli Simoni Christus dixit: „Et tu confirma." Et

[1] Verbum *σινιάζειν*, quod apud scriptores classicos non invenitur, significat *cribrare,* uti nomen *σινίον* cribrum; quod patet auctoritate tum veterum versionum tum Hesychii et Suidae atque nonnullorum Patrum. Cf. Suicerius, Thesaur. II, Amstelod. 1682, 961 sq; Schegg, Evang. nach Lukas III 495 sq. Male Langen (Die letzten Lebenstage Jesu. Freiburg 1864, 196) illud verbum transtulit per „zerreiben". Certe nemo alius adhuc conterendi significationem isti verbo attribuit.

ne dubii simus, utrum nomine Simonis Petrus an alius huius nominis apostolus intelligendus sit, Lucas v. 33 eundem Simonem haec loquentem inducit: „Qui dixit ei [Christo]“, et hunc Christus respondens v. 34 Petrum vocat. Insuper Christus, qui antea (v. 25) omnes universim compellaverat apostolos ac plurali forma constanter usus erat, modo Petrum numero singulari compellat eumque aliis opponit, ut patet ex hisce: „Satanas expetivit *vos*, ego autem rogavi pro *te*.“ Necnon Petrus fratres confirmaturus a confirmandis fratribus discernitur.

Neque obstat, quod Christus Io 17, 9 sqq pro omnibus Deum oravit, et quod caritas ipsius erga omnes suos discipulos postulet, ut non pro uno Petro, sed pro omnibus preces fundat. Ex eo enim, quod Christus omnes discipulos suos amat, et quod pro omnibus Patrem rogat caritatem maxime tum erga Deum tum erga homines, minime sequitur, eum non potuisse pro unius Petri fide peculiari modo precari, ne ab ea umquam deficeret, praesertim cum firma fide Petri, qui alios confirmare debebat, etiam horum aliorum perseverantiae in fide prospectum fuerit. Quod ipsa Christi verba satis indicant, cum haec sit eorum vis: ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, tu autem confirma fratres tuos; idque inde confirmatur, quod Christus, qui pro suo erga omnes discipulos summo amore eos certe non neglexit, hic nihil aliud, quo illorum fidei consuleret, egisse refertur.

d) *Nomine porro* „fratrum tuorum“ *proxime* intelligendos esse ceteros apostolos patet ex verbis: „Satanas expetivit *vos*.“ Insuper Christus proposito gravi periculo apostolos terruisset, si eorum animos promissione auxilii idonei et specialis non recreasset. Adde, persaepe in Scriptura apostolos inter se spectatos fratres vocari; certe Christus Mt 23, 8 iis dixit: „Omnes autem vos fratres estis“ (cf. etiam ib. 28, 10; Io 20, 17 et 2 Petr 3, 15). Ita etiam SS. Patres hunc locum explicarunt, v. g. Leo M.[1]: „Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.“

Tametsi autem hic soli apostoli nominantur, *omnes tamen Christi fideles* comprehenduntur. Nam *primum* „non apostolos ut tot individuos adeo maligne et acerbe expetivit satanas, sed ut apostolos et pastores, ipsam per eos Ecclesiam vastandam et demoliendam expetivit; optime enim norat, ruinam pastorum gregum esse ruinam[2]. Insuper Petrus

[1] Serm. 4, c. 3 (ML LIV 151).

[2] Satanam quidem, refert Kuinoel ad h. l., „interpretes nonnulli intelligunt synedrii assessores, qui etiam apostolos capere et interficere voluissent. . . . Alii de Iuda proditore cogitant et sumunt, eum reliquos apostolos sollicitasse et in suas

firmando apostolos, eo ipso et vi termini universam Ecclesiam firmat: firmat enim eos tamquam apostolos, ut ipsi ceteros omnes firment. Apostoli fundamenta erant domus Dei; eos firmando ipsam domum firmat." [1] — *Deinde* etiam „rerum natura non sinit, ut universae fidelium concionis ei tributa cura denegetur, quem Christus ad confirmandos nominatim apostolos designavit. Si cui namque *pastorum cura* ascribitur, eidem *ovium quoque tutelam* ascribi manifestum est; et si cui praecipitur, ut *columnas* sustentet, eidem quoque praecipi, ut *minores lapides* suffulciat, nemo sanus diffiteatur." [2] — *Porro* quamdiu Christus cum apostolis in terris visibili modo agebat, ipse eos confirmabat, ita ut Petri confirmatione minime opus haberent, cum ipsis ille praesens esset, cuius personam Petrus postea tamquam vicarius sustinere debebat. Atque etiam posteriore tempore apostoli, utpote singuli infallibiles doctrinae Christi magistri effecti, Petri confirmatione vix amplius vere indigebant, quamquam, cum infallibilitas natura sua veritatis studium et instructionem humanam non excludat, vel ipsi hac ratione potuerunt confirmari. Quam maxime vero ea confirmatione indigebant simplices christiani atque apostolorum in munere regiminis et magisterii successores, utpote qui singuli infallibiles non erant. — *Tum* adde, quod verba, quibus Christus de communi isto periculo loquitur, non diserte ac nominatim de periculo tantum eadem nocte instante agunt, sed quam maxime generalia sunt, quodque non minus generalia sunt verba, quibus Christus se pro Petri fide precatum esse declarat eique fratres confirmandos committit. — *Denique* adverbium temporis *ποτέ* aeque ac latinum „aliquando" sive de tempore praeterito sive de futuro adhibetur, ad tempus potius indefinitum aut certe remotum, quam ad definitum et iam instans ac vicinissimum, quale fuit tempus illius eiusdem noctis vel etiam proximi diei, referri solet[3]. Recte igitur S. Augustinus [4] ad Lc 22, 31 32 de Petro scribit: „Et plane confortavit nos per apostolatum, per martyrium, per epistulas suas."

---

partes trahere studuisse. . . . Alii coniciunt synedros nonnullos, cum vidissent unum apostolorum, Iudam, sponte sese iis obtulisse et a Christo defecisse, reliquos quoque apostolos pollicitationibus magnis ac variis ad defectionem sollicitasse. . . ." H. E G. Paulus ad v. 32 opinatus est, „Iesum rogasse synedros illos, qui clandestini ipsius essent asseclae, ut omni modo impedire studerent, quominus apostolorum vitae ac libertati insidiae struerentur." Sed hae coniecturae nulla refutatione dignae sunt, praesertim cum eae omnes ex falsa sumptione profectae sint, nullum posse esse satanam sive diabolum.

[1] Murray III 399.

[2] Passaglia, De praerogativis S. Petri 564.

[3] Nec profecto, id quod rationalista Paulus (Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien III, Heidelb. 1831, 537) videtur existimare, obstat Io 9, 13, ubi de caeco a Christo iam sanato dicitur: *Ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς φαρισαίους, τόν ποτε τυφλόν*. Manifeste enim non significatur istis verbis, eum tunc temporis caecum, seu dudum, immo „a nativitate" (ib. v. 1) luminibus orbatum fuisse.

[4] Serm. 210, c. 5, n. 6 (ML XXXVIII 1050).

Minime quidem negamus, Christum illis verbis etiam — et proxime quidem — de periculo noctis instantis locutum esse; nam illa sane pro omnibus apostolis periculosissima fuit, et Petrus quoque Christi verba fortasse ita intellexit, cum v. 33 ad eundum cum Christo in carcerem et in mortem ire se paratum esse declaraverit. Sed Christi verba de illo vel solo vel praecipue[1] intelligenda esse negamus tum propter allatas rationes, tum ideo, quia, si muneris fratres confirmandi functio ad tempus proximum, Christi resurrectionem vel etiam ascensionem praecedens referretur, dicendum perabsurde foret, Christi precibus et voluntati eventum non respondisse. Nam sane eo tempore Petrus fratres suos in fide confirmasse adeo non legitur, ut Christum negasse referatur, ideoque illud officium eo tempore potius a Ioanne, qui iuxta crucem Iesu intrepidus stabat, impletum dicendum esset. Et si Christi precatio pro Petro ad ea solum referretur, quae ista nocte acta sunt sive a Petro sive a reliquis apostolis, sequeretur, Petrum etiam non obstante Christi pro ipso precatione gravissime lapsum esse, ita ut a fidei *confessione* Christo debita defecerit, Christi ergo preces pro eo nihil aliud obtinuisse, quam ut Petrus *non penitus a fide deficeret.* At ista sententia, licet a multis medii aevi scriptoribus aliisque admittatur, nullatenus tamen defendi debet. Sequeretur enim, alios apostolos, utut non tantopere tentatos, firmiores fuisse Petro, quamvis pro ipsis *speciatim* non sit precatus Christus. „In cribratione hac, quae una eademque omnium esset apostolorum, unum Simonem voluit Dominus singulariter munitum; non potuit igitur idem Dominus ad illud casus specimen alludere, in quo unus Petrus singulariter invenitur infirmus.“[2] Nec sane quae postea de Petri negatione et apostolorum fuga dicuntur, ita sunt cum verbis Lc 22, 31 32 connexa, ut Christi illa verba ad solam negationem et fugam significandam necessario coarctanda sint.

Apud Lucam praedictio negationis (v. 33 34) sequitur immediate post verba, quae Petrum confirmatorem fratrum constituunt (v. 31 32), sed ita, ut ad verba praecedentia: „et tu conversus“ non respiciatur. Neque ex connexione v. 31—35 concludi debet, immediate postquam de Petro confirmatore dixisset Christus, eum annuntiasse Petro negationem. In historia enim ultimae coenae, videtur Lucas „eum servare ordinem, ut referat coenam paschalem, coenam eucharisticam, dein aliqua, quae vel ante coenam paschalem vel inter eam, vel etiam coenaculo relicto dicta sunt. Neque eo narrandi genere recedere dicendus est ab eo ordine, quem 1, 3 profitetur. Ille enim respicit seriem eventuum inter se, neque tamen necessario singula quaeque adiuncta eventus maioris.“[3] Unde ex Lucae narratione sola discerni nequit, utrum verba quae habentur v. 33 et 34 sint dicta ante praedictionem v. 31 et 32 an post, utrum antequam Christus locum convivii reliquerit, an in via ad hortum Gethsemani. Ex locis vero parallelis Mt 26, 31; Mc 14, 27 concludendum videtur, negationem Petri praedictam esse, postquam e coenaculo cum discipulis

[1] Ita v. g. Richerius (De ecclesiast. et politica potestate [ed. 1612] p. 19. n. 7) rem concipit.

[2] Schrader, De unitate Romana II, Vindob. 1866, 180.

[3] Knabenbauer in Luc. 583; cf. 585.

Christus egressus esset. Nam „ex narratione Lucae non cernitur, quomodo Petrus et carceris et mortis mentionem ut faciat inducatur; id autem satis explicatur eo modo, quo Iesus loquitur et apud Io 13, 36 et apud Matthaeum et Marcum.“ [1] Quasi ex abrupto incipit Lucas narrare de Petri lapsu. Unde hoc loco magis Matthaeus et Marcus videntur servasse ordinem chronologicum.

Nota. Multum quaeritur inter doctos, quanam ratione intelligenda sit vox ἐπιστρέψας. Quae res ad nos non magnopere attinet; quamnam enim ex diversis interpretationibus elegeris, semper argumentum, quod e textu Lc 22, 32 formavimus, suo robore stabit. Nam

1. *licet verbum* ἐπιστρέψας, ut praeter multos Patres et medii aevi scriptores, v. g. Bedam[2], Walafridum[3], abbatem Smaragdum[4] ac semel etiam Innocentium III[5] aliosque multos plerique protestantes et multi catholici volunt, de conversione Petri ad Deum a peccato negationis intelligendum esset, id nostrae sententiae non obstaret. Christi enim verba „confirma fratres tuos“ etiam tunc non ad solum periculum noctis instantis coarctarentur, sed tantum probarent, Petrum post hanc demum suam conversionem fungi officio suo confirmandi fratres incipere debere. Verum iure verbum ἐπιστρέψας de Petri a peccato ad Deum conversione intelligendum esse a quam plurimis aliis negatur. Tametsi enim ἐπιστρέφειν apud Septuaginta absolute sine ullo apposito de conversione ad Deum interdum adhibitum legitur, uti 2 Chr 6, 24; 30, 9; Ier 3, 22, S. Lucas tamen, si hac translata significatione verbo illo utitur, *semper* addit: ἐπὶ τὸν θεόν vel ἐπὶ τὸν κύριον, uti 1, 16; Act 9, 35; 11, 21; 14, 14; 15, 19; 26, 18 20, vel nomen rei, ad quam conversio fiat, uti Act 3, 19: ἐπιστρέψατε εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας. Cuius quidem appositionis ratio manifesta est. Nam verbum ἐπιστρέφειν (convertere) significat, quando intransitive adhibetur, proprie generatim *se vertere*, ideoque, si sensu arctiore, quo se ad Deum convertere significat, usurpatur, vitandae ambiguitatis causa istud appositum ad hunc sensum clare ac definite indicandum valde conveniens est. Nec obstat Act 28, 27: „Ne forte ... convertantur (ἐπιστρέψωσιν) et sanem eos.“ Ista enim verba non sunt ipsius Lucae, sed sunt ex versione graeca loci Is 6, 10; atque insuper ex oratione contexta sensus ille translatus verbi ἐπιστρέφειν ita manifestus ac certus est, ut de eo ambigi nullatenus possit. Ipse quidem Lucas Act 15, 3 adhibet *nomen* ἐπιστροφήν simpliciter de conversione ad Deum, sed pariter ex contexta oratione et maxime ex additamento „gentium“ ita manifestus est iste sensus, ut superfluum fuisset addere: ad Deum, vel ad Dominum. Loco autem Lc 22, 32 res omnino aliter se habet. Nam ante haec verba: „et tu aliquando conversus“ Christus prorsus nihil dixerat de Petri lapsu in peccatum, quinimmo haec alia verba: „ut non deficiat fides tua“ non modo nullum fidei defectum, sed quam maximam fidei constantiam indicant, adeo ut, nisi Christus ipse paulo post dixisset, Petrum in eadem nocte ipsum ter negaturum esse, potius ab ipso illo momento perfectam et perpetuam fidei constantiam Petro precibus suis exorasse dicendus esset. Quare si verbo ἐπιστρέψας hic significaretur

[1] Ibid. 592. Ioh. Belser (Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn, Freiburg 1903, 226) ita rem concipit, ut Lucas etiam in v. 31—35 ordinem chronologicum sequatur.

[2] In h. l. (ML XCII 600). [3] In h. l. (ib. CXIV 339).

[4] ML CII 180. [5] Regest. l. 1, ep. 407 (ML CCXIV 384).

conversio ad Deum, Lucas Christi verba modo quam maxime obscuro reddidisset, eo scil. sensu, quem secundum totam orationem contextam nemo exspectaret. Ut enim iam Pole[1] annotavit, „ex verbis praecedentibus periculum intelligi poterat, non lapsus". Quod si de omni scriptore verum est, eo magis valet de eo scriptore, qui, quotiescumque *verbo* ἐπιστρέφειν de conversione ad Deum utitur, apposito semper hunc sensum accurate definit.

2. *Multi contendunt,* ἐπιστρέψας hoc loco significare *vicissim* vel *rursus* vel *contra,* id quod *positive* quidem inde firmant, quod ἐπιστρέφειν respondeat hebraico verbo שׁוּב et huius instar cum aliis verbis iunctum in participio aoristi partes adverbii πάλιν, *rursus,* agat. At licet haec rei explicatio cum nostro confirmationis argumento ex Lc 22, 32 petito optime conveniat, eam tamen ut veram admittere non possumus. Et *primum* quidem ἐπιστρέψας hoc loco neutiquam *vicissim* significare potest. Tametsi enim verbum שׁוּב cum alio iunctum in Vetere Testamento interdum partes agit adverbii *iterum* (significans scil. ad verbum: rediit et fecit = rediit ad faciendum = iterum fecit), uti Gn 26, 18 et 4 Rg 1, 9 11 13, quibus tamen locis a Septuaginta non redditum est verbo ἐπιστρέφειν, nullibi tamen שׁוּב uti neque ἐπιστρέφειν legitur adhibitum pro adverbio *vicissim.* Neque sane ex eo, quod adverbium πάλιν interdum etiam *vicissim* significat, ullatenus sequitur, eandem significationem posse Lc 22, 32 etiam verbo ἐπιστρέφειν ascribi. Si enim ἐπιστρέφειν interdum partes adverbii πάλιν ita agit, ut primarium eius sensum exprimat, non sequitur, ut etiam omnes eiusdem *secundarios* sensus habeat. — *Deinde* non magis ἐπιστρέψας reperitur significare *contra*; hoc enim adverbium solet in S. Scriptura *constanter* exprimi per δέ, ut ipso Lucae loco: ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ; Mt 16, 18: κἀγὼ δέ σοι λέγω; item 5, 22 sqq et alibi saepe. — *Denique* verbo ἐπιστρέψας hic neque sensus adverbii *rursus* exprimitur. Hoc enim repugnat iam ideo, quod iste loquendi usus in Novo Testamento *nusquam* reperitur. Nam qui locus ex Act 15, 36 profertur, alterius omnino generis est. Cum enim Paulus ibi ait: „Revertentes visitemus (ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα) fratres per universas civitates", verbum ἐπιστρέφειν propria sua significatione, qua *redire* sonat, usurpat. Voluit enim invisere *prima,* non *secunda* vel *tertia* vice christianos, quos ad religionem christianam amplectendam permoverat, sed exinde haud amplius viderat. Cum enim ad eos evangelii praedicandi causa accessisset, eos ut fratres, sive iam christianos, invisisse dici sane non potest. Dicit igitur Paulus collegae suo Barnabae: agedum (δή) revertamus ad christianos per omnes civitates, in quibus nos ipsi evangelium praedicavimus, et videamus, quomodo se habeant. Hic ergo locus non recte a Schrader[2] aliisque pro sententia, quam hic impugnamus, afferri videtur. Insuper sensus hic: et tu aliquando *iterum* sive *rursus* confirma fratres tuos, falsus apparet ex eo, quod Petrus munere confirmandi fratres eousque nondum functus erat. *Accedit,* quod verbum שׁוּב alteri verbo additum significationem adverbii *rursus, denuo* tunc tantum habet, quando de uno eodemque aut de pluribus hominibus affirmatur, eos *unum idemque* opus rursus fecisse[3]. Sic v. g. 4 Rg 1, 9 11 13 idem rex Ochozias ter ad Eliam quinquagenarium principem cum quinquaginta viris misit;

[1] Synopsis Criticor. ad h. l. (IV 1108).

[2] De unitate Rom. II 179, nota 2 ad fin.

[3] Schegg, Evangelium nach Lukas III 496. Cf. Schanz in h. l. 517; Knabenbauer in h. l. 592.

sic Gn 26, 18 de Isaaco dicitur: „Rursum fodit (וַיָּשָׁב ... וַיַּחְפֹּר, ad verbum = rediit et fodit) alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant philisthiim.“ Si igitur Lc 22, 32 ἐπιστρέψας ut respondens verbo שׁוּב significaret *rursus*, Christus dicere debuisset: tu aliquando conversus precare pro fratribus tuis, sicut ego pro te precatus sum. Sed non de precibus pro fratribus fundendis Christus Petro locutus est, verum de re omnino alia, de fratribus scil. verbo et exemplo confirmandis. Ista igitur transitio ad aliam rem prorsus obstat, quominus ἐπιστρέψας partes hic agat adverbii *rursus* vel *vicissim*. Et tametsi vis loci, quo Christus dixit, se orasse pro Petro, ut eius fides non deficeret, potest dici haec esse: ego confirmavi te in fide, inde tamen secundum ea quae diximus concludere non licet, ἐπιστρέψας hic significare *rursus* vel *vicissim*.

3. *Porro secundum* Passaglia[1] verbum ἐπιστρέφειν hoc loco accipiendum est proprio et naturali suo sensu intransitivo, quo significat *se vertere, convertere*, ita ut dicatur: tu autem ad fratres tuos aliquando conversus confirma eos, sive: convertere ad confirmandos fratres tuos. Neque enim aliam significationem, ait Passaglia[2], „ob oculos habuisse dicendi sunt interpretes syrus, arabs et persicus, qui vertunt: *et tu aliquando convertere et confirma fratres tuos:* quam lectionem suo suffragio confirmat codex Cantabrigiensis (cod. D), qui legit: σὺ δὲ ἐπίστρεψον καὶ στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου[3]; ... ac forte etiam Augustinus inquiens[4]: vade et conforta fratres tuos.“ Nec opponere licet, sic verbum ἐπιστρέψας hic plane inutile esse. Videtur enim ἐπιστρέφειν exprimere conversionem *tutelae* et *protectionis*, sive quae cum voluntate propensa et sollicita iuvandi coniuncta sit, non igitur significare *mutationem* affectus sive ex bono in malum, sive ex alieno et averso in propensum et benignum, sed *simpliciter propensum ac benevolum animum curamque sollicitam, quae pro aliquo suscipitur*. Quemadmodum enim ἀποστρέφειν voluntatem saepius (Mt 5, 42; 2 Tim 1, 15) designat alienam aversamque, quae deserit neque opem fert, ita certe in Vetere Testamento ἐπιστρέφειν crebro adhibetur ad benevolam mentis animique in aliquem conversionem susceptamque eius curam designandam. Hoc fere sensu certe dicitur Ps 6, 5: ἐπίστρεψον κύριε, convertere Domine et eripe animam meam; Ps 70 (71), 20 21: ἐπιστρέψας παρεκάλεσάς με, conversus consolatus es me; Ps 79 (80), 15: ἐπίστρεψον δή, convertere autem, et respice de coelo; Ps 84 (85), 7: ὁ θεός, σὺ ἐπιστρέψας, Deus tu conversus vivificabis nos; Ps 89 (90), 13: ἐπίστρεψον κύριε, convertere Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos; Zach 1, 3: ἐπιστρέψατε πρὸς μὲ, καὶ ἐπιστραφήσομαι πρὸς ὑμᾶς, convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Quibus exemplis ostendi putat Passaglia: a) „non minus graeco ἐπιστρέφω quam latino *converto* apud Vulgatum interpretem, vim significationemque subesse propensi animi curaeque sollicitae, quae de aliquo suscipiatur; ad haec b) coniunctione verbi ἐπιστρέφω cum altero verbo, sive copula inter utrumque exsistat sive absit, non tam actionem duplicem

[1] De praerogativis S. Petri 560 sqq.

[2] Ibid. 561. Cf. Waltoni Polyglott. in h. l.

[3] Apud Gelasium ep. 14 (= tract. 2, n. 8) invenitur hic textus: et tu aliquando convertere et confirma (Harduin II 919 E; ML LIX 89; Thiel 528). Alio loco (ep. 4, n. 1: Thiel 321) textus eodem modo legitur ac in Vulgata: conversus confirma.

[4] Serm. 210, c. 5, n. 6 (ML XXXVIII 1050).

quam unam eandemque efferri, illamque eleganti quadam imagine repraesentatam. Manifestum id est, cum dicitur: convertere et eripe animam meam, i. e. animo in me benevolo memet libera; ac rursum: conversus consolatus es me, i. e. tua me benevolentia recreasti. Cum itaque Christum audimus ita Petrum compellantem: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: si, quemadmodum par est, receptum in Scripturis loquendi usum tenemus, idem nobis esse debet, ac si eum audiremus dicentem: sicuti ego ad te conversus pro te rogavi, ne deficiat fides tua, ita et tu aliquando ad tuos fratres conversus (conversione non poenitentiae ac luctus, sed tutelae et protectionis) illos confirma. Quemadmodum enim Christus inquiens: ego autem rogavi etc., se ad Petrum *convertit*, suamque in Petrum propensam voluntatem declaravit, ita subdens: et tu aliquando conversus etc., illi iniunxit, ut ad fratres se aliquando converteret ac simili benevolentiae officio erga eosdem fungeretur", ut igitur benevolae curae affectu ad fratres conversus eos confirmaret.

At neque huic interpretationi, quantumvis nobis minime adversae, assentire possumus. In omnibus enim exemplis, quae ut eam probabilem reddat, affert Passaglia, agitur vel de conversione non metaphorica, sed proprie dicta, de ea scil., qua aliquis anteriorem corporis partem, faciem, oculos, ad eum, quem alloqui vult, vertit, uti Mt 9, 22; Mc 5, 30; Lc 7, 44; 10, 23; 14, 25; 22, 61; Io 1, 38; 20, 14 16[1]; Act 9, 40; 13, 46; vel de ea conversione metaphorica, quae consistat in *mutatione*, secundum speciem saltem, *mentis animive ex uno statu vel affectu in alium oppositum*, minime vero de conversione naturali sensu intransitivo intellecta simpliciter cum benevolo propensoque animo, uti Ps 6, 5; 70, 20 21; 79, 15; Ier 15, 19; Zach 1, 3.

4. *Nobis iam probabilis videtur* interpretatio, secundum quam verbum ἐπιστρέψας hoc loco significet: ad te, scil. ad animi tranquillitatem reversus. Christus enim, ut Mt 26, 31—35; Mc 14, 27—31 et Lc 22, 31—38 legitur, praedixit omnibus apostolis, nominatim autem Petro magnam satanae tentationem et animi perturbationem, talemque tempestatem moralem, qua ipsi dispergerentur. Sed eos tamen continuo solatur ac roborat affirmando, se rogasse et obtinuisse, ut fides Petri numquam deficiat, utque huius subsidii ope Petrus omnes fratres confirmaturus sit, quando post illam tempestatem et perturbationem ad se, i. e. ad animi tranquillitatem redierit.

5. *Aliam interpretationem* proponit Knabenbauer[2]: „Aliter autem ex usu vocis ἐπιστρέψας concipi potest; dicitur quippe ἐπιστρέφειν τινά, aliquem ad Deum convertere, reducere (cf. Lc 1, 16 17; Iac 5, 19 20). Unde verti

---

[1] Hoc sensu v. 16 explicant Cornelius a Lapide, Bisping, Haneberg, Reischl, Belser, et ut videtur omnino recte, cum et probabile sit, Mariam dicentem v. 15: „Et ego eum tollam" oculos suos a Christo nondum cognito avertisse ac rursus sepulcrum respexisse, et Vulgata graecum verbum per „conversa" reddiderit. Nec obstat, quod v. 14 verbo θεωρεῖν Magdalena Christum aspexisse dicitur. Tametsi enim illo verbo non momentaneus, sed considerans aspectus per se significatur, nullatenus tamen illa videtur Christum nondum cognitum semper intuita esse, usquedum Iesus ei dicebat: „Maria". Nam v. 15 dixerat Iesus: „Mulier, quid ploras?" plorans autem et animo nonnihil excitata ipsa certe eum, quem modo hortulanum esse existimabat, non semper aspexit, praesertim cum tunc solum Iesum magno amore quaereret.

[2] In h. l. 592.

potest: et tu converte (ad Deum dirige) et confirma fratres; qua acceptione officium Petri declaratur duplex, ut scil. alios ad Deum adducat, dirigat, cum Deo reconciliet, et quos in recto tramite constituit, in eodem retineat et confirmet. Quae acceptio mihi quidem prae altera [qua h. l. de conversione a peccato negationis agi statuitur] arridet, cum Petro munus demandetur, quod principi apostolorum et capiti Ecclesiae quam maxime incumbit, ut fidem et *propaget* et *confirmet*, ut suos ad Deum dirigat et titubantes confirmet." Quae sententia utique probabilitate non caret. Iam Stephanus Dorensis Lc 22, 32 ita intelligere videtur (cf. infra p. 131).

PROBATUR PROPOSITIO MINOR: *hoc munus postulare aliquem non meri honoris, sed etiam auctoritatis primatum.* Id enim

a) *sequitur* iam satis *ex oratione contexta.* Quae enim v. 31 32 narrantur, cum prioribus ita arcte coniuncta sunt, ut, nisi hoc loco de alicuius saltem auctoritatis primatu agi dicatur, illa coniunctio intelligi nequeat. Certe orta inter discipulos contentione, „quis eorum videretur esse maior" (v. 24), reponit Christus, fugiendum esse quidem apostolis fastum et ambitiosam aliis dominandi cupiditatem, inter ipsos tamen futurum esse, qui ceteris superior sit, sed ita, ut debeat instar omnium ministri se gerere. „Qui maior est in vobis (*ὁ μείζων*), fiat sicut minor (*ὡς ὁ νεώτερος*), et qui praecessor est (*ὁ ἡγούμενος*, dux), sicut ministrator" (v. 26). Quibus Christus dum designatum esse iam ducem apostolorum innuit, tacite utique Petrum significat, et deinde qui huius ducis mores esse debeant, proposito sui ipsius exemplo docet. Ne vero apostoli audita tali commendatione „humilitatis et subiectionis exciderent animis, neve eos veluti poeniteret susceptorum laborum, quando nullam ex ipsis praeeminentiam humanam consequi possent, in terreno scil. messiano regno, quod ex vulgari ad eam aetatem opinione opperiebatur, ipsos erigit Christus spe futurorum praemiorum, quae omnes ex aequo secum forent consecuturi (v. 28—30). Sed ne iterum ex hac futurae sortis aequalitate obliviscerentur, aliquem a se, quamdiu in terris agerent, designatum fuisse omnium ducem et caput, tacite rursus monet, hunc interim in terris esse agnoscendum. Ac ut denuo explicaret, quisnam ex apostolis esset, quem ipse ad munus capitis iam tanto ante destinaverat, facto ipso eum designat, Petro dicens: Simon, Simon, ecce etc. Haec est germana structura narrationis S. Lucae, quam si velis pervertere, iam nullus nexus habebitur inter ea, quae in textu praecedunt et quae subsequuntur; et Christus inopinato ac prorsus praeter rem ea verba effundet: *Simon, Simon* etc. Haec igitur verba ad Petrum dicta sunt qua caput Ecclesiae, et non qua hominem privatum." [1]

b) *Idem liquet ex usu biblico, quo verbum στηρίζειν significatione morali* de iis solis adhibetur, qui auctoritate excellunt veraque praecipiendi potestate et auctoritate praediti sunt. Adhibetur enim *στηρίζειν*

[1] Cercia, De Rom. Pontif. 371 sq.

isto sensu morali tantum de Deo, de Christo, de apostolis deque iis, qui ab apostolis spiritualem potestatem acceperunt, ut evidens est ex locis, quos supra pag. 121 attulimus. Sed isti omnes vera profecto ac propria fideles confirmandi auctoritate praediti erant, et tamquam auctoritatem habentes illo munere fungebantur; ergo idem munus Petro ab ipso Christo collatum confirmandi fratres suos etiam auctoritatem adiunctam secundum usum vocis biblicum significat atque postulat, et *auctoritatem quidem maiorem,* quam illam, quae reliquorum apostolorum est, cum Petrus acceperit potestatem confirmandi etiam omnes alios apostolos, quod de reliquis apostolis affirmari non potest. Ex eo igitur, quod Paulus dicitur confirmasse ecclesias Syriae et Ciliciae (Act 15, 41), non magis sequitur, hanc eius auctoritatem adeo amplam atque Petri fuisse, quam ex eo, quod alicuius singularis christianorum coetus praepositus subditos suos in fide confirmat, concludi potest, non minorem apostolis auctoritatem confirmandi illum accepisse.

c) *Idem patet ex eo,* quod hic Lucae locus est tantum amplior et simillima quidem expositio eorum, quae Christus Petro de ipsius primatu prius iam dixerat[1].

Quemadmodum nimirum Deus in naturali rerum ordine non omnia eodem tempore simul producit, sed sensim sine sensu ea ad perfectionem adducit, ita sapienter Christus quoque in ordine supernaturali tum aliarum institutionum, tum etiam primatus ratione egit. Primum quidem Simoni promittendo nomen Petri, i. e. petrae (Io 1, 42) iam aliquid singulare Christus indicavit, sed qua in re id situm esset, nondum aperte dixit. Deinde Mt 16, 18 plura iam revelans, cur Simonem petram vocavisset, aperuit, quod scil. super eum Ecclesiam suam fundare vellet. Porro Lc 22, 32 quid officii voce petrae designetur, iam magis diserte indicat, ut Petrus nimirum fratres confirmet, sed addendo *aliquando* declaravit, Petrum non continuo, sed tempore futuro id facere debere. Brevi autem ante suum e terris discessum, cum discipulos visibili praesentia confirmare ipse iam non posset, Christus omnium fidelium pastor sui vicarium constituit Petrum, cum illi dicit: Pasce agnos meos (Io 21, 15—17). S. Lucae igitur verba eorum, quae Christus de primatu Mt 16, 18 dixerat, continent *ampliorem* expositionem, et *simillimam* quidem. Apud Matthaeum certe Christus dixerat, inferorum potestates Ecclesiam aggressuras esse; hic explicat clare, quid illa aggressione maxime intelligendum sit, fidei scil. summum periculum. Illic nomine petrae significaverat Petri futuram firmitatem; hic ut qua in re illa firmitas praecipue sita sit declaret, Petri fidem numquam deficientem ante oculos ponit. Illic Petrum Christus Ecclesiae suae petram fundamentalem effecerat, hic quid fundamento illi praecipue agendum sit, explicat, cum Petrum confirmatoris fratrum munere ornat. In utroque etiam loco ipsae locutiones simillimae sunt, scil. grandis denominatio: „Simon, Bar Iona“ et: „Simon, Simon“; etiam deinde haec: „Tu es Christus; tu es Petrus“, atque: „Ego rogavi pro te, tu confirma“. Insuper ipsum verbum στηρίζειν etiam significat instar fundamenti esse sive

[1] Cf. G. Schneemann in periodico Der Katholik 1868, I 411 sqq.

firmare, cum derivatum inde nomen στήριγμα sit firmamentum, et, ut protinus dicetur, a Theophylacto diserte illo sensu adhibeatur. Cum iam Christus ad eum, qui est στήριγμα τῆς ἐκκλησίας, dicit στήρισον, quis dubitet, quin hac voce officium fundamenti *ut talis* designaverit, istaque ad Petrum tamquam caput Ecclesiae locutus sit? Certe hoc vel ipse Theophylactus agnovit, cum Lc 22, 32 ita exponat[1]: „Planus huius (loci) intellectus is est: Quia te habeo ut principem (ἔξαρχον) discipulorum, postquam negato me fleveris et ad poenitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiae petra es et firmamentum (τοῦτο προσήκει σοι ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι τῆς ἐκκλησίας πέτρᾳ καὶ στηρίγματι). Et S. Ambrosius[2] explanans hunc textum ait: „Petrus Ecclesiae praeponitur, postquam tentatus est a diabolo. Ideoque ante significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit dominici gregis.“[3] Atque ex iis quae attulimus sequitur, Christum verbis apud Lucam explicare tantum magis, quae Mt 16, 18 iam dicta erant, ita tamen, ut iam de primatus institutione agat, quamquam Petrus futuro tantum tempore debet incipere fratres confirmare.

---

[1] MG CXXIII 1073. [2] In Ps. 43, n. 4 (ML XIV 1109).

[3] Alibi (De fide l. 4, c. 5, n. 56: ML XVI 628) Ambrosius locos Lc 22, 32 et Mt 16, 18 sic comparat: „Ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in evangelio, quia Petro dixit: rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: tu es Christus, Filius Dei vivi, respondit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni coelorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?“ — Hilarii locum habes postea (in hac thesi Pars B, Confirmatur III fin.). Nominandi praeterea Leo I (supra p. 122), Gelasius I (supra p. 127), Pelagius II ep. 3 (ML LXXII 707), Gregorius M. ep. 5, 20 (ib. LXXVII 745), Vitalianus ep. 1 (ib. LXXXVII 1002). Pontifices Romanos Agathone antiquiores etiam propterea h. l. afferimus, quia Döllinger (Janus 99) Agathonem primum hunc locum ad Petri successores retulisse falso affirmavit. — Graecorum haec effata accipe. Chrysostomus (In Acta apost. hom. 3, n. 3: MG LX 37) de Matthiae electione agens: „Primus [Petrus] auctoritatem habet in negotio ut cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos“ (cf. ibid. XLVIII 751; LI 51; LVI 162). Cyrill. Alex. in h. l. (ib. LXXII 916): „Et tu aliquando confirma fratres tuos, i. e. firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt (*γενοῦ στήριγμα καὶ διδάσκαλος τῶν διὰ πίστεως προσιόντων ἐμοί*).“ Exstat locus etiam in syriaca huius commentarii versione (Cyrill. Alex., Comment. in Luc. evang., ed. R. Payne Smith, Oxon. 1858, hom. 144, p. 412). Theodoretus (Haer. fabul. 5, 28: MG LXXXIII 552): „Qui ter negaverat magnus Petrus, primus mansit, suis lacrimis curatus. Hanc enim ut fratribus medicinam adhiberet, praecepit illi Dominus: et tu enim, inquit, conversus confirma fratres tuos.“ S. Theodorus Studita scribit Paschali Pontifici Romano (ep. 2, 12: MG XCIX 1154): „Huc igitur ab occidente, o Christi imitator, exsurge et ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus, opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus, porrige manum quantum fieri potest, habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps es.“ Stephanus Dorensis in concilio Lateranensi a. 649: „Ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare (*ἐπιστρέφειν καὶ ὑποστηρίζειν*) exagitatos consortes suos et spiritales meruit fratres“ (Harduin III 714 A; Mansi X 894 D). Adde ex graecis Ioannis patriarchae Constantinopolitani (712—715) epistulam ad Constantinum Pontificem Romanum (MG XCVI 1429). Multa alia vide in huius operis tom. III, thes. VII.

d) *Idem patet ex ipsa huius muneris natura.* Qui enim Petrus, non solum apostolos, sed omnes alios Christi fideles in fidei periculis *vere* ac certo confirmare et tutos reddere potuit sine auctoritate non solum docendi et exhortandi, sed etiam praecipiendi, increpandi, puniendi, fidelium gregi invigilandi, fidei adversarios arcendi atque ab omnibus exigendi, ut ad ipsius fidem ceu certam evangelicae veritatis normam etiam ipsi fidem suam instituerent sibique sincere oboedirent? Id enim, ut Petri fides numquam deficeret ideoque pro aliis omnibus fidei norma esset, Christus illi idque certe efficaciter precatus erat.

Neque obstant, quae aliqui opposuerunt, scil. 1. *haud aliud officium* hic Petro iniungi, quam quod singuli christiani habeant atque ii praesertim, qui ministeriis ecclesiasticis fungantur. Nam profecto nec singulis christianis nec singulis eorum praepositis ex speciali praecepto et auctoritate Christi iniunctum est officium universam Christi fidelium multitudinem eorumque etiam supremos praepositos vel mediate in fide confirmandi et contra gravissimas satanae impugnationes tutos reddendi. Et quod vel ad ipsum caritatis fraternae officium attinet, etiam id, ut passim theologi docent, propter varias conditiones, quae requiruntur, ut id sub gravi peccato aliquem obliget, homines certe privatos raro obstringit. Quare „nec satis congrue exegisset Christus a Petro, ut tamquam privatus et nulla in eos auctoritate instructus fratres adoriretur; nec satis provide sperasset, fratres obtemperaturos Petro, in quo ex hypothesi nullam in ipsos potestatem deberent agnoscere“ [1].

2. *Ex aliorum sententia* nihil aliud his Christi verbis significatur quam Petrum, ut reparet illud quod daturus erat scandalum, magis quam alios apostolos in id incumbere debere, ut fratres in fide confirmet. Vel etiam illud his verbis indicari putant, Petrum utpote post lapsum multo prudentiorem et cautiorem futurum aptiorem esse ad infirmos confirmandos. At rationes, propter quas munus illud Petro mandavit Christus, verbis ipsius clare ac diserte significantur. Ac „prima ratio fuit generalis, nempe, quia fratres confirmatione indigebant: *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Secunda ratio specialis fuit, nempe, quia Christus orando fidem Petro indeficientem, eum specialiter aptum et idoneum fecit, cui tale munus crederetur: *Ego autem* (*autem*, vocabulum adversativum, quod dicit, etsi satanas expetivit, non vincet, quia) *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*“ [2] Quod autem ad idoneitatem Petri attinet, Christus profecto non tantum significavit, eum aptiorem fore ad alios firmandos, sed *ipse* eum aptiorem *reddidit* precando, ut in vera fide usque stabilis efficeretur. Ceterum hoc loco non quaeritur, *cur* in Petrum munus illud collatum sit, sed *utrum* collatum sit in eum necne. Collatum autem in eum esse constat.

3. *Neque ineptum fuit*, sermonem de privilegio Petro tribuendo habere, quo tempore adeo gravis tentatio et peccatum iamiam imminebat. Christus enim, ut taceam, melius eum quam nos quaenam verba tempori illi apta essent scivisse, non de mero privilegio honoris locutus est, sed de privilegio, quod munus esset et officium alios a similibus tentationibus et peccatis tutandi. Tantum autem abest, „ut inepte eiusmodi sermo habitus fuerit, ut aptissime et convenientissime munus Petro hac occasione annuntiaverit

[1] Cercia 383. [2] Murray III 471.

Christus. Nam qui nos animo bono et amico monent de gravi aliquo malo nobis obventuro, sensu quodam insito benigno et humano impelluntur, ut, si quid norint, quod nos consolari et recreare possit, id (nisi forsan obstet aliqua ratio prudentiae etc.) eadem occasione nobis patefacere minime praetermittant. Qui contrario modo agerent, pro acerbis et inhumanis ab omnibus haberentur. Hic usus inter homines communis etiam a Deo ipso adhibetur." [1] Exemplo habes in sermone post ultimam coenam ad apostolos habito (Io 16, 1—5 20—22 32 33). Atque etiam gravissimis suis comminationibus Deum immiscuisse haud raro verba consolatoria notum est ex quam plurimis Veteris Testamenti prophetiis, v. g. Is 29. Verbis utique, quae Christus de Iuda proditore dixit, nullum intermiscetur solatium; res enim eius prorsus desperatae erant, adeo ut nullum solatium admitterent; contra Petro ceterisque apostolis etsi a satana vehementissime impugnandis, postremo tamen omnia fortunate contingebant; unde prorsus convenit, ut Christus Petri in fidei periculum incidentis praediceret fidem futuram firmissimam, adeo ut etiam ceteros in fide firmare posset atque deberet.

Confirmatur thesis II ex Petri ipsius ceterorumque apostolorum agendi ratione, utpote tali, quae cum Petri primatu optime congruat. Protestantes quidem id negant, atque ex eo, quod secundum ipsos nec Petrus iurisdictionis primatum exercuerit, nec alii apostoli eum agnovisse referantur, concludunt, eiusmodi primatum Petro collatum non esse[2]. Sed

1. *hanc conclusionem,* etsi eius praemissae verae essent, nullatenus iustam ac veram esse supra iam diximus; iuverit tamen id fusius ostendere[3] a) *quidem* ex eo, quod si quis non utitur iure lege concesso, non sequitur, ipsam legem non exsistere. Verba igitur Christi Mt 16, 18 19; Io 21, 15—17, (Lc 22, 31 32), quae rationem legis habent, firma et immota manent, sive Petrus iure sibi concesso usus est sive non. Certe inde tantummodo effici possit, aut non opus fuisse, Petrum illo iure uti, aut si opus fuerit, eum officium suum non explendo peccasse. — b) Quamquam, si de lege aliqua humana dubium oriatur, optima legis interpres sit consuetudo, in lege divina tamen, quae contraria consuetudine non mutatur, contra clarum eius sensum nulla qualiscumque consuetudo aut usus invocari potest; eo ipso enim, quod legi divinae adversatur usus, pessimus abusus esse probatur. Quod in re de qua agimus locum habet, cum protestantes contra clarissima Christi verba ad usum et praxim appellent. — c) Si lex e praxi elucidanda est, ex praxi illius temporis elucidetur oportet, quo lex in usum deducta est, non vero ex praxi illorum temporum, quibus vix aliquis legis usus esse potuit. Ex eo igitur, quod Petrus in ipsis Ecclesiae primordiis et contra coapostolos non omnem suam auctoritatem exercuit, eam non exstitisse colligi non potest, sed attendi debet

---

[1] Murray III 469.
[2] Cf. Hurter 382 sq; Gutberlet 135 sqq; Schanz, Apologie III 514 sqq.
[3] Reinerding 99.

praxis subsequentis aetatis, ad quam solam provocari aliquo iure potest. — d) *Argumentum ex non-usu* tum certe nihil valet, cum in eo innititur, quod de usu nihil constet. Sed protestantes argumentantur ex eo, quod in Actibus apostolorum de eo non legamus.

Falso igitur adversarii concluderent, etiamsi eorum praemissae, quibus sumitur, primatum iurisdictionis neque a Petro exercitum neque a ceteris apostolis agnitum esse, verae essent. Sed etiam illae praemissae falsae sunt. Et vero

2. *Petrum primatu aliquo* saltem ornatum fuisse tum ipsius Petri tum ceterorum apostolorum agendi ratio manifeste demonstrat. Nam a) ut *a Petri agendi modo* incipiamus, Actus apostolorum Petrum ubique tamquam ipsum apostolorum principem exhibent. Profecto Petrus primus enuntiavit Act 1, 15, in Iudae locum eligendum esse novum apostolum; primus praesentibus ceteris apostolis, ut eorum os, evangelium Christi praedicat eosque defendit (Act 2, 14 sqq; 4, 19 sqq), rationem sanationis claudi miraculosae sacerdotibus reddit (ib. 4, 8 sqq), praesente Ioanne solus ad populum loquitur (ib. 3, 12 sqq); item solus contra Ananiam et Saphiram in suam ipsius aliorumque apostolorum auctoritatem reos sententiam fert eosque graviter punit (ib. 5, 1—11). Petrus praeterea christianorum coetus per Iudaeam, Samariam, Galilaeam visitat (Act 9, 32) atque in bene coeptis confirmat, quamvis eos non omnes ipse instituerit, dum contra Paulus testatur Rom 15, 20, se evangelium non praedicasse, ubi antea iam ab aliis apostolis fuerat annuntiatum. Petrus denique in concilio Hierosolymitano primus sententiam dicit atque litem ita dirimit, ut multitudo, sublata omni ulteriore controversia, taceat; unde satis patet, Petrum huius concilii praesidem egisse. Neque opponi potest, quod, quae Iacobus insuper proposuit, postea etiam decreta sunt, cum auctoritas praesidis non tollatur eo, quod alterius oratoris sententia ita approbetur, ut tamquam lex statuatur. Atque haec sane omnia alicuius primatus indicia sunt. Falsa autem adversarii, ut ea elevent, dicunt, mirum non esse Petrum, utpote ferventioris ingenii virum, ubique primas partes sibi sumpsisse. Nam non solum Petrus primas sibi partes vindicavit, verum etiam

b) *alii apostoli ei primas dederunt.* Saepissime enim in evangeliis, Actibus apostolorum atque in epistulis Petrus cum aliis apostolis aut omnibus aut cum uno alterove nominatur ita semper, ut ei praecipuus honor deferatur.

Atque *primum* omnium apostolorum nomina quater ex ordine collocata in Novo Testamento legimus: Mt 10, 2—4; Mc 3, 16—19; Lc 6, 14 ad 16; Act 1, 13, in quibus catalogis sicut Iudas Iscariotes semper ultimo, ita *Petrus semper primo loco* ponitur. Quod profecto casui eo minus ascribi potest atque eo magis consilio ac data opera ab evangelistis factum esse patet, si certa ratione ac lege nomina in omnibus illis

catalogis disposita esse perpenderis. Quinam autem ordo dispositionis sit quaeque lex, ex indicibus illis iuxta se positis perspicitur.

	Mt 10, 2 sqq	Mc 3, 16 sqq	Lc 6, 14 sqq	Act 1, 13 sqq
I.	Petrus	Petrus	Petrus	Petrus
	et Andreas	et Iacobus Zebedaei	et Andreas	et Ioannes
	Iacobus Zebedaei	et Ioannes	Iacobus	Iacobus
	et Ioannes	et Andreas	et Ioannes	et Andreas
II.	Philippus	et Philippus	Philippus	Philippus
	et Bartholomaeus	et Bartholomaeus	et Bartholomaeus	et Thomas
	Thomas	et Matthaeus	Matthaeus	Bartholomaeus
	et Matthaeus	et Thomas	et Thomas	et Matthaeus
III.	Iacobus Alphaei	et Iacobus Alphaei	Iacobus Alphaei	Iacobus Alphaei
	et Thaddaeus	et Thaddaeus	et Simon Zelotes	et Simon Zelotes
	Simon Chanan.	et Simon Chanan.	et Iudas Iacobi	et Iudas Iacobi
	et Iudas Iscariotes	et Iudas Iscariotes	et Iudas Iscariotes	

Unde vides, duodecim apostolos *α*) in tres quasi turmas distribui; *β*) hanc dispositionem ita ab omnibus evangelistis servari, ut numquam extra *suam* turmam nomen cuiusquam apostoli ponatur; *γ*) intra eandem turmam huius quasi ducem numquam suo loco moveri; *δ*) reliquos omnes (excepto Iscariota) locum mutare. Petrus autem *cur* priore semper loco ponatur si inquiramus, certe res non ita explicari potest, ut Petrus dicatur dux primae turmae apostolorum, sicuti, si inspicimus catalogos supra positos, Philippus quodammodo dux secundae, Iacobus Alphaei tertiae turmae vocari possit. Nam praeter alia obstat, quod saepius S. Scriptura, si designanda est tota apostolorum cohors, eam ita significat, ut loquatur de „Petro et qui cum ipso erant“ (vide p. 137). Sicuti igitur locutio „Philippus (vel Iacobus Alphaei) et qui cum ipso erant“ si occurreret in S. Scriptura, testibus catalogis supra positis nihil aliud significare posset quam secundam vel tertiam apostolorum turmam, ita e contrario, arcta illius locutionis, cum agitur de Petro, significatio contextu verborum excluditur [1]. Quare positio nominis Petri in principio catalogi non solum significat eum ducem primae turmae, sed omnes apostoli hac positione eius ducatui subiciuntur. *Deinde* cur primo loco ponatur Petrus, clare Matthaeus evangelista indicat, cum in catalogo

[1] Haec tamen dicta sunt, non quasi Philippus et Iacobus Alphaei revera Christo vivente praepositi ac duces aliorum quorundam apostolorum fuerint, sed ut occurratur obiectioni, quae formari fortasse possit. De ordine, qui in catalogis apostolorum observatur, multis agunt v. g. A. Tostatus, in Mt 10 quaest. 28 29 (Opera X 1, Coloniae 1613, 389 sq); Fr. Ribera, in Apc 21, 19 (Antverpiae 1593, 567 sqq); qui conveniunt in eo, quod „iste ordo videtur esse secundum ordinem temporis in discipulatu“ (Tostatus 389). Quod scil. differunt evangelistae in enumerandis apostolis, ut plurimum commode videtur explicari posse, v. g. si Matthaeus se ipsum postponit Thomae, ratio videtur esse eius humilitas; si Marcus Andream post filios Zebedaei memorat, id fecisse videtur, ut primo loco ponat eos apostolos, quibus Christus nomina nova dedit etc.

suo eum primatis nomine insignit. Legitur enim l. c.: *Πρῶτος Σίμων, ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας κτλ.*, i. e. Petrus praecipuus, simpliciter primus sive primas, princeps. Vocabulum enim *πρῶτος* hoc sensu ex usu S. Scripturae intelligi et potest et debet. *Posse* ita intelligi patet ex variis locis, v. g. Mt 20, 27: „Qui voluerit inter vos primus (*πρῶτος*) esse" etc.; Mc 12, 28—30: „Primum omnium mandatum"; Act 28, 7: „In locis autem illis erant praedia principis (*τῷ πρώτῳ*) insulae." *Debere* hoc loco ita intelligi inde constat, quod l. c. apostoli bini recensentur ideoque de secundo, tertio nullus est sermo. Ut igitur *πρῶτος* hoc loco tamquam adiectivum numerale adhibitum dici posset, oratio componi debuisset ita: primus Simon..., secundus Andreas, tertius Iacobus etc., aut hoc modo: primum Petrus et Andreas, deinde Iacobus etc.

Ceterum nonnulli recentiores protestantes, ut iam Olshausen, Meyer, de Wette, satis concedunt, πρῶτος esse hic *dignitatis*, non vero, ut Rosenmüller et Kuinoel aliique voluere, ordinis vocabulum[1]. — Certe enim non ideo Petrus absolute primus dictus est, tamquam fuerit vel maior natu, vel primus vocatione, vel quod aliis apostolis prior loqui solebat, vel quod maxime a Christo dilectus est, vel quod primus gentiles in Ecclesiam recepit. Nam vocabulum πρῶτος horum nihil umquam in Novo Testamento significat. Insuper, ut Ionannes refert 1, 35—42, omnium discipulorum primi invitati sunt ad sequendum Christum Andreas et Ioannes, altero tantum die Petrus; cum autem proprie dicta Andreae et Petri vocatio ad Christum usque sequendum locum haberet, uterque uno eodemque tempore vocatus est teste Mt 4, 18 et Mc 1, 16 17. Deinde Epiphanio[2] si fidem habemus, Andreas etiam natu maior erat Petro; Ioannes autem, ut ex ipsius evangelio patet et omnes admittunt, carissimus Christo fuit, et generatim pluribus aliis ab ipso praelatus. Porro si aetatis ordinem evangelistae secuti essent, Ioannes ultimus fuisset nominandus, cum omnium minimus natu fuerit. Diu etiam ante centurionis Cornelii in Ecclesiam admissionem Petrus ut apostolorum primus ab evangelistis describitur.

Itaque Petrus apostolorum princeps ab evangelistis dicitur, quia eo quo ii scribebant tempore caput apostolorum erat, tunc vero, cum Christus cum apostolis versabatur, ut ad talem dignitatem recte administrandam educaretur, quibusdam iam praerogativis ornatus erat.

Deinde non solum in istis indicibus nominum omnium apostolorum, sed etiam, excepto uno alterove loco, Petrus si cum aliis nominatur, *primo semper loco* ponitur. Ita: „Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem eius" (Mt 4, 18. Mc 1, 16 29); „Petrum et Iacobum et Ioannem" (Mt 17, 1; 26, 37. Mc 5, 37, 9, 1; 14, 33. Lc 8, 51; 9, 28); „Petrum et Ioannem" (Lc 22, 8. Act 3, 1 3 4 11; 4, 13 19; 8, 14); „Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael..., et filii Zebedaei et alii ex discipulis eius duo" (Io 21, 2). — Non

[1] Cf. Schegg in h. l. II 4; Schanz in h. l. 284; Knabenbauer I 387.
[2] Haeres. 51, c. 17 (MG XLI 921).

raro Petrus *solus* diserte nominatur, uti Mc 1, 36: „Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant (*καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ*)"; Lc 8, 45: „Negantibus autem omnibus dixit Petrus et qui cum illo erant (*καὶ οἱ σὺν αὐτῷ*)"; ib. 9, 32: „Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno"; Act 2, 14: „Stans autem Petrus cum undecim (*σὺν τοῖς ἕνδεκα*)"; ib. 5, 29: „Respondens autem Petrus et apostoli dixerunt", et Mc 16, 7: „Dicite discipulis eius et Petro." Quae loquendi ratio secundum usum tam profanum quam S. Scripturae Petrum ut aliorum principem exhibet. Ita certe in evangeliis saepius legitur aut Iesus vel venisse cum illis (Mt 26, 36) vel cum discipulis secessisse (Mc 3, 7), aut discipulorum turma cum eo ivisse (Lc 7, 11), vel „unus ex his, qui erant cum Iesu, exemisse gladium" etc. (Mt 26, 51), ubi ergo solus Iesus ut discipulorum dominus et magister nominatur. Simili ratione Apc 12, 7 dicitur: „*Michael* et angeli eius proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli eius"; item 1 Rg 22, 6: „*David* et viri, qui erant cum eo."

Denique Petrus eo etiam distinguitur, quod in oratione, qua scriptor gradatim ad maiora ascendendo, quod maximum et praecipuum est, ultimo loco ponit, post alios apostolos nominatur, ut 1 Cor 1, 12: „Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi"; quo loco Paulus modestiae et humilitatis causa a se ipso tamquam minimo incipit, et ascendit ad maximum, Christum, quem Petrus proxime praecedendo certe ut maior prioribus exhibetur. Ac simili omnino modo et sensu dicit Paulus ib. 9, 5: „Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut et ceteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?" Atque idem dicendum est de 1 Cor 3, 22 23: „Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei."

Nihil obstat argumento nostro, quod semel vel bis in S. Scriptura, dum apostoli nominantur, Petrus locum omnium maxime distinctum non videatur tenere. Nam duae exceptiones non officiunt, quin lex aliqua generatim observari dicatur, et praeterea probabilis ratio afferri potest, cur locis illis Petrus alii apostolo postponatur. Quorum locorum alter est Io 1, 44: „Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri." At, ut omittamus quaerere, utrum Petrus an Andreas loco hic magis honorifico nominetur, Ioannes videtur honorem habuisse maiori aetati Andreae, vel quod prius Andreas vocatus erat. Alter autem locus est Gal 2, 9: „Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus et Cephas et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis"; ubi Cephas sive Petrus medius est inter Iacobum et Ioannem[1]. Sed probabiles

[1] Tert., Adv. Marc. 4, 3; 5, 3 (ML II 364 C 474 A), Ambrosiaster, Augustinus, Hieronymus cum codicibus graecis D, E, F, G legunt: Petrus et Iacobus et Ioannes. Victorinus habet: Petrus et Ioannes et Iacobus. Nihilominus lectio vulgata retinenda est. Cf. Cornely, Comment. in h. l. 431.

rationes dari possunt, quare Iacobus hic primus ordine nominetur. Id enim fit, vel quia Iacobus Hierosolymorum episcopus erat et res in ea urbe publice gesta refertur, vel quia apud christianos ex iudaeis oriundos, quibuscum Paulo hic res erat, Iacobus tum maioris auctoritatis erat quam ipse Petrus, et quidem propter sanctitatis suae opinionem et fidelitatem in observanda lege mosaica, tum propterea, quod Iacobus et ut „frater" Domini et Hierosolymitanae ecclesiae praepositus iudaeis magis notus et imprimis carus fuit; vel denique, quod Paulus, cum ad evangelium suum cum aliis apostolis conferendum Hierosolymam venisset, Petro tunc fortasse absente primum Iacobum invenit, et eo ordine, quo hi tres apostoli consensionem suam cum ipso declaraverint, eos hic refert.

Certe Paulum Cepham hoc loco non postposuisse, quod eum reliquis dignitate priorem non haberet eiusque auctoritati detrahere vellet, ex eo liquet, quod eum aliis locis ut primum distinxit et, ut Gal 1, 18 scribit, primum ipse invisit, non utique discendi causa, cum a Deo ipso edoctus et pariter infallibilis religionis christianae doctor esset, sed ut ipsum coram cognosceret (ἱστορῆσαι)[1] atque ita, ut Theodoretus ait[2], ei ut apostolorum principi debitum honorem tribueret (τὴν πρέπουσαν ἀπονέμει τῷ κορυφαίῳ τιμήν). Quod idem docuit S. Chrysostomus[3]: „Post tanta tamque praeclare gesta cum nihil opus haberet Petro nec illius egeret voce, sed honore par esset illi (ἰσότιμος) . . ., tamen ascendit velut ad *maiorem* ac seniorem (μείζονα καὶ πρεσβύτερον). Et philosophus Victorinus pariter ait[4]: „Post tres, inquit, annos Hierosolymam veni; deinde subiungit causam: *videre Petrum.* Etenim si in Petro fundamentum Ecclesiae positum est, ut in evangelio dictum, cui revelata erant omnia Paulus scivit videre se *debere* Petrum quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret." — Qui autem Mt 13, 55: „et fratres eius [Christi] Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas" memoratur Simon, Petrus non est, cum ipse ex omnium consensu nulla propinquitate cum Domino coniunctus esset.

Itaque Petri ceterorumque apostolorum agendi et loquendi ratio ea fuit, quae cum potestate Petro collata optime consentiat et aliquem eius primatum certe manifestet. Et licet ea omnia, quae de ista Petri apostolorumque agendi ratione diximus, si sola spectentur, alium quam *honoris* primatum vix demonstrent, temporum tamen hominumque illorum iusta ratione habita concedendum est, iurisdictionis primatum Petro collatum non modo non negari, sed quam plurimum confirmari. Nam „quibus aliis actibus Petrus, eo praesertim tempore, cuius historiam S. Lucas nobis in Actibus refert, primatum iurisdictionis exercere potuerit? Num eo, ut apostolis, qui non minus quam ipse

---

[1] „Non dixit, inquit Chrysostomus (in h. l.: MG LXI 631), *ἰδεῖν* (videre), sed *ἱστορῆσαι* (visere), quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas urbes adeunt spectandi cognoscendique causa." Atque revera „illam solam quam Chrysostomus indicat significationem verbo *ἱστορεῖν*, quod in Scripturis hoc solo loco legitur, competere omnes acatholici quoque fatentur" (Cornely in h. l. 410).

[2] Comment. in h. l. (MG LXXXII 468).

[3] Comment. in Gal. 2, 2 (MG LXI 631).

[4] In ep. ad Gal. l. 1, p. 9 (ML VIII 1155).

infallibiles erant, credendorum normam praefigeret? an eo, ut poenis in sanctos confratres procederet? an eo, ut eis agendorum normam praefigeret? Quamquam quod agendorum normam attinet, Petrus certe, cum in concilio Hierosolymitano de observantia legis mosaicae ageretur, primas sibi partes vindicavit. Quo Petrus hoc Ecclesiae initio et viventibus coapostolis primatum iurisdictionis exercere poterat, hoc in una omnium ecclesiarum cura, a quocumque hae fundatae fuerant, collocandum esse videtur, et hanc ipse, ecclesias per Iudaeam, Samariam et Galilaeam indiscriminatim visitans, gessit."[1]

Primatu porro meri honoris Petrum honoratum esse, etiam ideo admitti nequit, quod eiusmodi primatus utpote a consilio Christi plane alienus ab ipso institui non potuit. Quomodo enim Christus, qui honoris ambitum toties interdixit, talem vanitatis primatum instituerat? Ipse, qui voluit, ut apostoli crucis humilitatem ubique praedicarent, eamque ipsi praesertim prae se ferrent? ipse, qui pauperes ac minime doctos discipulos elegit atque apostolos suos constituit, ut omnibus evidens fieret, religionis suae propagationem non hominum, sed sui ipsius praecipue opus esse? Sane a Christi mente prorsus aliena censenda est institutio primatus, qui ad nullum solidum religionis suae bonum, sed ad *solum* hominis alicuius honorem referatur. Itaque cum dicta Petri ceterorumque apostolorum agendi ratio aliquem Petri primatum manifestent, eum iurisdictionis esse primatum admittatur necesse est.

Obiciunt adversarii 1. facta quaedam, scil. a) Petrum et Ioannem ab apostolis in Samariam *missos* referri Act 8, 14; b) Petrum Act 11, 5 sqq coram iis, „qui erant ex circumcisione", actuum suorum *rationem reddidisse*, et c) in concilio Hierosolymitano nullam in alios auctoritatem exercuisse, concilii enim decretum a tota fidelium multitudine emanasse; d) Petrum in utraque sua epistula nullam omnino primatus sui mentionem fecisse, ideoque non videri, ipsum se primatem existimasse, et revera e) cum etiam ipse Ecclesiae membrum fuerit, non potuisse simul esse eius caput; praeterea f) Paulum Cephae „in faciem" restitisse (Gal 2, 11) atque g) ipsos iudaeos ad Christum conversos adversus eum disputasse (Act 11, 2).

At facile ad haec respondetur. Nam a) mitti aliquis potest non solum ut inferior a superiore, sed etiam ut superior ab inferioribus, uti saepius hominum conventus praesides suos ad gravia negotia gerenda mittunt, ut nihil dicam de missione hominis nec superioris nec inferioris, sed aequalis, aptioris tamen ad rem bene gerendam. Missio porro inferioris fit auctoritate mittentis, illius vero, qui vere ac proprie est superior, consilio tantum ac precibus inferiorum. Iam vero Petrum atque etiam Ioannem priore modo missos a Luca dici nullatenus probari potest, cum hoc loco id nulla ratione indicetur. Ergo cum, id quod modo monstravimus, apostoli supremam Petri auctoritatem agnovisse se alibi satis ac saepius testati sint, concludendum est, Petrum hic non priore, sed posteriore ratione missum dici, eodem modo, quo etiam Phinees et principes tribuum missi leguntur ab Israelitis

[1] Reinerding 101sq.

(Ios 22, 13 14), et Paulus ac Barnabas a fidelibus Antiochenis ad consulendos ceteros apostolos (Act 15, 2). Quod inde confirmatur, quod agebatur de samaritanorum, gentis adeo exosae iudaeis, receptione in Ecclesiam. Magna sine dubio eorum multitudo Christo cum nomen dedisset (Act 8, 14), coniungenda ea erat intima coniunctione in unam ecclesiam cum iudaeis, a quibus usque eo implacabili dissensione dissederant. Quae res gravissima profecto ac difficilis convenientissime ab ipso Ecclesiae pastore ac capite perficiebatur, a quo postea prima etiam gentilium in Ecclesiam receptio peracta est.

b) Neque quidquam probat, quod Act 11, 51 Petrus eorum quae egerat rationem reddit. Rationem enim actionum suarum aliquis reddere potest maxime propter duplicem causam: aut quia a legitimo superiore de iis interrogatur, aut quia ipse sponte sua ad hominum imprudentium offensionem praecavendam vel tollendam eam reddere vult. Porro Petrus propter hanc alteram causam quae Caesareae egerat coram iudaeis ipsius convictum cum gentilibus improbantibus vel mirantibus defendit, ut evidens est ex Act 11, 2—4. Neque profecto quisquam dixerit, illos iudaizantes christianos Petro superiores fuisse adeo, ut ipse saltem ceu apostolus iis non antecelleret.

c) In apostolorum autem concilio Petrum, tametsi nihil imperabat, maximam tamen auctoritatem exercuisse ex eo apparet, quod primus ut fidei magister sententiam dixit nullusque adversariorum ei contradicere ausus est, sed totum concilium ipsius sententiae acquievit. Iacobus deinde Petri sententiam vaticiniis comprobans formam decreti proposuit, eique Petrus cum tota synodo assensit. Nulla igitur Petrum inter et Iacobum dissensio fuit, ita ut synodus Iacobum, non vero etiam Petrum secuta fuisse dici possit. — Falso pariter decretum a tota fidelium multitudine conditum esse dicitur. Approbavit ea quidem decretum, sed legem ipsam non tulit; quod patet tum ex eo, quod Paulus et Barnabas Act 15, 2 „ad apostolos et presbyteros in Ierusalem super hac quaestione“ missi esse leguntur, tum ex ipso decreti initio his verbis v. 23 expresso: „Apostoli et seniores fratres his, qui sunt Antiochiae“ etc. Quod igitur v. 22 legitur: „Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros“ etc., probat tantum, a fidelibus quoque et non a solis apostolis et senioribus electos esse legatos, qui Antiochiam decretum ab apostolis et senioribus conceptum perferrent.

d) Quod porro ipse Petrus in epistulis suis primatum sibi commissum non commemorat, primatiali potestate eum destitutum fuisse non probat. Sufficiebat enim ad auctoritatem sibi conciliandam ut apostoli Christi auctoritate niteretur, quod facit, dum scribit: „Petrus *apostolus* Iesu Christi electis advenis“ etc. (1 Petr 1, 1) et: „Simon Petrus, servus et *apostolus* Iesu Christi, iis qui“ etc. (2 Petr 1, 1). Neque viri sancti et humiles sine necessitate vel utilitate omnem suam auctoritatem facile produnt, ideoque Petrus quamquam se apostolum nominaverat, ad inferiores tamen pro sua modestia scribit (1 Petr 5, 1): „Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro *consenior.*“

e) Petrum vero Ecclesiae membrum fuisse manifesto nullatenus obstabat, quominus sub alio respectu posset esse eiusdem caput, eadem ratione, qua aliquis in societate civili natus fit manetque eiusdem semper membrum, etiamsi eius rex creatur. Num vero reges et imperatores non sunt etiam membra societatis hominum sive regni, cui praesunt? — Ex eo autem, quod 1 Petr 3, 22 Christus exhibetur omnia sibi subiecta habens et moderans,

minime profecto sequitur, ipsum Petrum commissum sibi primatum non agnovisse, eo quod illis verbis indicet, Christum nullo vicario in terris opus habere. Etsi enim Christus vicario *absolute* opus non habuerit ad regendam Ecclesiam, non tamen inde concludi potest, eum vicarium non instituisse. Sane Deus neque ad regendos homines in societate civili regibus et magistratibus *absolute* opus habuit. Num igitur non sunt legitimi reges ac magistratus? Et num Deus non recte egit, quod praeter ea, quae ad victum vitaeque nostrae sustentationem *absolute* necessaria sunt, innumera alia bona creavit? Vel num haec alia bona revera non exsistunt?

f) *Denique* non obstat, quod Paulus Petro Antiochiae restitit. Non enim Paulus Petri mandato aut doctrinae restitit (cf. supra 23 sq), quae resistentia sola Petri primatui opponeretur, sed propter Petri conversationem fraterna monitione usus est, quam sane etiam inferiores et maxime tales, qualis apostolus Paulus erat, propter graves rationes exercere possunt. Nec Paulum, utut Petro in regimine Ecclesiae inferiorem, illum Petri agendi modum scriptis consignando omnibus patefacere dedecuit, cum id non fecerit nisi iustissima hac ratione motus, ut evangelii veritatem contra periculosos adversarios defenderet. Accedit, quod ipse locus Gal 2, 11—14 Petri primatum testatur ac comprobat [1]. Quantae enim auctoritatis Petrus apud christianos tum ex iudaeis tum ex gentilibus oriundos fuerit, quantumque ipsum Paulum auctoritate superaverit, ex tota eventus illius historia clarissime elucet. Non solum enim iudaeo-christiani omnes ipseque Pauli socius ac amicus Barnabas exemplum S. Petri continuo imitati sunt, sed vel ipsos christianos ex gentibus oriundos et maximam partem a Paulo ad religionem christianam amplectendam conversos Petri exemplum quasi morali quodam modo cogere videbatur, ut etiam ipsi, non obstante libertate ab apostolorum concilio concessa, mosaicae legis observantiae sese subicerent. Insuper Paulus ut Galatis demonstraret, non alio modo ac duodecim illos verum et proprie dictum apostolum se esse eademque plena apostolica potestate eodemque iure ac illos gaudere, consulto illud praecipue commemoravit, quod ipsi Petro restiterit, idque „coram omnibus".

g) Ex eo autem, quod „qui erant ex circumcisione" adversus Petrum post publicam gentilium in Ecclesiam receptionem eiusque cum iis convictum disceptabant, non sequitur, Petri primatum a primis christianis vel non esse creditum vel a Christo non esse institutum. Hoc tantum concludere licet, illos christianos fuisse valde imperfectos. Christiani enim morigeri et perfecti Petri agendi modum non reprehendissent, etiamsi solum credidissent, eum esse apostolum. Profecto enim Petro ut apostolo non minus quam ut primati obtemperare et venerationem praestare debebant. Praeterea id, de quo disceptabant, Petrus non tam egerat ut Ecclesiae totius caput quam ut apostolus.

2. Non magis istius confirmationis vim minuunt dicta quaedam S. Pauli, quae ab adversariis opponuntur. Sane ea vis non minuitur exinde, quod Paulus Gal 2, 9 Iacobum et Ioannem non minus quam Petrum Ecclesiae columnas vocat. Nam nihil prohibet, quin apostoli singuli sicut fundamentum ita etiam

[1] Cf. Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1873, 34. Signum reverentiae erga Petrum etiam in hoc videri potest, quod Paulus, postquam 1 Cor 3, 5 dixit: „Quid igitur est Apollo, quid autem Paulus?" non addit: Quid est Petrus? Quem tamen hic nominari ex 1 Cor 1, 12 exspectare poteras. Cf. 1 Cor 9, 5 et supra p. 137.

columnae Ecclesiae eo sensu vocentur, quod non solum singuli conspicui erant et in Ecclesia eminebant, sed etiam infallibili sua praedicatione, miraculis, invicta virtute fidei christianae veritatem et hinc Ecclesiam quodammodo sustinerent. Atque hoc procul dubio sensu Paulus cum Petro apostolo Iacobum et Ioannem recte aequiparat; nullatenus vero sequitur, eum ratione etiam iurisdictionis Christi fideles eos cum Petro pares existimasse.

Quod deinde Paulus 1 Cor 12, 28: „Quosdam quidem posuit Deus primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes" etc., primo loco apostolos tamquam munere omnium supremo et excellentissimo fungentes recenset, primatus tamen Petri nullam mentionem facit, serio opponi non potest. S. Paulus enim hoc loco munera ecclesiastica enumerat, quatenus in iis praecipue dona et charismata Spiritus Sancti sese manifestant, non vero quatenus ea pertinent ad ordinem iurisdictionis. Nam „S. Paulum nequaquam de hierarchia iurisdictionis hic sermonem habere, nec de ordine praeeminentiae inter eiusdem munera, sed de solis charismatibus et donis spiritualibus, manifestum est primum ex uno tenore orationis totius ab initio huius capitis 12 usque ad finem capitis 14. Initio enim illius capitis ad novam hanc materiam de charismatibus istis aggreditur, iis exceptis, quae, ad rem apprime, gravissima et pulcherrima interponit (c. 13) de excellentia caritatis prae omnibus charismatibus — ne uno quidem verbo per totum habito de muneribus iurisdictionis. Idem patet deinde ex ipso textu obiecto, in quo plura enumerat, quae diversa omnino sunt a iurisdictione, nempe prophetas, virtutes, gratias curationum etc."[1] Porro „Petrus charismata illa non habuit ut primas Ecclesiae, sed tantum ut apostolus; nec in iis ulla ei promissa vel data est praeeminentia officialis. Mentio ergo primatus in textu non solum extra rem esset et menti S. Pauli repugnaret, sed falsum insinuaret, seu potius plane significaret, Petrum non ut apostolum, sed ut primatem istis charismatibus cumulatum fuisse." Unde evidens est, S. Paulum hoc loco confirmationis nostrae vim ne attingere quidem, nedum eam imminuat. Insuper Paulus recte apostolos etiam in ordine iurisdictionis primos vocare potuisset, quia reapse primi fuerunt, quamquam inter eos unus fuit omnium primus, scil. Petrus.

Atque eodem ferme modo Paulus ad Ephesios (4, 11) scribit: „Et ipse [Christus] dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores." Neque enim, ut Estius in h. l. ait, „Paulus instituit hic recensere gradus hierarchicos Ecclesiae, sed afferre in medium aliquot charismata Spiritus Sancti, data a Christo ad doctrinam et gubernationem Ecclesiae. De illis enim praemiserat: *Dedit dona hominibus.*" Quamquam etiam hic Petrus in numero non solum apostolorum, sed etiam pastorum et doctorum comprehendi dici potest, utpote vere summus Ecclesiae pastor et doctor. — Quod autem Paulus dicit 1 Cor 3, 11: „Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus", nihil contra Petri primatum probare evidens est. S. Paulus enim hoc loco de iurisdictionis hierarchia huiusque gradibus non loquitur, sed agit de praedicatione evangelii dicitque, se aliosque evangelii praedicatores esse Dei adiutores tantum, ipsisque nomen fundamenti non competere, nisi, quemadmodum Estius hunc locum explicat, „ratione unius fundamenti, praedicando seu docendo ab ipsis positi: quod est Christus Iesus. Qui proinde funda-

[1] Murray III 513.

mentum huius aedificii primarium est ac principale, cum apostoli et prophetae secundaria tantum ratione eiusdem fundamenta appellari possint." Christus enim est, ut Eph 2, 20 dicitur, „summus angularis lapis", quatenus, ut Petrus dicit Act 4, 12, „non est in alio aliquo salus", et quatenus fide Christo eiusque doctrinae habita solidatur et sustentatur totum Ecclesiae aedificium. Apostoli autem fuerunt fundamenta Ecclesiae secundaria per ministerium suum, quatenus doctrinam salutis in solo Christo sitae divinitus acceptam hominibus praedicarunt. Apostoli insuper non propria, sed Christi virtute esse fundamenta a Paulo dicuntur, non solum quia ab ipso ad munus praedicandi evangelii electi sint, sed etiam quia Deus ipsorum praedicationi incrementum tribuat, et neque qui plantet sit aliquid, neque qui riget, sed solus qui incrementum det, Deus (1 Cor 3, 6 7). Atque eadem ratione etiam Petrus non propria, sed divina virtute et electione fundamentum secundarium Ecclesiae non solum ut apostolus per suam praedicationem, sed etiam ut illius primas *in ordine iurisdictionis* evasit, voluntate scil. Christi ipsum primatem instituentis.

Neque porro opponere licet, Paulum si Petrum auctoritate sibi superiorem agnovisset, affirmare non potuisse, quod 2 Cor 11, 5 et 12, 11 legitur: „Existimo enim, nihil me minus fecisse [potius: fuisse, ὑστερηκέναι] a magnis apostolis . . ., nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum apostoli." Etenim S. Paulus istis locis secundum communiorem veterum interpretationem contra calumniatores Corinthiis dicentes, ipsum respectu doctrinae apostolicae et donorum supernaturalium apostolum esse ceteris apostolis inferiorem, demonstrare vult, se quoad omnia esse verum apostolum atque apostolatus ratione etiam summis apostolis aequalem, ideoque 12, 12 addit: „Signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus." Quodsi revera Paulus loquitur hic de veris apostolis, ita ut intelligat Petrum, Iacobum et Ioannem, patet, ista verba nullatenus nobis obstare, cum secundum hanc interpretationem Paulus aliis apostolis sese aequiparet tantum respectu dignitatis vere apostolicae, ideoque etiam veritatis suae doctrinae, quaestionem autem, utrum reliquis apostolis aliquis potestatis et iurisdictionis ratione superior sit necne, neutiquam tangat, ideoque neque neget neque affirmet. Alii tamen plurimi recentiores S. Scripturae explanatores, et protestantes quidem plerique existimant, pseudoapostolos illos, de quibus 11, 13 loquitur, hoc loco per ironiam a Paulo vocari magnos apostolos, ita ut sensus hic sit: Nihilo sum inferior illis qui se ipsos iactant magnis apostolis. Qua interpretatione posita omnem difficultatis speciem penitus evanescere manifestum est. — Neque magis obstat, quod Paulus 1 Cor 1, 12 eos reprehendit, qui Cephae adhaeserint; reprehendit enim eadem ratione etiam eos, qui dixerant: „Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo"; scil. reprehendit eam adhaesionem, quae dissidia et contentionem pariat; dissidia autem illam peperisse Corinthi, liquet ex Pauli verbis v. 11: „Significatum est enim mihi de vobis . . ., quia contentiones sunt inter vos." Recte enim profecto ii egissent, ita adhaerentes vel Paulo vel Cephae, ut alios apostolos et magistros non parvi facerent neque reicerent. Si igitur illud Pauli dictum contra Petri primatum valeret, valeret eodem modo etiam contra ipsius S. Pauli auctoritatem.

Item quod Paulus Gal 2, 7 8 scribit: „Creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in

apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes", nullatenus probat Paulum existimasse, Petro propriam ac supremam in omnes omnino Ecclesiae provincias auctoritatem tributam non esse, sed tantummodo, etiam sibi commissum esse munus et auctoritatem evangelii praedicandi, et maxime quidem inter gentes, atque praedicationem suam inter gentiles divina virtute, miraculis scil. aliisque donis coelestibus pariter valde efficacem fuisse. Nulla enim ratione Paulus indicat hoc loco, se Petro respectu totius Ecclesiae regiminis subiectum non esse; non enim de munere gubernandi, sed praedicandi hic agit.

Nec denique magis ex his aliis Pauli verbis 1 Cor 11, 28: „Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum" sequitur, eum habuisse auctoritatem nulli alteri subiectam; potest enim cura et auctoritas universalis esse alteri auctoritati superiori et supremae subiecta. Insuper satis probabile est, Paulum non de universa Christi Ecclesia hic loqui, sed de iis praecipue ecclesiis, quarum ipse curam habebat specialem, nempe gentium. Sed quamvis Paulus de cura totius Ecclesiae loqueretur, tamen minime sequeretur, eum toti praefuisse Ecclesiae et quasi parem cum Petro potestatem sortitum esse; nam etsi sollicitudo omnem praefecturam consequatur, non tamen vicissim praefectura praesertim suprema consequitur necessario sollicitudinem, cum sane etiam inferiores praefecti de suis subditis, et pares de paribus, ac unusquisque christianus de omnibus aliis christianis tamquam eiusdem Ecclesiae membris possint esse solliciti.

Obicitur ab aliquibus, Paulum de Petri primatu prorsus tacere. At primum hoc falsum esse vide supra p. 141. Ac deinde etiamsi Paulus nulla plane ratione Petri primatum indicasset, num sequeretur, eum a Christo non esse institutum, praesertim cum huius institutionis argumenta ex ipsis Christi verbis petita adeo sint certa et clara, ut ea tunc temporis a nullo adhuc negaretur? Num vero omnis alia etiam doctrina evangelica incerta fiat, eo quod Paulus non legatur eam diserte commemorasse et de novo inculcasse?

Obicitur porro, *Iacobum Alphaei*, Hierosolymorum episcopum, fuisse primatem Ecclesiae [1]. Quod astruitur a) ex eo, quod in apostolorum concilio Iacobus *ultimus* locutus est, atque ita ut diceret: *ἐγὼ κρίνω*, i. e. ego decerno. — At post exortam controversiam *praesidis* concilii fuit, *primo* loco eam sedare et componere, quod fecit in eo concilio Petrus, qui tali auctoritate eam composuit, ut multitudo haud amplius disceptaret, sed taceret. Et cum dein Paulus et Barnabas retulissent, quanta Deus per ipsos mirabilia inter gentiles egerit, tunc tandem Iacobus, comprobans Petri dicta, suam sententiam aperuit. Non autem fuit Iacobi iudicium definitivum, i. e. tale, cui omnes in concilio congregati se subicere deberent, alioquin nec dici potuit: „Tunc placuit (*ἔδοξεν*) *apostolis* et *senioribus*" (Act 15, 22), nec explicaretur, cur postea Iacobi nulla diserta mentio fiat, sed dicantur apostoli et seniores elegisse viros Antiochiam mittendos. — b) Non magis Iacobi primatum demonstrat, quod apostolorum concilium Hierosolymis, cuius urbis episcopus S. Iacobus erat, celebratum est. Neutiquam enim id factum est, quod S. Iacobus totius Ecclesiae primas ab apostolis et fidelibus habitus sit, sed ideo, quod tunc praecipui apostoli et imprimis S. Petrus Hierosolymis fuerunt, ac propterea necnon propter fidelium in ea urbe tunc degentium multitudinem nullus aptior locus fuit ad illud concilium celebran-

[1] J. Friedrich, Zur ältesten Geschichte des Primates in der Kirche, Bonn 1879, 35 sqq. Similia iam Lutherus et Grabe protulerant. Cf. Bellarminus, De Rom. Pontif. I, c. 26; Massuet ad Irenaeum 3, 12 (MG VII 910). — Contra Friedrich scripsit Brüll in Tüb. Theol. Quartalschrift LXII (1880) 453—468.

dum. Ac sane ubi extra Palaestinam et inter gentiles celebrari apte potuit? — c) Deinde argumentum ducitur ex eo, quod Iacobus ad 12 tribus, „quae sunt in dispersione", epistulam scripserit, unde consequatur, ipsum totius Ecclesiae primatem fuisse. At non solum illi iudaei, sed etiam quam plurimi ac procul dubio multo plures inter gentiles erant tunc temporis iam christiani, et veri quidem, ideoque non tantum, ut adversarius putat, a Iacobo „ut proselyti" tractandi. Certe S. Paulus et S. Ioannes in epistulis eos non ut proselytos, sed ut veros christianos habuerunt. Cur igitur Iacobus, si se totius Ecclesiae primatem putasset, non ad omnes christianos suam epistulam direxisset, et diserte quidem ut universae Ecclesiae primas, si saltem ut talem se manifestare voluisset? Scripsit autem revera ad dispersos iudaeo-christianos solos, quia illi, utpote prius magna ex parte Hierosolymis et in reliqua Palaestina habitantes, sibi noti erant, utque eos consolaretur et confortaret in suis aerumnis. Insuper S. Petrus etiam scripsit „electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae", scil. maxime iudaeo-christianis dispersis, nec tamen inde eius primatus probari potest. Et num S. Paulus dicendus est, etiam se ut primatem totius Ecclesiae habuisse, eo quod non solum ad christianos e gentilibus, sed etiam ex iudaeis oriundos, et non modo in Iudaea, sed etiam alibi fere ubique degentes non unam tantum, verum multas epistulas scripsit? — Obicitur d) Iacobum misisse Antiochiam legatos ad concilii Hierosolymitani decretum contra Petrum et Paulum tuendum (Gal 2, 12); et Petrum eos timuisse seque a gentilium mensa subtraxisse, atque christianos e gentibus oriundos cogere voluisse, ut secundum iudaeorum morem viverent, hincque S. Iacobum ut supremum rectorem non solum Hierosolymitanae ecclesiae, sed etiam aliarum ecclesiarum se prodidisse. At primum nullatenus *certum* est, illos iudaeo-christianos fuisse ab ipso Iacobo missos. Deinde etiam dato, ipsos a Iacobo missos fuisse, nihil inde pro Iacobi primatu concludi potest. Ut enim Estius in Gal 2, 12 ait, egit „Petrus timore iudaeorum, qui a Iacobo venerant, non quia sibi periculum ab illis metueret, qui iam didicerat, nec mortem pro Christo timere, sed quod timeret, ne iudaei facto suo offensi legis aemulatione novas turbas excitarent, quibus cursus evangelii impediretur". Neque Iacobus aliud petere potuit, quam ut ipse Petrus ex iudaeis oriundus scandali vitandi causa secundum iudaeorum morem viveret. Sciebant enim certe et Iacobus et Petrus, christianos ex iudaeis posse cum christianis e gentilibus edere veteremque legem contrariam abrogatam esse. Nullo vero modo Iacobus Antiochiam mittere potuit ad tuendum concilii apostolici decretum, quod neque Petrus neque Paulus violaverant.

Confirmatur thesis III antiquitatis christianae testimonio[1]. Nam quos vocamus Patres et scriptores primorum christianae religionis saeculorum

1. passim affirmant, petram illam, de qua loquatur Christus Mt 16, 18, esse ipsum Simonem Petrum, et super Petrum Ecclesiam aedificatam esse. Nam v. g.

a) e **graecis** Patribus Origenes de Petro scribit[2]: „Vide magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit

[1] Patrum de Petri primatu effata proponunt praecipue: Fr. Thomas Mamachi, Originum et antiquitatum christianarum libri 20 V 1, Romae 1755. 130 sqq 409 sqq. Hieremias a Benettis, Privilegiorum in persona S. Petri Rom. Pontifici a Christo Domino collatorum vindiciae II, Romae 1756, 176 sqq 252 sqq. Clemens Schrader, De unitate Romana commentarius I, Friburgi 1862, 4 sq; II, Vindob. 1866, 77 sq. Charles F. B. Alnatt, Cathedra Petri: the titles and prerogatives of S. Peter and of his see and successors as described by the early fathers, ecclesiastical writers and councils of the Church[2], London 1879.

[2] Hom. 5 in Exod. n. 4 (MG XII 329).

Ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae, inquit, fidei, quare dubitasti?" Rursus de Petro dicit[1]: „Cui tamquam fundamento superstructa est Ecclesia, adversus quam nec ipsae inferorum portae praevaliturae sunt." Alibi[2] „Petro, inquit, cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi caritatis exigitur." Saepe Petri nomini addit hanc appositionem[3]: „Cui portae inferi non invalescent"; atque etiam „apostolorum principem" eum nominat[4]. Petri humilitatem et veracitatem extollens Eusebius Caesareensis eius discipulum Marcum ex magistri voluntate dicit siluisse de iis, quae praeclara contulerat Christus Petro, dum contra non siluerit eius negationem. „Quae autem illa [praeclara] sint, inquit[5], quae videlicet *ad ipsum Petrum* dicta sunt, Matthaeus his indicat verbis: vos autem quem me esse dicitis . . . " Exscripto deinde ad verbum toto loco Mt 16, 15—19 brevi postea Petrum nominat eum, „qui omnibus ipsis [apostolis] praepositus fuerat (ὁ πάντων αὐτῶν προκεκριμένος) apostolus illius et discipulus Petrus." De passione Christi loquens Eusebius „omnes discipuli (μαθηταί), inquit[6], fugiebant, ipseque praecipuus apostolorum (αὐτός τε ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων) Petrus ter negavit eum". Contra Simonem vero magum Dei providentiam „*fortissimum* et maximum inter apostolos Petrum et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum (τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τῆς ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον)" Romam duxisse narrat in Historia ecclesiastica 2, 14. Gregorius Nyssenus[7]: „Celebratur, inquit, Petri memoria, qui apostolorum est caput et una cum ipso cetera membra Ecclesiae glorificantur, Dei vero Ecclesia (in ipso) solidatur. Hic enim iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma ac solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam fundavit." *Auctor* quoque Commentarii in Isaiam S. Basilio attributi haec habet[8]: „Petrus, super quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se aedificaturum Ecclesiam." Ipse Basilius quem intelligamus audito nomine Petri sic describit: „Ionae filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreae

---

[1] *Ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἧς πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν* (In Ioan. tom. 5, n. 3: MG XIV 188).

[2] In ep. ad Rom. l. 5 (ib. 1053).

[3] De principiis l. 3, c. 2, n. 5 (MG XI 311); In Ps. 38 hom. 1, n. 10 (ib. XII 1399); in Is. hom. 7, n. 1 (ib. XIII 247); In Ezech. hom. 13, n. 2 (ib. 761); In Matth. tom. 12, n. 32 (ib. 1057). Origenes igitur Christi verba ita interpretatur, ut dici putet: portae inferi non praevalebunt adversus eam, scil. *petram*, quamquam communiter rectius vox „ea" referatur ad „Ecclesiam". Cf. supra p. 101 nota 5; 104 nota 5.

[4] Hom. 17 in Luc. (MG XIII 1845; textus graecus deest). Cf. in Ioan. tom. 32, n. 5 (ib. XIV 756).

[5] Euseb., Demonstratio evang. l. 3, c. 5 (MG XXII 216 220).

[6] In Ps. 68, 8 (MG XXIII 737). Idem dicit in Ps. 30, 12 (ib. 270): „Vel is qui discipulorum eius choro praeerat (*ὁ πρωτοστάτης τοῦ χοροῦ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν*) ter ipsum negavit" (cf. Eus., In Luc. 22, 57: ib. XXIV 604).

[7] Or. 2 de S. Steph. (MG XLVI 733): *Μνημονεύεται Πέτρος ἡ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων καὶ συνδοξάζεται μὲν αὐτῷ τὰ λοιπὰ μέλη τῆς ἐκκλησίας· ἐπιστηρίζεται δὲ ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ. Οὗτος γάρ ἐστι κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ παρὰ τοῦ κυρίου δωρεὰν ἡ ἀρραγὴς καὶ ὀχυρωτάτη πέτρα, ἐφ' ἣν ἐκκλησίαν ὁ Σωτὴρ ᾠκοδόμησεν.*

[8] C. 2, n. 66 (MG XXX 233): *Πέτρος, ἐφ ἧς καὶ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν.*

fratrem, qui ex piscatore ad apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in se ipsum recepit (τὸν ἀπὸ ἁλιέων εἰς τὴν διακονίαν τῆς ἀποστολῆς προσκληθέντα, τὸν διὰ πίστεως ὑπεροχὴν ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας δεξάμενον)." [1] Item Gregorius Nazianzenus ait de Petro [2]: „Vides, quemadmodum e Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis, hic *petra* vocetur atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat (ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται)." Alibi loquitur de Petro, qui est petra infrangibilis, qui clavem accepit: „πέτρης ἀρραγέος, γενέτης κληῖδα λαχόντος." [3] Alibi [4] Petrum columen Ecclesiae, τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα, vocat. Ioanni Chrysostomo vero est Petrus „basis Ecclesiae" (ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας) [5], „fundamentum fidei" (κρηπὶς τῆς πίστεως) [6], „chori illius [apostolorum] coryphaeus, os apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae, ardens Christi amator (ὁ κορυφαῖος τοῦ χοροῦ, τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ἁπάντων, ἡ κεφαλὴ τῆς φατρίας ἐκείνης, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης προστάτης, ὁ θεμέλιος τῆς ἐκκλησίας, ὁ θερμὸς ἐραστὴς τοῦ Χριστοῦ) [7]. Alibi explicans Mt 18, 15 dicit [8]: „Haec et alia eiusmodi Christo loquente ad discipulos suos, istamque philosophiam docente, Petrus, chori apostolorum princeps (ὁ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος), os discipulorum, columna (στῦλος) Ecclesiae, firmamentum fidei (στερέωμα τῆς πίστεως), confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in coelum adduxit, . . . tacentibus omnibus dixit" Explicans Mt 16, 18 dicit [9]: „Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere hominemque piscatorem toto impugnante orbe petram firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur." Et addit, quemadmodum Deus Pater uni iudaeorum genti Ieremiam dederit sicut columnam aeream et sicut murum, ita Christum constituisse Petrum in universo terrarum orbe pariter ut istiusmodi columnam et murum. Epiphanius [10] de apostolo Petro: „Sic enim ei, inquit, qui inter apostolos primus esset, consentaneum erat, solidae, inquam, illi petrae, supra quam est Ecclesia Dei fundata, et portae inferi non praevalebunt illi." Nilus abbas [11]: „Videsis, inquit, Ecclesiae primum lapidem Petrum, chori apostolici verticem (τὸν πρῶτον λίθον τῆς ἐκκλησίας Πέτρον, τὴν κορυφὴν τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων) post poenitentiam factam." Atque Asterius Ama-

---

[1] Adv. Eunomium l. 2, n. 4 (MG XXIX 580).

[2] Or. 32, n. 18 (MG XXXVI 193).

[3] Carm. l. 1, sect. 2, carm. mor. 1 in laud. virg. v. 489 (MG XXXVII 559). Petrum discipulorum caput (*μαθητῶν ἄκρος*) vocat (carm. 12, l. 2, sect. 1: ib. 1182).

[4] Or. 9, n. 1 (MG XXXV 820).

[5] In illud: Vidi Dom. hom. 4, n. 3 (MG LVI 123). De Chrysostomi sententia cf. Jugie in Échos d'Orient XI (1908) 5—15; Chapman in Dublin Review CXXXII (1903) 1—27.

[6] C. lud. et theat. (MG LVI 265). [7] In illud: Hoc scitote (ib. 275).

[8] Hom. de decem mill. tal. n. 3 (MG LI 20).

[9] In Matth. hom. 54 (al. 55), n. 2 (MG LVIII 534).

[10] Ancor. c. 9 (MG XLIII 33): *Ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

[11] Nili ep. 2, 261 (MG LXXIX 333).

senus[1]: „Rursum, inquit, Unigenitus ... Petrum Ecclesiae fundamentum dicit: tu es Petrus et super hanc petram etc., nominans fidei petram. Per Petrum ergo verum ac fidelem pietatis doctorem effectum ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit.“ Cyrillus Alexandrinus explicans Io 1, 42 ait[2]: „Et Simonem eum [Christus] non iam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate iam tunc ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam (ἐπ' αὐτῷ γάρ ἔμελλε τὴν αὑτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν).“ Alibi[3] Petrum „sanctorum apostolorum principem“ vocat (εἰ αὐτὸς ὁ τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτος ἐσκανδαλίσθη...). Denique Macarius Magnes (initio saeculi IV) cum Porphyrii in S. Petrum calumnias (de quibus vide infra p. 156) refutare aggreditur, sic exorditur[4]: „Iam ea quae ad Petrum pertinent scrutanda sunt; nam revera indigent scrutatione et explicatione multa. Profecto enim *apostolorum basis* (τῶν ἀποστόλων ἡ κρηπίς) tanta tempestate concutitur; profecto *evangelicarum rerum cacumen* (τῶν εὐαγγελικῶν πραγμάτων ἡ κορυφή) tanta invidiae nebula operitur. Si Petrus scandalum et satanas a Christo et offendiculum vocatur, si Petrus ob peccata non ignoscenda abicitur, *totus apostolorum chorus diffamatus est, fidei paene radix evulsa est.*“ Dein totum locum Mt 16, 13—19 explicans inter alia l. c. haec dicit: „Conspicatus Christus illustrem adeo Petrum ex paterna gratia subito factum, et tantam in ipsum venisse divinam revelationem, dat ipsi *indubitabilis fidei* promissionem (ἀνενδοιάστου πίστεως τὸ ἐπάγγελμα) et beatificatione extollit supereffluente cum dicit: beatus es, Simon bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi ineffabile tantae rei mysterium, sed neque angelorum quisquam nec incorporalium dignitatum inferior dux, nec supermundanarum virtutum minister, sed ipsum ineffabile et aeternum Bonum, immortalis meae originis fons, Pater, qui est in coelis. *Quapropter* dignum gratia tua cognomen accipe et *esto Petrus,* petram inexpugnabilem toti mundo monstrans non vacillantem; mentem enim et sententiam accepisti invincibilem, dum testimonium hodie exhibuisti beatae essentiae firmitati inconcussae.“ Et rursus[5]: „Eum qui dixerat: tu es Christus filius Dei vivi, ad ipsum dignitatis cacumen sublevavit, cum superni regni clavium et aulae custodem eum reddidit (εἰς αὐτὴν ἀνήγαγε τῆς ἀξίας τὴν κορυφὴν, κλειδάρχην αὐτὸν ποιήσας καὶ αὐλάρχην τῆς ἄνω βασιλείας). Decebat enim eum, qui cognoverat illibatorum dominatorum in intimo recessu regem in throno cum maiestate sedentem, claudendi et aperiendi potestatem accipere, ut venientibus interpretaretur tamquam sciens virtutem potentis et eos, qui beati conspectus capaces non essent, tamquam horum non ignarus rationabiliter excluderet.“ Iterum magnificentiam revelationis Petro factae extollens eum vocat illum, qui „exculto fidei oculo et fulgente sublimitatem coelorum ipsam supergressus erat et igneos Seraphim fluvios transcenderat, et simul cum Patre viderat pulchram Unigeniti filii generationem, pulchritudinem incorporalium

---

[1] Hom. 8 in Petrum et Paulum (MG XL 268): *Ὁ δὲ Μονογενὴς πάλιν ... θεμέλιον τὸν Πέτρον ὀνομάζει τῆς ἐκκλησίας. Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ κτλ. ...πέτραν ὀνομάσας τῆς πίστεως. Διὰ Πέτρον τοίνυν ἄπτωτον καὶ ἀκλινὲς τὸ τῶν ἐκκλησιῶν ἔδραμα σώζεται γνήσιον καὶ πιστὸν γενόμενον τῆς εὐσεβείας μυσταγωγόν.*

[2] In Ioan. evang. l. 2 (MG LXXIII 220). [3] Ibid. l. 12 (ib. LXXIV 662).

[4] Apocriticus l. 3, c. 27 (Macarii Magnetis quae supersunt ed. C. Blondel, Paris. 1876, 115).

[5] Blondel 117.

administrorum superfulgentem; quique inde animo valde expolitus genuinum in fidei confessionis verbum emiserat“ [1].

b) Ecclesiae **orientalium** hac in re cum graeca consentiunt. Quoad ecclesiam *syriacam* hoc ostenditur v. g. ex synodo a Dadiesu (Dadisho) a. 424 celebrata, quae magnae certe auctoritatis inter Syros est. Nam eius „acta exstant completa in Synodico magno chaldaico, cuius auctor seu collector est Elias I patriarcha nestorianorum († 1059)“, eaque „summatim referunt post Eliam Damascenum [† 905] in Nomocanone Ebediesu [Sobensis † 1318] in epitome, Benattibus [† 1043] alii“ [2], qui inter nestorianos maximae sunt auctoritatis. Fuit autem congregata haec synodus ad pacem restituendam, cum contra patriarcham Seleuciensem Dadiesu (Dadisho) episcopi ei subiecti rebellassent. In qua episcopos inferiores patriarchae oboedire debere sic demonstrat Agapetus episcopus Betlapatensis [3]: „Discipuli eam potestatem habere non debent, ut extollant se supra magistrum suum eumque iudicent. Non est datum illis hoc ius legibus illis iustis, quas Deus creator posuit in humana natura. Non enim filii habent potestatem parentes eiciendi ex hereditate, sed parentes potestatem habent in filios. Nec servi debent heros privare libertate . . . , nec mulieres habent potestatem, maritis tollere dominationem in se. . . . Ante omnia autem fas est, ut in sancta Ecclesia omnia perfecte impleantur, ut sicut unus est Pater veritatis et unus eius Filius redemptor Christus, et unus eius Spiritus Sanctus paraclitus, ita etiam unus sit eius thesauri dispensator Simon Bariona, qui cognominatus fuit Petra et cui promisit: ‚Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam‘; et iterum: ‚Tibi dabo claves regni coelorum.‘ Non dixit Christus omnibus discipulis: ‚Super vos aedificabo‘ et ‚vobis dabo‘. Et quamvis gratia sacerdotii apud omnes apostolos inventa est, tamen unum caput est, quod est paternitas spiritualis. Non penes omnes [haec est], sed sicut penes unum verum Deum, sic penes unum fidelem administratorem [rabbaitha, i. e. maior domus, praefectus domus], ut sit caput, gubernator, dispensator fratrum suorum.“

Addimus hisce quaedam scriptorum syrorum testimonia. Quorum antiquissimus, Aphraates († 345), Dei misericordiam variis exemplis commendans de Petro haec dicit: „Et tandem Simoni discipulorum principi (rîshâ d'talmîde) cum negando dixisset: numquam me Christus vidit [4], atque anathematizasset et iurasset: quia nescio hominem, subiit poenitentia, magnamque vim lacrimarum profudit, et suscepit eum Dominus, posuit eum in funda-

---

[1] Blondel 116.

[2] E. Khayyath, Syri orientales 112.

[3] O. Braun, Das Buch der Synhados, Stuttgart-Wien 1900, 52. Zeitschrift für kathol. Theologie XVIII (1894) 552. Khayyath l. c. 5 121. J. David l. c. 21. — J. B. Chabot, Synodicon orientale ou recueil des Synodes Nestoriens. Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque Nationale et autres bibliothèques XXXVII, Paris 1902, 292: „Le fils ne s'est choisi qu'un seul intendant fidèle. . . . Il n'a pas été dit par le Christ à tous les disciples: sur vous je bâtirai, ni: je vous donnerai. Le don du sacerdoce a été concédé à tous les apôtres, mais le principat unique, c'est-à-dire la paternité spirituelle, n'a pas été donné à tous; et pour un seul Dieu véritable, il n'y a aussi qu'un seul économe fidèle, qui est le chef, le directeur et le procureur de ses frères.“

[4] Alii vertunt: Numquam Christum vidi. Cf. Kmosko in periodico Oriens christianus II (1902) 46.

mentum vocavitque eum petram, Ecclesiae aedificationem." [1] Alibi Christum apostolos docuisse de signis adventus sui dicit [2], „cum secum sumeret tres discipulos, Simonem et Iacobum et Ioannem; Simonem petram, fundamentum Ecclesiae, et Iacobum et Ioannem firmas columnas Ecclesiae". S. Ephraem quam maxime extollit Petri dignitatem. In oratione ad stationem noctis feriae V hebdomadis passionis postquam narravit, quomodo Christus laverit pedes apostolorum, eum inducit ita ad Petrum loquentem: „Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae. petram (vel Petrum) vocavi te antea, quia tu sustinebis totum meum aedificium; tu es inspector eorum, qui aedificant mihi Ecclesiam in terris; si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis, a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica, quam largior; te elegi, ut sis in mea institutione velut primogenitus et heres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constitui super omnes meos thesauros." [3] Eandem doctrinam pandit S. Ephraem in precatione, quae legitur in codice Paris. 161 saec. X fol. 95: „Elegit Dominus noster Simonem Petrum et constituit eum principem apostolorum (rîsha d'shelîchê), fundamentum Ecclesiae sanctae et protectorem firmitatis eius. Constituit eum caput apostolorum et praecepit ei, ut pasceret gregem suum eumque edoceret leges ad custodiendam sententiarum puritatem." [4] In sermone 2 in hebdomada sancta mystice explicat, cur Christus e discipulis elegerit Petrum et Ioannem, ut pararent pascha (Lc 22, 8): „Vocavit Iesus Simonem et Ioannem, duos suos amicos, sanctum scil. apostolorum caput (rîsh talmîdê), petram Ecclesiae fundamentum, et discipulum virginitate purissimum, super quem disposuit et extulit Ecclesiae muros. Sanctum Simonem constituit in locum magni Moysis et filium Zebedaei in locum Iosue, filii Nun. Virginem et sanctum misit, ut pararent pascha, utrique enim, *fundamento* scil. et *ornamento,* congruebat, ut sacris Christi mysteriis initiarentur. Omnis generis divitiae requirebantur, ut rite disponerentur mysteriorum aedificia a sacrorum palatiorum architectis." [5] In sermone ad nocturnum dominicae resurrectionis § 2 dicit: „Maria ad Simonem fundamentum cucurrit prius, et ei tamquam Ecclesiae nuntiavit narravitque, quod viderat, nempe Dominum resurrexisse. Recte ad Simonem allatus est nuntium, quod filius resurrexit, quia ipse erat petra et fundamentum electae gentium Ecclesiae." [6] Saepius etiam apostolorum collegium „Simonis socios" (בית שמעון) vocat Ephraem [7].

Quae autem Paulus dicit Gal 2, 11, Ephraem sic paraphrastice reddit [8]: „Ut autem noscatis, quod si venissent ipsi apostoli in gentes, eandem praedicationem, quam ego praedico, praedicassent, ecce cum ‚venisset Cephas

---

[1] Aphraatis demonstratio 7 de poenitentibus n. 15, ed. Parisot O. S. B.: Patrologia syriaca, ed. R. Graffin, P. I, t. I, Paris. 1904, 335. Ultima verba alii reddunt: „Vocavit eum petram aedificii Ecclesiae."

[2] Hom. 23 in Aphrahats des persischen Weisen Homilien, übers. von G. Bert, Leipzig 1888, 380.

[3] S. Ephraemi Syri hymni et sermones, ed. Th. Ios. Lamy I, Mechliniae 1882, 412. [4] Ibid LXXV.

[5] Lamy I 374. [6] Ibid. 534. [7] Ibid. 522 558.

[8] S. Ephraemi Syri Commentarii in epistulas D. Pauli nunc primum ex armenio in latinum sermonem a Patribus Mekitharistis translati, Venetiis 1893, 128.

Antiochiam' ipsum caput apostolorum ac fundamentum Ecclesiae, ausus sum ego reprehendere, non quia mereretur ipse reprehensionem, sed quia incusatus erat ab iis, qui ex ipsa circumcisione ambulabant cum illo."

Nestorianorum ecclesiarum theologus Elias, ca annum 920 urbis Anbarae seu Pheroz-Sapor ad Euphraten sitae episcopus, in celebri opere suo centuriarum, cui nomen est „Exercitationes", sic dicit[1]: „Quaerunt eruditi non ignari veritatis: cur Simonem Bar Iona Salvator Cepham appellavit? Cum Christus ipse redemptor magnus sit petra veritatis, quare ergo alterum petram et caput aedificii nuncupavit? Eadem appellatione eodemque nomine Simonem Petrae cognomento decoravit, quemadmodum Christi salvatoresque populi in lege plures dicti sunt, unus autem est Christus verus idemque salvator magnus, qui ceteris tamen pro suo cuique tempore nomen istud accommodatum dedit. Quia nimirum futurum erat, ut Christus, petra veritatis, in coelum se reciperet ibique ab humanis sese oculis absconderet, propterea vicarium suum [thachlupheh, a verbo challeph = commutare, unde chalifa] in terra constituit eumque petram aedificii appellavit. Is igitur magistri dominique sui in terris gerit imaginem et personam [vel, ut vertit Denzinger[2]: est icon et imago], et mediator est inter nos et Filium et pontifex prototypo suo similis. Et quidem summus et magnus pontifex est Christus et nostri Patrisque mediator atque in coelesti Sancto Sanctorum ad dexteram Patris sacerdotio fungitur, Deumque cognatis suis hominibus propitiat atque noster est apud Patrem advocatus. Is vero elegit et constituit in terris epitropum (seu procuratorem) ecclesiarum Simonem senem, Ionae filium, fidei fundamentum. Illum porro e propria appellatione Petrum nominavit: non enim antea petra quisquam vocabatur, ipse vero futurus erat Ecclesiae fundamentum et caput aedificii. Non eum Christus salvatorem, suo nempe nomine, appellavit, quoniam plures fuerant in populo salvatores. At enim Bar Ionae potestatem haudquaquam cessare fecit Christus, quemadmodum illorum potestatem abrogaverat. Sed neque Simonem Christum appellavit, quia plures in Iuda fuerant Christi, quos Dei filius abstulit. Cepham vero haudquaquam cum ipsis excidere fecit." Alibi in eodem opere sic de Petro[3]: „Factus est Patri servus iustitia, et Filio eius discipulus gratia et Spiritui apostolus caritate, et tribus praeco. (Factus est) fidei fundamentum, et *apostolis,* fratribus suis, princeps et Ecclesiae sanctae constructor et in hisce tribus victoriosus. Hoc mysterio accepit in donum claves excelsi ac profundi, scil. coelum et terram et regnum, in signum triplicis potestatis. Pascitur etiam gregem rationalem respectu trium ordinum: oves (quae gignant: nekavatha), et oves (mistas cum capris: 'erbe) et agnos (vel arietes: emre) iuxta mandatum pastoris universorum."

Quid senserint *Armeni* in re de qua agimus, inde conici potest, quod Nerses IV Claiensis, qui Armenorum fuit summus episcopus ab a. 1166 usque ad ca 1173, ob suavitatem dictionis ab Armenis dictus Schnorhali, i. e. suavissimus, in „Elegia biblica" sua Petrum vocat „principem discipulorum, sanctam fidei petram, quae deviare non potest[4]." De mulieribus resuscitatum Christum *apostolis* nuntiare iussis in hymno quodam in resurrectionem Christi dicit: „Festinant, ut nuntium afferant Petri cohorti benedictae", et angelum iisdem mulieribus dicentem facit in alio hymno:

---

[1] Pars 2, serm. 3, centuria 2, n. 59 60. Cf. J. S. Assemani, Bibliotheca orientalis III, P. I, p. 260. Denuo textum syriacum latinum fecit Khayyath, Syri orientales 9 sqq.

[2] Tüb. Theol. Quartalschrift XXXII (1850) 361.

[3] Pars 3, serm. 2, c. 1, n. 50, apud Khayyath 14.

[4] Sic loquitur invocans intercessionem apud Deum „des obersten der Jünger, des heil'gen unentwegten Glaubensfelsens" (cf. P. Vetter in Theol. Quartalschrift LXXX, Ravensburg 1898, 268).

„Narrate illud Petri cohorti.“ [1] Eznik, saeculi quinti episcopus armenus, in „Refutatione haeresum“ ipsum apostolum Paulum inducit Petrum sibi praeferentem et caput apostolorum vocantem: „Si, non dico ego, qui minimus sum apostolorum, sed si ipse Petrus, qui caput est apostolorum, hoc videret, non posset describere, nec si audiret, posset enarrare.“ [2] Contra marcionitas scil., qui iactabant specialem doctrinam ceteris absconditam a Paulo apostolo ad Marcionem occulta traditione transmissam, ipsum Paulum sic dicentem facit. — „Caput apostolorum“ vocatur Petrus Petroque totum gregem Christi pascendum traditum esse affirmatur etiam in oratione „De praedicatione apostolorum“, quae habetur inter opera Elisaei solitarii (Elische), saeculi quinti scriptoris armeni, quaeque certe saeculi quinti vel sexti foetus est [3]. In literis pastoralibus, quas Armeni ascribunt archiepiscopo suo Isaac (saec. V), haec habentur: „Cum audimus Petrum dici petram, quidnam dictum intelligemus? Num quemadmodum saxum inter saxa? Absit; sed homo ratione utens, caput apostolici agminis. Et quomodo ipse fide immobili confessus est Christum Filium Dei vivi, beatitudinem obtinuit et petra appellatus est.“ [4]

c) Patrum ac scriptorum **latinorum** pauca recitare sufficiat. Quorum antesignanus Tertullianus ita interrogat [5]: „Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem?“ Et rursus [6]: „Petrum solum invenio maritum per socrum; monogamum praesumo per Ecclesiam, quae super illum aedificata.“ Cyprianus autem ait [7]: „Petrus tamen, super quem aedificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia.“ Stephanus papa, teste Firmiliano, „se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt“ [8]. Idem testatur Hieronymus [9]: „Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam“ etc., et rursus [10]: „Ut ille [Plato] princeps philosophorum, sic Petrus apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.“ Item adversus Iovinianum haec Hieronymus scribit [11]: „At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen

---

[1] Cf. P. Vetter l. c. LXXXI (1899) 96 98. — Alia scriptorum armenorum testimonia excerpta ex libello Venetiis anno 1800 impresso apud Roskovány IV 3—9.

[2] „Wenn auch nicht gerade ich, der ich der geringste unter den Aposteln bin, sondern wenn auch Petrus, der das Haupt der Apostel ist, es schauen würde, so könnte er es nicht beschreiben, und wenn er es hörte, so könnte er es nicht erzählen.“ Sic vertit locum hunc P. Vetter apud J. Nirschl, Lehrbuch der Patrologie und Patristik III, Mainz 1885, 238. Cf. S. Weber in periodico Der Katholik 1898, I 325.

[3] Nirschl 260.

[4] Al. Balgy, Historia doctrinae catholicae inter Armenos, Viennae 1878, 12. Dicit S. Weber (Die katholische Kirche in Armenien, Freiburg 1903, 518) de Armenorum ante concilium Chalcedonense fide: „Sie erkennen in Petrus das Haupt der Apostel, den Schlüsselträger und Pförtner des Himmels. Auf Petrus sind alle Kirchen gegründet worden. Nicht nur die zu Rom, sondern alle andern ruhen auf dem Felsen Petri.“

[5] De praescript. c. 22 (ML II 34).

[6] De monog. c. 8 (ib. 939). [7] Ep. 59, c. 7 (Hartel 674).

[8] Inter ep. Cypriani ep. 75, c. 17 (ib. 821). Cf. Callistum papam, Tertull. de pudic. 21.

[9] Ep. 41, n. 2 (ML XXII 475).

[10] Adv. Pelag. l. 1, n. 14 (ib. XXIII 506). [11] L. 1, n. 26 (ib. 247).

propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio." [1] Quibus verbis profecto ascribitur Petro primatus non honoris tantum, sed iurisdictionis. Secus enim schismata impedire nec voluisset nec potuisset [2]. Licet igitur reliqui apostoli Petro omnes pares fuerint honore apostolatus, sive munere evangelizandi et potestate solvendi ac ligandi, omnium tamen caput Petrus ita ex mente Hieronymi fuit, ut potestas ipsi competeret ad efficaciter impedienda, si quae oriri potuissent, etiam inter ipsos apostolos schismata. Marii Victorini Afri testimonium iam dedimus p. 138. Hilarius ait [3]: „Petrum, cui superius claves regni coelorum dederat [Christus], super quem Ecclesiam aedificaturus erat, adversus quam portae inferni nihil valerent, qui quae in terris solvisset vel ligasset, ea in coelo vel soluta persisterent vel ligata, ... Petrum ... Ecclesiae fundamentum, coelestis regni ianitorem" etc. Atque alibi de Petro dicit [4]: „O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret." Zeno Veronensis [5] de Christo: „Simoni, super quem aedificavit Ecclesiam. Petrus nomen imposuit." Gaudentius Brixiensis [6] vero, dum laudibus extollit Petrum et Paulum, postquam recitavit Mt 16, 18 sq et Act 9, 15, „super unum, inquit, fundatur Ecclesia; alter pretiosum fidei myrum doctrina sua portat in populo". Ambrosius scribit [7]: „Ipse est Petrus, cui dixit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia." Alibi vero haec habet [8]: „Ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in evangelio, quia Petro dixit: rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: tu es Christus filius Dei vivi, respondit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni coelorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat [Christus], huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?" Augustinus denique non solum saepe vocat Petrum „primum apostolorum" [9], Petrusque

---

[1] Recitat hoc ultimum effatum Gelasius I: tract. 2 de damnatione nominum Petri et Acacii (Thiel 528—529; ML LIX 89).

[2] Etiam episcopalem potestatem creatam esse asserit Hieronymus, ut schismata tollantur: „Ecclesiae salus, inquit, in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes" (Dial. contra Luciferianos n. 9: ML XXIII 165). Ad evitanda autem presbyterorum schismata Hieronymus sine dubio iurisdictionis potestatem necessariam putat.

[3] Tract. in Ps. 131, n. 4 (ML IX 730).

[4] In Matth. c. 16, n. 7 (ML IX 1010). Cf. De trin. l. 6, n. 20 (ib. X 172).

[5] L. 1, tract. 13, n. 8; cf. l. 2, tract. 13, n. 2 (ib. XI 351 430).

[6] Serm. 20 (ib. XX 995).

[7] In Ps. 40, n. 30 (ib. XIV 1082).

[8] De fide l. 4, c. 5, n. 56 (ib. XVI 628).

[9] In Ioan. tract. 124, n. 5 (ib. XXXV 1973); Serm. 76 c. 1, n. 1; Serm. 147 c. 1, n. 1; Serm. 295 c. 4, n. 4 (ib. XXXVIII 479 797 1350); Contra Iulian. l. 1, c. 4, n. 13 (ib. XLIV 648). „Quod autem Petrus dicitur egisse poenitentiam", scribit ep. 265 n. 2 (ib. XXXIII 1086), „cavendum est, ne ita putetur egisse, quomodo agunt in Ecclesia, qui proprie poenitentes vocantur. Et quis hoc ferat, ut primum apostolorum inter tales poenitentes numerandum putemus?" — Recitat Schanz (in Mt 16, 18, p. 377) etiam hunc textum: dicit Petro, in quo uno *firmat* Ecclesiam

est ipsi „in ordine apostolorum primus et praecipuus", „apostolatus principatum tenens" [1], qui Ecclesiae „propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam" [2], sed etiam sic ait: „Petrus, qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei et in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia." [3] „Dominus illi, cui paulo ante dixerat ‚beatus es' et ‚super hanc petram . . .': ‚Redi, inquit, retro satanas . . .' Quare ergo satanas qui paulo ante beatus et petra [secundaria]?. . . Quando in Deo laudabat sermonem, non satanas, sed Petrus a petra [principali, i. e. Christo], quando autem a se et ex humana infirmitate . . ., satanas dictus est." [4] „Respondit Petrus, petra illa, voce omnium: Domine ad quem ibimus?" [5] Prosper Aquitanus dum explicat Io 21, 18 sq: „Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, quae ab ipsa principali petra communionem et virtutis sumpsit et nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur? [6]

d) His Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis iungimus alia quaedam ex **liturgiis orientis** petita.

In liturgia graeca haec v. g. de Petro occurrunt [7]: Petrus vocatur „omnium basis fidelium", „fidei petra", „vertex simul et basis apostolorum", „Ecclesiae fulcrum". Post confessionem Mt 16, 17 statim „in sua" Christi „recipit Ecclesiam". „Petra Christus, qui petram fidei, suum protothronum splendide ornavit, convocat omnes ad festa persolvenda." Christus, legitur alio loco, „beatum te ac proprio te nomine dixit Petrum, quasi petram et basim Ecclesiae frangi nesciam". „Te praeterea petram vocans, in te cathedram Ecclesiae confundi nesciam, qui ipse fundamentum est, stabilivit." „Tamquam in petra solida, in te Petro, Ecclesiam firmans Christus, in fide immotam eam stabiliat tuis precibus in aevum mansuram." [8] Praeterea Petrum vocant hi hymni coryphaeum et principem apostolorum, primi throni sessorem etc.

(Serm. 49 de verb. Dom. = Serm. 137, n. 3: XXXVIII 755). At legendum est: *formät* Ecclesiam.

[1] Serm. 76, c. 2, n. 3; c. 3, n. 4 (ib. XXXV 480 481).

[2] In Ioan. l. c.; cf. In Ps. 108, n. 1 (ib. XXXVII 1432).

[3] Enarr. in Ps. 69, n. 4 (ib. XXXVI 869).

[4] Enarr. in Ps. 55, n. 15 (ib. XXXV 656); cf. In Ps. 39, n. 25 (ib. 449).

[5] In Ioan. tract. 11, n. 5 (ib. XXXV 1478).

[6] Prosper Aquit., De vocatione omnium gentium 2, 28 (ib. LI 714).

[7] Pitra, Hymnographie de l'Église grecque. Dissertation accompagnée des offices du 16e janvier, des 29e et 30e juin en l'honneur de S. Pierre et des apôtres, Rome 1867. Cf. N. Nilles, Kalendarium manuale I, Oeniponte 1896, 72 192 sq.

[8] *Πέτρος, ἡ πάντων κρηπὶς τῶν πιστῶν* (Pitra l. c. XIII XVII). *Πέτρος ἡ πέτρα τῆς πίστεως* (p. XXII). *Ἡ κορυφαία κρηπὶς τῶν ἀποστόλων . . . τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ ἑδραίωμα* (p. LVII). *Ὅθεν τότε κληροῦται καὶ αὐτὸς τὴν ἐκκλησίαν τὴν σήν* [Christi scil.] (p. XV). *Ἡ πέτρα Χριστὸς, ὁ τὴν πέτραν τῆς πίστεως δοξάσας φαιδρῶς αὐτοῦ τὸν πρωτόθρονον, συγκαλεῖται . . .* (p. XXXIV sq). *Διό σε καὶ μακάριον αὐτὸς προεμαρτύρατο, καὶ φερωνύμως κέκληκε Πέτρον, ὡς πέτραν καὶ βάσιν ἀρραγῆ τῆς ἐκκλησίας* (p. XLII). *Καλῶν καὶ πέτραν, ἔν σοι ἀκαταίσχυντον ἐκκλησίας τὴν ἕδραν ὁ θεμέλιος ἐπήξατο* (p. CXIX). *Ἐν πέτρᾳ Χριστὸς τῇ στερεμνίῳ σοὶ τῷ Πέτρῳ τὴν ἐκκλησίαν πηξάμενος, ἐν τῇ πίστει ἄσειστον στηρίξοι ταύτην λιταῖς σου αἰωνίζουσαν* (p. XLIX). *Τὸν κορυφαῖον καὶ πρῶτον τῶν*

Retenti sunt hi S. Petri tituli partim in liturgia, quae usurpatur in imperio Rossiaco. Tondini[1] ex liturgicis libris rossiacis hos sanc ti Petri titulos enumerat „Petra, petra inconfusibilis (2 Tim 2, 15), petra Ecclesiae, petra fidei, basis (*χρηπίς*), basis fidei vel Ecclesiae vel apostolorum, suprema basis (*κορυφαία χρηπίς*) apostolorum, basis immota dogmatum, sedes fidei, primus apostolorum (*ὁ κορυφαῖος*), supremus discipulorum vel apostolorum, supersupremus (*ὁ κορυφαιότατος*) apostolorum, primus supersupremus, divinus coryphaeus, coryphaeus apostolorum, protothronus, protothronus discipulorum (apostolorum), praepositus Ecclesiae, praesidens (*πρόεδρος*) Ecclesiae (apostolorum), senior (*ἔξαρχος*) collegii discipulorum, primus dignitate (*πρωτοστάτης*) in collegio apostolorum, electus (*πρόκριτος*) e discipulis, omnium excellentissimus (*πανάριστος*), electus, caput theologorum, primum caput apostolorum, pastor Christi, pastor dominicus omnium apostolorum, initium christianorum, doctor apostolorum, dux apostolorum, templum Dei, fundamentum Ecclesiae, infallibilis thesaurarius regni, clavem habens gratiae vel regni coelorum."

Liturgiae *syriacae* non minus extollunt Petri praerogativas. Apud nestorianos enim in officio divino et dominicali per anni circulum et feriali pluries occurrit hymnus quidam, ubi haec habentur[2]: „Beata es, Roma celeberrima, urbs regalis, sponsi coelestis ancilla, in qua quasi in portu positi sunt duo praecones veritatis: Petrus ille caput (risha) apostolorum, super cuius firmitatem aedificavit servator noster Ecclesiam suam fidelem, et Paulus electus ac apostolus." Qui hymnus repetitur etiam in officio SS. Petri et Pauli, in quo praeterea v. g. haec habentur[3]: „Sapiens architecte, constructor ecclesiarum Petre, cui Dominus tuus dedit claves thesauri spiritualis, ut ligares ac solveres quidquid in terra et in coelo." „Beatus es, Simon Bariona, cui os vivens affirmavit dicens: beatus es, quia super te aedificabo et stabiliam firmiter Ecclesiam sanctam." „Hic est petra in veritate, cui impositum fuit ab ore illo sanctissimo nomen, cum dixit illi: tu vocaberis petra, et promisit, super ipsum aedificaturum se Ecclesiam sanctam. Hic est Simon sanctus, et omnes reges ac tyranni non praevalebunt super Ecclesiam, cuius fundamentum fixum ac positum est super eum."

Restat, ut ex *Armenorum* libris liturgicis pauca addamus. Itaque, ut testatur Azarian[4], in canone seu officio apostolorum Petri et Pauli haec

---

ἀποστόλων (p. xxxv; cf. p. vi lx). *Κορυφαιότατε τῶν ἀποστόλων* (p. xlvi). *Πρωτόθρονος* (p. xxiii xxv xxvi). Cf. Ioannis monachi hymnum in S. Petrum (MG XCVI 1392 sq).

[1] La primauté de S. Pierre prouvée par les titres que lui donne l'Église russe dans sa liturgie, Paris 1867. Cf. etiam v. g. Gagarin, Études de théologie, de philosophie et d'histoire II, Paris 1857, 66 70. Mich. Lewicki, archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum unitorum, Literae pastorales 10 mart. 1841, apud Roskovány IV 182 sqq. Giov. Marcović, Gli Slavi ed i Papi I, Zagabria 1897, 208—214 (ubi habes textus slavos cum versione italiana). — S. Josaphat, episcopus Ruthenorum unitorum, „pertinacissimos quosque parvo negotio Unioni adiungebat, argumentis ex Russorum libris liturgicis potissimum usus". Martinov, Annus ecclesiasticus graeco-slavicus: Acta Sanctorum, Oct. XI 277. In recentioribus editionibus librorum liturgicorum ex his textibus complures aut suppressi aut mutilati sunt. Exemplum habes apud Nilles 193 nota 5.

[2] E. G. Khayyath, Syri orientales 2. [3] Ibid. 4.

[4] Ecclesiae armenae traditio 36. Haec etiam in ritu promovendi ad gradum Vartapedorum (in ordine promotionis ad secundum gradum) occurrunt. Vide H. Denzinger, Ritus Orientalium, Coptorum, Syrorum et Armenorum in admini-

leguntur: „[Deus], qui beatum Petrum nominasti fieri supremum electorum apostolorum classis, caput sanctae fidei, fundamentum Ecclesiae, qui essentiam ineffabilis Unigeniti superna revelatione Patris profitens beatissimam meruit gratiam petra [petrae?] inexpugnal ilis a portis inferi." In synaxario vero, teste eodem [1], die 27 decembris haec leguntur: „Magnus Petrus fidei petra Ecclesiae fundamentum positus . . . , qui a Domino virtutem accepit, ut ipsi portae inferi nequaquam praevalerent . . . , fundamentum Ecclesiae factus est, claves regni coelorum accepit, caput sanctorum apostolorum constitutus est, ut illis sua daret mandata vice ipsius Christi."

e) Ex ipsis **ethnicis scriptoribus** haec confirmari possunt. Anno scil. 1876 primum typis impressus est Macarii Magnetis, quarti saeculi hominis christiani, liber apologeticus [2] adversus „philosophum" quendam conscriptus, qui S. Scripturam falsitatis convincere conatus erat. Qui philosophus, ut ex compluribus indiciis cognoscitur, aut est Porphyrius neoplatonicus, acerrimus ille christianae religionis adversarius, aut, id quod minus probabile est, eius discipulus Hierocles [3]. Sibi ipsis contraria esse evangelii dicta philosophus ille probare studet etiam ex hoc, quod Mt 16, 23 Petrus dicitur satanas et scandalum, Mt 16, 18 sq super ipsum Ecclesia aedificanda dicitur et claves regni ei promittuntur. „Si ita, inquit [4], [Christus] despexit Petrum, ut vel satanam eum diceret retro abiectum et scandalum, et nullius divinae cogitationis participem, . . . quid opus est, *contra principem*

---

strandis sacramentis II, Wirceb. 1864, 331, ubi hic locus sic vertitur: „Qui nominasti b. Petrum, esse superiorem electorum apostolorum ordinem, caput sanctae fidei, fundamentum Ecclesiae."

[1] L. c. 39.

[2] *Μακαριου Μαγνητος Ἀποκριτικος η Μονογενης.* Macarii Magnetis quae supersunt ex inedito codice, ed. C. Blondel, Paris. 1876.

[3] Hieroclem illum esse philosophum existimat L. Duchesne, De Macario Magnete et scriptis eius, Paris. 1877. Porphyrium impugnari a Macario putant Wagenmann in Jahrbücher für deutsche Theologie XXIII (1878) 139 269 sqq; Bardenhewer, Patrologie, Freiburg 1901, 331; A. J. Kleffner, Porphyrius der Neuplatoniker und Christenfeind, Paderborn 1896, 65.

[4] L. 3, c. 19 (l. c. 99): *Εἰ γὰρ οὕτω κατέγνω τοῦ Πέτρου, ὡς καὶ σατανᾶν αὐτὸν εἰπεῖν ὀπίσω βαλλόμενον καὶ σκάνδαλον μηδ' ὁτιοῦν θεῖον ἀνειληφότα φρόνημα, ἀποσκορακίσαι ὃ' αὐτὸν οὕτως, ἅτε καιρίως πλημμελήσαντα, ὡς μηδ' εἰς ὕψιν τοῦ λοιποῦ λαβεῖν τοῦτον ἐθέλειν, ἀλλ' εἰς τοὐπίσω ῥίψαι εἰς τὸν τῶν ἀπεριμμένων καὶ ἀφανῶν ὅμιλον, τί χρὴ ταύτης ἀνωτέρω τῆς ἀποφάσεως ψῆφον ἀπεκδέχεσθαι κατὰ τοῦ κορυφαίου καὶ πρώτου τῶν μαθητῶν; Ταῦτα γοῦν εἴ τις νήφων σφοδρῶς μηρυκήσεται, εὑρήσει, ὡς ἐπιλαθομένου τοῦ Χριστοῦ τῶν κατὰ τοῦ Πέτρου γεγενημένων φωνῶν ἐπακούσει τὸ· Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ τὸ· Σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, οὐ γελάσεται μέγα τὸ στόμα ῥηγνύμενος; οὐ καγχάσει καθάπερ ἐν θυμέλῃ θεάτρου; οὐ λέξει κερτομῶν, οὐ συρεῖ σφοδρότερον; οὐ τοῖς παρεστῶσιν ἐρεῖ γεγωνότερον· ‚Ἢ Πέτρον σατανᾶν λέγων ἐμεθύσκετο οἶνῳ βεβλημένος καὶ λαλῶν ἐπίληπτα, ἢ κλειδάρχην τοῦτον τῆς βασιλείας ποιῶν ὀνείρους ἐζωγράφει τῇ φαντασίᾳ τῶν ὑπνῶν'; Ποῖος γὰρ Πέτρος βαστάσαι τῆς Ἐκκλησίας τὴν χρηπῖδα δυνάμενος ὁ μυριάκις σαλευθεὶς εὐχερείᾳ τῆς γνώμης; ποῖος στερρὸς ἐν αὐτῷ λογισμὸς ἐφωράθη, ἢ οὗ τὸ ἀκλόνητον τῆς φρονήσεως ἔδειξεν, ὁ παιδίσκης οἰκτρᾶς ἕνεκεν τοῦ Ἰησοῦ ῥημάτιον ἐπακούσας καὶ δεινῶς κραδαινόμενος, ὁ τρίτον ἐπιορκήσας, οὐ μεγάλης αὐτῷ τινος ἐπικειμένης ἀνάγκης; Εἰ γοῦν τὸν οὕτως εἰς αὐτὸ τῆς εὐσεβείας πταίσαντα τὸ κεφάλαιον σατανᾶν προλαβὼν εὐλόγως ὠνόμασεν, ἀτόπως πάλιν ὡς ἀγνοῶν ὃ ἐποίησε, τῆς κορυφῆς τῶν πραγμάτων διδοῖ τὴν ἐξουσίαν.*

et primum discipulorum exspectare censuram hoc effato graviorem? Profecto haec si quis dum sobrius est debite ruminaverit, et deinde, quasi oblitus fuerit Christus quae contra Petrum dixerat, audierit illud: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et: tibi dabo claves regni coelorum, nonne magna voce ridebit crepantibus buccis? Non cachinnabitur sicut in theatri cavea? Non dicet irridens, non sibilabit fortius, non astantibus clamabit altiore voce: aut vino ebrius erat, dum Petrum satanam vocaret . . . , aut regni clavigerum (κλειδάρχην, i. e. clavium principem vel dominum) hunc constituens somnia fingebat, qualia in somno imaginamur. Qualis enim erat Petrus, *ut Ecclesiae basim portare posset,* ille qui sexcenties vacillabat ob mentis levitatem? Quae firma in eo sententia visa est aut ubi imperturbatam animi firmitatem monstravit, ille, qui propter miseram ancillam, postquam de Iesu verbulum audivit, gravissime commotus est, qui tertium peieravit, quamquam non magna ipsi necessitas incumbebat? Si igitur eum, qui ita contra ipsam religionem peccaverat, satanam prius bene vocaverat, absurde postea, quasi quid fecerit ignoraret *summae omnium rerum illi dat potestatem.*" Deinde postquam vario modo exagitavit Petrum, sic concludit[1]: „*Hic praefectus chori discipulorum* (οὗτος ὁ πρωτοστάτης τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν), quamvis a Deo didicisset contemnere mortem, captus a Herode cum fugit, custodibus punitionis causa erat. Nocte enim postquam fugit, luce facta, perturbatio facta est inter milites, quomodo exierit Petrus. Quaerens autem eum Herodes et non inveniens, condemnatos custodes iussit duci, i. e. capite truncari. Mirum igitur est, quomodo Iesus, talis cum esset Petrus, claves ipsi dedit Ecclesiae, quomodo in tanto strepitu perturbato et talibus rebus fatigato dixerit: pasce oves meas, siquidem oves (πρόβατα) sunt fideles in perfectionis mysterium profecti (προβάντες), agni vero sunt catechumenorum agmen, miti interea doctrinae lacte nutriti. Quamquam ne paucos quidem menses [sic!] ovium praefectura functus Petrus cruci affixus narratur, cum Iesus inferi portas adversus eum praevalituras non esse praedixerit." Postquam deinde varia crimina affinxit Petro, concludit: „Si igitur in talibus malis volutum fuisse Petrum narretur, quomodo horrendum non erit suspicari, claves coeli eum habere, atque solvere et ligare illum, qui milibus rebus absurde gestis quasi constringitur?"

Obiciunt *quidem multos antiquorum Patrum locos,* quibus petra Ecclesiae dicitur vel Christus vel fides in Christum ac Christi confessio. Unde alii petram illam Christum vel fidem esse confirmari volunt, alii conficere student, nihil certi de sensu dominici effati Mt 16, 18 statui posse, cum Patres de eo incerti fuerint, alii id saltem affirmant, ex Patribus confirmationem catholicae horum verborum interpretationis non posse peti. At animadvertimus 1. Patres, qui fuerunt ante ortum arianismum, si literalem sensum loci Mt 16, 18 explicant, petram semper intelligere Petrum. Unde hunc esse obvium ac directum huius loci sensum iam licet concludere. Vide supra Tertulliani, Origenis, Cypriani, Stephani, Callisti testimonia. 2. Christum esse petram primariam, quae Petro virtutem tribuat, qua etiam ipse fiat petra, non solum verum est, sed etiam implicite loco Mt 16, 18 enuntiatur.

[1] L. 3, c. 22, p. 102.

Petrus enim „nequit concipi petra Ecclesiae nisi quatenus a Christo, qui prima et ex sese petra est, constituitur talis, h. e. virtute huius primae petrae solidatur et *simul* cum Christo, cui innititur, petrae functionem exercet.“ [1] Vel ut dicit Bellarminus[2]: „Si Petrus est fundamentum Ecclesiae loco Christi, multo magis Christus est fundamentum.“ Similiter 3. fidem vel confessionem divinitatis Christi esse fundamentum Ecclesiae recte dici potest. Si enim quaesiverimus, quaenam proprietas Petro inhaerens eum aptum efficiat, ut sit Ecclesiae petra, respondendum est, hanc esse Petri fidem, vel confessionem huius fidei; debet enim, ut fundamentum sit Ecclesiae, recte docere, ac proinde recte credere et rectam fidem confiteri. Illud autem quod efficit, ut Petrus sustentet Ecclesiam, et ipsum eam sustentare recte dici potest, nam causa causae est causa causati, et notus grammaticis est tropus, qui dicitur metonymia, qua quod directe tribuendum est effectui, tribuitur causae. Unde fit, ut nullatenus inter se pugnent Patres, si petram modo Petrum, modo Christum, modo fidem explicent, ac nihil ex diverso modo interpretandi contra catholicos concludi possit, praesertim cum haud difficulter rationes assignentur, *cur* Patres interpretationem immediatam non quidem negaverint, mediatas tamen illas efferre maluerint. Sed haec iam magis explicanda sunt.

1. De *Christo* petram primus explicare coepit S. Augustinus[3]. Qui de se ipso: „Dixi, inquit in quodam loco [scil. in libro deperdito contra epistulam Donati] de apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: ‚Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit.‘ Sed scio me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam‘; ut ‚super hunc‘ intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: ‚Tu es Christus filius Dei vivi‘; ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi ‚tu es petra‘, sed ‚tu es Petrus‘. Petra autem erat Christus; quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior eligat lector.“ [4]

De ipso Petro explicat textum Augustinus locis supra p. 153 sqq laudatis, de Christo vero v. g. in Ioan. tract. 7 n. 14; tract. 124 n. 5; Serm. 76 n. 1; Serm. 270 n. 2; Serm. 295 n. 1; Enarr. in psalm. 60 n. 3. Qua de re considerandа sunt duo: a) Utrum Augustini interpretatio obsit confirmationis argumento, quod e Patribus pro interpretatione textus Mt 16, 18 afferimus; b) utrum Augustini interpretatio excludat Petri primatum.

---

[1] Palmieri, De Rom. Pontif. 318.

[2] De Rom. Pontif. l. 1, c. 10.

[3] De eius sententia cf. Th. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin, Paderborn 1892, 129—142; Franzelin, De Ecclesia 136 sqq.

[4] Retract. 1, 21 (ML XXXII 618).

a) Ad priorem illam quaestionem negative respondendum esse patet. Primum enim Augustinus illa sua interpretatione non sensum antiquitatis christianae expressit, cum non solum plerique Patres priores et aequales petram de Petro interpretati sint, sed et ipse Augustinus testetur, illam interpretationem cantari „in ore multorum". Secutus est ergo Augustinus privatum suum iudicium, nec etiam sententiam suam ut certam, sed ut probabilem tantum proposuit, cum lectori electionem relinquat. Ratio deinde exegetica, cur petram Christum esse contendit, manifesto erronea est. Existimabat enim, Petrum esse quasi formam adiectivam derivatam e substantivo petrae, atque propter diversitatem vocum Petri et petrae, quae est in versione latina, conclusit, diversas iis quodammodo res esse significatas. Sic enim scribit l. c.: „Non est dictum illi [Petro]: tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus." Qua in explicatione paucissimi puto hodie eum sequentur.

b) Sensus autem, quo Augustinus illa Christi verba explicat, primatum Petri neutiquam excludit. Quem si negasset, ante omnia non potuisset illam interpretationem, quae petram Mt 16, 18 intelligit de ipso Petro, probabilem dicere, sed debuisset eam damnare. Deinde tota Augustini hac in re sententia eo tantum spectat, ne „existimemus, Petrum propria virtute et seorsim a Christo Ecclesiam aedificasse. Christum itaque causam principem et praecipuum in aedificatione Ecclesiae fundamentum S. Augustinus agnoscit, sed S. Petrum fundamentum esse a Christo secundum, praecipue ministerii ratione, minime diffitetur." [1] Enim vero α) Augustinus ait [2]: „Non a Petro petra, sed Petrus a petra, sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: ‚Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam', quia dixerat Petrus: ‚Tu es Christus Filius Dei vivi.' Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus: super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus." Certissime haec Augustini verba non ita intelligenda sunt, quasi nudum nomen Petri a petra Christo in eum derivatum esse senserit. Traditum igitur ei censet illud, quod nomine petrae significatur, et traditam censet participationem illius proprietatis, qua Christus est petra. „Ergo in doctrina Augustini verbum Christi: ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam' aequipollet huic sententiae: ego petra Ecclesiae e propria virtute et principalis, pro tua confessione dico tibi, tu es petra Ecclesiae per participationem a me derivatam: Petrus a petra." [3]

---

[1] Natalis Alex., Hist. Eccl. saec. I diss. 4, § 3 (IV 221). Utitur hac distinctione Augustinus (Enarr. in Ps. 86 n. 2 sq): „Superaedificati inquit super fundamentum apostolorum et prophetarum (Eph 2, 20). Et quia nec ipsi apostoli aut prophetae, in quibus fundamentum est civitatis, se tenerent in se, secutus ibi ait: ‚Ipso summo exsistente lapide angulari Christo Iesu' . . . Fundamentum Christus et primum et maximum. . . . Quomodo ergo fundamenta prophetae et apostoli, et quomodo fundamentum Christus Iesus quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum dicitur sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum?" (ML XXXVII 1101.)

[2] Tract. 124 in Ioan. n. 5 (ML XXXV 1973).

[3] Franzelin 139.

β) Porro Augustinus si petram Ecclesiae vocat Christum, non loquitur de aedificatione Ecclesiae secundum corpus visibile, sed secundum spiritum, in quantum scil. fons omnium gratiarum, omnis virtutis sacramentorum, obiectum praecipuum fidei, spei, caritatis est Christus. Sic rem intelligere Augustinum patet e locis, quos iam nominavimus, et praecipue e sermone 76, ubi, postquam eadem fere protulit, quae e tract. 124 in Ioan. audivimus, de Corinthiis locutus, subiungit[1]: „Nam volentes homines aedificari super homines, dicebant: ‚Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae'; ipse est Petrus. Et alii, qui nolebant aedificari super Petrum, sed super petram, ‚ego autem sum Christi'. Apostolus autem Paulus, ubi cognovit se eligi, et Christum contemni: ‚Divisus est, inquit, Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?' Quomodo enim non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi: ut Petrus aedificaretur supra petram, et non petra super Petrum. Idem ergo Petrus a petra cognominatus beatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens, continuo post paululum iam audito, quod beatus esset, iam audito, quod Petrus esset, iam audito, quod supra petram aedificandus esset, posteaquam audivit futuram Domini passionem, ... displicuit ei. Timuit, ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitae fontem; turbatus est: absit a te, inquit, Domine."

γ) Quo ex loco probabili coniectura etiam *ratio, cur* Augustinus petram de Petro raro explicet, licet cognoscere. Adversarii enim eius donatistae virtutem sacramentorum dependere faciebant a sanctitate ministrorum, et sic revera Ecclesiam aedificatam putabant etiam secundum internum spiritum et vim sacramentorum in hominibus[2]. Hos ne in errore suo confirmaret, timuit Augustinus ullo sensu ullum hominem nominare petram Ecclesiae, sed a Christo totum pendere semper inculcat. Recte Natalis Alexander de loco, quem modo attulimus: „Itaque Augustinus ad errorem donatistarum revincendum ostendit, Ecclesiam e firmis infirmisque membris constare, sanctumque Petrum, huius rei insignem quandam figuram, modo fidere, modo titubare, nunc Christum vitae fontem confiteri, nunc timere, ne moriatur; tandemque colligit: ‚In illo ergo uno apostolo, i. e. Petro, in ordine discipulorum primo et praecipuo, in quo figurabatur Ecclesia, utrumque genus significatum fuit, i. e. firmi et infirmi, quia sine utroque non est Ecclesia' Quibus verbis donatistarum error evertitur, qui hominum tantopere fidebant sanctitati, cum ne quidem supra Petrum aedificare deberent fideles, quippe qui infirmus fuisset ac peccator, cui dextera Christi fuisset opus, quae illum erigeret titubantemque fulciret."[3] Dicit ergo Augustinus, Ecclesiam non super Petrum, sed super Christum fundatam esse, quatenus Christus, ut Paulus ait Eph 2, 20, est summus lapis angularis et fundamentum praecipuum, Petrus vero *per se et propria sua virtute* homo infirmus et nulla-

[1] Serm. 76, n. 2 3 (ML XXXVIII 479 sq).

[2] Cf. Serm. 292, c. 4, n. 6 (ib. 1323): „Prorsus invenimus istos [donatistas] dicentes: ego sum Christus (Mt 24, 5), non his verbis, sed quod peius est factis.... Videte quemadmodum: Christus sanat, Christus mundat, Christus iustificat.... Ecce de transverso baptizator quidam ...: ego baptizo ..., ego iustifico." — C. lit. Petiliani l. 3, c. 51, n. 63 (ML XLIII 382): „Numquid Donatus pro vobis crucifixus est?" Cf. Enarr. in Ps. 75 n. 7 (ib. XXXVI 961).

[3] Natalis Alex. l. c.

tenus petra Ecclesiae [1]. Quod verissimum est et a nullo adhuc negatum; sed ideo Augustinus minime dicit, Petrum Christi virtute et mandato effectum et constitutum non esse secundarium Ecclesiae fundamentum. Et sane Augustinus Petri primatum hoc ipso loco diserte profitetur, cum Petrum *primum et praecipuum* apostolorum vocet, eiusque apostolatus principatum extollat.

Eodem sensu de Christo ut fundamento primario etiam Theodoretus scribit [2]: „Oportet superaedificare, non fundamenta iacere. Neque enim aliud potest iacere fundamentum, qui vult sapienter aedificare. Hoc fundamentum iecit beatus Petrus, vel potius ipse Dominus. Cum enim dixisset Petrus: tu es Christus filius Dei vivi, dixit Dominus: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ne vos ergo denominate ab hominibus: Christus enim est fundamentum." Theodoretus enim hoc loco loqui de Iesu Christo vel de viva fide in eum tamquam primario fundamento, quod omnia, etiam Petrum sustineat, patet e verbis tum S. Pauli, quae commentatur, tum ipsius, cum dicat, christianos se non debere denominare ab hominibus, v. g. Petro vel Paulo, sed utique a solo Iesu Christo. Ceterum Theodoretus saepissime Petrum apostolorum principem nominat [3]. Cum Paulum et Ioannem divinos nominet, Petrum divinissimi nomine exornat: „Sermonem, ait, sapientiae [Paulus] vocat non eloquentiam, sed veram doctrinam, cuius ipse etiam divinus (θεῖος) apostolus donum acceperat et divinus (θεσπέσιος) Ioannes evangelista et divinissimus (θειότατος) Petrus, apostolorum summus, et martyrum primus Stephanus." [4] Explicans porro Gal 1, 18, Paulum Hierosolymam venisse ad Petrum visendum scribit, non quod humana doctrina indigeret, sed ut apostolorum principi convenientem honorem tribuat (τὴν πρέπουσαν ἀπονέμει τῷ κορυφαίῳ τιμήν) [5]. Praeterea apostolos esse Ecclesiae fundamenta, vel montes, in quibus fundamenta pietatis, i. e. divina praecepta iacta sint, inter alia etiam probat e verbis Mt 16, 18 [6]. Ipsum igitur Petrum ibi dici fundamentum non negat.

Cyrillus Alexandrinus in commentario in Isaiam *Christum* petram esse Ecclesiae probat allegato textu Mt 16, 18 [7]. Sed in eodem libro postea etiam apostolos vocat fundamenta et cur ita vocentur explicat [8]: „Quare eos dicimus vocari terrae fundamenta? Est enim omnium fundamentum et basis

---

[1] „Fides hoc meruit audire [scil. promissionem Mt 16, 18], non homo. Nam ipse homo quid erat nisi quod ait psalmus: omnis homo mendax?" (Aug., Serm. 232, n. 3: ML XXXVIII 1109.)

[2] Comment. in 1 Cor 3, 11 (MG LXXXII 249): *Ἐποικοδομεῖν δεῖ, οὐ θεμέλια καταβάλλειν· ἄλλον γὰρ θεμέλιον καταβάλλειν ἀδύνατον τὸν ἐπιστημόνως οἰκοδομῆσαι βουλόμενον· τοῦτον καὶ ὁ μακάριος Πέτρος τέθεικε τὸν θεμέλιον, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ὁ δεσπότης. Πέτρου γὰρ εἰρηκότος, σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ κύριος εἶπεν, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· μὴ τοίνυν ἐξ ἀνθρώπων ἑαυτοὺς ὀνομάζετε· Χριστὸς γάρ ἐστιν θεμέλιος.*

[3] *Κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων.* In Ps. 2 (ML LXXX 873 881); In Is. c. 65, v. 24; In Dan. c. 9, v. 24; In Zach. 14, 6 (ib. LXXXI 488 1473 1953); In 1 Cor 1, 12; In 1 Cor 12, 8 (ib. LXXXII 233 324).

[4] In 1 Cor 12, 8 (MG LXXX 324).

[5] Interpretatio ep. ad Gal. (MG LXXXII 468).

[6] In Ezech. c. 44 (ib. LXXXI 1232); In Ps. 86, 1 (ib. LXXX 1561).

[7] In Is. 33, 16 (MG LXX 730). [8] In Is. 44, 23 (ib. 939).

inconcussa Christus, qui omnia coercet ac continet, ut bene firma sint; in ipso enim omnes aedificamur, domus spiritualis. . . . Fundamenta etiam proxima et viciniora nobis (θεμέλιοι δὲ προσχέστεροι καὶ ἐγγὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡμᾶς) intelligi possunt apostoli et evangelistae."

Retulerunt igitur hi Patres nomen petrae ad Christum primarium fundamentum, ita ut Petrum ut secundarium nullatenus excluderent.

Atque in hanc eandem sententiam accipienda sunt etiam ceteri primaevae ac posterioris aetatis scriptores, cum Christum fundamentum dicunt. Launoius[1] quidem eumque secutus Langen[2] proferunt e posterioribus saeculis plurimorum scriptorum testimonia, quibus Ecclesia dicitur aedificata super Christum tamquam petram; iisque probare volunt, Mt 16, 18 non dici Petrum Ecclesiae fundamentum, ideoque ex hoc loco nullum argumentum pro primatu iurisdictionis, et pro iure eius quidem divino, vel Petri vel successorum eius peti posse. At, id quod allatos ab iis locos attente legenti plerumque evidens est, nihil omnino probarunt, cum illorum scriptorum plures *diserte* eodem quo Augustinus sensu loquantur de Christo ut fundamento primario, de illo fundamento scil., quod per se solidum ac firmum sit nec indigeat, ut per aliud firmetur. Ita certe S. Thomas Aq. a Launoio laudatus (Comment. in 1 Cor 3, 11) distinguit inter fundamentum per se solidum ac firmum, et aliud, quod habeat soliditatem non ex se, sed ex alio; primum dicit esse Christum, alterum apostolos omnes respectu Ecclesiae. De Petro enim ut fundamento hic ne loquitur quidem. Dungalus vero diaconus et Hrabanus Maurus ad verbum referunt tantum allatas supra e tract. 124 in Ioan. n. 5 Augustini primas sententias. Insuper Hrabanus de Petro addit: „Cepha dicitur, eo quod in capite sit constitutus apostolorum" atque alibi Origenis de Petro verba sua facit, dum dicit[3]: „Vide, magno illi Ecclesiae fundamento, et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae, inquit, fidei, quare dubitasti?" Eodem plane sensu Innocentium III[4] dixisse Christum Ecclesiae fundamentum et petram, super quam illa fundata sit, manifestum est cum e verbis Innocentii eodem loco addentis: „[Christus] per se ipsum Apostolicae Sedis primatum constituit, ut eius constitutioni nulla possit audacia refragari", tum maxime ex his aliis[5]: „Licet primum et praecipuum Ecclesiae fundamentum sit unigenitus Dei filius Iesus Christus, iuxta quod dicit (1 Cor 3, 11) apostolus: quia fundamentum positum est, praeter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus: secundum tamen et *secundarium* Ecclesiae fundamentum est Petrus, etsi non tempore primus, *auctoritate* tamen *praecipuus* inter ceteros [apostolos]. . . . Huius etiam primatum Veritas per se ipsam expressit, cum inquit (Io 1, 42) ad eum: tu vocaberis Cephas, quod etsi Petrus interpretetur, *caput* tamen exponitur, ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic et Petrus inter apostolos."

Pariter in eandem S. Augustini sententiam dicitur in Liturgia Mozarabica[6]: „Deus Dei filius, qui in te solidissima petra exaltasti Petrum, et per Petrum Ecclesiam"; et rursus[7]: „Christe, Filius Dei vivi, quem Petrus super petram solidatus vere confessus est, quia utique non petra a Petro, sed Petrus vocatus est a petra, in qua fundata est Ecclesia." Idque magis etiam apparet ex hoc, quod in ea liturgia

---

[1] Ep. 7, ad Voellium: Opera V, P. 2, Coloniae Allobrogum 1731, 113 sqq.
[2] Das Vatik. Dogma II 3 sqq; III 6 sqq.
[3] Comment. in Exod. l. 2, c. 2 (ML CVIII 64). Cf. supra p. 145 sq.
[4] Serm. 2, de consecr. pontif. (ib. CCXVII 654).
[5] Regest. l. 2, ep. 209 (ib. CCXIV 759).
[6] Missale mixtum (ib. LXXXV 719).
[7] Breviar. Goth. (ib. LXXXVI 1105).

Petrus plus semel Ecclesiae fundamentum dicitur. Certe in ea haec leguntur [1]: „Cuius [Ecclesiae] ipse [Petrus] fundamentum factus est"; et rursus [2]: „Vere sanctus es, Domine..., qui apostolum tuum Petrum firmissimam statuens petram, aedificare tibi *in ea* sanctam pronuntiasti Ecclesiam." Locum autem Bedae, ad quem Langen provocat, integrum non affert. Est autem hic [3]: „Fundamentum templi nullum est aliud *mystice* intelligendum quam illud (1 Cor 3). . . . Lapides ergo, qui in fundamentum templi ad portandum aedificium omne ponebantur, proprie sunt prophetae et apostoli . . ., sed et generaliter perfecti." Beda igitur loquitur de spirituali aedificio generatim, nullam mentionem faciens Mt 16, 18, et insuper sensu *mystico*. Quid ergo hic locus ad rem, de qua agitur, facit? Provocat porro Langen etiam ad haec, quae Beda in Lc 6, 48 dicit [4]: „Fundamenta, quando pluraliter in Ecclesiae mysterio ponuntur, doctores significant; ... quando vero singulariter fundamentum, ipse doctorum doctor et fundamentum fundamentorum exprimitur Christus." Hic autem Beda pariter nihil de Petro et Mt 16, 18 dicit; et insuper qua ratione Christum fundamentum Ecclesiae esse dixerit, patet ex ipsius commentario in Io 21, 23 [5], quem locum etiam Langen laudat, ubi simpliciter Beda repetit supra p. 159 allata verba Augustini: „Non a Petro petra" etc., ac praeterea ex his eius verbis in Mt 16, 18: „Metaphorice ei dicitur: super hanc petram, i. e. Salvatorem, quem confessus es, aedificatur Ecclesia, qui fideli confessori sui nominis participium donavit" [6]; maxime autem id liquet ex his, quae in Io 1, 40 dicit [7]: „Nisi forte et haec dignitas est Andreae, quia Petri appellatur frater, super quem erat postea fundanda Ecclesia." Voluit igitur Beda dicere, Christum esse lapidem angularem et fundamentum primarium Ecclesiae sua ipsius virtute consistens et solidum, Petrum vero omnem virtutem suam a Christo accepisse et ita secundarium Ecclesiae fundamentum effectum esse. Item Isidorus Hispalensis [8] ferme ad verbum locum S. Augustini iam laudatum eodem sensu quo ille repetit, quod eo magis elucet, quod continuo de Petro addit: „Cephas dictus, eo quod *in capite* sit constitutus apostolorum", quodque alibi [9] dicit: „Petrus in Christo Ecclesiae fundamentum est." In eandem sententiam Ambrosius Autpertus [10] haec: „Petrus tamquam a petra vocabulum sumpsit, petra autem erat Christus, ut apostolus edocuit Paulus. Huic petrae Petrus dicit: ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi'; quibus nimirum verbis totius Ecclesiae fides effertur; et quam convenienter petra Petro respondit: ‚Et ego dico tibi' etc., aperte videlicet dicens: super me aedificabo te, qui figuram geris eius Ecclesiae, quae *in te* aedificatur super me." Paulus Winfridus (etiam Warnefridus dictus) diaconus dicit [11] quidem: „Super hanc petram, i. e. super Dominum Salvatorem, qui fideli confessori suo participium sui nominis donavit", sed paulo post addit [12]: „Petrum itaque (ut diximus), fundamentum Ecclesiae nominavit Dominus, et ideo digne hoc fundamentum generalis Ecclesia colit, supra quod aedificii sui celsitudo consurgit." Alibi [13] vocat Petrum „Ecclesiae verticem". Dixit igitur Winfridus Christum primarium Ecclesiae fundamentum, Petrum vero secundarium. Eodem sensu scribit Paschasius Radbertus [14]: „Et ego dico tibi. Ac si patenter dicat, non sermone casso et nullum habente effectum operis, ... quia verbum meum omnipotentiae plenum est. Quia tu es Petrus, quod a petra derivatum est nomen, i. e. a me, super quem aedificatur omnis Ecclesia. Non enim, ut quidam male

---

[1] Missale mixt. (ib. LXXXV 721). [2] Ibid. 724.
[3] De templo Salomonis c. 4 (ib. XCI 744).
[4] ML XCII 412. [5] Ibid. 934. [6] Ibid. 78 sq. [7] Ibid. 652.
[8] Etymol. l. 7, c. 9 (ib. LXXXII 287).
[9] De ortu et obitu Patrum c. 68 (ML LXXXIII 149).
[10] Hom. in transfig. Domini n. 3 (ib. LXXXIX 1307).
[11] Hom. 10, de sanctis (ib. XCV 1463). [12] Ibid. 1464.
[13] Hom. 26, de sanctis (ib. 1479).
[14] Expos. in Matth. l. 8, c. 16 (ib. CXX 560).

putant, Petrus fundamentum totius Ecclesiae est, quia fundamentum nemo aliud potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus (1 Cor 3, 11). Licet super eodem fundamento primus, ac si caput Petrus recte positus credatur, tamen in ea petra, de qua nomen sibi e dono traxit; et super eam tota construitur et constabilitur illa coelestis Ierusalem, i. e. super Christum, ut firma permaneat in sempiternum." Clarissime autem catholicam sententiam confirmat Rupertus Tuitiensis ipso illo loco, quem Langen pro sua opinione laudat. Allatis enim verbis Mt 16, 18 haec scribit[1]: „Claret ergo, quia Christus super se ipsum, videlicet primam petram, suam aedificaturus Ecclesiam, ubi vidit, immo intuitus est, ut ait evangelista, i. e. diligenter respexit illum, quem primum post se volebat eiusdem esse fundamentum Ecclesiae. Hac de causa Petrum a se ipso petra prima denominavit, utpote *in quo post se ipsum tota constituta erat fabrica spiritualis aedificii.*" Rursum ait[2]: „Huius autem Ecclesiae fidelis unitatem fidemque hic et alibi Petrus exprimit, voces primus emittit, unde et a petra (supra quam eadem Ecclesia fundatur) nomen sortitur." Clare etiam loquitur Gilbertus Foliot (saec. XII)[3]: „Tu es Petrus, i. e. in fide mei tamquam petra firmus et sic Petrus a me tamquam petra nominatus. ‚Et super hanc petram', quam me esse intelligo et in te esse constituo, aedificabo Ecclesiam. . . . ‚Et tibi dabo claves regni coelorum . . .' ‚ut nullus intret in regnum coelorum nisi per fidem et sacramenta, quae sunt ex me tibi commissa".

Quae cum ita sint, etiam alii medii aevi et sequentium saeculorum scriptores Ecclesiam super Christum aedificatam dicentes haud alio modo intelligendi sunt. Ita sane Walafridus Strabo[4] scripsit quidem: „‚Super petram' (Mt 7, 24). A qua Petrus nomen accepit pro firmitate fidei, i. e. super se ipsum aedificavit Ecclesiam", et alibi[5]: „Fundamenta pluraliter, doctores, singulariter fundamentum, doctor doctorum Christus"; sed etiam ait[6]: „Tu es Petrus ob fortitudinem fidei et confessionis constantiam. ‚Petrus', a me petra, ita tamen, ut mihi retineam dignitatem fundamenti, tu super me ordinabis lapides mundos, et abicies leprosos. Sicut lumen et cetera nomina, uti: ‚vos estis sal terrae', a Domino sortiti sunt apostoli, sic Simoni a se nomen Petri dedit." Walafridus igitur dicere videtur, Petrum esse non sua virtute petram, sed Christi dono, nec fundamentum primarium, sed secundarium. Atque ita, ut alios omittam, intelligendus certe est Hildebertus[7], Cenoman. episcopus: „Unde ad Petrum Dominus ait: ‚Et ego dico tibi, quia tu es Petrus', a me petra ita dictus, ‚et super hanc petram', a qua tu diceris Petrus, et super me, non super te, ‚aedificabo Ecclesiam meam'", praesertim cum idem alibi[8] nominet Petrum apostolorum *principem*, cui „claves regni coelorum leguntur commissae, qui propter fidei constantiam a Domino audire meruit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam"; et maxime cum in sacro sermone dixerit[9]: „Huius igitur unitatis observatione . . . voluit Dominus super unum aedificare Ecclesiam suam: super illum scilicet, de quo ait: tu es Petrus etc.; Petrus ergo est fundamentum, cui unitur Ecclesia; fide enim illius omnia membra Ecclesiae adhaerent. Magister enim et *princeps apostolorum* idem factus est et *pastor fidelium*, quia in fide praevaluit. Cum enim Dominus de fide suorum investigaret . . ., respondit Petrus . . .: tu es Christus etc., et audita fidei eius fortitudine Dominus dedit ei, ut esset *fundamentum eius* [Ecclesiae]."

Sed esto, id quod tamen non concedimus, unum alterumve, vel etiam plures medii aevi et sequentium saeculorum scriptores, aut antiquiores quoque Patres admisisse, Mt 16, 18 Petrum ne secundarium quidem Ecclesiae dici fundamentum, quid inde sequeretur? Profecto nihil aliud, quam ipsos illum S. Scripturae locum

---

[1] In Ioan. l. 2 (ML CLXIX 268 sq). [2] Ibid. 497.
[3] In Cant. 3, 1 (ib. CCII 1244). [4] In Matth. 7, 24 (ib. CXIV 112).
[5] In Luc. 6, 48 (ib. 267). [6] In Matth. 16, 18 (ib. 142).
[7] Serm. 32, de temp. (ib. CLXXI 495).
[8] Serm. 67, de sanctis (ib. 662). [9] Serm. 98, de diversis 1 (ib. 794).

haud recte intellexisse, cum interpretatio contraria sit solidissimis rationibus sola vera probata.

2. Neque magis ea quam tradidimus loci Mt 16, 18 explicatio eo infirmatur, quod ex antiquis Ecclesiae Patribus, et iis quidem non paucis, qui, ut supra p. 145 sqq ostendimus, ipsum Petrum petram Ecclesiae dixerunt, multi[1], necnon plures medii aevi scriptores petrae nomine *fidem* a Petro confessam et praedicatam intelligendam esse dixerunt[2].

Origo enim huius interpretationis repetitur e tempore Arianorum; cum nimirum Patres „cernerent firmissimum causae catholicae praesidium inesse illis Petri verbis: ‚Tu es Christus filius Dei vivi', atque ob praeclaram hanc fidei confessionem a Christo super Petrum aedificatam Ecclesiam esse, variis modis hanc ipsam confessionem extollere instituerunt" [3]. Nullatenus tamen Patres, cum petram Ecclesiae fidem vel eius confessionem affirmarent, locuti sunt de fide vel tota christiana vel sola fide in Christi divinitatem absolute secundum se, sive, ut dici solet, in abstracto spectata, sed eorum sententia est, ipsum Petrum, veram Christi fidem habentem et professum, esse Ecclesiae fundamentum. Qui enim fidem, „quam S. Petrus in aedificanda Ecclesia fundamentum iecit, petram Ecclesiae a Christo positam ostendit, satis in hac fide ipsum Petrum petram Ecclesiae constitutum probat, et solum qua ratione petra et fundamentum Ecclesiae idem Petrus intelligendus sit, apertius exponit" [4]. Cum scil. verum Ecclesiae fundamentum ac forma interna sit vera fides, quatenus „Ecclesia, e fidelibus constans, per fidei praedicationem constructa est ac sine ipsa homines nec sunt nec esse possunt Ecclesiae membra, non alia profecto congrua ratione S. Petrus intelligi potest ipsius Ecclesiae petra et fundamentum nisi per fidem, quam dum infallibiliter praedicavit, ecclesiastici aedificii fundamentum posuit" [5]. Non enim super ossa et carnem Petri Ecclesia aedificata intelligi potest, sed super fidem ab eo praedicatam constructa optime intelligitur [6].

Iam vero Patres et scriptores ecclesiastici non alia ratione de fide ut Ecclesiae fundamento locuti sunt, cum fidem Petri sive ipsum Petrum fidem profitentem petram intelligant. Ita sane Ambrosius bene docet, Petrum ut fide animatum constitutum esse Ecclesiae fundamentum; ait enim [7]: „Fides ergo est Ecclesiae fundamentum; non enim de carne Petri, sed de fide [utique Petri] dictum est, quia portae mortis non praevalebunt." Quibus verbis evidenter non *Petro* ipsi, sed *carni* Petri negatur victoria referenda e portis

---

[1] Ballerini, De vi ac ratione primatus Rom. Pontif. c. 12, § 1; Launoius l. c. 106 sqq; Langen I 19 sqq.

[2] Cf. Franzelin 131. [3] Cercia 71. [4] Ibid. [5] Ibid. 78.

[6] S. Augustinus, si super fidem vel confessionem Petri Ecclesiam aedificari dicit, haec eius interpretatio coincidere videtur cum alia illa, qua petram Ecclesiae Christum ipsum dicit. Cf. in 1 ep. Ioan. tract. 10, n. 1: „Quid est, super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id quod dictum est: tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc petram, inquit, fundabo Ecclesiam meam." Serm. 183, n. 14: „Post haec verba sua, quibus [Christus] approbavit fidem Petri eamque petram esse monstravit, coepit ostendere discipulis suis" etc. Serm. 295, n. 1: „Super hoc quod dixisti: ‚Tu es Christus . . .' aedificabo Ecclesiam meam. Tu enim Petrus. A petra Petrus. . . . Vis nosse, de qua petra Petrus dicatur? Paulum audi" (1 Cor 10, 4). Cf. Specht 134.

[7] De incarn. c. 5, n. 34 (ML XVI 827).

mortis, sive quod idem est, dicitur, non viribus suis mere humanis, sed fide sua praeclara atque immota Petrum sustentare Ecclesiam; quod confirmatur his Ambrosii verbis, quae modo allata proxime praecedunt [1]: „Hic est ergo Petrus, qui respondit pro ceteris, immo prae ceteris; et ideo *fundamentum* dicitur, quia novit non solum proprium, sed etiam commune servare. Huic astipulatus est Christus, revelavit Pater. Nam qui veram generationem loquitur Patris, a Patre assumpsit, non sumpsit *e carne*. Fides *ergo* est" etc. ut supra. Item Petrus Chrysologus dicit [2]: „Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare." Si autem fide Petrus Ecclesiam fundavit, Petri fides Ecclesiae petra et fundamentum fuit. Necnon Hilarius haec habet [3]: „In eo vero quod respondetur: tu es [Christus filius Dei vivi], confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatio est. . . . Haec fides Ecclesiae fundamentum est; per hanc fidem infirmes [al. infirmae] adversus eam sunt portae inferorum. Haec fides regni coelestis habet claves. Haec fides quae in terris solverit aut ligaverit, et ligata in coelis sunt et soluta. . . . O miserae stultitiae furor impius, non intelligens beatae senectutis fideique martyrem [= testem], et martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus est, ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterata a se dilectionis in Deum postulatae professione, tentari se adhuc tamquam ambiguum et incertum tertia interrogatione congemuit. . . . Filium Dei confessus, ob hoc beatus est [Petrus]. Haec revelatio Patris est, hoc Ecclesiae fundamentum est, haec securitas aeternitatis est. Hinc regni coelorum habet claves, hinc terrena eius iudicia coelestia sunt." Porro planum est [4], idem hic sonare fidem Petri eiusque confessionem ipsumque Petrum. Omnes enim concedunt, quod e verbis Christi adeo clarum est, Petro datas esse claves et potestatem ligandi et solvendi; quod et in tertio textu allato diserte affirmat S. Hilarius: hinc regni coelorum habet claves etc. Et tamen in textu secundo affirmatur, fidei datas esse claves et potestatem ligandi et solvendi: haec fides regni coelestis etc. Insuper, id quod supra probavimus, Hilarius saepius aliis in locis aperte docet, Petrum esse petram.

Eadem ratione Patres graeci cum fidem fundamentum Ecclesiae dicunt, affirmant, eam esse fidem ipsius Petri. Certe Epiphanius scribit [5]: „Sanctus Petrus et princeps apostolorum, . . . qui quidem solidae petrae instar nobis exstitit, cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus exstructa est. Imprimis quidem, quod Christum Dei vivi filium esse confessus est, idque vicissim audiit: ‚Supra hanc' solidae fidei ‚petram aedificabo Ecclesiam meam.'" Dicit ergo hic Epiphanius, volens explicare solum modum, quo Petrus Ecclesiae fundamentum sit, Petrum esse fundamentum, ita tamen, ut haec ipsa fides sive confessio in Petro tamquam in primo fundamento innitatur. Chrysostomus ait [6]: „Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, i. e. super fidem confessionis (τουτέστι, τῇ πίστει

[1] L. c. n. 33 (ML XVI 827). [2] Serm. 154, de S. Steph. (ib. LII 608).
[3] De Trinit. l. 6, n. 36 sq (ib. X 186 sq). [4] Ita Murray III 427 sq.
[5] Haer. 59, n. 7 (MG XLI 1029): *Ἅγιος Πέτρος καὶ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, . . . ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιοῦσα τὴν πίστιν τοῦ κυρίου· ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμητο ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον. Πρῶτον μέν, ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι· Ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀσφαλῆς πίστεως οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.*
[6] Hom. 54 (al. 55) in Matth. n. 2 (MG LVIII 534).

τῆς ὁμολογίας)." Quem loqui de fide ipsius Petri patet ex iis, quae *continuo* subicit dicens[1]: „Hinc declarat, multos esse credituros, *eiusque* sensum erigit, et *pastorem ipsum constituit.*" Si de fide absolute et generatim spectata loqui voluisset, ita e Christi verbis concludere non potuisset. Atque idem clarius etiam liquet ex iis, quae paucis interiectis addit: „Quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam (ἀπερίτρεπτον) reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere (ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στερρότερον, τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης), haec se illi [Petro] daturum pollicetur [Christus]." Unde patet, Chrysostomo illam petram esse ipsum Petrum, non solam fidem, fidei confessionem. Atque simili modo explicandi sunt alii loci apud eundem Patrem[2].

Evidenter de fide ipsius Petri loquitur Cyrillus Alex.[3]: „Christo dicente: *beatus es, Simon* . . . Petram, opinor, quasi denominative nihil aliud quam inconcussam et firmissimam *discipuli* fidem appellans, super quam etiam citra casus periculum firmata est ac fundata Christi Ecclesia. . . . Sed et *Petri* fides in Filium non temere arrepta et ex humano sensu promanans . . . Si ergo beatus *Petrus* tam praecellentibus donis ornatur, confessus, ipsum esse filium Dei viventis" etc. Theodoretus denique idem etiam tradit scribens[4]: „Hac etiam de causa Christus Dominus Noster apostolorum *principem* (τὸν πρῶτον), *cuius* confessionem velut basim quandam et fundamentum Ecclesiae defixerat (οὗ τὴν ὁμολογίαν οἷόν τινα κρηπῖδα καὶ θεμέλιον τῆς ἐκκλησίας κατέπηξεν) fluctuare ac errare permisit, eumque rursus erexit, duo eadem opera docens, non fidere se ipsis, et fluctuantes firmare (στηρίζειν)." Significare enim istis verbis voluit Theodoretus, non super Petrum ut hominem naturalem atque infirmum aedificatam esse Ecclesiam, sed super Petrum a Christo firmatum et immobilem in fide redditum.

Itaque *petrae* (Mt 16, 18) nomine Patres non fidem christianam generatim acceptam, sed S. Petri fidem intellexerunt et Ecclesiae fundamentum dixerunt, et ideo quidem maxime, vel quod causa conferendi Petro primatum fuit illa fidei suae confessio, vel quia Petro tantum, quatenus fide illa instructus erat, is conferri potuit, vel denique quia confessio Petri erat ratio, qua ipse potissimum Ecclesiae fundamentum est suoque hoc officio fungitur. Unde patet, Patres in hanc de petra sententiam discedere non potuisse, nisi ratum fixumque habuissent, primatum Petro vere collatum esse. Quare etiam Patres inter varias petrae interpretationes non eo sensu fluctuasse dici possunt, quod primariam de Petri primatu explicationem excluderent, sed

---

[1] *Ἐντεῦθεν δείκνυσι, πολλοὺς μέλλοντας ἤδη πιστεύειν, καὶ ἀνίστησιν αὐτοῦ τὸ φρόνημα, καὶ ποιμένα ποιεῖ.*

[2] Hom. 82 (al. 83), n. 3 (MG LVIII 741): „Qui Ecclesiam super confessionem eius aedificavit", et Comment. in ep. ad Gal. c. 1, n. 1 (ib. LXI 611).

[3] De Trinit. dial. 4 (ib. LXXV 865): *Χριστοῦ λεγόντος· μακάριος εἶ, Σίμων, Βὰρ Ἰωνᾶ . . . Πέτραν οἶμαι παρωνύμως, ἕτερον οὐδὲν, ἢ τὴν ἀκατάσειστον καὶ ἑδραιοτάτην τοῦ μαθητοῦ πίστιν ἀποκαλῶν, ἐφ' ᾗ καὶ ἀδιαπτώτως ἐρήρεισταί τε καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία Χριστοῦ . . . Πέτρου καὶ ἡ πίστις ὡς εἰς Υἱὸν, οὐκ ἀπερισκέπτως ἐσχεδιασμένη, καὶ ἐξ ἀνθρωπίνων νοημάτων ἀναπηγαζούσα. . . . Εἰ δὴ οὖν μακάριος Πέτρος καὶ τῶν οὕτως ὑπερφερεστάτων ἀξιοῦται γερῶν, Υἱὸν θεοῦ ζῶντος διωμολογηκὼς αὐτόν.* Etiam in Is. 44, 23, l. 4, orat. 2 (ib. LXX 940) dicit: „Petram (Mt 16, 18) opinor vocans, immotam fidem discipuli: *Πέτραν, οἶμαι, λέγων τὸ ἀκράδαντον εἰς πίστιν τοῦ μαθητοῦ.*

[4] Ep. 77, ad Eulal. (ib. LXXXIII 1249).

eatenus tantum, quatenus eiusdem veritatem variis secundariis etiam modis efferri posse directe scil. aut saltem oblique sentirent.

Hinc etiam factum est, ut ipsi illi, qui diligenter alioquin et usque strenue defendebant, Petrum Ecclesiae fundamentum esse, ipsi nimirum Romani Pontifices, ab illa interpretatione minime dissentirent[1]. Certe, ut unum saltem nominem, Gregorius Magnus ad Theodolindam reginam haec scripsit[2]: „In vera fide persistite, et vitam vestram in petra Ecclesiae, hoc est in confessione b. Petri, apostolorum principis, solidate." Atque in ipsis publicis missarum precibus id ipsum exprimitur et docetur[3]. Ita sane preces, quas apud Romanos vetustissimas esse constat e Gregorianis Sacramentariis, quaeque adhuc recitantur in missa vigiliae SS. Petri et Pauli, hae sunt: „Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicae confessionis petra solidasti."

Omnes denique quas vidimus petrae apud Mt 16, 18 interpretationes in unum coniungit Honorius III Pontifex, dum explicans verba: et intravit in domum Simonis (Mt 8, 14) sic dicit[4]: „Domus Simonis est sancta Ecclesia *beato Petro commissa,* quando dixit ei: ‚Tu es Petrus' etc. ‚Super hanc petram', i. e. *supra istam fidei firmitatem,* qua confessus es me esse filium Dei vivi. . . . Vel ‚super hanc petram', i. e. *super me,* qui sum petra, i. e. stabilis et fortis, sicut dicit apostolus: petra autem erat Christus (1 Cor 10, 4). . . . Posset etiam dici, quod Simon, qui interpretatur oboediens, significat Ecclesiam, i. e. congregationem fidelium." Atque revera relatae variae interpretationes simul omnes tantum adaequatam ac plenam Christi verborum sententiam referunt, adeoque una nec alteram excludit nec ab ea excluditur, sed potius omnes una postulantur. Nam „sane prima [de Petro] postulatur sensu literali et immediato. Postulatur altera [de Christo], cum neque Petrus sit Ecclesiae petra ex sese ac princeps, neque Christi Ecclesia sine Christo fundamento ex sese et principe concipi possit. Postulatur tertia [de fide in Christum], cum e nexu cum praecedentibus intelligatur, causam, ob quam Petrus designaretur Ecclesiae petra, fuisse eius fidem, adeoque Petrum uti habentem fidem esse Ecclesiae petram, quasi Christus dixisset, per fidem tu es petra, super quam aedificabo Ecclesiam meam. . . . Postulatur quarta [de fidei professione], cum fides Petri non absolveretur interno fidei actu, sed esset publica fidei in Christum filium Dei vivi professio; hanc ergo emittens Petrus constitutus fuit Ecclesiae petra. Si ergo quidquid verba Christi significant, tam immediate quam mediate, tam directe quam indirecte, tam absolute quam relative simul accipiatur, tota et plena et adaequata eorum sententia prodit."[5]

Qui denique, utique sat pauci, Patres etiam reliquos apostolos Ecclesiae fundamenta appellarunt, eos non eadem ratione, qua Petrum, Ecclesiae petram dixerunt, sed illa, qua Eph 2, 20 non solum apostoli, sed prophetae etiam

---

[1] Ballerini l. c. 75 sqq. [2] Epist. l. 4, ep. 38 (ML LXXVII 713).
[3] Ballerini 77.
[4] Serm. 17 in medio quadragesimae, ed. Horoy I 782. „Sermonum" suorum „opus" vocat Honorius „a nobis in minori officio constitutis . . . ineptum ac noviter consummatum" (ib. I xv).
[5] Schrader, De unitate Romana I 153 in nota. Cf. de istis interpretationibus etiam Gerdil, Analisi del confronto che fa l'autore (Eybel) delle Riflessioni dopo Launojo IV 535 sqq (Opere, Napoli 1855); Palmieri 318 sqq.

Ecclesiae fundamenta nominantur, scil. propter doctrinae revelatae praedicationem, non vero propter acceptam in Christi fideles iurisdictionem.

3. Patres item docuerunt, *claves regni coelorum* una cum suprema potestate ligandi atque solvendi Petro traditas esse.

Certe a) e *Graecis* Firmilianus episcopus ad S. Cyprianum scripsit[1], „quod soli Petro Christus dixerit: ‚Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.'" Origenes quoque Petro potestatem ligandi atque solvendi plane singularem atque a communi aliorum apostolorum distinctam ascribit. Ait enim[2]: „Quoniam prae iis, qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat, etiamsi de Petro, et qui ter fratres arguerunt, commune aliquid dictum sit, privatim illud Petro attributum est: ‚Dabo tibi claves regni coelorum', priusquam illud: ‚Quaecumque alligaveritis super terram', et cetera. Ac sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen et excellentiam eorum, quae Petro prae iis, quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quae Petrum inter eosque, qui ter fratres obiurgaverunt, communes esse videntur. Nec enim exigua differentia est, claves non unius coeli Petrum, sed plurimorum accepisse; et quaecumque super terram alligaverit, non in uno coelo, sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis, qui super terram et alligent et solvant, ita ut haec alligata et soluta sint non in coelis, sicut Petro concessum est, sed in uno coelo; nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent et solvant in omnibus coelis." Quidquid est de veritate huius interpretationis, Origenem S. Petro attribuisse potestatem ligandi atque solvendi multo maiorem quam ceteris apostolis constat. Chrysostomus porro e collatis Petro a Christo praerogativis „petrae et clavium" auctoris Iesu Christi divinitatem demonstrat[3]. Praeterea de Petro[4]: „Hic sanctus beati chori princeps (*ἅγιος οὗτος ὁ κορυφαῖος τοῦ μακαρίου χοροῦ*), amator Christi, ardens discipulus, cui commissae sunt coelorum claves (*ὁ τὰς κλεῖς πιστευθεὶς τῶν οὐρανῶν*), qui spiritualem revelationem accepit" Alibi vero: „Quem toti orbi terrarum praefecit, Petrum, cui claves coelorum dedit, cuius arbitrio et potestati cuncta permisit", iussu Domini diu Antiochiae fuisse dicit[5]. Didymus Alexan-

[1] Inter epist. Cypriani ep. 75, c. 16 (Hartel 820).

[2] In Matth. t. 13, n. 31 (MG XIII 1180 sq): *Ἀλλ' ἐπεὶ ἐχρῆν, εἰ καὶ κοινόν τι ἐπὶ τοῦ Πέτρου καὶ τῶν νουθετησάντων τρὶς τοὺς ἀδελφοὺς λέλεκται, ἐξαίρετον ἔχειν τὸν Πέτρον παρὰ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας, ἰδίᾳ τοῦτο προτέτακται ἐπὶ τοῦ Πέτρου, τὸ· „Δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν", τοῦ· „καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς" καὶ τὰ ἑξῆς. Καίτοιγε εἰ ἐπιμελῶς προσέχομεν τοῖς εὐαγγελικοῖς γράμμασι, καὶ ἐν τούτοις εὕροιμεν ἂν καὶ κατὰ ταῦτα τὰ δοκοῦντα εἶναι κοινὰ πρὸς τὸν Πέτρον καὶ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας τοὺς ἀδελφοὺς πολλὴν διαφορὰν καὶ ὑπεροχὴν ἐκ τῶν πρὸς Πέτρον εἰρημένων παρὰ τοὺς δευτέρους· οὐ γὰρ ὀλίγη διαφορὰ τὸν Πέτρον εἰληφέναι τὰς κλεῖδας οὐχ ἑνὸς οὐρανοῦ, ἀλλὰ πλειόνων, καὶ ἵνα ὅσα ἐὰν δήσῃ ἐπὶ τῆς γῆς, ᾖ δεδεμένα οὐκ ἐν ἑνὶ οὐρανῷ, ἀλλ' ἐν πᾶσιν αὐτοῖς, πρὸς τοὺς πολλοὺς δεόντας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ λύοντας ἐπὶ τῆς γῆς, ὥστε ταῦτα δεδέσθαι καὶ λελύσθαι οὐκ ἐν οὐρανοῖς, ὡς ἐπὶ Πέτρου, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ ἑνί· οὐ γὰρ διαβαίνουσι τῇ δυνάμει ὡς Πέτρος, ἵνα δήσωσιν ἢ λύσωσιν ἐν πᾶσιν οὐρανοῖς.*

[3] In Matth. hom. 54, n. 2 (MG LVIII 534).

[4] In Act. apost. hom. 6, n. 1 (MG LX 56).

[5] *Τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάτην ἁπάσης Πέτρον, ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε . . .* (Or. in S. Ignat. § 4: MG L 591).

drinus[1], cui Petrus est „apostolorum coryphaeus", „inter apostolos principatum tenens", alibi: „cum praesul apostolorum Petrus, inquit, ... iureiurando affirmavit, non nosci a se Dominum, illum nempe ipsum, a quo factus fuerat *coelorum claviger*", et explicans Mt 16, 18 tandem dicit: Petrus „potestatem praeterea accepit, aut potius omnes *per eum* acceperunt, non reiciendi lapsos, sed recipiendi eos, si resipiscant; cum nemo peccati sit expers, nisi is, qui hanc *Petro* concessit auctoritatem; id enim significat illud: quodcumque *solveritis* super terram, erit solutum in coelis." Isidorus Pelusiota[2]: „Si te passio [Christi], inquit, perturbat, ... audi principem apostolorum (τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων) dicentem: cum igitur Christus passus sit carne. Si ergo is, cui claves coelorum traditae sunt (ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν ἐγκεχειρισμένος), carnem proprie passam esse pronuntiavit ..., nihil est, quod perturbet te passio." Nilus abbas[3]: „Recordare sodes verborum Salvatoris dicentis: ‚Omnia quae habet Pater, mea sunt', et ‚qui vidit me, videt et Patrem', et ‚tibi Petre do auctoritate mea claves regni coelorum, propterea quod non servum, ... sed verum Filium esse me vivi Dei ... fassus es'." Gregorius Nyss. vero scribit[4]: [Christus] „*per* Petrum episcopis dedit clavem coelestium bonorum." Basilius etiam[5]: „Beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli maiora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt." Cyrillo Hierosolymitano Petrus est „apostolorum princeps et regni coelorum claviger"; „apostolorum princeps et supremus Ecclesiae praeco". Ipse est maior Elia, nam „Elias in coelum assumptus est, et Petrus habet claves regni coelorum, cum audierit: quaecumque solveris" etc. Miraculum eius precibus impetratum fuisse mirandum non esse dicit: „Petrus enim erat, is qui coeli claves circumferebat."[6] Proclus Constantinopolitanus episcopus[7] explicans Mt 17, 4: „Ne ergo

---

[1] *Ὁ ἐν ἀποστόλοις κορυφαῖος* (De trinitate 1, c. 27: MG XXXIX 408). *Τὰ πρωτεῖα ἐν ἀποστόλοις ἔχοντα* (ib. 2, 10: ib. 640 sq). *Ὁ τῶν ἀποστόλων ἔξαρχος Πέτρος καὶ πανάγιος* (In Act. apost. c. 10: ib. 1678). *Ὅτι Πέτρος ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων ... διωμνύετο μὴ εἰδέναι τὸν κύριον, τὸν ποιήσαντα αὐτὸν κλειδοῦχον τῶν οὐρανῶν* (De trinitate 2, c. 18: ib. 726 d). *Πρὸς τούτοις ἔλαβεν ἐξουσίαν, μᾶλλον δὲ πάντες δι' αὐτοῦ, μὴ ἀπαγορεύειν τοῖς πταίουσιν, ἀλλὰ δέχεσθαι μετανοοῦντας. Οὐδεὶς γὰρ ἀναμάρτητος, εἰ μὴ ὁ ταύτην ἐπιτρέψας τῷ Πέτρῳ τὴν αὐθεντείαν· τοῦτο γάρ ἐστιν· ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς* (ib. 1, c. 30: ib. 417).

[2] Ep. 4, 166 (MG LXXVIII 1256 sq).

[3] Nili ep. 1, 116 (MG LXXIX 134 b).

[4] Or. de castig. (MG XLVI 312): *Διὰ Πέτρου ἔδωκε τοῖς ἐπισκόποις τὴν κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων τιμῶν.*

[5] De iudicio Dei n. 7 (MG XXXI 672): *Ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν τῶν μαθητῶν προκριθεὶς, μόνος δὲ πλεῖον τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς καὶ μακαρισθεὶς, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν πιστευθείς.* Cf. Adv. Eunomium l. 4 fin. (MG XXIX 708).

[6] *Ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος* (Cat. 17, n. 4: MG XXXIII 997); *ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων καὶ τῆς ἐκκλησίας κορυφαῖος κῆρυξ* (Cat. 11, n. 3: ib. 693). Comparationem cum Elia habes in Cat. 14, n. 26: ib. 859). *Πέτρος γὰρ ἦν ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν περιφέρων* (Cat. 6, n. 15: ib. 564). Ex hisce locis concludes, quomodo intelligendus sit Cyrillus locutus de Ecclesia, „de qua dixit [Christus] Petro: et super hanc petram aedificabo meam Ecclesiam" etc. (Cat. 18, n. 25: ib. 1045).

[7] Or. in transfig. n. 2 (MG LXV 767).

dicas, Petre, faciamus hic tria tabernacula ... Si quidem bonum est, ut in terra simus, frustra sane coelorum appellatus es claviger (τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος). Quid enim tibi deinceps coeli claves deservient?... Si tabernacula construere cupis, noli esse ac vocari fundamentum Ecclesiae (παραίτησαι τὸ εἶναι καὶ καλεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας θεμέλιος)." Antiquus auctor sermonis de consummatione mundi, qui est inter opera S. Hippolyti[1]: „Princeps, inquit, Petrus, fidei petra ..., ille doctor Ecclesiae, ille primus discipulorum, ille qui regni claves habet." Eulogius Alexandrinus patriarcha († 608): „Ideo, inquit[2], nec Ioanni nec alteri cuiquam discipulo dixit Salvator: tibi dabo claves regni coelorum etc., sed soli Petro (οὔτε πρὸς Ἰωάννην οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα τῶν μαθητῶν ἔφη ὁ Σωτὴρ τὸ· καὶ δώσω σοι ..., ἀλλ' ἢ πρὸς Πέτρον), qui Deum negaturus erat et peccatum lacrimis et poenitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior esset; alii enim non tentati forsan severius cum peccatoribus egissent."

b) Eiusdem veritatis testis est pariter *ecclesia syro-chaldaica.* Ut enim Ios. David refert[3], ecclesia chaldaica in vesperis officii ss. apostolorum haec dicit: „Dixit Simoni Dominus eius: tu es petra firmitatis, et super te superponam Ecclesiam sanctam. Claves coeli et terrae manibus tuis trado, ut secundum meum placitum liges et solvas. O discipule vere, tibi datus est grex, qui pretioso sanguine meo redemptus est; sis illi pastor verus et serva eum a noxiis." Syrorum ecclesia in primo nocturno officii apostolorum Petri et Pauli ait: „Simon apostolorum princeps supra omnem potestatem dominium habuit, ut ligaret et solveret sine impedimento." In secundo autem nocturno ista ecclesia Petrum hisce alloquitur: „Beatus es, quia Dei filius elegit te constituitque caput discipulorum suorum, tibique virtutem et potestatem dedit, ut divinitus solvas et liges."

Idem testantur scriptores Syrorum. Aphraates v. g. comparans Christum cum Davide inter alia dicit: „David Salomoni regnum tradidit et congregatus est ad patres suos; Iesus Simoni claves commisit, et assumptus ad eum, a quo missus erat, reversus est."[4] Ephraem vero in hymno aliquo: „Te felicem praedicabo, inquit, Simon Petre, claves tenentem, quas Spiritus fabricavit. Magnum verbum et ineffabile, quod superos et inferos ligat et solvit. O beatum gregem tuae curae commissum!... O te beatum, qui capitis et linguae locum obtinuisti in corpore fratrum tuorum, quod utique e discipulis et filiis Domini tui coagmentatur."[5] In sermone quodam de poenitentia sic Petrum peccatum suum plangentem inducit[6]: „Caput fecerat me [Christus] conservorum meorum (rîsha dakhnavâth), et claves coeli dederat mihi, ut aperirem coelum et solverem etiam et ligarem. Qui apostolus vocabar, nunc vocor negator" etc. Sectariorum morem, apud quos e sectae auctoris nomine ipsa secta nomen ducit, sugillat ex eo, quod ne e Petri quidem nomine nominabantur oves, „quamquam princeps apostolorum (rab shelichê)

---

[1] N. 10 (MG X 913): *Πρῶτος ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τῆς πίστεως ..., ὁ διδάσκαλος τῆς ἐκκλησίας, ὁ πρῶτος μαθητὴς, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἔχων.*

[2] Apud Photium in Bibliotheca cod. 280 (MG CIV 328).

[3] Ecclesiae syr.-chald. traditio 7 sqq.

[4] Demonstratio 21, § 13 (ed. Parisot, Paris. 1894, 966).

[5] Apud Assemani, Bibliotheca orientalis I 95. Cf. Ephraem Syri hymni et sermones, ed. Lamy IV 685.

[6] Paraenesis de poenitentia 14 (Opera syr. III 435).

erat, et gerens claves, et pastor gregis erat." [1] Ubi cum aperte nitatur eius argumentum S. Pauli verbis 1 Cor 1, 12, nota S. Ephraem Apollo et ipsius Pauli nomina tamquam Petro inferiora relinquere. Loquens de Simeone sene ac (ut Ephraem existimat) sacerdote puerum Iesum in ulnas accipiente, Christum potestatem divinitus institutam sacerdotibus veteris legis ablatam in novae legis sacerdotes transtulisse hisce exprimit Ephraem: „Ut autem ostenderet Dominus, se claves accepisse a praecedentibus oeconomis, dixit Simoni: tibi dabo claves portarum. Quomodo autem tradidisset eas, si ipse non accepisset? Claves igitur a Simeone sacerdote acceptas alteri Simeoni, apostolo scil. tradidit, ut si non audierit populus priorem Simeonem, audiant populi Simeonem posteriorem." [2] Comparans synagogam reprobatam a Christo cum Ecclesia: „Ecce, inquit [3], moesta aspicit [synagoga] filiam Regis, cuius cubicularius est Simon Cephae. Simonis umbra quo in loco cadit, illic lapsos excitat; claves spirituales sunt coelestes Cephae thesauri et duo testamenta eius opes." Veram autem plenitudinem potestatis tradidisse Christum tradendo claves sic testatur Ephraem: „Ecclesia omnem accepit potestatem ligandi atque solvendi in coelo. Sponsus dedit ei claves portarum coeli et terrae; Dominus sponsae suae tradidit omne quod habebat, eamque suis thesauris praefecit. Eius divitiis indigent reges, qui ei decimas solvunt, capita sua coram ea inclinant et suas dignitates eius dignitati cum veneratione subiciunt. In hac gloriosa Ecclesia constituta est regia maiestas, et in throno eius sedent simul angelus et sacerdos. Super altare eius in medio eius stant sacerdotes et seraphim." [4] Cyrillonas [5] vero inducit Christum ante passionem ad duodecim apostolos loquentem: „O discipuli mei, confortamini: vobis enim erit quies, et mihi pugna; vobis gloria immarcessibilis, et mihi victoria numquam deficiens; vobis regnum potentius angelis, et mihi deiectio inter latrones; vobis vis sanandi aegros, et mihi numerari inter mortuos; vobis throni in coelo, et mihi pullus asini commodatus; *tibi, o Simon, clavis regni,* et mihi ipsi crux, quae est clavis sepulcrorum. Leprosos sanabitis, claudos ambulare facietis, daemones calcabitis. . . . Haec vobis destinatur potestas, hic honor, o discipuli mei." Ubi vides, inter omnes apostolos solum Petrum nomine vocari, solique ipsi claves ascribi. Alibi Petro asseveranti: non lavabis mihi pedes, Dominum inducit respondentem [6]: „Hoc si non potest fieri, redde mihi claves, quas tibi commisi. Hoc si non potest fieri, etiam *regnum* (shultana) auferetur a te." Ubi quid sit claves habere, clare exprimitur.

Petro prae ceteris apostolis claves datas fuisse vel ipsi schismatici orientales non negant. E *monophysitis* certe Abnalhassalus (Ibn al Hassal), qui floruit saec. XIII, in Quaest. Eccles. quaest. 13 Christi verba: „Amen dico tibi, quodcumque ligaveris" etc. sic explicat: „Solvere et ligare dupliciter distinguitur. *Primum* est expendere peccata, et cum tribuisset Dominus noster Christus discipulis suis, ut unum essent se-

[1] Adv. haer. serm. 56 (Opera syr. II 559).

[2] Serm. de Domino (Lamy I 268).

[3] Hymn. 1 de instauratione Ecclesiae (Lamy III 962).

[4] Serm. de passione Domini 1, § 7 (Lamy I 356).

[5] Homilia (2) in Pascha v. 100, ed. G. Bickell in Zeitschrift der Deutschen Morgenländ. Gesellschaft XXVII, Leipzig 1873, 578.

[6] Hymnus in lotionem pedum v. 119 (ib. 568). Cf. germanice versos hos locos in G. Bickell, Ausgewählte Gedichte der syr. Kirchenväter Cyrillonas, Baläus, Isaak von Antiochien und Jakob von Sarug, Kempten 1870, 35 50.

cum voluntate, mente et opere, quemadmodum supra demonstravimus, factum est, ut idem esset eorum ac ipsius opus, voluntas et mens; ideoque dixit Petro principi apostolorum: pasce arietes meos, pasce agnos meos, pasce oves meas. Cum vero peccata infinita sint ob diversitatem iustitiae fidei et iustitiae operum, dedit discipulis potestatem et dixit iis: quorum remiseritis peccata, remittentur iis. . . . Hanc autem potestatem tradidit illis et eorum successoribus post illos iuste adhibendam. *Alterum* sunt praecepta dominica et apostolica, de quibus derogare quidquam nemini licet aut quidquam mutare. Huius autem demonstrationis plures sunt demonstrationes [sic!]. Prima est, quodcumque ligavit Christus Dominus noster, nemini solvere licet, cum ipse sit rex et possessor omnium, ipsi vero eius servi. Servis autem haud fas est solvere, quod ligavit Dominus, nec quidquam illius mutare. Et secunda, quodcumque ligavit Petrus princeps apostolorum, haud integrum est reliquis apostolis illud solvere, eo quod Christus Dominus noster eum praefecerit iis atque praeceperit, haec ipsi singulariter ac seorsum." [1]

E *nestorianis* autem Elias Anbarensis (de quo supra p. 151) in „Centuriis" suis[2]: „Est tertia clavis, inquit, spiritualis, quam commisit Dominus apostolis suis.... Quae consistit in munere docendi atque ad religionem vocandi, quo nascuntur filii Deo; quam quidem clavem tradidit pontificum maximus apostolis, pontificum principibus: *per manus* Petrae Barionae primi patriarchae tradidit illam pontificibus atque sacerdotibus, qui sacerdotio funguntur pro ecclesia sancta."

Etiam Copti in Aegypto in Rituali suo de Petro dicunt, Deum ei commisisse opus manuum suarum *et* clavem regni coelorum. In missa vero festi S. Petri canunt: „Salutatio patri nostro Petro, quem Iesus Christus constituit principem apostolorum; salutio patri nostro Paulo, linguae unctionis plenae, magistro nationum. Salutatio patri nostro Petro, qui auctoritatem habet ligandi et solvendi peccata; salutatio patri nostro Paulo, cuius verba advenerunt usque ad extrema orbis terrarum." In missa vero festi, quo consecratio ecclesiae B. Virginis urbis Caesareensis celebratur, de Christo dicitur: „Tunc manus imposuit capiti patris nostri Petri, creavit et constituit illum caput hierarchiae in toto terrarum orbe *et* dedit illi potestatem ligandi et solvendi. Magna tunc laetitia facta est in coelo et in terra, et omnes exclamaverunt: dignus, dignus, dignus." [3] Praeterea die 7. Mesori Copti habent

---

[1] Evoplia fidei catholicae Romanae historico-dogmatica ex vetustissimis Syrorum seu Chaldaeorum monumentis eruta. Auctore Fausto Nairono Banensi Maronita, Romae 1694, 267 sq.

[2] Pars 2, serm. 3, centuria 2, n. 68 (apud Khayyath, Syri orientales 13).

[3] Haec e Coptorum libris tradit M. Jullien, Voyage dans le désert de la Basse-Thébaide aux couvents de St-Antoine et de St-Paul, Lyon 1884, 68. Cf. Les Missions cath. XVI, Lyon 1884, 262. Arabice extremo loco allatum textum dat Abraham Echellensis, Eutychius vindicatus, vol. II, Romae 1661, 226, ex quo latinam versionem textus exscripsit Migne (MG XXX 835). — Similia habentur in apocrypha quadam revelatione S. Bartholomaei, cuius auctor postquam Salvatorem induxit post ascensum in coelum Patrem rogantem, ut apostolis benedictionem fine carentem concederet, sic pergit: „Alors le Père, de concert avec le Fils et le Saint-Esprit étendit la main sur la tête de Pierre; *il le consacra archevêque de l'univers,* et le bénit en lui disant: ‚Tu seras le chef et le prince de mon royaume, tu le seras aussi du monde entier; car moi, mon Fils et le Saint-Esprit, nous t'avons imposé les mains. Tout ce que tu lieras sur la terre, sera lié dans le ciel; tout ce que tu délieras sur la terre, sera délié dans le ciel.' Nul ne s'élèvera au-dessus de toi et de ton trône; celui qui ne se prosternera pas devant ton siège verra son offrande rejetée. Ton souffle sera plein du souffle de l'Esprit-Saint, en sorte que tout homme qui sera baptisé de ta main recevra vraiment le Saint-Esprit." Sequuntur bene-

„festum S. Petri apostoli, h. e. festum professionis fidei ab ipso emissae et primatus eidem collati“ [1], de quo die haec leguntur in Coptorum synaxario [2]: „Eadem die item festum celebramus b. apostoli Petri, quia ea die in medio discipulorum confessus est, quod Christus sit filius Dei vivi, quando eductos extra Caesaream Philippi, uti refert s. evangelium, interrogavit, quid de ipso dicerent. . . . Beatum eum praedicavit Dominus eique tradidit claves regni coelorum potestatemque absolvendi et ligandi. Ex hoc die Petrus factus est princeps super discipulos eiusque successori Romae datus est principatus super omnes principes universi.“

c) Clare etiam iam antiquissimi *occidentales* idem testantur. Tertullianus enim ait [3]: „Nam etsi adhuc clausum putas coelum, memento claves eius hic Dominum Petro, et *per eum* Ecclesiae reliquisse“ Aliud eiusdem testimonium iam supra p. 152 propositum est. Idem pariter Cyprianus ita affirmat [4]: „Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur, quod ille solvisset“, et in eadem epistula de Ecclesia dicit [5]: „Quae una est et super unum, qui et claves eius accepit, Domini voce fundata est.“ Optatus Milevitanus scribit [6]: „Bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si post quod negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri apostolis omnibus meruit, et claves regni coelorum *communicandas* ceteris solus accepit.“ Ambrosius claves „Petri hereditatem“ nominat, dum sic argumentatur [7]: „Tu [Christe] dicis Petro . . . : nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo isti [novatiani] possunt consortium tecum habere, qui claves regni non suscipiunt, negantes, quod dimittere peccata debeant? Quod quidem recte de se fatentur; non habent enim Petri hereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt....“ Hilarius, cuius iam p. 153 testimonium protulimus, de Petro: „O beatus coeli ianitor, inquit [8], *cuius arbitrio* claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo, ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant et in coelo.“ Cassianus ita loquitur [9]: „Interrogemus tamen [de Christi divinitate] non incipientem aliquem puerulum, cuius institutio rudis, aut feminam, cuius fides forsitan videatur incipiens, sed summum illum et inter discipulos discipulum

---

dictiones novem aliorum apostolorum multo breviores. Éd. Dulaurier, Fragment des révélations apocryphes de S. Barthélemy, et l'histoire des communautés religieuses fondées par S. Pakhome. Traduit sur les textes copte-thébains inédits, Paris 1835. Ex quo libello interpretationem franco-gallicam transscripsit Const. Tischendorf, Apocalypses apocryphae Mosis, Esdrae etc., Lipsiae 1866, XXIV sqq. Cf. Revillout, L'Évangile des douze apôtres: Patrologia orientalis II, Parisiis 1907, 149. Rev. d'histoire ecclésiastique VII (1906) 248.

[1] N. Nilles, Kalendarium manuale utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis II², Oeniponte 1897, 703.

[2] Apud Mamachi V 1, 547.

[3] Scorpiace c. 10 (ML II 142).

[4] Ep. 73, c. 7 (Hartel 783).

[5] Ibid. c. 11 (ib. 786).

[6] De schism. Donat. l. 7, n. 3; cf. l. 1, n. 10 (ML XI 1087 900).

[7] De poenit. l. 1, c. 7, n. 33 (ML XVI 476).

[8] In Matth. c. 16, n. 7 (ML IX 1010).

[9] Contra Nestorium 3, c. 12 (ML L 67).

et inter magistros magistrum, qui Romanae Ecclesiae gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita et sacerdotii principatum. Dic nobis ergo, dic nobis, quaesumus, princeps apostolorum Petre, dic, quemadmodum ecclesiae credere Deum debeant. Aequum est enim, ut doceas nos, doctus a Domino, et aperias nobis ianuam, cuius clavem accepisti. . . . Certum est, quod nullus ostium regni intrare poterit, nisi cui clavis *a te* in ecclesiis collocata reserarit." Notanda etiam sunt S. Augustini verba[1]: „Petrus, inquit apostolus, qui ubi dixit: tu es Christus filius Dei vivi, tam beatus [sine dubio prae ceteris beatus] a Domino appellatus est, ut claves regni coelorum accipere mereretur." Venantius Fortunatus[2] canit de Petro: „Qui meruit solus clave ligare polos", Petrumque et Paulum ita inter se opponit[3]: „Pandit iter coeli hic dogmate, clavibus alter." Beda dicit[4]: „Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, *specialiter* claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit."

Quod vero quidam Patres interdum dicunt, *claves etiam aliis apostolis traditas esse,* id utique verum eatenus est, quatenus clavium imagine simpliciter et generatim iurisdictio intelligitur; sed verum non est, si huius iurisdictionis amplitudo spectetur. Cum enim Petro claves totius regni coelorum sive universae Ecclesiae traditae sint, iurisdictionem in ipsos etiam apostolos habuit; haec autem nulli alteri apostolorum competiit.

Nec aliter Patres illi revera loquuntur; numquam enim tam universali, sed semper arctiore sensu de clavibus aliis apostolis traditis loquuntur; sic v. g. Ambrosius loquitur[5] manifeste de ea tantum clavium potestate apostolis tradita, quae in remittendis peccatis exercetur. Ait enim: „Tibi, inquit, dabo claves regni coelorum, ut et solvas et liges. Hoc Novatianus [qui quaedam peccata remitti non posse docuit] non audivit, sed Ecclesia Dei audivit: ideo ille in lapsu, nos in remissione; ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apostolis dicitur", eos scil. habere potestatem omnia omnino peccata remittendi.

Quinimmo Gregorius Nyss., Didymus, Tertullianus, Optatus, Cassianus (supra p. 170 174) claves Petro soli datas esse docent, sed ita, ut eas ipse etiam aliis communicare deberet, unde manifesto eum primatum Petro vindicant, quo tamquam principium totius reliquae ecclesiasticae potestatis habendus sit.

Opponunt Launoius[6] huncque secutus Langen[7], illud, quod Patres sat frequenter dixerunt, Petrum, cum claves regni coelorum accipere mereretur, personam vel figuram Ecclesiae gessisse.

Quos inter Patres praecipue attendendus est S. Augustinus, cuius Launoius 26 textus affert, quibus aut Petro nullatenus commemorato claves *Ecclesiae* datae dicuntur, aut si Petrus nominatur, tamquam Ecclesiae per-

[1] Contra Gaudentium 1, c. 31, n. 39 (ML XLIII 730).
[2] Carm. 1, 2, 5 (ML LXXXVIII 66).
[3] Carm. 3, 7, 9 (ib. 126).
[4] Hom. 16 (ML XCIV 223).
[5] In Ps. 38, n. 37 (ML XIV 1057).
[6] Ep. l. 2, ep. 5 ad Hadr. Vallant.: Opera V 1, Coloniae Allobrogum 1731, 213—242.
[7] Das Vatikan. Dogma I 99.

sonam gestanti ei claves datas esse affirmatur. V. g. ita dicit [1]: „Nusquam tam vigere debent viscera misericordiae quam in catholica Ecclesia. . . . Non enim sine causa inter omnes apostolos huius Ecclesiae catholicae personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesiae claves regni coelorum datae sunt, cum Petro datae sunt. . . . Debet ergo Ecclesia catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam eius gestanti, et cum in mari titubasset, et cum Dominum carnaliter a passione revocasset . . . videamus veniam esse concessam.“ Alibi [2] vero dicit: „Unus [Iudas] corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, immo corpus Ecclesiae, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiae sacramentum, non ei diceret Dominus: tibi dabo claves regni coelorum, quaecumque solveris etc. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem et in Ecclesia fit, ut quae in terra ligantur, in coelo ligentur, et quae solvuntur in terra, solvantur in coelo . . . : si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.“

Haec nobis non adversari patet. *Primum* enim, quod legenti locos a Launoio allatos evidens est, Patres hac loquendi formula usi sunt contra haereticos montanistas et novatianos, qui claves Petro instar doni personalis datas fuisse fingebant, ne potestatem omnia peccata condonandi in Ecclesia esse admittere cogerentur [3]. Horum errorem ut excluderent Patres, non soli Petro, sed etiam eius successoribus claves datas esse contendebant. *Deinde* illi Patres agunt de potestate remittendi peccata. Hanc autem toti multitudini fidelium datam esse certe affirmare noluerunt. Nam „*per antistites* in Ecclesia claves ministrantur“ [4] ex Augustini sententia. *Denique* Petri primatui haec Patrum effata non obstare clarius etiam patet ex alia ratione, quam Augustinus expressit, cum dicit [5], Petrum „propter apostolatus sui primatum“ gessisse „figurata generalitate personam“ Ecclesiae. Nam „si Petrus propter primatum in clavibus recipiendis Ecclesiae figuram gessit, Ecclesiam ipse tamquam princeps repraesentavit, et primatus eius tantum abest, ut negetur, ut etiam supponatur. Ergo e sententia horum Patrum ideo non solus Petrus, sed et reliqui apostoli et post ipsos episcopi claves acceperunt, quia Petrus tamquam primas seu princeps eas accepit. Si vero hanc rationem accuratius examinemus, eadem eo redit, ut Petrus claves tamquam ceteris communicandas accepisse dicatur, et proinde textus, quos adversarii ad primatum Petri minuendum tanta industria collegerunt, ad eundem illustrandum non parum contribuunt“ [6]. Gessit scil. Petrus personam Ecclesiae „ut herus familiae, princeps regni personam gerit. Sed Ecclesiae personam non gessit, ut famulus, qui epistulam ad herum deferendam accipit, heri personam gerit.“ [7] Quod idem ipse Augustinus iam indicavit, cum

---

[1] De agone christ. c. 30, n. 32 (ML XL 308).

[2] In Ioan. tr. 50, n. 12 (ML XXXV 1762).

[3] Cf. Tertullian., De pudicitia c. 21 (ML II 1024)

[4] Aug., Serm. 351, c. 4, n. 9 (ML XXXIX 1545).

[5] In Ioan. tr. 124, n. 5 (ML XXXV 1973). Cf. Serm. 76, n. 3: „Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens“ (cf. supra p. 154); Enarr. in Ps. 108, n. 1 (ib. XXXVII 1432): „Cuius [Ecclesiae] ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit.“

[6] Reinerding II, n. 362, p. 209. Cf. Franzelin, De Eccl. 133.

[7] Wilmers, De Eccl. 152.

ex hoc, quod Petrus claves non pro se tantum, sed in bonum commune ac perpetuum totius Ecclesiae ut huius caput accepit, concluderet[1]: „Hinc ergo *Petri excellentia* praedicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesiae figuram gessit." Ergo S. Augustinus non dicit, Petrum Ecclesiae figuram gerere, eo quod a fidelium multitudine ipsius auctoritas pendeat, sed quod ipse totius Ecclesiae primas sit. Cum igitur Augustinus dicit[2]: „Si hoc ergo [excommunicatio et reconciliatio] in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam significavit", nullatenus dicit, clavium potestatem non esse Petri ut primatis propriam.

Ceterum Augustinus solet generatim personas in S. Scriptura nominatas ita inducere et considerare, ut aliarum rerum in Ecclesia gerendarum figurae ac symbola appareant[3]. Sic Adam et Eva, Abraham et Sara ipsi sunt typi ac figurae Christi ac Ecclesiae[4]; Cain et Abel figurae duarum civitatum humanae ac coelestis[5]; ancillae Rachelis et Liae, quae dominarum suarum interventu legitimos Iacobo filios gignere poterant, sunt haereses, in quantum per baptismum Christo vere filios pariunt[6] etc. Ex Novi Testamenti personis figurae Ecclesiae apud Augustinum sunt Christus, Maria, Petrus. Et Christus quidem, in quantum caput est Ecclesiae, in quantum in eius baptismo Spiritus Sanctus in eum descendit. Maria vero in quantum etiam Ecclesia est virgo et mater, Petrus denique, in quantum primas est Ecclesiae. Praeterea figurae bonorum et malorum in Ecclesia sunt Petrus et Iudas, figurae vitae praesentis laboriosae et futurae felicis Petrus et Ioannes. Cf. v. g. hos locos: „Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit; tunc enim corpus suum, i. e. Ecclesiam suam praefigurare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum."[7] Maria „corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit"[8]. Cum his compara, quae de Petro Augustinus dicit, v. g.: „Sicut enim quaedam dicuntur, quae ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit, . . . ita Iudas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi iudaeorum. . . . De quibus hominibus et de quo populo possunt non inconvenienter intelligi . . . etiam illa, quae proprie de ipso Iuda dicuntur."[9] „Duas itaque vitas sibi divinitus praedicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum est una in fide, altera in specie. . . . Ista significata est per apostolum Petrum, illa per Ioannem. . . . Omnibus igitur sanctis . . . propter huius vitae procellosissimae gubernaculum ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum primus apostolorum Petrus accepit, iisdemque omnibus sanctis propter vitae illius secretissimae quietissimum sinum super pectus Christi Ioannes evangelista discubuit."[10]

Constat igitur, Patres verba Christi Mt 16, 18 sq ad Petrum retulisse, ita ut super eum Ecclesiam fundatam et speciali modo ipsi claves traditas

---

[1] Serm. 295, c. 2 (ML XXXVIII 1349).
[2] In Ioan. tr. 50, n. 12 (ML XXXV 1763).
[3] Cf. Specht 9 sqq 19 sqq 22 sqq 47 sqq.
[4] Cf. v. g. Serm. 336, c. 5; Contra Faust. l. 22, c. 38 (ML XXXVIII 1474; XLII 424).
[5] De civ. Dei 15, 1 5 (ML XLI 437 441).
[6] De bapt. c. Donat. l. 1, c. 10, n. 14 (ML XLIII 117).
[7] De trinit. l. 15, c. 26, n. 46 (ML XLII 1093).
[8] De s. virginitate c. 2 (ML XL 397).
[9] In Ps. 108, n. 1 (ML XXXVII 1431 sq).
[10] In Ioan. tr. 124, n. 5 7 (ML XXXV 1974 sq).

esse dicerent, quapropter primatum aliquem iurisdictionis in Petro eos agnovisse certum est.

3. Atque id ipsum, quod de verbis Domini apud Mt 16, 18 19 ex Patribus diximus, valet pariter de iisdem quoad Io 21, 15—17.

Imprimis quidem Origenes dicit[1]: „Petro cum *summa rerum* de pascendis ovibus traderetur et supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi caritatis exigitur.“ Chrysostomus vero ait[2]: „Dicit ei: pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis de his hunc alloquitur? Eximius (ἔκκριτος) erat inter apostolos, os discipulorum et coetus illius caput (κορυφή); ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione fratrum ei praefecturam committit (ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν); neque negationem commemorat vel exprobrat. Dicit autem: si amas me, fratrum praefecturam suscipe (προίστασο τῶν ἀδελφῶν). . . . Quodsi quis dixerit, cur ergo Iacobus Hierosolymorum thronum accepit, respondebo: Petrum non throni huius, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse (τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον).“ [3] De Petri lapsu locutus significans quae narrantur Io 21, 15 ait[4]: „Tamen post tantum malum iterum [Christus] eum ad priorem honorem revehit; Ecclesiae praefecturam ipsi per universum mundum tradidit (ἐπιστασίαν τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας ἐνεχείρισε).“ Alibi[5]: Petrus, inquit, „sic abluit illam negationem, ut etiam primus apostolorum (πρῶτος τῶν ἀποστόλων) fuerit factus eique totus terrarum orbis commissus fuerit.“ Et alibi[6]: „In regno non par erit honor, neque inter discipulos omnes aequales sunt, sed tres aliis praeeminebant, atque inter tres illos multum discriminis intererat. . . . Quamquam omnes erant apostoli, omnes supra duodecim thronos sessuri, omnes sua reliquerant, omnes cum Christo versati sunt, attamen tres ille accepit. Atque rursum ex his etiam quosdam eminere et praecellere dixit; nam ait: ‚Sedere autem ad dexteram vel sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est‘; ac *Petrum ipsis anteponit* (αὐτῶν προτίθησι) *dicens:* diligis (φιλεῖς) me plus his (Io 21, 15), et Ioannes plus quam alii omnes diligebatur (ἠγαπᾶτο).“ Nilus[7] abbas singula, quae Io 21, 7 15 narrantur, mystice Petri negationi et reconciliationi sic applicat: „Cum propter negationem nudus esset [Petrus] . . . , in Christum spei tunica accingitur, seque in mare divinarum misericordiarum proiciens accessit ad Iesum“, qui „post prandium eum . . . alloquitur et tranquillat, et . . . edulcatum *totius orbis terrarum pastorem* constituit (ποιμένα τῆς οἰκουμένης πάσης καθίστησιν).“ Cyrillus Hierosolymitanus[8]: „Testatur et Petrus, qui prius quidem negaverat, tertium vero confessus est, postea et *spirituales oves pascere* iussus (καὶ ποιμαίνειν τὰ νοητὰ πρόβατα προσταχθείς).“ Asterius Amasenus vero istum Ioannis locum commentans ait[9]: „Fere sui loco dedit Dominus fidelissimum

---

[1] In ep. ad Rom. l. 5, n. 10 (MG XIV 1033).
[2] In Ioan. hom. 88, n. 1 (MG LIX 478).
[3] MG LIX 480.
[4] Hom. 5 de poenit. n. 2 (MG XLIX 303).
[5] In Iudaeos 8, n. 3 (MG XLVIII 931).
[6] In ep. ad Rom. hom. 31, n. 4 (MG LX 672).
[7] Ep. 2, 75 (MG LXXIX 233).
[8] Catech. 14, n. 23 (MG XXXIII 856).
[9] Hom. 8 in SS. Petr. et Paul. (MG XL 281): *Καὶ σχεδὸν ἀνθ' ἑαυτοῦ τὸν πιστότατον μαθητὴν ἔδωκεν ὁ κύριος τοῖς προσηλύτοις πατέρα, καὶ νομέα, καὶ παιδευτήν.*

discipulum [Petrum] in patrem pastoremque ac magistrum iis, qui essent accessuri ad fidem.“ Et paulo post addit [1]: „Universalem ac orbe toto diffusam viro huic [Petro] commendat [Christus] Ecclesiam (τὴν καθόλου καὶ οἰκουμενικὴν ἐκκλησίαν).“ **T h e o d o r e t u s** Cyrensis episcopus, quam magnus Petri erga Christum amor fuerit describens [2]: „In Galilaea, inquit, rursus cum piscaretur atque esse Dominum cognovisset, qui in litore stabat et alloquebatur eos, non passus est navem tardius maris terga secantem, sed alas optavit, quarum adminiculo per aëra litus quam velocissime occuparet . . . , tranatansque ad eum quem diligebat pervenit et cursus sui praemium obtinuit, quod honore aliis praelatus est (ἆθλον λαμβάνει τοῦ δρόμου τὴν τῶν ἄλλων προτίμησιν). Nam ubi discumbere iussit cibosque inventos distribuit, mox colloqui cum eo coepit, interrogans quidem ac sciscitans, quantum amorem habeat, ceteris vero magni Petri amorem detegens (ἀποκαλύπτων δὲ τοῖς ἄλλοις τοῦ μεγάλου Πέτρου τὸν ἔρωτα). ‚Simon enim Petre, inquit, diligis me plus his‘“ etc. S t e p h a n u s D o r e n s i s anno 649 in concilio Lateranensi sub Martino I celebrato de Petro haec edixit [3]: „Sed etiam et pascere primus est iussus oves totius catholicae Ecclesiae (πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας), cum Dominus dicit: Petre, amas me? Pasce oves meas.“ I o a n n e s D a m a s c e n u s, quem Graeci theologiae magistrum habent, de Petri primatu generatim loquendo dixit [4], „Petrum . . . tamquam antistitem et totius Ecclesiae gubernacula suscepturum (ὡς πρόεδρον καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας δεξόμενον τὰ πηδάλια)“ a Christo assumptum esse, ut suae transfigurationi interesset. Ac rursus Petrum sic alloquitur [5]: „Si in monte Tabor mansissetis, o Petre, pollicitatio tibi facta exitum non habuisset. Non enim regni claviger (κλειδοῦχος τῆς βασιλείας) exstitisses. . . . Dominus non tabernaculorum, sed Ecclesiae toto mundo diffusae moderatorem te constituit (ἐκκλησίας παγκοσμίου κατέστησέ σε κοσμήτορα).“ Appellat insuper [6] Petrum „coryphaeum apostolorum, primum fundamentum, infractam petram, scopulum proeminentem Ecclesiae, portum tranquillum, turrim minime labantem.“

Ex *syris* scriptoribus E p h r a e m dum explicat Mt 11, 1 sqq, Ioannem Baptistam discipulos suos legatos ad Christum misisse dicit, ut eos Christi curae commendaret [7]: „Sed Ioannes, inquit, cum videret cursum vitae suae consummatum esse, gregem suum [i. e. discipulos suos] principi pastorum tradidit, sicut et Dominus mortis suae tempore *gregem suum*, ut pastoralem curam, quam de eo gereret, demonstraret, pastorum presbytero Petro tradidit, cuius os confessum erat, cuius lacrimae sponsionem fecerant. Antequam Dominus sponsionem accepisset, ne paucas quidem oves ei tradidit, et tres partes confessionis, quas Petrus dabat, tamquam fida pignora accepit pro tribus partibus gregis, quas ei tradebat.“ S. Abrahamum Kidunaya inter alia ita laudat [8]: „Zelo imitatus es Simonem, cui Dominus commisit gregem suum (ענא): oves, agnos et oviculas (ערבא ואמרא ורחלתא); amor tuus agnos

---

[1] MG XL 282. [2] Oratio de div. caritate (MG LXXXII 1508).

[3] H a r d u i n III 713 A. M a n s i X 894 D.

[4] Hom. in transfig. n. 9 (MG XCVI 560). [5] Ibid. n. 16 (ib. 569).

[6] Sacra parallela Lit. M. tit. 2 (MG XCVI 136).

[7] Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo doctore syro. Ed. I. B. A u c h e r et G. M o e s i n g e r, Venet. 1876, 101.

[8] Hymn. 5 de Abr. Kid. str. 13 (L a m y III 784).

pascebat, castimonia tua agnas." In liturgia Syrorum, ut refert Ios. David[1], in hora prima officii ss. apostolorum de Petro haec dicuntur: „Ei dixit Dominus: pasce oviculas gregis mei, pasce agnos meos, pasce oves meas, pasce eos in pratis fidei." Ac in secundo nocturno officii feriae 6 inducitur Christus Petro dicens: „Pasce agnellos meos, agnos meos et oves meas, in die autem, quo venero cum angelis meis, a manibus tuis repetam gregem, quem tibi tradidi."

Ex *Armenis* vero illud saltem afferemus, quod legitur in sermone de apostolis, qui inter Elisaei solitarii opera exstat. „Quia igitur", sic saeculi V ille scriptor ait, „quia igitur unus est grex et unus pastor et una pascua et unum ovile ad requiescendum pro omnibus, propterea ibi sunt et agni et oves et tota multitudo, quam gregem vocavit, et praesertim *apostoli ipsi, quos Petro tradiderat* quique cooperatores erant eius praedicationis. Hi omnes agni sunt sancti et divini."[2]

Ex latinis Patribus Cyprianus[3]: „Petrus, inquit, cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit Ecclesiam, aurum quidem sibi esse et argentum negat." Ambrosius vero ait[4]: „Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui velut vicarium relinquebat.... Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.... Tertio Dominus non iam ‚diligis me?' sed ‚amas me?' interrogavit, et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret." Atque rursum dicit[5]: „Ideo commisit et Christus Petro, ut pasceret gregem suum." Augustinus scribit[6]: „Merito etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter discipulos solus meruit pascere dominicas oves; sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur; et Petro *primitus,* quia in apostolis Petrus est primus." Alibi cur ab Ecclesia recedere non liceat explicans[7], „tenet me [in Ecclesia] ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum". Leo M. vero dicit[8]: „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Christus"; hincque ulterius de Petro affirmat[9], eum a Christo „totius Ecclesiae principem" constitutum esse. Eodem saeculo Chrysologus de Christo[10]: „Oves suas Petro vice sua ut pasceret . . . commendat." S. Maximus Taurinensis[11]: „Fidelior enim, inquit, factus est [Petrus], postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo maiorem gra-

---

[1] Ecclesiae syr.-chald. traditio 7 sqq.
[2] Citatur a P. Vetter apud J. Nirschl 260; v. supra p. 152.
[3] De habitu virg. 10 (Hartel 194).
[4] In Luc. l. 10, n. 175 (ML XV 1848).
[5] In Ps. 118, expos.; Serm. 13, n. 3 (ML XV 1380); cf. supra p. 131.
[6] Serm. 295, n. 4 (ML XXXVIII 1350).
[7] Contra ep. Manich. fundamenti c. 4, § 5 (ML XLII 175).
[8] Serm. 4, de assumpt. sua c. 2 (ML LIV 149). [9] Ibid. c. 4 (ib. 152).
[10] Serm. 6 (ML LII 202).
[11] Hom. 54 (ML LVII 333); cf. Hom. 68 (ib. 394); De capit. evang. (ib. 830).

tiam reperit quam amisit; tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus [al. lectio: hominibus] firmamentum, et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret." Denique eodem pariter saeculo Arnobius iunior de Petro haec scripsit[1]: „Est episcoporum episcopus, et maior gradus redditur ploranti, quam sublatus est deneganti. Quod ut doceam, illud ostendo, quod nullus apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: *ego sum pastor bonus*.... Hoc ergo nomen sanctum et ipsius nominis *potestatem* post resurrectionem suam Petro poenitenti concessit." Arator[2] vero poetice enarrans locum Act 1, 15 atque dignitatem Petri propriam describens ait: „Primus apostolico parva de puppe vocatus Agmine Petrus erat ... cui tradidit agnus Quas passus salvavit oves, totumque per orbem Hoc auget pastore gregem. Quo munere summus Surgit et insinuans divina negotia coram Sic venerandus ait: ..." Invocans sanctos omnes, ut intercedant pro africana sua patria a vandalis afflicta, Victor Vitensis postquam ad patriarchas et prophetas preces direxit, convertitur ad apostolos, quos dum singulos enumerat incipit[3]: „Praecipue tu, Petre beate, quare siles pro ovibus et agnis a communi Domino magna tibi cautela et sollicitudine commendatis?"

Ex quibus profecto satis apparet, Patres primatum Petro Io 21, 15—17 collatum vere agnovisse[4]. Unde quando illa Christi verba de aliis apostolis horumque successoribus nonnumquam interpretati sunt, id salvo Petri primatu fecerunt. Cum enim reliqui quoque apostoli Christi oves pascerent, quamquam non singuli *totum gregem*, utique et ipsi dicendi sunt veri ovium pastores; ideoque verborum Io 21, 15 sqq sensus, qui directe ad Petrum solum referendus est, etiam ad reliquos apostolos aliosque christianorum pastores quadam extensione analogiae ope transferri potuit[5]. Atque hac tantum ratione illos Patres intelligendos esse inde patet, quod nonnumquam ulterius progressi illa verba etiam in simplices presbyteros et abbates aliosque praepositos accommodant, quos tamen nullatenus dici possunt illi Patres cum episcopis ratione originis divinae et amplitudinis iurisdictionis comparare voluisse. Ita v. g. Basilius volens probare, praepositum monasterii personam Iesu Christi sustinere, affert[6] eius verba: *pasce oves meas*, dicitque etiam „omnibus futuris pastoribus ac magistris eandem potestatem (ἴσην ἐξουσίαν)" tributam esse, quia illi omnes simili modo (ὁμοίως) ligent ac solvant. Quin-

[1] In Ps. 138 (ML LIII 545).

[2] De act. apost. l. 1, v. 69 sq 79 sq (ML LVIII 97).

[3] De persecut. Vandal. 5, 20 (ML LVIII 258); in editione a Petschenig, Vindob. 1881, adornata idem locus invenitur l. 3, c. 69, p. 106.

[4] Verum est, quod Langen (I 84) dicit, Patres istum locum non ita interpretatos esse, ut docerent, Petrum solum esse a Deo immediate constitutum in Ecclesia pastorem, qui deinde alios pastores tamquam vicarios suos mitteret. At quis defensorum primatus Petri eiusmodi rem umquam docuit?

[5] Hoc sane sensu locutus est etiam in congregatione generali 18 ian. 1563 concilii Trid. episcopus Vaurensis, cum, ut legitur apud Aug. Theiner (Acta genuina ss. oecumenici concilii Tridentini II, Zagrabiae in Croatia 1874, 229), dis putans, „quo iure sit residentia" episcoporum, diceret: „Licet *soli* Petro dictum sit pasce oves meas, id fuit, ut *unitatem* ostenderet: *sed in persona Petri* dixit omnibus curam animarum habentibus." Unde haec verba nullatenus, ut Langen (IV 12) putat, Petri primatui officiunt.

[6] Constit. monast. c. 22, n. 5 (MG XXXI 1410).

immo S. Chrysostomus in concione ait[1], verba *pasce oves meas* dicta esse non tantum ad sacerdotes, sed „ad nostrum singulos, quibus vel minimus grex commissus sit", scil. ad patres et matres familias.

At, inquiunt[2], Isidorus Hispalensis († 636), cuius sententia eo maioris momenti est, quod non sua, sed probatissimorum Patrum iudicia proferat, definite ac clare docet, Petrum inter apostolos fuisse primum tantum inter pares. Sed ut erronee haec asseri pateat, ipsum illum, qui contra nos affertur, locum *integrum* hic ponimus. Qui hic est[3]: „Quod de parilitate agitur apostolorum, Petrus praeeminet ceteris, quia a Domino audire meruit: ‚Tu vocaberis Cephas'; ‚Tu es Petrus' et cetera, et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei et Virginis filio honorem pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est: ‚Pasce agnos meos' (Io 21, 15), agnorum nomine *ecclesiarum praelatos notans.* Cuius dignitas potestatis, etsi ad omnes catholicorum episcopos est transfusa, *specialius* tamen romano antistiti *singulari quodam privilegio* veluti *capiti,* ceteris membris *celsior* permanet in aeternum. Qui igitur debitam ei non *exhibet reverenter oboedientiam,* a *capite* seiunctus, acephalorum schismati se reddit obnoxium: *quod sicut illud s. Athanasii de fide sanctae trinitatis sancta Ecclesia approbat et custodit, quasi sit fidei catholicae articulus:* quod nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit." Quae sane Petrum primum modo inter pares ab Isidoro habitum non esse clare exprimunt. Quare quos alios istius Patris locos Langen affert, eos hic eo magis negligere licet, quod alibi eos tractandi occasio melior erit. Nec opus est demonstrare, alios medii aevi scriptores, qui illa verba de munere pastoris generatim interdum interpretati sunt, ideo Petrum tamquam supremum totius Ecclesiae pastorem non agnovisse, cum eorum plerique hanc agnitionem diserte affirment, ut videre est apud ipsum Langen[4].

Neque obest, quod nonnulli Patres varie exponunt, quinam intelligendi sint nomine *agnorum* et *ovium;* utcumque enim hac de re sentiunt, in hoc tamen omnes conveniunt, *totum* Christi gregem Petro creditum et commendatum esse.

Quod autem Cyrillus Alex. scripsit[5]: „Ex eo, quod Dominus dicit: *pasce agnos meos,* traditi iam ei apostolatus renovatio quaedam esse censetur, quae delictorum subinde solvit infamiam et infirmitatis delet angustias", nihil aliud monstrat, quam Cyrillum hunc Ioannis locum aut hic noluisse ad literam dogmatice interpretari eiusque sensum dogmaticum *integrum proferre,* aut non recte exposuisse, minime vero, eum non credidisse, Petrum revera non fuisse supremum totius Ecclesiae pastorem, eoque minus quidem, quod idem Pater paulo ante locum laudatum Petrum ceterorum apostolorum caput et principem (τῶν ἄλλων ὁ κορυφαῖος καὶ τῶν ἄλλων προτεταγμένος) nominavit[6].

4. Patres denique variis modis ita de Petro loquuntur, ut totius Ecclesiae primatem eum ab ipsis agnosci clare pateat. Nam

a) prae ceteris omnibus apostolis *Petrum iis nominibus distinguunt,* quibus eius praeeminentia atque super ipsos etiam apostolos potestas

---

[1] Hom. 77 in Matth. n. 6 (MG LVIII 709).

[2] Ita Langen I 85 sq in nota.

[3] Ep. 8, n. 2 3 (ML LXXXIII 908).

[4] L. c. II 75 sqq.

[5] In Ioan. 21, 15—17, l. 12 (MG LXXIV 751): *Διὰ τοῦ φάναι τὸν κύριον· Βόσκε τὰ ἀρνία μου, ἀνανέωσις ὥσπερ τις τῆς ἤδη δοθείσης ἀποστολῆς αὐτῷ γενέσθαι νοεῖται τὸν μεταξὺ λύουσα τῶν πταισμάτων ὀνειδισμὸν, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας μικροψυχίαν ἐξαφανίζουσα.*

[6] MG LXXIV 748.

exprimitur[1]. Quo in genere illud primum occurrit, quod principis vel capitis apostolorum (*κορυφαίου τῶν ἀποστόλων*) nomen frequentissime ei inditur.

Atque apud Graecos *κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων* Petrum nominasse iam videtur Origenes loco p. 146, nota 4 notato. Eusebii vero tempore adeo sollemne hoc nomen videtur fuisse, ut tacito etiam Petri nomine vox coryphaei apostolorum ad eum designandum sufficeret (cf. p. 146, nota 6). Similiter Chrysostomus (In 1 Cor hom. 4, n. 4: MG LXI 36) interrogat: „Quid igitur ille [evangelista] de illis [apostolis] dicit? Quod Christo comprehenso post innumera edita miracula alii fugerint, qui autem permansit apud illum, quamquam coryphaeus esset aliorum (*ὁ δὲ μείνας κορυφαῖος ὢν τῶν ἄλλων*), ipsum negaverit.“ Similiter ib. hom. 21, n. 2; hom. 38, n. 4 (l. c. 172 327). Praeterea Chrysostomus de Petro coryphaeo loquitur tum locis supra notatis p. 147, nota 4 5, tum v. g. In Ps. 129, n. 2 (ib. LV 375), In Matth. hom. 54 (al. 55), n. 1 (ib. LVIII 533), In Ioan. hom. 73, n. 1 (ib. LIX 396); In Act. apost. hom. 22, n. 1 (ib. LX 171); In Rom. hom. 29, n. 5 (ib. 660). Idem vero In 1 Thess c. 5, hom. 9, n. 1 (ib. LXII 447) dicit: „Hoc [scil. verba Christi Act 1, 7] audivit cum *suis* Petrus apostolorum coryphaeus (*οἱ περὶ Πέτρον τὸν κορυφαῖον*, i. e. apostoli). Praeterea locutio *Πέτρος ὁ κορυφαῖος* invenitur apud Athanasium, In Ps. 15 (ib. XXVII 105). Nilus et Macarius Magnes vocabulum *κορυφή* ut eum inter apostolos distinguant, adhibent (p. 147, nota 11; p. 148, nota 4). Coryphaei apostolorum nomine utuntur Isidorus Pelusiota, Didymus Alexandrinus, Theodoretus (supra p. 170, nota 1 2; p. 161, nota 3), Macarius Aegyptius (De patientia et discretione c. 3: MG XXXIV 868), Cyrillus Alexandrinus (In Luc. 22, 31: ib. LXXII 916), Sozomenus (Hist. eccl. 6, 4); Epiphanio vero Petrus est *κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων* (supra p. 166), quod nomen etiam in liturgia graeca occurrit (p. 154, nota 8). A Cyrillo etiam Hierosolymitano appellatur *Πέτρος ὁ κορυφαιότατος καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων* (Cat. 2, 19: ib. XXXIII 408).

Eodem sensu Petrus dicitur *προκεκριμένος* (*πρόκριτος, προκριθεὶς*) *τῶν ἀποστόλων* ab Eusebio, Cyrillo Alex., Basilio (p. 146, nota 5; p. 148, nota 3). *Πρόκριτος τῶν ἀποστόλων* vocatur a Petro Alex. (Canones de poenit. c. 13), Pitra, Iuris eccles. graecorum hist. et monumenta I, Romae 1864, 559); *πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων* a Cyrillo Hierosolym. (supra p. 170); *πρῶτος τῶν μαθητῶν* a Theodoreto (supra p. 167) et Chrysostomo, De eleemos. hom. 3, n. 4: MG XLIX 298); *μαθητῶν ἄκρος* a Gregorio Naz. (supra p. 147, nota 3); *κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων* a Gregorio Nyss. (p. 146, nota 7), apud quem etiam nominatur *ὁ μὲν πρωτοστάτης καὶ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς χορείας ἀναδειχθείς* (Laudatio 2 in S. Stephanum: MG XLVI 735 sq). „Magnus“ Petrus emphatice nominatur ab Eusebio et Theodoreto (p. 146 31 131), quod cognomen etiam invenitur iam apud Methodium Olympi episcopum in libro De ciborum delectu c. 6, n. 3 (ed. Bonwetsch, Erlangen u. Leipzig 1891, 296).

Similiter apud Syros Petrus vocatur caput discipulorum (risha d'talmîdê), caput apostolorum (risha d'shelîchê) iam apud Aphraatem et Ephraem (p. 149 sq). Eodem modo alibi Ephraem loquitur v. g. in evangelii concordantis expositione (ed. Moesinger 237): „Princeps discipulorum afflictus est et tentatus, ut medicus fieret vulneratorum“ (cf. ib. 267). Petrus princeps apostolorum etiam dicitur a Rabula in epistula ad Gemellinum (Ausgew. Schriften der syr. Kirchenväter . . ., übersetzt von G. Bickell, Kempten 1874, 255), in antiquissimo martyrologio syriaco, quod exstat in codice anno 412 p. Chr. scripto (Acta Sanct. Bolland. Nov. II LII), a Salomone Bassorensi (The Book of the Bee c. 48 50, ed. Budge, Oxford 1886, p. 104 115) etc. Adeo frequenter autem apud Syros Petrus nomine principis vel capitis apostolorum in liturgia et alias nominatur, ut de hoc nomine dicat Khayyath (l. c. 2): „Quae appellatio vulgatissima est in ore Arabum et apud scriptores ubique mohammedanos ipsos iam inde ab initio nestorianis familiarissimos, quibus sollemne

[1] Cf. Th. Raynaud, Corona aurea supra mythram Rom. Pontif.: Opera X, Lugd. 1665, 3 sq; Mamachi V 1, l. 4, c. 3, p. 531—540; Schrader, De unitate Rom. l. 1, n. 203, p. 166—168.

est, ut Simonem Kepam (rarius Petrum) nominantes, vel in ipsis pedestribus sermonibus duo scrupulose caveant: nempe ne sine addito dignitatis, h. e. principis apostolorum, neve sine clausula illa reverentiae et cultus religiosi tessera ‚Cui pax' pronuntient, ut dicant nimirum: ‚Simon Kepa, princeps apostolorum, cui pax.'" Similiter „nomen armenum *Arakelabed*, quod significat ‚caput apostolorum', unice et perpetuo b. Petro reservatum est, ita ut nemini alii tribuatur, et per nomen istud sine alio additamento b. Petrus intelligatur" [1].

Apud Latinos Petrus dicitur „dux et princeps apostolorum" saec. III ab auctore libri De rebaptismate c. 9 (inter Opera Cypriani, ed. Hartel, App. p. 80). „Capitis apostolorum" appellatio occurrit apud Optatum (De schism. Donat. 2, 2: ML XI 947), apud Hieronymum (p. 152, nota 11). „Princeps apostolatus" Petrus est Hilario (In Matth. c. 7, n. 6: ib. IX 956), „princeps apostolorum" Hieronymo, Cassiano (p. 153, nota 9), Salviano (De gubernat. Dei 6, c. 1: ib. LIII 108), „primus apostolorum" Augustino (supra p. 153, nota 9) et Ambrosiastro (In 1 Cor c. 9: ib. XVII 229), qui etiam In 2 Cor c. 11 (ib. 320) scribit: „Vide, an conveniat accusare Petrum apostolum, qui primus inter apostolos est, quanto magis inter ceteros?" et In 2 Cor c. 12 (ib. 205): „Prior secutus est Andreas salvatorem quam Petrus, et tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus." Apud Paulinum legimus (Poema 15, v. 260: ib. LXI 474): „Bisseno sublimis in agmine discipulorum Petrus." A Cassiano autem nominatur (supra p. 174) „summus ille et inter discipulos discipulus et inter magistros magister"; a Prudentio (Adv. Symmachum 2, prooem. v. 2) „summus discipulus Dei".

b) Petrum *alterum Moysen* Patres appellant, similique ratione se habuisse Moysen ad synagogam ac Petrum ad Christi Ecclesiam significant [2].

Qua in re notum est, in romanis coemeteriis subterraneis imagines esse repertas auri tenuissimis lamellis expressas et in fundis vitreorum vasorum miro artificio inclusas, quae cum Moysen e petra virga percussa aquam elicientem repraesentent (cf. 1 Cor 10, 4), Moysis tamen figurae ascriptum habent Petri nomen [3]. Unde Moysis sub imagine Petrum repraesentari ac Moysen symbolum ac figuram considerari Petri evidens est. Imagines illas aureas vitro inclusas ex saec. IV esse censent viri docti. In vico Podgoritza vitrea scutella inventa est, in qua Petrus apposito nomine signatus, loco rupis arborem percutit, ex eaque fontem elicit [4]. Accedit, quod etiam in sarcophagis imago Moysis petram percutientis in iis adiunctis figuratur, ut Petrus illa significari videatur. Atque clare etiam scriptores ecclesiastici Petrum novi foederis Moysen esse innuunt. Sic Maximus Taurinensis pie meditatus de duabus naviculis (Lc 5, 2), ex quibus unam, quae Petri est, conscendit Christus altera relicta, hanc alteram synagogam esse interpretatur [5]: „Ergo Petri, inquit, navem elegit, Moysi deserit, hoc est spernit synagogam perfidam, fidelem assumit Ecclesiam. Duae enim quasi naviculae a Deo destinatae sunt, quae in

[1] Azarian, Ecclesiae armenae trad. 36.
[2] Cf. Stimmen aus Maria-Laach LX (1901) 237 sq.
[3] Cf. De Rossi, Bullettino di archeologia cristiana VI, Roma 1868, 1–6.
[4] Id., Bullettino 1877, 77. [5] Serm. 94 (ML LVII 721).

hoc tamquam mari mundo salutem hominibus piscarentur." Maximo igitur synagoga Moysis, Ecclesia Petri navis est. Augustinum etiam, nisi cum Maximo hac in re eiusdem fere sententiae fuisset, scribere non potuisse censemus haec[1]: „Quid igitur incongruum, si Petrus post hoc peccatum (servi percussi: Mt 26, 51) factus est *pastor Ecclesiae*, sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est *rector* illius *synagogae*", licet particula „sicut" propter loci illius contextum urgeri non debeat. Clarius Macarius Aegyptius demonstrans in foedere et vetere et novo multa piis omnibus toleranda fuisse a commemoratis veteris foederis exemplis ad novum foedus hac sententia transit[2]: „Moysen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est (*λοιπὸν Πέτρος Μωσέα διεδέξατο, τὴν καινὴν ἐκκλησίαν Χριστοῦ καὶ τὴν ἀληθινὴν ἱερωσύνην ἐγχειρισθείς*)." Saepius Ephraem Syrus eandem imaginem usurpat. Sic v. g. commentatus de Moysis et Eliae in transfiguratione Domini apparitione dicit[3]: „Videbant tunc principes (*ἀρχηγοί*) antiqui foederis Novi Testamenti principes (*ἀρχηγούς*). Conspiciebat Moyses ille sanctus Simonem sanctificatum. Conspiciebat procurator Patris procuratorem filii (*ἴδεν ὁ οἰκονόμος τοῦ Πατρὸς τὸν ἐπίτροπον τοῦ υἱοῦ*). Divisit iste mare, ut ambularet populus in medio undarum. Ille vero erexit tabernaculum, ut aedificaret Ecclesiam. Conspiciebat porro ille qui erat virgo antiqui foederis virginem novi: Elias Ioannem" etc. Alibi sacerdotium et prophetiam divinitus instituta, quam acceperit Simeon senex (Lc 2, 28) a Moyse, Christum puerum in Simeonis ulnis reclinantem ab hoc accepisse et in Petrum transtulisse dicit (cf. supra p. 172). Nerses etiam presbyter et doctor nestorianus, lingua orientis et cithara Spiritus Sancti a suis dictus, ita Moysen et Petrum inter se opponit[4]: „Moyses clamat: pavore ac timore sunt plenae cogitationes meae, et Simon annuntiat spem, amorem, fidem. Moyses scidit vestem, quam sponsus miserat sponsae, et Simon induit Ecclesiam gentium stola gloriae. Simon resonare fecit strepitum novum in terra Romae et docuit illos [Romanos] viam dominationis unius creatoris. Princeps discipulorum in sortem habuit matrem urbium, et ceu in capite plantavit in illa oculos fidei."

c) Non minoris momenti est, quod *totam Ecclesiam Petro commissam esse* Patres asserant.

Iam audivimus, ex Chrysostomi sententia totius orbis fratrumque omnium Petrum praefectum et doctorem esse eique universalis Ecclesiae curam commissam (supra p. 178), item Nilum abbatem totius orbis terrarum pastorem Petrum dicere similique modo loqui Damascenum (supra p. 179), cum Macarius Aegyptius nulla restrictione addita „Ecclesiam" Petro in manus traditam esse dicat (supra hac pag.). Similiter Origenes vel alius vetus exegeta dum commentatur de verbis: vir sapiens iudicat gentes (*ἀνὴρ σοφὸς κρίνει ἔθνη*: Prv 29, 9 sec. LXX), sic dicit: „Virum autem hic iudicantem gentes Petrum dicit, qui mundum universum docuit Christi fidem ac religionem (*τὸν Πέτρον φησὶ, τὸν τὴν οἰκουμένην διδάξαντα τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καὶ εὐσέβειαν*) et Paulum et reliquos per tempora magistros" (MG XVII 248). Chrysostomus alio loco: „Petrus . . ., qui sagenam misit in mare et piscatus est orbem: *ὁ σαγηνεύσας τὴν θάλασσαν καὶ ἁλιεύσας τὴν οἰκουμένην*" (in illud: Vidi Dominum n. 3: MG LVI 123), et In Matth. hom. 56 (al. 57), n. 2 (ib. LVIII 551) Petro conversionem totius orbis ascribit (*τὴν οἰκουμένην μετέστησεν ἅπασαν*). Stephanus Laris-

[1] Contra Faustum Man. l. 22, c. 70 (ML XLII 445).

[2] Hom. 26, n. 23 (MG XXXIV 689).

[3] Serm. de transfig.: S. Ephraem Syrus graece e codicibus Bodleianis, Oxon. 1708, 249. — Exstat huius sermonis versio et graeca et armena, textus vero primigenii syriaci laciniae tantum ad nos pervenerunt in Breviario Maronitarum, ubi hic sermo diserte tribuitur Ephraemo (cf. Zingerle, Ausgewählte Schriften des hl. Ephräm von Syrien I, Kempten 1870, 231). Graece sermo iste versus videtur post concilium Chalcedonense, cum formula *ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως* in eo occurrat.

[4] Serm. de Pentec., apud Khayyath 8.

sensis episcopus scribens Bonifatio II Rom. Pontifici (530—532) utitur locutione: „Pater et doctor sanctae Ecclesiae Petrus vestrae et totius mundi“ (ML LXV 34). „Princeps Ecclesiae“ a Prospero Aquitano in libro sententiarum ex Augustino n. 363 (ib. LI 486) nominatur Petrus. Maximus Taurinensis sic ait: „Quantum igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium totius Ecclesiae gubernacula traderentur“ (Hom. 70: ib. LVII 399). Ambrosiaster (In Gal. 1, 18: ib. XVII 344): „Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum; quia primus erat nter apostolos, cui delegaverat Salvator curam ecclesiarum.“ Ipse Ambrosius praepositum et pastorem Ecclesiae eum vocat (supra p. 131).

Iam ex allatis hactenus antiquitatis christianae testimoniis sequitur, verissima esse, quae Philippus, Rom. Pontificis legatus, in concilio Ephesino (Act. III) concilio nullatenus reclamante, dixit[1]: „Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum a D. N. I. Christo ... claves regni accepit.“ Patet etiam, vere scripsisse S. Leonem Magnum: „Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret.“

Obiciuntur multa Patrum effata, quibus vel *apostolos omnes inter se aequales fuisse* affirmare videntur, vel certos apostolos adeo extollunt, ut in aequali vel inferiore ordine voluisse Petrum ponere existimari possint. Sed revera hos Patres nobis contrarios non esse ante omnia iam ex iis, quae hactenus diximus, constare debet. Si enim quinam sint illi Patres thesi nostrae contrarii quaesieris, nominabuntur tibi v. g. Chrysostomus, Origenes, Ephraem, Maximus, Theodoretus, ex ipsis Romanis Pontificibus aliqui; verbo nominantur illi, quos Petri prae ceteris apostolis praerogativam agnovisse disertis eorum testimoniis indubie constat. Hos autem quis sibi persuadeat, cum de aequalitate aliqua apostolorum locuti sint, contra se ipsos dixisse ac inter se pugnantia statuisse? Deinde via etiam ac ratio, qua concilientur illa effata ad speciem inter se contraria, aperta ac facilis est. Revera enim pares apostoli inter se dici possunt, si considerantur praecise, in quantum apostoli sunt, seu si agitur de iis praerogativis, quae vi ipsius apostolatus omnibus apostolis aequaliter a Christo collati, in apostolis erant. Hoc igitur modo Patres illos intelligendos esse patet inspicienti singula quae nobis obiciuntur testimonia.

Provocant scil. I ad S. Cyprianum haec scribentem: „Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus pari consortio praediti et honoris et potestatis.“[2] Quod Cypriani dictum multi postea Patres suum fecerunt.

---

[1] *Οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστι, μᾶλλον δὲ πᾶσι τοῖς αἰῶσιν ἐγνώσθη, ὅτι ὁ ἅγιος καὶ μακαριώτατος Πέτρος, ὁ ἔξαρχος καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων, ὁ κίων τῆς πίστεως, ὁ θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ... τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας ἐδέξατο καὶ αὐτῷ δέδοται ἐξουσία τοῦ δεσμεῖν καί λύειν ἁμαρτίας· ὅστις ἕως τοῦ νῦν καὶ ἀεὶ ἐν τοῖς αὐτοῦ διαδόχοις καὶ ζῇ καὶ δικάζει* (Labbe III 1163. Harduin I 1478B. Mansi IV 1295B).

[2] De unitate eccl. c. 4 (Hartel 213).

Sed quaenam S. Cypriani mens fuerit, ex oratione contexta tum praecedente tum subsequente manifestum est [1]. Illis enim verbis praemittit haec alia: „Hoc [scil. aberrare a veritate christiana!] eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magisterii coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum (Mt 16, 18 19): ‚Ego dico tibi' etc. Super unum aedificat Ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat (Io 20, 21—23): ‚Sicut misit me Pater, et ego mitto vos' etc., tamen ut *unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem* sua auctoritate disposuit." Subsequens autem Cypriani oratio est haec: „Sed exordium *ab unitate* proficiscitur, ut Ecclesia Christi *una* monstretur." [2]

Iam vero ex hac oratione contexta clarum est, 1. Cyprianum quod de Petri ceterorumque apostolorum aequalitate enuntiat, de potestate tantum apostolatus propria dicere. Paritatem enim potestatis probat ex loco Io 20, 21; hoc autem textu agitur de missione, qua duodecim discipuli apostoli, i. e. missi constituuntur, ac de potestate iis tamquam apostolis tradita. Deinde 2. Cyprianus hoc loco clare enuntiat S. Petri primatum. Super unum enim Petrum, non super duodecim apostolos ex eius sententia Ecclesia est aedificata; ex uno Petro, non a duodecim apostolis unitas Ecclesiae exordium sumit. Ergo Petro aliquid peculiare munus in sustinenda Ecclesia tribuit, quod ei cum nullo ex ceteris apostolis commune est. 3. Quodsi cur Cyprianus, de origine unitatis locutus, etiam ceterorum apostolorum mentionem fecerit, quaesieris, antequam respondeamus, duo praemittenda sunt. Quorum a) alterum hoc est, quod unitas Ecclesiae ex Cypriani mente efficitur regimine episcoporum. „Illi", scribit ad Puppianum [3], „sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et si qui cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando

---

[1] De Cypriani sententia cf. Card. Caietan, Opuscula omnia I, Lugd. 1558, tr. 3, p. 63b; Franzelin, De ecclesia 154 sq; Stimmen aus Maria-Laach LXV (1903) 498 sqq.

[2] Notum est, hunc Cypriani locum in antiquioribus editionibus aliquibus additionibus auctum legi, quas additiones ceterum iam legebat in textu Cypriani Pelagius II (579—590). In epistula ad episcopos Istriae enim (ML LXXII 713; Mon. Germ. Ep. II 448) ita ait: „Sed et beatus Cyprianus egregius martyr in libro quem de unitatis nomine titulavit, inter alia sic dicit: ‚Exordium ab unitate proficiscitur; *et primatus Petro datur*, ut una Christi Ecclesia *et cathedra* monstretur. *Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis unanimi consensione pascatur.*' Et post pauca: ‚Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? *Qui cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit* et resistit, in Ecclesia se esse confidit?'" Haec additamenta, Hartelianam editionem secuti omittenda ducimus. De codicibus manu scriptis, qui ea exhibent, vide pauca in editione Hartelii p. XI XLIII 212. Multo accuratius de iis tractat Chapman O. S. B. in Revue Bénédictine, Maredsoli 1902 et 1903, ubi rationibus valde probabilibus astruit, interpolationes istas, quae dicuntur, ab ipso Cypriano denuo librum suis edente additas esse. Ceterum sententia loci huius eadem manet sive demis sive adicis illa additamenta.

[3] Ep. 66, c. 8 (Hartel 733).

Ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata." Unde unitatem a Petro procedere Cypriano idem est, ac potestatem regendi Ecclesiae ab eo procedere. Deinde vero b) adverte, quid in libello De unitate Ecclesiae Cyprianus sibi probandum assumpserit. Contra novatianos enim et asseclas Felicissimi scribit, qui legitimis episcopis (Cornelio Romano et Cypriano Carthaginiensi) relictis, proprios sibi episcopos Novatianum Romae et Fortunatum Carthagine constituerant. Contra hos Cyprianus totus in eo est, ut ostendat, nullo modo fieri posse, ut pro arbitrio, legitimo episcopo superstite, novus episcopus constituatur. Solum enim Christum potestatem in Ecclesia dare posse, Christum autem instituisse Ecclesiam ita, ut in Petro fundetur atque omnis potestas ecclesiastica a Petro procedat. Quapropter extra series illas episcoporum a Petro procedentium alium episcopum constitui non posse. Quibus praemissis c) respondere ad id quod quaerebatur facile est. Cum enim principium ac fundamentum totius argumentationis cyprianicae in hoc positum sit, quod Petrus est exordium ac origo unitatis, necesse erat, hoc principium accurate efferre et contra obiectiones in tuto collocare. Contra hanc autem sententiam: omnem potestatem Ecclesiae a Petro procedere, obici statim poterat, saltem apostolos immediate a Christo potestatem suam accepisse, horum igitur potestatem a Petro non procedere. Unde limitibus aliquibus Cyprianus principium, e quo argumentatur, circumscribit, exceptis apostolis omnes alios in Ecclesia potestatem suam a Petro accepisse affirmando.

Obiciunt quidam, ex Cypriani sententia Petrum post ascensum Christi in coelum nihil potestatis prae ceteris apostolis habuisse. Hoc solo prae ceteris eum excellere, quod antea illud acceperit, quod postea cum omnibus communicandum erat. Cur autem Christus unum elegerit, cui ante ceteros potestatem ecclesiasticam conferret, rationem in eo fuisse, quod Christus unitatem Ecclesiae significare atque commendare voluerit. Electionem enim illius unius Ecclesiae unitatem quasi imagine quadam ante oculos ponere. Qua in re Petrum significare unitatem Ecclesiae concedimus, sed ita eam significat, ut simul per Petrum efficiatur ex eoque procedat. Quo posito facile ad obiectionem respondetur. Nam 1. Cyprianus romanam Ecclesiam vocat „Petri cathedram" et „Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est" [1]. Ergo a Petro *Romae constituto* unitas sacerdotalis exorta est, ergo etiam post ascensum Christi Petrus manet exordium unitatis et potestatis. 2. Etiam post ultimam ac definitivam illam constitutionem, quam Christus ante ascensum suum Ecclesiae dedit, eius unitatem ex uno procedere hacque ex uno processione effici ac creari Cyprianus sequente capite eiusdem libelli variis imaginibus propositis docet. „Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia. . . . Unum tamen caput est et origo una, et una mater. . . ." 3. Dicit

[1] Ep. 59, c. 14 (Hartel 683).

Cyprianus[1]: „Unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit." Itane loqui potuit de illo Christi actu, quo ex adversariorum sententia Petrum merum symbolum unitatis, non vero eius principium effectivum constituit? 4. Alibi[2] Cyprianus: „Petro, inquit, primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut solveretur (in terris), quod ille solvisset." Praeterea unam Ecclesiam a Christo Domino „super Petrum origine unitatis et ratione" fundatam testatur[3]. Iam vero si Ecclesia propter hanc sui principii unitatem una evasit, vera adunandi vis eidem principio, ideoque Petro primatus tribuitur.

Itaque a Cypriano omnes apostoli dicuntur pares, excepta tamen vi non solum repraesentandae, sed formandae atque efficiendae unitatis, quae uni Petro vindicatur; excepta igitur illa vi, quae ipsum Petri primatum constituit.

Atque similiter de potestate apostolatus, et hinc omnibus apostolis communi loquuntur illi alii Patres, qui utut Petri primatum diserte asserentes, interdum tamen dicunt, vel apostolatum esse fastigium dignitatum atque ceterarum radicem atque fundamentum, vel apostolorum curae gentes omnes totumque terrarum orbem fuisse commissum, vel apostolos esse iudices universales et rectores totius mundi, vel Petrum et Ioannem fuisse pares in honore ac dignitate, vel denique omnes apostolos pari honoris et potestatis consortio praeditos fuisse.

Sed opponit Gieseler[4] etiam alium Cypriani locum. In controversia scil. de baptismo haereticorum contra eos, qui contendebant, secundum veterem consuetudinem haereticos ad Ecclesiam redeuntes haud iterum baptizandos esse, Cyprianus scribit[5]: „Non est autem de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disputaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae, quam Paulus vindicabat, facile consensit (Gal 2, 14), documentum scil. nobis et concordiae et patientiae tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quae aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ista potius nostra ducamus."

At Cyprianum his verbis Petri primatum non negare patet primum ex eo, quod ut saepius ita etiam hic dicit, Ecclesiam super Petrum ut fundamentum aedificatam esse secundum Mt 16, 18, et insuper addit Petrum, certe non tempore, cum hoc non plane verum sit, sed ordine primum a Domino electum sive constitutum esse. Deinde verbis: „Nec Petrus . . . aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere", Cyprianus, commonstrans exemplum patientiae et humilitatis, qua Petrus Pauli ad-

[1] De unit. c. 4 (Hartel 213).
[2] Ep. 73, n. 7 (Hartel 783).
[3] Ep. 70, c. 3 (Hartel 769).
[4] Lehrbuch der Kirchengesch. I 1[4], 364.
[5] Ep. 71, c. 3 (Hartel 773).

monitionem passus est, videtur tacito nomine reprehendere Romanum Pontificem Stephanum [1], de quo in controversia de haereticorum baptismate, quamquam de eius auctoritate suprema litem non movebat, saepius conquestus est, quod primatu suo nimium confideret. Vituperat igitur *modum*, quo Stephanus sententiam suam pertinaciter, ut videbatur Cypriano, defendebat, ita ut sensus hic esse videatur: quamvis Petrus dicere potuisset, se primatum habere ac propterea nullius monitiones audire debere, Pauli tamen monentis sententiae, utpote rectae et legitimae, animo demisso et fraterno protinus assensit, ideoque etiam Stephanus, utut auctoritate suprema pollens et veterum consuetudini innitens, deberet tamen non pertinaciter in sua sententia perstare, sed ad alteram, utpote secundum Cyprianum, solam veram accedere [2]. Denique quae Cypriani de Petri primatu sententia fuerit, certius profecto perspicitur ex iis, quae ipse tranquillo, quam ex iis, quae commoto et irritato animo ea de re scripsit; iam vero, ut vidimus, in aliis libris, quos nullatenus contra Rom. Pontificem irritatus composuit, saepius sat aperte Petri primatum agnovit, in quaestione autem de haereticorum baptismo, id quod omnes concedunt, iusto plus vehementior et concitatior fuit. Itaque etiamsi verba huius loci non ea quam modo dedimus interpretatione accipienda essent, neutiquam tamen sequeretur, Cyprianum Petro primatum generatim denegasse.

Cypriani de Petri primatu sententiam alii Patres atque Pontifices etiam quidam Romani adeo presse secuti sunt, ut ipsa eius ex libro de unitate Ecclesiae verba transscriberent. Unde fit, ut horum Patrum de aequalitate apostolorum effata difficultatem movere non possint; quos enim Cyprianum secutos esse constat, non magis primatus Petri adversarios habere fas est ac ipsum Cyprianum. Immo adiumento esse hi Patres nobis possunt, ut recte etiam ipsum Cyprianum explicemus et vindicemus. Cum enim Patrum horum Cyprianum exscribentium de primatu Petri sententia plerumque aliis eorum effatis indubie constet, ita illos apostolorum omnium aequalitatem statuisse concedendum est, ut Petri praerogativis nihil derogaretur. Quodsi vero haec inter se ex Patrum sententia posse conciliari demonstratum est, nulla iam ratio est, cur Cyprianum, aequalitatem apostolorum affirmantem, Petro adversari putemus. Iam singula videamus [3].

Afferunt igitur contra nos v. g. haec Isidori Hispalensis verba [4]: „In Novo Testamento post Christum sacerdotalis ordo a Petro coepit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi; sic enim loquitur ad eum Dominus: tu es, inquit, Petrus et super hanc petram etc. Hic ergo ligandi solvendique pot-

[1] Maranus (Praef. ad Opera Cypriani n. 3: ML IV 23) cum multis aliis. Negat tamen, Stephanum hic respici, J. Ernst, Papst Stephan I. und der Ketzertaufstreit, Mainz 1905, 8.

[2] Ita Cyprianum intellexit etiam S. Aug., De bapt. c. Donat. 2, c. 1.

[3] Textus, quos proponemus, maiorem partem adeo facilem solutionem habent, ut eam expresse indicare ac vindicare vix videatur necessarium. Nihilominus cum ab adversariis hi textus nobis obiciantur, ab iis recensendis abstinere non possumus. Sumpsimus vero omnes hos Patrum locos ex Langen, Das Vatik. Dogma I 89 sqq.

[4] De eccl. off. l. 2, c. 5, n. 5 (ML LXXXIII 781).

estatem primus accepit primusque ad fidem populum virtute suae praedicationis adduxit: siquidem et ceteri apostoli cum Petro *pari consortio honoris et potestatis* effecti sunt, qui etiam in toto orbe dispersi evangelium praedicarunt. Quibusque decedentibus successerunt episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus apostolorum.“ Ad quae respondemus, nihil haec contra nos demonstrare. Nam 1. Isidorum Petri primatum agnoscere iam vidimus; 2. fluxerunt haec e Cypriano, Cypriani igitur sententia explicata etiam haec explicata sunt. — Pariter nihil nobis officere alium qui affertur Isidori hunc locum[1] manifestum est: „Hi fuerunt Christi discipuli, praedicatores fidei et doctores gentium, qui cum omnes unum sint, singuli tamen eorum propriis certisque locis in mundo ad praedicandum sortes proprias acceperunt.“ Quibus Isidorus addit, Petro obtigisse Romam, Andreae Achaiam etc., Paulo autem omnes gentes. Manifesto enim Isidorus hoc loco de apostolis agit ratione ipsorum *apostolatus*, respectu cuius ipsos omnes pares fuisse nemo negat; at ex hoc minime profecto consequitur, eos omnes ratione *regiminis* Ecclesiae pares fuisse.

Bedam vero agnovisse Petrum ut „primum tantum inter pares“ ex his eius verbis[2] concludit Langen[3]: „Quod Petro dictum est: *pasce oves meas*, omnibus utique dictum est. Hoc namque erant ceteri apostoli, quod fuit Petrus, sed primatus Petro datur, ut unitas Ecclesiae commendetur.“ Sed haec quid contra nos? Iterum enim haec e Cypriano hausta e Cypriano interpretanda sunt, ac praeterea Beda in homilia continuo subsequente haec dicit[4]: „Ideo beatus Petrus . . . *specialiter* claves regni coelorum et *principatum iudiciariae potestatis* accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia *quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant*, tales nec vinculis peccatorum absolvi nec ianuam possint regni coelestis ingredi.“ Si autem Beda Petrum primum tantum inter pares habuisset, num dicere potuisset, neminem e Christi fidelibus vel peccatorum remissionem vel vitam aeternam consequi, qui cum Petro in communione non sit eiusque fidem profiteatur?

Cypriani verbis etiam utitur Victor episcopus Carthaginiensis, dum ad Theodorum Romanum Pontificem († 649) scribit[5], beatissimos apostolos, qui „pari honoris et potestatis consortio praediti“ erant, populorum agmina convertisse ad Ecclesiam. Ex Victore eadem verba repetit spuria Athanasii ad Liberium epistula[6]. Frustra igitur adversarii ad haec provocant. Cypriani textum etiam respicere videntur Gelasius I, Pelagius I et II Romani Pontifices, de quibus vide infra Obi. III.

II. Obiciunt etiam Origenis quendam locum, qui sic se habet. „Quod autem respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus filius Dei vivi, si illud idem dicamus sicut Petrus, eo nobis per carnem et sanguinem non revelato, sed per lumen, quod a Patre coelesti cordibus nostris affulserit, fortasse fimus et ipsi id quod Petrus; nempe itidem ut ille fortunati praedicamur, propterea, quod haec etiam ad nos pervenerunt, quae causa illi fuerunt, cur beatus sit existimatus. . . . Quodsi . . . Petrus efficimur, dicatur et nobis a Verbo: tu es Petrus, et quae sequuntur. Petra enim est omnis discipulus Christi, de quo bibebant, qui bibebant de spiritali consequente petra, et super quamlibet eiusmodi petram aedificatur omnis sermo ecclesiasticus et vitae iuxta ipsum institutae ratio; unicuique enim perfecto habenti

---

[1] De ortu et obitu Patr. c. 81, n. 140 sq (ML LXXXIII 154).

[2] Hom. l. 2, hom. 15 (ML XCIV 218).

[3] L. c. 89 in nota. [4] Hom. 16 (ML XCIV 223).

[5] ML LXXX 637 et LXXXVII 88, ubi graeca epistulae illius versio totam illam phrasim Cyprianicam uno verbo *ὁμοτίμως* reddit.

[6] MG XXVIII 1467. Latine tantum exstat haec epistula.

congregationem sermonum, beatitudinem perficientium et operum et cogitationum inest Ecclesia a Deo aedificata. Si vero super unum illum solummodo Petrum totam Ecclesiam a Deo aedificari arbitraris, quid de Ioanne tonitrui filio et unoquoque apostolorum dixeris? Alioquin an audebimus dicere portas inferi speciatim adversus Petrum non praevalituras, praevalituras autem adversus reliquos apostolos et perfectos. . . ." [1]

Quam Origenis loci Mt 16, 18 explicationem episcopus anglicanus I. B. Lightfoot typum quendam ac exemplar dicit, ex quo quemadmodum Patres hunc locum intellexerint optime cognoscatur. Patres enim interpretari illum de Petri vel confessione vel fide vel fortitudine, aliis verbis de aliqua apostoli illius proprietate vel actione, quae occasione eventus Mt 16, 13 sqq narrati ita se ostenderit ac Domini promissionem provocaverit, ut ubicumque in aliis inventa fuerit eadem virtus, eandem promissionem annexam habeat. Animadvertendum autem est, Lightfoot ita loqui, ac si Patres omnes petram aut de Christo aut de fide interpretati sint, illa autem explicatio, quae petram de Petro intelligit, ipsi prorsus ignota sit [2].

Sed ad haec respondetur facillime. 1. *Typicam* non esse Origenis interpretationem allatis aliorum Patrum explicationibus sufficienter ostendimus. 2. Origenes non sensum literalem loci explicat, sed per allegoricam interpretationem more suo praecepta ex eo elicere studet ad morum informationem idonea. Unde „portas inferi" interpretatur peccata, claves regni coelorum virtutes, atque secundum eandem methodum petram dicit quemlibet fidelem, quatenus in fide et virtute perseverat; Ecclesia vero ei est congregatio cogitationum, verborum et operum sanctorum [3]. Origenem aliquando secutus est Ambrosius: „Qui carnem vicerit, Ecclesiae fundamentum est, si aequare Petrum non potest, imitari potest. . . . Magna autem Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis ipsis donavit. . . . Petra est Christus . . . , etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negavit, ut et ipse sit Petrus, quod

---

[1] Comment. in Matth. tom. 12, n. 10 sq (MG XIII 998). Cf. Comm. series in Matth. n. 149 (ib. 1791 b).

[2] Patristic interpretations of the earliest and last ages are mainly twofold: 1. The rock is Christ himself. . . . 2. The rock is connected with S. Peter, being either his confession or his faith or some other moral or spiritual qualification, *capable being shared by others*. . . . The most explicit declaration of it . . . is found in the typical passage of Origen comm. in Matth. tom. 12, § 10. This [Origenis interpretatio] with some modification is the universal interpretation of the fathers for many centuries with those few exceptions represented by S. Augustine's afterthoughts, who explain it of Christ the rock. The understand it to mean S. Peter's confession, or S. Peter's faith, or S. Peter's firmness. In other words it is some quality or action in the apostle at this crisis, which calls forth the Lord's promise, and to which the same promise attaches wherever it is found in others" (The apostolic fathers. Part I: S. Clement of Rome. A revised text, with introductions, notes, dissertations and translations. By the late J. B. Lightfoot. Vol. II, London 1890, 482 sqq). Refutat Lightfootum, cuius lucubratio post auctoris mortem imperfecta edita est, Cuthbert Butler O. S. B. in Dublin Review CXIII, London 1893, 505 sq.

[3] Franzelin 133. Huetius, Origeniana l. 2, q. 14 (MG XVII 1076).

de petra habeat soliditatem constantiae, fidei firmitatem. Enitere ergo, ut et tu petra sis." [1] Ceterorum Patrum Origenem vix quisquam secutus est, licet quidam [2] enarrantes Mt 16, 17 participes Petri beatitudinis dicant, qui Christum cum Petro confessi sint.

Putat Hagemann [3], Origenem ista non improprie intellexisse, sed ea scripsisse animo graviter offenso, eo quod tunc non solum ab episcopo Alexandrino, sed etiam a Pontifice Romano propter doctrinam damnatus et ex Ecclesia eiectus, se ipsum purgare atque ulcisci voluerit. Certe viri multa scientia clari ac celebres, si non simul sint sensu christiano vere humiles, facile quam gravissime commoventur, cum a supremis Ecclesiae magistris, scientia humana fortasse multo minore instructis propter ipsam doctrinam reprehenduntur atque damnantur. Ita sane iam Tertullianus aliique Origene priores ab Ecclesia misere defecerant, et post ipsum plerique haeretici eadem fere ratione defecerunt, reicientes iam multa, quae prius diserte defenderant. Unde tantum abest, ut ista Origenis irritati verba probent, a Patribus apostolos alios Petro pares habitos esse, ut indirecte saltem satis indicent, Origenis aequales in contraria sententia fuisse, cum alioquin ista polemica scribendi ratione Origenes vix opus habuisset. Etiamsi igitur daremus, hanc ultimam interpretationem esse admittendam, nihil ex isto Origenis loco contra Petri primatum confici potest. Origenem autem, cum tranquillo animo esset, Petri primatum agnovisse vidimus supra p. 145.

Cum porro S. Ambrosius ait [4]: „Hic [Petrus] ubi audivit: *vos autem quem me esse dicitis?* statim loci non immemor sui, primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis"; et rursus [5]: „Denique audi dicentem: *tibi dabo claves* ..., quod Petro dicitur, (ceteris) apostolis dicitur"; priore loco agit de Petri confessione, quam edidit, cum primatus ipsi nondum promissus, nedum collatus esset; quae autem illam confessionem subsecuta sint, satis indicat ibidem inquiens: „Hic est ergo Petrus, qui respondit prae ceteris, et ideo *fundamentum* dicitur." Altero autem loco Ambrosius impetit novatianos iisque commemorat, potestatem remittendi peccata ab Ecclesia non fuisse iniuria usurpatam, cum ei a Christo tum in Petro tum in reliquis apostolis fuerit collata.

III. Afferuntur porro aliqua Patrum effata, quibus apostolos omnes inter se pares fuisse dicunt, unde ab illis Patribus aut nullum aut honoris tantum primatum Petro concessum esse adversarii autumant. At illos Patres apostolos aequales inter se dixisse non alio sensu ac eo, quem supra (p. 62) declaravimus, post perpensa singula eorum effata patebit.

Ac revera paritatem illam, quam Patres apostolis tribuunt, Petri iurisdictionis primatum minime excludere iam ex eo patet, quod inter illos ab adversariis numerantur ipsi aliqui Pontifices Romani. Inter quos Gelasius I (492—496) allatis evangelii locis Mt 16, 18; Lc 22, 32; Io 21, 17 sic ait [6]: „Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti et beati apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio et una monstraretur compago corporis Christi,

---

[1] In Luc. c. 6, n. 95 97 (ML XV 1693 sq).

[2] Cyrill. Hier., Cat. 11, 3 (MG XXXIII 694); Epiph., Ancor. c. 2 (ibid. XLIII 20).

[3] Die römische Kirche, Freiburg 1864, 291 sqq.

[4] Serm. de incarn. c. 4, n. 32 (ML XVI 826).

[5] In Ps. 39, n. 37 (ML XIV 1057). [6] Tract. 2, n. 8 10 (Thiel 528 sq).

quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret et una esset Ecclesia. . . . Postremo aequum est, ut qui alios libenter et competenter vultis habere subiectos, cedatis et ipsi antiquo more maioribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere apostoli, paribus meritis *parique dignitate* suffulti. Cumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen *principem* esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima *primum* et *praecipuum* dirigeret Petrum." Sed quis affirmet, hisce verbis Petrum respectu apostolorum modo *primum inter pares* dictum esse a Gelasio, qui primatum Petri eiusque successorum saepissime extollit, et ea quidem ratione, ut sibi ceu Petri successori primatum plenissimae iurisdictionis in universam Ecclesiam tum verbis tum re ascripserit? Potuit sane omnes apostolos pares dignitate dicere respectu scil. apostolatus et sacerdotii, sed ideo eos non dixit pares *auctoritate.* In epistula, quam Vigilius (537 ad 555) tunc temporis nondum *legitimus* Pontifex Romanus, ad Eutherium (vel potius Profuturum) scripsit, haec habentur[1]: „Quoniam licet omnium apostolorum par esset *electio,* beato tamen Petro concessum est, ut *ceteris praeemineret;* unde et Cephas vocatur, quia *caput* est et *principium* omnium apostolorum." Sed mirum est, quod ad hunc locum provocant; tantum enim abest, ut probet, Petrum respectu reliquorum apostolorum primum tantum inter pares fuisse, ut contrarium clare demonstret. Quod ut evidentius appareat, addimus verba, quae Vigilius eodem loco continuo subdit: „Et quod in capite praecessit, in membris sequi necesse est. Quam ob rem sancta Romana Ecclesia *eius* [Petri] *merito* Domini voce consecrata et sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium ecclesiarum, ad quam tam summa episcoporum negotia et iudicia atque querelae, quam et maiores ecclesiarum quaestiones quasi ad caput semper referenda sunt. . . . Ipsa namque Ecclesia, quae prima est, ita reliquis ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis." Num igitur Vigilius, qui hunc Romanae Ecclesiae primatum plenae potestatis sive iurisdictionis ex Petri primatu repetit, Petro honoris tantum primatum ascribere voluisse censendus est?

Nec maioris momenti sunt haec Pelagii I (556—561) verba[2]: „Cum beatissimus Augustinus, dominicae sententiae memor, qua fundamentum Ecclesiae in apostolicis sedibus collocavit[3], in schismate esse dicat, quicumque se a *praesulis* earundem sedium auctoritate vel communione suspenderit; nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in pontificibus apostolicarum sedium est solidata radicibus: quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si *mei* inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, apostolicae sedis per successionem episcopatus praesenti tempore videtis consistere firmitatem?" Langen quidem Pelagium ista scribere non potuisse dicit, nisi de essentiali aequalitate apostolorum eorumque in episcopatu successorum ipsi persuasum fuisset; at non advertit, nomine „apostolicarum sedium" Pelagium hic intelligere sedem κατ' ἐξοχήν apostolicam solius successoris Petri, scil. Romanam. Num enim Pelagius censeri potest iudicasse, ex dominica sive Christi sententia totius Ecclesiae fundamentum positum esse in aliis etiam sedibus quam in illa sola, cuius heres est successor *Petri,* super *quem solum* Christus Ecclesiam fundavit? Reliqui enim apostoli non ab ipso Christo, sed a Paulo, et ut iam ostendimus, alio omnino sensu, quam a Christo Petrus, Ecclesiae fundamentum

---

[1] N. 7 (ML LXIX 19).

[2] Ep. 5 ad episc. Tusciae (ML LXIX 398).

[3] Haec sententia quibus S. Augustini locis contineatur, vide apud Schrader, De theologico testium fonte, Parisiis 1878, 210.

dicuntur [1]. Et num quis iure opinetur, Pelagium putasse, etiam eum, qui a communione sedis vel Antiochenae vel Hierosolymitanae deficeret, *eo ipso* ac semper esse hominem vere schismaticum, cum tamen procul dubio probe noverit, Antiochenam ipsam sedem plus semel iam schismaticam fuisse, et quamcumque aliam praeter Romanam posse pariter schismaticam fieri, ita ut tunc ad conservandam totius reliquae Ecclesiae communionem necesse sit, a communione illius sedis, utut apostolicae, omnino recedere? Ideo etiam Pelagius dicit „praesulem" et non praesules earundem sedium, et *de sola sui ipsius,* et non aliarum sedium apostolicarum praesulum mentione ad evitandum schisma necessaria inter sacra mysteria facienda loquitur. Reliquas igitur apostolicas Ecclesias totius Ecclesiae fundamentum tantum improprie et eatenus quidem, quatenus cum Romana Ecclesia coniunctae sunt, Pelagius dicere potuit et reapse dixit, si „apostolicarum sedium" nomine non sola Romana, id quod tamen omnino videtur, intelligenda foret. Ergo ista Pelagii verba Petri primatui iurisdictionis nullatenus repugnant, sed eum confirmant.

Prorsus autem idem dicendum est de his Leonis I verbis [2]: „Huius muneris (praedicandi evangelium) sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum *omnium summo principaliter* collocarit, et ab ipso quasi quodam *capite* dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate *corroborans,* ut illam nec humana temeritas posset appetere nec portae contra illam inferi praevalerent." Porro ait Leo [3]: „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, *omnes tamen proprie regat Petrus,* quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile . . . , huic viro consortium *potentiae* suae tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune ceteris

[1] Lucem his affundit fragmentum epistulae Pelagii I recentius inventum, quod integrum hic ponere iuvat: „Ioanni comiti Pelagius. Adeone te in summo sacerdotii gradu positum catholicae fefellit veritas matris, ut non statim schismaticum te conspiceres, cum a sedibus apostolicis recessisses? Adeone populis ad praedicandum positus non legeras super apostolorum principem a Christo Domino nostro Ecclesiam esse fundatam et ita fundatam, ut portae adversus ipsam inferi praevalere non possunt? Quod si legeras, ubinam praeter ipsum credebas esse Ecclesiam, *in quo uno omnes scil. apostolicae sedes sunt?* Quibus pariter sicut illi, qui claves acceperat, ligandi solvendique potestas indulta est? Sed ideo uni primum, quod daturus erat etiam omnibus dedit, ut secundum beati Cypriani martyris id ipsum exponentis sententiam una esse monstretur Ecclesia. Quo ergo tu, carissime iam in Christo, ab ista divisus errabas, vel quam salutis tuae tenebas spem?" (Ep. Pontif. Rom. ineditae, ed. S. Loewenfeld, Lipsiae 1885, 15.) — Cum epistula ad episcopum dirigatur, patet, falso eam in codice inscribi. Interpunctionem, qua Loewenfeld distinxerat sententiam paenultimam („Sed ideo ... Ecclesia") mutandam duximus. Mendose codex, in quo servatum est hoc fragmentum, in eadem sententia habet: „etiam *in* omnibus dedit" et supra sententia secunda loco verborum „ita fundatam" tradit: „ita fundamentum".

[2] Ep. 10, c. 1 (ML LIV 629). [3] Serm. 4, c. 2 (ML LIV 149).

voluit esse principibus [apostolis etc.], *numquam nisi per ipsum dedit,* quidquid aliis non negavit." Et paulo post de potestate ligandi et solvendi dicit Leo [1]: „Transivit quidem etiam in alios apostolos ius potestatis istius et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. *Petro* enim ideo hoc *singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur.* Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium." Alibi autem eadem fere repetens haec addit [2]: „Nec nimia est vel *severitas* vel remissio, ubi *nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligaverit aut solverit.*" Quae verba clarissime monstrant, Leonem Petro verum iurisdictionis primatum ascripsisse, alioquin quomodo v. g. dicere potuit, Petrum omnes populi Dei sacerdotes et pastores *proprie regere* tamquam Christi principaliter, vera utique *potestate,* regentis vicarium, et reliquos Ecclesiae principes omnia *per ipsum* Petrum tantum accipere? Hic sane Petrus non ut primus inter pares neque ut merus ecclesiasticorum negotiorum curator, qui reliquorum apostolorum vices ac personam agat, laudatur. Neque enim ullo verbo dicit Leo, id quod Langen affirmat, Petrum, cum claves regni coelorum acciperet, apostolorum personam gessisse, sed tantum docet, transisse etiam ad alios Ecclesiae praesules ius illius potestatis, ita tamen, ut Petrus cunctis illis rectoribus tamquam forma praepositus sit [3]. Accedit, quod alio loco Leo haec scribit [4]: „Haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quaedam *discretio potestatis;* et cum omnium par esset electio, *uni* tamen datum est, ut *ceteris praeemineret.* De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos *ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura confluereet,* et nihil usquam a suo capite dissideret." Quibus Leo inaequalitatem episcoporum ex inaequalitate apostolorum respectu Petri repetit, cum hic in sua sede cum eadem sua summa potestate semper permanere perhibeatur. Propter extraordinariam tamen et universalem singulorum apostolorum apostolatum eorumque sanctitatem aliaque Spiritus Sancti dona, quibus singuli apostoli ditati erant, illa inter ipsos potestatis discretio et inaequalitas in ipsorum vita externa sese vix manifestare vixque sentiri et animadverti potuit.

Ex graecis Patribus ad aequalitatem omnium apostolorum probandam praeter ea, quae iam vidimus, afferunt Theodoreti quendam locum, ubi dicit [5], montes sanctos, supra quos pietatis fundamenta Christus iecerit, esse apostolos, quodque in hanc rem affert Eph 2, 20; Gal 2, 9, et post haec addit, Dominum Petro dixisse: *tu es Petrus* etc. (Mt 16, 18) et insuper 5, 14 laudat. Sed iniuria Theodoretum in partes suas trahunt. Ex hoc enim, quod omnes apostoli fundamenta *pietatis* in Deum recte dicuntur, propter puram scil. evangelii praedicationem, profecto non sequitur, Theodoretum eos etiam auctoritate et iurisdictione pares existimasse, eoque minus,

[1] Serm. 4, c. 3 (ML LIV 151). [2] Serm. 83, c. 2 (ML LIV 430).

[3] Utrum legendum sit *prae*ponitur an *pro*ponitur, vide ib. 151. Pro nostra argumentatione ex hac re nil pendet.

[4] Ep. 14, c. 11 (ML LIV 676). [5] In Ps. 86 (MG LXXX 1562).

quod alibi Petrum apostolorum principem (*πρῶτον*) appellat hocque ipso loco Ecclesiam super eum ut fundamentum aedificatam esse dicit iuxta Christi verba Mt 16, 18. Pariter errant, cum Dionysium Pseudo-Areopagitam haec scribentem[1] pro re sua recitant: „Princeps (*κορυφαῖος*) apostolorum una cum coaequali sibi ac pontificali decade (*μετὰ τῆς ὁμοταγοῦς αὐτῷ καὶ ἱεραρχικῆς δεκάδος*) ad sacrum illum duodenarium discipulorum numerum implendum congregatus summae divinitati electionis (Matthiae) munus reverenter cessit." Et alibi idem de Petro, laudato Mt 16, 19, ait[2]: „Ita ut ille omnisque pontifex illi similis (*κατ' αὐτὸν ἱεράρχης*) iuxta revelationes paternarum iustificationum sibi indultas. . . . Deo caros admittat et impios excludat." At priore loco reliquos apostolos Petrum non solum apostolatu et sacerdotio, sed etiam auctoritate coaequales esse Dionysius non solum non dicit, sed etiam principem eum nominando sat clare contrarium indicat, cum sine superiore auctoritate coryphaeus vix sit. Altero autem loco Dionysius affirmat quidem, quemcumque etiam episcopum ligandi solvendique potestate praeditum esse, sed neutiquam singulos quosque episcopos eadem ac Petrum potestate pollere dicit.

Porro plane non video, quid adversariis prosint haec concilii oecumenici V verba[3]: „Licet Sancti Spiritus gratia et circa singulos apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt." Cum enim singuli apostoli in tradenda Christi doctrina infallibiles fuerint, nec infallibilitas possit esse maior vel minor, ideoque eorum nemo huius rei ratione aliis maior esset, utique nullus apostolus alieno indigebat auxilio ad definiendum, utrum aliqua doctrina esset christiana necne. Nihilominus convenerunt ad definiendam controversiam de lege mosaica ortam, ut definitionis auctoritas *externa* efficacior esset ad iudaeo-christianos pertinaciter suis ritibus adhaerentes edocendos. Quid igitur ista concilii verba Petri primatui iurisdictionis officiunt, quem ne tangunt quidem? Item quomodo huic Petri primatui repugnat, quod Stephanus Dorensis (de quo cf. p. 179) in concilio Lateranensi I (649) illum primatum Petro vindicans laudando Mt 16, 19; Io 21, 15 et Lc 22, 32 dicit[4], Petrum meruisse consortes suos (*ὁμοταγεῖς αὐτῷ*) fratres confirmare? Stephanum enim dicere noluisse, omnes apostolos inter se essentialiter sive re aequales fuisse, evidens plane est ex his, quae continuo addit: „Utpote dispensative (i. e. beneficio divino) *super omnes* ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, *potestatem* accipiens et sacerdotalem *auctoritatem* (*οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμῶν σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος καὶ τὴν ἱερατικὴν αὐθεντίαν*)." Hymnum trisagion non in honorem solius personae Filii dici debere, exemplo sic illustrat Ioannes Damascenus[5]: „Si quis duodenarium divinorum apostolorum numerum Spiritus Sancti *δωδεκάχορδον*, i. e. duodecim fidibus constantem lyram ipsum esse dicat, is neminem quidem apostolorum honoris expertem relinquit (nam quilibet illorum spiritus chorda dictus est), non tamen propterea ad unumquemque illorum huiusmodi laus refertur. Neque enim Petrus solus duodecim chordarum lyra spiritus est, nec item Andreas, verum universus apostolorum numerus. Quod si quis Petrum fortasse laudans hymnum hunc dicat, huiusmodi tamen hymnus non ipsum solum significabit, verum simul cum ipso universum apostolorum chorum celebrabit. Siquidem dixerit, *eum duodecim chordarum lyram* esse, qui Bethsaida ortus, Ioannae filius fuit ac Romae sub Nerone martyrio functus est, *mendacem se praebebit*. Pari modo si quis dicat: sanctus, sanctus, sanctus, pro nobis crucifixus, hic blasphemiae reus erit, necnon ille, qui dixerit: ter sanctus, qui pro

---

[1] De eccl. hierarch. 5, 3, 5 (MG III 511 sq). [2] Ibid. 7, 2, 7 (ib. 564).
[3] Collatio VIII (Mansi IX 369 C; Harduin III 188 E).
[4] Harduin III 713 A; Mansi X 893 D.
[5] De hymno trisagio ep. n. 14 (MG XCV 48).

nobis crucifixus est." Sed quis non miretur, ista nobis in hac quaestione opponi, cum ab ea prorsus aliena sint? Damascenus enim nihil aliud dicit, nisi, non solum Petrum, sed etiam alios apostolos virtutibus et apostolatu spiritus efficaciam manifestasse. Quod verum est, sed inde quid contra nos? Ceterum Damascenum Petri primatum agnovisse vide supra p. 179.

Pariter quod Ephraem Syrus (de quo cf. supra p. 150 171 179) dixit[1], apostolis a Christo creditum esse regnum tum superius tum inferius et gregem pascendum, Christum praeterea lucernam, Petrum candelabrum, apostolos omnes sacerdotalis characteris impressores (*ἱερέων σφραγιστάς*), quid demonstrat? Salvo enim prorsus Petri primatu iurisdictionis omnino recte Ephraem ita dicere potuit.

Itaque si respicimus ad testimonia, quae hucusque consideravimus, certissime dicere possumus, vehementer errasse Langen, cum non dubitaret scribere[2], in antiqua Ecclesia de essentiali apostolorum aequalitate neminem umquam dubitasse, et medio tantum aevo Petrum aliis apostolis praelatum esse; dum contra vel ipse Ellies Dupin de hac re rectissime scribit[3]: „Testimonia adducta hoc unum probant, apostolos (ut tales) in clavium administratione, fidei praedicatione, Ecclesiarum fundatione, potestate, auctoritate aequales fuisse; at eos in primatu Petro aequales fuisse nullus (Patrum) dicit, immo contrarium omnes dicunt iis ipsis in locis, ubi aequalitatem apostolorum maxime commendant."

IV. Opponuntur etiam aliqui Patrum loci, quibus apostoli Andreas, Iacobus, Ioannes, Paulus aequari aut praeponi Petro videntur.

1. *S. Andream* ita ab Ephraem Syro „primorum primum" dici obiciunt, ut apostolos omnes ex Ephraemi sententia pares fuisse iudicandum sit. Sed ut respondeamus, sufficit totum locum integrum hic ponere. Sic igitur Ephraem[4]: „Ave Andrea, tu primorum primus, electorum electus, rationalis gregis aries. Tu primus panis, panem a Pane accipiens, ... qui Christo tamquam piscem affers Simonem. Piscandi tibi initium fit ex ipsis piscatoribus et apostolis et praeconibus et regibus et ducibus clavigeris. Nam haec omnia erat Petrus et horum etiam maiora." Unde patet, Andream laudari ex eo, quod primus ad apostolatum vocatus est, et Petrum ad Christum adduxit (Io 1, 40—42). In eodem sermone legimus de Petro[5]: „Ave Petre, discipulorum tu lingua, praeconum tu vox, apostolorum oculus, coelorum custos, clavigerorum primogenite (*τῶν οὐρανῶν ὁ φύλαξ, ὁ τῶν κλειδούχων πρωτότοκος*)." Eodem modo intelligendus est Hesychius, presbyter Hierosolymitanus, cum dicit[6]: „Andreas primus apostolorum foetus, prima Ecclesiae columna, ante Petrum petra, fundamentum fundamenti, initii primitiae." Ubi Petrus sensu proprio, Andreas improprio dicitur petra.

2. Inter eos autem, qui *Iacobo*, Hierosolymorum primo episcopo, primas inter apostolos partes concedere videntur, ecce iterum nobis occurrit Hesychius Hierosolymitanus! Ait enim[7]: „Quomodo praedicabo servum Christi et fratrem, novae Hieru-

---

[1] Encom. in ss. apost. (Opera graeca III 462).

[2] Das Vatik. Dogma III 76. [3] L. c. 254.

[4] Serm. in ss. apost. (Opera gr. III 465): ... *ὁ τῷ Χριστῷ καθάπερ ἰχθὺν προσενέγκας τὸν Σίμωνα ὁ τῆς ἁλείας ἐξ ἁλιέων καὶ ἀποστόλων καὶ κηρύκων καὶ βασιλέων καὶ στρατηγῶν κλειδούχων ἀρξάμενος. ταῦτα γὰρ ἦν πάντα Πέτρος, ἀλλὰ καὶ τούτων μείζονα.*

[5] Ibid. III 464.

[6] Serm. 7 (MG XCIII 1477): *Ἀνδρέας, ὁ τοῦ χοροῦ ἀποστόλων πρωτότοκος, ὁ πρωτοπαγὴς τῆς ἐκκλησίας στύλος, ὁ πρὸ Πέτρου Πέτρος, ὁ τοῦ θεμελίου θεμέλιος, ὁ τῆς ἀρχῆς ἀπαρχή.*

[7] Serm. 8 (ib. 1479): *Πῶς ἐγκωμιάσω τὸν τοῦ Χριστοῦ δοῦλον καὶ ἀδελφὸν, τὸν τῆς νέας Ἱερουσαλὴμ ἀρχιστράτηγον, τὸν τῶν ἱερέων ἡγεμόνα, τῶν ἀποστόλων τὸν*

salem summum ducem, sacerdotum principem, apostolorum caput, in capitibus verticem? ... Petrus praedicat, Iacobus decernit, et paucae voces magnitudinem quaestionis comprehenderunt: ego iudico, non inquietari eos, qui e gentibus convertuntur ad Deum." At rhetorem hic agit Hesychius non vero accuratum S. Scripturae interpretem aut dogmatum ecclesiasticorum explanatorem. Ceterum Iacobum non fuisse proprie caput apostolorum, sed Petrum, agnovit Hesychius, siquidem quinto aut sexto saeculo Hierosolymitanus episcopus, Iacobi successor, non solum primatum non habebat, sed ultimum inter patriarchas obtinebat locum; quod Hesychio Hierosolymitano sive episcopo sive presbytero ignotum esse non poterat. Nec etiam ecclesia Hierosolymitana prima fuit et mater omnium reliquarum nisi origine, minime autem auctoritate; immo ipsa ortum maxime habuit e praedicatione ipsius Petri. Nec etiam Petrus iudaeorum potissimum apostolus vel alius quisquam apostolorum a Iacobo missionem acceperunt ad praedicandum ubique evangelium. Quod igitur Iacobus episcopatu illius civitatis fungebatur, quae propter patratum deicidium mox terribili prorsus excidio puniebatur, nullatenus offuit, quominus Christus Petro primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam contulerit[1].

Iam ante Hesychium Iacobo primatum ascribere videtur epistula prima Pseudo-Clementis, quae sic inscribitur[2]: „Clemens Iacobo, fratri Domini, et *episcopo episcoporum* regenti Hebraeorum sanctam ecclesiam Hierosolymis, sed et *omnes ecclesias, quae ubique* Dei providentia fundatae sunt." Iacobus, qui ante S. Petrum scil. a. aerae christ. 62 mortuus est, in istis operibus pseudo-clementinis *post Petri mortem* ut Ecclesiae primas describitur, et ideo quidem tantum, quod istorum operum auctor ebionita, sufferre non potuit, ut Ecclesiae primatus ab urbe Hierosolymorum in occidentem transferretur. Non igitur Petri primatum ut talem negavit, sed translationem eius in occidentem. Unde istius epistulae inscriptio primatus institutioni adeo non obest, ut eam confirmet et eum, qui primas sit, ostendat esse episcopum universalem sive episcopum episcoporum regentem omnes ecclesias. Ceterum in ipsa illa epistula Petrus inducitur dicens[3]: „Propter quod ipsi [Clementi] trado a Domino *mihi* traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus, quibuscumque decreverit in terris, hoc decretum sit et in coelis. Ligabit enim, quod oportet ligari, et solvet, quod expedit solvi, tamquam qui ad liquidum Ecclesiae regulam noverit. Ipsum ergo audite, scientes, quia quicumque contristaverit doctorem veritatis peccat in Christum."[4]

S. Iacobum primatem totius Ecclesiae institutum fuisse I. Friedrich[5] probare studet a) hoc Clementis Alex. testimonio[6]: „Post Servatoris ascensum Petrum, Iacobum et Ioannem, quamvis Dominus ipsos ceteris praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse (*μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης*), sed Iacobum, cognomine Iustum, Hierosolymorum episcopum elegisse (*ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι*)." Itaque, ut concludit adversarius[7], Iacobi munus tam excelsum reputabatur, ut illis aliis duobus (!) a Christo praelatis apostolis invidiae obiectum videri debuerit. At evidens est, Clementem agere de episcopatu urbis Hierosolymorum, non de primatu totius Ecclesiae. Non autem, ut ait Bellarminus[8], „parva gloria erat, fieri episcopum Hierosolymae eo tempore, quo nullus erat ex

---

ἔξαρχον, τὸν ἐν κεφαλαῖς κορυφὴν ...; Πέτρος δημηγορεῖ, ἀλλ' Ἰάκωβος νομοθετεῖ, καὶ ὀλίγαι λέξεις τὸ τοῦ ζητήματος συνέστειλαν μέγεθος· Ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καὶ ἐξῆς.

[1] Cercia 80.

[2] MG I 463. [3] Ibid. 464 sq. [4] Cf. Katholik 1874, II 277 sqq.

[5] Zur ältesten Geschichte des Primates in der Kirche 12 sqq.

[6] Apud Eus., Hist. eccl. 2, c. 1, n. 3. Adverte Iacobum priore loco nominatum esse Iacobum Zebedaei, posteriore loco nominatum Iacobum Alphaei.

[7] L. c. 15 sq.

[8] De Rom. Pontif. l. 1, c. 26.

particularibus episcopis illo nobilior", cum ibi ipse Christus Dominus docuerit atque mortuus sit, cumque ea ecclesia omnium respectu temporis antiquissima sit. Licet autem in versione historiae eusebianae, quam adornavit Rufinus [1], verba supra posita sic reddantur: (Petrus et Iacobus et Ioannes) „non sibi vindicant *primatus* gloriam, sed Iacobum ... *apostolorum* episcopum statuunt", textus graecus tamen ita non habet, et de solo textu graeco quaeritur. — Porro argumentum ducitur

b) ex Hegesippi his verbis [2]: „Ecclesiae administrationem una cum apostolis suscepit (*διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων*) Iacobus." At recte hunc locum interpretatur Hieronymus, cum Hegesippum de Iacobo affirmasse dicit [3]: „Suscepit ecclesiam *Hierosolymitanam*." Et Eusebius quoque paulo ante allata verba de S. Iacobo dicit [4]: „Cui episcopalis Hierosolymorum sedes ab apostolis tradita fuerat." Sed etiamsi Hegesippus de tota Ecclesia locutus fuisset, nondum tamen sequeretur, Iacobum *ut primatem* Ecclesiam totam suscepisse. Neque obstat verbum *διαδέχεσθαι*; tametsi enim id significat accipere per alium vel hereditate, vel successione, vel alio modo, neutiquam tamen sequitur, Iacobum ab ipso Christo, totius Ecclesiae Domino et Pontifice, etiam universae Ecclesiae regimen accepisse. Non solum enim hac de re vel in S. Scriptura vel in Ecclesiae traditione universali nihil legitur, sed e contra Petri ibi primatus astruitur.

c) Iacobo Christum Dominum apparuisse (1 Cor 15, 7) vere dicit Friedrich, sed quid inde? Et nonne primum Petro apparuit?

d) Aliud argumentum [5] ex eo elicitur, quod Clemens Alexandrinus dicit [6]: „Iacobo Iusto et Ioanni et Petro Dominus post resurrectionem scientiae donum (*τὴν γνῶσιν*) impertiit", ubi Iacobus primo loco nominatur. Quod nihil demonstrat.

e) Idem dicendum de Eusebii hoc loco [7]: „Post martyrium Iacobi et continuo subsecutam Hierosolymorum expugnationem fama est, apostolos ceterosque Domini discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, et una cum iis, qui Dominum secundum carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis supererant), in commune consuluisse, quis in Iacobi locum succedere mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem, filium Cleophae, illius, cuius in evangeliis fit mentio, episcopali sede dignum iudicaverunt. Creditur autem Simeon patruelis fuisse Servatoris. Nam Cleopham fratrem fuisse Iosephi testatur Hegesippus." Loquitur enim Eusebius de Simeone succedente Iacobo non ut totius Ecclesiae primati, sed diserte ut solius ecclesiae Hierosolymitanae episcopo [8]. Ut falso ita sentire Eusebium adversarius demonstret, provocat ad Hegesippum, qui postquam electionem Simeonis episcopi retulit, addit [9], „ecclesiam" [Hierosolymitanam utique] usque tunc virginem fuisse, ac eo tempore Thebuthem eam haeresi corrumpere studuisse. Quod non magis pro adversario facit, quam quod Simeon etiam a cognatis Christi electus est.

f) Quod denique Hegesippus de Christi cognatis ait [10]: „Illi et universae Ecclesiae praesident (*προηγοῦνται πάσης ἐκκλησίας*), utpote (*ὡς*) martyres et agnati Christi", sensu prorsus improprio et latissimo intelligendum est, scil. *quatenus* — hoc enim significat hic *ὡς* — ut martyres et agnati Christi in Ecclesia aestimati sunt suoque exemplo aliis praelucebant.

g) Provocamur porro ad Constitutiones, quae apostolicae dicuntur, diu tamen post apostolos compositae sunt saeculo V. E quibus, utpote probabiliter in Syria (?) conscrip-

---

[1] Eusebius' Werke. II: Die Kirchengeschichte, bearbeitet von E. Schwartz und Th. Mommsen, Leipzig 1903, 105.
[2] Apud Eus., H. E. 2, 23, 4. [3] De vir. ill. c. 2 (ML XXIII 609).
[4] H. E. 2, 23, 1.
[5] Friedrich l. c. 18. [6] Apud Eus., H. E. 2, 1, 4.
[7] Ibid. 3, 11.
[8] Cf. ib. 3, 22. [9] Ibid. 4, 22, 4. [10] Ibid. 3, 32, 6.

tis, apparere Friedrich dicit, quae tunc Syri et orientales de Ecclesiae forma senserint [1]. Ac primum quidem provocat ad Const. apost. 6, 12, ubi de apostolorum concilio (Act 15) agitur, ac apostoli sic statuentes et loquentes inducuntur [2]: „Placuit nobis apostolis et episcopo Iacobo et senioribus cum omni Ecclesia." Quod ut intelligas, animadverte, ab auctore Constitutionum Iacobum episcopum Hierosolymorum diversum putari a Iacobo Alphaei et Zebedaei apostolis (vide Const. apost. 6, 14, ubi duodecim apostolorum nomina nominantur et cum iis „Iacobus frater Domini episcopus Hierosolymitanus"). Unde vides, locum non maioris momenti esse quam alios quos affert, scil. quod Iacobus dicitur ab ipso Christo et ab apostolis ordinatus [3], cum nullus alius apostolus episcopus fuerit, insuper ab apostolis ipsum consultum esse ipsiusque iudicium magni habitum [4]; dici quoque ipsum servum Dei [5], contra de primatu Petri vel Ecclesiae romanae nullibi in iis agi [6]. Quam inanes sint hae rationes, evidens est, idque eo magis, quod S. Iacobus in his Constitutionibus semper diserte dicitur Hierosolymorum episcopus [7]. Nullibi etiam dicitur Iacobus solus episcopus ita, ut alii apostoli non fuerint episcopi; eorum utique nullus, ut S. Iacobus, tunc temporis localis episcopus fuit perpetuus, excepto S. Petro Romae degente; sed si ipsi episcopali dignitate ornati non fuissent, quomodo episcopos ordinare voluissent? Quod autem de Petri et Ecclesiae romanae primatu non agitur in his Constitutionibus, plane nihil probat, cum auctor harum Constitutionum minime id sibi proposuerit, ut doctrinam de Petri et Romanorum Pontificum primatu, vel generatim de Ecclesiae forma traderet. Praeterea neque de primatu Iacobi verbum ullum ibi habetur.

3. Apostolum *Ioannem* aequare Petro Gregorius Nazianzenus videri potest, cum ita dicit [8]: „Vides, quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis hic petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat, ille impensius ametur et supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui discipuli eos sibi praeferri aequo animo ferant (*καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν*)." Sed satis clare hic dicitur, in quanam re illi apostoli pares dicantur, in quanam dispares sint. Pares dicuntur quoad factum, quod ambo ceteris praeferuntur; dispares sunt quoad illud, quo ceteris praeferuntur. Atque Petri praerogativa in eo consistit, quod in ceteros iurisdictionis potestatem habet: hoc enim petrae imagine significari satis ostendimus. — Affertur in eandem rem etiam Cyrillus Alexandrinus, licet ita clare loquatur, ut vix videatur posse male intelligi. Dicit enim [9]: „Non honoris aequalitas (*ἰσοτιμία*) naturas unit, alioquin Petrus et Ioannes, qui paris dignitatis (*ἰσότιμοι ἀλλήλοις*) exstiterunt, *quatenus scil. apostoli ac sancti discipuli* non unus essent, sed duo."

4. *Iacobum Zebedaei filium et Ioannem* Petro aequiparari a Gregorio Nysseno ex eo concludunt, quod tres illi ab eo vocantur [10] apostolici ordinis principes (*τῆς ἀποστολικῆς ἁρμονίας ἔξαρχοι*) et ecclesiasticae gloriae coronae et duces et principes (*ἔξαρχοι καὶ κορυφαῖοι*), et addit, eorum festum eodem die celebrari etiam ideo, quod „aequali in honore (*διὰ τὸ ὁμότιμον τῆς ἀξίας*) a Christo habiti sint". Sed ille honor,

---

[1] L. c. 130 sqq. [2] Mansi I 458.

[3] Const. apost. 8, 35 (Mansi I 583). Non in omnibus codicibus haec verba habentur. Vide notam Cotelerii in h. l. (MG I 1137).

[4] Constit. apost. 6, 12 (Mansi I 454). [5] Ibid. 8, 35 (ib. 582).

[6] Hinc Friedrich (l. c. 132) concludit: „Man muß sich also ohne Zweifel nach den Konstitutionen Jerusalem als den ersten bischöflichen Sitz in der Kirche denken, dem auch der Primat gebührt, sofern von einem solchen — für Petrus ist nirgends, für Jakobus nicht ausdrücklich ein solcher in Anspruch genommen — gesprochen werden kann."

[7] Cf. Constit. apost. 6, 14; 7, 47; 8, 35.

[8] Orat. 32, c. 18 (MG XXXVI 193).

[9] Ep. 17 (MG LXXVII 112).

[10] Altera laudatio S. Stephani (MG XLVI 725 729).

quo a Christo honorabantur, in quanam re constiterit, legentibus evangelium evidens est: quod scil. hi tres aequaliter a Christo prae reliquis apostolis eligebantur, ut sint testes illius miraculorum, illius gloriae et passionis. Praeterea quid sentiat Nyssenus de Petro, iam supra p. 146 vidimus.

5. Sed maxime *S. Paulum* Patres laudibus efferunt, ita ut eum cum Petro aequiparare velle videantur. Sed eximiae illae laudes Paulum *ratione primatus* Petro aequalem putari non evincunt [1]. Primum enim qui Patres Paulum maxime extollunt, iidem fere sunt, qui disertissimis testimoniis supra allatis Petri primatum affirmant. Deinde quae in laudem Pauli Patres protulerunt, ab ipsis intuitu laborum exantlatorum a Paulo et operae una cum Petro in excolenda Ecclesia Romana positae dicta sunt; insuper ea sunt eiusmodi, quae Petri primatui nullatenus repugnent. Manifesto enim ei non repugnat vel quod propter apostolicum suum munus Paulus una cum Petro urbis Romae episcopus constitutus fuerit, cum hinc sane non evaserit omnium omnino in terrarum orbe christianorum atque ipsorum apostolorum praepositus, vel quod Ecclesia Romana a Petro et Paulo aeque fundata sit et uterque eius pater et pastor fuerit, vel quod Petrus et Paulus dicuntur duo oculi positi in capite orbis urbe Roma vel quod dicuntur chori sanctorum coryphaei, cum sane uterque Romam doctrina fidei illustrarit, et licet Paulus aliis sanctitate fortasse superior esset, ideo tamen auctoritate superior non fuerit. Nec magis obstat, vel quod dicitur Paulus in principatu apostolico frater, cum profecto frater auctoritate altero minor esse possit, vel quod laudatur Paulus eo quod habuerit primatum in evangelio gentibus praedicando et fuerit apostolus κατ' ἐξοχήν. Insuper Natalis Alexander [2], Mamachius atque vel ipse Dupin [3] clare ostenderunt, plura eiusmodi testimonia Petri primatui ne minimum quidem obstare. Nihilominus Langen eadem fere repetit [4] adiectis aliis, quae eodem modo infirma sunt. Quod ut pateat, ea, quae non iam tractavimus, referamus.

Ita in sermone S. Augustino ascripto legimus [5]: „Duo luminaria magna, qui *omnium gentium tenebras illustrant* et omnibus veneratoribus suis bona beneficia praestant . . ., Petrus et Paulus, primus et novissimus, sed tamen *ambo aequales*. Scimus, quia non est in illis *magis* et *minus*." Sed recte iam Mai in subiecta nota de his verbis dixit: „Aequalis est Paulus Petro apostolatu, non primatu; electione, non praerogativa." Et in hanc quidem sententiam accipienda esse haec sermonis illius verba satis patet tum ex integra oratione contexta, tum e primis istius ipsius loci verbis a nobis distinctis, quae Langen non retulit. Nisi enim S. Augustinus Petrum totius Ecclesiae primatem censuisset, vix intelligeretur, cur ipsum luminare omnes gentes illustrans dixisset, cum Petrus profecto non ut Paulus vel voce vel epistulis tot gentibus evangelium praedicaverit. Insuper loquitur S. Augustinus alibi [6] de „Petro in *primatu apostolorum* martyrii gloria coronato". — Ambrosius porro scribit [7]: „Quia reliquiae iudaeorum per electionem gratiae salvae factae sunt,

[1] Latissime hanc rem persequitur Mamachius V 1, 405—530, ubi p. 409—432 recensentur Patres, qui maiorem Petro Paulum, p. 432—475 ii, qui aequalem dicere videntur.

[2] H. E. saec. 1, diss. 4, § 3 (IV 229 sqq).

[3] De antiqua eccl. discipl. diss. 4, § 3, p. 253 sqq.

[4] Das Vatik. Dogma I 90 sqq.

[5] Serm. 55, n. 5, apud Mai, Nova Patr. biblioth. I 110.

[6] De bapt. c. Donat. l. 7, c. 1 (ML XLIII 225).

[7] Enarr. in Ps. 47, n. 6 (ML XIV 1148).

in ipsis Deus cognoscitur, in Petro, Paulo, Ioanne, Iacobo, qui graves et excelsi viri velut fundamenta et culmina sunt Ecclesiae. Quasi gravia fundamenta, quos nulla gravis aquilonis flabra concusserint; sed immobiles fidei servaverunt fundamentum, ne Ecclesia tota nutaret: praecelsi quasi culmina, qui verticem eius turribus suae virtutis erexerint." Ubi laudatur illorum apostolorum tum in fide constantia, qua Ecclesiae fundamentum, i. e. hoc loco principium formans internum, veram fidem, servaverint, tum virtutum praestantia, ut Dei virtus in iis operata clare cognoscatur. Haec autem quid commune habent cum ea sententia, qua Petrum apostolorum primum tantum inter pares fuisse putant? Atque simile iudicium ferendum est de his, quae Ambrosius de *meritis* Pauli et Barnabae locutus, postquam dixerat: „Spectate *merita* servientium", subdit[1]: „Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiae fundamentum et hic sapiens architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum; nec Paulus, inquam, indignus apostolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus et nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit aequalem." Dicit ergo Ambrosius hic Petrum Ecclesiae fundamentum, sed ratione *apostolatus* Paulo non superiorem; ratione autem primatus iurisdictionis Paulum cum Petro adeo non comparat, ut dicat, Petrum, *tametsi Ecclesiae fundamentum sive primatem*, Paulum in apostolatu non superasse.

Ambrosiaster[2] dicit: „Petrum solum nominat [Paulus] et sibi comparat; quia primatum ipse acceperat *ad fundandam Ecclesiam*, se quoque pari modo electum, ut primatum habeat *in fundandis gentium ecclesiis*, ita tamen, ut et Petrus gentibus praedicaret, si causa fuisset, et Paulus iudaeis. Nam uterque invenitur utrumque fecisse, sed tamen plena auctoritas Petro in iudaismi praedicatione data dignoscitur, et Pauli perfecta auctoritas in praedicatione gentium invenitur." Deinde addit, Paulum dignum fuisse, qui haberet „primatum in *praedicatione* gentium, sicut et habebat Petrus in praedicatione circumcisionis . . . ; gratiam primatus sibi soli vindicat [Paulus] concessam a Deo, sicut et soli Petro *primo* apostolo, cui *claves* regni coelorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiducia electionis suae sciens se non imparem, constanter improbasset, quod ille sine consilio fecerat." Tantum vero abest, ut hisce verbis Ambrosiaster Petrum ratione primatus in *regenda* Ecclesia inter apostolos primum inter pares fuisse affirmet, ut contrarium plane dicat. Paulum enim Petro parem tantum monstrat respectu primatus *praedicationis* sive *apostolatus* et *electionis* divinae; ceterum Petrum dicit non solum primum apostolum, sed etiam clavium, i. e. suprema vicaria potestate instructum, et dotatum gratia primatus inter ipsos apostolos atque ad fundandam Ecclesiam ipsam, ut videtur, universalem, dum contra Paulus primatu praedicationis ornatus fuerit ad fundandas ecclesias particulares.

Non magis adversario favet, quod Chrysologus Paulum *collegam* Petri ut pastoris ovium dicit[3] atque Petrum *et* Paulum principes fidei vocat[4], vel quod Maximus Taurinensis ita apostolos laudat[5]: „Et licet in Petro fides emineat, in Paulo doctrina praecellat, et magisterium tamen Pauli fidei plenitudo est et credulitas Petri doctrinae est fundamentum." — At provocant ad haec eiusdem Maximi[6]: „Nescio, quo pacto Petrus et Paulus videntur prae ceteris peculiari quadam fidei virtute praecellere; quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro, sicut bono dispensatori, clavem regni coelestis dedit; Paulo tamquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticae institutionis iniunxit, scil. ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna coelorum. Clavem enim *quodammodo* a Christo scientiae et Paulus accepit. . . . Ambo igitur claves a Domino

---

[1] De Spiritu Sancto l. 2, c. 13, n. 158 (ML XVI 776).
[2] In Gal. 2, 7 sq (ML XVII 349).
[3] Serm. 6 (ML LII 203).
[4] Serm. 34 (ib. 297).
[5] Hom. 70 (ML LVII 398 sq).
[6] Hom. 72 (ib. 403 sq).

perceperunt, scientiae iste [Paulus], ille [Petrus] *potentiae*. . . . Ergo beati Petrus et Paulus eminent inter universos apostolos, et peculiari quadam praerogativa praecellunt. Verum inter ipsos quis cui praeponatur, incertum est. Puto enim illos aequales esse *meritis*, quia aequales sunt *passione*." Sed haec quid nobis obsunt? Cum aperte Maximus clavem potentiae Petro ascribat, clavem vero scientiae etiam Paulo tributam esse doceat, ut annotat editor ad hunc locum, „non absolute, sed quodammodo, ut intelligatur, se allegorice loqui et alienum esse a facienda bicipite Ecclesia Christi, quod aliqui scriptores posteriorum temporum iniuriose nimis ei affinxerunt. Hos profecto fugit alius S. Maximi locus, nempe serm. 44 [lege 66] de iisdem apostolis, ubi haec habet[1]: ‚*Et Petro quidem regni sui claves, Paulo verbi sapientiam dedit.*'" Quare opponi non potest, quod Maximus metaphorice loquens alibi[2] clavem Petri fidem Petri dicit et conflatam quidem apostolorum consilio, cum fidei symbolum conciperent. Dum enim Maximus subdit: „Clavem enim *quandam* ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebrae", ipse indicat, se non secundum propriam et accuratam potestatis clavium interpretationem loqui. Alibi dicit quidem[3]: „Ecclesiarum omnium regimen beatissimus Paulus . . . , quem pro conscientia inculpati pectoris sanctaeque perfectione doctrinae magistrum gentibus universis electio coelestis instituit, dominicam plebem nunc vigore apostoli, nunc auctoritate doctoris paternae affectione pietatis increpat"[4]; sed haec verba: „ecclesiarum omnium regimen" non esse premenda, quasi his verbis Maximus voluerit Paulo *primatum iurisdictionis* in universam Ecclesiam ascribere, patet tum ex hoc, quod eum dicit christianos increpasse tantum vigore apostoli et auctoritate doctoris, non vero auctoritate primatis sive summi rectoris, tum maxime exinde, quod Petrum alibi „totius Ecclesiae *gubernacula* accepisse" affirmat (ML LVII 399) et aliis locis saepe Petri primatum in universam Ecclesiam docet. Ita, ut unum alterumque locum afferam, dicit[5]: „Solam Ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*", et bis Ecclesiam simpliciter *„Petri Ecclesiam"* vocat[6], utpote fundatam in Petro[7]. Praeterea de Petro ait[8]: „Tamquam bonus *pastor tuendum gregem accepit*, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret *omnibus firmamentum;* et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, *ceteros fidei stabilitate fundaret*. Denique pro soliditate devotionis *Ecclesiarum petra* dicitur, sicut ait Dominus: *tu es Petrus* etc. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit et tamquam *saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat*. Petra autem pro devotione Petrus dicitur, et petra pro virtute Dominus nuncupatur", i. e. virtute sibi propria, dum Petrus propter devotionem a Christo redditur petra. Pastorem autem ovium dictum esse a Maximo Petrum, propterea quod *alios regendos* acceperit, ipse illis verbis diserte dicit[9]. Denique ut alia plura omittamus, haec Maximus[10]: „Diximus, inquit, frequenter ipsum Petrum petram a Domino nuncupatum, sicut ait: *tu es Petrus* etc. Si ergo Petrus *petra est, supra quam aedi-*

---

[1] Serm. 66 (ib. 666). [2] Serm. 27 (ib. 588). [3] Serm. 109 (ib. 747).

[4] Postquam Langen (l. c. 92) dixit, Maximum vocare S. Paulum rectorem omnium ecclesiarum, haec addit: „Dasselbe finden wir wiederholt bei Faustus von Riez († nach 493), Serm. 6, 1 3." At neque in isto neque in alio sacrorum sermonum Faustus Rhegiensis hoc dixit, contra in illo serm. 6, n. 2 (ML LVIII 882) haec habet: „Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. . . . Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas agnosque commendat; ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suae virtute servaret." Vocat quidem (l. c. 883) Petrum et Paulum ecclesiarum omnium principes, sed Paulum solum omnium ecclesiarum rectorem nullibi appellat.

[5] Serm. 114 (ML LVII 722). [6] Ibid. [7] Serm. 66 (ib. 666).

[8] Hom. 54 (ib. 353). [9] Cf. Hom. 53 (ib. 352). [10] Serm. 69 (ib. 673).

ficatur Ecclesia, recte prius pedes sanat, ut, sicut *in Ecclesia fidei fundamentum continet*, ita et in homine membrorum fundamenta confirmet . . . Paulus a Domino vas electionis est nominatus. . . . Optima apostolorum nomina petra et vasculum, necessaria domui Salvatoris. Domus enim petrarum fortitudine construitur, utilitate vasis ornatur. *Petra ad firmitatem*, ne labantur, sustentat populos; vas ad custodiam, ne tententur, operit christianos." Luce igitur clarius est, Maximum Petro, et non Paulo, verum iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum tribuisse. Potuit autem rhetorice loquendo Paulum omnium ecclesiarum rectorem dicere in hanc sententiam, qua Paulus ipse 2 Cor 11, 28 ait, sibi incumbere „sollicitudinem omnium ecclesiarum". Quae verba Estius commentans: „Nec ideo, inquit, praefuit toti Ecclesiae Paulus, quasi parem cum Petro potestatem sortitus; nam etsi sollicitudo praefecturam consequatur, non tamen e converso praefectura sollicitudinem"; membra enim possunt de se esse sollicita, et maxime quidem membrum adeo excellens et animarum salutis zelo flagrans, quale fuit Paulus, non potuit non de ecclesiarum omnium salute esse sollicitum. Unde iam patet, quae vis probandi insit testimonio, quod Langen ex epistula ad Constantinum imperatorem Melchiadi Rom. Pontifici falso ascripta, affert, quodque hoc est [1]: „Et hoc bonum et acceptum esse coram Deo, idem magister gentium [Paulus] protestatur, cui sollicitudo omnium ecclesiarum incumbit; quippe episcopos regere per Spiritum Sanctum constituit Ecclesiam Dei." Ceterum in eadem illa epistula [2] vocatur Petrus ‚princeps apostolorum', in alia vero eidem pontifici supposita epistula [3], si suppositis mercibus uti concedimus, clare Petro primatus asseritur.

Adversarius in suam rem pariter affert haec e Gregorii M. dialogo [4]: „Gregorius: Numquid nescis, quoniam Paulus apostolus Petro apostolorum primo in *principatu apostolico frater est?*" Cui respondet diaconus Petrus: „Scio plane, nec dubium est, quia, etsi minimus omnium apostolorum (1 Cor 15, 9), *plus tamen omnibus laboravit.*" Postea Gregorius memorato itinere Petri in mari et Pauli naufragio addit: „Aperte igitur constat, quia, cum utriusque virtus fuerit dispar in miraculo, utriusque tamen *meritum* dispar non est in coelo." Itaque secundum Gregorium M. Paulus Petri in principatu *apostolico* frater est, eo quod et plus aliis laboraverit et merita utriusque in coelo non disparia sint; nullatenus vero dicitur ab ipso Paulus Petro etiam *auctoritate* et *potestate* par fuisse. Quis autem non videat, haec nihil conferre ad probandum id, quod vult adversarius, Petrum primatu honoris tantum prae ceteris apostolis eminuisse? [5] Alibi vero Gregorius non solum Petrum passim apostolorum primum ac principem et Ecclesiae pastorem nominat [6], sed etiam diserte Paulum Petro *minorem* dicit [7] (cf. supra p. 32). Insuper alibi scribit [8]: „Quis enim nesciat, sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur?. . . Itaque cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit." Manifestum igitur est, Gregorium Pauli „principatum" nullatenus parem principatui Petri fecisse, et multo minus primatum Romani Pontificis eum posuisse in successione Pauli [9], qua de re ne verbum quidem habet. Quod autem Gregorius de Petro ait [10]: „Ecce claves regni coelestis accepit,

[1] ML VIII 567. [2] Ibid. 566. [3] ML VII 1115.

[4] L. 1, c. 12 (ML LXXVII 213).

[5] In Expos. in 1 Rg l. 4, c. 5, n. 28, quae invenitur inter Gregorii Opera (ML LXXIX 303), eius tamen probabilius non est, haec leguntur de Paulo: „Ad Christum conversus, caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiae principatum." Sed haec cum oratoria aliqua superlatione dici manifestum est.

[6] Cf. Ep. l. 7, ep. 40 (ML LXXVII 898); l. 11, ep. 45 (ib. 1160).

[7] Cf. Moral. l. 19, c. 6, n. 9; l. 28, c. 11, n. 27 (ML LXXV 925; LXXVI 464).

[8] Ep. l. 7, ep. 40 (ib. 899).

[9] Id quod temere affirmat Hase, Handbuch 124.

[10] Ep. l. 5, ep. 20 (ib. 746).

potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, *cura ei totius Ecclesiae et principatus* committitur, et tamen universalis apostolus non vocatur, et vir sanctissimus, consacerdos meus Ioannes, vocari universalis episcopus conatur", profecto neutiquam ostendit, a Gregorio Petrum respectu aliorum apostolorum tantum primum inter pares habitum esse, sed tantummodo, Petrum primatu suo gloriatum non esse. Voluit nimirum Gregorius hoc exemplo Petri, qui, tametsi totius Ecclesiae primas, apostolum universalem se non vocavit, reprimere fastum Ioannis, praesulis Constantinopolitani, qui nullo iure, sed sola ambitione episcopi universalis nomine se decorare studuit. Ceterum non solum Petrus, sed omnes apostoli ratione apostolatus revera „universales" fuerunt, quatenus cuilibet eorum potestas erat ubivis terrarum evangelium praedicandi. Quod profecto Gregorius negare minime volebat. Insuper alibi [1] vocat S. Petrum Ecclesiae pastorem et apostolorum principem; et rursus de eo ait [2]: „Quem (Deus) sanctae Ecclesiae praeferre disposuerat". et nominat ipsum hic pariter „pastorem (totius) Ecclesiae"; necnon dicit [3]: „Petrus ... auctore Deo sanctae Ecclesiae principatum tenens", dicitque alibi [4] de Petro: „Ipsi sancta Ecclesia est commissa; ipsi specialiter dicitur: *Simon Ioannis, amas me? Pasce oves meas.*"

Ex graecis Patribus pro aequalitate Petri et Pauli argumentantur vel ex ipso Chrysostomo, quia de Paulo dicat [5]: „Post tanta tamque praeclara gesta cum nihil opus haberet Petro, neque illius egeret voce, sed honore par esset illi (*ἰσότιμος ὢν αὐτῷ*), nihil enim hic dicam amplius, tamen ascendit velut ad maiorem (*ὡς πρὸς μείζονα*) ac seniorem, solusque Petri conspectus commovit illum, ut eo proficisceretur. Vides, quomodo illis tribuit congruentem honorem (*προσήκουσαν τιμήν*), neque solum non ducit se ipsum illis meliorem, verum ne parem quidem esse putat?" Praeterea ad haec eius verba provocant [6]: „Iamque se [Paulus] ceteris honore parem (*ὁμότιμον*) ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi coryphaeo comparat declarans, quod horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem (*ὅτι τῆς αὐτῆς ἕκαστος ἀπέλαυσεν ἀξίας*)." At loquitur Chrysostomus de dignitate apostolatus, quae singulis apostolis revera pari ratione competebat, ac aliter intelligi non potest, nisi eum contra se ipsum dixisse statuas (cf. supra p. 147 169).

Anastasius Sinaita de Paulo [7]: „Cum illic cum suo coniuge Petro occidisset, in occasu ambo occidentem illuminant." Item: „Et aliae quidem [stellae] perfectae, quae quidem sunt valde lucidae tenentes locum doctorum et pontificum ..., cuiusmodi fuit Paulus, qui cum supra omnes esset prima et maxima stella, habeat consequentes veluti quasdam breves, Timotheum et Silam et Barnabam et Lucam. ... Stella a stella in his differt in gloria. Nam *Petrus primam tenens sedem*, et ego, inquit Paulus, omnibus antecellimus honore." Sed ultima illa verba clare ostendunt, ab Anastasio Petrum habitum esse supremum in *regimine*, quamquam huius primatus natura ab ipso non explicatur, Paulum vero maximum in evangelii praedicatione. Petrum autem ab Anastasio primum inter pares tantum habitum esse ex illis verbis non sequitur. Haec sufficiant de testimoniis, quibus Langen Petrum et Paulum pares inter se existimatos esse ab antiquitate ostendere studuit.

Sed praeter eum etiam I. F. Schulte eandem aequalitatem admittendam esse persuadere nobis conatus est [8], de quo pauca dicenda restant. Argumentatur ergo is ex eo, quod templum Lateranense, in quo capita Petri et Pauli recondita sunt, principale Romani Pontificis et totius orbis terrarum declaratum est, Petrus ac Paulus simul Ecclesiae romanae fundatores fuerunt, Paulus *κατ' ἐξοχήν* apostolus, doctor

[1] Ep. l. 11, ep. 45 (ib. 1160).
[2] In evang. hom. 21, n. 4 (ML LXXVI 1172).
[3] Reg. past. 2, 6 (ML LXXVII 36).
[4] In evang. hom. 24, n. 4 (ML LXXVI 1185).
[5] In Gal. c. 1, n. 11 (MG LXI 631). [6] In Gal. c. 2, n. 3 (ib. 638).
[7] In Hexaëm. l. 4 (MG LXXXIX 909 sq).
[8] Die Stellung der Konzilien 125 sqq.

ac magister gentium dictus est; quodque Paulus, licet si solus nominetur, vix umquam principis apostolorum titulo honoretur, tamen si una cum Petro coniungatur, saepissime hoc Petri proprio cognomine ornatur atque etiam Ecclesiae praesul appellatur. Sed haec singillatim refutare opus non est, cum Petri primatui iurisdictionis ea non officere, et ex se et ex iis quae diximus manifestum sit.

Nec firmiora sunt, quae idem scriptor inde repetit [1], quod visitanda sunt limina b. apostolorum Petri et Pauli, quod Romani Pontifices hac formula: „auctoritate b. apostolorum Petri et Pauli" iamdudum utuntur, cum anathemate aut feriunt aut ab eo vel a peccatis absolvunt, vel in aliis magni momenti rebus, quales sunt institutio dioeceseon, convocatio conciliorum, concessio privilegiorum, iudicia, decreta et interdicta; quod illi Petri et Pauli successores saepissime se dicunt. Nam

a) R. Pontifices *„Petri et Pauli successores"* sese dixerunt quoad successionem localem, respectu scil. Ecclesiae urbis Romae, et eatenus quidem tantum, quatenus utriusque iura sibi vindicarunt, non vero quod Paulo etiam in munere Summi Pontificis, sive quoad universalem successionem in regimen totius Ecclesiae se succedere putarent [2]. Nam „utriusque [Petri et Pauli] auctoritas", ait Papebrochius [3], „non *ex aequo* neque eodem modo in eorum successores Romanos Pontifices fluxit; sed episcopalis quidem ab utroque; a Petro autem singulariter apostolica, coniuncta cum praerogativa capitis." Itaque, ut addit Natalis Alexander, R. Pontifices successores dicuntur Petri et Pauli ratione successionis *realis,* quatenus eorum iura sibi omnia vindicant, non vero *personalis,* quasi eorum uterque idem plane munus primatis Ecclesiae obiisset. Priore sensu non Petri tantum, sed apostolorum plane omnium successor Summus Pontifex dici potest. Unde S. Bernardus ita Eugenium R. Pontificem alloquitur [4]: „Tu princeps episcoporum, tu *heres apostolorum.*" Posteriore sensu autem solius Petri successor R. Pontifex appellatur; unde idem S. Bernardus ad Eugenium dixit [5]: „Tu potestate Petrus."

b) Cum autem R. Pontifices *„auctoritate Petri et Pauli"* concilia convocant, dioeceses instituunt, criminum reos anathemate percutiunt aut absolvunt, privilegia distribuunt ac varia decreta dant, in illo loquendi modo, ut scribit Natalis Alexander [6], „non officii intelligenda auctoritas est, cui succedatur, sed patrocinii potius, quod ad officium illud rite obeundum imploretur. Certe alii Pontifices non Petri dumtaxat et Pauli auctoritatem sibi vindicant, sed omnium sanctorum, nec tamen sequitur sanctos omnes eandem habuisse cum S. Petro auctoritatem", vel Pontifices dicere voluisse, se omnium illorum in munere suo esse successores. Atque ut unum alterumque huius rei testimonium afferam, Ioannes VIII ad Attonium scripsit [7]: „Ex auctoritate Dei . . . beatorumque apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum Patrum . . . iubemus te . . . omni ecclesiastica esse communione privatum." Item Nicolaus I ad Photium scribens haec dicit [8]: Sit „Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus Sancti per nos iudicio cuncto sacerdotali honore alienus." Alexander II vero in epistula ad Burchardum Halberstadensem, illius ecclesiae privilegia confirmans, dicit [9]: „B. Dei genitricis semperque virginis Mariae, necnon beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum etiam martyrum Stephani ac Xysti ceterorumque omnium sanctorum auctoritate" etc. Sane Alexander his se noluit B. Virginis et omnium sanctorum in munere regendi Ecclesiam successorem dicere. Nec etiam Paulus III in bulla convocationis concilii Tridentini dicendo: „auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi", aliud voluit

---

[1] Ibid. 134 sq. [2] Natalis Alex., H. E. saec. 1, diss. 4, § 4 (IV 232).
[3] In Conat. chronico-hist. diss. 2, n. 9.
[4] De considerat. l. 2, c. 8 (ML CLXXXII 751). [5] Ibid.
[6] L. c. [7] Ep. 311 (ML CXXVI 922).
[8] Ep. 99 (ML CXIX 1053). [9] Ep. 10 (ML CXLVI 1287).

significare, quam auctoritatem patrocinii S. Pauli, alioquin in eadem bulla antea de munere suo pontificio agens solius Petri mentionem non ita fecisset, ut qui soli Petro et non Paulo successerit et vocatus sit ad gubernandam Petri naviculam.

c) Porro *„visitatio liminum b. apostolorum Petri et Pauli“* non tantum significat. episcopum debere R. Pontificem adire eique suae dioecesis statum exponere, sed etiam eum debere Petri et Pauli sepulcra visitare [1]; quam ob rem illa loquendi formula Pauli cum Petro Ecclesiae primate aequalitas non indicatur.

Denique quae alia argumenta Schulte profert, R. Pontifices nomine utriusque apostoli rogare, hortari, minari etc., precibus b. apostolorum Petri et Pauli defunctos in sanctorum album retulisse in concilio Lateranensi a. 1123; dixisse, Petrum *et* Paulum posse remunerari, esse iudices coelestes, praecipuos apostolos, et ab iisdem utriusque doctrinam extolli: eiusmodi sunt, ut prioribus illis refutatis, et ipsa refutata sint. Porro, quod idem adversarius dicit [2], nec Paulum nec etiam ipsum Petrum de *Petri principatu* umquam loqui, respondemus, pariter nec Petrum nec Paulum in ipsorum literis quidquam de *principatu Pauli* scribere. De principatu autem Petri Christus ipse satis locutus est, et Christi verba secuta etiam tota antiquitas christiana Petri *principatum* agnovit, dum contra Pauli ut *apostoli* merita laudavit, eumque solum in coniunctione cum Petro, ideoque huic omnium apostolorum principi a Christo constituto subiectum, apostolorum principem designavit. Nec etiam antiquitas christiana cathedram Romanam umquam cathedram Pauli vel modo Petri *et* Pauli, sed solius Petri usque dixit. Insuper in tota antiquitate christiana nullibi reperiuntur duo episcopi *iisdem iuribus* pollentes pro eadem dioecesi instituti. Itaque qui etiam Paulum urbis Romae episcopum fuisse dicere voluerit, id eatenus tantum affirmare potest, quatenus Paulus Petri fuerit, ut vulgo dicitur, *coadiutor*, non vero Ecclesiae romanae episcopus ordinarius sive primas.

Quod postremo in diplomatum pontificiorum sigillis Paulus interdum ad Petri dexteram reperitur, id aequalem Pauli cum Petro auctoritatem ideo iam nullatenus indicat, quod dextera non semper habebatur honoratior in Ecclesia locus, si quidem „in antiquis nummis imperatores christiani interdum occurrunt ad dexteram Deiparae et in nonnullis vitris ac picturis Petrus ad dexteram, Christus vero ad laevam visitur“ [3]. Insuper nulla istiusmodi sigilla saec. XI antiquiora sunt [4], itaque nihil illa ad probandam aequalitatem Pauli cum Petro conferunt.

Merito igitur Innocentius X damnavit „propositionem hanc [5]: S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt, vel: sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti, vel: sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel: sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione Pauli ad S. Petrum in potestate *suprema* et *regimine* universalis Ecclesiae.“ Contra quae vane obicitur, nihil in S. Scriptura referri, quo S. Paulus ratione *magisterii* sui Petro subiectus fuisse probetur [6]. Hoc enim nec Innocentius X nec ullus alius primatus Petri defensor umquam contendit, eo saltem sensu, quod Paulus pariter infallibilis religionis christianae magister vere *opus* habuerit instructione Petri, vel potuerit huius doctrinae contrarium docere. Sed propter hanc singulorum apostolorum infallibilitatem simulque prudentiam et summam vitae sanctitatem diximus utique iamdudum, Petri su-

---

[1] Wernz, Ius decretalium II[2] 1, Romae 1906, 555.

[2] L. c. 293 sq.

[3] Perrone, Tract. de locis theol. P. I, sect. 2, c. 1, prop. 1, obi. 3 ad 9. Cf. etiam Natalis Alex. l. c. 233, ubi plura alia eiusmodi exempla leguntur.

[4] Tournely, De eccl. Christi P. 2, p. 27, addit. (ed. Ven. 1790).

[5] Denzinger-Bannwart n. 1091.

[6] Ita Schulte, Die Stellung der Konzilien 138.

premam iurisdictionis potestatem potuisse ipsa apostolorum aetate vix aut ne vix quidem exercitatione sese manifestare.

Itaque unus Ecclesiae primas, S. Petrus, ab ipso Christo constitutus est ita, ut primatum non tantum honoris et ordinis, sed etiam iurisdictionis in omnes omnino Christi fideles atque in ipsos alios quoque apostolos haberet, utque ita Christi summus vicarius universalis, et instar centri esset, cui illi omnes sese aggregare et unum aliquod totum efficere deberent. Rectissime igitur concilium oecumenicum Vaticanum I de hac veritate haec definivit: „Si quis dixerit, beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse: anathema sit."

Coroll. Apostoli igitur nullatenus inter se aequales erant ita, ut Petrus fuerit primus inter pares tantum, accepit enim primatum iurisdictionis in eos omnes et in totam Ecclesiam. At, inquit Langen[1], apostoli tamen etiam secundum medii aevi scriptores S. Antoninum, Albertum M., S. Thomam aliosque, saltem *respectu doctrinae* inter se aequales fuerunt. Utique, cum ipsi singuli eodem infallibilitatis dono gauderent ideoque eandem Christi doctrinam traderent; quod non solum medii aevi scriptores, sed omnes omnium temporum catholici usque docuerunt. At hanc aequalitatem doctrinae Petri primatui, iurisdictionis scil. tum regiminis tum magisterii, nihil obstare evidens est. Si qui autem, ut haereticus Marsilius Patavinus, apostolos omnes etiam respectu potestatis sive iurisdictionis aequales dixerunt, id prorsus falso et temere contenderunt.

Schol. Haec duo *munera infallibilis magisterii* et *sacri regiminis* praecipue *externam* Ecclesiae Christi *formam* constituunt, ideoque ei *essentialia* atque *ordinaria* et *perpetuo coniuncta* sunt. Contendit quidem irvingianus E. Rothe[2], aliud insuper *essentiale* ideoque *perpetuum* et *ordinarium* munus a Christo institutum esse, *prophetarum* scil. sive *vaticinii*. Quod quidem non est *extraordinarium*, ut in Vetere Testamento, sed prophetae apostolorum adiutores sunt, ita ut apostoli non solo lumine, quod ipsis a Christo immediate proveniat, sed horum ope respectu tum occultorum consiliorum Dei, tum particularium rerum, nominatim vocationis virorum ad munus episcopi vel presbyteri, et quaestionum, quas humana sapientia sola explorare non valeat, illustrentur. Qua re illi prophetae sunt praesentis in Ecclesia Spiritus Sancti perpetui testes et una cum apostolis fundamentum, supra quod Christus Ecclesiam fundavit. Et pro hac doctrina sua provocat Rothe ad Eph 2, 20; 3, 5; 4, 10—12; 1 Cor 12, 28 sq; 14, 1 3 39; 11, 5; Act 11, 27 28; 13, 1; 15, 32; 21, 10; 20, 28; Apc 18, 20; 1 Thess 5, 19 20; 1 Tim 1, 18; 4, 14.

At haec sententia admitti neutiquam potest. *Primum* enim locus Eph 2, 20 multo rectius de prophetis Veteris quam Novi Testamenti explicatur (v. supra

[1] Das Vatik. Dogma III 68 sqq.

[2] Wo ist die Eine, heilige, katholische und apostolische Kirche? Berlin 1872. 13 sqq.

p. 88). Ut enim scribit Estius in h. l.: „super huiusmodi (christianorum) prophetarum doctrina fundatam esse Ecclesiam nusquam legitur, quin potius talium prophetiae iuxta regulam apostolicae et propheticae doctrinae ab Ecclesia diiudicandae erant secundum illud 1 Cor 14, 29: *prophetae duo aut tres dicant, et ceteri diiudicent.* Quod profecto de apostolis a Christo missis, qui hic cum prophetis iunguntur, non diceretur." Quibus recte addit Bisping in h. l, prophetas christianos, utpote ab apostolis Christi doctrina institutos ab iisque omnino pendentes, neutiquam a Paulo fundamenta Ecclesiae nominari potuisse. Insuper si Ecclesia etiam super doctrina christianorum prophetarum aedificata esset, procul dubio ista eorum doctrina conservata et posteris vel S. Scriptura vel traditione tradita esset; sed nec una nec altera via eorum doctrina ad nos pervenit, cum ignoremus, quid illi prophetae speciatim docuerint.

Deinde prophetae nomine non semper intelliguntur ii, qui futura praedicunt, sed etiam saepe, ac maxime in Novo Testamento ii, qui divino spiritu tacti obscuros ac difficiles S. Scripturae locos explicabant, vel generatim vera praedicatione aliquid ad pietatem promovendam conferebant.

„Donum prophetiae", ut ait Estius in 1 Cor 14, 1, „non in eo solum consistebat ut quis futura praediceret, quod proprie est *προφητεύειν*, prophetare, praedicere; sed generaliter erat donum, quo quis ex inspiratione divina cognosceret ac proferret occulta quaedam, sive illa futura essent, quomodo prophetavit Agabus, quando significabat per spiritum, *famem magnam futuram in universo orbe terrarum* (Act 11, 28), et rursus quando Paulo praedixit, quod in Ierusalem alligandus esset a iudaeis et tradendus in manus gentium (Act 21, 11 sq), . . . sive essent Scripturarum difficilium et obscurarum, maxime propheticarum explanationes; sive alia quaedam ad christianam doctrinam illustrandam aut pietatem promovendam pertinentia. Nam his saltem modis prophetae fuerunt, de quibus Lucas Act 13, 1: ‚Erant, inquit, in Ecclesia Antiochena prophetae et doctores, in quibus Barnabas' etc. Tales item quatuor filiae Philippi evangelistae ‚virgines prophetantes', ut dicitur Act 21, 9. Talis et ipse earum pater, quando locum Isaiae exposuit eunucho Candacis reginae, neganti sine eo, qui ostendat et praeeat, intelligere se posse (Act 8, 31 sqq). — De hoc generali modo prophetandi etiam illud accipiendum, quod Paulus dicit 1 Thess 5, 20: ‚Prophetias nolite spernere', quodque Petrus 2 ep. 1, 20: ‚Omnis prophetia Scripturae', i. e. expositio Scripturae, quae prophetia dici mereatur, ‚propria interpretatione non fit'; necnon illud Sapientis Prv 29, 18: ‚Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.' Sic autem generaliter accipi prophetae nomen in hoc capite facile potest ostendi; ac primum ex eo, quod statim dicit, eum, qui prophetat, loqui *aedificationem, exhortationem, consolationem,* ne quidem facta mentione praedictionis futurorum; deinde ex eo, quod post multa dicit, *omnes per singulos prophetare posse,* ut *omnes discant* et *omnes exhortentur.* Per haec enim significatur usus prophetiae consistens in doctrina et exhortatione. Rursum ostenditur ex illis verbis: ‚Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt' etc. Non enim haec contingunt infideli vel idiotae, si non aliud quam futura loquantur illi prophetantes, quae vera non cognoscuntur, nisi comprobante eventu. Ierem. 28, 9. — Iam nec verisimile est, omnes illos ad praenuntiandum futura divinitus inspiratos fuisse, quibus hoc loco Paulus et in Actis apostolorum Lucas attribuunt gratiam prophetandi. Nec erat, cur tantopere Paulus hortaretur Corinthios ad studium huius doni consequendi, si prophetare non erat nisi futura praedicere, cum id semper fuerit paucorum; sed nec aedificaret proprie (quod de eo tamen inculcat apostolus), nisi postquam res, quae praedicta fuerat, evenisset. His adde, quod et prophetae Veteris Testamenti, per quos scripturae propheticae nobis ministratae sunt, non tantum prophetasse dicuntur, quando ventura praenuntiarunt, sed tunc etiam, quando divinitus inspirati

protulerunt sermonem doctrinae, exhortationis et increpationis. Qua ratione toti eorum libri prophetici sunt."

Atque eodem modo intelligendus est 1 Cor 14, 39: „Aemulamini prophetare", cum sit repetitio eorum, quae v. 1 a Paulo dicta sunt, cumque insuper donum prophetiae proprie dictae non humano studio acquiri possit, sed sit mere gratuitum beneficium divinum. Atque probari nequit, alio sensu intelligenda esse 1 Cor 11, 4 5; 12, 10 28; Act 15, 32, praesertim cum hic de Sila et Iuda dicatur: „Cum essent prophetae, verbo plurimo *consolati sunt* fratres et *confirmaverunt*", expositione scil. doctrinae christianae, non vero vaticiniis, quorum eventus nondum plane certus erat; item Eph 3, 5 et 4, 11. Iam vero prophetas illos doctrinam christianam declarantes apostolis, utpote supremis et infallibilibus magistris, sicuti etiam eorum in magisterio legitimis successoribus subiectos fuisse per se patet, ita ut si quis prophetam quidem se dixisset, sed falsa et apostolorum doctrinae adversa docuisset, ab iis propheta non habitus, sed punitus, immo ex Ecclesia eiectus esset.

Tum tametsi illi pii veritatis prophetae, utique a Deo, ut apostolus dicit 1 Cor 12, 28, pro apostolorum aetate dati sunt, exinde tamen minime efficitur, istiusmodi prophetarum munus tamquam ordinarium et perpetuum ac constans ab ipso institutum esse; alioquin sequeretur eadem prorsus ratione ex illo eodem loco Pauli, tamquam *ordinarium* ac *quovis tempore* permanens a Deo institutum esse munus miracula edendi ac morbos supernaturali modo curandi, et divinum donum cognitionis linguarum earumque interpretationis. Num iam Rothe etiam hoc affirmabit, et si affirmaret, num probare posset, ea munera in irvingianorum coetu revera exsistere? Fuit igitur divinum illud prophetiae munus prorsus singulare et extraordinarium. Quamvis nullatenus negaverim, potuisse idem donum etiam posteriore tempore nonnullis concedi, et revera saepius concessum esse. Accedit, quod antiquitas christiana de eiusmodi munere prophetico tamquam munere permanenter in Ecclesia instituto nihil noverat.

Quod autem ad Apc 18, 20 attinet, hic procul dubio aut *soli* Veteris Testamenti aut saltem *etiam* Veteris Testamenti prophetae intelligendi sunt. De 1 Tim 1, 18 vero scribit Estius: „In Ecclesia primitiva, quemadmodum Chrysostomus annotat et Dionysius in ecclesiastica hierarchia meminit, electiones episcoporum saepe fiebant per revelationem Spiritus Sancti. Sic ad opus praedicationis missi sunt Barnabas et Paulus Act 13, 2. Sic etiam multos sanctos episcopos olim legimus electos. Sic igitur ordinatus fuit (Timotheus) episcopus, postquam non unum Spiritus Sancti testimonium, sed plura de eo praecessissent; id enim vult plurale nomen ‚prophetias'." Tametsi autem illi christiani prophetae apostolis respectu etiam electionis episcoporum interdum utiles fuerunt, tamen minime sequitur, id quod Rothe vult [1], S. Pauli verba Act 20, 28: „Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos", ita intelligenda esse, ut ii episcopi ope illorum prophetarum vocati sint ad regendam Dei Ecclesiam. Cum enim variorum munerum ecclesiasticorum auctor sit proprie supremum Ecclesiae caput Christus, Spiritus Sanctus dicitur hic tantum gratias illas dare, quae ad bonam ecclesiarum administrationem necessariae et utiles sunt, itaque recte dicitur ipse quoque veros et genuinos episcopos instituere. Non igitur hic tam agitur vel de ipsa institutione muneris episcopalis vel de vocatione

[1] L. c. 14.

virorum ad illud munus suscipiendum, quam de tributa facultate, illo munere bene et sancte fungendi, vel de potestate etiam per receptionem sacramenti ordinis episcopis tributa.

Articulus II.

De institutione Ecclesiae Christi.

§ 5.

Praenotanda.

1. Significatio nominis Ecclesiae secundum S. Scripturae Novi Testamenti usum[1]. Vox ἐκκλησία ab ἐκκαλεῖν, evocare, derivata, significat vi sua a) *evocatam multitudinem, concionem convocatam,* non vero, id quod nonnulli dixerunt, ipsum actum evocandi sive evocationem; haec enim ἔκκλησις dicitur. Atque hac primaria significatione adhibetur nomen ἐκκλησία frequenter a profanis scriptoribus ad conciones et conventus illorum designanda, qui in Graecia civitate libera gaudebant; qua significatione etiam in S. Scriptura invenitur, uti v. g. Act 19, 39. Deinde nomen Ecclesiae aliquando in S. Scriptura usurpatur etiam b) de *congregatione hominum quorumcumque,* etiam improborum, tumultuaria, uti loco allato Act 19, 32 39 40 et Ps 25 (26), 5; plerumque tamen, saltem in Novo Testamento, c) de *coetu christianorum* usurpatur, dum contra iudaei, excepto loco Act 7, 38, vocantur nomine synagogae (Act 13, 43). Christiani vero in Novo Testamento nomine synagogae designari non solent, exceptis duobus locis: Hebr 10, 25 (ἐπισυναγωγή, Vulg. collectio) et Iac 2, 2 (συναγωγή, Vulg. conventus). In utroque tamen hoc loco de christianis ex iudaeorum gente oriundis agitur[2].

Cum autem nomen Ecclesiae de christianis usurpatur, eo significatur aut α) *congregatio christianorum Dei colendi causa facta,* ut 1 Cor 14, 34, aut simpliciter β) *coetus particularis* eorum christianorum, qui in certa aliqua civitate, vel provincia, vel etiam in certa familia degebant, vel saltem in huius familiae domum Dei colendi causa conveniebant. Hoc certe sensu mentio fit ecclesiae Hierosolymitanae Act 5, 11; 8, 1 et alibi; Antiochenae ib. 11, 26; 13, 1; Cenchraeensis Rom 16, 1; Corinthiensis 1 Cor 1, 2; ecclesiarum Asiae 1 Cor 16, 19; Apc 1, 4 aliarumque saepius; ecclesiae autem domesticae Rom 16, 5; Col. 4, 15; Phm v. 2. — Sed non de particularibus tantum christianorum coetibus, sed etiam γ) de *universa Christi fidelium multitudine* sive de universo populo christiano nomen Ecclesiae adhibetur, eadem ratione, qua in Vetere Testamento nomen קָהָל, quod Septuaginta fere constanter vocabulo ἐκκλησία reddidere, post exitum ex Aegypto semper ad designandum integrum Israelitarum populum adhibetur, uti v. g. Ex 12, 3 19; 16, 2. Certe hac multo ampliore et universali significatione nomen ἐκκλησία, quam nec per se habet nec ex usu scriptorum graecorum, sed ex translatione vocabuli קָהָל, adhibetur a Christo ipso Mt 16, 18 et a S. Paulo 1 Cor 12, 28; Eph 1, 22; 3, 10; 5, 23—25 27 29 32; Col 1, 18 24; 1 Tim 3, 15; cf. 1 Cor 10, 32;

---

[1] Cf. Franzelin, De Ecclesia 1 sqq; Knabenbauer in Matth. II 54.

[2] Cum utroque loco non agatur de Ecclesia Iesu Christi simpliciter dicta, verum est, quod dicit Augustinus: „Nostram (Ecclesiam) apostoli numquam synagogam dixerunt“ (In Ps. 81 n. 1; cf. in Ps. 77 n. 3).

15, 19; Gal 1, 13. Atque hac universali significatione, qua nomen Ecclesiae totum coetum Christi religionis causa unitum denotat, etiam nos in hac tractatione eo vocabulo utimur, quoties de Christi Ecclesia simpliciter loquimur; nomine autem particularium ecclesiarum intelligimus partes integrantes Ecclesiae universalis, eas nimirum, quae certis in locis ac provinciis exsistunt et cum universali coniunctae sunt eadem fide eodemque regimine sacro.

Sed insuper in ipso Novo Testamento nomen Ecclesiae alia interdum significatione adhibetur; usurpatur enim tum δ) ad denotandos Christi fideles, exceptis eorum praepositis (Act 20, 28), et haec quidem Ecclesia a theologis vocari solet *audiens* aut *discens*; tum vero etiam ε) per synecdochen ad solos apostolos, ut christianorum praesides, iudices et doctores demonstrandos (Mt 18, 17), et haec Ecclesia vocatur *docens*. Clarum est etiam, Christum Petro primatum promittentem illis verbis: super hanc petram, i. e. Petrum, aedificabo Ecclesiam meam, Petrum ut primatem ab omnibus aliis Ecclesiae membris distinxisse, contra vero illis locis S. Scripturae, quibus Christus ipse dicitur caput totius Ecclesiae, ut v. g. Eph 1, 22; 5, 23, universam Ecclesiam una cum Petro intelligendam esse. Notum denique est, a christianis nomine Ecclesiae etiam ipsa templa quam saepissime vocari.

Atque ex his, quae de significatione ipsius nominis Ecclesiae diximus, patet, eo nomine designari aliquam hominum Christi religionem amplectentium *societatem*. Accuratius igitur iam

2. explicandum est, qualis ista societas intelligenda, quidque in hac quaestione probandum sit. Societas enim generatim spectata potest esse varia, et eius quidem *generalissime* accepto nomine vulgo intelligitur *quaevis coniunctio plurium* (saltem duorum) in *communem aliquem finem propositum suis actibus conspirantium*. Eiusmodi societas vero quidem, sed *lato* sensu accepta, est v. g. societas itinerantium, qui simul quidem ad eundem locum, sed singuli tamen liberi tendunt. Patet, ad eiusmodi societatem nullam auctoritatem proprie dictam requiri.

Presse vero et *stricte* intellecta societas sic fere definienda videtur, ut dicatur *coniunctio moralis et constans plurium in communem aliquem finem honestum suis actibus conspirantium*. Comprehendit enim societatis *stricto* sensu accepta notio a) *coniunctionem* plurium non mere externam et materialem, sed *moralem*, i. e. talem, quae vinculis spiritualibus, intelligentiae nimirum et voluntatis, fit. Eiusmodi igitur societatis nomine excluditur non solum aggregatio qualiscumque etiam irrationalium, verum etiam hominum turba aut multitudo in unum quidem locum congesta, sed non alio quam mere externo vinculo unita. b) *Coniunctionem constantem;* transitoria enim congressio ad finem momentaneum aut unico fere conatu attingendum et absolvendum, nonnisi improprie societatis nomen sibi vindicaret, utpote ad quam requiritur finis permanens. Non tamen, id quod per se patet, omnem societatem necesse est in omne tempus permanere. c) Finem *communem* sive bonum aliquod commune, utpote in quo est necessaria conditio moralis unionis sita eiusque vinculum obiectivum habetur. Qui finis *honestus* esse debet, quia verum vinculum morale in bono rationali tantum fundari potest. Unde coniuratio v. g. latronum societas non est. d) *Conspirationem* in communem finem, qua bonum commune a sociis *cognoscatur* et *intendatur*, prout commune est; ad quam ut consequens accedit *unio respectu adiumentorum* ad

finem propositum consequendum iunctis viribus *moralibus* et *physicis* efficienda; ita enim conspiratio interna externis actibus manifestanda est.

Ex qua societatis stricto sensu intellectae notione haec veluti corollaria consequuntur: α) Si elementa societatis secundum eius formam et materiam considerantur, in pluralitate hominum *materia,* in morali vero et constanti eorum coniunctione *forma* ipsius societatis reponenda est. Et quia haec unio a suo obiecto sive fine communi informatur, patet, omnem eiusmodi societatem singularem suam speciem recipere, sive, ut schola loquitur, *specificari per suum finem.*

β) *Moralis unio socialis,* quae coalescit ex unione triplici, nimirum intelligentiarum, voluntatum et virium, ut sit constans et efficax, *vim aliquam copulativam* exigit, qua veluti principio informante secundum unitatem obiectivam, quae in fine communi consistit, subiectiva quoque unio, non obstante sociorum libertate, efficiatur et conservetur. Alioquin posset quidem idem esse studium multorum, sed non esset, saltem necessario, coniunctum, et hinc non efficeret *ex pluribus* unum quoddam constans, sive unum corpus morale, quod tamen societatis notione postulatur. Possent etiam varii socii eiusdem coetus ad finem propositum attingendum variis adiumentis uti, itaque conspiratio socialis, in qua tamen sita est societatis essentia, facile deficere posset, si non adesset legitimum principium intelligens „conspirantium", ut ait Card. Mazzella[1], „intelligentiis eundem operandi modum praescribens eorundemque voluntates ad illum servandum obligare volens". Istud autem informans societatis principium *auctoritas* vocatur, quae proinde essentiale et constituens societatis elementum censendum est, nec est aliud, quam ius sive moralis potestas *apte dirigendi membra societatis ad finem communem,* quae quidem apta directio pro natura et libertate dirigendorum non potest nisi *obligatione* constare. Hinc recte auctoritas socialis definitur *ius obligandi membra societatis, ut ad bonum commune suis actibus conspirent.*

γ) *In omni porro societate* auctoritas suprema, utpote principium socialis unionis, non potest esse nisi *una.* Quae quidem in omni societate, quae in rerum natura reapse exsistit, adsit oportet, i. e. inhaerere ea debet alicui exsistenti subiecto rationali, et iure quidem, ut dici solet, exclusivo. Hoc auctoritatis subiectum *superior* dicitur, qui *unus* esse debet aut physice aut moraliter, sive persona una aut physica aut moralis; quare omnis eiusmodi societas similitudinem quandam cum homine ut persona individua habet. Itaque ad societatis stricto sensu intellectae constitutionem auctoritas absolute requiritur, utpote eius principium informans, sive forma essentialis externa, adeo ut respectu eiusmodi societatis efficiendae et formandae ea idem sit, quod est anima respectu hominis constituendi[2]. Unde patet, quam essentiali discrimine societas stricte dicta non solum a multitudine et mero coetu, sed etiam a collegio aequalium differat.

Itaque ut probetur, Christum societatem presse intellectam eamque religiosam instituisse, monstrandum est, Christum omnia verae et stricto sensu intellectae societatis necessaria elementa instituisse; ergo non tantum voluisse, ut hominum multitudo doctrinam suam atque praecepta amplecteretur,

---

[1] De relig. et Eccl. 356.

[2] Cf. Taparelli, Versuch eines auf Erfahrung begründeten Naturrechts I, übers. von Schöttl und Rinecker, Regensburg 1845, § 494, p. 175 sqq.

sed ut iis etiam communem finem attingendum communiaque ad id adiumenta praescripserit. Et cum Christi societas sit religiosa, probandum est, Christum voluisse, ut *finis* Ecclesiae suae propositus *ultimus* directe et per se sit aeterna fidelium salus Deique gloria, ita ut Ecclesia natura sua ad consequendam illam salutem hincque Dei gloriam augendam, quantum possit, conferat; evidens enim est, religionis divinitus revelatae alium finem ultimum esse non posse. Necesse praeterea est, Christum subministrasse et praescripsisse adiumenta, quae ad finem illum consequendum sufficiant; horum usus constituit *finem* Ecclesiae *proximum*. Ea autem adiumenta alia esse non possunt, quam communis ac *pura* fides *verae* Christi doctrinae habenda eiusque professio, necnon virtus spei et caritatis erga Deum, quae maxime mandatorum Christi observantia exercenda est. Hae enim tres virtutes, quatenus internae, efficiunt formam Ecclesiae internam eique veram vitam a Christo postulatam dant (cf. supra p. 3 sq), cum vera Christi Ecclesia sane esse nec possit sine communi ac pura fide ei doctrinae religiosae habita, quae sit certa ac determinata et vere doctrina Christi, nec sine serio, generatim saltem, studio, Christi legem observandi. Sed insuper ad societatem religiosam stricto sensu intellectam requiritur aliquis *cultus* divinus, qui in communi exerceatur et idem sit pro omnibus. Omnis enim religio etiam mere naturalis opus habet aliquo cultu Dei externo, qui ut omnium communi circa Deum persuasioni et fidei respondeat, unus sit oportet pro omnibus, cumque ad omnium erga Deum pietatem declarandam assumatur, in communi exerceri debet [1]. Denique societas omnis vera et stricte intellecta necesse est habeat aliquam *auctoritatem;* quapropter eam eodem atque etiam maiore iure sibi postulat societas religiosa christiana, tum quod praecepta huius religionis malis cupiditatibus quam maxime adversa difficilius quam ulla alia servantur ideoque iis homo magis obnititur, tum quod admodum difficile, si non impossibile videatur, ut magna hominum multitudo veram Christi doctrinam pura fide credat, nisi etiam respectu huius fidei puritatis et integritatis procreandae et efficiendae sufficiens et certa quoad ipsam doctrinam ac fidem auctoritas praesto sit.

Itaque ut probetur, Christum societatem religiosam *stricto sensu intellectam* constituisse, necesse est et sufficit monstrare, duo eum necessaria istiusmodi societatis elementa instituisse, scil. elementum tum *materiale,* constans ex credentium multitudine, tum *formale,* constans ex fine societatis proximo et ultimo et subsidiis ad eum assequendum, atque ex auctoritate, quae quoad fidem non minus quam quoad Christi legem moralem exercendam et conservandam vere sufficiat.

Verum societas potest stricto sensu esse vera quidem, sed ideo minime iam est etiam *perfecta.* Familia certe et commune sunt verae societates presse acceptae, non tamen sunt perfectae. Quid autem proprie ad perfectam requiritur, et undenam eius definitio petenda est? Aristoteles eam perfectam societatem dixit, quae sit in se completa adeoque adiumenta ad suum finem consequendum perfecte sufficientia in semetipsa habeat. Ait enim [2]:

---

[1] Drey III 89.

[2] Polit. l. 1, c. 2: *Ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις, ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἔπος εἰπεῖν.* In editione operum Aristotelis Berol. 1831, IV 627 huius loci translatio minime accurata haec est: „Perfecta autem societas ex pluribus vicis conflata civitas est, quae ad summum iam, ut ita dicam,

„Quod autem est ex pluribus vicis (conflatum) commune, perfecta civitas est, quae utique omnis habeat propriae sufficientiae terminum, ut ita dicam.“ Secundum S. Thomam vero[1] societas perfecta est illa, quae non est pars alterius, et cuius finis ad alterius finem in eodem genere non refertur. Quae quidem duae sententiae re vix inter se differunt; quaecumque enim societas alteri tamquam pars obnoxia est, sibi non sufficit, utpote nec libera nec in se completa; et vicissim, quae societas in alia tantum adiumenta ad sui conservationem propriique finis consecutionem primario saltem necessaria invenit, eo ipso huic subiecta est. Nihilominus, si accurate loqui volumus, dicendum videtur, S. Thomae sententiam Aristotelis praeferendam esse, tum ideo, quod secundum Aristotelem vix omnes recentiorum temporum respublicae regnaque singula societates omnino perfectae dici possent, cum singula regna multis in rebus aliorum subsidiis, interdum etiam necessariis, v. g. alimentis indigeant, cumque ista adiumenta, uti scientiae, artes, mercatura et alia quam plurima in universo genere humano magis perfecte atque abunde, quam in singulis regnis reperiantur; tum vero maxime propterea, quod sententia S. Thomae rationem quam maxime propriam, cur societas aliqua sit perfecta, diserte exprimit. Quam maxime enim proprium est societatis perfectae, ut non sit pars alterius, ut igitur polleat propria eaque suprema auctoritate, cum non solum non familiae et regni urbes, sed ne gentes quidem integrae, si propria suprema ac libera auctoritate careant, sint societates vere perfectae, quamquam aliis ad eiusmodi societatem constituendam necessariis saltem subsidiis fortasse omnibus abundant[2].

Quemadmodum igitur auctoritas est forma essentialis externa omnis verae societatis, ita auctoritas *suprema* et independens est ratio ac forma externa quam maxime propria societatis perfectae. Insuper duo alia ad istiusmodi societatem requiruntur. Primum finis in eodem ordine nullius alterius societatis fini obnoxius; — cum auctoritate suprema atque a nulla alia eiusdem generis pendente, talis finis intime connexus est; — alterum vero, ut istiusmodi societas adiumenta ad sui conservationem suumque finem consequendum sufficientia in semetipsa habeat; etiam haec est quasi conditio necessaria, ut auctoritas suprema esse possit. Erit porro tum ad cognoscendum, qualem re ipsa Christus Ecclesiam instituerit, tum ad eam a recentiorum praesertim adversariorum impugnationibus defendendam non minus utile quam necessarium, sedulo inquirere, utrum instituta a Christo societas religiosa non solum stricto sensu vera, sed etiam perfecta societas sit: cuius quidem utriusque quaestionis solutio duas proximae thesis partes constituit.

3. Definitionem vero Ecclesiae, praesertim talem, quae adversariis satisfaciat, hoc loco tradi nondum posse manifestum est. Prius enim constare debet, qualem Christus Ecclesiam suam instituerit. In fine igitur prioris sectionis totius huius tractatus, postquam scil. quaenam ex omnibus christianis coetibus vera Christi Ecclesia sit demonstravimus, eam Ecclesiam eatenus definiemus, quatenus e prius probatis nobis licebit.

---

omnis copiae bonis omnibus cumulatae nihilque praeterea requirentis, culmen pervenit.“

[1] S. th. 1, 2, q. 90, a. 3 ad 3.

[2] Magis evolvit doctrinam de societate perfecta Th. Meyer, Institutiones iuris naturalis I[2], Friburgi 1906, n. 392, p. 333 sq. Cf. Wilmers 1—13.

A plurimis quidem theologis haec Bellarmini[1] definitio dari solet: „Ecclesia est coetus hominum unius et eiusdem christianae fidei professione et sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius in terris Christi vicarii, Romani Pontificis." Quae quidem est Ecclesiae romano-catholicae definitio, et utique, tametsi non completa[2], vera tamen eatenus, quatenus, id quod probabimus, ista Ecclesia sola vera est. Sed cum haec veritas, utpote hoc loco nondum probata, sumi nequeat, cumque doctrina de sacramentis in theologia tantum dogmatica tradatur, evidens est, istam definitionem neque hic neque vel ad finem huius totius tractationis *totam* exhiberi posse. Unde alii tradunt hanc generalem definitionem, ut cum Bossuet dicant, Ecclesiam esse *societatem hominum veram Christi religionem profitentium.* Quam quidem definitionem veram, sed tamen *non completam* esse, patebit ad finem huius totius quaestionis. Multo minus autem statui et admitti hic potest veterum protestantium definitio, qua Ecclesiam congregationem vel praedestinatorum vel sanctorum atque iustorum dixerunt.

4. A saeculo sexto decimo ad hanc usque aetatem fuerunt, qui societatem proprie dictam religiosam a Christo institutam esse negarunt. Alii enim dixerunt, Christum condidisse quidem Ecclesiam, sed instar collegii; alii, praesertim recentiore aetate, affirmarunt, Christum nullam plane Ecclesiam, sed solam religionem, ut dici solet, in abstracto instituisse[3]. Qui haec docent, si coetum religiosum constituunt, singulis quas doctrinas christianas credere et quomodo Deum colere velint, liberum fere relinquunt, nomenque Ecclesiae aut respuunt aut nominis vim, si illo utuntur, in alium sensum torquent. Plurimi deinde viri politici et increduli iam a longiore tempore contendunt, Ecclesiam Christi societatem nullatenus perfectam, sed reipublicae in multis saltem obnoxiam esse.

Unde patet, quanti momenti sit, ut haec quaestio de institutione Ecclesiae Christi ut societatis stricto sensu intellectae et perfectae diligenter hoc loco tractetur, eoque magis, quod ex natura institutae a Christo Ecclesiae eius proprietates postea derivandae sunt, et si ipsa non probata sit ut societas veri et stricti nominis et in se perfecta, plures proprietates, inaequalitatis maxime et libertatis, quae utraque tamen Ecclesiae essentialis et summi momenti est, ei bene vindicari vix possunt.

---

[1] De eccles. milit. l. 3, c. 2.

[2] Ut enim non dicam, nomen *societatis* esse hic magis proprium quam nomen coetus, cum vocabulum *coetus* non exclusiva ratione significet societatem proprie dictam, qualis est Ecclesia Christi, definitio illa non exprimit Ecclesiae, qualis reapse est, vel totam *formam* essentialem externam, cum nihil dicat de infallibili magisterio, vel omnes proprietates essentiales, ne modo quidem implicito, cum non indicet vel perpetuitatem vel catholicitatem vel sanctitatem. Cf. hac de re Bonal, Instit. theol. I[10] 267 sq.

[3] Ita iam scribit Schenkel (Die christl. Dogmatik vom Standpunkt des Gewissens aus dargestellt II, Wiesbaden 1859, 939): „Steht doch nichts so fest, als daß Christus eine äußere Kirche gar nicht gestiftet hat." Item Münscher (Handbuch der christl. Dogmengesch. II[3], Marburg 1819, 375) scribit: „In den Reden Jesu und in den Schriften der Apostel findet sich keine Spur von der Absicht, daß alle Bekenner der christlichen Religion in eine große, nach der Ähnlichkeit einer politischen Verbindung geformte Gesellschaft zusammentreten sollten. . . . Eine Kirche im eigentlichen Sinne kennen die Apostel nicht, sondern bloß Kirchen." Lipsius (Jahrbuch des deutschen Protestantenvereins II [1871] 65) dicit: „Eine Kirche zu gründen in dem Sinne, den wir Moderne mit dem Worte verbinden, hat Jesus nicht beabsichtigt." Atque hodierni rationalistae fere uno ore idem pronuntiant (cf. supra p. 2).

§ 6.

Christus Ecclesiam instituit.

Thesis IV.

Itaque Christus ipse Ecclesiam universalem, i. e. religiosam societatem propriam ac vere et presse intellectam pro omnibus hominibus, eamque perfectam atque unicam instituit.

I. **St. q.** Thesis haec tres complectitur partes, in quarum prima de Christi Ecclesia ut societate universali ac vere et presse intellecta atque Christi propria agitur, in altera vero de ea ut societate perfecta, in tertia denique de ea ut unica. — Christum porro ipsum dum Ecclesiam universalem instituisse dicimus, eam *directe* pro omnibus hominibus fundasse intelligimus, nondum tamen hic inquirimus, *qua ratione* Ecclesia universalis esse debeat, cum hoc postea in quaestione de proprietate catholicitatis definiendum sit. Cum vero affirmamus, Christum Ecclesiam propriam instituisse, dicimus, eam esse a synagoga omnique alia societate vere distinctam. De fine autem Ecclesiae in ipsa thesi nihil diserte enuntiamus, quia eius expositio et probatio est elementum necessarium societatis et hinc ipsius argumentationis, qua Ecclesiae institutio demonstratur. Quod idem de subsidiis valet. In tertia porro parte Ecclesiam unicam a Christo institutam esse dicimus, ita ut plures Christi ecclesiae esse non possint. Agunt quidem aliqui theologi de hac Ecclesiae singularitate, qua unica sit, in quaestione de proprietate unitatis Ecclesiae, quacum utique connexa est; nos tamen istam quaestionem hoc ipso loco tractare praeferimus. tum quia de ea ut certo vera iam constare debet, antequam de Ecclesiae proprietatibus, v. g. immutabilitatis, apostolicitatis etc. agi possit, quaestio autem de eius unitate perpetua rite solvi nequeat, si illae duae proprietates antea vindicatae non fuerint; tum etiam quia Ecclesiae singularitas videtur potius *factum,* quam positiva ac definita Ecclesiae proprietas esse. Eo enim, quod Ecclesia unica dicitur, affirmatur tantum, Christum non plures instituisse; quas autem qualitates illa una Ecclesia habeat, nondum indicatur.

II. **Probatur thesis pars I: Christus instituit societatem religiosam universalem, distinctam, veram.** Instituit enim omnia quae ad talem societatem necessaria sunt, ac primum quidem eius elementum

1. materiale, i. e. fidelium multitudinem. Ut enim in ultima thesi tractationis de Christi revelatione probavimus, voluit Christus *religionem suam universalem* fieri, ita ut omnes omnino totius terrarum orbis gentes eam amplecterentur; atque eo consilio duodecim a se electis apostolis horumque successoribus mandavit, ut eam omnibus hominibus praedicarent: quod quidem mandatum apostoli, ut ex eorum actis et epistulis notum est, strenue exsecuti magnam

hominum multitudinem Christo conciliarunt. Et suo iam tempore Christus quam plurimos et discipulos et fideles, qui ipsi credebant, nactus est. Enimvero Io 4, 39—41 multi samaritanorum, ib. 11, 45 multi iudaeorum in eum credidisse referuntur. Necnon pluribus aliis locis evangelistae testantur, quam plurimos in Iesum Christum credidisse, hancque fuisse unam ex rationibus, propter quas summi sacerdotes et pharisaei simul convenirent, ut eum morti traderent. Sane Io 11, 47 48 referuntur illi dixisse: „Quid faciemus, quia hic homo [Christus] multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum." — Sed praeter hoc elementum materiale societatis amplissimae ac sibi propriae Christus instituit huius etiam elementum

2. formale. Nam a) *voluit Christus,* ut quicumque sibi nomen darent, admitterent tum doctrinam suam religiosam unam ac certam, sua ipsius et infallibilium apostolorum praedicatione determinatam, tum communem sive ab omnibus observandam legem suam. Christum enim *doctrinam* tradidisse non vagam, sed certam, non methodo quidem ordinata et scientifica, sed tamen claris ac simplicibus verbis determinatam, patet ex iis, quae de eius doctrina iam tradidimus[1]. Idem insuper sequitur ex ipsius mandato apostolis dato docendi omnes gentes, et docendi ut servarent, quaecumque ipse mandasset. Huiusmodi enim verba „aperte significant, Iesum Christum edocuisse veritates determinatas, non vero genericas seu indeterminatas: alioquin si quod apostolos edocuit, determinatum non erat, quomodo ipsi annuntiare poterant gentibus, quid credendum esset? Immo a praeallatis verbis indicantur non solum veritates credendae, sed etiam veritates in praxim deducendae. Praxis autem est de singularibus et determinatis: est quippe de agilibus, quae circa particularia versantur. Itaque determinata esse debebant, quae a Christo apostolis mandabantur."[2] Quod idem sequitur e promissione Spiritus Sancti, qui omnem veritatem apostolos doceret. Huic enim Christi promissioni iniuriosum esset dicere, Spiritum Sanctum veritatem non edocuisse determinate, sed tantum generice. Tametsi enim veritas generica potest esse etiam clara et explicita, potest tamen veritates continere obscure tantum et implicite; veritas autem determinata est *clara et explicita;* unde Spiritus Sanctus non posset dici apostolos in *omnem* veritatem induxisse, si eos veritatem modo tantum vago et indefinito docuisset. Accedit, quod, si Christus doctrinam suam non definito modo tradidisset, hac docendi ratione „inferior fuisset Platone, Aristotele aliisque philosophis, qui doctrinam tradiderunt, saltem circa nonnulla, determinate. Hoc autem dignitati Christi derogat, non modo ut Dei, verum etiam ut hominis sapientissimi."[3] Verum quidem est, multas

[1] Cf. vol. I, p. 608 sqq.
[2] Gatti, Institutiones apologetico-polemicae III, Romae 1867, 304.
[3] Ibid. 305.

christianae religionis veritates ab apostolorum successoribus eatenus magis definitas esse, quatenus ab iis declaratum est, quod non erat omnibus clarum et explicitum, vel etiam quatenus determinatum est vocabulum, quo veritas christiana definite enuntiaretur; sed non hoc sensu apostolorum successores ullam veritatem determinarunt, quod eam vel antea *in se* determinatam non crediderint, vel ei quidquam contrarii docuerint.

b) *Ratione autem cultus divini* non solum omnibus suis futuris fidelibus Christus praecepit, ut frequenter ad Deum preces funderent, sed etiam precandi formulam praeclarissimam omnibus tradidit, qua primum Deo ipsi, ut oportet, laudem demus, eaque ut ab omnibus ipsi exhibeatur Deique voluntati ab omnibus perfecte oboediatur optemus, deinde etiam nobismetipsis bona flagitemus[1]. Insuper preces communes plurium in ipsius nomine congregatorum Christus ut valde efficaces laudat atque commendat (Mt 18, 19 20), et cultum Deo a fidelibus suis exhibendum Io 4, 23 dixit debere esse et reapse fore verum et praecipue spiritualem, i. e. nec falsum, qualis saltem ex parte erat samaritanorum, nec mere externum, qualis tunc temporis maxima ex parte erat iudaeorum cultus, sed futurum eum esse fidei, spei, caritatis erga Deum aliarumque virtutum actibus animatum.

Quominus enim dici possit, Christum illis verbis: „Eos, qui adorant Deum, in spiritu et veritate oportet adorare", externum et publicum Dei cultum prohibuisse, obstat α) ipsum verbum isto loco ab evangelista usurpatum προσκυνεῖν. Quod cum in sermone mulieris samaritanae v. 20 de universo divino cultu samaritanorum et iudaeorum, qui offerendis sacrificiis maxime constabat, adhibitum legatur, Christus eodem quo mulier usa erat verbo ei respondens et loquens de suae religionis cultu divino, de externo non potuit non adhibere, quamquam rectissime addit, externum cultum per se minime sufficere, nisi sit verus et interna erga Deum pietate ac devotione animatus. Obstat β) illi interpretationi, quod Christus Deus tollere nec voluit nec potuit veritatem legis naturalis, secundum quam homo totus, corpore et mente, Deum, totius hominis creatorem ac Dominum, colere et honorare debet. Praeterea γ) infallibiles voluntatis Christi interpretes apostoli factis agendique ratione ostendunt, tantum abesse, ut Christus cultum Dei externum proscripserit, ut eum omnino voluerit. Certe Act 2, 42 et maxime 46 Lucas approbans refert, primos christianos Hierosolymis sub apostolorum oculis et secundum eorum certe etiam exemplum ac doctrinam publico cultu Deum honorasse; item Paulus 1 Cor 11, 4 sqq, secundum communem interpretationem, de precibus occasione cultus Dei publici et communis fundendis loquitur, cf. ib. 14, 26 sqq; Hebr 13, 10 vero loquitur de altari et hinc etiam sacrificio, quod christiani habeant. Denique δ) illa Christi verba referri possunt „vel ad locum vel ad ritum et modum adorandi; atqui, quocumque modo intelligantur, non favent adversariis. *Non primo modo:* nam interroganti samaritanae, ubinam adorare oporteret, an in monte Garizim, ut samaritani, an in templo Hierosolymitano, ut iudaei, respondit Christus, venisse horam, quando neque

[1] Cf. vol. I, p. 609 sqq.

in monte neque in Hierosolymis adorabunt Patrem: quasi diceret, nullo in loco certo astringendos fore ad adorandum, sed ubicumque voluerint, liberum ipsis fore adorare et publico ritu sacrificare. Adeoque mens Christi non est, veros Dei cultores non esse amplius adoraturos in Ierusalem vel in Samaria, cum constet, Petrum et Ioannem post acceptum Spiritum Sanctum ascendisse ad templum, ut refertur Act 3, 1, sed tantum liberam fore quoad locum adorationem nec uni potius quam alteri loco alligandam fore. *Non secundo modo:* nam si praedicta verba intelligantur de ritu adorandi, nihil aliud significant, quam in lege evangelica Deum non esse adorandum vel ritu iudaeorum vel ritu samaritanorum, sed ritu christianorum proprio, qui est adorare in spiritu et veritate" [1], i. e. non mere externo et sine vera animi in Deum pietate. Unde certum est, Christum voluisse, ut sui fideles Deum cultu etiam externo honorarent, etsi omnem eius modum non ipse instituerit, sed apostolis eorumque successoribus permiserit in multis certe accuratius definiendum.

c) *Christus porro* fidelium suorum summam unitatem obiectivam voluit, *finem* constituendo iis *communem,* et iis quidem constituit

α) finem *proximum* sive immediatum hunc, ut singuli et universi religionem suam plene ac pure colerent atque hac ratione conservarent. Religio enim christiana continetur primum vera ac pura fide in Christi doctrinam; dein huius verae fidei professione ac denique praeceptorum Christi observantia. Voluit autem Christus, *α′*) *ut fides pura servaretur.* Nam infallibilitatis donum ob nullam aliam rem apostolis collatum est, nisi ut et ipsi religionem Christi puram ab omni falsitate et integram generi humano praedicarent, et qui ipsis crederent, fidem omnino puram et integram haberent atque conservarent[2]; idque sufficienter indicat etiam Paulus Eph 4, 11—14, dum ideo datos esse apostolos scribit, ut „non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae". — *β′*) *Externam vero fidei* professionem ab omnibus fidelibus suis exegisse Christum evidens est ex eius verbis Mt 10, 32 33, ubi, postquam apostolos doctrinam suam publice praedicare iussit nihilque homines timere, concludit generali hac sententia: „Omnis ergo, qui confitebitur me (*ὁμολογήσει ἐν ἐμοί*) coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est." Quod quidem profitendi fidem officium Christus etiam alias saepius docuit, ut Lc 9, 26: „Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua." Dixit igitur Christus clare, unumquemque fidelium, qui velit ab ipso tamquam suus agnosci atque aeternum salvari, debere ipsum ipsiusque doctrinam aperte, et si opus sit, omnibus licitis modis (nullus enim excipitur verbo generali *ὁμολογεῖν*) profiteri. Atque eandem fidei christianae professionem, ut omnino ad aeternam salutem necessariam, etiam Paulus diserte exigit Rom 10, 10 scribens: „Corde creditur

---

[1] Tournely, De Ecclesia q. 2, art. 7, concl. 1.

[2] Cf. supra p. 11.

ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.“ Necnon eandem fidei professionis necessitatem etiam christianorum praepositos primis iam saeculis inculcasse notum est ex compositis ab iis in hunc finem doctrinae christianae symbolis. Atque ideo etiam ad conventus publicos Christi fideles conveniebant, ut publico cultu christianos sese profiterentur et ad fidem servandam inter sese excitarent. Atque innumeros martyres publicam fidei christianae professionem vita ipsa potiorem duxisse omnibus compertum est. — γ′) *Denique praeceptorum suorum* observantiam Christum a fidelibus suis singulis et universis exegisse patet tum ex ipso consilio, quo praecepta, ac praecipue divina imponuntur, tum ex directo Christi mandato apostolis dato, ut populos docerent omnia, quaecumque ipse mandaverat, *observare,* tum denique ex tota apostolorum agendi ratione, utpote qui non solum leges ferebant, sed etiam earum publicos transgressores publice quoque gravibus poenis mulctabant irrepentesque abusus reprimebant.

β) *Finem* vero *mediatum* et *ultimum,* sed *directe*[1] et per se intendendum Christus fidelibus suis proposuit consecutionem aeternae salutis et hinc gloriae Dei. Quod patet α′) *ex fine proximo* christianis praestituto. Finis enim alicuius rei ultimus et qui directe et per se intendatur, est illud, ad quod consecutio finis proximi tamquam adiumentum natura sua tendit et in quo sistit; atqui religionis christianae finis proximus, ut ea scil. a Christi fidelibus colatur atque ita conservetur, natura sua tendit ad salutem aeternam christianis et hinc ad gloriam Deo procurandam; ergo aeterna salus Deique gloria est finis religionis christianae ultimus et per se directe intendendus. — β′) *Ex Christi verbis* Mc 16, 16, ubi, dato mandato, ut doctrina sua in universa terra praedicetur, ait: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.“ Christus enim hic evidenter loquitur primum de fine proximo, de fide scil. doctrinis suis habenda et religione sua amplectenda, dicitque deinde, ab huius finis assecutione pendere aeternam hominum salutem; haec ergo est religionis suae et hinc omnium christianorum finis ultimus et directe intendendus. Idem liquet etiam e Christi verbis Mt 19, 17: „Si vis ad vitam [aeternam] ingredi, serva mandata.“ Loquitur enim Christus hic non de praeceptis legalibus Veteris Testamenti, sed de praeceptis divinis etiam a christianis observandis, ut ipse protinus v. 18 et 19 declarat, dicitque igitur, horum mandatorum observantiam, quae partim saltem

[1] Omnium utique actionum societatum humanarum finis ultimus idem esse debet, at non semper *directe* intendendus. Ita certe finis reipublicae ultimus est etiam, ut civibus assecutionem salutis aeternae faciliorem reddat, sed ad hunc finem respublica non directe, sed indirecte, procuratione scil. felicitatis et securitatis temporalis, et religionem veram tutando tendere debet.

finem religionis christianae proximum constituit, esse viam ad vitam aeternam, hunc igitur christianae legis finem ultimum esse et directe intendendum. Quod insuper inde comprobatur, quod Christus et suos fideles iussit primum quaerere regnum Dei eiusque iustitiam, et thesauros spirituales colligere potius pro coelo quam terrenos pro hac vita (Mt 6, 19 sqq); quodque se ideo in mundum venisse dicit (Io 3, 15 16), ut omnis, qui credat in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam, ideoque etiam se baptismum instituisse, ut sui in aeternum Dei regnum introire possint (ib. v. 5). — γ') *Sequitur praeterea* idem *ex doctrina apostolorum,* qui omnes fere, ut S. Petrus 1 ep. 1, 3 sqq 9, christianis gratulantur, quod per Christum regenerati in spem vivam, in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in coelis, virtute Dei custodiantur per fidem in salutem, reportantes finem fidei, salutem aeternam.

d) *Auctoritatem* vero, qua fideles ad communem finem propositum proximum ideoque etiam ultimum suis actibus attingendum apte dirigerentur et severe obligarentur, Christus omnino maximam et accommodatissimam instituit. Nam, id quod iam probavimus, instituit infallibile magisterium, ut non solum religio sua in dies latius propagaretur et recte praedicaretur, sed etiam ut fideles veram et integram doctrinam suam acciperent et purissima fide eam credere et possent et obligarentur: auctoritatem igitur quoad primum finem proximum, fidem scil. habendam et conservandam, adeo praeclaram, utpote vivam, visibilem, infallibilem ideoque summe competentem, ut melior constitui plane non possit. Quod autem attinet ad alium finem proximum, ad mandata servanda caritatemque erga Deum hominesque exercendam fidelesque inter sese consociandos, optimam pariter auctoritatem Christus instituit, conferendo apostolis potestatem legiferam, iudicialem et ultricem, et instituendo insuper unum huius totius regiminis caput, Petrum, committendo ei primatum supremae et universalis iurisdictionis, hincque eum quasi centrum constituendo summae illius unitatis subiectivae, quae cum Christo adeo cordi esset, Io 17, 20 21 precatus est, ut fideles sui omnes unum fierent, sicut ipse et Pater unum sint.

e) *Christum denique* societatem *distinctam* a synagoga omnique alia societate instituisse patet iam ex iis, quae hactenus diximus, ex eo scil., quod fidelibus suis doctrinam iudaica ampliorem ac sibi propriam tradidit, quae *ubique terrarum* praedicaretur *gentibus;* quod proprium etiam finem proximum his fidelibus constituit, quod auctoritatem quoad credendum et agendum novam instituit. Patet idem etiam ex eo, quod ipse praenuntiat (Lc 19, 42—44; 21, 5 6) mox futuram urbis et templi Hierosolymitani eversionem et Ecclesiam vocat *suam* (Mt 16, 18) et de ea ut *suo* ovili (Io 10, 16), in quo oves sint tum ex iudaeis tum e gentilibus colligendae, necnon ut de *suo* regno (Io 18, 36) loquitur. Et Hebr 10, 1 synagoga *umbra*

tantum novae legis sive Ecclesiae Christi dicitur. — Idem patet e primaeva Ecclesiae Christi historia. Constat enim ex apostolorum Actibus (2, 42—46; 4, 23 sqq; 5, 11—13), primos Christi fideles in peculiarem coetum convenisse, cui apostoli praeerant, atque in conventibus ita fuisse ab aliis separatos, ut nemo auderet se illis adiungere. Atque ib. 8, 1 3 refertur, post mortem S. Stephani persecutionem magnam exortam esse contra *Ecclesiam,* quae erat Hierosolymis, et Saulum *Ecclesiam* devastasse. Haec autem Ecclesia manifesto non erat vel synagoga vel gentilium aliqua societas. Notum est etiam, gentilibus, qui Ecclesiae sese aggregarunt, onus circumcisionis et caeremoniarum legalium non fuisse impositum; ad synagogam igitur ii non pertinebant. Ergo exstitit Ecclesia propria Christi, ex iudaeis et gentilibus effecta, qui christianam doctrinam profitebantur.

Neque obstat, quod Christus usque ad mortem servavit ritus mosaicos. Hoc enim fecit prudentiae et caritatis causa, cum si iam ab initio voluisset abolere ritus, quibus iudaei pertinaciter adhaerebant, magnum periculum ortum esset, ne illorum animi a Christi praedicatione ac fide statim penitus averterentur. Ecclesiam autem suam proprie tantum post suam a mortuis resurrectionem instituit, cum (Io 21, 15—17) Petro oves suas pascendas traderet. — Nec magis obstat, quod apostoli etiam ab initio Ecclesiae leges caeremoniales Veteris Testamenti prudenter observarunt, ut ita iudaeos facilius ad religionem christianam amplectendam permoverent; quamprimum autem haec prudentiae ratio cessabat, totus ille antiquus ritualis apparatus ut supervacaneus inter christianos etiam ex iudaeis oriundos sublatus est. Insuper iudaei Christi Ecclesiam non adeo persecuti essent, si ipsa a synagoga non fuisset omnino distincta.

Itaque Christus societatis verae et presse intellectae elementum non solum *materiale,* sed etiam *formale,* et perfectissimum quidem instituit, ideoque istiusmodi societatem religiosam sive Ecclesiam vere ac proprie condidisse dicatur necesse est.

Confirmantur quae diximus 1. symbolis, quibus Christus ad designandam Ecclesiam suam utitur. Comparat enim eam Io 10, 16 *ovili;* pro ovili autem sive pro ovium multitudine habetur pastor sive auctoritas visibilis dirigens oves, si opus sit, vi ad communem aliquem finem. Atque alibi eam *domui* comparat, dicens Mt 16, 18: „Super hanc petram *aedificabo* (*οἰκοδομήσω*) Ecclesiam meam", quibus Christus evidenter affirmat, se diversos homines tamquam totidem lapides super unam petram tamquam fundamentum firmans ad unum spirituale aedificium construendum apte iuncturum esse, sive e credentium multitudine effecturum societatem veram et proprie dictam instar familiae sub uno supremo capite sive sub una et vera auctoritate constitutae. Unde etiam 1 Petr 2, 5 Christi fidelibus dicitur: „Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis"; et a Paulo 1 Cor 3, 9 Dei aedificatio ii nuncupantur. Christus praeterea Ecclesiam *regnum*

suum dicit Io 18, 36; Mt 11, 11 et Lc 7, 28, societatem igitur maxime veram et presse intelligendam. — Confirmatur idem

2. gestis apostolorum. Constat enim ex Act c. 2 et c. 4; 14, 22 et c. 15 aliisque multis locis (cf. supra vol. I, p. 850 sq), apostolos post Christi ab iis discessum continuo eius doctrinam praedicasse atque e credentibus primum iudaeis ac deinde gentilibus coetus fundasse distinctos et a gentibus, quibus odio, et a iudaeis, quibus scandalo erant, in iisque regimen a Christo ipsis commissum exercuisse, saepissime tamen, ut paulo ante vidimus, de una Christi universali Ecclesia locutos esse. Unde patet, eos Ecclesiam sive societatem presse dictam a Christo per ipsos institutam agnovisse; quam quidem adeo laudarunt, ut Paulus eam mysticum Christi corpus diceret (Eph 1, 22 23). — Confirmatur idem

3. testimonio christianorum. Nam apostolorum aetate usque ad nostra tempora quam plurimae religiosae christianorum societates exstiterunt, quae quamvis doctrina et regiminis forma quam maxime dissentirent, institutam a Christo esse Ecclesiam ad formam societatis presse intellectae et universalis semper affirmarunt. Ergo dicendum est, Christum reapse eiusmodi Ecclesiam instituisse.

Antecedens probatur a) *e notissimo facto,* quod ab apostolorum aetate usque ad saeculum XVI fuerunt plurimae istiusmodi societates christianae, quarum singulae se Ecclesiam Christi dicebant, nec umquam inter sese disputabant, utrum Christus Ecclesiam sive societatem religiosam presse intellectam et universalem instituisset, sed tantum, quaenam ex ipsis Christi Ecclesia esset. Atque adhuc multae eiusmodi societates, ut romano-catholica, graeca, lutherana etc., late diffusae exsistunt, quae singulae institutam a Christo ecclesiam se esse praedicant. — Probatur idem b) *e scriptis veterum Patrum* et primorum defensorum religionis christianae; in iis enim saepenumero societas religiosa christiana perhibetur ut distincta non solum a gentilibus et iudaeis, sed etiam ab aliis christianorum coetibus, eaque ut vera Christi Ecclesia designatur. — c) *Atque ipsi gentiles* nullibi leguntur ipsum institutionis Ecclesiae christianae factum impugnasse, sed tantummodo Christum, societatis christianae sive Ecclesiae auctorem, Deum esse negabant. Ipsi etiam christianorum persecutores non aliud insectati sunt nisi Ecclesiam, sive ut ipsi dicebant, sectam, quae se a Christo institutam dicebat; unde martyribus saepe exprobrabant, ipsorum religionis auctorem in cruce suffixum obiisse. Insuper notum est, gentiles prae ceteris illos e christianis ad necem quaesivisse, quos aliis auctoritate praeesse noscebant. — Atque hanc nostram doctrinam d) *confirmant etiam vetustissima monumenta templorum et locorum,* in quae christiani ad communem Dei cultum conveniebant; item catalogi, qui exhibent series praepositorum Ecclesiae aut particularis aut etiam late in terrarum orbe diffusae, et pertingentes quidem usque ad ipsam apostolorum aetatem; traditio libelli pacifici (literarum formatarum),

qui in testimonium communionis ecclesiasticae tradi solebat; martyrum responsa, quibus illi passim se membra Ecclesiae Christi esse dixerunt; necnon antiquissimae et notae controversiae de die celebrandi paschatis, et de iis, qui ab alterius christianae societatis membris baptizati erant, iterum baptizandis; hae enim controversiae agitatae sunt inter nonnullos particularium ecclesiarum praepositos et inter eum, quem ipsius universalis Ecclesiae caput agnoscebant; praeterea sententiae, quibus christianorum superiores nonnumquam iam antiquissimo tempore multos ex Ecclesia excludebant.

Verum igitur est, quod in antecedente de christianis Ecclesiae institutionem testantibus diximus. Sed nec minus verum est, quod inde conclusimus, Christum scil. Ecclesiam instituisse, quaecumque tandem ex omnibus christianis societatibus vera sit Christi Ecclesia. Incredibile enim est, qui tam innumerabilis hominum multitudo cuiusvis conditionis et nationis multisque dissidiis nonnumquam quoad alia divisa, a undeviginti saeculis iam ubique fere terrarum constanter potuisset affirmare ac pro certo omnino habere, Christum Ecclesiam sive societatem religiosam proprie ac presse intellectam et universalem instituisse, si Christus reapse nullam talem condidisset. Nullum certe habetur de ullo humano facto testimonium plenius, constantius ac fide magis dignum. Quam ob rem si hoc testimonium non veritatem, sed meram fictionem diceretur referre, omnis plane fides historica tolleretur. — Confirmatur denique haec nostra sententia

4. rationibus congruis. Nam a) *Christum in religione sua* illa haberi voluisse, quae naturae religionis per se conveniunt, illaque saltem tam perfecte in ea inveniri voluisse, quam fuerunt in synagoga, quae praeparatio tantum ad Christi Ecclesiam fuerat, iure licet affirmare. Iam vero *α) naturae religionis* per se convenit, ut accipiat formam societatis verae ac presse intellectae, ipsa enim necesse est habeat finem propositum omnibus, qui eam profiteantur, communem et constantem; ubi autem eiusmodi finis propositus est et homines sua sponte multi simul coeunt, etiam aliqua auctoritate opus est, qua ad illum communem finem constanter prosequendum dirigantur et obligentur. — *β) Ecclesia populi israelitarum* erat a Deo ipso instituta ut societas vera et presse intellecta, cum ea certam doctrinam religiosam et cultum divinum ac finem communem atque veram auctoritatem, prophetas et sacerdotes, haberet; ergo congruum fuit, ut etiam Christus ipse directe institueret Ecclesiam, perfectiorem utique, sed tamen stricte intellectam societatem ad religionis suae universalis professionem et conservationem; idque eo magis congruum videtur, quod Christus declaravit Mt 5, 17, se non venisse ad mosaicam legem, i. e. synagogae elementa in illa lege contenta omnia penitus tollenda, sed perficienda.

b) *Revelatio christiana* e Christi voluntate *perpetuo mansura* eo consilio data est, ut eius ductu et observantia homines ad Deum

reducerentur. Ratio autem perspicit eam diu integram servari et ad Dei mentem explanari non posse, nisi firma instituatur societas, cui auctoritate divina illius custodia et explicatio committatur; idque magis etiam verum esse, si futurum sit, ut haec religio a multis adversariis impugnetur. Iam vero Christus, cum esset Deus, id quod revera accidit, optime praescivit futurum esse, ut vera sua religio quam vehementissime a iudaeis, gentilibus atque ab ipsis malis christianis impugnaretur; ne igitur brevi periret, quam maxime profecto conveniens fuit, ut ad eam profitendam et conservandam non vagam sibique vix cohaerentem fidelium multitudinem convocaret, sed firmam atque optime constitutam societatem institueret. Rectissime igitur Christus societatem propriam et presse intellectam ad religionis suae professionem et conservationem instituit.

Nota. Rationalistae hodierni cum, ut diximus, omnes uno ore negent Christum Ecclesiam instituisse, de eorum placitis breviter disserendi locus hic esset. Sed quia de eorum systematis recurret sermo in thesi VIII, parte II, 2, ut tota res sub uno conspectu ponatur, eam totam illo loco tangemus. Sufficiat interim annotasse, omnia eorum systemata duplici hoc praecipue fundamento superstructa esse, ut negetur Christi divina missio et divinitas, et ut negetur authentia textuum evangelicorum, quibus hucusque in tractatu hoc usi sumus. Sed Christum legatum divinum et Deum esse vol. I iam ostendimus. De authentia eorum textuum sufficit, quod supra p. 100 dictum est.

Probatur pars II: Christi Ecclesiam esse societatem perfectam. Nam 1. societas, quae ex auctoris divini voluntate pollet a) auctoritate in suo genere suprema, quaeque b) fine et natura sua est tota supernaturalis et c) in hoc genere insuper summa et d) ad nullam aliam societatem ordinata, nequit societati mere naturali, qualis est civilis, esse subiecta. Repugnat enim recto rerum ordini, quominus quod altius et perfectius est inferiori et imperfectiori subiciatur eique inserviat; unde sane in rerum universitate ubique videmus res inferioris ordinis inservire ordini superiori: ita plantae subserviunt brutis, bruta imperfecta et minora alimento sunt fere perfectioribus atque maioribus, denique bruta omnia una cum rebus mere materialibus homini subiecta sunt. Iam vero quod natura sua vel certe modo, quo tribuitur, est supernaturale, omnino altius et perfectius est re eiusdem generis mere naturali; huic ergo subici nequit, quin rectus quique Deo placeat ordo violetur. Item repugnat, quominus societas, quae in se habet supremam in suo genere tum naturam tum auctoritatem, in eodem subsit alteri, et quae ad aliam non ordinatur, ab alia tamen pendeat.

Iam vero Christi Ecclesia est societas a) auctoritate *in suo genere suprema* divinitus instructa. Ut enim probavimus, Christus in Ecclesia instituit magistratus proprios atque totius Ecclesiae primatem, Petrum, suprema et vere monarchica in omnes Christi fideles pollentem auc-

toritate. Habet ergo Ecclesia rationem et formam societatis perfectae et monarchicae, utique spiritualis, ac quam maxime propriam, ita ut ceu talis nullius alterius societatis pars atque ad eam ordinata esse possit. — Item

b) institutione et elemento suo formali ipsa tota quanta *supernaturalis,* i. e. omnino praeter ordinem naturalem a Christo Deo, supernaturalis revelationis auctore, instituta est; finis vero eius proximus, ideoque ipsa eius indoles consistit in ipso illius revelationis cultu et conservatione, est ergo pariter supernaturalis, et spiritualis quidem; finis vero eius ultimus et directe quidem intentus est ipsa adeptio vitae aeternae. Auctoritas denique a Christo in Ecclesia constituta est institutione sua tota quanta supernaturalis, natura vero praecipue spiritualis. — Ecclesia itaque est societas multo altior civili *origine,* cum haec, sive mediate tantum, sive etiam immediate a Deo dicitur instituta, sit originis modo naturalis; item altior est *fine,* et hinc etiam *indole* sua; finis enim Ecclesiae directe intendendus tum proximus tum ultimus est spiritualis, et proximus insuper certo supernaturalis [1], cum contra, ut in doctrina de lege naturali monstratur, finis proximus societatis civilis sit mere naturalis et temporalia bona respiciat, beatitudo vero aeterna eius finis ultimus non directe, sed tantum oblique sive indirecte intendendus esse possit. *Auctoritas* denique in Ecclesia constituta propter eandem rationem supernaturalis originis atque propter naturam suam multo magis spiritualem, quam est indoles ullius auctoritatis civilis, pariter altioris ordinis est, quam esse potest ulla potestas naturalis et ad res mere temporales pertingens; ergo auctoritas *monarchica* a Christo Ecclesiae data in suo ordine alteri auctoritati subiecta esse non potest.

c) Item Ecclesia Christi in ipso societatum supernaturalium genere *suprema* est. Inter omnes enim societates etiam religiosas temporis Christi nulla revera supernaturalis fuit nisi sola synagoga; si earum igitur ulla in genere isto cum Ecclesia Christi comparari posset, esset synagoga tantum; sed haec non solum multo imperfectior Christi Ecclesia, eiusque tantum rudis quasi figura fuit, sed etiam a Christo Deo iamdudum abrogata est [2], ita ut post ipsum iure exsistere amplius non potuerit. — Denique

d) Ecclesia Christi ad nullam aliam societatem ordinatur. Ea enim „societas ad aliam non ordinatur, cuius finis ad alium finem non ordinatur. Atqui Ecclesiae finis ad alium finem non ordinatur;

[1] Utrum etiam finis Ecclesiae ultimus, felicitas aeterna, supernaturalis sit, huius loci non est disquirere; tametsi igitur id propter finem Ecclesiae proximum eiusque totam indolem supernaturalem hic iam probabile saltem videri possit, non tamen hoc loco istud affirmamus, ideoque eum, qui felicitatem illam aeternam mere naturalem ponere velit, non impugnamus.

[2] Cf. vol. I, p. 514 sqq.

immo ceteri omnes ordinantur ad ipsum; quandoquidem ipse est *ultimus* hominum finis.“ [1]

2. Christus religionem suam, id quod iam probavimus, tum locorum tum temporum ratione *universalem* esse voluit; ipsa autem ab Ecclesia non differt, nisi ut res cogitatione concepta a re revera exsistente, sive, ut schola loquitur, ut res abstracta a concreta. Re enim religionem et Ecclesiam suam Christus voluit esse unum idemque, cum nec esse possit vera Christi Ecclesia, quae non habeat veram eius revelationem sive religionem, nec ipse voluerit religionem suam esse separatam ab Ecclesia, utpote quam ad eam ipsam integre et pure colendam et conservandam instituit [2]. Ergo ex Christi voluntate eius Ecclesia est natura et destinatione eadem ratione, qua Christi religio, universalis. Simul tamen Christus hanc suam Ecclesiam adeo *unitam* voluit, ut ei unum supremum caput, universali ac summa iurisdictionis potestate praeditum praeficeret. Omnis porro respublica omneque regnum temporale tunc, uti nunc, fuit societas minime universalis, sed plus minusve particularis.

Iam vero societas universalis et simul proprio ac summo coniunctionis principio unita nequit subici societati particulari eiusque quasi pars constitui, sed necesse est sit ipsa societas perfecta atque completa. Quod confirmatur his Christi verbis (Io 18, 36): „Regnum meum non est de hoc mundo“, utpote quibus Ecclesiam suam verum regnum dicit, sed nec origine nec natura sua simile regnis huius terrae, sed spirituale et religiosum. Christus igitur fideles suos non in societatem aliquam unam politicam coniungere voluit, ita ut alia regna et respublicas exsistentes tollere ullatenus vellet, sed societatem voluit religiosam, quae uti variis regnorum et rerumpublicarum formis non adversaretur, ita nec ab ipsis penderet iisque subiecta esset.

3. Ea societas est perfecta, quae adiumenta ad finem suum consequendum sufficientia in semetipsa habet; atqui Christi Ecclesia subsidia ad sui finis consecutionem plane sufficientia in semetipsa habet. Quod

---

[1] Tarquini, Iuris eccl. publici institutiones[4], Romae 1875, 31.

[2] Bene hac de re Hettinger (Apologie des Christentums IV[9], Freiburg 1907, 413): „Wie die Idee der Menschheit nur im Menschen zur Wirklichkeit kommt und nur so da ist, so verwirklicht sich das Christentum als Licht und Leben der Menschheit nur in der Kirche; die Kirche ist die konkrete Erscheinung des Christentums. Und wie zwischen der Idee der Menschheit und ihrer Verwirklichung nur eine Unterscheidung im Gedanken, keine reale Scheidung möglich ist, so mögen wir wohl begrifflich Christentum und Kirche auseinanderhalten, tatsächlich fallen sie zusammen; eine reale Scheidung würde beide aufheben. Das Christentum ist die Kirche, und die Kirche ist das Christentum.“ „Nihilominus“, ait recte Cercia (De Ecclesia 56), „ad materialem et per se abstracte spectatum eorum numerum, qui Christi fidem profitentur, se habet Ecclesia uti principium consocians, seu uti forma positiva et socialis a Christo praeconcepta et omnimode intenta, ut eius praesidio hominibus nihil deesset ad propriam salutem consequendam.“

a) *in antecessum* patet *e Christi providentia.* Repugnat enim, quominus Christus Deus Ecclesiae suae non sufficienter providerit; non autem ei bene providisset, nisi talem potestatem ei dedisset, quae adiumenta omnia ad finem suum, utpote partim natura sua, partim positiva Christi voluntate necessarium, consequendum sufficientia complecteretur, sive eam ut societatem perfectam constituisset. Nam si adiumenta ad finem Ecclesiae attingendum a civili societate pendere voluisset, Ecclesiae suae administrationem gentilibus, maximis igitur eiusdem hostibus tradidisset, ideoque ei neutiquam bene providisset. Tam male autem Christus, infinite sapiens et bonus opus suum, Ecclesiam, instituere prorsus non potuit.

b) *A posteriore* idem sequitur *e consideratione adiumentorum,* quibus Ecclesia ad finem suum assequendum a Christo instructa est, quibusque necessario utitur. Ea enim sunt primario spiritualia; et ad proximum quidem finem consequendum praecipue institutum est infallibile magisterium et regimen una cum Petri primatu: quae adiumenta sane praeclarissima et prorsus sufficientia sunt; ad ultimi vero finis consecutionem sunt religionis ipsius integrae ac purae exercitatio et conservatio in vera ac constanti fide, spe, caritate erga Deum sita. Haec porro omnia adiumenta, utpote spiritualia et directo divinitus instituta, a civili potestate manifesto nullatenus pendent.

Utitur Ecclesia utique subsidiis etiam temporalibus, utpote quae necessariae sint, ut exsistere suisque spiritualibus subsidiis uti possit; utitur ergo iis instar conditionis necessariae. Sed neque haec temporalia subsidia ita a societate civili pendent, ut Ecclesia societas perfecta esse desinat. Etenim fideles inscia aut etiam invita republica, licet morali solum modo id fieri possit, efficaci tamen ratione permoveri possunt, ut bona temporalia Ecclesiae suppeditent, quae ad eius finem consequendum necessaria sunt. Vix enim dubium esse potest, quin Christi fideles, si non omnes, plurimi tamen immensum beneficium per Ecclesiae institutionem ipsis praestitum bene intelligant, ipsiusque amore et reverentia moti, bona temporalia necessaria ultro ei communicent, quo facto Ecclesia ius ad ista bona conservanda et usurpanda acquirit ab arbitrio civitatis minime pendens: quod quidem ius respublica secundum iuris regulas violare non potest, sed tueri debet. Cum enim respublica non sit domina bonorum, quae singuli cives possident, ipsius minime est de civium bonis pro arbitrio disponere, sed ius possessionis quorumcumque, ideoque etiam societatis religiosae sive Ecclesiae, tutari debet. — Nec obstat, quod respublica, iniuria quidem, Ecclesiam bonis suis privare potest. Nam quodvis etiam regnum ab alienis regibus invadi et bonis et amplitudine sua spoliari potest, ideo tamen societas civilis istius regni minime dici potest societas imperfecta et incompleta. Cum praeterea Ecclesia fieri debeat universalis et reapse iam apostolorum tempore ferme per totum regnum Romanum et ultra sese extendisset, vix moraliter possibile videtur, ut ubique terrarum simul omnibus suis bonis temporalibus umquam spolietur; quod si in una regione privata et ad summam pauperiem redacta esset, dubium vix esse potest, quin Christi fideles alibi degentes illi particulari ecclesiae succurrerent. Et sane iam 2 Cor 8 et 9 et Phil 4 eiusmodi caritatem et

beneficentiam a christianis aliis indigentibus ecclesiis exhibitam esse refertur. Denique accedit, quod Christus, qui se Ecclesiae hominum aeternam salutem procuranti affuturum promisit, certe necessaria ad exsistendum et vivendum subsidia subministraturus est. Ecclesia igitur respectu bonorum temporalium eodem, si non maiore iure quam ulla in orbe terrarum respublica societas perfecta dicenda est.

4. Inde, negative saltem, comprobatur haec veritas, quod contrariae adversariorum rationes nullius roboris sunt. Nam a) *dici nequit,* Ecclesiam *carere territorio proprio,* in quo iurisdictionem suam exerceat suasque res agat.

Nomine territorii enim ex iuris usu intelligitur locus, in quo societas aliqua ius habeat exercendi iurisdictionem suam, etiamsi civile illius dominium ad alios pertineat; unde etiamsi Ecclesia territorio sibi in rebus etiam politicis subiecto careat, ad quas curandas instituta non est, minime tamen territorio caret in rebus religiosis curae suae commissis vere sibi subiecto, de quo solo hic agitur. Ius enim exercendae iurisdictionis divinam Ecclesiae institutionem necessario consequitur, quandoquidem obligatio ipsius finem assequendi singula eius membra ipsamque totam Ecclesiam graviter obstringit. Quemadmodum igitur territorium pertinet ad societatem civilem, ut temporalem suum finem curet, ita quoque pertinet ad Ecclesiam, ut finem suum, qui est supremus, et cui temporalis subiectus esse debet, persequatur. Cum autem is Ecclesiae finis sit, quem omnes homines intendere debeant, ideoque Ecclesia sit societas natura atque institutione sua universalis, hinc totus terrarum orbis territorium dicto sensu Ecclesiae est secundum ipsam divinam voluntatem Mt 28, 18 19 expressam. Nec opponere licet, repugnare duas supremas et liberas potestates in eodem territorio esse et agere. Id enim solummodo repugnaret, si duae illae potestates essent eiusdem generis, minime vero, quando generis sunt diversi, ita ut alteri potestati res politicae, alteri vero res religiosae sint subiectae.

Quod autem attinet ad praetensum axioma: *status in statu repugnat,* quo indicantur duae societates iisdem membris coalescentes, quarum utraque *perfecta* sit, aeque facilis responsio est. Ut enim usitato iam loquendi usu etiam nos respondeamus, status politicus in alio statu politico positus repugnat, nullatenus autem status pure religiosus, qualis Ecclesia est, in statu politico. Repugnat igitur, quominus duae eiusmodi societates *perfectae* sint in eodem territorio, si ambae habeant aut eundem finem propositum aut diversos quidem fines, at inter se absolute contrarios et repugnantes. Iam vero nec Ecclesia Christi eundem finem habet ac societas civilis, sed plane diversum, nec per se earundem fines inter sese opponuntur, sed mirifice alter alteri prodest. Quinimmo utriusque illius societatis fines ita inter se ordinati sunt, ut finis societatis civilis Ecclesiae fini, utpote altiori et spirituali, debeat esse subiectus, sive, ut loquuntur, subordinatus, quamquam ipsius reipublicae potestas respectu rerum politicarum ut talium semper suprema manet[1]. Si

---

[1] Iam S. Gregorius M. (Ep. l. 3, ep. 65: ML LXXVII 663) dixit, potestatem imperatoribus datam esse coelitus, „ut terrestre regnum coelesti regno famuletur". Necnon S. Augustinus de imperatoribus et regibus scripsit (De civ. Dei l. 5, c. 24: ML XLI 170): „Felices eos dicimus, si *iuste* imperant . . ., si suam

igitur nomine „status“ intelligatur societas politica, negamus, Ecclesiam statum esse; si autem eo nomine generatim quaevis perfecta societas significetur, non repugnat, duas eiusmodi societates, quarum altera sit religiosa, altera civilis, in eodem territorio facillime simul esse posse. Ceterum cum Christi religio et hinc etiam Ecclesia per totum terrarum orbem propaganda esset quam primum in variis terrae partibus longissime inter se dissitis neque uni regi vel imperatori subditis exsisteret, fieri non potuit, ut in quocumque regno tota contineretur.

b) *Neque magis dici potest,* doctrinam, quam defendimus, discordiae inter societatem civilem et Ecclesiam, et hinc magnae rerum perturbationi favere.

Nam, ut diximus, utriusque potestatis ecclesiasticae et civilis finis est plane diversus, nec tamen alter alteri contrarius; obiecta vero, ad quae utraque sese extendit, sunt pariter pleraque prorsus distincta atque diversa[1]. Insuper ex altera parte civitatis est, nulla vera iura, ac minime omnium religiosa, violare, sed ea tutari; ex altera vero Ecclesia, dum prosequitur, quae sibi proposita sunt, non potest non simul etiam reipublicae bonum temporale velle atque indirecto saltem promovere. Fieri utique potest, ut eadem res sub vario respectu subiaceat iurisdictioni tum Ecclesiae, tum etiam societatis civilis. Sed si utraque potestas, civilis aeque atque ecclesiastica, pro officio suo de iis tantum iudicet, quae ad proprium finem et forum pertinent, cetera alterius potestatis iudicio submittens, fieri non potest, quin pariter in his negotiis inter utramque societatem concordia summa et perpetua vigeat et utraque proprium suum finem et felicitatem certius et perfectius

potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt.“ S. Thomas Aq. autem (In 2 sent. dist. 44, q. 2, a. 3. Expositio textus ad 4) dicit: „Dicendum, quod potestas spiritualis et saecularis utraque deducitur a potestate divina; et ideo *in tantum saecularis potestas est sub spirituali,* in quantum est ei a Deo supposita, scil. in his, quae ad salutem animae pertinent; et ideo in his *magis est oboediendum potestati spirituali quam saeculari.* In his autem, quae ad bonum civile pertinent, *est magis oboediendum potestati saeculari quam spirituali* secundum illud Mt 22, 21: reddite, quae sunt Caesaris, Caesari!“

[1] Nihilominus non cessant adversarii ex hac parte catholicam de Ecclesia doctrinam impetere, quod ea ad nihilum redigantur iura potestatis politicae. Novissime v. g. Harnack de catholica illa doctrina: „Die Kirche ist so den weltlichen Reichen der Gegenwart und der Zukunft zwar als ein regnum sui generis, aber doch als ein Reich entgegengestellt, demgegenüber die Rechte, die ihnen noch verbleiben, nur den bescheidensten Umfang haben können“ (Realenzyklopädie für prot. Theol. u. Kirche XX, Leipzig 1908, 509). Contra quas calumnias Leo XIII in Encyclica „Immortale Dei“ 1 nov. 1885: „Talis autem conformatio reipublicae [qualem catholica doctrina statuit] nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum aut parum decorum; tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat“, id quod deinceps late ostendit (Leonis XIII Allocutiones etc. II, Brugis 1887, 153). Et iterum in Encyclica „Sapientiae christianae“ 10 ian. 1890 dicit: „Omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores civitatum, idque non modo non invita, sed plane adiuvante Ecclesia. Quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est iustitia adversus Deum, hoc ipso ad iustitiam vocat erga principes. . . . Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum; proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque causa constitutos“ (Leonis XIII Allocutiones etc. ib. IV [1894] 17).

assequatur. Si quae tamen discordia umquam oriatur, hominum vitio tribuendum id est; unde homines corrigendi sunt, minime vero doctrina ista est reicienda. Deinde si adversariorum doctrina, secundum quam magistratibus civilibus potestas simpliciter suprema etiam in Ecclesiam competit, vera esset, nonne ea gentilibus etiam et incredulis magistratibus iniustissimam et vere tyrannicam potestatem in hominum conscientias vindicaret et proinde per se innumerarum querelarum ac vexationum foecundissima causa esset? Ut enim S. Petrus adversariis Christi religioni iudaeorum magistratibus vere dixit Act 5, 29: „Oboedire oportet Deo magis quam hominibus", si scil. contra Dei mandata rectamque conscientiam illi agant; quam faciles autem sint magistratus gentiles et increduli, tametsi nulla potestate in Christi Ecclesiam praediti, ad eam dire persequendam, tota eius historia luculentissime testatur.

Denique si, id quod nullo modo concedimus, revera repugnaret, quominus duae perfectae societates in eodem territorio essent, societas potius civilis quam Ecclesia potestate sua privanda esset, cum plane absurdum sit, societatis supernaturalis et ab ipso Deo directe in aeternam omnium hominum salutem institutae non maiorem rationem habendam esse quam societatis naturalis propter felicitatem maxime temporalem constitutae. Ceterum societati civili iure timendum non est, ne aut Ecclesiae serva sensu ignominioso fiat aut *vera* ipsius felicitas temporalis Ecclesiae praeceptis minuatur. Ut enim Ecclesia non est civilis societatis serva, eo quod nihil possit statuere in rebus pure temporalibus contra leges civiles, ita neque civitas ut talis fit Ecclesiae serva, eo quod, utut libera est in iis, quae ad forum civile et ius ipsius proprium pertinent, iuste non potest extra proprii sui iuris et potestatis cancellos egredi et ius alterius verum et sibi non subiectum invadere. Eo autem, quod cives atque magistratus divinitus obligati sunt, ut christiani fiant et Ecclesiae legibus obtemperent, obstringuntur proprie ad famulandum Deo: quem famulatum Deus profecto exigere et potest et debet. Ecclesiae porro, apud quam Christus invisibili suo auxilio usque manere promisit, praeceptis ac legibus felicitatem civilem umquam minui cogitari nequit, si saltem felicitas non falsa et fucosa, sed vera intelligatur. Ipsa enim religionis christianae observantia non potest non augeri *vera* felicitas temporalis, et si quod forte lucrum temporale amitteretur, v. g. propter festa religiosa instituta, alio modo, et multo quidem amplius compensaretur. Si tamen umquam contingat, ut aliqua Ecclesiae praecepta alicubi societatis civilis bono aliquatenus adversentur, poterit illa Ecclesiam monere remque totam cum ipsa, quae pacis amans est et nihil minus quam verae regnorum felicitati obesse desiderat, amice componere. Quamvis igitur societas civilis habeat ius incolumitati suae prospiciendi ideoque a malis, etiamsi ab Ecclesia ipsi imminerent, cavendi, minime tamen sequitur, illi ullum ius dominationis aut saltem supremae custodiae sive, ut dici solet, supremae inspectionis in Ecclesiam competere, quae huius libertatem laedat et ultra omnes limites extendi possit. Societas politica certe etiam „habet ius cavendi sibi a civibus malis; quis autem ideo ei ius tribuat omnes cives in vincula coniciendi? Rursus, quod potestas politica ius cavendi habet, id ipsum Ecclesiae competit; quapropter pseudopolitici, quo iure cautelae nomine statuta ecclesiastica societatis politicae auctoritati subiciunt, eodem et multo potiori statuta societatis politicae etiam Ecclesiae auctoritati subicere deberent." [1]

[1] Reinerding II 144 sqq.

c) *Nec valet,* quod opponitur, Ecclesiam saltem, ut finem potestatis ultricis semper assequi possit, auxilio potestatis civilis indigere ac proinde, cum adiumenta a societate civili mutuari debeat, perfectam societatem non esse.

Licet enim Ecclesia illo civitatis auxilio ad finem suum semper et respectu omnium *modo prorsus perfecto* consequendum indigere possit, inde non consequitur, eam non esse societatem perfectam, cum etiam modus mere spiritualis et hinc interdum minus perfectus quoad poenas infligendas *sufficiens* saltem esse possit, sed sequitur tantum, eam non esse *absolute* perfectam. Sibi absolute sufficiens scil. est solus Deus, cetera vero singula sibi non plane sufficiunt; et sane Deus optime res ita statuit, ut una ab altera penderet, qua mutua indigentia omnia ad mirabilem illam mundi unitatem efficiendam magis inter sese copularentur. Atque imprimis etiam societas civilis, utut societas perfecta, sine auxilio religionis christianae in sola vera Christi Ecclesia plene exsistentis ad veram hominum felicitatem temporalem et indirecte ad salutem aeternam omne illud praestare non valet, quod ex Dei voluntate praestare debet: quod sane regnorum et rerumpublicarum gentilium et muhametanorum, utut opibus florentium, historia luculenter testatur. Quare civitas civilis Christi Ecclesia magis etiam indiget quam Ecclesia auxilio potestatis civilis, nec tamen ideo cessat esse societas perfecta.

d) *Neque obstat,* quod imperium Romanum ante Christi Ecclesiam iamdudum constitutum erat proindeque non imperium in Ecclesia, sed Ecclesia in illo constituta est.

Ecclesia enim in imperio Romano erat quidem, ut dici solet, *materialiter*, sed non *formaliter*, cum ipsa a Christo non pars societatis civilis instituta sit; sive pertinebat ad imperium, quatenus christiani ut homines erant cives imperii, sed non quatenus erant Christi fideles et societatis religiosae ab ipso institutae membra. Nec alio sensu Optatus scripsit[1]: „Non respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, i. e. in imperio Romano"; illo scil. tempore Ecclesia ferme tantum in imperio Romano exstitit, quod tamen nondum plane christianum erat, cum magna incolarum pars etiam tum falsorum numinum cultui addicta esset; imperator tamen christianos protegebat. Dicit igitur Optatus, non esse imperatoribus Romanis maledicendum, sicut fecerat Donatus, sed pro iis esse precandum secundum apostolum (1 Tim 2, 1 2), quia tranquillam magis vitam christianis sub eorum imperio, quam apud barbaras gentes agere liceat. Tametsi porro Ecclesia sat diu minorem partem incolarum imperii Romani sibi aggregatam habebat, ideo tamen minime, quemadmodum pars toti, societati civili servire debebat. Ut Ecclesia enim Christi, sive ut institutum divinum et religiosum partem societatis civilis non constituebat, sed ea altior erat et ordinis plane diversi, quamquam eius membra ut cives imperii toti societati civili in rebus civilibus subiecti erant.

e) *Denique* multo minus dici potest, secundum hanc quam tradimus doctrinam quodcumque imperium, cum christianum fiat, suorum iurium et libertatis possessione ab Ecclesia privari.

Nam quidquid est de magistratuum civilium iure, cultum Dei publicum et communem aliquatenus saltem definiendi et moderandi, si sola religio

[1] De schism. Donat. l. 3, n. 3 (ML XI 999).

naturalis exsisteret, aut si religio sit falsa ideoque vere nulla, qualis gentilium est[1], illa profecto certissime constant, et libertatem atque omnia iura et hominum singulorum et populorum a Deo Ecclesiae auctore pendere eique obnoxia esse ita, ut Deo certo et clare praecipienti omnes tam singuli homines quam integri populi debeant parere, et ipsos civiles magistratus *religionis* positivae ac vere *divinitus revelatae* per se numquam posse esse superiores. Multo minus in religiosam societatem divinitus institutam respublica ex nativo suo iure imperium habet, quando Deus ipse religionis sive Ecclesiae suae doctores atque rectores instituit proprios summaque et universali docendi regendique facultate instructos. Insuper si civilis auctoritas partem libertatis et iurium divina Ecclesiae Christi institutione amisisset, istud damnum innumeris bonis ab Ecclesia ipsi provenientibus compensatum est. — Nec sane ex eo, quod Ecclesia etiam ad bonum societatis civilis quam plurimum confert, colligi potest, eam habere tantummodo rationem adiumenti pro societate politica, ideoque ei subiectam esse. Finis enim Ecclesiae proprius tam proximus quam ultimus multo est altior; quod autem ex ipsa etiam bona in societatem civilem dimanant, ostendit, huius civilis societatis esse Ecclesiam tueri ac fovere, minime vero Ecclesiam ipsi subiectam esse; alioquin societas civilis dicenda esset ut talis Ecclesiae subdita, cum et ipsa Ecclesiae multa bona, naturalia saltem, praestare debeat. Quamvis igitur altera alteram societatem suo modo adiuvet, utraque tamen est libera et perfecta, quia unaquaeque habet finem proprium ideoque propria iura et adiumenta[2].

Christus igitur Ecclesiam suam non tantum ut societatem veri nominis et stricte intellectam, sed etiam ut vere perfectam et optime ordinatam instituit.

Probatur pars III: unicam a Christo institutam esse Ecclesiam. Id evidens est

1. ex institutione unius supremi regiminis pro Ecclesia. Ut enim monstravimus, Christus uni Petro pro tota quidem Ecclesia primatum iurisdictionis proprie dictum contulit; atqui si qua societas unum supremum caput iurisdictione vera instructum habet, profecto illa non multiplex, sed una est. — Quod insuper clare ipsis similitudinibus declaratur, quibus Christus primatum Petro et promisit et contulit. *Promisit* enim Christus primatum usus similitudine a) *fundamenti.* Unica autem instituta est Ecclesia, si unicum eius iactum est fundamentum, cui omnes fideles tamquam lapides vivi superstruerentur; iam vero, id quod probavimus supra, unicum tantum positum est visibile fundamentum Ecclesiae. Utitur porro Christus imagine b) *clavium.* Unica est Ecclesia, si Christus uni Petro supremam clavium potestatem promisit ac dedit pro toto suo regno; atqui id fecit, ut supra monstratum est. c) *Contulit* vero Christus primatum usus similitudine *pastoris et ovium.* Unica autem est Ecclesia, si Christus α) omnes fideles suos ex iudaeis atque e

---

[1] Cf. Th. Meyer, Institutiones iuris naturalis II, Friburgi 1900, 689 sq.

[2] Plures alias difficultates, quas hoc loco solvere vix convenit, vide solutas apud Palmieri 117 sqq.

gentilibus oriundos voluit in unum congregare ovile, eique *β*) unum pastorem tamquam sui ipsius vicarium praefecit; atqui ita egit Io 10, 16 et 21, 15—17. Ergo unicam Christus instituit Ecclesiam.

2. Ex institutione unius magisterii. Unica enim instituta est Ecclesia, si Christus unicum tantum magisterium ad eandem doctrinam omnes homines docendam instituit; atqui Christus id fecit; misit enim, id quod in prima thesi probavimus, solum apostolos eosque singulos infallibiles reddidit ad docendas omnes gentes omnem doctrinam suam, quae cum divina sit, nec diversis locis atque temporibus diversa sibique repugnans esse potest nec doceri diverse, utpote quae ab apostolis eadem infallibilitate dotatis praedicata est.

3. Ex eo, quod Christus de Ecclesia sua tamquam una semper loquitur (Mt 16, 18; 18, 17) eamque regnum et ovile singulari numero appellat (Mt 11, 11; Io 10, 1 16; 18, 36).

4. Ex eo, quod S. Paulus, quando non de certo christianorum coetu, sed de tota fidelium multitudine agit, semper de ea ut una tantum Christi Ecclesia loquitur. Sic Eph 5, 23 et 25 dicit, Christum esse caput Ecclesiae eamque dilexisse, et c. 1, 22 23 de Christo ait, ipsum esse caput „supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius", metaphorice scilicet; sed sicut homo recte constitutus non habet duo corpora, ita certe nec sub uno capite Christo duo corpora, neque metaphorice intellecta, sive duae Ecclesiae sunt. Item 1 Tim 3, 15 Paulus Ecclesiam singulari numero domum Dei appellat; praeterea Rom 12, 5 sqq et 1 Cor 12, 13 sqq comparat omnes Christi fideles *uni* corpori; iam vero si Christus non instituisset unam tantum societatem, sed plures societates plane distinctas atque divisas, Paulus isto modo nullatenus de christianis loqui potuisset.

Confirmatur idem 1. ex unica Christi religione. Christus enim instituit unicam religionem, ad eamque colendam et conservandam fundavit Ecclesiam; atqui tantum abest, ut unica religio ad sui conservationem plures ecclesias requirat, ut unam tantum non solum ut utilem, sed etiam ut moraliter saltem necessariam postulet, cum facilius sit, ut una eademque religio in una societate bene colatur et conservetur, quam in pluribus distinctis et inter se separatis, cumque una etiam Ecclesia multo melius externe unitatem ipsius religionis exhibeat. Insuper unica religio in suis cultoribus naturale desiderium excitet necesse est etiam unicae Ecclesiae, cum tandem omne id, quod pluribus commune est, eos ad coniunctionem impellat. Ergo e parte religionis christianae adeo nulla ratio est, quae plurium ecclesiarum institutionem postulaverit, ut unius ecclesiae institutio ei valde conveniat.

2. Ex antiquitatis christianae testimonio.

Iam Tertullianus ait[1]: „Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae *una* est illa ab apo-

[1] De praescr. c. 20 (ML II 32).

stolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae [al. prima] et omnes apostolicae, dum unam [al. una] omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae iura non alia ratio regit quam eiusdem sacramenti una traditio." Cyprianus scribit[1]: „Deus unus est, et Christus unus (Eph 4, 5), et *una Ecclesia,* et cathedra una super Petrum Domini voce fundata." Optatus dicit[2], Christum esse sponsum *unius* Ecclesiae; Basilius autem nominat[3] Ecclesiam *unam* perfectam Christi columbam; necnon Patres de Ecclesia loquuntur veluti de *una* matre[4], de *uno* Dei templo[5], de *una* arca salutis instar arcae Noe[6]. Et ne plura singulorum Patrum ac veterum scriptorum testimonia in quaestione tam certa et antiquitus a nullis christianorum quamquam inter se oppositis societatibus umquam in dubium vocata afferam, ea veritas iam in variis antiquissimis formis symboli apostolorum diserte exprimitur. Certe in forma *Hierosolymitana* et in ipsa Arii professione legitur: *πιστεύομεν . . . εἰς μίαν . . . ἐκκλησίαν.* Atque idem professum est in fidei symbolo concilium oecumenicum II, Constantinopolitanum I, a. 381 celebratum[7]. Quae sane documenta luculenter testantur, hanc de unica a Christo fundata Ecclesia sententiam inter primorum temporum christianos universalem plane atque certissimam fuisse. Si autem Christus plures ecclesias instituisset, certe illae societates non potuissent iam ab initio aerae christianae adeo penitus ignorari, ut nulla earum mentio apud antiquos cuiuscumque generis scriptores habeatur et christiani tunc temporis numquam hac de re, sed tantum de quaestione, quaenam christiana societas esset illa una ac vera Christi Ecclesia, inter se disputassent.

Coroll. I. Ergo Christi Ecclesia est societas religiosa, spiritualis et supernaturalis, atque, id quod nulla alia societas de se gloriari potest, derivatur ex institutione immediate et praeter ordinem naturalem libere facta divina; libera enim ipsam Christus voluntate a nullo coactus instituit. Pollet igitur etiam indole vere divino-positiva, adeo ut, quemadmodum v. g. statua est opus artificis humani, ita ipsa sit opus ipsius Dei. Est igitur, utpote a Christo supremo legumlatore et vero Deo instituta, quam maxime et eminenter *legitima,* sive, uti etiam dici solet, *legalis,* et iure quidem positivo divino. Et ut ipsa solam veram religionem professa etiam ceu iure divino legalis ab omnibus hominibus agnoscatur et admittatur, postulat vel ipsum ius naturale, quod exigit, ut vera religio ubique excipiatur. Necnon evidens est ex iis, quae hactenus diximus, Ecclesiam Christi omni *secta philosophica*

[1] Ep. 43, c. 5 (Hartel 594).
[2] De schism. Donat. l. 1, n. 10 (ML XI 900).
[3] In Ps. 44 n. 9 (MG XXIX 407).
[4] Clem. Alex., Paedag. 1, 6 (MG VIII 300).
[5] Lact., Div. instit. 4, 14 (ML VI 487).
[6] Orig., Hom. 2 in Gen. n. 3 (MG XII 167).
[7] Apud Denzinger-Bannwart n. 9 86; Sozomenus 2, 27.

et mere humana incomparabiliter altiorem societatem esse, ratione tum originis et indolis tum finis sibi propositi et subsidiorum ad eum attingendum.

Coroll. II. Quatenus Christi Ecclesiam hoc loco iam definire licet, potest dici *societas hominum supernaturalis atque perfecta, veram Christi religionem sub apostolorum ac praecipue Petri primatis regimine et infallibili magisterio profitentium, a Christo ipso instituta.*

Coroll. III. Ergo Ecclesia Christi se non habet ad eius religionem instar rei accidentis et adventiciae, quasi e Christi voluntate ipsius religio esse et exsistere possit etiam extra Ecclesiam, sed secundum expressam Christi voluntatem et religio et Ecclesia ipsius, unum idemque sunt, ita ut christiana religio secundum Christi institutionem in Ecclesia et per eam solum exsistat haecque sit ipsa illa religio ad effectum adducta.

Coroll. IV. Ergo evidenter falsum est, S. Scripturam directe de Ecclesia non agere huiusque institutorum ius non ex illa, sed vere et sufficienter ex historica sua evolutione tantum posse probari. Utique Ecclesia non S. Scripturae hoc sensu innititur, quod ipsa non ante Novi Testamenti Scripturam *compositam* dudum iam exstiterit, sed innititur tamen directo iis Christi de ipsa effatis, quae in S. Scriptura leguntur, institutioni igitur directo divinae.

Coroll. V. Tametsi Ecclesia Christi est societas spiritualis, cum tamen in his terris constituta sit et ex hominibus constet, ad se conservandam et propagandam opus habet etiam bonis temporalibus, cumque sit societas quam maxime perfecta, a Deo ipso instituta et ad hominum salutem procurandam summe utilis atque necessaria, magis quam ulla alia hominum societas iure pollet bona temporalia acquirendi et possidendi. Insuper cum Ecclesiae alumni, sive laici sive clerici, iuribus aliorum, qui Ecclesiae socii non sunt, minime careant, tum ipsorum officium est, illam optimam suam matrem, ut nobilissimum finem sibi propositum assequatur, opibus suis adiuvare, tum Ecclesia ius habet, saltem si urgeat necessitas a suis filiis subsidia humana petendi. Potest ergo Ecclesia, ut necessitatibus suis providere rite valeat, bona temporalia acquirere et possidere ratione tum sui ipsius ut societatis, tum singulorum suorum alumnorum. Quare Rom. Pontifex Pius IX hanc propositionem: „Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi et possidendi“ recte omnino damnavit[1].

Caput II.

De proprietatibus Ecclesiae Christi.

§ 7.

Praenotanda.

1. Notio proprietatum. Proprietas id dicitur, quod rei proprium est, ideoque generatim omne id, quod rei inest, praeter ipsam eius essentiam. Atque hoc generali sensu proprietatum nomine appellantur etiam attributa,

[1] Syllab. prop. 26 (Denzinger-Bannwart n. 1726).

qualitates, dotes, perfectiones rei. Potest autem multiplici modo aliquid rei proprium esse, ac *primum* quidem aut ita, ut ab ea abesse nequeat et proinde ad eius essentiam physicam saltem pertineat, aut contra ita, ut ab ea abesse possit, et hinc eius aliquod tantum accidens sit. Hinc proprietates in *essentiales* sive necessarias et in *accidentales* dividuntur. Sic corpori humano accidentale est, ut sit procerum aut parvum; essentiale vero, si vivum sit, ut habeat calorem, sanguinis circulationem, respirationem. *Deinde* quod rei proprium est, aut ita ei proprium est, ut nulli prorsus alteri conveniat, aut ita, ut ei cum aliis commune sit; quare proprietates etiam essentiales aut *communes* sunt, scil. toti rerum generi vel saltem speciei, aut ipsi *rei soli* ideoque maxime et *exclusorio modo propriae,* unde hae proprietates eam ab omnibus aliis distinguunt et *singulares* dici possunt.

In praesenti igitur quaestione nomine proprietatum intelligimus illas qualitates, quae Christi Ecclesiae ut societati religiosae conveniunt, quaeque definiri possunt: *qualitates, quas Christus Ecclesiae suae inesse voluit.* Tota enim Ecclesiae natura omnesque eius proprietates ac perfectiones ita a voluntate Christi auctoris pendent, ut qui Ecclesiam aliter (utut suo iudicio perfectissime) constitutam fingat, Ecclesiam Christi non habeat. Consequuntur autem omnes Ecclesiae proprietates partim ex iis, quae hactenus iam de ea demonstrata sunt, ex eius scil. forma tum interna tum externa eiusque ut societatis perfectae indole, partim vero ex aliis Christi et apostolorum, infallibilium eius revelationis interpretum, praescriptionibus et dictis. Proprietates porro Ecclesiae, de quibus agemus, sunt ei omnes *essentiales* sive necessariae, ita ut nulla earum a vera Christi Ecclesia, prout ab ipso constituta est, abesse possit, et ut *omnes* simul nulli prorsus religiosae christianorum societati, quae se falso Christi Ecclesiam dicit, possint inesse; a tali enim falso dicta ecclesia ea saltem proprietas absit necesse est, quae verae Christi Ecclesiae maxime propria est. Non tamen repugnat, quominus aliquam saltem veraе Ecclesiae proprietatem etiam ea, quae falso dicitur ecclesia, revera aliquatenus habeat, licet eam non habeat iure, v. g. proprietatem inaeqalitatis. Plures certe sunt societates christianae, quarum singulae se Christi Ecclesiam veram et visibilem quidem esse profitentur.

2. Discrimen inter proprietates et notas Ecclesiae. Plures proprietates, id quod postea probabimus, sunt simul etiam *notae* Ecclesiae, sive *signa externa*, quibus vera Christi Ecclesia a falsis dignoscitur. Nota enim *Ecclesiae* est *proprietatis essentialis ac maxime propriae externa manifestatio*, cuius ope vera Christi Ecclesia sat facile cognosci possit. Unde proprietates et notae Ecclesiae *materialiter* et *ontologice* spectatae inter sese non differunt, *formaliter* vero et *logice* acceptae distinguuntur. Omnes enim Ecclesiae notae sunt necessariae simul eiusdem proprietates, cum proprietas accidentalis, sive quae ab Ecclesia abesse possit, quantumvis externo modo sese manifestet, aperte non possit fieri nota, cuius ope vera Ecclesia certo et omni quidem tempore a falsis discerni et ut vera agnosci possit; sed non omnes proprietates etiam notae, *positivae* saltem, fieri possunt, cum plus ad notam quam ad proprietatem requiratur, id nimirum, ut proprietas etiam externo et visibili modo ceu talem sese manifestet. Iam vero proprietas v. g. illa, qua Christi Ecclesia est ad salutem aeternam consequendam *necessaria*, sese non manifestat ita, ut verae Ecclesiae positiva saltem nota fieri possit; *negativa* tamen Ecclesiae verae nota quaevis eiusdem proprietas *essentialis* eatenus est, quatenus quae

christianorum societas religiosa eam sibi non attribuit (vel manifesto nullo iure eam sibi attribuit), eo ipso demonstrat, se non esse veram Christi Ecclesiam. Sed de his hoc loco satis, cum postea notarum notio amplius explicanda sit.

3. Numerus proprietatum essentialium Ecclesiae. Videntur eae esse hae *decem: inaequalitas*, quatenus Ecclesia est societas inaequalis; *libertas*, qua sit sui iuris; *necessitas ad salutem; perpetuitas* et *immutabilitas*, quatenus Christi Ecclesia non solum perpetuo manere, sed etiam ita exsistere usque debeat, ut formam suam tum internam tum externam numquam amittere aut mutare et hinc alia fieri aut a se ipsa deficere possit; quam utramque proprietatem aliqui non incongrue nomine *indefectibilitatis* exprimunt; eo enim significatur, Ecclesiam ratione nec exsistentiae nec essentiae suae umquam deficere posse. Accedunt praeterea *apostolicitas, unitas, catholicitas, sanctitas* ac denique *visibilitas*.

Schouppe dicit[1], etiam infallibilitatem Ecclesiae proprietatem esse; atque etiam Labis et Hettinger[2] eam inter Ecclesiae proprietates recensent; at licet ea sola cogitatione sive in abstracto considerata ita vocari possit, in concreto tamen spectata, sive ut revera exsistens in Ecclesia docente et hinc suo modo etiam in discente, non tam proprietas est Ecclesiae quam pars formae eius externae, sive unum e duobus illis principiis, quae, ut supra diximus, Ecclesiam formant hincque eius essentiam constituunt. Eadem ratione indoles supernaturalis, sive, si ita loqui fas sit, supernaturalitas videtur non tam Ecclesiae proprietas vera et distincta quam ipsius totius ut Christi operis affectio, ad eius essentiam pariter pertinens. Perrone porro[3] et Cercia[4] existimantes, dotes a proprietatibus essentialibus eo differre, quod istae ex Ecclesiae natura emanent, illae vero, quamvis ipsam eius essentiam efficiant et decorent, quodammodo tamen eidem supervenire concipiantur, indefectibilitatem in exsistendo, infallibilitatem in docendo, auctoritatem in regendo Ecclesiae dotes dixerunt. Item Sprinzl[5] indefectibilitatem et infallibilitatem pariter Ecclesiae dotes esse existimat, atque idem omnino sentit Jansen[6] necnon Stadler[7] et Card. Mazzella, qui praeterea etiam auctoritatem Ecclesiae dotibus annumerat[8]. Verum sacrum regimen et infallibile magisterium non sunt dotes Ecclesiae quasi extrinsecus superadditae, sed, ut vidimus, ipsa eius forma essentialis externa, ideoque eius essentiam quam maxime constituunt, adeo, ut, antequam institutio huius formae externae solide probata sit, monstrari firmiter non possit, Ecclesiae proprietates inaequalitatis, immutabilitatis, apostolicitatis, unitatis atque visibilitatis necessario convenire, atque ne illud quidem, Ecclesiam ipsam ceu societatem veram et presse intellectam ac perfectam institutam esse. Insuper cum nulla specifica differentia inter proprietates et dotes intercedat, haec distinctio etiam respectu perpetuitatis non videtur esse adoptanda, eoque minus, quod necesse pariter est demonstrare hanc Ecclesiae proprietatem, antequam proprietates apostolicitatis, unitatis, *perpetuae* visibilitatis ei vindicentur.

4. Iam patet, quis servandus sit ordo in tractatione quaestionum de proprietatibus et notis Ecclesiae, is nimirum imprimis, ut *separatim* utraque quaestio tractetur, et ita quidem, ut primum de proprietatibus et deinde de

---

[1] Elementa theol. dogm. I, tr. 3, c. 1, a. 3, n. 190.
[2] Lehrbuch der Fundamentaltheologie [2], Freiburg 1888, 548 sqq.
[3] Tract. de locis theol. P. 1, n. 329 sq. [4] Tract. de Ecclesia sect. 5.
[5] Handbuch der Fundamentaltheologie 498 sqq.
[6] Praelect. theol. fundam. 470. [7] Theol. fundam. 241 sqq.
[8] De religione et Ecclesia 572 sqq.

notis agatur. Hunc enim ordinem postulant non solum tractationis ipsius lucidior claritas, sed etiam, et quam maxime quidem, notarum natura. Cum enim nota Ecclesiae nihil aliud sit quam essentialis proprietatis eius externa manifestatio, cumque insuper, ut notarum ope veram Ecclesiam dignoscere possimus, earum omnium natura et ambitus, quantum fieri potest, accurate definiatur necesse sit, quia id manifesto fieri non potest, nisi prius demonstretur, quo sensu et qua amplitudine proprietates ipsae, e quibus notae efflorescunt, Ecclesiae necessariae sint, evidens est, ante notarum tractationem necessario monstrandum esse, quaenam proprietates Ecclesiae essentiales sint. Deinde manifestum quoque est, integram de Ecclesiae proprietatibus doctrinam uno eodemque loco ex ordine tradendam esse. Tum convenire mihi quidem videtur is ordo, quem paulo ante, varias Ecclesiae proprietates enumerando, indicavi. Oportet certe prius monstrare Ecclesiam e Christi voluntate esse societatem inaequalem et liberam, antequam probetur, eam esse immutabilem, cum, id quod ex infra dicendis patebit, alioquin in hac de indefectibilitate quaestione aut nimis multa fuse demonstranda forent, aut quae in ea revera probanda sunt, omittenda essent. Item perpetua Ecclesiae ad salutem aeternam consequendam necessitas instar fundamenti est proprietati catholicitatis, ideoque ante hanc tractetur oportet. Probata autem Ecclesiae immutabilitate, secundum nostram saltem procedendi methodum, sequuntur proprietates apostolicitatis et unitatis instar corollarii; unitatem autem consequitur optime quaestio de catholicitate, utpote ei magis cognata, quam quaestio de sanctitate; ultimo autem loco aptissime videtur proprietas visibilitatis collocari, cum haec transitionem ad ulteriorem doctrinam de Ecclesiae notis facillimam et quam maxime naturalem reddat.

Denique vix opus est annotare, quod integritas doctrinae de Ecclesiae proprietatibus singularum tractationem postulet atque nostrae aetatis ratio exigat, ut quaestio de Ecclesiae libertate non omittatur.

§ 8.

De inaequalitate Ecclesiae.

Thesis V.

Ecclesia Christi est iure divino societas inaequalis ratione tam magisterii quam imperii, sive ex ordinatione ipsius Christi potestas illa utraque non est omnibus Ecclesiae membris propria et communis.

I. **St. q.** 1. Societas generatim accepta est *aequalis*, si vi ipsius institutionis omnibus eius membris eadem iura et munera competant, adeo ut nemo aliorum sociorum superior sit, licet non apud omnes idem omnino illorum iurium exercitium sit; *inaequalis* vero, si iam in ipsa institutione uni vel pluribus iura et munera ceteris non concessa communicantur, ita ut unus vel plures superioris munere fungantur, alii vero subditi sint. Societas ergo aequalis, secundum ea quae supra exposuimus de societatis natura, stricte dicta societas non est. Cum porro Christi Ecclesia societas sit stricto sensu accepta et natura quidem sua religiosa, indiget non solum aliquo imperio, sed

etiam magisterio; atque utrumque a Christo reapse institutum esse priore capite satis superque demonstravimus. Unde de Ecclesiae inaequalitate proprie hic haud amplius agimus, sed in id tantum inquirimus, utrum Ecclesia societas inaequalis sit *ex ipsa Christi institutione,* sive *iure divino,* necne. Potest enim institui societas lato saltem sensu inaequalis etiam iure mere humano, qualis est v. g. respublica, in qua omnia ita sunt in populi potestate sita, ut ipse magistratus etiam supremos tamquam ministros et vicarios eligat. Ecclesiam quidem neque hoc sensu ratione sive magisterii sive imperii inaequalem a Christo institutam esse etiam satis iam a nobis in priore capite eo ipso probatum est, quod monstravimus, Christum tum magisterium tum imperium *ipsis* apostolis contulisse; ideoque tota haec thesis, cum necessaria consecutione e prioribus deducatur, sine ulteriore probatione iam certa habenda est.

Verumtamen cum, utut summa levitate et temeritate a multis adversariis affirmatum sit, utramque illam et maxime imperii potestatem a Christo datam esse immediate toti fidelium coetui et ab hoc deinde apostolis demandatam, ut illi tamquam eius ministri et decretorum exsecutores ea in bonum Ecclesiae uterentur, e re visum est nobis, ius divinum, sive immediatam institutionem divinam inaequalitatis Ecclesiae ratione tam magisterii quam imperii hoc loco amplius vindicare, non adeo quidem multis novis argumentis positivis quam negativis, sive refutatione rationum, quas adversarii protulere.

Agimus autem hoc loco tantummodo de illarum potestatum, quae insunt in Ecclesia, institutione ipsa earumque usu tempore apostolorum; utrum autem ista iure divino instituta inaequalitas etiam *in omne tempus posterum* permanere debuerit, in quaestione de Ecclesiae indefectibilitate inquirendum erit. Atque idem dicendum est de libertate et necessitate Ecclesiae, de quibus proxime agemus; has enim tres proprietates Ecclesiae in omne tempus ei necessarias sive essentiales esse consequetur, quam primum probatum fuerit, Ecclesiam perpetuam et respectu formae suae externae immutabilem futuram esse.

2. *Adversariorum* autem omnium, quos in hac quaestione habemus, ut aliquos nominem, primus refertur Marsilius Patavinus, utpote qui, Ludovico Bavaro adblanditus in libro, quem una cum Ioanne de Ianduno composuit [1] et „*Defensor pacis*“ inscripsit, docuerit, summam potestatem ecclesiasticam esse in toto coetu fidelium, idque iure ipso naturae societatibus omnibus communi, eamque postea translatam esse in principes, si erant christiani, si vero infideles, in episcopos, ita tamen, ut tum populo ii tum principibus subiecti remanerent. *Protestantes* deinde in tot diversas hac de re sententias discesserunt, ut minime vacet, eas omnes referre. Ut tamen eorum sententiam huic nostrae vere oppositam commemorem, alii Ecclesiam principibus, quibus „ius sacrorum“ tribuebant, subiectam dixerunt, alii eius iura partim principibus partim populo tribuerunt. Item e *catholicis* Alphonsus Tostatus († 1455)

[1] Cf. Raynald ad a. 1325 n. 20; ad a. 1327 n. 21.

de clavium sive iurisdictionis potestate haec scripsit[1]: „Ita videtur de clavibus Ecclesiae, quia illae datae sunt a Christo toti Ecclesiae; quia tamen non poterat tota Ecclesia dispensare illas, cum non esset aliqua persona, tradidit eas Petro nomine Ecclesiae.“ Et paulo post addit[2]: „Ecclesia [claves] habet secundum originem et virtutem, praelati autem habent secundum usum earum.“ Idem fere concludit Gerson († 1429)[3]; necnon doctor Parisiensis Ioannes Maior scripsit[4]: „Claves non datae sunt Petro nisi *nomine Ecclesiae*, et nisi propter Ecclesiam; ergo *citius* datae sunt Ecclesiae, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis.“ Similem doctrinam defendit Edm. Richer († 1631)[5], collegii Sorbonici aliquando syndicus, in opusculo „De ecclesiastica et politica potestate liber unus, Parisiis 1611“, ubi inter alia scribit[6] primum: „Schola Parisiensis . . . perpetuo constanter docuit, Christum fundando Ecclesiam prius *immediatius* et *essentialius* claves sive iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro et aliis apostolis, seu quod eodem redit, claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum [Rom. Pontificem] *ministerialiter* exercerentur.“ Deinde docet[7], „D. Petrum esse tantummodo dispensatorem et caput ministeriale Ecclesiae“; tum dicit[8], „Ecclesiam sumptam pro coetu fidelium sive pro christiana republica, unico et solo capite ac fundamento essentiali Christo Domino esse contentam; nihilominus in ratione exercitii atque exsecutionis regiminis eiusdem christianae reipublicae a duobus, Pontifice scil. et politico principe, differenter gubernari“. Denique tradit[9], „infallibilem potestatem decernendi aut condendi canones esse penes totam Ecclesiam aut concilium generale illam repraesentans“. Hos secutus Ellies Dupin, docuit[10], „potestatis ecclesiasticae immediatum subiectum esse universam Ecclesiam“. Eandem omnino doctrinam tradidit Febronius († 1790) dicens[11]: „Potestas clavium universitati Ecclesiae a Christo data est. Illam haec per ministros suos exercet“; inter quos Ecclesiae primas primarius quidem sit, „nihilo tamen minus universitati subordinatus“. Et rursus ait[12], „Petrum solum non esse subiectum immediatum potestatis ecclesiasticae, sed clavium potestatem *universitati Ecclesiae* proprie et ita transscriptam esse, ut illa per eos ministros pro sua cuiusque portione ac inter hos per summum Pontificem exerceatur. Ea est communis sententia theologorum Galliae tam veterum quam recentiorum.“ Eiusdem sententiae fuit etiam iansenista Tamburini[13]. Atque inter recentiores idem docent praecipue Langen[14] et Reinkens[15]. Itaque secundum

---

[1] Comment. in Num. 15 q. 48 (Opera IV, Colon. Agripp. 1613, 387).
[2] Ibid. q. 49, p. 388. [3] De potestate eccl. consid. 4 (Opera II 231).
[4] Disput. de auctoritate concilii (Gerson, Opera, ed. Dupin II 1133).
[5] Puyol, Edm. Richer. Étude hist. et crit. sur la renovation du gallicanisme au commencement du XVIIe siècle, Paris 1876.
[6] Ed. 1611, p. 5. Animadvertunt tamen aliqui, Richerium, si loquatur de Ecclesia, cui iurisdictio ecclesiastica tradita est, non intelligere totum coetum fidelium, sed hierarchiam, quae ipsius sententia constat ex episcopis et presbyteris.
[7] Ibid. 11. [8] Ibid. 25. [9] Ibid. 15.
[10] De antiqua eccl. discipl. 379 sq (ed. Paris. 1686).
[11] De statu eccl. c. 1, § 6. [12] Ibid.
[13] Praelect. de Ecclesia Christi P. III, § 69 sqq, p. 90 sqq.
[14] Das Vatik. Dogma passim, sed praecipue II 115 sqq.
[15] Über Einheit der katholischen Kirche 158, ubi inter alia etiam haec scripsit: „Es gibt kaum eine andere Lehre, die von den größten Kirchenlehrern, von den

hanc sententiam proprie universitas fidelium potestatem tum supremi imperii tum infallibilis magisterii accepit, Petro deinde ac reliquis apostolis ideo communicandam, quod ipsa christianorum multitudo illa utraque potestate uti non potuerit; ideoque Ecclesiae inaequalitas *nullatenus iuris divini* et *essentialis illius proprietas* haberi potest.

II. **Probatur thesis.** Thesis admittenda est, si et magisterii et imperii potestas a Christo directe et immediate ipsis apostolis collata est; atqui evidens et certissimum est, rem ita se habere

1. respectu magisterii. Nam apostoli docendi potestatem manifesto non acceperunt

a) *a coetu fidelium e gentibus collecto,* cum antequam ipsi ad gentes Christi religionem docendam missi erant, nulli ex iis Christo nomen dederant. Neque eam acceperunt

b) *a parvo coetu fidelium ex iudaeis ante Christi discessum iam collecto.* Nam Christus apostolis non dixit: ite, accipite docendi facultatem a fidelium coetu, sed iis immediate dixit: „Euntes docete" etc. Neque ullibi legitur Christus illi fidelium iudaeorum coetui aut docendi facultatem aut ipsam infallibilitatem communicasse, sed dedit eam directo et immediate ipsis tantum apostolis. Magisterium ergo sacrum sic est a Christo institutum, ut illud acceperint apostoli a Christo ipso, populus vero illi magisterio subiectus fuerit, ita ut non apostoli super fideles, sed contra hi super apostolos a Paulo superaedificati dicerentur Eph 2, 20, nec fideles apostolis, sed hi fidelibus credenda et agenda praescriberent (Act 15, 28 sqq) adeoque ipsi non a populo ad docendum mitterentur, sed ad populum pro Christo legatione fungerentur (2 Cor 5, 20).

Neque obstat, quod Act 15, 23 in inscriptione decreti sive epistulae ad Antiochenos loco: „Apostoli et seniores (πρεσβύτεροι ἀδελφοί)", alia lectio habet: „πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί". Si enim haec lectio ut vera admittatur, ex ea minime probari potest, etiam populum in conficiendo illo decreto et docendo Antiochenos partem, adeoque secundum apostolos et hinc etiam e Christi voluntate docendi potestatem atque infallibilitatis activae donum habuisse. Illud tantum sequitur, populum non solum decreto assensisse, sed apostolos voluisse hunc assensum in ipsa decreti inscriptione exprimere atque Antiochenis significare. In ipso certe illo concilio soli apostoli decretoriam sententiam dederunt, qua data omnis populi multitudo tacuit (ib. v. 12), neque apostoli una cum tota multitudine, sed tantum cum senioribus ad inquirendam rei veritatem convenerunt (ib. v. 6). Insuper lectio: πρεσβύτεροι ἀδελφοί, ut in h. l. critici aiunt, omnino praeferenda ac sola vera videtur.

Konzilien und Päpsten und von allen Theologen, die Namen haben, durch alle Jahrhunderte herab bis zum Konzil von Trient so konstant und allgemein vorgetragen worden wäre wie *diese:* daß die Schlüsselgewalt nicht dem Petrus als Einzelperson, etwa in Form eines Amtes, sondern vielmehr der *Gesamtkirche,* als deren Repräsentant er im Bekenntnis der Gottheit Christi erschienen, übertragen worden sei. Mit andern Worten: die Fülle der geistigen Kraft und Gewalt ist nicht in einem menschlichen, monarchischen Haupte, sondern in dem ganzen gläubigen Volke."

Quam Felten[1] ita certam iudicat, ut aliam ne memoret quidem; Knabenbauer vero dicit[2]: „Non esse legendum καὶ οἱ ἀδελφοί cum textu recepto hodie critici generatim agnoscunt, et probatur 16, 4 loco parallelo." Lectionem καὶ οἱ ἀδελφοί dicuntur habere praeter textum receptum codicis ℵ posterior correctio et codices E, H, L, P, alii posteriores, Syrus uterque, Coptus, Armenus Zohrabi, Aethiops uterque, aliqui Patres graeci. (Constit. apost. 6, 12: supra p.201). Eam suam fecit Tischendorf in editione Novi Testamenti septima, reliquit in editione octava. Immo protestans Meyer dicit[3], aliam lectionem esse originis hierarchicae ad excludendos scil. laicos a magisterio. Lectio vero: πρεσβύτεροι ἀδελφοί invenitur in codicibus plane antiquissimis et optimae notae ac maximae auctoritatis: ℵ (prima manus), A, B, C, D, in nonnullis minusculis, Vulgata latina, Armena Uscani, apud S. Irenaeum (MG VII 908 B), Pacianum (ML XIII 1083 D) etc.; Origenes (MG XIV 1227 C) et versio sahidica omittunt vocem ἀδελφοί. Chrysostomus (MG LX 242) solos apostolos nominat auctores decreti. Similiter Clemens Alex.[4]

Accedit, quod c. 16, 4 decretum diserte dicitur latum a solis apostolis et senioribus. Illud „cum (σύν) omni Ecclesia" in v. 22 est igitur de populo tacite *consentiente*, non vero operam suam quoque sociante intelligendum. Et sane si etiam plebi illi iudaicae legi mosaicae valde addictae in ista re suffragia ferre licuisset, ipsa procul dubio christianos e gentibus oriundos non liberos a legis illius observantia declarasset.

c) *Denique docendi potestatem* apostoli multo minus a principibus aut iudaeorum aut gentilium acceperunt, utpote qui neque ullam eiusmodi potestatem habebant, nec, si habuissent, Christi apostolis eam communicassent, ipsi Christi religioni omnino infensi et adversi. Diserte Christus apostolis praedixit futurum esse, ut ad praesides et reges ducerentur propter ipsum, „in testimonium illis et gentibus" (Mt 10, 18. Mc 13, 9). Iudaeorum vero principes apostolis Petro et Ioanni denuntiarunt, „ne omnino loquerentur neque docerent in nomine Iesu", cui tamen interdicto illi apostoli neutiquam paruerunt (Act 4, 6 17 ad 20). Sed nimis absurda ista opinio est, quam ut amplius refutetur. Probamus igitur thesim

2. respectu regiminis, et

a) *quidem respectu omnium apostolorum regiminis.* Nam regimen sacrum illi soli competere potest, cui Christus illud demandavit; atqui S. Scriptura teste Christus nec principibus nec populo, sed solis apostolis illud commisit. Illis enim, illisque solis, potestatem legiferam, iudiciariam, ultricem dedit (supra p. 50 sqq), et apostoli soli ea usi sunt, adeo ut nullum in eorum Actis et epistulis indicium sit, eos principibus aut populo aliquod ius in sacra aut aliquam potestatem sacros ministros constituendi attribuisse.

---

[1] In h. l. 298. [2] In h. l. 269.

[3] Krit.-exeget. Handbuch über die Apostelgesch. [4] 326.

[4] Strom. l. 4, c. 15 (MG VIII 1304) vocat certe illud decretum *ἐπιστολὴν τὴν καθολικὴν τῶν ἀποστόλων ἁπάντων*, et Paedag. l. 2, c. 7 (ib. 466) illius epistulae auctores rursus solos apostolos nominat.

Obiciunt, e persuasione christianae antiquitatis suam etiam populo christiano in electionibus episcoporum partem necessariam esse, regiminis igitur potestatis eum esse participem. Matthiam enim apostolum electum esse praesente turba hominum fere centum viginti (Act 1, 15), septem diaconos a multitudine apostolorum iussione electos esse. Praeterea Clementem Romanum scribere[1], constitutos episcopos esse ab apostolis et deinceps ab aliis viris eximiis consentiente Ecclesia (συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης). Doctrinam duodecim apostolorum christianos admonere[2]: „Constituite igitur vobis (χειροτονήσατε οὖν ἑαυτοῖς) episcopos et diaconos dignos domino." Etiam posteriore tempore populi in electione partem tamquam essentialem commemorari. Cyprianum legitimum episcopum eum habere, qui divino iudicio, populi *suffragio,* coepiscoporum *consensu*[3] episcopus constitutus sit. Ex quo loco sequi dicunt, electionis ius apud populum fuisse, apud coepiscopos ius approbationis vel consensus. Praeterea e Cypriani sententia plebem habere „potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi"[4], atque ex loco Nm 20, 25 sq esse divinae ordinationis eum probare, „ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur". Deum loco illo Scripturae ostendisse, „ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina vel bonorum merita praedicentur et sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata". Etiam Origenes explicans Lv 8, 4 scribit[5]: „Requiritur in ordinando sacerdote et praesentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod et apostolus praecepit in ordinatione sacerdotis dicens: Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt (1 Tim 3, 7)."

At ut penes populum potestatem regiminis ecclesiastici esse demonstretur, non sufficit ostendere, populum interfuisse electionibus, approbasse acclamationibus electum, vel etiam elegisse eum, qui a superioribus ecclesiasticis donandus est potestate ecclesiastica, sed ostendendum est, necessario et e divino iure populum electioni intervenire debere atque populum hac interventione transfundere ex se in electos ministros potestatem. Atqui haec nullo e recitatis textibus demonstrantur. In Matthiae enim electione apostolatus immediate confertur a Deo. De septem diaconis Petrus dicit Act 6, 3: „Considerate . . . viros e vobis boni testimonii . . ., quos constituamus [nos apostoli, non populus] super hoc opus." De Clementis loco idem dicendum est, praeterea immediate ante recitata verba scribit Clemens nulla mentione facta multitudinis, episcopos constitutos esse ab apostolis. Doctrina apostolorum

---

[1] 1 Cor. 44 (Funk 156). [2] C. 15 (Funk 32).

[3] Ep. 59, c. 5 (Hartel 672). [4] Ep. 67, c. 3 (ib. 738).

[5] In Lev. hom. 6, n. 3 (MG XII 469). — Non omnes loci, quos supra attulimus, veteribus adversariis noti erant. Non tamen, cum in rem adversariorum converti possint, hic praetereundi erant. Collegerunt textus patristicos de electione episcoporum Thomassinus, Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia Pars II lib. 2, et Funk, Abhandl. u. Untersuch. I, Paderborn 1897, 23 sqq.

admonet populum, ut episcopos constituat, non admonet, ut propria auctoritate eos constituat; episcoporum in ordinandis autem episcopis partem licet non memoret, non negat tamen. Quod concedere debent etiam ii, qui plebis in constituendis episcopis suffragium necessarium putant. Nam in aliis textibus episcopi leguntur constitui ab aliis episcopis, non memorata plebe (v. g. Tit 1, 5). Qui igitur plebis consensum necessarium putant, licet non memoretur, nihilominus eum affuisse censere debent. Ergo etiam nobis concedant, ut in Doctrinae apostolorum recitato loco episcoporum interventum subintelligi putemus, quamvis de eo nihil scriptum sit ibi. — Cypriani autem locus, ubi plebi eligendi vel recusandi episcopos potestatem ascribere videtur, non est ad rem. Agit enim ibi Cyprianus de episcopo, qui est publicus peccator; ab eius sacrificio debere plebem se retrahere dicit, ne et ipsa contaminetur episcopi pravi peccato. Plebem enim posse „eligere" sacerdotem, scil. visitando eius sacrificia, vel eum „recusare", separando scil. se ab eo nec eius sacrificia etc. visitando. Non igitur agitur ibi de eligendo episcopo, sed de electo. Cur autem Cyprianus, ubi de legitimitate episcopi agit, a populo ipso suffragio suo eum approbatum esse saepe dicat, ratio in aperto est. Maior enim iniustitia committitur, si plebs eum episcopum recuset, quem ipsa approbavit, quam si eum reprobat, cui suffragium non dedit. Ob hanc igitur rationem Cyprianus populi suffragium memorat, non autem, quia e iure divino hoc ad legitimitatem ordinationis episcopalis necessarium putat. Neque veram necessitatem e iure divino astruere vult Cyprianus, si provocat ad locum Nm 20, 25. Veteris enim Testamenti institutiones Patribus norma sunt, secundum quam, quantum fieri potest, Novi Testamenti res et instituta conformant, non tamen, in rebus disciplinae saltem, norma necessaria. Convenientem esse propter Dei verba populi in electionibus praesentiam e Nm 20 Cyprianus deducit, non tamen ita necessariam eam esse, ut ea deficiente electio non sit legitima. Denique quomodo episcoporum electiones fiebant, Cyprianus ep. 67 c. 5 (Hartel 739) describit: „Apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit." Ubi vides, electiones fieri plebe quidem praesente, sed non a plebe praesente, sed ab episcopis. „Coepiscoporum igitur consensum", de quo ep. 59, 5, eum intelligere debemus, quo coepiscopi *inter se* de eligendo consentiunt, non eum, quo approbant plebis electionem. Rationem autem, cur plebis praesentia requirebatur, optime expressam legis apud Originem l. c. (supra p. 246).

Obicitur praeterea Mt 18, 18, ut populi regiminis potestas demonstretur. At nomine Ecclesiae ibi non fidelium multitudo, sed ipsi apostoli intelligendi sunt (supra p. 56). Denique manifestum est, neque obstare, vel quod ecclesia Antiochena elegit Paulum et Barnabam cum quibusdam aliis, ut ad apostolos et presbyteros Hierosolymis degentes mitterentur ad interrogandum, utrum circumcisio necessaria esset necne (Act 15, 2), neque quod ecclesia Hierosolymitana elegit viros (ib. v. 22), qui apostolorum decretum Antiochiam perferrent. Nec hic enim nec ibi agitur de institutione alicuius ministerii perennis, sive de commissione potestatis regendi. — Postremo nullibi leguntur apostoli leges suas aut principibus aut populo christiano sanciendas subiecisse, sed ipsi eas cum sanctione tulerunt.

Certissimum igitur est, regimen apostolorum omnium a Christo immediate illis solis collatum esse. Restat, ut thesis probetur

b) *respectu primatus Petri.* Nam

α) in ipsis verbis, quibus Mt 16, 18 19 et Io 21, 15—17 primatus promissus et collatus refertur, ne repetam, Christum semper Petrum et non fidelium coetum alloquentem exhiberi, nullum plane indicium apparet, quo significetur, non de Petro, sed de fidelium multitudine directo, primario atque immediate Christi verba intelligenda esse. Quo igitur iure adversarii contendant, illos locos non ad Petrum, sed ad Ecclesiam ut fidelium coetum immediate referri?

β) Quinimmo illi loci adversariorum sententiae aperte prorsus repugnant. In loco enim Matthaei Ecclesia fundanda dicitur super petram; ergo si ista petra esset immediate ipsa Ecclesia, consequeretur, Ecclesiam aedificandam esse super se ipsam; hoc autem aperte repugnat. Similiter „portae inferi non praevaliturae dicuntur contra Ecclesiam, quatenus Ecclesia sit aedificanda super illam petram. Si igitur haec petra Ecclesiam designet, sensus erit: eatenus inferi portas non praevalituras fore contra Ecclesiam, quatenus super se ipsam aedificata et fundata Ecclesia consistat“ [1], qui sensus pariter absurdus est. — In loco autem Ioannis secundum adversarios Christus Petri amorem remuneraturus esset ita, ut Ecclesia gregem dominicum pasceret; hic grex autem est ipsa Ecclesia ut fidelium coetus; ex adversariorum igitur sententia Ecclesia iussa esset pasci a se ipsa.

γ) At non solum isti loci adversae sententiae obstant, sed etiam oratio contexta ei plane repugnat. Primum enim „si Christus non Petro, sed Ecclesiae potestatem clavium immediate conferre voluisset, cur, postquam dixerat: ‚Et portae inferi non praevalebunt adversus eam‘, sermonem suum hunc in modum non est prosecutus: ‚Et illi [Ecclesiae] dabo claves regni coelorum‘? Cur ad Petrum orationem convertens dixit: ‚Et tibi dabo claves‘? Vel ergo dicendus est Christus contra suam mentem fuisse locutus, vel certe adversarius Christi verbis vim turpissime infert.“ Deinde „Christus S. Petro dixit: ‚Ego tibi dabo claves.‘ *Ego,* inquit, non *Ecclesia* dabit. *Tibi* dabo, non *Ecclesiae* dabo. Et quia, subdit Christus, tu claves accipies, tu ipse poteris solvere et ligare in terris, quidquid solvi potest aut ligari in ordine spirituali. Quid clarius ac expressius eiusmodi dicendi formulis optari potest? Certe si ipsimet adversarii debuissent ponere in ore Christi sententiam, quam nos tuemur, non alia verba potuissent suggerere, quam quae iam a Christo fuerunt adhibita. Qua igitur fronte ea in alienum sensum distrahere tentent?“

Nec valet, id quod multi medii aevi ac praesertim saeculi XIV et XV scriptores Galli aliique dixerunt, verba Christi apud Luc 22, 32 intelligenda esse de tota Ecclesia, et Dominum orasse pro Petro,

[1] Cercia 85. Quem etiam sub γ—ε sequimur.

quatenus totius Ecclesiae figuram gesserit. Nam haec interpretatio est omnino falsa cum, ut ait Ferraris[1], „ibi Dominus unam tantum personam designaverit dicens bis: ‚Simon, Simon', et addens pluries pronomen secundae personae: pro *te,* fides *tua,* et *tu,* fratres *tuos,* quae verba clare indicant, fuisse a Christo Domino impetratum aliquid speciale Petro. Si enim de tota Ecclesia fuisset locutus, multo rectius dixisset: rogavi pro *vobis,* quam: rogavi pro *te;* tum quia Deus pro illo rogat, cui dicit: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Haec enim verba nequeunt toti Ecclesiae convenire." Non enim „Ecclesia habet fratres, quos debeat et possit confirmare, cum omnes fideles sint eius filii." Eatenus utique, quatenus Petri in fide constantia etiam in Ecclesiae sibi subditae utilitatem cedebat et a Christo ei ideo maxime collata est, dicere licet, illis verbis significari, Christum etiam pro Ecclesia orasse. Sed non de hac re hoc loco agitur.

δ) In S. Literis Ecclesia ut fidelium coetus ubivis comparatur *gregi,* Petrus vero et alii apostoli et praepositi simpliciter *pastorum* nomine designantur. Iam vero pascendi potestas non ab ovibus derivatur in pastorem, sed ab hero et gregis domino communicatur, qui quem voluerit gregi suo praeficit. Ergo cum Christus Petrum omnium ovium suarum pastorem instituerit, ipsum ei pascendi potestatem directe contulisse necesse est, sicut etiam re ipsa fecisse Io 21, 15 sqq refertur.

ε) Secundum ea, quae in priore capite probavimus, „verba illa Christi ad Petrum: ‚tibi dabo claves', et alia: ‚pasce agnos meos', necnon ad apostolos omnes: ‚quaecumque alligaveritis' . . . sunt lex fundamentalis, qua Christus legislator divinus in Ecclesia a se constituta modum regiminis et potestatis sui in terris vicarii aliorumque ministrorum inferiorum determinavit; his enim effatis potestatem pascendi et regendi fideles iisdem dedit, et quousque se illa extenderet, declaravit. Age vero, quis ignorat, leges fundamentales cuiuslibet communitatis sive civilis sive sacrae perspicuas maxime et plane obvias esse oportere, nec aliam capere aut pati interpretationem, quam quae sit obvia et textui connaturalis? Ita plane est; lex fundamentalis cuiusque regni si verbis ambiguis fuerit lata, defectum sapientiae vel providentiae in legislatore manifestat, quod in Christum cadere posse nonnisi impius suspicabitur. Hinc ipse Richerius docet, credendum esse, quod Christus summe sapiens regimen Ecclesiae suae modo quo fieri potuit decentiore et utiliore instituerit, citatque vulgatam S. Augustini regulam: ‚Quidquid tibi vera ratione occurrerit, id credas fecisse Deum.' A cunctis ergo Christum verum Deum agnoscentibus lex omnis fundamentalis ab eo lata intelligi debet in sensu plano et obvio, omnino sicut leges in Veteri Testamento de circumcisione, de aliis caeremoniis legalibus et sacrificiis, de supremo ponti-

[1] Prompta biblioth. sub verbo *Papa* art. 2, n. 43.

fice eiusque auctoritate propositae. Sed si ita sumatur lex fundamentalis Christi, nempe obvio et naturali sensu, a nulla re magis quam a Richerii hypothesi distat."

Itaque apostoli nullo modo ab Ecclesia potestatem acceperunt, immo e Christi voluntate neque Ecclesiam mere ac proprie repraesentarunt. Nam, ut ait Reinerding[1], „Christus, si apostolos in potestate iis tributa meros Ecclesiae repraesentantes esse voluisset, hoc *clare* indicare debuisset, ne ipsi sibi attribuerent, quod pro communitate fidelium intendebatur; sed ne minimum quidem indicium occurrit, quo Christus se potestatem apostolis datam non his, sed communitati fidelium esse propriam voluisse declaret. Non sane tale aliquod vestigium ibi occurrit, ubi voluntas haec clare expressa esse debuisset, in potestate scil. deferenda, nec ipsi etiam protestantes eam e verbis Christi in tali occasione prolatis umquam ostendere sunt nisi." Et sane, ut probavimus, in iis non solum nullum istius repraesentationis indicium est, sed plane contrarium exprimitur.

ζ) Adversariorum opinionem denique *antiquitatis christianae hac de re sententiae repugnare* luculenter ex iis Patrum testimoniis patet, quae multa in quaestione de Petri primatu (pag. 169 sqq) attulimus. Non enim Patres docuerunt, aut Christum claves Ecclesiae et per eam Petro reliquisse, aut Ecclesiam solam eas Petro et apostolis ceteris communicandas accepisse, sed contra, ut vidimus, Tertullianus diserte scripsit, Dominum claves Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse, et Optatus pariter dixit, Petrum solum claves ceteris communicandas accepisse[2]. Item docuerunt, Petro propter editam ab ipso Christi divinitatis confessionem supremam in Ecclesiam potestatem commissam esse. E Patrum igitur sicut e S. Scripturae sententia datae sunt claves a Christo ipsi Petro, in bonum quidem et utilitatem Ecclesiae, sed ipsa clavium potestas in Ecclesia ut fidelium multitudine non est tamquam in subiecto.

η) *Postremo adversariorum argumenta facile diluuntur.* Nam

α') *non obstat,* quod S. Augustinus saepe docuit, Petrum ut *figuram* gestantem Ecclesiae claves accepisse easque datas esse etiam Ecclesiae, cum darentur Petro, neque hominem unum, sed unitatem Ecclesiae accepisse claves. *Primum* enim, ut Bellarminus annotavit[3], potest aliquis alterius personam gerere duplici modo, nimirum aut *historice* aut *parabolice.* Et historice quidem is alterius personam gerit, qui „re aliqua vere a se gesta rem ab alio gerendam significat, et eam quodammodo repraesentat. Sic Abraham vere duos filios habens Deum significavit, qui duos populos habi-

[1] Theol. fundam. II 72.

[2] Nihilominus ex *istis ipsis Tertulliani, Optati* aliorumque Patrum similibus sententiis Dupin (De ant. Ecclesiae disciplina 380 sq) probare voluit, potestatem ecclesiasticam esse penes Ecclesiam, scil. fidelium multitudinem.

[3] De Rom. Pontif. l. 1, c. 12.

turus erat, ut apostolus exponit (Gal 4, 22 sqq). . . . Parabolice vero per unum aliud significatur, quando res vere gesta nulla proponitur, sed aliquid verisimile fingitur ad aliud significandum: quomodo in evangelio, qui seminat bonum semen, Christum praedicantem significat. Ad quem modum etiam solent legati principum urbium claves accipere, cum interim nil sibi proprie accipiant, sed tantum principis sui personam repraesentent." [1]

Iam neque Augustinus neque alius veterum Patrum sensit, Petrum in clavium acceptione figuram gestasse Ecclesiae tantum parabolice, non vero historice. Nullibi enim Augustinus contendit, Petrum ipsum claves non accepisse, sed contrarium aperte docuit ipsis iis locis, qui nobis opponuntur. Sic enim dicit [2]. „Sicut quaedam dicuntur, quae ad apostolum Petrum *proprie pertinere* videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam *propter primatum, quem in discipulis* habuit; sicuti est: *tibi dabo claves regni coelorum*, et si qua huiusmodi; ita et Iudas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi iudaeorum." Sed historice certum est, Iudam ipsum revera Christum prodidisse, idque ceu tale ab Augustino hic affirmatur; ergo hic quoque ut certum asseruisse censendus est, Petrum claves accepisse, idque eo magis, quod dicit, Petrum inter discipulos primatum habuisse, utique in utilitatem Ecclesiae. Rursus Augustinus ait [3], sic Petrum gessisse personam Ecclesiae militantis et vitae activae, quando Christus ei dixit: „Sequere me"; et: „Alius cinget te, et ducet, quo non vis"; et quando accepit claves regni coelorum, sicut Ioannes gesserit figuram Ecclesiae triumphantis et vitae contemplativae, quando recubuit supra pectus Domini, et quando de eo dictum est: Sic (si, ἐάν) eum volo manere. Sed certum est Augustino, Ioannem ipsum historice et vere recubuisse supra pectus Domini; nec minus certum illi est, ipsum Petrum audivisse: *alius cinget te.* Ergo historice quoque debet intelligi, Petrum accepisse claves. Minime igitur ab Augustino excluditur historicae narrationis veritas, cum Petrum Ecclesiae figuram esse dicit.

Deinde „observandum est, S. Augustinum, cum ait, b. Petrum in persona Ecclesiae accepisse claves, non velle significare, ab eo claves revera et historice esse acceptas sicut a vicario quodam seu legato Ecclesiae, quemadmodum a legato regis, nomine principis sui, claves accipi solent alicuius civitatis, sed potius ut a principe et moderatore totius Ecclesiae; quo pacto dicimus regno dari, quod regi ipsi datur, praesertim si id in publicam utilitatem cedat" [4]. Et vero hanc esse Augustini mentem inde manifestum est, quod ferme ubicumque dicit, Petrum fuisse figuram Ecclesiae, explicat, se haec dicere *ratione eius primatus.* Sane dicit [5]: „Cuius Ecclesiae Petrus apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam." Et alibi [6]: „Cuius [Ecclesiae] ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit." Ac rursus [7]: „Petrus a petra cognominatus beatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens" etc. Sic igitur affirmavit Augustinus, Petrum gessisse figuram

---

[1] Cercia, De Ecclesia 97.
[2] Enarr. in Ps. 108 n. 1 (ML XXXVII 1431).
[3] In Ioan. tr. 124, n. 5 (ML XXXV 1973). [4] Bellarm. l. c.
[5] In Ioan. l. c. [6] In Ps. 108 n. 1 (ML XXXVII 1432).
[7] Serm. 76, n. 3 (ML XXXVIII 480).

Ecclesiae, ut nihil inde detrimenti historicae veritati sive primatus communicationi Petro immediate factae inferret. Affirmavit enim, ut modo diximus, Petrum accepisse claves tamquam caput Ecclesiae, adeoque dici posse Ecclesiae datum, quod datum est Petro, praesertim cum eas in publicam Ecclesiae utilitatem acceperit. Unde sequitur, dici ab Augustino, „datas Ecclesiae claves *finaliter,* non autem *formaliter;* Petro vero datas *formaliter,* sed *finaliter* in bonum Ecclesiae“ [1]. Quare ex hac Ecclesiae personam gerendi ratione nihil sequitur, quam Petrum aliosque omnes apostolos, quia non pro se ipsis, sed tanquam Ecclesiae praesides omnem potestatem acceperunt, eandem tamquam ad successores transmittendam adeptos esse.

Denique notandum est, Augustinum aliosque Patres isto modo de clavibus loquentes totos in eo fuisse, ut novatianos et montanistas refellerent, qui contendebant, non pollere Ecclesiam potestate omnia crimina remittendi, utpote quae, ut Tertullianus hac opinione infectus loquitur [2], data fuerit Petro *personaliter* tantum. Hanc enim opinionem refutans Ambrosius ait [3]: „Tibi, inquit [Christus], dabo claves regni coelorum, ut et solvas et liges. Hoc novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit: ideo ille in lapsu, nos in remissione; ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio.“ Atque in eandem sententiam Augustinus scribit [4]: „Petrus in multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiae, maxime in loco, ubi dictum est: tibi trado claves regni coelorum.... Numquid istas claves Petrus accepit et Paulus non accepit? Petrus accepit, et Ioannes et Iacobus non accepit, et ceteri apostoli? Aut non sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiae, quod *illi uni* datum est, Ecclesiae datum est.“ Et alibi ait [5]: „Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem et in Ecclesia fit..., Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.“

β') *Neque obstat,* quod Augustinus aliique Patres docent, ipsam Ecclesiam ligare et solvere, cum id dicentes intelligant Ecclesiam *regentem* sive pastores Ecclesiae, minime vero ipsorum fidelium coetum. Nihil enim proferri potest, quo probetur, S. Augustinum aliosque Patres putasse, quosvis christianos atque ipsas etiam mulieres ligandi solvendique potestatem habere, nisi sensu valde improprio, eatenus scil., quatenus se ipsos aliosve caritate precibusque a peccatis solvant. Augustinus nimirum aliquando etiam dixit [6], Petrum accipientem claves figuram fuisse totius Ecclesiae sanctae, i. e. omnium iustorum et vivorum membrorum Christi, sicut fuerit Iudas figura malorum. Sed ut Bellarminus ait [7], „per haec verba non significat S. Augustinus, Ecclesiam iustorum ex *auctoritate* peccata remittere, sed nemini peccata remitti, quantumvis baptizetur et reconcilietur, nisi ad eum extendatur caritas Ecclesiae, et fiat membrum vivum columbae, et proinde particeps orationum aliorum iustorum. Orationibus enim sanctorum tamquam gemitu columbae impetratur poenitentia interior et caritas, per quam forma-

[1] Cercia 99 sq. [2] De pudic. c. 21 (ML II 1024).
[3] Enarr. in Ps. 38 n. 37 (ML XIV 1057).
[4] Serm. 149, c. 6, n. 7 (ML XXXVIII 802).
[5] In Ioan. tr. 50, n. 12 (ML XXXV 1763). [6] Ibid.
[7] De Rom. Pontif. l. 1, c. 12.

liter iustificantur, quicumque iustificantur. Excogitavit autem hunc modum loquendi b. Augustinus propter donatistas, quibus mirabile videbatur, haereticos posse per baptismum homines iustificare et in Ecclesiam introducere, cum sint ipsi cooperti peccatis et extra Ecclesiam. Ad hanc admirationem tollendam dicit Augustinus, non tam eum, qui baptizat, remittere peccata, quam gemitum columbae, quoniam non ideo iste qui baptizatur iustificatur, quia ab isto vel illo baptizatur, sed quia per baptismum a quocumqne exhibitum in eum extenditur caritas Ecclesiae."

γ') *Insuper opponitur,* Deum et naturam *prius* et *magis* directo ad rem totam intendere, cum aliquid moliantur, quam ad aliquam eius partem quantumvis nobilissimam, uti v. g. prius ad hominem ipsum constituendum quam ad facultatem videndi ei tribuendam; ergo pariter necesse esse, Christum in Ecclesia et ecclesiastica potestate constituenda potiorem duxisse totius corporis curam. i. e. Ecclesiae, quam unius membri, licet praestantissimi, cuiusmodi Petrus fuerit. — Utique Deus prius intendit ad totum, si hoc totum est vel potest esse sine partibus, uti v. g. est anima humana, aut si totum in se sive, ut dici solet, *virtualiter* continet partes postea evolvendas, uti v. g. germen continet ramos. Si vero res non potest esse sine partibus, sive si partes conferunt ad constituendam ipsam eius essentiam, uti res reapse se habet in hac quam tractamus quaestione, aut si partes non iam continentur in toto, Deus ad illud totum prius quam ad partes non alia ratione quam habita ratione *finis* intendit. Christus igitur primum intendit ad Ecclesiam vel potius ad salutem omnium suorum fidelium tum praepositorum tum subditorum, minime vero primum ad multitudinem credentium nisi ut adiutam potestate superiorum et ut veram ac presse intellectam societatem ita constitutam, ut haec constitutio ordinarium subsidium sit ad illam fidelium salutem curandam. Unde, quod opponitur, verum est, si totius alicuius operis eiusque omnis utilitatis sive finis primarii ratio instituatur, minime vero, si de electione singulorum adiumentorum ut talium agatur. Nimirum cum Deus aliquid ad bonum et emolumentum alicuius operis dirigit et ordinat, certe spectato fine universali rationem prius habet *totius* quam partis cuiuscumque etiam nobilissimae; si vero de electione agitur adiumentorum, quae ad propositum finem attingendum magis apta et idonea sunt, prius et magis directo rationem habet partis quam totius. Quapropter Christus omnia, quae in Ecclesiae commodum et ornamentum contulit, utique ad eius totius utilitatem retulit tamquam ad primarium finem proximum, quem in ea fundanda sibi proposuit; verum ratione adiumentorum, si ea singillatim ac prout in se sunt, spectantur, res aliter se habet. Architectus certe, tametsi primo totius domus aedificandae formam sibi fingit, prius tamen cogitat de iaciendis fundamentis quam de imponendo fastigio, et belli dux prius studet aciem bene instruere, quam proelium inire, quamquam illud tantum subsidium sit ad hoc bene committendum. Et hac ratione sane Christus revera, uti monstravimus, se etiam gessit. Prius enim designavit petram tamquam Ecclesiae suae fundamentum, quam eius aedificium ipsum erexit; prius eius caput constituit, quam eam ipsam proprie fundavit; prius pastorem creavit, quam magnam agnorum et ovium multitudinem pascendam collegit; ac proinde fundamento, capiti ac pastori firmitatem ac plenitudinem potestatis praebuit, qua ad Ecclesiam regendam opus erat, antequam ea ipsa vere instituta esset, cum, ut omnes fatentur, ea tantum post Christi e terris discessum respectu multitudinis fide

lium colligendae proprie ac vere constituta sit. Ergo tantum abest, ut ex opposito argumento necessario sequatur, iurisdictionis potestatem *primario* ac *formaliter* residere in ipso fidelium coetu sive Ecclesiae corpore, ut contra *primario* atque *formaliter* e Christi institutione insit in capite Ecclesiae, S. Petro [1]. Scil. quamvis totius alicuius operis ratio primo sit formanda eiusque utilitas et commodum spectandum, inde neutiquam colligi potest, singulas partes, quae illud totum constituant et adiumenta sint ad illam rationem reapse ad effectum adducendam, non habere virtutem et perfectionem sibi vere insitam, quae ipsis propria sit et immediate collata ab ipsa natura aut a voluntate Dei positiva. Ita certe ex eo, quod Deus prius cogitet de homine ipso efficiendo quam de facultate videndi ipsi necessario tribuenda, nullatenus consequitur, hanc facultatem a Deo homini ita dari, ut prius in toto sit homine sive in omnibus eius membris, et postea ab hisce oculo soli communicetur. In opere igitur, de quo hic agimus, sive in Ecclesia Christi, cuius ratio tota a sola positiva Dei voluntate pendet, parti eius principali, Petro capiti, potuit Deus, uti reapse fecit, quam optime totam capitis virtutem ac potestatem directo et immediate indere, quamvis tota ea virtus et potestas in totius Ecclesiae bonum communicata sit.

δ') *Denique adversarii dicunt,* licet Petro claves proprie et immediate a Christo collatae sint, nihil tamen inde pro nostra sententia confici; etsi enim hominis facultates singulae in singulis corporis partibus insint, v. g. acies in oculo, ideo tamen homini eas datas esse, ut ab ipso per oculum aliaque corporis membra tamquam per administros exerceantur; hominis siquidem esse, oculos ita dirigere, ut has potius quam illas res intueantur; item adhibere manus aut pedes. Unde concludunt, totius pariter Ecclesiae proprium esse, uti suo capite suisque membris ad hunc vel illum actum exercendum; proinde licet non ipsam clavium potestatem, eius saltem usum et exercitationem ab Ecclesia pendere. At etiam hoc argumentum prorsus invalidum est. Utique si auctoritas primatus inesset in Petro, ut facultas videndi, quae est in oculo, residet in homine, vera et valida esset demonstratio; sed diversa prorsus ratione primatus potestas e Christi voluntate in Petro inest. Nam „in humano physico individuo omnis deliberatus motus et actio procedere debet ab hominis intelligentia et voluntate; unde totius individui est, singulas facultates ad motum ipsum et actionem applicare; et licet unaquaeque facultas sit formaliter in unaquaque parte, tamen ad nutum individui veluti instrumentaliter exerceri debet. At vero non ita se res habet in individuo morali, seu in societate. In hac enim res tota pendet a voluntate fundatoris, prout hic formam monarchicam aut aristocraticam vel democraticam in sua republica adamaverit. Si enim formam monarchicam praeelegerit, potestas non modo est *formaliter* in praecipua societatis parte, seu in capite monarchico, sed etiam *principaliter,* ita ut nec pendeat a nutu societatis nec sit eius instrumentum, sed tantum ad bonum societatis ordinetur.“ [2] Iam vero probavimus, Christum ipsum directo et immediate Petro potestatem instar regiae, a nullius inferioris arbitrio pendentem, supremam ac prorsus plenissimam in totam Ecclesiam contulisse, ideoque eius etiam usum adeo liberum, ut is a sola divina lege et Ecclesiae bono coarctaretur. — Quamvis igitur concedatur, omnem societatem *libere* initam habere potestatem, quam in nonnullos deferat,

---

[1] Perrone, De locis theol. I, n. 530. [2] Cercia 108sq.

et quamvis etiam concederetur, id quod tamen a plurimis philosophis negatur, societatem naturalem necessariam, i. e. civitatem, habere idem ius, sive esse subiectum primarium potestatis, exinde tamen minime sequitur, idem obtinere etiam in Ecclesia, utpote quae supernaturalis est et pendet a libera Dei voluntate, et in qua qui praesunt utuntur potestate, quae non competit naturaliter multitudini. Ergo si Christus immediate potestatem noluisset conferre ipsis apostolis, sed fidelium multitudini, id aut e rei natura debuisset innotescere aut certe e signo aliquo claro per Christum aut apostolos dato; atqui tantum abest, ut horum alterum verum sit, ut Christus clarissimis verbis apostolis solis et immediate omnem ipsorum potestatem contulerit. Provocat quidem Richerius ad 1 Cor 3, 21—23: „Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei." Quae Richerius reddit: „Omnia enim sunt Ecclesiae, Ecclesia autem est Christi." Quo iure ita reddit? Quid autem haec verba Richerii sententiae prosint, plane non video. Evidens enim est ex ipsis verbis et ex oratione contexta, Paulum hic nihil aliud docere, quam non esse de ullis hominibus, ergo nec etiam de magistris gloriandum. Omnia enim propter ipsos fideles, i. e. propter ipsorum utilitatem data esse, neminem autem recte gloriari de iis, quae sint propter ipsum, quoniam hac ratione inferiora haec sint ipso. Nec enim se solum Christi esse ministros, sed etiam ipsorum fidelium, quatenus ministerium suum subserviat utilitati fidelium, scil. *electorum*. Hoc certe et non alio sensu „vita et mors" electorum sunt. Ex eo autem, quod ad Christi fidelium utilitatem apostoli eorumque successores instituti sunt, quis sanae mentis velit colligere, hos omnes potestatem suam non immediate a Christo, sed ab ipsis fidelibus accepisse, praesertim cum contrarium in S. Scriptura alibi clarissime doceatur?

Neque obici potest illud Mt 18, 17: „Dic Ecclesiae", cum, id quod supra ostendimus, ista verba non ad Ecclesiae fideles, sed ad rectores referenda sint. — Provocat adversarius insuper ad Lc 10, 1: „Designavit Dominus et alios 72 et misit illos binos" etc., et ad Io 17, 18: „Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego misi eos [apostolos] in mundum"; sed haec provocatio manifesto nimium ridicula et absona est, quam ut fusius ostendatur, ex istis verbis nihil pro Richerii sententia sequi.

Atque ex iis, quae hactenus diximus, iam patet, opponi non posse, quod apostolorum in regimine et magisterio successores hominum electione constituuntur; hac enim electione non traditur iis potestas iurisdictionis, utpote quam electores v. g. successoris Petri in primatu ipsi non habent ideoque aliis communicare non valent; sed designatur tantum is, qui succedat, cui dein Deus ipse e Christi institutione competentem facultatem dare censendus est. Unde etiam mortuo apostolorum, ac praesertim Petri successore ipsius potestas dici nequit, ut vult Tostatus, redire ad Ecclesiam eique reddi [1].

---

[1] Quae cum ita sint, ista Richerii et Febronii doctrina a synodo Pistoriensi approbata iure a Pio VI damnata est: „Propositio [2], quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum, sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, *haeretica*" est (Denzinger-Bannwart n. 1502).

Concludamus igitur, Christum Ecclesiam suam minime ad formam reipublicae popularis instituisse, sed eam esse societatem respectu tam magisterii quam imperii sacri ex institutione Christi, sive iure divino inaequalem, ita ut haec inaequalitas sit Ecclesiae vera et essentialis proprietas [1].

§ 9.

De libertate Ecclesiae.

Thesis VI.

Christus Ecclesiam suam in colenda, conservanda, propaganda religione omnino liberam sive nulli civili potestati subiectam instituit.

I. **St. q.** Libertas, quam Ecclesiae Christi e divina institutione sive iure divino essentialem vindicamus, intelligitur ea, qua Ecclesia nullatenus obnoxia sit potestati civili; alia enim non est in terris constituta potestas praeter supremam societatis perfectae civilis, de cuius iure ad coarctandam Ecclesiae libertatem dubitatio haberi potest et reapse a quam plurimis habetur. Dicimus autem Ecclesiam omnino liberam in religione Christi colenda, conservanda, propaganda; quae quidem libertas praedicatur tam de sacro a Christo instituto regimine et magisterio quam de vita religiosa fidelium, sive de ratione, qua ipsi Christi religionem colere ac profiteri gentibusque praedicare aut debeant aut e Christi voluntate saltem possint. Huius autem libertatis demonstratio hic *generalis* tantum erit, cum non huius nostrae, sed iuris canonici disciplinae sit, Ecclesiae libertatem ad varias vitae publicae conditiones applicatam vindicare.

Probatio autem thesis dividitur in tres partes, in quarum prima agitur de libertate Ecclesiae in Christi religione colenda, in secunda autem de eiusdem libertate in eius religionis conservatione, in tertia de Ecclesiae libertate in religione christiana propaganda. Licet autem Ecclesiae in colenda ac conservanda religione libertas ex eo, quod Ecclesia perfecta societas est sponte sua fluat atque pariter eius in propaganda religione libertas consequatur maxime ex eo, quod religio christiana est sola vera et hinc, uti etiam e speciali Christi ordinatione, universalis evadere debet: nihilominus abs re non fuerit, eam libertatem non tam sub respectu ipsius fundationis Ecclesiae, utpote quam a Christo Deo libere neque petita civilis auctoritatis facultate institutam esse nemo negaverit, quam potius quoad Ecclesiae vitam et actionem in colenda, conservanda et propaganda Christi religione aliis novis argumentis firmare, ut ita haec Ecclesiae essentialis proprietas certior etiam et prorsus indubitata reddatur: qua demonstratione simul quoque magis magisque confirmatur, Christi Ecclesiam societatem esse plane perfectam.

---

[1] Cf. Card. Mazzella 408 sqq.

II. Probatur pars I: Ecclesia in colenda Christi religione libera est. Nam

1. libera sunt regimen et magisterium Ecclesiae. Id quod patet

a) *e potestate omnibus apostolis* (Mt 18, 18) et *Petro speciali modo* (ib. 16, 19) collata ligandi atque solvendi quaecumque ita, ut etiam in coelo rata habeantur. Hanc enim potestatem conferendo Christus manifesto significavit, apostolorum statuta ac leges, ut valerent, nullatenus indigere magistratuum civilium confirmatione, aut ab iis ulla ratione pendere, sed omnem vim et efficaciam in se ipsis habere.

b) *E Petri primatu.* Petrus enim cum constitueretur Ecclesiae fundamentum et universae Ecclesiae claves et munus pascendi totum Christi gregem acciperet, supremam et vere regiam in universam Ecclesiam potestatem accepit. Suprema autem potestas non esset, si Petrus in Ecclesiae regimine ulla ratione potestati civili obnoxius fuisset. Insuper magistratus et principes civiles, si qui facti sunt christiani, pertinebant ad oves Petri curae in religionis causa et negotio commissas, ergo respectu religionis et Ecclesiae Christi non Petrus illis, sed illi Petro subiecti erant; eos vero, qui christiani non erant, gentiles aut iudaeos, ullam potestatem in Ecclesiam a Deo supernaturali et positivo modo immediate institutam aut e Christi commissione aut ex lege naturali habuisse nulla prorsus ratione ostendi potest. — Idem liquet

c) *e silentio et agendi ratione Christi et apostolorum.* Si enim Christus Ecclesiam non prorsus liberam suique iuris, sed potestati civili subiectam esse voluisset, id profecto verbis aut certe sua vel apostolorum agendi ratione aliquatenus saltem indicasset. Sed tantum abest, ut in toto Novo Testamento vel minimum eiusmodi subiectionis vestigium inveniri et monstrari possit, ut contrarium omnino in eo ubique appareat. Neque Christus neque apostoli umquam a magistratibus civilibus facultatem petiisse leguntur docendi, miracula patrandi, christianorum coetus formandi atque regendi, sed contra ubique illis officiis in institutione, propagatione, regimine, magisterio Ecclesiae omnino libere fungi perhibentur sine ulla relatione ad aliquam tunc temporis exsistentem civilem potestatem. Certe apostoli „varias regiones lustrant, conventus habent fidelium, praedicant, literas dant dogmaticas et morales, constituunt episcopos, leges ferunt, poenis delinquentes afficiunt, uno verbo, omnia sua officia in docendo et regendo exsequuntur absque etiam mentione ullius potestatis civilis, quasi ea vel annuente, vel tolerante, vel etiam conscia agant vel agere debeant“ [1]. Quinimmo magistratibus civilibus in religionis christianae negotiis

[1] Murray III 107.

non aliter obnoxii fuisse leguntur, quam quod ab ipsis ut a persecutoribus et adversariis quam maxime infestis sunt exagitati et vexati; et ideo quidem exagitati sunt, quia obsistentibus illis magistratibus Christi religionem propagabant, docentes, se debere hac in re Deo magis quam hominibus oboedire. Et nonne Christus iis eiusmodi persecutiones praedixerat, dum dicit (Mt 10, 17 18): „Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus.“ — Prorsus indubitatum igitur est, Christum voluisse, ut Ecclesiae suae regimen et magisterium plena libertate frueretur nullique potestati civili subiectum esset. Atque etiam

2. simplices fideles in colenda et profitenda sua religione Christus nulli civili potestati obnoxios esse voluit. Nam christianam religionem colere ac profiteri e Christi voluntate adeo necessarium est, ut, qui eam amplexi sint, nulla ratione ab ea colenda permittantur abduci, nec ratione vel parentum vel liberorum, si hi illorum professioni religionis christianae obsistant: neque etiam ratione ipsius vitae; qui enim, ait Christus (Mt 10, 37), „amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus“; et alio loco (Mt 10, 28): „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.“ Nomine autem istorum, qui, etsi corpus occidere possint, timendi tamen non sint, etiam magistratus et principes civiles intelligendos esse ostendit exemplum ipsius Christi et apostolorum atque innumerabilium martyrum, qui tribus primis christianae religionis saeculis propter eius constantem professionem sanguinem et vitam profuderunt. Nemini enim licet, alterum ad peccandum inducere; nemini igitur licitum est, christianum cogere, ut divinae religionis praecepta violet atque transgrediatur. Sed nec auctoritas civilis nec generatim homo quisquam potest licite impedire, quominus christianae religionis gravia praecepta observentur, immo nemo habet ius impediendi, ne christiani ipsis etiam consiliis, si quae ipsorum religio dat, plena libertate obtemperent. Etenim si Christi religio consulit, ut aliquid fiat aut non fiat, Deus id consulit; iam vero etiam si Deus consulendo tantum aliquid a me petit, nulli ius est impediendi, quominus id faciam, cum nemo Deo superior sit. Insuper cum Deus ex immensa caritate christianam religionem hominibus impertitus sit, illius cultores sane decet, ut etiam ipsi Dei caritate moti in eius honorem plus praestent, quam ipse sub gravi poena exigat; atqui cum nulli liceat, christianam fidem prohibere aut impedire, neque prohiberi licite possunt nobilissima caritatis divinae e christiana fide oriundae opera. Denique fieri omnino potest, ut eiusmodi caritatis opera a Christi religione hominibus commendentur tamquam via maxime tuta et directa ad ultimum finem

sive vitam aeternam assequendam. Atqui homo talis viae eligendae ius habet inviolabile atque perpetuum, quamdiu ea ipsi propter quaedam adiuncta non fiat illicita et nociva. Loquimur enim de rebus in se spectatis; perfectissima autem per se res potest hinc inde propter particulares circumstantias, si v. g. eius rei exercitatione aliorum iura violarentur, minus bona aut etiam nociva evadere.

Neque huic doctrinae opponere licet, ea facile fieri posse, ut homines nonnulli fanatici fiant. Christus enim possibiles hominum errores probe praevidens ad eos impediendos infallibile magisterium eo consilio instituit, ut christiani ei oboedirent et ab eo in religiosa vita recte ac tuto regerentur. Quare si qui tamen christiani fanatici umquam evadant, id religioni christianae non magis imputari potest, quam quod multi christiani Deum gravibus peccatis offendunt.

Itaque Christi Ecclesia est etiam respectu religiosae fidelium vitae plane libera; ergo est tota quanta sui iuris nullique potestati civili subiecta a Christo instituta.

Probatur pars II: Ecclesia in conservanda Christi religione libera est. Nam

1. id patet ex iis, quae modo diximus. Libera enim est Ecclesia in colenda et profitenda semper et ubique terrarum Christi religione, quippe quae e Christi voluntate semper et ubique exsistere debeat[1]. Atqui eo ipso, quod ubique et semper colere et profiteri eam non solum licet, sed etiam a Deo praeceptum est, in ea etiam conservanda Ecclesia usque libera sit necesse est.

2. Ea conservatio minime a civili potestate e Christi voluntate pendet, si et Christus suam religionem in perpetuum exsistere atque permanere voluit, et simul praevidit ac praedixit, homines atque ipsos etiam magistratus civiles eam persecuturos esse; atqui prius Christum voluisse iam ostendimus; alterum autem constat ex Io 16, 2, ubi Christus apostolis dixisse refertur: „Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo“; et ex Mt 10, 17 18, ubi perhibetur ipsis ad evangelium suum iudaeis praedicandum mittendis dixisse: „In synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus“; quam quidem praedictionem veram fuisse Actus apostolorum multoties testantur.

Probatur pars III: Ecclesia libera est in praedicanda et propaganda Christi religione.

Nam religio christiana, utpote iam sola vera, necessario universalis evadere sive ad omnes totius terrarum orbis gentes propagari ab iisque accipi debet. Insuper Christus Deus et supremus omnium Dominus apostolis eorumque usque ad finem mundi futuris suc-

[1] Vol. I, p. 905 sqq.

cessoribus, nulla ullius humanae auctoritatis ratione habita, diserte mandavit (Mt 28, 19), ut omnes gentes religionem suam docerent easque ad hanc amplectendam perducerent.

Iam vero inde necessario consequitur, vicariam Christi in terris Ecclesiam pollere libertate ipsius religionem ubique praedicandi, atque a nulla mere humana auctoritate eam *iure* impediri posse, quominus singulis et universis terrarum orbis gentibus Christi doctrinam *libere omnino* praedicet, easque ad eam amplectendam permoveat. Nam

1. omnes homines, ideoque etiam reges ac principes, obligantur ad solam veram religionem christianam amplectendam, quamprimum ipsis ea ut talis innotuerit, et eo magis quidem, quod ab huius religionis cultu aeterna cuiusque hominis salus pendet. Ergo obligantur tum uniuscuiusque gentis homines ad praedicationem religionis christianae, si ea praedicatio apud ipsos locum habeat, audiendam et in istius religionis veritatem inquirendum, eaque inventa ad religionem christianam amplectendam; tum reges ac principes ad permittendam illius religionis praedicationem in ditionibus suis, ne semetipsos suosque populos a vera religione cognoscenda et amplectenda atque a salutis aeternae consecutione impediant et avertant. — Nec sane illi reges vel populi nondum christiani opponere possunt, se iam possidere veram religionem ideoque christianam admittere non posse. Hoc enim omnino ita aperte falsum est, ut quivis non christianus religionis suae falsitatem, si modo velit, facile cognoscere valeat. Id certe verum omnino est de populis plures deos colentibus, cum, ut in prima thesi de revelationis necessitate ostendimus, quivis rationis usu fruens sat facile unius veri Dei exsistentiam cognoscere et possit et debeat. Idem quoque valet de iis, qui vel positivam religionem non habent vel muhammetani sunt, cum, ut monstravimus in vol. I p. 905 sqq, pateat, neque horum religionem ullo modo sufficere, maxima vero e parte prorsus falsam esse.

Nulla igitur istis populis ac regibus legitima causa suppetit praedicationem religionis christianae prohibendi.

2. Auctor religionis christianae est ipse Deus, creator ac dominus omnium; ipsius igitur voluntati omnes populi regesque sese subicere eique oboedire debent. Nisi ergo reges et populi nondum christiani perperam agere velint, admittere plane debent praedicationem religionis christianae, omnesque homines confiteantur necesse est, Ecclesiae Christi plenissimam religionis christianae ubique praedicandae libertatem summo iure competere.

Coroll. I. Ergo Ecclesia pollet suis propriis iuribus a divino fundatore sibi collatis; nec civilis potestatis est definire, quaenam sint illa Ecclesiae iura et quousque se illa extendant. Libertas enim Ecclesiae nulla esset, si potestati politicae tale ius competeret. Atque ad illa Ecclesiae iura pertinet certe imprimis ius, quo ipsa Ecclesia infallibiliter et sola quidem interpretetur,

quaecumque Deus supernaturali sua revelatione instituerit. Cf. Pii IX Syllabum n. 19.

Coroll. II. Ergo falsissimum quoque est, ecclesiasticam potestatem vi et auctoritate sua uti non debere absque civilium magistratuum venia[1]. Cf. Pii IX Syllabum n. 20.

§ 10.

De necessitate Ecclesiae ad salutem.

Thesis VII.

Ecclesia e Christi voluntate est omnibus hominibus via ordinaria ad salutem aeternam necessaria, ita ut, qui gravi sua culpa extra illam vivit ac moritur, eam salutem obtinere non possit.

I. **St. q.** 1. Ut per se patet, non quaeritur, utrum *ipsa* Ecclesiae *institutio* necessaria fuerit necne. Dubium enim esse non potest, quin Christus Deus, Ecclesia etiam non instituta, aliis modis providere valuisset, ut verae religionis suae cultores finem suum ultimum, etsi difficilius, consequerentur. Sed illud quaeritur, volueritne Christus, dum Ecclesiam instituerat ad salutem aeternam consequendam, eam omnibus hominibus ita necessariam esse, ut coniunctio cum ea perpetua sit sola ordinaria via ad salutem illam obtinendam, adeo, ut qui *gravi sua culpa* in eam sese non conferant aut in ea usque ad mortem non perseverent, aeternae vitae beatitudinem non assequantur. Quaeritur igitur, possitne praeter *unam* Christi Ecclesiam e Dei voluntate etiam alii religiosae societati illud convenire, ut per se sive natura sua sit salutis institutum et via.

Itaque non disquirimus, *quis* beatitudinis illius particeps fiat, sed *per quid,* sive quo subsidio et qua via secundum *ordinarium* modum homines salvi fieri et possint et debeant. Unde doctrina thesi nostra expressa speciatim nemo iudicatur, nemo aeterna vita privandus vel ad poenas aeternas damnandus declaratur, sed generatim tantum et *obiective* statuitur, Christi Ecclesiam esse unicam, ordinariam atque adeo necessariam salutis viam, ut qui gravi sua culpa cum ea coniunctus non sit et hac culpa non liberatus moriatur, salvus fieri non possit. Quicumque igitur *propter* defectum sive ingenii sive scientiae detinetur *ignorantia invincibili* ideoque *non culpabili,* qua errorem pro veritate habet, si ceterum veritatem studiosus amat et sincere quaerit, cognita Dei mandata, quantum potest, servat, gratiam salutis obtinendae sincere precatur atque animo ita dispositus est, ut et peccata gravia vitet, et, si veram Ecclesiam Christi cognoscat, ei sese quamprimum aggregare omniaque verae Christi religionis praecepta servare velit, procul dubio beneficium aut veritatis agnoscendae aut certe ita usque vivendi a Deo obtinebit, ut

[1] Cf. Schneemann, Die Freiheit und Unabhängigkeit der Kirche, Freiburg 1867, 33 sqq; Devivier, Cours d'apologétique [5], Tournai 1901, 333 sqq.

saltem invisibili modo sive animo et voto implicito ad Ecclesiam pertinere dici possit et beatitudinem aeternam consequatur. Ut enim S. Paulus diserte dicit 1 Tim 2, 4, Deus „omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire", et neminem ad poenas aeternas damnat, nisi qui *gravi sua culpa* eas meruerit.

Unde si quis christianus ex ignorantia invincibili extra veram Christi Ecclesiam versatur ac ita Christo ut omnes ipsius Ecclesiae aggregentur praecipienti non oboedit, haec praecepti Christi transgressio, cum propter ignorantiam et bonam fidem voluntaria et formalis non sit, non imputabitur ipsi ideoque salutem aeternam non impedit, dummodo cetera Dei mandata omnia bene ad mortem usque serventur[1]. Atque etiam illi, qui non sunt christiani ac sine gravi sua culpa Christum ignorant, unum tamen verum Deum agnoscunt et colunt eiusque legem, quantum eam sciunt, bene servant ac sincero et constanti cognoscendae et explendae divinae voluntatis studio animantur, propter illam solam christianae religionis ignorantiam ad poenas aeternas non damnantur. Idem dicendum est de illis quoque hominibus christianae religioni non aggregatis, qui licet invincibili ignorantia non teneantur, culpam tamen *gravem*, ignorantiam illam non vincentes, minime committunt et ceteroquin Deo vero bona voluntate, quantumcumque valent, perpetuo serviunt et *nullius peccati letalis rei* ex hac vita decedunt.

Iam vero quisnam ex iis, qui extra veram Christi Ecclesiam positi sunt, ignorantia laboret invincibili, quis vincibili, quis *gravis culpae reus,* quis reus non sit, Deus solus omniscius cognoscit, ipse, cui nihil prorsus absconditum est, quique etiam intima animi humani secreta clare intuetur. Ea enim omnia ab educatione, a societate, in qua homo versatur, a praeconceptis opinionibus, falsis quidem, sed inveteratis et a quam plurimis pro veris habitis, aliisque infinitis ferme et quam maxime variis rerum adiunctis pendent. Unde etiam Ecclesia hac de re nihil docet atque definit, sed ea Deo soli omnium iudici definienda relinquens, solum generalem de hac sui ipsius necessitate doctrinam statuit. Quare etiam in thesi hac non agimus de modo, quo singuli homines ad aeternam salutem perveniant vel non perveniant, sed, ut diximus, generatim tantum et obiective de necessitate, qua Ecclesia sit sola *ordinaria* via, qua Deus nos velit ad beatitudinem sempiternam perducere.

Atque ut magis etiam pateat, quo sensu haec Ecclesiae necessitas intelligenda sit, notanda est, quam theologi hoc loco communiter faciunt, necessitatis distinctio. Aliud nimirum dicitur ad salutem necessarium necessitate *praecepti,* aliud necessitate *adiumenti,* sive, ut

[1] Ita sentiunt omnes theologi romano-catholici, et Pius IX idem hisce in publica allocutione declaravit: „Pro certo habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini" (Denzinger-Bannwart n. 1647).

schola loquitur, *medii*. Illud est, quod Deus omnibus quidem hominibus ut rem magni aut etiam gravissimi momenti praecipit, adeo ut hominem aeterna beatitudine privet eius omissio, si haec sit graviter culpabilis, non vero privet per se sola, si propter ignorantiam aut nullo modo aut saltem graviter culpabilis non sit. Necessitate *medii* vero ad salutem necessarium dicitur illud, sine quo vel in re vel in voto saltem *implicito* spectato absolute nemo potest salvari; quale pro adultis revera est v. g. agnitio et cultus Dei unius veri ceu remuneratoris boni et mali, pro omnibus vero etiam non adultis secundum doctrinam christianam baptismus saltem in voto implicito, coniuncto cum caritate Dei vel vera contritione de peccatis commissis. Hoc absoluto modo si quid necessarium est, nullo alio adiumento umquam suppleri potest; quod vero necessitate praecepti et hinc ordinario tantum modo necessarium est, per extraordinarium adiumentum absolute suppleri potest.

Coniunctionem porro externam et visibilem cum Christi Ecclesia necessariam dicimus *necessitate* non solum *praecepti,* sed etiam *medii.* Atque coniunctio *revera facta,* i. e. ipsa aggregatio ad Ecclesiam necessaria est pro eo, qui veram Christi Ecclesiam certo cognoverit et nullo invincibili impedimento prohibeatur, quin ei quamprimum sese addicat; coniunctio vero *voto explicito desiderata* necessaria est pro hoc eodem homine, si invincibili modo impeditus sit, quominus *statim* Ecclesiae se aggreget; *implicitum votum* requiritur pro omni homine, qui veram Christi Ecclesiam propter ignorantiam saltem non graviter culpabilem nondum certo cognoscat et a sectis discernat. Omnis enim homo, qui vult aeternam salutem consequi, necessario debet velle Dei voluntati sibi quandocumque compertae omnino obtemperare, ideoque, quamprimum vera Christi Ecclesia ipsi nota fiat, ei se etiam externo ac visibili modo adiungere, si ab hac coniunctione saltem non invincibilibus impedimentis arceatur. Coniunctio enim ista externa cum vera Christi Ecclesia est ordinaria, e Dei voluntate, ad hominum salutem via, ideoque „extra Ecclesiam nulla est salus". Cuius axiomatis, ut explicavimus, haec sola est vis, ut nemo, qui gravi sua culpa extra Ecclesiam moriatur, salvetur. Nec tamen, id quod per se patet, ullatenus contendimus, perpetuam cum Christi Ecclesia coniunctionem esse adeo certam salutis viam, ut omnis, qui in ea moritur, eo ipso salvus fiat, sed tantum affirmamus, eam esse explicato modo necessariam salutis consequendae conditionem.

2. Adversarii thesis huius recte explicatae sunt pauci. Sententia enim thesi enuntiata homini vere christiano est adeo manifeste vera, ut si rite eam intellexerit, admittere ipsam atque defendere debeat. Et reapse inter christianos ab iis tantum negatur, qui aut a christiana religione generatim sumpta plus minusve defecerunt omnisque religionis positivae negligentes sunt, aut certe in religione christiana et maxime in doctrina de Ecclesiae Christi necessitate

parum atque obiter tantum instructi rem quam maxime perverso modo intelligunt, dum omnes omnino, qui externo ac visibili modo cum vera Christi Ecclesia coniuncti non sint, sine ullo discrimine putant aeternum damnatos declarari. Porro cum incredulis et rationalistis hic haud amplius nobis res est, utpote quorum doctrina primo huius operis tomo iam refutata sit; christianorum autem perversa interpretatio modo allata ipsa recta thesis explicatione iam correcta atque eo ipso satis iam confutata est.

II. **Probatur thesis,** et 1um quidem **positive.** Nam

a) *ut iam monstravimus,* Christus religionem suam omnibus hominibus praedicari voluit atque adeo necessariam declaravit, ut quicumque eam sibi satis propositam non amplecteretur, aeternae felicitatis expertem eum declararet. Quod certissime Christus de religione sua intelligi voluit, ut revera ab ipso instituta est, i. e. de religione sua iis formis concretis vestita, quas ipse ei induit. Iam vero Christi religio pura atque integra reipsa exsistit tantummodo in Ecclesia, quam unam ad illam profitendam instituit atque ita instituit, ut sit societas stricto sensu intellecta ac regimine et infallibili magisterio a Christo ideo dotata, ut religio sua pure ab omnibus eius membris usque coleretur. Ergo Christus etiam voluit, ut omnes ad poenam aeternam vitandam Ecclesiae suae sese aggregarent; eam igitur ad salutem consequendam sensu exposito prorsus necessariam declaravit.

b) *Idem patet ex aliis Christi effatis.* Dixit enim Io 3, 5: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei"; quibus verbis ipse profecto aperte loquitur de baptismo, qui secundum omnes christianos est saltem ritus, quo quis christianus efficitur et Ecclesiae aggregatur.

Nam ut Calvini aliorumque nonnullorum antiquioris temporis interpretum protestantium explicationem de aqua spirituali, i. e. evangelio, omnino coactam et temerariam ideoque etiam ab omnibus recentioribus protestantibus reiectam [1] haud amplius refutem, nomine aquae, quae ad illum ritum adhibetur, adeo frequenter in libris Novi Testamenti insignitur *baptismus,* ut S. Paulus Eph 5, 26 eum lavacro aquae simpliciter designet; unde baptismi commemoratio, ait Kuinoel in h. l., „ut ex omni orationis serie patet, perquam apta erat, et Nicodemus hanc vocem de baptismo, nulla addita ulteriori mentione, intelligere poterat. Etenim per baptismum proselyti gentiles, qui ad iudaeorum sacra sese conferre volebant, ab idololatriae immunditie purgabantur, superstitionibus et opinionibus falsis valedicebant.... Ioannes per baptismum obstringebat iudaeos vitae animique mutationi in melius et obsequio Messiae

[1] Cf. v. g. Holtzmann, Lehrbuch der neutestamentl. Theol. II, Freiburg und Leipzig 1897, 497: „So haben die reformierten Ausleger in 3, 5 die altkirchliche Beziehung auf die Taufe geradezu geleugnet . . ., während dagegen die meisten neueren Ausleger, wie Lücke, Neander, Tholuck, de Wette-Brückner, Hengstenberg, Schanz, Meyer, darin einig sind, dem ὕδωρ seine Beziehung auf das Taufwasser zu belassen."

praestando, atque baptismum suum vocabat βάπτισμα μετανοίας. . . . Ipsi quoque Christi discipuli tunc temporis iudaeos Messiae novaeque vitae per baptismum obstringebant (Io 4, 1 2), et iudaeos in ea opinione fuisse, Messiam eiusque praecones nova sacra baptismo auspicaturos esse, supra vidimus. . . . Itaque Nicodemus facile sibi explicare poterat, quid Iesus in hac orationis serie verbis: ἐὰν μή τις (ἄνωθεν) γεννηθῇ ἐξ ὕδατος dicere vellet", nempe omnem hominem renascendum esse per baptismum.

Regnum Dei vero l. c. significat, id quod ex oratione contexta manifestum est, omnia beneficia Christi cultoribus promissa, et proxime quidem promissa pro hac vita in sua Ecclesia, remote vero etiam illa, quae ad aeternam beatitudinem, regni sive Ecclesiae Christi finem ultimum referuntur. Dicit igitur Christus istis verbis clare, eum, qui Ecclesiae suae sese non aggreget *revera,* si possit, aut certe *voto explicito,* si ei statim se aggregare plane nequeat, aut voto saltem *implicito,* si eius veritatem invincibiliter ignorat, nulla prorsus ratione posse vitam aeternam adipisci.

Item dicendo Mt 18, 17: „Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus", Christus docuit, hominem, qui apostolis ut Ecclesiae rectoribus in re gravi non obtemperaret, habendum esse instar hominum perditorum et flagitiosorum. Ab ethnico autem ut tali profecto aeterna salus iure sperari non potuit; ergo e Christi praecepto oboedire apostolis in re gravi, qualis erat illa, de qua hoc loco diserte agitur, ad salutem necessarium erat, ergo etiam necessaria est coniunctio cum Ecclesia, cum sane apostoli ab ea seiuncti non essent. Eoque magis illam coniunctionem necessariam dices, si animadverteris, Mt 18, 17 agi de diiudicandis rebus, quae in se *mere* spirituales non sunt. Si enim apostolorum in tali re iudicium tanti momenti fuerit, in rebus mere spiritualibus, quae maxime ad generalia Ecclesiae regentis et docentis negotia pertinent, illud maioris etiam, si fieri potest, auctoritatis esse debuit, ita ut nulla ratione sine salutis aeternae periculo id sperni aut repudiari a Christi fidelibus posset. Sane quod Christus 72 discipulis a se ad praedicandam suam doctrinam missis dixit Lc 10, 16: „Qui vos spernit, me spernit", valet eodem atque maiore etiam iure de apostolis, qui mittuntur a Christo, sicut ipse se missum dixit a Patre, et infallibilitate in docendo et summa omnes Christi fideles regendi auctoritate instructis. Qui igitur ipsos sprevit, sprevit Christum Deum; contemptus autem Dei hominem a coelesti beatitudine procul dubio excludit, idque Christus aperte affirmavit, apostolis, cum eos ad praedicandum omnibus gentibus evangelium mitteret, dicens Mc 16, 16: „Qui [vobis praedicantibus] non crediderit, condemnabitur."

Itaque ad salutem aeternam assequendam necessarium est necessitate non solum praecepti, sed etiam medii, ut homines Ecclesiae docentis ac regentis potestati ut potestati ipsius Christi se subiciant; sed haec subiectio includit coniunctionem cum Ecclesia; ergo ad sa-

lutem plane necessaria ea est necessitate praecepti ac medii, ita ut qui *gravi* sua culpa ei se non adiunxerit aut ab ea se separaverit, salutem in altera vita adipisci non possit.

c) *Idem sequitur ex eo,* quod coniunctio cum Ecclesia requiritur ad obtinenda necessaria procurandae salutis adiumenta. Christus enim manifeste solum uni Ecclesiae suae et omnem suam doctrinam et omnia reliqua ab ipso instituta ordinaria salutis adiumenta credidit, nullatenus vero vel gentilium vel muhammetanorum societati. vel cuiquam christianorum sectae, quae temporis decursu extra Ecclesiam suam, ab ea se separando, exstitura esset; ergo sola Christi vera Ecclesia est ordinarium salutis institutum solaque ordinaria via ad beatitudinem aeternam consequendam, tum e Christi voluntate, tum etiam ideo, quod manifesto extra eam nec tota Christi doctrina *infallibiliter* vera, nec alia omnia ab ipso instituta salutis adiumenta haberi possunt. Ergo coniunctio cum Ecclesia est adeo necessaria ad salutem, ut extra illam nisi extraordinaria ideoque difficili admodum ratione obtineri non possit.

d) *Id etiam apostolus Paulus* sat clare docet; affirmat enim Tit 3, 10 11, hominem haereticum, qui Ecclesiae scil. contradicens ab ea se separat et sectis adhaeret et post unam alteramque correptionem sese non emendat, vitandum ac subversum et proprio iudicio condemnatum (*αὐτοκατάκριτον*) esse; cuius loci sensus est, ut Estius recte exponit, „haereticum peccare non quomodocumque, sed ita, ut proprio se iudicio condemnet, dum praeveniens quodammodo iudicium episcopi, quo condemnatus esset, et a fidelium societate separandus, ipse semetipsum ab ea separat, palam ac pertinaciter ab eius doctrina dissentiens. Per hoc ergo, quod dicit, haereticum esse *proprio iudicio condemnatum,* distinguit eum ab aliis excommunicatis.“ Cum autem „excommunicatio sit quaedam condemnatio (sic enim a Patribus vocatur), immo cum sit aeternae condemnationis quaedam anticipatio summumque divini iudicii praeiudicium, ut ait Tertullianus apologetico contra Gentiles capite 39, consequens est, haereticum se ipsum etiam condemnare.“ [1]

Confirmatur thesis *persuasione christianorum,* et

a) *quidem veterum Patrum.* Sane iam martyr et episcopus Ignatius scribit [2]: „Si quis schisma facientem sectatur, *regni divini hereditatem non consequitur.*“ Et rursus [3] haereticorum doctrinam cum pharmaco mortifero comparat monetque, ut fideles ab eo se sollicite custodiant. Item Theophilus

[1] Omittimus argumentari cum aliquibus ex 1 Cor 5, 5; 1 Tim 1, 20. Non enim est verum, quod illi supponunt, „tradere satanae“ esse idem ac Ecclesia excludere. Cf. Cornely in 1 Cor 5, 5, p. 123.

[2] Ep. ad Philad. c. 3 (Funk I² 267): *Εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομεῖ.*

[3] Ep. ad Trall. c. 6 (ib. 246).

Antiochenus ait [1], Deum dedisse sanctas ecclesias, „in quibus *doctrina veritatis* velut in insularum portuosarum stationibus asservatur, ad quas perfugiunt, qui *salutem consequi cupiunt*, veritatis facti amatores, ac *iram et iudicium Dei effugere volentes*“. Erroris vero doctrinas sive haereses eodem loco affirmat se habere ut insulas saxosas, ad quas qui accedant omnino pereant. Necnon S. Irenaeus tradit [2], Dominum iudicaturum esse „omnes eos, qui sunt *extra veritatem*, i. e. qui sunt *extra Ecclesiam*“. Origenes explicans Ios 2, 16 dicit [3]: „Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat: extra hanc domum, i. e. *extra Ecclesiam nemo salvatur.*“

Cyprianus autem ait [4]: „Quisque ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec *perveniet ad Christi praemia*, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest *Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Si potuit evadere quisque extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.“ Lactantius affirmat [5]: „Sola catholica Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei; quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, *a spe vitae et salutis aeternae alienus est.*“ Porro S. Hieronymus ad Damasum de Christi Ecclesia scribit [6]: „Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.“ S. Augustinus plurimis locis idem tradit; quorum duo sufficiant. Ait [7]: „Extra Ecclesiam totum [schismaticus Emeritus habere] potest *praeter salutem*“; et rursus [8]: „Ad ipsam salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia.“ Theodoretus scribit [9]: „Nobis autem quoque *salus per Ecclesiam* provenit; qui vero sunt *extra illam, non fruuntur aeterna vita.*“ Denique S. Gregorius M. dicit [10]: „Sancta autem universalis Ecclesia praedicat, Deum veraciter nisi intra se coli non posse, *asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime salvabuntur.*“ Et S. Fulgentius Ruspensis scribit [11]: „Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes iudaeos et omnes haereticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros.“ Atque haec testimonia sufficiant ad ostendendum, quam generalis inter primorum temporum Patres fuerit ista persuasio [12].

---

[1] Ad Autolyc. l. 2, n. 14 (MG VI 1076): *Ἐκκλησίας ἁγίας, ἐν αἷς καθάπερ λιμέσιν εὐόρμοις ἐν νήσοις αἱ διδασκαλίαι τῆς ἀληθείας εἰσί, πρὸς ὃς καταφεύγουσιν οἱ θέλοντες σώζεσθαι ἐρασταὶ γινόμενοι τῆς ἀληθείας, καὶ βουλόμενοι ἐκφυγεῖν τὴν ὀργὴν καὶ κρίσιν τοῦ θεοῦ.* [2] Adv. haer. 4, 33, 7 (MG VII 1076).

[3] In lib. Iesu Nave hom. 3, n. 5 (MG XII 841).

[4] De unit. Eccl. c. 6 (Hartel 214). [5] Inst. div. l. 4, c. 30 (ML VI 542).

[6] Ep. 15, n. 2 (ML XXII 355).

[7] Ad Caesar. Eccles. pleb. n. 6 (ML XLIII 695).

[8] De unit. Eccl. c. 19, n. 49 (ML XLIII 429).

[9] Quaest. in Ios. interr. 2 (MG LXXX 464): *Καὶ ἡμῖν δὲ σωτηρία διὰ τῆς ἐκκλησίας προσγίνεται· οἱ δὲ ταύτης ἔκτος οὐκ ἀπολαύουσι τῆς αἰωνίου ζωῆς.*

[10] Moral. l. 14, c. 5 (ML LXXV 1043).

[11] De fide ad Petr. c. 38 (ML LXV 704).

[12] Plura apud Klee, Kath. Dogmatik I [3], Mainz 1844, 140 sq; A. Seitz, Die Heilsnotwendigkeit der Kirche nach der altchristlichen Literatur bis zur Zeit des hl. Augustinus, Freiburg 1903, 351 sqq 363 sqq; Schanz, Apologie III [3] 299 sqq.

b) Confirmatur idem persuasione *integrorum coetuum christianorum*, qui se singuli Christi Ecclesiam dixerunt et dicunt. Certe hanc semper fuisse et adhuc esse *Ecclesiae romano-catholicae* persuasionem, multis testimoniis monstratur; sed cum id ultro omnes fateantur, sufficiat afferre pauca tantum. Ita in capitulo I concilii Carthag. IV praescribitur, ut ab eo, qui episcopus constituendus sit, inter plura alia, quae, utrum credat, interrogatur, quaeratur etiam, utrum credat, „si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur“ [1]. Oecumenicum concilium Lateran. IV definivit [2]: „Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.“ Pius IX autem damnavit hanc propositionem [3]: „Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.“

Sed etiam plures christianorum coetus, qui defectione ab Ecclesia romano-catholica orti sunt, eandem omnino doctrinam in suis libris symbolicis diserte tradiderunt. Sane *Confessio scotica* de Ecclesia dicit [4]: „Extra quam Ecclesiam nec est vita nec aeterna felicitas. Itaque prorsus detestamur illorum blasphemiam, qui dicunt, homines viventes secundum aequitatem et iustitiam, quamcumque religionem professi fuerint, servatum iri.“ *Confessio* vero *belgica* de communione cum vera Ecclesia haec habet [5]: „Credimus, quod cum sanctus hic coetus et congregatio sit eorum, qui servari debent, et salus nulla sit extra eam, neminem (cuiuscumque dignitatis aut nominis is fuerit) sese ab ea subducere aut segregare debere, ut sua tantum consuetudine contentus solus ac separatim vivat. Sed omnes ac singulos teneri, huic coetui se adiungere atque uniri, Ecclesiae unitatem sollicite conservare, seseque illius tum doctrinae tum disciplinae subicere. . . . Quicumque igitur a vera illa Ecclesia recedunt aut se illi aggregare recusant, aperte Dei mandato repugnant.“ In *Confessione* porro *helvetica posteriore* haec leguntur [6]: Communionem cum Ecclesia Christi vera tanti facimus, ut negemus, eos coram Deo vivere posse, qui cum vera Dei Ecclesia non communicant, sed ab ea se separant. Nam ut extra arcam Noe non erat ulla salus, pereunte mundo in diluvio, ita credimus extra Christum, qui se electis in Ecclesia fruendum praebet, nullam esse salutem certam; et proinde docemus, vivere volentes non oportere separari a vera Christi Ecclesia.“ Denique etiam a *Confessione bohemica* Ecclesia vocatur [7] „unica illa arca, extra quam nulla est salus“.

Necnon istiusmodi coetuum auctores idem docuerunt. Certe Calvinus de Ecclesia dixit [8]: „Adde, quod *extra* eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio *nec ulla salus*.“ Atque idem etiam Lutherus affirmavit. In ipsius enim catechismo maiore haec habentur [9]: „Quicumque extra chri-

---

[1] Harduin I 978. Mansi III 959. Cf. Hefele, Konziliengesch. II 68.

[2] Apud Denzinger-Bannwart n. 430.

[3] Syllab. n. 17 (Denzinger-Bannwart n. 1717).

[4] Art. 16, apud Niemeyer, Collectio confess. eccl. reform. public., Lipsiae 1840, 349.

[5] Art. 28 (Niemeyer 379 sq). [6] Niemeyer 503.

[7] Art. 11 (ib. 836). [8] Instit. l. 4, c. 1, n. 4.

[9] 503, 66, apud J. F. Müller, Die symbol. Bücher der evangel.-luther. Kirche, Stuttgart 1848, 460. Insuper in Lutheri explanatione in Ioan. c. 7 (Werke XLVIII 219) haec leguntur: „Im Symbolo Athanasii stehet: Credo unam ecclesiam christianam. Item, Credo etiam in Spiritum Sanctum. Nun ist *außer* dieser christlichen Kirche *kein Heil* noch Heiliger Geist.“ Atque anno 1522 in libello „Wider

stianitatem sunt, sive gentiles, sive turcae, sive iudaei, aut falsi etiam christiani et hypocritae, quamquam unum tantum et verum Deum esse credant et invocent, neque tamen certum habent, quo erga nos animatus sit animo. neque quidquam favoris aut gratiae de Deo sibi polliceri audent aut possunt, quam ob rem in *perpetua manent ira et damnatione.*" Et sane istos singulos de Ecclesia, quam utique eorum quisque solus veram restituisse sibi videbatur, ista ratione locutos esse etiam ideo necesse fuit, quod, si docuissent, salutem aeternam posse etiam in Ecclesia romano-catholica, a qua ipsi defecerant, sicuti in sua, aut saltem sat facile, obtineri, nullam profecto ne specie quidem veram causam separationis praetendere potuissent; nullam etiam causam tot turbas atque tumultus excitandi, tot artibus tantaque etiam vi catholicos ad suas partes trahendi sibique subiciendi; nullam denique rationem, cur catholicos aliosque a suo coetu alienos ad inferos damnarent, quod tamen illi persaepe fecisse leguntur [1]. Quod igitur recentiore aetate innumeri protestantes rationalistarum et incredulorum doctrina plus minusve imbuti ab hac patrum suorum et confessionum illarum sententia recesserunt, huius argumenti nostri vim, quatenus ex ipsa protestantium doctrina ad confirmandam hanc thesim petitum est, nihil prorsus imminuit.

Probatur thesis 2um negative. Nihil enim opponi potest, quod thesim nostram eiusque probationem positivam vel infirmet. Nam

a) *nullatenus obstat,* id quod Hase putat [2], quod Christus Mt 5, 3—11 beatos dixit pauperes spiritu, mites, lugentes, studiosos iustitiae, misericordes, mundos animis, pacificos, vexatos propter nomen suum, et ib. 25, 34—40 aeterna felicitate donandos exhibet eos, qui bona opera perfecerint, nihil autem istis locis dicat de Petro ut Ecclesiae primate deque dogmatibus et caeremoniis. *Primum* enim non omnia, quae christiana lege comprehenduntur, Christus uno eodemque loco proferre debuit. Si igitur locis ab adversario laudatis nihil habetur de primatu Petri, nihil contra nos sequitur. Ut enim modo vidimus, Christus aliis locis coniunctionem cum Ecclesia necessariam esse docuit. Unde ulterius conficitur, si locis ab adversario allatis homines certarum virtutum studiosi beati praedicentur, in iis coniunctionem cum Ecclesia supponi. Loquitur enim Christus de legibus et doctrina in novo regno messiano sive *in Ecclesia* sua vigentibus. Cum qua fideles suos modis ab ipso praeceptis coniungi debere ex se intelligitur. — *Deinde* si adversarius fortasse in hoc insistat, quod nulla alia re commemorata Christus beatum dicat eum, qui v. g. vere sit pauper spiritu, liceat interrogare, utrum ex ipsius sententia ad vitam aeternam consequendam

---

den falschgenannten geistlichen Stand des Papst und der Bischoffen" (Werke XXVIII 144) dixit Lutherus: „Ich will mich hören lassen, und wie St Petrus lehret meiner Lehre Grund und Ursach beweisen fur aller Welt und sie ungerichtet haben von jedermann, auch von allen Engeln. Denn sintemal ich ihrer gewiß bin, will ich durch sie, euer und auch der Engel, wie St Paulus spricht, Richter sein, daß, *wer* meine Lehre nicht annimpt, daß der *nicht müge selig werden.* Denn sie ist Gottes und nicht mein." Plura apud Buchmann, Populärsymbolik I [3], Mainz 1850, 42.

[1] Cf. Buchmann 42sqq; Schanz, Apologie III 344.

[2] Handbuch 59.

sufficiat, habuisse unam ex iis virtutibus, propter quas beati praedicantur, qui iis insigniti sunt, an necessarium sit omnes adesse? Si omnes adsint necesse est, suum ipse argumentum adversarius destruit. Si unam sufficere autumat, cur ipse Christus eodem illo loco 5, 19 20 docet, eum, qui non totam legem moralem Novi Testamenti bene et vere observet, non posse intrare in regnum coelorum? Cur deinceps ostendit, quam perfecte divina mandata omnia a fidelibus observanda sint? — *Denique,* ut non repetam, Christum mandasse apostolis, ut docerent homines omnia, quaecumque ipse in tota sua publica vita praeceperat; eum postulasse, ut apostolis totius suae doctrinae magistris et supremis Ecclesiae legumlatoribus et rectoribus accurata praestetur oboedientia et fides, quam qui negarent aeterna felicitate privandos esse declarat: ut haec, inquam, omittam, nonne hoc ipso loco v. 13 14 apostolos idem esse debere ait hominibus, quod sit sal carnibus et lumen mundo, ut ipsi scil. christianos a morum pravitate immunes redderent atque servarent et doctrinae suae suique exempli luce ab hominum mentibus errorum caliginem dispellerent? Iam vero nec unum nec alterum recte praestare potuissent, nisi Christus voluisset, ut homines eos audirent iisque parerent. Ergo cum apostoli numquam extra Ecclesiam viverent et agerent, cum ea plane coniunctos esse Christus fideles suos voluit.

Atque ex iis, quae diximus, sequitur, nullum idolorum cultorem, vel iudaeum vel etiam christianum a vera Christi Ecclesia schismate vel haeresi formali separatum ut talem posse praecepto Deum plus quam omnia reliqua amandi vere satisfacere ideoque nec salvum fieri, saltem si veram Christi Ecclesiam cognoscat eique se non addicat. Grave enim Dei mandatum hac negligentia violat, ideoque Deum non vere ac plus quam omnia alia amat. Dicit enim Christus Io 14, 23: „Si quis diligit me, sermonem meum servabit."

b) *Dici nequit,* hanc quam tradimus doctrinam esse *nimis duram.* Ut enim iam diximus, ea nemo damnatur, nisi qui *gravi sua culpa* pro veritate errorem sectatur atque salutis aeternae consequendae conditiones, quas Deus, unicus salutis fons, rectissime constituit, acceptare et servare libere non vult. Qua negligentia grave sine dubio peccatum committit, cum Dei, supremi Domini, agnitam voluntatem adeo contemnat. Sane qui gravi culpa vel Christi Ecclesiam, quam antea veram cognoverant, deserunt, vel vesano plurium deorum cultui non renuntiant, vel cognita christianae religionis veritate a vana superstitione aut ab incredulorum erroribus sese non avertant illamque amplectantur et Ecclesiae Christi filii fiant, profecto hac voluntaria sua gravi culpa alterius vitae felicitate minime dignos sese reddunt. Atque idem iudicandum est de iis, qui vel gravem de suae religionis veritate dubitationem tollere rite non student, vel propositae religionis christianae et Ecclesiae Christi veritati cognoscendae pro conditione viribusque suis operam non dant. Eo magis haec affirmare licet, quod

Christus praescripsit, ut religio sua omnibus gentibus praedicaretur, et ut id rite fieret, infallibile magisterium instituit.

Insuper S. Thomas Aquinas recte docet[1]: „Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter [scil. ‚in silvis vel inter bruta animalia'] nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, *certissime est tenendum*, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium."

Atque in eandem sententiam etiam card. De Lugo dicit[2], „neminem esse adeo barbarum, quem Deus non excitet et illuminet ex gratia per Christum imprimis ad observantiam legis naturae, quam si observet per aliquod tempus, ad prudentiam Dei spectat, illuminare illum circa res fidei vel per humanam praedicationem, vel alio modo, qui non esset miraculosus attenta lege communi Dei, qua decrevit, illuminare sufficienter omnem hominem venientem in hunc mundum, et facienti quod in se est, per auxilia, quae tunc habet, non denegare gratiam illuminationis ad fidem, quae illuminatio sit actus supernaturalis, dictans obligationem orandi vel quaerendi doctrinam verae salutis".

c) *Hinc Ecclesia* nullo iure dici potest malo sensu *intolerans* aut crudelis, eo quod docet, se iam unicum esse ordinarium salutis institutum, adeo ut extra ipsam nulla sensu supra exposito salus speranda sit. Haec enim fuit Christi Dei, omnium Domini, voluntas, et sanctissima sane, cum ante ipsum omnes ferme gentes falsissimis superstitionibus dediti viam ordinariam facilem ac certam ad salutem prorsus nullam haberent, solaque vera tunc iudaeorum religio non fuerit per terrarum orbem propaganda. Ecclesia igitur e Dei ipsius voluntate, ideoque necessario, eo sensu intolerans est, quod post Christum iam nullam aliam religionem tamquam veram et divinam ac rectam salutis viam agnoscere potest praeter christianam in se ipsa sola vere exsistentem. Eadem igitur ratione intolerans est, qua intolerans est ex intima sua natura ipsa veritas, quae omnem falsitatem necessario debet proscribere, eodemque modo est intolerans, quo Deus quoque, non obstante infinita sua benignitate, propter sanctitatem suam omne peccatum odio habet et detestatur, propter sapientiam, veracitatem, sanctitatem omne mendacium necessario damnat. Qui igitur Christi Ecclesiae eam sententiam, qua ad salutem necessariam se confitetur, crimini vertit, eam ipsi Deo exprobrat et christianus esse desiit, aut certe non recordatur, solam veram esse religionem christianam.

d) *Ex hac de Ecclesiae necessitate* doctrina nullatenus sequitur, aut illos, qui non sint eius membra, illicitis etiam modis ad eam pertrahendos infantesque iis eripiendos esse, ut ipsi aggregentur, aut cum dogmatica Ecclesiae intolerantia aliarum religionum tolerantiam

---

[1] Quaest. disp. de veritate q. 14, a. 11 ad 1.
[2] De fide disp. 12, sect. 3, n. 36.

civilem componi non posse. Sequitur utique ex hac doctrina, Ecclesiam Christi debere propagationi suae summopere studere, ideoque Christi religionem secundum ipsius praeceptum omnibus gentibus praedicandam esse, sed non sequitur, ea ratione eam praedicandam et propagandam esse, quae Christo Deo ideoque eius etiam vicariae Ecclesiae non conveniat; non conveniunt autem vis, dolus, mendacia aliaeque malae artes. Deus enim, utut hominum salutis studiosissimus, libertatem moralem iis non adimit, nec nisi honestissima ratione eos sibi conciliare studet, atque eius exemplum sunt imitati apostoli. Si tamen umquam in dilatanda Christi religione alicubi subsidia non omnino honesta et recta ab aliquibus adhiberentur, id non ipsius Ecclesiae, sed hominum culpa fieret.

Quod autem ad tolerantiam alterius falsae religionis et mendacis ipsius doctrinae attinet, Ecclesia eam utique non magis quam Deus ipse approbare potest, cum e divina voluntate una sola vera religio christiana in una a Christo fundata Ecclesia in orbe terrarum exsistere debeat, falsaque religio non *maius ius* exsistendi habeat quam falsitas ipsa et mendacium ac scelus. Nihilominus uti Deus plurima hominum peccata plurimasque falsas et absurdas religiones propter concessam hominibus libertatem pro immensa sua bonitate tolerat, ita eas tolerare potest etiam eius Ecclesia, si id sine maioris boni damno fieri possit. Atque sane non apostoli eorumque subditi christiani iudaeos ac gentiles persecuti sunt, sed isti apostolos eorumque discipulos.

Hac de re ut christianae antiquitatis aliqua effata afferamus, Cyprianus christianos ad patientiam erga peccatores et errantes hortatus Christumque ut amoris exemplar ipsis exhibens de Christo dicit[1]: „Nec mirandum, quod circa obaudientes talis exstiterit, qui Iudam potuit usque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico capere, hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare. In iudaeis vero tolerandis aequanimitas quanta et quanta patientia incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, prophetarum interfectores et adversus Deum semper rebelles usque ad crucis et passionis horam velle colligere.“ Imprimis vero christiana caritas erga infideles et haereticos *fusis pro eorum salute precibus* sese exhibet. Certe iam Iustinus, tametsi se non communicare cum haereticis dicit, addit tamen continuo[2], se pro iudaeis et haereticis precari, ut veri christiani fiant. Item Chrysostomus ait[3]. „haeretica dogmata . . . anathematizare et impia dogmata confutare oportet, hominibus autem parcendum et pro eorum salute orandum est“. Nota praeterea sunt Augustini verba[4]: „Diligite homines, interficite errores; sine superbia de veritate praesumite, sine saevitia pro veritate certate; orate

[1] De bono patient. c. 6 (Hartel 401 sq).

[2] Dial. c. Tryph. n. 35 (MG VI 552).

[3] De anathemat. n. 4 (MG XLVIII 952): *εὔχεσθαι ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας.*

[4] Contra lit. Petil. l. 1, c. 29, n. 31 (ML XLIII 259). Plura de Patrum „intolerantia“ apud Seitz, Heilsnotwendigkeit 183 sqq.

pro his, quos redarguitis et convincitis. Pro talibus enim propheta Deum deprecatur, dicens: imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine (Ps 82, 17)."

Denique, ut alios omittam, in Catechismo Romano dicitur [1]: „Orandum est pro omnibus sine ulla exceptione vel inimicitiarum vel gentis vel religionis; nam sive hostis sit sive alienus sive infidelis, proximus est, quem quia iussu Dei amare debemus, sequitur, ut preces quoque, quod amoris officium est, pro eo facere oporteat."

Indifferentem vero Ecclesia exhibere se non potest, ubi agitur de veritate et errore, schismate et unitate. Quapropter fideles in sinu suo sive in coniunctione cum se ipsa pro viribus doctrina, monitione, et si opus et proficuum sit, iustis etiam poenis conservare studet; sed cum in ipsa sola sit vera Christi religio, ipsaque sola sit ordinaria salutis via, num aliter agere potest? Num vero ipsa, quae mater fidelium a Christo est constituta, potuit concedere, ut filii sui falsa religione corrumperentur et ad perniciem aeternam adducerentur? Num saltem tacite permittere, ut qui Christo nomen dederunt, ab ea recederent eiusque adversariis sese addicerent? Num suis fidelibus permittere, ut varias et inter se *contrarias* fidei professiones et religiosos christianorum coetus censerent coram Deo et respectu salutis aeternae eiusdem iuris, valoris ac pretii, adeo ut eorum singuli pollerent libertate non solum physica, sed etiam morali eligendi citra salutis periculum quamcumque fidem, quae ipsis magis arriserit? Profecto, si adeo indifferens esset, minime Christi Ecclesia esset.

Nec nisi temere opponitur, hac cum Ecclesia necessaria coniunctione tolli omnem immediatam cum ipso Christo communicationem. Hoc enim falsissimum est, cum ipsi Ecclesiae nihil magis curae sit, quam ut fideles ferventer et saepe precando animum purum perpetuo cum Deo coniungendo, quantum fieri potest, cum ipso Christo et directum et intimum commercium habeant; sed utique, ne fideles in omnibus sibi ipsis relicti essent, itaque verae fidei et legis christianae observantia atque propagatio singulorum arbitrio non sine maximo religionis damno permissa esset, ipse Christus, omnium amantissimus Dominus, ut integra sua religio perfecte coleretur et usque conservaretur, Ecclesiam instituit, societatem non eam quidem liberam, sed ita necessariam, ut esset ordinaria salutis via, ideoque quantum fieri posset, omnes homines ei sese aggregarent: cui sapientissimae Christi Domini dispositioni repugnare nulli profecto convenit.

Quae cum ita sint, concludamus, tantum abesse, ut necessitas Ecclesiae ad salutem sensu a nobis supra declarato repugnet, ut ea ipsius tessera et lex necessaria sit, ita ut sine ea non magis Christi Ecclesia esse possit, quam animal ratione carens est homo. Si qui igitur christianorum coetus, qui Christi Ecclesiam se esse contendit,

[1] P. 4, c. 5, n. 1.

hanc verae Ecclesiae indolem sibi deneget suique ad procurandam hominum salutem necessitatem non profiteatur, eo ipso se Christi Ecclesiam non esse declarat[1].

§ 11.

De perpetuitate et immutabilitate Ecclesiae.

Thesis VIII.

Ecclesia e Christi voluntate non solum in perpetuum permansura, sed etiam immutabilis est ratione tum Petri primatus et totius regiminis sacri, ita ut sacer principatus semper in ea exsistat, numquam vero penes fidelium multitudinem vel principes civiles sit, tum infallibilitatis et ipsis quidem in sacro regimine apostolorum legitimis successoribus in perpetuum concessae. Unde efficitur, ut etiam ratione fidei et doctrinae Ecclesia sit immutabilis.

I. **St. q.** 1. Duas istas Ecclesiae proprietates, perpetuitatis et immutabilitatis, simul in hac una eademque thesi tractamus, cum quia ad eius perpetuitatem demonstrandam longa opus non est argumentatione, tum maxime quia manifesta cognatione inter sese continentur. Altera enim Ecclesiae tribuitur, ut deficere numquam possit ratione exsistentiae, altera, ut deficere non possit ratione formae essentialis.

Nihilominus earum proprietatum differentia haud parva est. *Perpetuitate* enim tantum Ecclesiae quoad essentiam suam *permansio* nec umquam interrumpenda nec ante consummationem mundi finienda intelligitur. Quae perpetuitas licet immutabilem debere esse Ecclesiam quoad essentiam suam postulet et includat, cum essentia Ecclesiae mutata ipsa Christi Ecclesia periret, tamen non omnem Ecclesiae mutationem excludit. Ut enim aliquod regnum per multa saecula stare potest, eo tamen tempore multas subire vicissitudines et variationes etiam internas, ratione tum formae ipsius supremi regiminis, tum prudentiae ac doctrinae civilis sive politicae, ita ex eo solo, quod Ecclesia respectu essentiae suae est in perpetuum exstitura, per se nondum certo sequitur, eam in perpetuum quoque prorsus immutabilem esse. „Absolute enim fieri potest, ut res permaneat absque aliqua ex suis proprietatibus, a fortiori vero absque una vel pluribus ex sibi additis praerogativis, sicut homo perdurare potest in sua exsistentia usque ad senectam aetatem, manens idem in sua essentia, immo et in suis proprietatibus, quamvis annorum et morborum pondere gravatus, plurium sensuum aut etiam rationis usum amittat.“[2] *Immutabilitatis*

---

[1] Cf. Card. Mazzella 403 sqq; Palmieri 15 sqq; Schill, Theol. Prinzipienlehre, Paderborn 1903, 391 sqq; Vosen, Der Katholizismus[3], Freiburg 1885, 121 sqq.

[2] Mazzella 572.

igitur proprietas aliquid multo amplius ac maius quam perpetuitas significat, estque manifesto summi omnino momenti, immo inter Ecclesiae proprietates *primaria*. Est enim ea imprimis ratio perpetuitatis omnium ferme aliarum proprietatum, tam earum, quas iam tractavimus, quam reliquarum, quae tractandae sunt. Qua enim ratione Ecclesiam universalem *perpetuo* liberam, inaequalem, visibilem et cognoscibilem atque ad salutem necessariam esse probaretur, si sacrum regimen et infallibile magisterium atque hinc ipsa vera fides umquam deficere posset? Insuper ipsarum proprietatum apostolicitatis et unitatis Ecclesiae immutabilitas adeo est fundamentum, ut ea nondum demonstrata illae secundum totum ipsarum ambitum nec statui nec probari possint. Unde haec immutabilitatis proprietas quanta maxima fieri potest cura et definienda et Ecclesiae vindicanda est.

Dicimus igitur, Ecclesiam e Christi voluntate absoluta sive iure divino non solum perpetuam, sed etiam immutabilem esse, et primum quidem ratione primatus Petri et totius sacri regiminis a Christo instituti. Petri igitur primatum iurisdictionis et regimen aliis apostolis concessum affirmamus in perpetuum e Christi voluntate mansurum esse in Ecclesia, et ita quidem, ut ius illius regiminis numquam aut penes fidelium multitudinem aut penes principes laicos sit. Praeterea demonstramus, Ecclesiam immutabilem esse respectu infallibilis magisterii, i. e. magisterium hoc in ea pariter in perpetuum permansurum esse. Quod non ita intelligimus, ut *singuli* apostolorum successores etiam infallibiles sint; haec enim fuit singularis apostolorum praerogativa, ipsis tantum necessaria; sed rem ita intelligimus, ut Ecclesia *discens* polleat infallibilitate, quae appellatur passiva, sive inerrantia tali, ut numquam *tota* saltem fidelium multitudo a vera fide possit deficere; *regens* vero ac *docens* sit infallibilis infallibilitate, quae dicitur *activa*. Item dicimus, infallibile magisterium annexum esse ipsis in sacro regimine apostolorum legitimis successoribus, ideoque *ipsa successione in isto ipso regendi munere* continuari.

Itaque Ecclesia primum immutabilis est ratione formae suae totius *externae;* deinde vero etiam quoad partem formae *internae* praecipuam, scil. quoad veram Christi doctrinam et fidem. Atque clarum est, hanc dotem Ecclesiae diserte et diligenter hoc loco vindicandam esse. Nam Ecclesia, si umquam a vera doctrina et fide deficeret, haud amplius vera Christi Ecclesia esset, et si quidem revera non deficeret, at deficere semper posset, vera certitudo de eius veritate, saltem facili modo, numquam haberetur; praeterea huius infallibilitatis perpetuitate nondum demonstrata nec unitas fidei definiri et Ecclesiae nota positiva fieri nec sanctitas perpetua et visibilitas sive cognoscibilitas doctrinae ut verae satis Ecclesiae vindicari et ostendi possunt[1].

[1] Cf. vol. I, p. 18 sqq.

Quod porro ad argumenta attinet, quibus Ecclesiae hic generatim spectatae infallibilitas probetur, quaeque petuntur e Mt 16, 18; 1 Tim 3, 14 15 et e perpetuitate ipsius Ecclesiae, nequit certo ostendi, ea *directe* et *proxime* de ipsius sacri magisterii infallibilitate *activa* agere. *Passivam* autem totius Ecclesiae infallibilitatem sive inerrantiam in vera fide ea argumenta directo demonstrant, quam ob rem *indirecte* etiam magisterii activam inerrantiam ostendunt; Ecclesia enim manifesto passiva infallibilitate iure et actu non gauderet, nisi activa sacri magisterii infallibilitate instructa esset. Ad hoc ipsum enim infallibile magisterium perenne a Christo institutum est, ut Ecclesia discens sive fidelium multitudo, universa saltem, numquam a vera fide deficeret. Unde tametsi infallibilitas activa in ordine *exsecutionis* sacro magisterio data est, in ordine tamen, qui dicitur *intentionis,* activa Ecclesiae infallibilitas ad ipsam fidelium multitudinem pertinet, quatenus scil. in eius utilitatem cedit et instituta est. Quare sacrum magisterium non modo non separatum, sed quam intime cum universali Ecclesia coniunctum est, ut praecipuum scil. et essentiale eiusdem elementum. Potest tamen etiam ipsa Ecclesia ut fidelium multitudo ad activam sacri magisterii infallibilitatem conferre, eam quidem non vere ac proprie efficiendo, sed divinum auxilium pro sacro magisterio Deum orando et veram fidem testando, cum ipsa *universa* ab ea numquam deficere possit; ideoque etiam ipsa credentium multitudo hoc sensu mater fidei appellari potest[1].

Ut autem haec doctrinae et fidei immutabilitas melius intelligatur, *tria* distincte ostendenda sunt: non licere 1. quidquam reicere et demere a Christi doctrina Ecclesiae tradita, vel 2. eam alio quam quo Christus voluit sensu interpretari et credere, vel 3. praeter id, quod Christus et apostoli docuerunt, quidquam omnino novi addere, ita ut religio Christi in se spectata in perfectiorem mutari et melior evadere non possit, nec ea ratione, qua lex mosaica Christi lege in melius mutata, renovata, perfecta est, nec humana industria aut innato quodam perfectionis nisu, quasi religio christiana artium humanarum instar progredi ac perfici possit.

Cum autem affirmamus, religionem christianam in se ipsa sive obiective spectatam perfectiorem fieri non posse, minime dicimus, eius doctrinas temporis decursu non posse melius evolvi et explicari, quam eas ab initio scriptas et traditas accepimus, ita ut, quamvis eae nullatenus mutentur in alias, sed eaedem, ut sunt in se, semper permaneant, maiore tamen claritate manifestentur et a nobis cognoscantur. Quamvis enim „nequaquam dici possit, ut nonnulli[2] visum est, doctrinam revelationis nonnisi in suis principiis ac germinibus potentia conclusam initio esse datam, ita ut, quemadmodum alii placuit, se ad praesentem Ecclesiam habeat, velut embryo ad virum adultum; cum sit iuxta apostolum filiis ac adultis destinata (Gal 4, 3 sqq) et per eam debeant omnes occurrere in agnitionem filii Dei, in virum perfectum cognitione et sanctitate, in mensuram aetatis plenitudinis

[1] Cf. Scheeben, Handbuch der kathol. Dogmatik I 97 sq.
[2] Döllinger, Christentum und Kirche, Regensburg 1860, 162.

Christi (Eph 4, 13), ad quod manifesto in illo statu apta non fuisset: tamen concedendum est, nequaquam omnes veritates fidei ipsa revelatione explicite esse propositas, atque pari modo nexum earundem inter (se) invicem et cum veritatibus naturalibus, necnon illorum internam rationem ac necessitatem haud monstrari; atque eapropter revelatio divina, etiamsi alia in se effici nequeat, potest tamen magis explicari ac evolvi, necnon subtilius, apertius ac definitius proponi" [1]. Quo sensu praeclare iam dixit Vincentius Lerin.[2]: „Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scil. dogmate, eodem sensu eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, quae erant, permanent. . . . Ita christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scil. consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat, et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem." Sed hac de re hoc loco satis, cum in tertio huius operis tomo amplius de ea agendum erit [3].

De altera porro parte formae internae, quae in spe et caritate Dei et hinc studio Christi praecepta bene observandi sita est, hic nihil dicemus, cum hac de re agendi locus proprius sit, ubi de Ecclesiae sanctitate loquendum erit.

Denique vix opus est annotare, omnem huius thesis demonstrationem in duas partes distribui, quarum prima de perpetuitate, altera vero de immutabilitate Ecclesiae agitur. — Atque ista quidem in hac gravissima quaestione tractanda mihi videntur, quamquam generatim haec omnia hoc loco tractari non solent.

2. *Adversarii* thesis sunt primum increduli et rationalistae. Quorum alii contendunt, religionem christianam praeteritis saeculis et hominum tunc viventium necessitatibus satis apte convenisse, nostra tamen aetate novo rerum statui minime amplius congruere, eamque iam effetam ac mortuam esse; alii vero dicunt, eam esse religionem perpetui progressus, utpote natura sua et e mente Christi capacem explicationum et accommodationum in infinitum, quibus rerum progressui congruens reddatur. Ex ipsis deinde christianis *perpetuitatem* Ecclesiae e Christi voluntate esse necessariam videntur soli *sociniani* ita negasse, ut dicerent, Ecclesiam externam omnino perire posse. Scripsit certe Faustus Socinus[4]: „Neque veram Ecclesiae faciem *perpetuo exstituram*, usquam revera praedictum aut absolute promissum est." Et rursus ipse dicit[5], e Christi verbis non sequi, „quin prae hominum malitia fieri

[1] Schwetz, Theol. fundam. I, Viennae 1874, 367.
[2] Commonit. 1, c. 23 (ML L 667). [3] Cf. interim De Groot 267 278 373.
[4] Tract. de Ecclesia, resp. ad scrup. 2 (Bibl. Fratr. Polonor. I, Irenopoli „post a. 1656", 329).
[5] Ibid. resp. ad scrup. 7 (p. 329 sq).

potuerit, ut aliquando, idque per longissimum etiam tempus, nulla visibilis Ecclesia exstiterit". Contra alii plerique protestantes contenderunt, eam aliquando reapse penitus ferme exstinctam et obscuratam fuisse, postea tamen rursus, suis scil. fundatis coetibus, apparuisse et semper permansuram esse [1], ita tamen, ut, quemadmodum ait Gerhard [2], promissio divina de Ecclesiae perpetuitate proprie non pertineat „ad hanc vel illam particularem et visibilem Ecclesiam, sed ad Ecclesiam catholicam *electorum*".

Ecclesiae autem *immutabilitatem* respectu primatus et magisterii infallibilis protestantes vulgo negant, etiam illi, qui ipsi Petro quendam honoris primatum et apostolis infallibilitatem attribuunt; perenne autem regimen sacrum generatim acceptum eorum varii vario sensu admittunt, prout aut omnem ecclesiasticam potestatem vel in episcopis vel in presbyteris vel in ipsa populi multitudine residere dicunt aut summam potestatem ad ipsos principes laicos deferunt. Quod denique ad immutabilitatem doctrinae et fidei attinet, qui perpetuam infallibilis magisterii exsistentiam negant, eam demonstrare utique nequeunt, nihilominus vulgo docent, numquam futurum, ut recta fides et professio capitum doctrinae christianae praecipuorum, sive, ut loquuntur, fundamentalium, umquam defectura sit in Ecclesia saltem *invisibili*, sive semper futuros esse aliquos Christi doctrinam vere credentes, licet nesciatur, quinam et ubinam sint. — Sed alii multi iam primis Ecclesiae temporibus, ac postea medio aevo et nostra etiam aetate voluerunt religionis christianae doctrinam ab apostolis traditam novis, quas ipsi se accepisse finxerunt, privatis revelationibus augere vel corrigere vel etiam partim reicere. Id sane praetendisse notum est Montanum eiusque asseclas, manichaeos, pseudomysticos et plures haeresum auctores medio aevo, et recentiore aetate swedenborgianos, irvingianos, mormones et qui dicuntur spirituales, sive spiritismi asseclae.

II. **Probatur thesis pars I: Ecclesiam perpetuam esse.** Id patet

1. e perpetua permansione religionis christianae. Adiumentum enim ad religionem colendam et conservandam divinitus institutum tamdiu, nisi contrarium clare constet, manere admittendum est, quamdiu manebit ipsa religio, cum adiumentum illud et natura sua et e Christi voluntate ad illum ipsum finem inserviat necesse sit. Atqui et Christi religio, ut vol. I pag. 905 sqq probavimus, in perpetuum manebit, Christus vero de Ecclesiae fine aliquando futuro non solum numquam quidquam indicavit, sed contra tum ipse tum apostoli de religione et Ecclesia christiana tamquam de re una eademque semper locuti sunt, ita ut religio Christi ab eius Ecclesia distincta sit tantum ut res mente ac cogitatione considerata ab eadem re revera exsistente. Ergo e Christi voluntate ipsius etiam Ecclesia in perpetuum exsistet sicuti ipsa eius religio.

2. E salute aeterna ut fine ultimo Ecclesiae. Adiumentum enim ad hominum salutem procurandam, quod Christus absolute, eius scil. necessitatem ad nullum definitum tempus restringendo, instituit, tamdiu exsistere necesse est, quamdiu sunt homines salvandi. Atqui et usque ad finem saeculi homines salvandi sunt, et Ecclesia

[1] Cf. Passaglia l. 2, c. 3. [2] Loci theol. II 250.

ut necessarium salutis subsidium ordinarium sine ulla ad certum tempus limitatione instituta est, ergo semper exsistet. Alioquin Christus Ecclesiae defectionem aliquando futuram debuit indicare, et simul etiam aut alia *certa* salutis aeternae consequendae subsidia subministrare, aut certe dicere, quaecumque tunc ad salutem obtinendam sufficere. At horum Christus nihil egit; ergo ipsius Ecclesia numquam cessabit. Si enim Christus solis subsidiis internis et modo invisibili voluisset hominum salutem aeternam procurare, nulla fuisset Ecclesiae instituendae ratio. Sed isto in praesenti rerum ordine sane extraordinario modo Deus hominibus tunc tantum prospicere solet, quando nulla alia salutis consequendae via iis suppetit nec eorum culpa subsidia ordinaria iis desunt, eadem plane ratione, qua Deus ipsum universum sine causarum secundarum ope raro tantum regit.

3. E diserta et absoluta Christi promissione. Dicit scil. Mt 16, 18 nulla prorsus conditione adiecta, portas inferi non praevalituras esse adversus Ecclesiam suam. Quaecumque enim interpretatio horum verborum eligatur, sive portae inferi intelligantur de morte eiusque potestate omnia confringente sive de infernali potestate et mali daemonis eiusque sociorum viribus generatim, vis verborum Christi manifesto et ex omnium ferme interpretum consensu haec est, ut Ecclesia praedicetur tam firma et stabilis, ut usque in saeculorum finem sine ulla interruptione incolumis permansura sit.

Quod enim Camero obiecit, desinere esse in terris non esse vinci a portis inferorum, sed contra eas potius superare, refutatione vix dignum est, cum evidenter Christi loquentis consilio repugnet. Loquitur enim Christus de firmitate Ecclesiae suae totius in terra versantis et super petram adeo eam firmantem aedificatae, ut nulla hostium vis, ne potentissima quidem et maxima, eam umquam evertere ac destruere valeat. Destrueretur autem in terris, quamprimum esse desineret. Praeterea cum Ecclesia ad procurandam hominum salutem, maxime aeternam, instituta sit, quomodo desinere eam in terris non esset idem ac vinci eam a portis inferorum sive ab humanae salutis hostibus? Quare isti Cameronis sententiae prorsus insolenti vix ullus alius S. Scripturae explanator suffragatus est.

Insuper illa Ecclesiae stabilitas inde confirmatur, quod pronomen *αὐτῆς directe* non ad Petrum (*ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*), sed ad Ecclesiam referendum esse saltem multo probabilius est. Id certe primum suadet regula, secundum quam demonstrativa pronomina, nisi quid refragetur, spectare dicenda sunt ad subiectum proxime antecedens, ergo hic directe ad Ecclesiam. Huic enim pronominis relationi hoc loco adeo nihil obstat, ut ea quam aptissima appareat. Christus enim Ecclesiae suae fundamentum dicendo petram iam satis indicat, id esse firmissimum et immobile et Ecclesiam quam maxime firmans, ita quidem, ut nulla umquam tempestas eam destruere valeat, eo quod supra petram aedificata sit, quemadmodum ipse ait Mt 7, 24 25. Attamen convenienter hanc ipsam Ecclesiae suae firmitatem etiam Christus *diserte* asseruit. Cum

enim generatim fieri possit, ut aliqua domus etiam in rupe ab hominibus aedificata, hoc suo fundamento immoto perstante, ventis, torrente aliave vi subruatur, omnino e re erat, ut Christus diserte et directe etiam ipsius Ecclesiae suae firmitatem, e quacumque tandem ratione haec repetenda sit, affirmaret[1]. Suadet id deinde etiam plurimorum S. Scripturae interpretum auctoritas, cum eorum plerique istud pronomen ad Ecclesiam referant, uti Maldonatus, Estius, Menochius, Allioli, Reischl, Schanz, Knabenbauer aliique; contra valde pauci id ad petram referendum putent, et etiam hi, excepto Al. Vincenzi, tantummodo dubii. Isto igitur pronomine videtur omnino Ecclesia ipsa ut stabilis et firma designari, non quasi separata sit a petra, verum ut super eam aedificata ab eaque maxime firmitatem accipiens. Quam ob rem licet *αὐτῆς* de Petro ut fundamento intelligatur, nihil obesset, cum profecto fundamentum ideo sempiternum positum sit a Christo, Deo omniscio, quod etiam Ecclesiam super ipsum aedificatam sempiternam esse voluit; alioquin, si Ecclesia desinere posset, fundamentum, quamprimum illa destructa esset, prorsus inutile evaderet.

4. Ex eo, quod Ecclesia et regnum Christi differre permansione non possunt, quia etsi nomine, re tamen ipsa subiectoque nullatenus distinguuntur. Iam vero regnum Christi in his terris ante finem mundi numquam desinet; dixit enim angelus de Christo (Lc 1, 32): „Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob *in aeternum* (*εἰς τοὺς αἰῶνας*)." Hoc enim regnum in domo Iacob perpetuum sine Ecclesiae perpetua et sempiterna duratione cogitari nequit. Item Paulus 1 Cor 15, 25 26 de Christo homine ait: „Oportet illum regnare, donec ponat [Deus] omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors." Sed non ante mundi huius finem mors destruetur; ergo neque regnum sive Ecclesia Christi in terris prius cessabit.

Insuper haec veritas probatur etiam omnibus illis argumentis, quibus Ecclesiae immutabilitas respectu tum primatus et sacri regiminis generatim spectati, tum etiam infallibilis magisterii mox demonstrabitur.

Confirmari denique posset haec veritas innumeris christianae antiquitatis et, socinianis exceptis, omnium ferme christianorum coetuum confessionum testimoniis[2]; sed id opus non est in re adeo certa et communi fide recepta, quamque *omnium temporum* fideles in apostolici symboli articulo: *„Credo in sanctam Ecclesiam catholicam"* palam profitentur.

---

[1] Pro contraria sententia Al. Vincenzi (De hebraeorum et christianorum sacra monarchia I[2], Romae 1875, 32) hanc profert rationem: „Non enim dicit S. Scriptura *ταύτης ‚istam'*, nempe Ecclesiam, sed *αὐτῆς* ‚illam', scil. petram." At non recte ita dicit. Nam *αὐτή* non significat illam, sed *ipsam*, scil. hic Ecclesiam. Quare S. Chrysostomus *αὐτῆς* recte ad Ecclesiam referendum esse censuit (Serm. 2 in inscript. Act.: MG LI 77). Cum Vincenzi sentit etiam Heinrich, Dogmat. Theologie II 274. De Patrum hac in re sententia cf. supra p. 104.

[2] Cf. Klee, Dogmatik I 130 sq.

Quare paucos tantum sanctos Patres audiamus. S. Chrysostomus ait[1]: „Facilius est solem exstingui, quam Ecclesiam deleri (εὐκολώτερον τὸν ἥλιον σβεσθῆναι, ἢ τὴν ἐκκλησίαν ἀφανισθῆναι).“ S. Augustinus vero scribit[2]: „Nemo delet de coelo constitutionem Dei, *nemo delet de terra Ecclesiam Dei.*“ Et rursus ait[3]: „Exsistunt, qui dicant . . . : sed illa Ecclesia, quae est omnium gentium, iam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es?... Hanc vocem abominabilem, detestabilem, praesumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem perniciosam praevidit Spiritus Dei.“ Item S. Hieronymus[4]: „Super quam [petram] fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nulla turbine ventisque subvertetur.“ S. Ambrosius[5] vero: „Ipse est Petrus, cui dixit: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit: et portae inferi non praevalebunt ei.“

Quod etiam sociniani contra dixisse referuntur[6], a Deo Ecclesiae usque ad finem mundi perpetuitatem statui non *potuisse,* quin hominum libertati vim inferret et religionis naturam mutaret, responsione vix dignum est. Omnis enim istius perpetuitatis defensor docere debet, „Ecclesiae perpetuitatem et hinc necessitatem nonnisi divina praelucente scientia voluntatum humanarum fuisse constitutam, atque ideo iis a Deo minime vim inferri, aut vero naturam religionis immutari“. Accedit, perennitatem Ecclesiae pendere praecipue e perenni integritate sacri regiminis et infallibilis magisterii; horum autem eversionem aut corruptionem, utpote eventum externum, Deus manifeste illaesa voluntatis humanae libertate impedire potest. Nemo etiam Ecclesiae sese adiungere cogitur, et omnis, qui eius filius iam est, eam rursus, si vult, derelinquere potest.

Quae cum ita sint, certissimum est, Christi Ecclesiam usque ad finem mundi perpetuo in his terris permansuram esse, et talem permansuram, qualis a Christo instituta est, et non tantum, ut Gerhard aliique protestantes volunt, ut ecclesiam *electorum;* haec enim ipsorum sententia est falsa, cum Christus Ecclesiam suam instituens neutiquam inter ecclesiam electorum invisibilem et aliam visibilem distinxerit, et invisibilem ecclesiam ut salutis aeternae subsidium pro omnibus gentibus instituere voluerit. Eiusmodi enim adeo absurda opinio Christo attribui sane nequit.

Probatur pars II: immutabilem Ecclesiam esse

A. QUOAD PETRI PRIMATUM. Hunc enim ex institutione divina adeoque iure divino esse perpetuum constat

---

[1] Hom. 4 in illud: Vidi Dominum n. 2 (MG LVI 122). Cf. etiam Chrysost., Hom. in Is. c. 2 (ib. 29); Serm. 2 in inscript. Act. n. 1 (ib. LI 77), ubi egregie describit, quomodo Ecclesia numquam vincatur, sed patiendo semper vincat maiorque evadat tempestatesque sedet.

[2] Ep. 43, c. 9, n. 27 (ML XXXIII 173).

[3] In Ps. 101 serm. 2, n. 8 (ML XXXVII 1309).

[4] In Is. 4, 6 (ML XXIV 74).

[5] Enarr. in Ps. 40, n. 30 (ML XIV 1082).

[6] Apud Passaglia 106.

1. ex eo, quod super Petrum ut fundamentum firmans Ecclesia aedificata est. Propterea enim, ut ostendimus, Petrus iurisdictionis primatum accepisse dicendus est, quod a Christo constitutus est visibile fundamentum et firmans quidem quam maxime Ecclesiam; ergo tamdiu necesse est subsistere Petri primatum, quamdiu Ecclesia, ne corruat, indiget fundamento. Atqui Ecclesia, utpote perpetua, usque ad finem mundi semper indiget fundamento tum per se, cum tandem omne aedificium sublato fundamento concidat necesse sit, tum propter pericula maxime ab inferorum portis imminentia, de quibus quidem Christus praedixit, fore ut iis Ecclesia constituta super firmissimum fundamentum non succumbat. Ergo ipsa semper opus habet Petri primatu eoque tantum suffulta pericula vincet; ergo primatus e Christi voluntate in perpetuum manere debet. Quod confirmatur etiam ex ipso nomine „petrae", utpote quae vi sua aliquid immobile et permanens significet.

2. Ex eo, quod Petro ut supremo pastori vicario Christus omnes fideles commisit. Nam officium supremi pastoris est ordinarium, et e natura sua tamdiu vigere debet, quamdiu manet ovile cum grege; sed ovile Christi cum grege, cuius oves omnes Petro regendae et pascendae concreditae sunt, in perpetuum manebit: ergo in perpetuum etiam manere dicendum est officium supremi pastoris, sive primatus iurisdictionis, nisi aliunde clare ac firme probetur, Christum voluisse, ut illud supremi pastoris officium post Petri mortem finem haberet, sive ut Petro omnes Christi oves ratione tantum sui, et non omnium temporum commissae essent. Iam vero Christus nullo id signo indicavit, sed contrarium manifestavit. Cum enim Petro omnes oves suas sine ulla vel locorum vel temporum limitatione pascendas committeret, manifesto intellexit oves, de quibus antea iam Io 10, 15 16 dixerat: „Et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili [ex iudaeis], et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor." Iam vero temere omnino et falso homo christianus diceret, aut Christum voluisse pro ovibus illius tantum aetatis, qua ipse et Petrus in his terris erant, animam suam ponere: aut loquendo de ovibus aliunde quam ex iudaeorum ovili colligendis locutum esse solum de suis et non potius de omnibus prorsus temporibus futuris.

Cum ergo Christus non minorem curam haberet ovium post Petri mortem futurarum quam earum, quae Petro viventi creditae erant, ipse Petro oves suas ratione et loci et temporis omnes pascendas tradidisse dicendus est, ita ut Petrus constitutus sit pastor Christi fidelium non solum *universalis,* sed etiam *perpetuus.* Neque, uti dicit Suarez[1], „est difficile ad explicandum, quomodo Petrus post mortem

[1] Defens. fid. l. 3, c. 12, n. 3.

suam potuerit pascere oves Christi in hoc mundo relictas. Tum quia hinc intelligimus, Christum non tantum Petro in persona sua, sed sedi Petri, seu Petro ut continenti in se tamquam in semine et fundamento omnes successores suos oves suas commendasse. Tum etiam quia propter hanc causam ad pastorale munus pertinuit providere modum, quo sibi succederetur (saltem proxime), ut oves Christi sine Petro pastore non relinquerentur, etiamsi Petri persona deficeret." Unde munus supremi et universalis Ecclesiae pastoris non pertinuit ad Petri potestatem extraordinariam et cum ipso Petro desituram, sed ad potestatem eius ordinariam et in ipsius successoribus perpetuo permansuram.

3. Ex eo, quod primatus Petri fuit maxime primatus iurisdictionis. Potestas enim regendi et gubernandi non tam ad bonum eius, qui ea insignitus est, instar privilegii mere personalis, quam ad utilitatem communem subditorum refertur; ergo tamdiu exsistat necesse est, quamdiu sunt subditi sive regendi. Atqui in Ecclesia, utpote quae cum *vera* sit et perpetuo exstitura societas, regimen vera iurisdictione instructum exigat, fideles sunt semper regendi. Ergo etiam iurisdictionis primatus semel institutus semper manere debet.

Quod inde confirmatur, quod post Petri mortem Ecclesia temporum decursu suprema auctoritate magis quam ipso apostolorum tempore indigebat, utpote multo latius per terrarum orbem propagata pluribusque hostibus impetita et iam haud amplius fulta immediata opera et auctoritate apostolorum Christi, qui tot tantisque bonis et ornamentis extraordinariis ab ipso cumulati atque insigniti erant. Ergo cum Christus in utilitatem Ecclesiae ipso apostolorum tempore primatum non meri honoris vel ordinis, sed praecipue iurisdictionis esse voluerit, censendus omnino est voluisse, ut is in omne etiam posterum tempus tamdiu persisteret, quamdiu esset ipsa Ecclesia, i. e. in perpetuum. Nam munus tantum instituendo voluisse Christus dicendus est, ut maneret et exerceretur (dico: exerceretur, quia munus plane non instituit, quod numquam exerceretur), *aut* quamdiu nulla vel fere nulla eius usus esset necessitas, et cum ista necessitas urgere inciperet, aboleretur; *aut* etiam in omne tempus post apostolos futurum, et maxime in id quidem ac primario. Iam vero prius illud nequaquam dici potest; ergo secundum admittendum est. Accedit, quod „amplissima et suprema iurisdictio, qualem primatui Petri inesse demonstravimus, e communi omnium sensu innato ideam correlatam boni publici necessario ingerit, et ad id non solum primario et maxime, sed unice ordinatur. Munus quidem eiusmodi huic propter meritum et idoneitatem eius singularem potius quam illi *tribui* potest vel debet, sed non potest ad id primum *creari* et constitui." [1] Et certe muneris eiusmodi

[1] Murray III 554 sq.

ad hominem aliquem honorandum vel remunerandum tantummodo creati in universa S. Scriptura ne unum quidem invenitur exemplum.

Ergo cum Petri primatus in totius Ecclesiae utilitatem institutus sit, is tamdiu, quamdiu ipsa Ecclesia, exsistere debet.

4. E fine primatus proposito. Finis eius fuit unitas Ecclesiae efficienda et conservanda; propterea enim, ut supra pag. 80 ostendimus, super Petrum ceu fundamentum firmitatem praebens Christus Ecclesiam suam aedificavit, ut ipsa sustentata ab eo a partium, saltem essentialium, dissolutione salva et integra servaretur, adeoque *una* fidelium societas et efficeretur et ut talis conservaretur: atque ideo etiam manifeste omnes uni Petro pascendas tradidit oves, ut omnes efficerent unum gregem, et ut in uno ovili sub uno supremo pastore tutae non dispergerentur aut in plura ovilia discederent. Ideo denique Christus Ecclesiam suam etiam regnum nominavit et uni Petro ut vicario suo claves sive supremam potestatem in illud contulit. Neque adversarii obicere debent, has esse imagines tantum; si enim regnum, domus, ovile verae sunt imagines, quod his imaginibus significatur, vere in Ecclesia insit necesse est, unitas scil. ipsius et summa illa unitas, quae societatis est unitas. Iam vero cum Christus primatum ad Ecclesiae unitatem efficiendam et conservandam pro ipso Ecclesiae initio voluerit, pro toto tempore futuro eum voluisse dicendus est. Exhibet enim Christus primatum simpliciter ut partem Ecclesiae, neque ulla ratio apparet, cur Ecclesiam, initio quidem unam, postea divisam esse voluerit, praesertim cum ovile Christi ex ipsius voluntate semper *unum* permanere debeat. — Argumentum ducere possumus

5. etiam ex hac ratione, quod secundum legem omnibus rebus communem a Deo creatore statutam, qua forma sive interna sive externa aliquod ens plene natura sua constitutum coepit esse, eandem etiam tamdiu servare dicendum est, quamdiu ipsum manet, nisi saltem contrarium positive et clare monstretur; idque valet quam maxime de opere immediate divino, cum Deus, utpote infinite sapiens et potens, opera sua plene natura sua semel constituta profecto non tam imperfecte facit, ut instar humanorum mox emendatione et variis mutationibus indigeant, sed ita, ut per saecula atque usque in sempiternum eadem possint persistere. Quare etiam operum divinorum nota omnibus et perspecta *constantia* et *stabilitas* est, humanorum vero perpetua vicissitudo atque permutatio. Iam vero Petri iurisdictionis primatus est praecipua pars formae externae Ecclesiae ipso initio ratione naturae suae perfecte constitutae; est opus immediate divinum, est simul summi omnino momenti, cum a Christo ipso ad unitatem et firmitatem Ecclesiae suae numquam periturae tribuendam institutus et tamquam aliquid magni diu ante suam institutionem sollemni modo promissus sit. Sicuti autem generatim promisit ac praedixit Christus res paucissimas tantum, ita sat diu ante eventum ac modo adeo sollemni ea tantum quae summi momenti erant, v. g. mortem suam et resurrectionem.

Minime igitur existimare licet, opus hoc divinum primatus minus constans et perpetuum esse oportere, atque ipsam Ecclesiam ei innixam, Ecclesiamque *essentialem* ac *primariam* formae suae externae partem tam brevi tempore amissuram esse, praesertim cum ne minima quidem ratio coniciendi, hunc finem ac interitum primatus locum habiturum esse, a Christo aut apostolis indicata sit[1].

Neque opponatur, quod charismata illa, de quibus Paulus 1 Cor 12, 8—10 et partim 28—30 loquitur, non eadem saltem copia qua illis primis christianae religionis temporibus in Ecclesia remanserint. Illa enim munera non erant ordinaria, eiusmodi scil., quae ad Ecclesiae formam constituendam pertinerent, et necessario quidem eadem semper copia, qua ab initio locum habere fortasse necesse fuit, sed plane extraordinaria fuerunt. Non enim ostendi potest, illa charismata in omnibus primis particularibus ecclesiis Christi fidelibus data esse, et ipse Paulus ea designat diserte ut dona prorsus eximia, quae data sint a Spiritu Sancto post Christi e terris discessum. Complectitur quidem Paulus etiam apostolatum et munus doctorum a Christo ipso in terris degente constitutum, sed, ut e consilio ipsius et oratione contexta satis liquet, quatenus simul copia illorum coelestium donorum, quae per Spiritum Sanctum exhibita traduntur, eximio quodam modo insignitum erat[2]. Ubi animadverte, non de apostolis duodecim Paulum loqui, sed de apostolis sensu latiore vocis acceptis, i. e. de iis, qui infidelibus evangelizabant ecclesiasque fundabant, quos praesertim commemorat antiquissimus ille libellus, qui Doctrina apostolorum vocari solet, cap. 11. Denique Pauli ista scribentis mens haec fuit, ut fideles ad bene utendum donis a Deo ipsis concessis omnemque inordinatam aemulationem vitandam hortaretur, neutiquam autem ut doceret, quae esset in Ecclesia regiminis forma ordinaria, sed tantum, ut diceret, omnia divinitus data munera ordinaria et extraordinaria esse ad bonum Ecclesiae impertita. Eadem ratione infallibilitatis donum, licet necessarium fuerit singulis apostolis, ut *singulis* illis concessum donum fuit extraordinarium. Quemadmodum igitur exinde, quod apostolorum successores non *singuli* pariter in docenda Christi religione infallibiles sunt, non sequitur, nullum post eos amplius fuisse et in perpetuum esse in Ecclesia infallibile magisterium, ita nec inde concludere licet, Petri primatum tantum pro apostolorum tempore tamquam mere personale Petri privilegium fuisse institutum. Donum praeterea miraculorum et sanctitatis Petrus habuit non ut Ecclesiae primas, sed ut apostolus; nec haec dona iis locis, quibus primatus perpetuus significatur, ullatenus memorantur, ideoque haec extraordinaria Petri apostoli privilegia minime etiam primatus successoribus competere necesse est.

Confirmatur a) *ex eo, quod universali et in perpetuum valituro sensu* etiam pleraque alia verba, quae Christus occasione ultimae coenae dixit, accipienda sunt. Multa enim religionis suae suique regni arcana

---

[1] Patet, hoc e prima Ecclesiae forma petitum argumentum etiam valere pro duratione perpetua tum totius regiminis sacri tum infallibilis magisterii, atque illud etiam eo probari, nec unum nec alterum ad fidelium multitudinem vel principes laicos deferri posse. Quod annotasse hic iuverit, ne infra idem argumentum repetatur.

[2] Cornely in 1 Cor 12, 28, p. 385—386.

Christus hic apostolis suis manifestavit, et id quidem sine parabolis et proverbiis, sed clare et aperte, ut ipsi apostoli professi sunt (Io 16, 29). Cum porro, ut iam ostendimus, Christus hic etiam de fundamento Ecclesiae suae loqueretur sive de sui vicario visibili, qui post mortem suam caput et dux suorum ac centrum illius unitatis, quam (Io 17, 20—23) sollemni modo precatus est, futurus esset, num non etiam haec dicta in perpetuum valeant?

Confirmatur b) *analogia synagogae.* In ea enim, quamquam non ultra Palaestinae limites, primitus saltem et diu quidem extensa fuit, semper erat summus religionis praepositus, sive summus Pontifex, qui contineret in unitate fidei unum istum Hebraeorum populum; Aaroni enim successit Eleazarus (Nm 20, 26), huic Phinees (Iud 20, 28), et sic alii aliis. Ergo conveniens saltem est, ut etiam pro religione christiana, utpote multo perfectiore et ab ortu solis usque ad occasum extensa, summus praepositus semel institutus perennis sit, sive ut Petri primatus semper ad eandem unitatem conservandam exsistat.

Si vero ideo, ut Calvinus opponit[1], Deus supremum pontificatum in synagoga instituit, quod undique ab idololatris circumsepta erat iudaeorum natio, nonne etiam a falsorum numinum cultoribus, necnon ab omnis generis haereticis et schismaticis undique circumdata et oppugnata iam a primordiis et deinceps semper fuit Christi Ecclesia, ideoque multo etiam magis indigens primate quam olim iudaeorum synagoga? Et tantum abest, ut cum eodem Calvino absurdum dici possit, Ecclesiam per orientem et occidentem diffusam ab uno supremo moderatore regi, ut propter unitatem aliasque summi momenti utilitates id non modo quam maxime conveniens, sed etiam necessarium prorsus videatur. — Quod autem nonnulli recentiores protestantes dixerunt, Ecclesiae Christi, utpote liberae et non servae, hanc cum synagoga adeo imperfecta similitudinem non convenire, nimis absonum est, quam ut multis refutetur. Num enim perfectioni Ecclesiae Christi repugnat, quominus vera et perfecta societas sit? Num regna ideo imperfecta sunt, quod unum supremum caput, regem vel imperatorem, habent? Nec etiam synagoga propter unum summum Pontificem, sed propter alias omnino rationes imperfecta erat, nec libertas in absentia regiminis et effrenata licentia consistit, sed contra ab ipsa eius praesentia, ut supra ostendimus, quam maxime pendet.

c) *Sententia Patrum* denique cum nostra thesi concordat. Ut enim supra p. 80 retulimus, Petri primatum propter Ecclesiae unitatem institutum esse dixerunt, et ideo quod Ecclesia supra petram aedificata sit, numquam eam perituram esse contenderunt; partim, et unanimi quidem consensu, id quod postea thesi IX demonstrabitur, romanae Ecclesiae praepositum Petri in primatu successorem agnoverunt. Certissimum igitur est, Petri primatum in perpetuum institutum esse, ideoque semper essentialem ac primariam formae externae Ecclesiae partem fore; quare optime dixit S. Leo I[2]: „Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit“; et[3]: „Manet ergo dispositio veritatis, et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non relinquit.“

[1] Instit. l. 4, c. 6, n. 2.

[2] Serm. 3, de natali ipsius c. 2 (ML LIV 146). [3] Ibid. c. 3.

B. PROBATUR ECCLESIAE IMMUTABILITAS RATIONE REGIMINIS SACRI OMNIBUS APOSTOLIS COMMISSI

1. respectu eius exsistentiae perpetuae. Nam

a) *dicit Christus:* „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (Mt 28, 20). Atqui hanc Christus promissionem dedit illis ipsis, quibus munus docendi baptizandique modo dederat, i. e. apostolis seu collegio apostolorum. Ergo usque ad consummationem saeculi „apostoli" seu collegium apostolorum exsistent, et cum duodecim illi apostoli, quibus proxime et ut praesentibus Christus ea verba dixerat, brevi morituri essent, sequitur, ut usque ad consummationem saeculi *successores* apostolorum exsistere debeant. Qui successores quomodo constituendi sint, aperte Christus non dicit; sed cum omnis gubernandi Ecclesiam potestas apostolis tradita sit, etiam munus constituendi sibi successores illis commissum esse concludendum est[1].

Praeterea iubentur apostoli praedicare evangelium non solum omni *tempore* futuro, sed etiam omni *loco.* Nam dicit Christus: euntes docete omnes gentes, *πάντα τὰ ἔθνη* (Mt 28, 18), euntes in mundum universum (*εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα*) praedicate evangelium omni creaturae, *πάσῃ τῇ κτίσει* (Mc 16, 15), eritis mihi testes . . . usque ad ultimum terrae, *ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς* (Act 8, 1; cf. Lc 24, 46—48). Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio, *ἥξει τὸ τέλος* (Mt 24, 14; cf. 26, 13; Io 10, 16). Atqui duodecim vel undecim illi viri, ad quos Christus loquebatur, certe non ipsi usque ad ultimum terrae pervenerunt, v. g. usque ad oras Australiae vel in interiorem Africam. Ergo loquitur Christus etiam de successoribus apostolorum.

b) *Apostoli revera adiutores sibi adiunxerunt,* quos vario modo varioque gradu potestatis sibi commissae participes reddiderunt. Inter quos *α)* infimum gradum tenent ii, qui Phil 1, 1; 1 Tim 3, 8 12 vocantur *diaconi.* Atque ab apostolis constitutos esse diaconos dicit Clemens Rom. 1 Cor. 42, 4, quando vero et qua occasione instituti sint, Act 6, 1 sqq narrari communiter censent; ita iam Irenaeus, cum Stephanum primum diaconum ab apostolis electum esse dicat[2]. Ubi animadverte, non ad hoc solum septem illos viros constitutos esse, ut serviant mensis, ad hoc enim opus non fuisset, ut apostoli sollemni oratione ac manuum impositione eos instituerent. Sacri igitur Ecclesiae ministri erant illi[3]. — *β)* Praeterea in Novo Testamento commemorantur ii, qui graece dicuntur *πρεσβύτεροι,* latine vel presbyteri (Act 14, 22 etc.) vel seniores (Act 11, 30. 1 Petr 5, 1) vel

[1] Simile argumentum duci potest ex Io 14, 16 sq 26; 15, 26; 16, 7 sqq. Vide De San, Tract. de divina traditione, Brugis 1903, 25.

[2] Adv. haer. 3, 12, 10; 4, 15, 1 (MG VII 904 1013). Cf. ib. 1, 26, 3 (ib. 687).

[3] Knabenbauer in Act. apost. 113—114.

maiores natu (Act 20, 17). Iidem in libris Novi Testamenti etiam dicuntur episcopi (cf. Act 20, 17 28). Hi presbyteri constituuntur ab apostolis vel eorum delegatis per singulas ecclesias vel civitates (Act 14, 22. Tit 1, 5). Munus, quod gerere debent, mandatur illis impositione manuum per apostolos vel eorum delegatos (1 Tim 5, 22): postquam autem manuum impositione constituti sunt, a Spiritu Sancto censentur constituti (Act 20, 28). Munus eorum in hoc consistit, ut sint praesules (*προεστῶτες*: 1 Tim 5, 17); illis dicitur: *pascite* qui in vobis est gregem Dei (1 Petr 5, 2), et: attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit *regere* (*ποιμαίνειν*, pascere) Ecclesiam Dei (Act 20, 28). Unde debent vigilare propter lupos rapaces, qui persequentur gregem, et propter eos, qui ex ipsis christianis exsurgent, ut loquentes perversa abducant discipulos post se (ib. v. 29 sq). Verbo, illud ipsum debent facere post discessum apostolorum (v. 29). quod cum praesentes aderant ipsi apostoli faciebant; quapropter presbyteris Mileti congregatis Paulus suum ipsius agendi modum tamquam exemplar proponit (v. 35). Summum autem eorum exemplar est ipse princeps pastorum (*ἀρχιποιμήν*), Christus (1 Petr 5, 4).

Nota. Nostrum hoc loco non est inquirere, quid nominibus presbyterorum et episcoporum significetur. Hodie horum nominum usus saltem apud catholicos fixus ac determinatus est, ita ut sacerdotibus primi ordinis detur nomen episcoporum, sacerdotibus secundi ordinis nomen presbyterorum. Eadem severitate et accuratione in Novo Testamento ea nomina non distingui omnino clarum est; nam iidem qui v. g. Act 20, 17 dicuntur presbyteri, videntur v. 28 vocari episcopi; similiter Tit 1, 5 admonetur Titus, ut constituat *presbyteros*, v. 7 autem, cum quales esse debeant, qui constituendi sint, describitur, de *episcopo* loquitur Paulus. Petrus quoque 1 Petr 5, 1 loquitur ad „seniores“ (*πρεσβυτέρους*), quibus v. 2 dicit: pascite „providentes“ (*ἐπισκοποῦντες*); ubi vero gradus omnes hierarchiae videntur enumerari, ut Phil 1, 1; 1 Tim 3, 1—10, presbyterorum nulla fit mentio. Praeterea plures „episcopi“ in eadem civitate videntur esse (Phil 1, 1. Act 20, 28); cum autem sacerdotes primi ordinis plures in eadem civitate esse antiquissimo tempore christiano inauditum sit, secundi ordinis sacerdotes intelligi videntur.

Nihilominus cavendum est, ne e mera nominum commixtione statim concludamus, apostolico tempore revera non exstitisse sacerdotum primi et secundi gradus distinctionem. Id enim nullo modo sequitur. Ac praeterea nullo modo est absonum, ut Act 20, 17 nomen presbyterorum sit genericum ac complectatur sacerdotes primi et secundi ordinis, v. 28 autem nomen episcopi solos primi ordinis sacerdotes significet. Fortasse enim v. 28 Paulus eos solos alloquitur, qui summo sacerdotio insigniti erant. Neque plures sacerdotes primi ordinis in una Ephesiorum urbe fuisse sic e v. 28 sequeretur, nam finitimarum civitatum episcopi poterant ad salutandum Paulum advenisse. Similiter epistulam, quam Paulus Philippensibus inscripsit, destinata fortasse erat ex eius mente omnibus Macedoniae episcopis. Sicut enim Corinthiis scribens toti Achaiae Paulus scribit (2 Cor 1, 1), sic Philippenses alloquens tota Macedonia eius menti obversari poterat; Philippensium enim civitas, licet metropolis non fuerit Macedoniae, e praecipuis tamen eius provinciae oppidis erat. Denique quod in admonitionibus 1 Tim 3, 1—10 Paulus non distinguat episcopos et presbyteros, facile explicatur, nam eadem fere monita episcopis ac presbyteris danda erant ob munerum affinitatem ac viciniam.

Variae proin sententiae habentur apud Patres Ecclesiae et eruditos modernos de episcopis et presbyteris in Novo Testamento nominatis. Alii putant, nomen

et presbyteri *et* episcopi esse nomina generica, quae modo significent sacerdotes primi, modo sacerdotes secundi ordinis. Eo probabilior est haec sententia, quia vel ipse Irenaeus secundo saeculo episcopos romanos nominat presbyteros [1] et alio loco scribit [2]: „Iis qui in Ecclesia sunt *presbyteris* obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum *episcopatus* successione charisma veritatis certum acceperunt." Alii nomen episcopi saltem semper significare sacerdotem primi ordinis putant etc. Sed haec innuisse sufficiat. Nullo enim modo hoc loco distinctio presbyterorum et episcoporum urgenda est [3].

γ) *Denique inter apostolorum adiutores quidam prae aliis eminent,* qui nominibus suis efferuntur in Novo Testamento v. g. Silas vel Silvanus, Barnabas, Apollo, Timotheus, Titus. Hi praecipuo quodam honore exornantur prae ceteris. Sic S. Paulus epistulas ad Corinthios secundam, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem suo et Timothei nomine dedit, epistulam ad Corinthios primam suo nomine et Sosthenis, epistulas ad Thessalonicenses suo nomine, Silvani et Timothei. Sic 2 Cor 1, 19 ut se ipsum, ita Silvanum et Timotheum annuntiatores evangelii apud Corinthios nominat etc. Sed quae eorum potestas fuerit, discimus praecipue e Pauli epistulis ad Timotheum et Titum datis, e quibus elucet, potestatem presbyteros instituendi cum iis Paulum communicasse. Sic ad Titum scribit Paulus 1, 5: „Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi." Similiter 1 Tim 5, 22: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis." Ipse autem Timotheus dignitatem qua pollet accepit per impositionem manuum a Paulo: „Admoneo te", scribit Paulus 2 Tim 1, 6, „ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum." Etiam presbyterium, i. e. collegium presbyterorum ei manus imposuisse legitur 1 Tim 4, 14. Barnabam quoque (cum Paulo) presbyteros instituisse, legitur Act 14, 22.

c) *Apostoli nusquam dixerunt,* post mortem suam illos, quos sibi asciverant coadiutores, potestatem sibi collatam amissuros esse. Ergo etiam defunctis apostolis potestas presbyterorum ac ceterorum coadiutorum permansit; id enim si apostoli noluissent, omnino opus fuisset, ut clare id dicerent. Tantum vero abest, ut id dixerint vel ullo signo innuerint, ut contrarium sat clare ex eorum verbis colligatur. Ad Timotheum enim scribit Paulus: „Sobrius esto in omnibus, labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple. Ego *enim* iam delibor, et tempus resolutionis meae instat." [4] Id quod idem est ac dicere: Quia ego morior et officio fungi iam non possum, propterea nunc tuum est, id exsequi, quod equidem morte impedior perficere. Post Pauli igitur mortem Timotheus Pauli partes in se suscipere debet. Praeterea in eadem epistula Paulus dicit, se misisse Crescentem in

[1] Ep. ad Victorem (apud Eus., H. E. 5, 24, 14).
[2] Adv. haer. 4, 26, 2 (MG VII 1053).
[3] Cf. Wilmers 297 sqq; Franzelin 282 sqq; Pesch I³ 205 sqq.
[4] 2 Tim 4, 5—6, ex graeco. In latina Vulgata verba paulo aliter posita sunt.

Galatiam (vel Galliam, ut alia lectio habet), Titum in Dalmatiam, Tychicum Ephesum (ib. v. 10 sqq), certissime non eo animo, ut post Pauli mortem potestate sua exciderent. Alio loco (Act 20, 28) Paulus presbyteros Mileti congregatos admonet, ut post discessionem suam diligenter officio fungantur, propter pericula interna et externa, quae post discessum suum superventura sint. Sed eadem pericula etiam post apostoli mortem oritura erant et praevideri poterant. Numquid igitur ea fuit apostoli mens, ut post mortem suam alio remedio, nusquam a se indicato, periculis illis occurri debeat?

d) *Tempore S. Ioannis* singulis Asiae ecclesiis praeest „angelus", i. e. sine dubio episcopus (Apc 1, 20; c. 2 et 3).

e) *Primis post apostolos saeculis* scriptores ecclesiastici quasi uno ore affirmant, apostolos successores sibi constituisse [1].

α) Summi in re quam tractamus momenti est testimonium Clementis Romani, quod invenitur in (prima) eius epistula ad Corinthios anno 96 data. Quae hac occasione scripta est. Corinthi contra presbyteros senes vel senescentes „pauci homines temerarii et audaces seditionem impiam" facientes (1, 1) presbyteros loco moverant, multosque Corinthi illud schisma perverterat (46, 9), ita ut, cum antea ibi christiani „in Dei legitimis ambularent, praepositis subditi et seniores debito honore prosequentes" (1, 3), nunc „zelus et invidia, contentio et factiones, persecutio et seditio, bellum et captivitas" ibi exstent, „viles contra honoratos, inglorii contra gloriosos, iuvenes contra seniores insurrexerint" (3, 3). Quam ob rem Clemens epistula sua Corinthios ad id inducere studet, ut separentur ab auctoribus seditionis et iterum adhaereant presbyteris. In prima igitur epistulae parte (c. 1—36) varia motiva ad impellendam voluntatem apta iis proponit: semper discordiam maximarum calamitatum causam exstitisse (c. 3—7), si revertantur, salva omnia esse, semper enim Deum poenitentibus propitium fuisse etc. Deinde secunda parte (c. 37—45) docet, presbyteros loco moveri non posse, et cur moveri non possint ostendit. Ubi totus in eo est, ut praepositorum ecclesiasticorum potestatem *a Deo ipso* per Christum et apostolos derivari demonstret; hoc enim ostenso eos ad hominum arbitrium deponi non posse patet. Ita autem in argumentando procedit [2]:

„Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti... egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt

[1] H. Bruders S. J., Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit bis zum Jahre 175 n. Chr., Mainz 1904.

[2] C. 42 sq (Funk I 153 sq).

episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alicubi [Is 60, 17; Clemens tamen locum non accurate recitat] dicit Scriptura: constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide."

„Et quid mirum eos, quibus in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, praedictos constituisse?" Nam etiam Moysen mandata Dei (accepisse et) in sacris libris notavisse. Cum autem „aemulatio pro sacerdotio incidisset et tribus inter se dissentirent, quaenam illorum glorioso illo nomine ornanda esset (Nm 17)", Deum miraculo ostendisse, quamnam tribum ad sacerdotium elegisset. Atque quamnam elegisset, Moysen praescivisse, „verum ne seditio in populo Israel oriretur, ita fecit".

„Apostoli quoque nostri per Iesum Christum D. N. cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa Ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt, quiete nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos iudicamus munere suo non iuste deici. Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt, episcopatu eicimus. [Hoc enim si liceret, esset dicendum:] Beati presbyteri viam prius emensi, qui fructuosam perfectamque dissolutionem consecuti sunt; non enim verentur, ne quis eos transferat de loco ipsis constituto."

Unde patet, e Clementis sententia 1. apostolos instituisse praepositos christianorum, id enim totidem verbis dicitur; — 2. apostolos id fecisse e mandato Christi et Dei. Hoc enim a) innuitur connexione sententiarum: „Itaque *acceptis mandatis*... egressi sunt." „Per regiones *igitur* constituerunt episcopos." b) Id patet ex alligata prophetia: „Constituam [scil. ego, Deus] episcopos eorum." c) Praeterea dicit de apostolis: „Quibus in Christo a Deo hoc munus [scil. episcopos instituendi] commissum fuit." d) E comparatione cum levitis veteris foederis idem elucet. Levitas enim *a Deo ipso* designatos dicit ad munus sacerdotale, quod hoc loco nullo modo diceret, nisi etiam christianos praepositos a Deo ordinatos putaret. — 3. Ii, qui a praepositis per apostolos positis instituti sunt praepositi, et ipsi a Deo potestatem suam derivant et e Dei ordinatione constituti sunt. Nam Clemens toto loco c. 42—44 vult demonstrare, eos praepositos, qui anno 96 Corinthi praeerant, iniuste depositos esse, atque hoc ut probaret, exponit, quomodo a Deo Patre per Christum in apostolos potestas gubernandi descendat. Illi autem, partim saltem, erant institutionis mediate tantum apostolicae. Tota igitur illa expositio de origine potestatis ecclesiasticae vana esset et ad rem non faceret, nisi etiam in illos, qui mediate tantum ab apostolis instituti sunt, illa potestas a Deo per Christum et apostolos descendens derivetur.

Quanti momenti hoc Clementis de institutione ecclesiasticae auctoritatis testimonium sit, expositione vix indiget. Erat Clemens

Rom. vicinus apostolorum temporis, qui viderat apostolos et optime noverat, quae apostoli fecerant atque instituerant. Deinde dum convincere studet Corinthios, certe non exponit sententias et opiniones sibi uni proprias, sed ea quae ab omnibus et Corinthi et Romae agnosci optime sibi conscius erat. Porro maxima in aestimatione erat haec epistula in tota antiquitate christiana. Iam Polycarpus ex ea quaedam mutuatur, Dionysius Corinthius anno 170 testatur, suo etiam tempore publice hanc epistulam in Ecclesia praelegi, Hegesippus contra gnosticos ea usus est, Irenaeus eam laudat etc.[1] Confirmata igitur sunt ea, quae Clemens exponit totius antiquitatis approbatione.

Quamnam vim apud Clementem habeat vox presbyterorum, utrum scil. significentur soli sacerdotes primi ordinis (hodierni episcopi) vel cum iis etiam sacerdotes secundi ordinis includantur, cum certitudine discerni nequit. Cap. 40, 5, ut probet cuncta ordine fieri debere, i. e. neminem praepositorum iura sibi arrogare posse, provocat ad Vetus Testamentum, in quo „summo sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt, homo laicus praeceptis laicis constringitur". Ex quo loco triplicem gradum hierarchicum etiam apud christianos exstitisse cum probabilitate deduci potest; sic enim comparatio cum vetere synagoga aptius instituitur et praeterea sine dubio Romae talis triplex hierarchia habebatur. Erant enim ibi certissime presbyteri et diaconi, nam hi ubique ab apostolis fuerant instituti, et praeterea „summus sacerdos", scil. ipse Clemens.

β) Ignatius Martyr clare testatur, in ecclesiis Asiae, ad quas dum Romam proficiscitur versus annum 110 literas dat, exsistere triplicem gradum hierarchicum episcoporum, presbyterorum, diaconorum, quibus ut oboediant, quam maxime potest inculcat.

Ita v. g. scribit ad Magnesios[2]: „Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi." In eadem epistula cap. 2[3] nominat Damam episcopum Magnesiorum, Bassum et Apollonium eorum presbyteros, et Zotionem diaconum, quem laudat, „quia subditus est episcopo ut benignitati Dei et presbyterio ut legi Iesu Christi". In inscriptione epistulae ad Philadelphienses eos gaudium suum vocat, „maxime si uniti sunt cum episcopo et presbyteris eius et diaconis iuxta sententiam Christi designatis (μάλιστα ἐὰν ἐν ἑνὶ ὦσιν σὺν τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἀποδεδειγμένοις ἐν γνώμῃ Ἰησοῦ Χριστοῦ)"[4]. Trallianos vero admonet[5]: „Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur (χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται, i. e., ut Funk explicat: ubi ministri a Deo constituti non reperiuntur, ibi non est Ecclesia)." Concordiam cum episcopo ac oboedientiam prorsus necessariam esse etiam alibi docet,

---

[1] Vide Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Literatur I, Freiburg 1902, 101—103.

[2] C. 6 (Funk I 235). [3] Ibid. 233. [4] Ibid. 265. [5] C. 3 (ib. 245).

v. g.: „Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis, sed et presbyterio subditi sitis ut apostolis Iesu Christi." [1] „Qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia." [2] Similiter ad Philadelphienses [3]: „Clamavi, cum praesens essem, loquebar magna voce, Dei voce: episcopo oboedite et presbyterio et diaconis. Isti autem suspicati sunt, me ut praescium schismatis quorundam haec dixisse; testis vero mihi is est, pro quo vinctus sum, quod a carne humana id non cognoverim. Sed spiritus annuntiavit dicens haec: sine episcopo nihil facite." Iterum ad Smyrnaeos [4]: „Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est; qui clam episcopo aliquid agit, diabolo servit."

Potestatem autem episcoporum a Deo derivari diserte Ignatius dicit praesertim in epistula ad Ephesios, ubi „quemcumque, inquit, paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum" [5]. Episcopos autem ubique in Ecclesia constitutos esse docet in eadem epistula: „Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, sententia Patris est, ut et episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt." [6] Praeterea sine episcopis, presbyteris, diaconis Ecclesiam esse non posse supra p. 292, nota 5 eum dicentem audivimus.

γ) Liber apocalypticus, qui dicitur Hermae Pastor, a Pii I, Rom. Pontificis (ca 140—155), fratre ita conscriptus est, ut eius auctorem Clementis Romani coaetaneum existimari velle appareat. Fingit, cum secundam visionem scripsisset, haec se vidisse: „Venit anus [i. e. Ecclesia, quae visiones illas Hermae dedit] et interrogavit me, an librum iam dedissem presbyteris. Negavi me dedisse. Bene, inquit, fecisti; habeo enim verba aliqua addere. Cum ergo finiero omnia verba, per te nota fient electis omnibus. Scribes igitur duos libellos et mittes unum Clementi et unum Graptae. Mittet ergo Clemens in exteras civitates; illi enim mandatum est; Grapte autem monebit viduas et orphanos. Tu autem leges in ista civitate cum presbyteris, qui praesunt Ecclesiae (*μετὰ τῶν πρεσβυτέρων τῶν προισταμένων τῆς ἐκκλησίας*)." [7] In visione III nominantur „apostoli et episcopi et doctores et diaconi" [8]. Ubi doctores probabiliter sunt sacerdotes secundi ordinis. — Romae esse praepositum fratrum (*προεστὼς τῶν ἀδελφῶν*), qui eucharistiam

---

[1] Trall. 2, 2 (Funk I 245). [2] Ibid. 7 (ib. 249). [3] 7, 2 (ib. 271).

[4] 9, 1 (ib. 283).

[5] *Πάντα γὰρ, ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα. Τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον, ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν* (Eph. 6, 1: Funk I 218).

[6] *Ἰησοῦς Χριστὸς, τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες, ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν* (Eph. 3, 2: Funk I 216).

[7] Vis. 2, 4, 2 (Funk I 430).

[8] Vis. 3, 5, 1 (Funk I 440). Diaconi etiam nominantur Sim. 9, 26, episcopi ib. 27 (ib. 622).

celebret, cuius ministri sint diaconi, etiam testatur Iustinus Martyr in prima apologia, scripta ca annum 150[1]. Versus annum 160 Hegesippus, christianus Palaestinensis, venit Romam ac catalogum episcoporum Romanorum usque ad Anicetum fecit[2]. Cum Anicetus ca 155—166 praefuerit Ecclesiae romanae, ex hoc testimonio certum est, saltem ex initio secundi saeculi Romae fuisse episcopos.

δ) Cum controversia de die paschatis celebrando Victore Rom. Pontifice exorta esset, ut traditionem Asianorum tueretur, Polycrates Ephesi episcopus in epistula ad Victorem primo multos episcopos celeberrimos enumerat, qui secum lunam quartam decimam diei paschatis assignassent, deinde addit[3]: „Ego quoque omnium vestrum minimus Polycrates e traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos assectatus sum: fuerunt enim septem omnino e cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi." Deinde dicit, se dum haec scribat iam senem esse (*ὅτι εἰχῆ πολιὰς οὐκ ἤνεγκα*)[4]. Unde fit, ut e longo iam tempore Ephesi episcopi esse debuerint, secus ut octavus Polycrates senex septem antecessores sequi non potuisset.

Irenaeus, qui scribit ca annum 180, dicit[5]: „Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos." Paulo post haec habet[6]: Polycarpus, „ab apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate (multum enim perseveravit [in vita] et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita) haec docuit semper, quae ab apostolis didicerat". Praeterea divini iuris esse episcopatum aperte testatur[7]: „Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus et propheta ait: et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in iustitia. De quibus et Dominus dicebat: qui igitur erit fidelis actor, bonus et sapiens quem praeponit Dominus super familiam suam. . . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quae est ab apostolis Ecclesiae successio."

ε) E scriptoribus Irenaeo posterioribus vix opus est, ut testimonia hic ponamus. Clara enim, quod attinet eos, res est atque ab omnibus concessa. Triplicem gradum hierarchiae agnoscunt v. g. Tertullianus[8], Clemens Alexandrinus[9], et omnes posteriores. Apostolum Ioannem episcopos instituisse tradit Clemens Alexandrinus, sic narrans[10]: „Cum

[1] Iustin., I Apol. c. 67 (MG VI 430).

[2] *Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου· οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος* (Eus., H. E. 4, 22, 3). De hoc loco vide Bardenhewer l. c. I 487).

[3] Apud Eus., H. E. 5, 24, 6. [4] Ibid. § 8.

[5] Adv. haer. 3, 3, 1 (MG VII 848). [6] Ibid. § 4 (ib. 852).

[7] 4, 26, 5 (MG VII 1055 sq).

[8] De bapt. 17 (ML I 1218). [9] Strom. 6, 13 (MG IX 328).

[10] *Ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλῆρον ἕνα τέ τινα κληρώσων ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινόμενον* (Quis dives salvetur c. 42: MG IX 648).

post tyranni [Domitiani imperatoris] obitum e Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quidem, ut episcopos constitueret, partim vero, ut integras ecclesias disponeret ac formaret, partim etiam, ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret." Tertullianus vero dicit[1]: „Habemus et Ioannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit." Cypriani tempore saepe episcopi successores apostolorum vocantur. Sic scribit Firmilianus, episcopus Caesareae in Cappadocia[2]: „Potestas peccatorum remittendorum apostolis data est et ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis, qui iis ordinatione vicaria successerunt." Et Clarus a Mascula in concilio Carthaginiensi anni 255[3]: „Manifesta est, inquit, sententia D. N. I. Christi apostolos suos mittentis et ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes." Ipse denique Cyprianus Cornelio episcopo Romano scribit[4]: „Hoc enim vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus."

Nota. Rationalistae moderni cum omnes uno ore negent, Christum potestatem et auctoritatem in Ecclesia sua instituisse, quomodo factum sit, ut saeculo post apostolorum mortem nondum praeterito ubique in Ecclesia inveniantur episcopi, regendi potestate instructi, multis et variis conatibus student explicare. Multa de origine „episcopatus monarchici" systemata iam excogitaverunt, quorum ne duo quidem inter se concordant. Omnia ea recensere cum necessarium non sit, ut in universum aliqua horum systematum idea habeatur, haec sufficiat indicasse.

I. Primum rationalistae (et modernistae) negant, *Christum ipsum Ecclesiam instituisse* nec de potestate in Ecclesia instituenda umquam cogitasse, immo ab eius mente et animo prorsus abhorruisse, ut inter discipulos suos quidam essent, qui alios cum auctoritate docerent, cultu divino et sacramentis ex opere operato agentibus sanctificarent.

Iam si 1. *cur* ita statuant quaesieris, haec quasi sua sponte ex eorum principiis fluere facile perspicies. Notissimum enim est illos a) ex hoc quasi principio in omni inquisitione proficisci, ut nihil supernaturale, nihil quod vires naturae superet, esse possit. Quod illis axiomatis loco est, ita ut illud nec demonstrent nec discutiant, sed quasi sit iam demonstratum vel ex se evidens, fundamentum ac principium omnium argumentationum sumant. Quo fit, ut eorum discipuli, cum magistros suos ab omnibus a scientia laudatos axioma illud omnes agnoscere videant, non audeant nec cogitent illud in dubium vocare, sed paulatim eius usui assuefiunt, ita ut et ipsi libere ad illud provocent et discipulis suis id transmittant. b) Quodsi nihil supernaturale exsistit, sequitur, Christum merum hominem esse, omniaque quae de eo miracula

---

[1] Adv. Marcion. 4, 5 (ML II 366).
[2] Inter Cypriani ep. 75, n. 16 (Hartel 821).
[3] Hartel 459.
[4] Ep. 45, 3 (ib. 602).

narrantur, fictioni ortum debere. c) Quapropter quae in evangeliis habentur, magnam partem ficta sunt, criticumque examen instituere necessarium est, ut in evangeliorum narrationibus quid originale sit et verum, quid postea adiectum et fictitium, cognoscatur. d) Iam si concesseris, evangeliorum narrationes paulatim adiectionibus fictitiis auctas esse, per se patet minus fictionis suspicionem moveri posse contra eas narrationes, quae pluribus vel omnibus evangeliis communes sunt, maxime autem erroris suspicionem vigere circa ea, quae ab uno tantum evangelista traduntur.

2. His principiis positis facile perspicitur, quid ea secuti rationalistae iudicent de evangeliis Ecclesiae institutionem narrantibus.

a) Ac primum quidem, si Christus merus est homo, patet, eum non esse posse auctorem talis Ecclesiae, qualis in evangeliis ea describitur. Quomodo enim, si erat homo instar omnium aliorum, ut portae inferi numquam contra eam praevalerent efficere potuit? Quomodo, cum Veteris Testamenti Ecclesia dicatur Ecclesia *Dei,* ausus est ei opponere aliam eamque vocare *suam?* Quomodo efficere potuit, ut magisterium Ecclesiae sit infallibile, quomodo ritibus externis eam efficaciam tribuit, ut interne sanctificarent? Unde vides rationalistas, ut principio suo fundamentali fideliter adhaereant, omnino *debere* textus, qui de institutione Ecclesiae agunt, ex evangelio eicere, rationesque quaerere, quibus hanc evangelii mutilationem defendant. Ad quod etiam alia ratio vehementer eos impellere debet. Si scil. concedunt, Christum instituisse eam Ecclesiam, de qua v. g. agitur Mt 16, 18, debent concedere, Christum instituisse Ecclesiam *catholicam,* id quod admittere nolunt. Atque revera ulterius progressi rationalistae non solum negant, eam Ecclesiam, de qua agitur. Mt 16, 18, Christum instituisse, sed nullo eum modo de quacumque organizatione asseclarum suorum nec de quacumque spirituali potestate inter eos inducenda umquam cogitasse. Immo Christum nullo modo cogitasse de gentilibus religioni suae aggregandis nec de iudaica theocratia abolenda.

b) *Argumentum praecipuum,* quo Christum nullam potestatem ecclesiasticam instituisse demonstrare volunt, est in eo, quod textus praecipuos, quibus ea institutio narretur, spurios esse autumant. Contra authentiam eorum textuum autem argumentantur α) ex rationibus criticis modo indicatis. Nam cum textus illi inveniantur fere apud Ioannem vel Matthaeum et plerumque apud eos solos, facile sibi persuadent, horum textuum rationem nullam habendam esse. β) Deinde dicunt, totam historiam aevi vel apostolici vel subapostolici intelligi non posse, si textus illi genuini sint. Nam ex textus Mt 28, 18 praescripto apostolis exeundum fuisse in universum mundum. Sed illos non exiisse in universum mundum, sed ferme per decennium intra Palaestinae fines mansisse, usquedum a persecutoribus exire cogerentur. Praeterea si textus illi genuini sint, a Paulo v. g. ubique statim episcopos instituendos fuisse. Atqui nullos episcopos monarchicos commemorari in eius epistulis genuinis nec in aliis veteribus monumentis ante S. Ignatium.

Atque his fere rationibus Christum fuisse *occasionem* Ecclesiae fundatae, nullo modo eius fundatorem, probasse se putant[1].

[1] Audiatur hac de re v. g. A. Harnack: „Beide Betrachtungen (catholicorum et veterum protestantium de institutione Ecclesiae doctrina) haben die ganze Entwicklungsgeschichte des apostolischen und nachapostolischen Zeitalters gegen sich, und außerdem stehen und fallen sie mit der Frage der Geschichtlichkeit einiger

3. Ut iam *quid sentiendum sit de his omnibus* exponamus, a) ipsa *principia,* ex quibus rationalistae procedunt, a nobis priore volumine iam refutata esse patet. Iam enim ostendimus, miracula et facta supernaturalia esse posse (vol. I, p. 195), Christum non esse merum hominem (ib. 605 sqq). Quibus ostensis iam ipsa fundamenta systematis rationalistici convulsa sunt, quibus destructis corruunt illa systemata. Ac simul corruunt suspiciones illae criticae, quibus moti in evangeliis multa ficta esse putant; iam vero si in evangeliis vera cum falsis mixta esse iam nullam rationem putandi habemus, non amplius solliciti esse debemus de viis ac methodis, quibus falsa a veris in iis dignoscantur ac segregentur.

Ut autem fundamentis rationalismi destructis eo ipso destructae sunt rationalistarum de origine Ecclesiae theoriae, ita ex altera parte facile perspicis, principiis rationalisticis nondum refutatis non posse rationalistis persuaderi, ut evangeliorum de origine Ecclesiae narrationem admittant. Exhibetur enim in evangeliis Ecclesia ut res supernaturalis ordinis. Quod modo breviter iam ostendimus, immorati praecipue verbis Christi Mt 16, 18. Sed alterius loci in hac re praecipui Io 21, 15 non alia ratio est. Adverte enim, quod quae ibi narrantur, post resurrectionem suam Christum fecisse et dixisse narratur. Iam vero, cum rationalistae non admittant resurrectionem hominis mortui, multo minus admittunt, quae post resurrectionem homo mortuus fecisse et dixisse narratur. Idem valere de Mt 28, 18 luce clarius est. Noli igitur ex his locis rationalistam velle arguere. Ostende illi, miracula fieri posse; ostende, Christum esse legatum divinum; ostende, Christum surrexisse a mortuis; verbo, demonstra illa, quae in priore tomo iam tractavimus. Quae si demonstraveris, sic facile ostendere poteris, Christum condidisse Ecclesiam viribus supernaturalibus instructam; aliam viam si tenueris, rationalistarum systemata in se non cohaerere ostendere poteris, iis institutionem supernaturalis Ecclesiae persuadere non poteris. Quod ut aliis verbis dicamus, ea via ac methodus apologetae tenenda est in demonstranda Ecclesia, quam innuit ipse Christus. Sicuti enim Christus primum exigit fidem, qua Filius Dei vivi agnoscitur, deinde incipit agere de Ecclesiae suae institutione, ita apologeta primum debet ostendere, Christum Dei legatum esse, deinde tantum, eum condidisse eam Ecclesiam viribus supernaturalibus instructam, cuius imaginem exhibent evangelia. Unde recte breviter tantum hic tractamus de rationalistarum systematis originem Ecclesiae declarantibus. Revera enim horum refutatio huius loci non est, cum hoc volumine non agamus contra rationalismum, sed res nobis sit cum eo, qui admittit divinitatem Christi.

b) De *argumento* itidem rationalistarum sumpto ex eo, quod textus Mt 16, 18; 18, 18; 28, 18 non sint genuini, satis supra p. 100—106 dictum

---

neutestamentlichen Stellen (namentlich im Evangelium des Matthäus). Sieht man von ihnen ab — und nach allen Regeln geschichtlicher Kritik ist man dazu gezwungen —, so ist jedes direkte äußere Band zwischen Jesus und der ‚Kirche' und ihren werdenden Ordnungen zerschnitten. Übrigens bleibt das innere geistige Band, auch wenn Jesus die Kirche weder gestiftet noch auch gewollt hat.... Alles aber, was wirklich geworden ist, ist nicht aus einem im voraus gefaßten Plane entstanden, sondern ist unter den gegebenen Zeitverhältnissen automatisch herausgewachsen aus der brüderlichen Gemeinschaft von Menschen, die durch Jesus Gott gefunden hatten" etc. (Realenzyklopädie für protest. Theologie und Kirche XX[3], Leipzig 1908, 509).

est, ubi, quod α) criticas rationes attinet, ostendimus, quam frivole contra Mt 16, 18 argumententur, et quam parum ea quae proferunt inter se cohaereant. Ceterum de critica evangeliorum tractatione rationalistica vide eos, qui de introductione in Novum Testamentum scripserunt.

β) Quod autem obiciunt, ex praecepto Christi Mt 28, 18 apostolis statim in mundum universum exeundum fuisse, mirum est. Ergone putandum est, si hodie Christus mittat apostolos in totum mundum, statim cras omnes illos relinquere Ierusalem debere atque percurrere mundum ita, ut post annum nulla etiam remotissima regio sit, in quam non penetraverint apostoli? Certe hoc nemo dixerit. Ergo Christi praeceptum hoc modo intelligendum est, ut percurrant illi quidem totum mundum, sed ita, ut simul fructum afferant in convertendis nationibus et ut fructus eorum maneat. Hoc autem fieri non potest, nisi in singulis locis tempore plus minusve diuturno maneant. Quanto autem tempore maneant, eorum prudentiae Christus commisit. Potest igitur evenire, ut in certis regionibus unus vel etiam complures apostoli per annos laborent, aliis regionibus interea omissis, dummodo ne a priori ullam regionem ab evangelizatione excludant. Quod autem ante omnia Palaestinae ad Christum aggregandae viribus unitis per longius tempus insudaverint, facile explicatur. Iudaeis enim primario promissus erat Messias, populusque eius electus primo loco erant iudaei. Deinde iudaei ad propagandam religionem sive christianam sive aliam quamcumque natura valde apti erant, ac sperari potuit, ut, si multos ex iis vel etiam totum populum aggregavissent sibi, copia gnavorum operariorum adiuti multo facilius et celerius apostoli gentes ad Christum adducerent (cf. Rom. 9, 12—15)[1].

c) Quod autem rationalistae dicunt, Christum novam tantum doctrinam praedicasse, nullo autem modo cogitasse nec de Veteris Testamenti theocratia abolenda gentibusque sibi aggregandis nec de statuenda auctoritate religiosa inter asseclas suos, ipsis principiis rationalisticis admissis partim aperte falsum est, partim valde improbabile fingitur[2]. Nam

α) Christo se esse Messiam persuasum erat[3]. Messiae autem erat, abolito vetere foedere et cultu levitico novi foederis auctorem esse. Nec dicatur, etsi Christus Messiam se putabat, nondum tamen sequi, ea omnia, quae apud

---

[1] Nihilominus Harnack (Lehrbuch der Dogmengesch. I[4], Tübingen 1909, 88): „Die Aussendung der Zwölfe in alle Welt . . . kann nicht geschichtlich sein; denn sie widerspricht den früheren Worten Jesu und dem Verhalten der Zwölfe; s. Act. 1—15." Dixerat quidem antea Christus apostolis, cum primum eos emitteret ad praedicandum: in viam gentium ne abieritis (Mt 10, 5). Sed haec valere debere tantum pro prima hac missione et tempore terrestris Christi vitae, patet iam ex eo, quod in eodem sermone Christus apostolos ad reges et praesides ductum iri praedicit, in testimonium illis et *gentibus* (Mt 10, 18). Cf. De San 35.

[2] Cf. de hac re praecipue De San 10—41.

[3] Ipse Harnack (Das Wesen des Christentums, Leipzig 1900, 82) contra aliquos rationalistas id negantes dicit: „Ich vermag dem aber nicht beizustimmen, ja ich finde, daß man unsere evangelischen Berichte aus den Angeln heben muß, um das Gewünschte zu erreichen. Bereits der Ausdruck ‚Menschensohn' scheint mir nur messianisch verstanden werden zu können — daß ihn aber Jesus selbst gebraucht hat, ist nicht zu bezweifeln — und, um von anderem zu schweigen, eine Geschichte wie die des Einzugs Christi in Jerusalem müßte man einfach streichen, um die These durchzuführen, er habe sich nicht für den verheißenen Messias gehalten." Cf. supra vol. I, p. 630.

prophetas de Messia scripta essent, sibi Christum applicasse. Nam novum foedus revera se velle inire significat Christus v. g. in institutione eucharistiae, ubi respiciens ad Ex 24, 8, quo loco animalium sanguis vocatur sanguis veteris foederis, suum sanguinem Novi Testamenti sanguinem dicit. Nec huius narrationis authentiam rationalistae negare possunt, cum habeatur 1 Cor 11, 25; Mt 26, 28; Lc 22, 20. Theocratia autem vetus futurum esse ut aboleatur, ipse Christus significat, cum templi eversionem praedicit (Mt 24, 2; Mc 13, 2; Lc 21, 6) et cum regnum Dei reiectis iudaeis alteri genti, i. e. gentilibus datum iri annuntiat (Mt 21, 43; Mc 12, 9; Lc 20, 16). Regnum praeterea illud magnum, quod ex iudaeis et gentilibus congregatur, non ita intelligendum est, ut in secreto tantum Christi asseclae ad Christum regem pertinere debeant. Sed postulat quam maxime serio Christus, ut ii publice etiam se Christi esse confiteantur (cf. supra p. 221) et publice generatim noti sint, ita ut persecutionibus impeti possint (Mt 10, 22 sq; 24, 9; Mc 13, 13; Lc 21, 17).

Iam his admissis improbabilissime fingitur, de auctoritate inter suos statuenda Christum non cogitasse. Nam amplissimum est regnum, quod iudaeos et gentiles complectitur. Tale autem regnum, cum non sit mere internum, mox difficultatibus et turbis omnis generis ortis necesse est contra se ipsum dividatur, ita ut stare non possit (Mt 10, 25; Mc 3, 24; Lc 11, 17), nisi auctoritas adsit, quam omnes revereantur et sequantur. Quod Christus, qui rationalistis consentientibus sapientissimus fuit, praevidere debuit et cavere auctoritate instituta. Atque eo magis eam instituere debuit, quia pro hominum infirmitate necesse est, ut de praesidio et primis in societate locis oriantur lites (Mt 20, 25; Mc 10, 42; Lc 22, 24). Ipsis rationalistis fatentibus postea in Ecclesia necessarium fuit, superiores constituere. Cur igitur ipse Christus eos non instituit? Si non praevidit turbas orituras post mortem suam, non erat sapientissimus; si noluit remedium indicare, quo hae turbae coercerentur, non erat benignissimus. Sapientissimum autem et benignissimum omnes eum praedicant.

Ut rem magis illustremus, consideremus eas difficultates, quae primae post Christi mortem nascentem tum Ecclesiam vexabant, turbas illas dico, quae oriebantur ex ethnicorum in Ecclesiam admissione et ex iudaeo-christianorum a synagoga separatione. Atque non sine maximis difficultatibus per se fieri potuisse, ut aut iudaei cum ethnicis adeo sibi exosis in unum corpus religiosum coniungerentur, aut Christi ex iudaeis asseclae a synagoga et levitico cultu separarentur, prorsus evidens erat et a Christo ignorari non poterat. Optime enim sciebat, et iudaeos quam maxime amare legem patriam et contra suos synagogam vehementissimas persecutiones commoturam esse (Mt 10, 17; 23, 24; Mc 13, 9; Lc 12, 11; 21, 12; Io 16, 2). Iam vero quid remedii indicavit discipulis suis, ut has difficultates maximas et certe imminentes superarent? Certe de tota hac re in evangeliis ne verbulum quidem occurrit, ex quo concludi debet, Christum de ea prorsus tacuisse. Certissime enim si Christus hac de re quidquam diserte praecepisset, rem tanti momenti pro iudaeo-christianis Matthaeus retulisset. Unde ex hoc Christi silentio ita argumentari licet: silentium illud optime explicatur, si Christus instituit auctoritatem in Ecclesia sua; prorsus autem illud intelligi nequit, si talem auctoritatem non instituit. Ergo auctoritatem ecclesiasticam instituisse censendus est. Atque recte sic nos argumentari patere videtur. Nam si auctoritatem illam condidit, omnibus illis difficultatibus oriundis optimo remedio occurrit.

Ea enim instituta eo ipso omnes asseclas sequi eam eique oboedire iussit, qua oboedientia ducta nascens Ecclesia maximas illas difficultates superare poterat et revera superavit. Si vero auctoritatem in Ecclesia sua Christus non instituit, prorsus intelligi nequit, cur de difficultatibus illis tacuerit. Quanam enim ratione illud eius silentium explicabis? Num non praevidit illas difficultates Christus? At certe quivis modice sapiens eas praevidere debuit. Num noluit iis mederi? At id certe nemo dixerit. Num non potuit viam eas superandi indicare? At sciebat ipsum verbum et de hac re praeceptum suum ab asseclis suis instar legis haberi et maximis turbis sedandis sufficere posse. Cur itaque illud verbum locutus non est?

β) Egregie quae de Christi Ecclesiam instituendi voluntate diximus, confirmantur ex eo, quod saepe Christus aperte significat, se esse illum Messiam, qui apud prophetam Danielem describitur. Saepissime scil. atque apud omnes evangelistas Christus se dicit „filium hominis“ (Mt 8, 20; Mc 2, 10; Lc 5, 24; Io 5, 27 etc.) et prophetat, se esse venturum „in nubibus coeli“ ad iudicandum genus humanum (Mt 24, 30; 26, 64; Mc 13, 26; 16, 62; Lc 21, 27). Hoc autem modo locutus Christus tecte se esse illum innuit, de quo loquitur Daniel c. 7. Ibi scil. postquam propheta descripsit quatuor regna terrestria, quae sub imagine bestiarum exhibentur, omnia illa regna a regno Messiae superatum iri, sic dicit v. 13 sq: „Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce *cum nubibus coeli* quasi *filius hominis* veniebat. . . . Et dedit ei [antiquus dierum] potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur“; post quam praedictionem quatuor illis regnis successurum messianum regnum promittitur. Atque etiam Dn 2, 44 sq post descripta alio modo quatuor illa regna legitur de messiano regno post illa orituro et in aeternum non perituro: „Comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum.“

Quodsi vero Christus se existimabat Messiam illum apud Danielem descriptum, certe ei persuasum fuit α′) de interitu levitici cultus mox post mortem suam imminente, hoc enim clare dicitur Dn 9, 26 sqq (cf. vol. I, p. 525); β′) se debere novum foedus constituere (Dn 9, 27); γ′) omnes populos debere in unum regnum coniungi (Dn 7, 14, quem locum brevi antea recitavimus); δ′) regnum suum debere esse veri nominis regnum. Nam ut modo vidimus, Daniel comparat regnum messianum cum regnis terrestribus, quae profecto erant vera regna veraeque societates.

γ) Atque has prophetarum praedictiones Christus, praesertim si merus homo erat, necessario ita intelligere debuit, ut sibi Ecclesia condenda sit, quae instar regni monarchice regeretur. Quod tamen admittere si quis cunctetur, profecto illud saltem certum est, iudaeos tunc temporis ac discipulos Christi rem alio modo concipere non potuisse. Quare clarissime illi dedocendi erant, si Christus auctor regni monarchici esse noluit; quod cum non fecerit, prophetas modo quo diximus eum intellexisse ac Ecclesiam condere voluisse ex ipso hoc eius silentio recte arguitur ac certum est.

δ) Paulus universam christianorum multitudinem ex iudaeis et gentilibus collectam vocat nomine Ecclesiae vel Ecclesiae Dei (supra p. 212), quo loquendi modo nomen, quod in Vetere Testamento apud septuaginta interpretes proprium erat electi populi israelitici, transfertur ad christianos. Neque ullum indicium habetur, quo Paulum hac voce primum omnium usum esse ad de-

signandos christianos significetur. Ergo α') christiani tunc iam temporis communiter existimabant, se unum totum constituere ad modum veteris synagogae. β') Sicut Christus per sanguinem suum dicit foedus se novum condere, ita Paulus Ecclesiam illam unam ex iudaeis et gentibus congregatam sanguine suo Christum sibi acquisivisse dicit Eph 2, 16; 5, 25; cf. Act 20, 28. Praeterea Christum nominat caput Ecclesiae illius ex gentibus et iudaeis congregatae (Eph 5, 23; Col 1, 18) et apostolos, pastores, doctores eum dedisse affirmat in aedificationem sui corporis (Eph 4, 11). Mirus profecto loquendi modus, si Christus gentiles sibi aggregare noluit!

II. Postquam ex evangeliis textus, qui sunt de Ecclesia, eiecerunt atque de ea Christum numquam egisse sibi videntur demonstrasse, etiam *apostolos* ulla proprie dicta vel *docendi vel praecipiendi potestate instructos* fuisse necessario negare debent rationalistae et asserere, a nullo missos nisi a se ipsis in mundum eos exiisse et praedicasse.

Quod cum asserunt, iterum rationalistae difficultatibus insolubilibus se intricant. Nam etiam reiectis textibus Mt 28, 18; Io 20, 21 etc. prorsus evidens est, apostolis ipsis firmissime missos se esse ad Christi religionem disseminandam persuasum fuisse. Iam ipsum nomen, quo vocantur „apostoli", i. e. missi, hoc indicat, ab antiquissimo autem tempore ita vocabantur, immo Christus ipse hoc nomen iis indidit (Lc 6, 13)[1]. S. Paulus statim in fronte epistularum suarum cum quadam emphasi nomen apostoli ita sibi appropriat, ut ne cum Timotheo quidem illud communicet[2], se esse apostolum non ab hominibus neque per hominem, sed per Christum et Deum aperte pronuntiat (Gal 1, 1); eodem autem modo cum Paulus sit apostolus ac reliqui duodecim, de duodecim illorum missione non aliter sensit ac de sua. Ex Actuum quoque relatione clare elucet, apostolos audacter evangelium, neglecta vel ipsa prohibitione summi sacerdotis, annuntiare, quia a Deo id sibi mandatum esse sibi conscii sunt. Cogita solum notissimum eorum verbum: oboedire oportet Deo magis quam hominibus (Act 5, 29). S. Paulus praeterea diserte dicit, praedicare nulli licere, nisi missus sit Rom 10, 15. Qua in re repetit tantum, quod omnibus Veteris et Novi Testamenti sanctis persuasum fuit. Moyses enim et prophetae, Ioannes Baptista et Christus ipse missos se esse ad annuntiandum verbum Dei dicunt, et qui non sit missus, praedicare eum non debere aut clare enuntiant, aut persuasum sibi esse clare ostendunt.

Quam apostolorum de missione sua certitudinem ut explicent adversarii, apostolos hallucinationibus obnoxios fuisse dicunt, quibus Christum resuscitatum videre sibique praecipientem audire sibi videbantur. Revera autem ex rationalistarum placitis Christum non videbant, sed hae visiones nihil aliud quam superexcitatae imaginationis fictiones ac ludi erant. Sed visiones Christi resuscitati ac apostolorum de iis plenam certitudinem hoc modo explicari non posse iam supra vidimus (vol. I, p. 788 sqq). Adde apostolos nullo

---

[1] Invenitur nomen apostoli apud Lucam passim, apud reliquos evangelistas raro (scil. tantum Mt 10, 2; Mc 6, 30; Io 13, 16). Tempore autem evangelistarum in communi usu fuisse illud nomen constat ex epistulis Paulinis. Vocant ut plurimum evangelistae apostolos nomine duodecim (*οἱ δώδεκα*), Matthaeus utitur etiam nomine duodecim discipuli.

[2] Cf. 2 Cor 1, 1: Paulus *apostolus* Iesu Christi per voluntatem Dei et Timotheus *frater* ecclesiae Dei quae est Corinthi. 1 Cor 1, 1: Paulus vocatus *apostolus* Iesu Christi per voluntatem Dei et Sosthenes *frater*.

modo eos fuisse, qui visiones veras ab hallucinationibus distinguere non possent; optime enim sciunt non omni visioni statim fidem habendam, sed eam probandam esse (1 Thess 5, 21). Paulus etiam signum verarum visionum hoc ponit, quod nihil quod repugnet doctrinae suae iis tradatur (1 Cor 14, 37), et praecepta iis dat qui spiritum habere sibi videntur.

Cum non solum apostoli, sed ceteri etiam christiani visiones tales vel hallucinationes, ut adversarii putant, habuerint, ex iis solis ea qua apostoli pollebant prae ceteris auctoritas explicari non potest. Quare negant rationalistae proprie dictam auctoritatem apostolos sibi ascripsisse vel iis a christianis tributam esse [1]. Sed quam frivole hoc dicant, iam supra pag. 59 vidimus, nec hic est repetenda haec demonstratio.

III. Si Christus nullam in Ecclesia sua auctoritatem instituit sequitur, ut *etiam inter primos christianos* nullam veri nominis potestatem exstitisse, sed eos omnes inter se perfecte aequales fuisse rationalistae dicere debeant. Cum autem saeculo secundo medio fere ubique in Ecclesia episcopi plena docendi et regendi auctoritate instructi inveniantur, quomodo hic „monarchicus episcopatus" ortus sit, rem difficillimam explicatu esse patet. Quam ob rem infinitam illam explicationum et systematum varietatem ortam esse mirum non est [2]. Iam ut systemata sua exstruere possint, duo adversariis praestanda sunt: debent primo argumenta, quibus muneris ecclesiastici institutio et apostolorum potestas demonstratur, destruere, et praeterea ostendere, democraticae indolis fuisse antiquissimas christianorum communitates.

1. Prius illud quod attinet, argumenta ex evangeliis quomodo reiciant iam vidimus, reliqua, quae ex epistulis Paulinis, Actibus apostolorum, Patribus attulimus, vario modo conficere student. Si enim obieceris iis epistulas pastorales S. Pauli ad Timotheum et Titum, quarum authentiam negare non possint, cum iam a S. Polycarpo († 155) eadem ratione ac reliquae Paulinae epistulae recitentur, statim has nisi interpolatas variis additionibus ad nos non pervenisse clamabunt, ac praecipue ea, quae de episcopis ibi tradantur, a Paulo non potuisse scribi, cum Paulus nihil sciat de monarchico episcopatu [3]. Ad haec repones fortasse, sic argumentando circulo vitioso peccari ac praeterea, quae dicantur in iis epistulis confirmari Clementis Romani epistula certissime genuina, cum etiam Clemens tradat, „ab illis [apostolis] ac deinceps

[1] C. Weizsäcker, Das apostol. Zeitalter, Freiburg 1885, 606 sq: „Der Apostolat ist von Jesus selbst gegründet, nicht als ein Kirchenamt, sondern als der Dienst der Verkündigung. . . . Die Leitung dieser erst werdenden Gemeinde ist im wesentlichen nichts anderes als die Belehrung, welche sie zu geben haben." Ib. 611 sq: „Das Ansehen eines Apostels beruht auf dem tatsächlichen Verhältnis, daß die Gemeinde ihren Glauben durch ihn empfangen hat. . . . Auch da, wo das apostolische Wort in das Leben einer einzelnen Gemeinde eingreift, bekommt das doch nicht den Charakter einer Regierungsgewalt und eines Gemeindeamtes."

[2] Recenset ultra centum varia systemata St. v. Dunin-Borkowski: Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats, Freiburg 1900. Rationalistarum argumenta crisi subicit idem in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII—XXIX, Innsbr. 1903—1905. Cf. De Smedt in Rev. des quest. hist. XLIV (1888) 329 sqq; L (1891) 397 sqq; A. Michiels, De origine episcopatus, Lovanii 1900; A. Mertens C. SS. R., De Hierarchie in de eerste eeuw des Christendoms, Amsterdam 1908

[3] A. Harnack, Die Chronologie der altchristl. Literatur I, Leipzig 1897, 482.

ab aliis viris eximiis“ [Timotheo, Tito etc.] episcopos statutos esse. Sed haec si reposueris, ecce statim te conficiunt respondendo, Clementem tradere illum quidem de presbyteris sui temporis quaedam, quae attentione digna sint, ceterum Clementem in iis, quae proferat de apostolis potestatem a Christo acceptam in episcopos derivantibus, evolvere theoriam quandam, quae cum dogmatica sit, historicam fidem non mereatur [1]. Actus autem apostolorum quae narrent de episcopis, aperte pugnare cum iis, quae Paulus in epistulis tradat[2].

Ad haec ut respondeamus, primum nulla cum specie probabilitatis fingitur nulloque exemplo suaderi potest, post Pauli apostoli mortem ullam eius epistulam adeo irreverenter tractatam esse, ut ei aliena additamenta assuerentur eaque Pauli esse mendacio spargeretur atque huic mendacio ab omnibus fides haberetur. Patet enim sine aperto mendacio haec fieri non potuisse, neque rationalistae, cum mendacio id factum esse affirmare non audeant, qui sine mendacio id fieri potuerit, ullo modo explicant.

Sed in authentia epistularum pastoralium vindicanda hic non insistimus. Sive enim illae epistulae sint Pauli et Actus apostolorum Lucae sive non, certe sunt documenta sive aevi apostolici sive subapostolici, i. e. documenta ex primo post apostolorum Petri et Pauli mortem saeculo. Ergo iis, qui apostolos eorumque discipulos noverant, ipsos apostolos successores sibi constituisse persuasum fuisse illis documentis sicuti etiam Clementis et Ignatii scriptis demonstratur. Atqui hoc sufficit, ut revera apostolos ita egisse existimandum sit. Nam si v. g. Clemens Romanus diserte dicit, apostolos sibi constituisse successores, certe aut verum dicit aut mentitur; nam eum bona fide errasse, cum vicinus sit temporis apostolici, existimari non licet. Atqui mendaces dicere priscos illos tantos ac tales viros christianos ne ipsi quidem plerumque rationalistae audent. Quod autem obiciunt theoriae proponendae gratia Clementem ab apostolis episcopos institutos esse affirmare, nullius momenti est. Non enim agitur de hoc, utrum theoriam proponat necne, sed quaeritur, sitne illud ex quo argumentatur factum verum an falsum. Verum autem oportet esse, ridicule enim ad convincendos Corinthios iis theoriam proposuisset falsis fictionibus innixam, quam cum risu illi explosissent.

Similiter si ex Mt 16, 18; 18, 18; 28, 18; Io 20, 21; 21, 15 sq *post* apostolos veri nominis potestatem in Ecclesia exstitisse demonstramus, hoc argumentum ex eo convelli non potest, quod textus illos non esse genuinos dicunt. Ut enim, si spurii sunt illi, pro ipsorum apostolorum auctoritate nihil iis demonstrari concedamus, nihilominus tamen verum manet, eo tempore, quo fingebantur illi textus et in evangelium intrudebantur, exstitisse in Ecclesia monarchicum episcopatum atque episcopos tunc temporis apostolorum successores habitos esse. Id enim ipsa illorum textuum intrusione ostenditur. Nam si conficti sunt illi, quem in finem confictos esse dicendum est? Num putas, textum v. g. Mt 16, 18 falsarium confinxisse puro Petri dudum mortui

---

[1] R. Knopf, Das nachapostolische Zeitalter, Tübingen 1905, 164: „Diese Anschauung des Verfassers [Clementis Rom.] von der Entstehung des Apostolats ist indes keineswegs als irgendwie begründet anzusehen. . . . Den der Theorie entsprungenen Angaben des 1 Clem. über die Entstehung des Amtes ist demnach für den tatsächlichen Geschichtsverlauf nichts zu entnehmen.“

[2] Knopf l. c. 77; cf. 178, ubi dicit: „Nach seinem eigenen Zeugnis (!) hat Paulus weder in Galatien noch in Korinth noch in Mazedonien ‚Presbyter eingesetzt‘.“

amore motum, praesertim cum ex rationalistarum sententia Petrus post mortem suam iam nullius momenti pro Ecclesia fuerit? Non igitur Petrum apostolosque defunctos vel eorum honorem augendum falsarii spectabant, sed episcopi sui temporis iis ante oculos versabantur, eosque eadem potestate ornatos esse, quam Christum apostolis tradentem faciunt, persuadere conantur. Cum autem consentiente tota Ecclesia ita in evangelia insereretur doctrina de episcopis successoribus apostolorum, totam Ecclesiam eorum potestatem monarchicam agnovisse patet. Iam vero — ut multum concedamus — brevi post Ioannis apostoli mortem textus, de quibus agimus, in evangelio fuisse ne rationalistae quidem negare possunt. Eo igitur tempore episcoporum regendi potestas agnita erat. Unde patet, non multum prodesse rationalistarum causae, quod textuum sibi adversorum authentiam negent. Si enim posteriore tempore illi orti essent, clarius eluceret, *successores* apostolorum iis spectari *successorumque* eorum potestatem iis describi. Iam vero ut successorum apostolorum potestatem negare possint, illos textus spurios esse declarant.

2. Democraticae indolis fuisse antiquissimas christianorum communitates rationalistae praecipue demonstrant ex illis Pauli epistulis, quas genuinas esse admittunt.

a) Primum igitur dicunt, Paulum epistulas suas inscribere semper toti communitati Romanae vel Corinthiae etc., numquam vero simul eius superioribus. Ergo veri nominis superiores ibi non affuisse, sed solummodo administros communitatis, qui nullius dignitatis vel praeeminentiae fuerint. — At hoc argumentum nihil probat, donec ostendatur, Paulum, si veri episcopi affuerunt, eos nominare *debuisse*. Epistulae illae dabantur a Paulo toti communitati, i. e. eae toti communitati, dum congregatur ad liturgiam peragendam, publice legi debebant, legique a superiore, si superior adesset. Atque superiori etiam a tabellario epistulae illae in manus traduntur, isque eas nomine communitatis accipit. Unde probabiliter cur non nominetur superior, explicari potest. Mirum enim videri poterat, si superior, dum legeret communitati literas, se ipsum nominaret et salutaret monitionesque sibi a Paulo datas publice cum communitate communicaret. In notula epistulae communi adiecta unique superiori destinata haec convenientius poni poterant. Hoc igitur aliisque modis probabiliter explicari potest, quod superior, etiam si revera affuit Romae et Corinthi, a Paulo epistulas dante non commemoretur. Ergo illud argumentum e Pauli silentio petitum nihil demonstrat [1].

Adde, quod verum non est, nullam prorsus in literis illis superiorum mentionem fieri. Nam in epistula prima ad Thessalonicenses, quae tempore antiquissima est fortasse epistularum Pauli, monentur ii, ut noverint „eos qui laborant inter vos et praesunt (*προισταμένους*) vobis in Domino et monent vos“, vultque eos magis amari „propter opus illorum“. Ubi agi de iis, qui ex munere suo praesint, patet. Rom 12, 6 sqq inter dona a Deo data eius donum commemoratur, „qui praeest (*προιστάμενος*) in sollicitudine“ (v. 8). Stephanae, Fortunato, Achaico, qui „in ministerium sanctorum ordinaverunt se ipsos“, monentur Corinthii, ut „subditi“ sint: *ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τοῖς τοιούτοις* (1 Cor 16, 15 sq). Episcopi et diaconi nominantur Phil 1, 1.

b) Autonomas fuisse communitates a Paulo fundatas praecipue ostendere student ex 1 Cor 5, 3 sqq. Dicunt scil. Paulum de incestuoso agentem, licet

[1] Cf. Dunin-Borkowski in Zeitschrift für kathol. Theol. XXVII (1903) 64 sqq.

ipse quid de eo fieri debeat optime noscat, eum tamen non per se ipsum poenae tradere, sed tantum Corinthiis proponere et suadere, ut eum ex Ecclesia eiciant. Apud Corinthiorum igitur communitatem esse potestatem puniendi, non vero apud apostolum. Sed absentem Paulum incestuosum illum damnare noluisse inauditum mirum non est, potestatem autem eum puniendi sibi esse clare enuntiat. Nam quam primum de incestuosi scelere audierit, statim apud se statuisse dicit, ut in publica congregatione huiusmodi traderet satanae. Ubi populum damnationi consentientem, se vero damnantem inducit[1].

Paucis interiectis Paulus dicit: „Quid enim mihi, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis qui intus sunt, *vos* iudicatis?" Quibus verbis cur paganos iudicare nolit, hanc rationem affert, quod neque Corinthii de aliis quam de christianis iudicia ferant. Sed illis verbis: „qui intus sunt, *vos* iudicatis" non indicari populum ipsum et per se solum, aliis iudicibus non constitutis, iudicium exercere, evidens est. Si enim supponamus, Corinthi fuisse magistratum inter christianos, qui iudicia exerceret, Paulus eodem modo loqui potuit. Iudicium enim apud Corinthios ferri indicat, modum quo feratur non indicat.

Argumentantur etiam ex eo, quod pecuniarum colligendarum curam Paulus ecclesiis ipsis reliquerit. Sed cur Paulus ita agit, facile intelligitur: solent enim pecuniae facile maculare manum eas contrectantis, praesertim si is apostolus sit vel sacerdos. Quare hoc argumentum non est ad rem.

c) Aliud argumentum ex eo sumunt, quod in epistulis Paulinis et generatim in antiquissimis documentis christianis ii, qui charismatis ornati erant, in congregationibus praedicare et docere videantur, non vero episcopi vel presbyteri. Atqui si ab apostolis presbyteri et episcopi instituti erant, iis munus docendi et praedicandi conveniebat. Ergo tales ab apostolis instituti non sunt. — At rursus argumento hoc nihil certi confici potest. Charismata quidem prisco illo tempore inter christianos fuisse et, qui iis ornati erant, praedicasse et exhortatos esse in congregationibus religiosis concedimus. Fieri etiam illo tempore potuit, ut ii saepius munere praedicatoris fungerentur quam ipsi episcopi, licet hac de re nihil certi sciamus. Sed etiam si omnino illo tempore habebantur episcopi, quibus solis ligandi solvendique et eucharistiam conficiendi potestas competebat, facile fieri potuit, ut ii tamen docendi munere rarius fungerentur, nisi et ipsi essent charismate aliquo insigniti. Ad docendum enim requiritur scientia; quae cum tunc temporis acquiri non potuit studio theologiae, quae nondum erat, communicabatur saepe extraordinario modo donis Spiritus Sancti. Adverte etiam, inter charismata illa et munus regendi Ecclesiam non esse oppositionem, sed ipsa illa regendi dona esse charismata e sententia temporum Paulinorum. Inter charismata enim Paulus enumerat 1 Cor 12, 28 gubernationes (κυβερνήσεις), et pastores Eph 4, 11 ponit cum prophetis, charismalibus donis dotatis. Quare falso concludes: Ecclesia „charismatice" tunc temporis erat organizata, ergo non erant ordinaria munera regendi.

d) Libellus ille antiquissimus, qui dicitur Didache, postquam pluribus locutus est de prophetis tunc temporis in christianorum conventibus docentibus, c. 14 monet, ut die dominico offeratur eucharistia, et deinceps c. 15 dicit[2]: „Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos, vobis enim mini-

[1] Cornely in 1 Cor 5, p. 122 sqq. [2] Funk I 34 sq.

strant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum. Ne igitur contemnatis eos, ipsi enim sunt honorati inter vos una cum prophetis et doctoribus.“ Ex quo loco patere dicunt, priore tempore fuisse in Ecclesia prophetas et doctores charismatis ornatos, postea tantum episcopos et diaconos. Hos enim Didache non supponit iam adesse, sed monet constituendos esse et participes esse debere honoris, qui prophetis ex antiquo tempore habebatur. Ergo priore tempore episcopi non erant. — Sed falso sic concluditur; nam nihil aliud vult Didache illa, quam ut episcopi et diaconi ibi constituantur, ubi nondum sunt. Ergo nihil aliud concludi debet, quam neque ubique fuisse episcopos, neque in omnibus communitatibus, ubi commode esse poterant. Esse autem debebant episcopi, ut eucharistia celebrari posset, nam post commemoratam eucharistiam dicit illa Didache: constituite *igitur* vobis episcopos. Eucharistia vero erat ab initio in Ecclesia, ergo etiam episcopi. Quod autem prophetae ab aliquibus pluris aestimabantur quam episcopi, difficultatem non habet. Nam semper extraordinaria et miraculosa magis admirationi sunt quam communia, licet haec internae dignitatis plus habere possint.

Argumenta igitur haec democraticam christianarum communitatum indolem non demonstrant. Adverte tamen, si apostolos instituisse episcopos ex toto antiquitatis testimonio certum sit, non sequi, ut statim initio suae praedicationis ubique episcopos statuere debuerint. Ne hodie quidem moris est, ut statim, postquam in paganorum regionibus missionariorum labore et praedicatione aliqua communitas christianorum congregata est, tota hierarchia ecclesiastica ibi instituatur et episcopi eo mittantur. Etiam apostoli igitur per longius vel brevius tempus gubernationem communitatum christianarum sibi retinere poterant, ita ut solummodo versus finem praedicationis suae ubique episcopos constituerent. Non enim statim aderat copia idoneorum muneri episcopali hominum, et cum Paulus Timotheum moneat, ne neophytos episcopos creet (1 Tim 3, 6), ethnicos homines non statim post eorum conversionem ad munus episcopale elevasse credendus est. Si quis igitur ex hoc capite explicare velit, cur in quibusdam epistulis Paulinis non multum inveniatur de episcopis, per nos licet.

IV. Iam postquam labilia quam maxime fundamenta illa ostendimus, quibus rationalistae systemata sua de monarchici episcopatus origine superstruunt, ut *de singulis illis systematis* multa dicamus opus non est. Sufficiat igitur paucissima quaedam indicasse, in quibus illa systemata fere conveniunt.

1. Ac primum quidem, si ex Christi voluntate auctoritas ecclesiastica ortum non ducit, patet, sola christianorum voluntate eam niti, ac motos esse christianos ad eam constituendam, quia ad cultum divinum publicum celebrandum, ad opera caritatis communiter peragenda necessarium iis esset coire in collegia, conventus vero publici sine praesidio et pecuniarum administratoribus esse non poterant. In magistratibus constituendis vero imitabantur christiani ex plurimorum rationalistarum sententia aut iudaicorum aut ethnicorum collegiorum organizationem. Atque praesertim postquam graecae antiquitatis inscriptiones lapidibus insculptae doctorum hominum opera collectae sunt et ex iis religiosa ethnicorum graecorum collegia magis innotuerunt [1],

[1] P. Foucart, Des associations religieuses chez les Grecs, Paris 1873. E. Ziebarth, Das griechische Vereinswesen, Leipzig 1896.

putabant aliqui ex cognita iam magis eorum collegiorum organizatione lucem peti posse pro origine episcopatus christiani cognoscenda.

Qua in re praecipue Edwinus Hatch Anglus nova de origine episcopatus theoria proposita per aliquod tempus multum laudis assecutus est[1]. Qui cum in aliquibus collegiis ethnicis fuisse, qui episcopi nominarentur, ex inscriptionibus didicisset, atque hunc ethnicum episcopum pecuniis administrandis praepositum fuisse putaret, statim conclusit, etiam episcopos christianos primum nihil aliud fuisse ac pecuniarum publicarum administratores, nulla regendi vel docendi facultate instructos. Praeter episcopos autem etiam presbyteri ex eius sententia ab episcopis prorsus diversi in priscis illis christianorum collegiis inveniebantur, quorum originem sic explicat: Primum fingit, integras iudaeorum communitates cum senioribus suis ad christianam religionem transiisse, quo facto eorum seniores munere suo administrandi fungi pergebant. Ethnicos autem, postquam christianam religionem suscepissent, secutos exemplum collegiorum religiosorum apud ethnicos exstantium et ipsos seniores constituisse rebus suis administrandis. Cum tempore procedente episcopos, quia pecuniae administrandae munus maximi momenti erat in collegiis caritati colendae adeo deditis, magis magisque potestate et auctoritate potitos esse, ita ut in presbyterorum collegium assumpti sint, praesesque eorum paulatim monarchica potestate ornatus sit. — Hoc systema facile vides in fictionibus niti totum, neque ullo serio argumento fulciri. Praeterea demonstrari non potest, nomen episcopi aevo subapostolico ad significandum pecuniarum administratorem restrictum fuisse[2]. Nulla saeculi primi christiani inscriptio ethnica nota est, quae nomen illud referat, estque id significatione sua quam maxime generale, ita ut omnem, qui superintendat vel inspiciat, indicet.

Atque cum per aliquod tempus rationalistae fere omnes originem episcopatus ex iudaicarum vel ethnicarum institutionum imitatione derivarent, recentissime aliqua satietas et nausea talium hypothesium cudendarum animos incessisse videtur. Aliqui enim, qui ultimis his annis de origine episcopatus scripserunt omissis systematis his eo modo procedunt, ut omnes apostolicae et subapostolicae aetatis documenta ordine temporis recenseant et ex horum unoquoque quid de nascente hierarchia maiore vel minore cum probabilitate extundi possit, subtilissima argumentatione inquirant et ante oculos ponant[3]. Sed licet hoc modo philosophandi permultae paginae doctissimis lucubrationibus impleri possint, tamen hac ratione procedere non est rem explicare, sed de explicatione desperare. Adverte enim, quid praecise in tota hac quaestione explicandum sit. Scil. omnes etiam rationalistae concedere debent, versus annum 150 omnino ubique communitates ecclesiasticas

---

[1] The Organization of the early Christian Churches, London 1881; deutsch von Harnack, Gießen 1883.

[2] „Nun ist ein besonderes Kennzeichen der griechischen Vereinsterminologie die mangelnde Bestimmtheit der Bezeichnungen. *Ἐπίσκοποι* wie *ἐπιμελέται* bedeuten ganz allgemein Aufsichts- und Verwaltungsbeamte. . . . Es steht heute fest, daß der Titel *ἐπίσκοποι*, welcher sich *vereinzelt* als Amtsbezeichnung in griechischen Vereinen findet, nicht als Beweis für eine Entlehnung des christlichen Amtes aus den heidnischen Kultvereinen angeführt werden kann.“ Ziebarth l. c. 131. Cf. Realenzyklopädie für prot. Theol. und Kirche XVI[3] (1905) 6. — Adverte etiam quam maxime morum corruptione infectas fuisse graecas illas religiosas societates (Foucart l. c. 153 sqq). Quare has sibi imitandas sumpsisse christianos, verisimile non est. — De theoria a Hatch inventa cf. etiam Wilmers 300—304.

[3] Ita v. g. R. Knopf, Das nachapostol. Zeitalter, Tübingen 1905, 147—222; A. Harnack in Realenzykl. für prot. Theol. und Kirche XX[3] (1908) 508—546.

prorsus eadem constitutione hierarchica instructas apparere, quae constet ex episcopo, presbyteris, diaconis. Ad hoc enim ostendendum Irenaei liber sufficit [1]. Ergo si initio subditi et superiores inter christianos non erant, sed plena aequalitas democratica locum habebat, haec explicanda sunt adversariis: a) cur *ubique* haec aequalitas in *eandem* formam hierarchiae evoluta sit; b) quomodo ita sine lite et controversia, plena pace et quiete, haec rerum evolutio fieri potuerit, ut nusquam de litibus huiusmodi quidquam inveniatur in documentis historicis. Praecipue autem hoc alterum rationalistae explicare nullo modo possunt. Ex eorum enim sententia, cum nasceretur religio christiana, christianorum unusquisque instructus erat potestate eucharistiam conficiendi, peccata remittendi, plena facultate docendi. Post centum vero annos adempta sunt laicis haec omnia atque solis presbyteris reservata. Iam vero qui haec gravissima mutatio sine turbis maximis fieri potuit? Praesertim cum ob res multo minoris momenti haereses ortae sint? Qui patienter tolerarint laici, facultates adeo magnificas sibi auferri? Accedit praeterea aliud, quod rationalistae numquam explicabunt, scil. c) quomodo factum sit, ut viris gravissimis, Clementi Romano, Ignatio Antiocheno, Irenaeo plene persuasum fuerit, ab apostolis iam episcopos institutos esse.

Atque ex eo, quod tot viri docti frustra laboraverint, originem episcopatus monarchici explicare, praecepto Christi eum instituentis non admisso, iterum demonstratur, a Christo ipso eum institutum esse.

Ecclesiae regimen etiam hoc sensu immutabile est, ut illud

2. numquam aut penes fidelium multitudinem aut penes principes laicos esse possit. Ac primum quidem

a) *non potest esse penes populum.* Nam ubi est ius regiminis penes populum, primum magistratus saltem supremi ab ipsa plebe ita constituuntur, ut eorum auctoritas a populi electione derivetur; deinde a sententia magistratuum in rebus gravioribus ad populi iudicium appellari potest; tum leges licet a magistratibus proponantur, a populo tamen feruntur et sanciuntur, vel saltem ratae habentur; denique magistratus apud populum accusari ab eoque aut dignitate privari aut aliis poenis mulctari possunt. Iam vero nihil horum fidelium multitudini in Ecclesia umquam competit, ergo penes ipsam non est ius regiminis ecclesiastici. Et vero nullum indicium est vel in Novo Testamento vel in antiquitate christiana, quo probetur

α) fidelium multitudinem pollere *auctoritate creandi sibi rectores atque praepositos,* quinimmo ea facultas in S. Literis et antiquissimis scriptoribus christianis solis Ecclesiae praesidibus tribuitur;

β) ab episcopis sive summis praepositis *umquam ad populum appellatum* esse, aut ligatum a populo, quod ab episcopo solutum fuerat, aut solutum, quod ipse episcopus ligaverat;

γ) leges ecclesiasticas umquam *aut a populo latas* aut *eius iudicio subiectas* et *ab eo tunc ratas habitas* esse. Singulae enim ecclesiasticae leges aut a singulis episcopis aut a pluribus in concilio collectis latae sunt, atque numquam ita exspectatum et desideratum est

[1] Episcopos ubique esse iam dicit Ignatius (supra p. 293, nota 6).

suffragium populi, ut ab eo tandem censerentur vim et auctoritatem accepisse; quare etiam nulla lex in Ecclesia ullo umquam tempore lata est, quae plebiscitum appellari possit;

δ) *ullum umquam episcopum* a populo vel a *munere suo amotum* vel *iudicatum* vel *excommunicatum* esse, quamvis eorum multi vel ab episcoporum synodis generalibus vel a maioris ordinis praepositis loco suo moti atque ab Ecclesia exclusi legantur. Unde constat, nullum umquam regiminis ecclesiastici ius penes populum fuisse.

Nec opponere licet, ius illud fuisse ab Ecclesiae rectoribus usurpatum, vel certe populare suffragium divinae institutionis ideoque absolute necessarium fuisse, vel nomine seniorum, quos apostoli in consilium adhibuisse leguntur Act 15, 2 23, et quorum mandata, ut apostolorum, Paulus fidelibus observanda praecepit (ib. v. 41), in regimine Ecclesiae populi personam gerentes intelligendos esse, ita ut ipsi eius nomine praeessent.

Quod enim de *potestate usurpata* dicitur, primum sine ulla ratione probante temere prorsus affirmatur, cum talis usurpationis in S. Scriptura et in tota antiquitate christiana nulla indicia inveniantur. Deinde usurpatio ista tam universalis et constans si locum habuit, episcopi primae aetatis aut finguntur iniuriam et iniustitiam talis usurpationis aut cognovisse aut ignorasse. Si eius iniuriae ignari ponuntur, haud excusanda iuris divini inscitia iis attribuitur; si scientes et volentes iura populi sibi arrogaverunt, dicendi sunt publici et constantes in re maximi momenti iuris divini violatores. Iam vero illius aetatis episcopi tamquam viri eximii, probi ac sancti, atque ab apostolis ipsis vel eorum discipulis christiana doctrina eruditi, nec dici possunt adeo iuris divini negligentes nec adeo doctrinae Christi inscii et ignari. Praeterea usurpatio adeo universalis et constans fieri non potuit, quin christiani reclamassent. Atqui numquam talis reclamatio populi christiani facta traditur. Denique si istiusmodi usurpatio locum habuisset, posset profecto definiri ac reapse definiendum esset tempus, quo ista tanta iuris divini violatio fieri coepisset; nominandi essent, qui primi illam regiminis potestatem tanta iniuria usurpassent. Sed nec tempus nec nomina ulla vel probabili ratione indicari possunt. Unde ista sententia de usurpata ab Ecclesiae praepositis regendi potestate prorsus temeraria et falsa censenda est.

Quod vero ad *suffragium populi* in praepositorum electione datum attinet, id quidem sat diu in plurimis certe regionibus in usu erat [1]; sed negamus, tum id ex iure divino necessarium esse, tum populum illo suo suffragio Ecclesiae ministris ullam regiminis potestatem contulisse aut conferre potuisse. Nam *primum* nec Christus de uno aut altero quidquam dixisse refertur, nec apostoli alia quam propria sibi auctoritate episcopos constituisse leguntur. *Deinde* in ipsa Ecclesia varia fuit hac in re variis temporibus consuetudo. Certe de ecclesia Alexandrina S. Hieronymus scribit [2]: „A Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos *presbyteri* semper unum

[1] Funk, Abhandlungen und Untersuchungen I, Paderborn 1897, 23—39.

[2] Ep. 146, ad Evangel. n. 1 (ML XXII 1194). Ceterum de electione episcopi alexandrini quaestio valde est implexa, de qua vide F. Cabrol, Dictionnaire d'archéologie chrét. et de liturgie I 1, Paris 1907, 1204—1210. Certum autem videtur, Alexandriae absque populo illam electionem peractam esse (cf. Epiph., Haer. 69, n. 12: MG XLII 220).

ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant." Primis ergo illius Ecclesiae temporibus populo in electione episcopi nullum suffragium concessum fuisse videtur. Item *concilium Nicaenum I* iubet [1], nulla facta populi mentione, ut a solis episcopis episcopus constituatur, et quidem numquam contra sententiam ipsius metropolitani, sive superioris episcoporum certae provinciae vel regionis. Necnon *concilium Laodicenum* circiter anno 372 celebratum praescribit [2], ut episcopi iudicio metropolitani et vicinorum episcoporum ad ecclesiasticam dignitatem provehantur, statuitque, populi turbis (τοῖς ὄχλοις) non esse concedendum, ut eligat eos, qui in sacerdotio constituendi sint. Atque ut plurium aliorum conciliorum decreta omittam, quibus ad electionem episcopi nullatenus populi, sed tantum metropolitani et episcoporum suffragium requiritur, *concilium Constantinopolitanum IV* sive *generale VIII* anno 869 coeptum populi suffragium prorsus abrogavit statuens haec [3]: „Promotiones atque consecrationes episcoporum, *concordans prioribus conciliis*, electione ac decreto episcoporum collegii fieri haec sancta et universalis synodus definit et statuit; atque iure promulgat, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchae vel metropolitae aut cuiuslibet episcopi: ne videlicet inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio, praesertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri pontificis." In ecclesiis tamen occidentis populi et generatim laicorum suffragium in electione praepositorum tantum saeculo undecimo ubique abrogatum est [4]. — Itaque Ecclesiae circa hanc rem disciplina vario tempore haec fere fuit [5]: primum apostoli, populo non consulto, ecclesiarum particularium praepositos constituebant; deinde, et ut videtur quidem iam ab apostolorum discipulis [6], coepit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita ac moribus eligendi, secundum illud apostoli 1 Tim 3, 7: „Oportet autem [episcopum eligendum] et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt"; et illud Cypriani [7]: „Sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur." Tum, ut populi episcopos suos magis diligerent, coeperunt ii soli constitui, quos populus postulasset. Tandem haud raro populus, magistratus, imperatores etiam ius suffragii, Ecclesia concedente, adepti sunt, ita tamen, ut primarii electores manerent episcopi.

Atque ex his paucis quae diximus sufficienter patet, populum et laicos cum ius suffragii in praepositorum electione haberent, nullatenus nec regiminis potestatem iis contulisse, sed tantum, quantum quidem ab ipsis pendebat, hominem designasse, cui deinde imperandi potestatem vel Deus ipse vel S. Pontifex daret; nec iure divino, sed ex Ecclesiae concessione suffragio illos usos esse; quod evidenter etiam liquet tum ex eo, quod nullibi le-

[1] Can. 6. [2] Can. 12 13 (Harduin I 783 C; Mansi II 565 D).

[3] Can. 22 (Harduin V 909 D; Mansi XVI 174 E).

[4] Hefele, Konziliengesch. I², Freiburg 1873, 759.

[5] Bellarm., De clericis c. 7. Thomassin., Veteris et novae Ecclesiae disciplina P. 2, l. 2.

[6] Clem. Rom., Ep. I ad Cor. 44 (supra p. 921). Utrum a solis apostolicis viris an etiam ab apostolis episcopi „consentiente Ecclesia" constituti sint, ex Clementis verbis omnino clarum non est. Sed probabilius ad apostolicos viros eius verba restringuntur.

[7] Ep. 67, c. 3 (Hartel 738).

gitur, populum et homines generatim omnes laicos, cum Ecclesia ipsorum suffragium haud amplius toleraret, de ista prioris concessionis abrogatione tamquam de *iure divino sibi adempto* conquestos esse, tum ex hoc facto, quod Ecclesia romano-catholica apud maronitas aliosque orientis christianos cum ipsa coniunctos illud populi suffragium in electione episcoporum adhuc nostra aetate tolerat, nec tamen quisquam dixerit, Ecclesiae istius sententiam esse, illud suffragii ius populo ex institutione ipsa divina competere.

Nec obstat, quod scribit Cyprianus[1]: „Propter quod plebs, obsequens praeceptis dominicis et Deum metuens, a peccatore praeposito separare se debet nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et *dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.*“ Non enim affirmat Cyprianus, ius suffragii popularis provenire ex divina institutione et traditione *proprie* dicta, ideoque vim legis immutabilis habente, sed ex traditione improprie accepta, in eo scil. sita, quod talis electionis habeantur exempla in Scripturis Novi Testamenti et in Actibus apostolorum. Nulla vero alia re quod dicit confirmat, quam exemplo Eleazari filii sacerdotis Aaronis et Matthiae, de quo in apostolatum Iudae subrogando Petrus ad christianam plebem retulerat. Iam vero ex Nm 20, 23 sqq clarum est, Eleazarum fuisse quidem totius synagogae conspectui repraesentatum et pontificiis Aaronis vestibus indutum a Moyse, sed tamen non ab ipso, nec a populo, sed a Deo, eius scil. iussu, Aaroni successorem datum esse, ideoque Moysen tantum divinae illius electionis interpretem, praeconem et exsecutorem fuisse, electionem vero ipsam exsecutioni mandatam esse praesente et assentiente, sed non eligente plebe. Atque id ipse Cyprianus agnoscit subdens[2]: „Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, i. e. instruit et ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur; et sit ordinatio iusta et legitima, quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata.“ Nec alia ratione Matthiae electioni populum intervenisse p. 246 iam ostendimus, idque Cyprianus pariter agnoscit addens: „Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et *fere* per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum oitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit: quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum, qui in praesentia convenerant ..., *iudicio* episcopatus ei deferretur.“ Cyprianus igitur minime ex lege divina proprie accepta, et hinc neutiquam ex iure divino, tribuendum dicit *fraternitati*, i. e. clericis et populo, ut testimonium dent de eligendi moribus, atque etiam aliquod suffragium ferant, tale nimirum, ut iudicium, quo electio vere decernebatur, penes episcopos esset[3], ideoque propositae a nobis doctrinae neutiquam repugnat.

---

[1] Ep. 67, c. 3 (Hartel 737 sq). [2] L. c. p. 738.

[3] Bene hac de re scribit Hefele (l. c. 384): „Der Ausdruck ‚suffragium‘ weist darauf hin, daß die fraternitas eine Art *Wahlrecht* hatte, während die eigent-

Quod denique ad *seniores* (πρεσβυτέρους) attinet, qui in Novo Testamento sacri regiminis participes nominantur, ii nullatenus populi personam sustinebant, ita ut eius nomine regimen participarent. Neque enim electi a populo traduntur, nec „seniores populi" dicuntur, sed simpliciter „seniores", πρεσβύτεροι. Presbyteros autem in Novo Testamento saepe appellari etiam ipsos episcopos iam vidimus (supra p. 288). Atque ipse apostolus Petrus se nominat „conseniorem", i. e. conpresbyterum, συμπρεσβύτερον (1 Petr 5, 1); etiam apostolus Ioannes nomine presbyteri se insignit 2 Io 1; 3 Io 1. Porro, ut iam diximus, apostoli non leguntur episcopos alia ratione quam sola auctoritate ipsis propria constituisse, fidelium nec consensum nec testimonium praevium rogantes; atque etiam Tito ac Timotheo Paulus nihil dixisse refertur de populo in episcoporum nominatione consultando. Unde nulla prorsus ratio est dicendi, illos seniores personam populi gessisse eiusque nomine regimen participasse. Nec tamen mirum est, ipsos ab apostolis in consilium ascitos esse et procul dubio etiam Ecclesiae administrationem participasse. Quamvis enim „absolute possent apostoli omnia per se ipsos decernere, voluerunt tamen laudabilem morem synagogae imitari, in qua qui ceteris praeerant, nihil quod gravioris momenti esset, absque synedrii consilio suscipiebant. E re etiam fuit, ut apostoli successores suos ad quandam Ecclesiae regendae palaestram exercerent, ut postquam ipsi mortali vita functi essent, aut in longinquas orbis plagas discessissent, exstarent qui Ecclesiae administrationi forent idonei. Debuerunt etiam apud vulgus fidelium honorem illis ac reverentiam conciliare."[1]

Manifestum igitur est, quam falso adversarii apostolos, dum potestatem suam acciperent, Ecclesiae personam proprio sensu sustinuisse dicant, quasi non ipsi immediate eam a Christo acceperint, sed fidelium multitudo eam primo acceperit et postea tantum libera voluntate eam apostolis contulerit.

b) *Neque penes principes et magistratus civiles Ecclesiae regimen umquam esse potest.* Sane, ut iam monstravimus, nec Christus nec apostoli leguntur aliis quam constitutis a se ipsis Ecclesiae praesidibus eiusdem regendae ius contulisse, numquam vero vel reges vel civiles magistratus Ecclesiae praesides constituerunt. Nulla etiam ratione Christus umquam indicavit, permissum aliquando fore, ut etiam reges et magistratus civiles regiminis ecclesiastici participes fierent. Et cum Paulus Eph 4, 11 eos enumerat, qui variis a Deo in Ecclesia institutis muneribus praepositi sunt, reges et magistratus civiles non modo primo loco non collocat, sed ne memorat quidem, ut indicaret, eos nullo modo Ecclesiae magistratus esse. Iam vero e sola Christi Dei voluntate Ecclesiae forma, utpote res omnino positiva et supernaturalis, tota pendet, et ita quidem pendet, ut contra eius voluntatem eam immutare nulli hominum liceat; eius autem voluntatem

---

liche *Entscheidung,* das ‚iudicium', in den Händen der Komprovinzialbischöfe war. Van Espen in seinem Kirchenrechte (P. 1, t. 13, n. 10) erklärt dies richtig so: die fraternitas, d. i. Klerus und Volk der betreffenden Gemeinde, hatten ein *Vorschlagsrecht,* den Komprovinzialbischöfen aber stand die *Entscheidung* zu, und somit der hauptsächlichste Anteil, ja es konnten Fälle vorkommen, daß sie jemanden sine praevia plebis electione weiheten (wenn das Volk schlecht war)."

[1] Cercia, De Ecclesia 168.

esse, ut Ecclesiae forma semper ea maneat, quam ipse ei indidit, evidens est tum ex eo, quod nullo verbulo talem mutationem fieri permisit, tum ex eius sapientia et potentia divina, qua velle non potuit, ut forma a se, qui ipse Deus erat, Ecclesiae perpetuae indita aut natura sua aut subditorum hominum voluntate innovaretur et corrumperetur. Ergo iure divino ecclesiastici regiminis potestas nullis principibus et magistratibus civilibus competere potest; ergo neque iure naturali vel humano iis competit, quia ista potestas minime naturalis, sed supernaturalis et positiva est. Quare „potestas haec de se non pendet ex regia potestate, neque cum illa ex vi illius coniuncta est; tunc enim reges temporales illam non habebant, neque ab iis illam receperant, qui legitime illa utebantur“ [1].

Nec reponere licet, Christi et apostolorum aetate reges et magistratus civiles nondum fuisse christianos. Nam eo ipso, quod tunc temporis ac deinceps trecentorum annorum spatio nullus ferme princeps fuit christianus, et tamen Ecclesia permansit suamque primam regiminis formam usque habuit, Christi Ecclesiam a principibus et magistratibus civilibus etiam christianis numquam esse regendam apparet. Si enim Christus voluisset, ut christianis regibus et magistratibus aliquando regendae Ecclesiae potestas competeret, id debuit aliquo saltem modo aut ipse aut per apostolos significare: id autem neutiquam fecit. — Insuper si rex vel magistratus fit christianus, ut christianus est Ecclesiae filius; filio autem non convenit, ut matri suae imperet, sed ut parentem tueatur ac defendat, non quidem ut sibi subditam, sed qua ratione filii parentes tueri debent. — Porro cum inter Christi Ecclesiam et societatem civilem essentialis sit differentia tum origine tum fine atque subsidiis ad finem attingendum aptis (cf. supra p. 232 sq), cumque Ecclesia instituta sit a Christo pro universo genere humano, ideoque multo latius sit extendenda quam ullum regnum civile, ea ex Christi voluntate nulli potestati civili obnoxia esse potest. Qua enim ratione unius regni caput primas Ecclesiae per quam plurima alia regna plane libera diffusae esse posset? Quisnam aliorum regum ac populorum ei oboedire vellet? Quomodo Ecclesia *una* societas esse posset, si a quam maxime variis variorum regnorum magistratibus et principibus regenda esset? Et cum Christus, Deus omniscius, optime noverit, quam plurimos regnorum etiam christianorum moderatores ac magistratus Ecclesiae hostes futuros esse acerbissimos, qui ipse sapientissimus umquam velle potuit, ut illi iure Ecclesiae suae rectores fierent? Quicumque ergo vere christianus et sapiens est, fateatur necesse est, Ecclesiae regimen numquam ad reges et magistratus civiles deferri posse.

Tota autem *antiquitas christiana* quid de hac re senserit, his verbis ad Anastasium imperatorem scriptis Gelasius I Pontifex Romanus enuntiat: „Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi

[1] Suarez, Defensio fidei l. 3, c. 7.

dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab iis causas tuae salutis exspectas, inque sumendis coelestibus sacramentis iisque ut competit disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem." [1]

Et revera eodem modo Patres locuti sunt, cum primum post Constantini I mortem imperatores in Ecclesiae regimen se ingerere coeperunt. Certe cum imperator Constantius (a. 356) episcoporum decreto Athanasii persecutionem defendere conaretur, Athanasius ad eum[2]: „Si namque illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperatorem? Si imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus nuncupatis episcopis? Quandonam a saeculo res huiusmodi audita est? quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est (*πότε κρίσις ἐκκλησίας παρὰ βασιλέως ἔσχε τὸ κῦρος ἢ ὅλως ἐγνώσθη τὸ κρῖμα*)? Multae antehac synodi coactae sunt: multa prodiere Ecclesiae decreta; sed numquam Patres res huiusmodi imperatori suasere, numquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit." Ad eundem Constantium Hosius, Cordubae in Hispania episcopus[3]: „Desine, quaeso te, et memento te mortalem hominem esse; time iudicii diem, teque ipse innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo. Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem." Vehementissime in eundem Constantium invehitur Lucifer, Calari Sardiniae episcopus[4]: „Proba te super nos [episcopos] factum iudicem, proba ad hoc te constitutum imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum oboedire statutis, ut si subvertere eorum decreta temptaveris . . ., morte mori iussus sis [scil. Dt 17, 12], quomodo dicere poteris iudicare te posse de episcopis?"

Ambrosius, cum iuberetur basilicam aliquam Mediolanensem arianis tradere, cur id constanter negaverit, sic exponit[5]: „Mandatur denique: trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, imperator, expedit. . . . Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo: noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. *Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae.* Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum." Alibi[6] de eadem re:

---

[1] Ep. 12, n. 2 (Thiel 350 sq).

[2] Athan., Hist. Arianorum ad mon. § 52 (MG XXV 756).

[3] Ibid. § 44 (ib. 745): *Μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά· μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παραχελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. Σοὶ βασιλείαν ὁ θεὸς ἐνεχείρισεν· ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε. Καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ θεῷ, οὕτω φοβήθητι, μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἕλκων. ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ. . . . Οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ.*

[4] De S. Athanasio l. 1, c. 7 (Luciferi Calaritani Opuscula, rec. Hartel, Vindob. 1886, 76. ML XIII 826).

[5] Ep. 20, § 19 (ML XVI 999).

[6] Serm. contra Auxentium § 35 (ML XVI 1018). Cum dominandi cupiditate resistendi animum Ambrosio inici adversarii criminarentur, hic inter alia: „Vulgo dici, quod imperatores sacerdotium magis optaverint quam imperium sacerdotes. . . .

„Tributum Caesaris est, non negatur; Ecclesia Dei est, Caesari utique non debet addici.“ Cum anno 386 iuberetur cum Auxentio ariano de rebus fidei ita coram imperatore disputare, ut imperator quis vicisset definiret, „quando audisti, inquit [1], clementissime imperator, in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis iuris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? . . . Si vel scripturarum seriem divinarum vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei . . . episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis iudicare?“ Theodosium caedis Thessalonicensium reum literis ad eum datis arguit Ambrosius, ac nisi poenitentia eluerit peccatum suum, sacrificium se eo praesente offerre non ausurum esse [2]. Narrat Theodoretus, cum Theodosius his minis spretis nihilominus ad Ecclesiam venisset, Ambrosium eum publice prohibuisse ab ingressu Ecclesiae, a quo prohibitum eum esse etiam dicit Paulinus [3]. Certe Theodosius publicam poenitentiam agere non est dedignatus [4]. S. Martinus Maximo imperatori in causa Priscilliani dixit, nefas esse, ut „causam Ecclesiae iudex saeculi iudicaret“ [5].

Gregorius Nazianzenus in oratione ad cives Nazianzenos habita subditos postquam exhortatus est, sic pergit [6]: „Quid autem vos principes et praefecti (*οἱ δυνάσται καὶ ἄρχοντες*)? . . . An me libere loquentem aequo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam praestantius ac perfectius: nisi vero aequum sit spiritum carni et coelestia terrenis cedere. Hanc dicendi libertatem in optimam partem accipies, certe scio, utpote sacra sacri mei gregis ovis, magnique pastoris alumna.“ . . .

Numquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos saepe sunt passi“ (Ep. 20, § 23: ML XVI 1001).

[1] Ep. 21, § 4 (ML XVI 1003). [2] Ep. 51, § 13 (ib. 1163).

[3] Haec tamen Theodoreti (H. E. 5, 17) et Paulini (Vita Ambrosii c. 24) narratio quibusdam non extra omnem dubitationem posita esse videtur (cf. Rauschen, Jahrbücher der christl. Kirche unter dem Kaiser Theodosius d. Gr., Freiburg 1897, 320). Utut haec se habet, certe Theodoretus et Paulinus cum inter laudes Ambrosii rem narrent, quid de episcopi potestate senserint, manifestant. De Theodosii poenitentia cf. Van Ortroy, Les vies grecques de St-Ambroise 25—27, in Ambrosiana, Milano 1897.

[4] Ambros., De obitu Theodosii 34 (ML XVI 1396).

[5] Sulpic. Sever., Hist. sacra l. 2, c. 50 (ML XX 158).

[6] Orat. 17, § 8 (MG XXXV 975). In exhortatione, qua diversas hominum classes officiorum suorum admonet, haec Gregorius ad laicos dicit: „Oves, pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si recte pascamini. Nolite iudicare iudices, nec legislatoribus leges praescribite. . . . Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus aut pes . . . est“ (Orat. 19, ad Iulianum tributorum exaequatorem n. 10: MG XXXV 1053). Similia leguntur in constitutionibus, quae apostolicae dicuntur l. 2, c. 14 (ib. I 621): „Neque etiam aequum est, o episcope, ut tu, qui caput es, assentiaris caudae, hoc est laico, homini seditioso, idque in alterius perniciem, sed Deo soli. Nam oportet te subiectos regere, non ab iis regi (*ἄρχειν γάρ σε χρὴ τῶν ὑπηκόων, οὐ μὴν καὶ ὑπ' αὐτῶν ἄρχεσθαι*), cum nec filius imperet patri secundum rationem ortus, nec servus domino . . ., nec ergo laicus episcopo.“ Excepta ultima sententia („Nam oportet . . .“) haec iam inveniuntur saec. III in Didascalia apostolorum, ex qua Constit. apost. ea exscripserunt (Die syrische Didaskalia, übersetzt und erklärt von H. Achelis und J. Flemming, Leipzig 1904, c. 6, p. 22). Alibi dicit Didascalia (c. 9, p. 50): „Iste rex, qui est corona coronatus, regnat tantum super corpus et id ligat et solvit super terram tantum; episcopus autem regnat super animam et corpus, ita ut liget et solvat in terra coesti potestate, magna enim potestas coeli, i. e. Omnipotentis, data est ei.“ Cf. Hauler, Didascaliae fragmenta Veronensia latina I, Lipsiae 1900, 19 40.

Chrysostomus vero commemorato duplici imperio, altero quod in subditos rex, altero quod in se ipsum gerit homo prudens, sic pergit[1]: „At vero hic aliud quoque imperii genus est ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod in Ecclesia viget. . . . Hoc enim imperium tanto civili excellentius est, quanto coelum terra; immo etiam multo praestantius. . . . Quocirca non modo maiorem quam provinciarum praefecti, sed etiam quam illi ipsi, qui diademate cincti sunt, honorem acceperunt, qui hoc imperium gerunt, ut qui in maioribus rebus et ob maiora commoda homines fingant. . . . Quantum inter corpus et animum discriminis est, tantum item hoc imperium ab illo distat." Oziam regem sacerdotii iura usurpantem (2 Chr 26, 16) sic alloquitur[2]: „Mane intra tuos terminos; alii sunt termini regni, alii termini sacerdotii, verum hoc illo maius est. . . . Ille quidem ea quae sunt in terris sortitus est administranda, ceterum sacerdotii ius e supernis descendit: quaecumque enim alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo (Mt 18, 18). Regi ea quae hic sunt commissa sunt, mihi coelestia, mihi cum dico, sacerdotem intelligo. . . . Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animae; rex residua pecuniarum remittit; sacerdos autem residua peccatorum; ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate [agit], hic consilio. Maior hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, et ubique in vetere Scriptura sacerdotes inungebant reges." Deinde quam maximis laudibus exornat Azariam sacerdotem, quod Oziam ab altari repellere studuerit, et inducit eum dicentem: „Non tuum est hoc [sacrificare scil.], sed meum. Num tuam usurpavi purpuram? Nec usurpes meum sacerdotium." Ubi Chrysostomum sermonem transferre ad novae legis sacerdotium evidens est.

Vel ipso byzantino tempore haec oblivioni tradita non erant. Cum in controversia de imaginum veneratione imperator ut se iudicante de ea re disputaretur postularet, id se facturos negaverunt orthodoxi. „Non enim", sic negationis rationem reddit Theodorus Studita[3], „de rebus saeculi carnisque agitur, de quibus iudicandi penes imperatorem potestas est et iudicium saeculare, sed de divinis ac coelestibus dogmatis, quae aliis commissa non sunt quam iis, quibus Deus ipse Verbum dixit: Quaecumque ligaveritis . . . (Mt 18, 18). Quinam autem hi sunt, quibus hoc iussum fuit? Apostoli et eorum successores." S. Ioannes Damascenus ait[4]: „Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiae leges sanciant (*οὐ βασιλέων ἐστὶ νομοθετεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ*). . . . Ad imperatores spectat recta reipublicae administratio: Ecclesiae regimen ad pastores et doctores. Eiusmodi invasio latrocinium est. . . . Tibi parebimus, o imperator, in his, quae ad huius saeculi negotia pertinent (*ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον πράγμασι*) . . ., verum ad res Ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur atque ecclesiastica instituta tradiderunt (*ἐν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει ἔχομεν τοὺς ποιμένας, τοὺς λαλήσαντας ἡμῖν τὸν λόγον, καὶ τυπώσαντας τὴν ἐκκλησιαστικὴν θεσμοθεσίαν*)."

Sed non tantum sancti Patres, verum etiam imperatores vere christiani eandem doctrinam agnoverunt ac professi sunt.

Ut enim Eusebius refert[5], Constantinus M. († 337) ad episcopos dixit: „Vos quidem in iis, quae intra Ecclesiam sunt, episcopi estis. Ego vero in iis, quae extra geruntur, episcopus a Deo sum constitutus." Insuper, ut Rufinus scribit[6], Constantinus aperte professus est, se de episcopis iudicare non posse, sed potius ab

---

[1] In ep. ad 2 Cor. hom. 15, n. 4 5 (MG XLI 508 sqq).

[2] Hom. 4 in illud: Vidi Dominum § 4 5 (MG LVI 126 sq).

[3] Ep. 2, 129 (MG XCIX 1417). Cf. Aemilium Cyzicenum in Vita S. Nicetae (Acta Sanct. April. I 262).

[4] Orat. 2 de imag. n. 12 (MG XCIV 1295 sqq).

[5] De vita Constant. l. 4, c. 24 (MG XX 1171): *Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην.*

[6] Hist. l. 1, c. 2 (ML XXI 468).

iisdem esse iudicandum. Cum autem donatistae a concilii Arelatensis (314) sententia ad imperatorem provocassent, indignabundus Constantinus haec ad catholicos episcopos scripsit[1]: „Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi exspecto! Dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia ut vere dixi diaboli? Perquirunt saecularia, relinquentes coelestia." Valentinianus I (364 ad 375)[2] episcopis facultatem concilii de fidei doctrina celebrandi petentibus respondit: „Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est, huiusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero, quibus id curae est, seorsum, ubicumque voluerint, conveniant." Valentinianus II (375—392) res ecclesiasticas examine ac iudicio suo praestantiores existimabat, neque etiam quidquam sacerdotibus imperabat[3]. Necnon imperatores Theodosius II (408—450) et Valentinianus III (425—455) ad concilium Ephesinum 1 in „sacra" (i. e. imperatoria epistula) scripserunt[4]: „Igitur Candidianum, praeclarissimum sacrorum domesticorum comitem, ad sacram vestram synodum abire iussimus, sed ea lege et conditione, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas est enim, qui sanctissimorum episcoporum catalogo ascriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere (*καὶ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσι κοινωνῆσαι· ἀθέμιτον γὰρ, τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι*)." Imperator autem Basilius (867—886) in concilio oecumenico VIII haec dixit[5]: „De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiae et universali synodo adversari. Hoc enim investigare et quaerere patriarcharum, pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent; qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento solvi egemus." Atque multorum aliorum imperatorum ac regum christianorum similia dicta consonamque agendi rationem exhibet Ecclesiae historia.

Quodsi igitur post prima quinque Ecclesiae saecula nonnulli principes nominationi episcoporum sese immiscuerunt, id fecerunt minime, iure divino, sed vel usurpatione vel legitima Ecclesiae concessione, si scil. propter egregia principum in religionem christianam merita, vel pactionibus, quae vulgo Concordata dicuntur, Ecclesia id fieri concesserat, aut denique propter munerum civilium cum ecclesiasticis connexionem. Praeterea principes si nominant episcopos, ipsi potestatem regiminis ecclesiastici non conferunt iis, quos ad praepositi munus elegerunt, sed ab ipsis nominati omnem sacram potestatem ac missionem ab ipsa Ecclesia accipiunt, ac maxime ab eius capite, Petri in primatu successore.

Indubitatum igitur est, Ecclesiae regimen numquam penes principes et magistratus civiles licite esse posse, verum esse penes solos epi-

---

[1] ML VIII 488. Cf. Optat., De schism. 1, 23 (ib. XI 930).

[2] Sozom., H. E. l. 6, c. 7 (MG LXVII 1312): *Ἐμοὶ μὴν, ἔφη, μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν· οἱ δὲ ἱερεῖς, οἷς τούτου μέλει, καθ' ἑαυτοὺς, ὅπη βούλονται, συνίτωσαν.*

[3] Ibid. l. 6, c. 21. [4] Harduin I 1346 C; Mansi IV 1119 A.

[5] Harduin V 920 E; Mansi XVI 188 A.

scopos, eosque cum Petri in primatu successore coniunctos et ei subiectos; qui enim Petri successori non adhaererent, non essent ratione muneris iidem cum apostolis, qui cum Petro ut primate coniuncti erant; neque pertinerent ad illud apostolorum collegium, cui Christus sacram missionem contulit.

Vix autem opus est annotare, episcopos apostolis non succedere, quatenus isti singuli missione universali sive ad omnes gentes pollebant. Non solum enim tota Ecclesiae historia contrarium testatur, sed iam illi episcopi, quos Paulus constituit, particularibus ecclesiis singuli singulis praepositi sunt. Et vero hoc apostolos inter eorumque successores discrimen postulat ipsa Ecclesiae natura. Initio enim Ecclesia, quam fieri potuit, celerrime erat propaganda, ideoque universali apostolorum missione indigebat; postea vero, cum iam late propagata esset, opus habebat, ubicumque erat, conservari atque magis magisque confirmari; huic autem conservationi et confirmationi melius consultum est ab episcopis, qui certis particularibus ecclesiis praesunt, quam ab iis, qui quocumque vellent, munere suo irent functuri.

C. PROBATUR ECCLESIAE IMMUTABILITAS RESPECTU INFALLIBILITATIS, SCIL. EA IMMUTABILITAS, QUA ACTIVA INFALLIBILITAS PERPETUO PENES APOSTOLORUM IN SACRO REGIMINE SUCCESSORES ESSE DEBEAT. Cuius asserti utraque pars separatim tractanda est. Itaque

1. monstratur Ecclesiae immutabilitas respectu perpetuitatis suae infallibilitatis

a) *ex Mt 28, 20:* „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi." Ut enim de infallibilitate apostolorum agentes monstravimus, Christus illis verbis apostolis infallibilitatem activam revera contulit; ergo cum ultima illa verba: *ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος* significent, id quod pariter iam ostendimus vol. I, pag. 922, non aevi apostolici, sed totius mundi finem, manifestum est, infallibilitatis activae donum non solum apostolis, sed in omne tempus futurum Ecclesiae collatum, sive magisterium infallibile a Christo usque ad finem mundi in Ecclesia perenne institutum esse. Ergo Ecclesia respectu perpetuitatis suae infallibilitatis activae immutabilis est.

b) *Ex Mt 16, 18: καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*, „et portae inferi non praevalebunt adversus eam". Promisit enim istis verbis Christus fore, ut Ecclesia sua numquam malorum daemonum potestate vincatur; vinceretur autem, si in rebus fidei ac morum umquam erroribus obnoxia fieret; ergo Christus hic Ecclesiae perpetuam infallibilitatem promisit.

PROBATUR PROPOSITIO SYLLOGISMI MAIOR. Ac primum quidem

a) agitur hic de *vera Ecclesiae impugnatione.* Nam verbum *κατισχύειν* non solum quando cum accusativo, sed etiam quando cum genitivo, ut hoc loco, copulatur, significat superare, vincere aliquem,

praevalere adversus aliquem. Ita certe redditur a Septuaginta Ier 15, 18: „Ἵνα τί οἱ λυποῦντές με κατισχύουσί μου; Ut quid qui contristant me, praevalent adversum me?“ Atque etiam Aelianus eodem sensu verbum istud cum genitivo iungit scribens[1]: *καὶ κατισχύει αὐτοῦ σοφίᾳ φυσικῇ τὸ ἐνδέον ἀνακούμενος ὁ λύκος*. Eadem significatione adhibetur Act 19, 16 *ἰσχύειν κατά τινος*; in libro autem Sap 7, 30 *ἀντισχύειν τινός*, et ib. 19, 19 *ἰσχύειν τινός*. Quare in hac re etiam lexicographos graecos habemus consentientes[2]. Denique graeci Patres et S. Scripturae interpretes *κατισχύειν* unanimi consensu ita intelligunt, ut idem sit ac praevalere adversus aliquem. Quare nullum dubium esse potest, quin Christus isto verbo Ecclesiae impugnationem ab hostili potestate futuram significare et praedicere voluerit.

Quod enim aliqui textum ita interpretantur, ut sensus sit, ne orci quidem portas Ecclesiam *firmitate* superaturas, sed in secundo Christi adventu frangendas esse, ut mortuorum animae inde procedant, admitti nullatenus potest. Ut enim Schegg recte ait[3], nullibi in S. Scriptura orcus ut imago aeternitatis et durationis perennis exhibetur, sed ad eam designandam hebraei utuntur nominibus coeli, montium, fundamentorum terrae, numquam vero nomine שְׁאוֹל. Insuper si Christus istud significare voluisset, debuisset convenienter ad id, quod de fundamento Ecclesiae modo dixerat, etiam dicere: fundamenta orci Ecclesiam meam duratione non superabunt. Neque admitti potest explicatio Maldonati, qui postquam dixit, οὐ *κατισχύσουσιν* ex communi sententia significare: *non vincent, non superabunt*, hancque sententiam esse veram, parvam tamen et locum ac verba Christi non implentem, addit, *κατισχύειν* hoc loco *etiam* idem denotare ac verbum resistere, ita ut significetur, Ecclesiam super petram a Christo fundatam omnem diaboli potentiam expugnaturam esse, adeo ut nulla arce, nullis viribus ille possit resistere. Hunc enim sensum verbum *κατισχύειν* numquam habet, praeterea metaphora de Ecclesia ut aedificio ista explicatione prorsus destruitur, atque sine ulla ratione Ecclesia tamquam impugnantis imago substituitur. Quod enim Maldonatus ait, non solere portas vincere, sed resistere, nihil contra valet, cum exinde solum consequatur, id quod etiam omnes fere admittunt, portas hic non proprio, sed translato sensu de potestate accipiendas esse. Scil. „portae non per se“ faciunt impetum, „sed id quod portis significatur“[4].

b) Videtur autem *nomine portarum inferi potestas tartari ac maxime malorum daemonum* intelligenda esse. Plurimi quidem protestantes atque etiam nonnulli recentiores catholici[5] existimarunt, verbis *πύλαι*

---

[1] De nat. animal. l. 5, c. 19.

[2] Cf. v. g. Passow, Lexicon graecum[5], s. v., qui hunc sensum verbi *κατισχύειν τινός* probat etiam loco Mt 16, 18 allato. Porro C. B. Hase ac G. et L. Dindorf eadem ratione hunc Matthaei locum explicandum esse dicunt, aliaque nonnulla exempla ex graecis scriptoribus proferunt, ut demonstrent, *κατισχύειν* etiam cum genitivo constructum significare praevalere, superare Cf. Thesaurum graec. ling. B. Stephani IV[3], Paris. 1841, 1352.

[3] Evangelium nach Matthäus II 556. [4] Knabenbauer in h. l. II 65.

[5] Schanz in h. l. 378: „Hölle bedeutet zunächst nicht den Teufel, sondern die durch Tod und Grab angezeigte Vergänglichkeit, der alles Irdische unterworfen ist.“

ᾅδου, directe saltem, nihil aliud nisi vim et imperium *mortis* exprimi. Quod si admittitur, duplex fieri potest verborum Christi interpretatio. Ex aliorum enim sententia hoc loco Christus numquam fore promisit, ut mors in fideles suos perpetuo dominaretur eosque ita potestate ac iure suo constringeret, ut ne post completa quidem mundi tempora ad novam vitam resurgerent. Alii vero hic enuntiari putant, numquam fore, ut Ecclesia in terris tota pereat ac penitus exstinguatur.

At prior interpretatio nequit admitti. Nam Christus agit hic de Ecclesia sua ut in terris versante, quod evidenter patet et ex ipso hoc v. 18 et ex sequente 19. Ut enim ostendimus, hisce duobus versibus Christus promisit Petro iurisdictionis primatum in Ecclesiam suam; eum autem promisit respectu Ecclesiae in his terris versantis, cum in altera vita illo iurisdictionis primatu haud amplius opus sit et solus Christus tamquam Ecclesiae triumphantis caput imperium teneat. Ideo etiam Christus v. 19 dixit, quodcumque Petrus ligaverit ac solverit *super terram,* ligatum et solutum esse etiam in coelis. Praeterea Christus illis verbis: „portae inferi non praevalebunt adversus eam“ explicat naturam et indolem firmitatis, quam Ecclesia maxime a petra, super quam aedificata est, accipit; illa autem petra sive primatus Petri nullatenus probari potest esse causa et ratio futurae aliquando fidelium a mortuis resurrectionis. Quare haec sententia omnino reicienda est.

Sed etiam *altera* explicatio, qua de Ecclesia numquam in terris peritura Christum loqui volunt, eatenus admitti nequit, quatenus hoc *solum* hoc loco enuntiari affirmat. Concedimus quidem, Ecclesiae numquam perituram vitam et exsistentiam istis verbis *etiam,* saltem ut conditionem praeviam, includi ac poni; si enim Ecclesia umquam in his terris omnium Christi fidelium aut morte aut defectione penitus exstingueretur, adversa potestas, de qua hic Christus loquitur, utique eam prorsus vinceret atque superaret. Hinc S. Leo I dicit[1], Ecclesiam „portis inferi et mortis legibus“ praevalere, et[2] christianae fidei fortitudinem portas mortis, utpote super inexpugnabilem petram aedificatam, non metuere. Sed istum sensum solum et omnem istorum verborum esse negandum videtur. Ἅιδης quidem, uti שְׁאוֹל, quam vocem a Christo aramaice locuto hoc loco usurpatam fuisse recte existimatur, significat regionem invisibilem, subterraneam, qua habitant mortuorum animae; sed *mortuorum duplex genus* distinguendum est, iustorum et improborum. Quorum illos, utpote amicos Dei, dicit Christus Mt 25, 46, ituros esse in vitam aeternam, i. e. aeternae beatitudinis apud Deum participes futuros; improbos autem dicit obnoxios futuros esse suppliciis aeternis iisdem, quibus diabolus et angeli eius subiecti sint (v. 41); qui diabolus 2 Petr 2, 4 detrusus perhibetur in tartarum, locum illum subterraneum et tenebricosum, in quo veteres Graeci impios

[1] Serm. 51, c. 1 (ML LIV 309). [2] Serm. 62, c. 2 (ib. 351).

post mortem scelerum poenas pati credebant. Eundem Christus saepius gehennam appellavit in eumque impios defunctos detrudi affirmavit (Mt 5, 22; 10, 28; 18, 8 9 et alibi). Mali porro dicuntur a Christo habere patrem *diabolum* (Io 8, 44) et a Ioanne (1 ep. 3, 8) dicitur omnis, qui peccatum committit, ex diabolo esse; ipse quoque diabolus perhibetur adeo mendax, ut sit pater mendacii, et veritas non sit in eo (Io 8, 44); insuper ut hominum insidiator, seductor et adversarius (Eph 6, 11. 1 Petr 5, 8. Apc 20, 9 et alibi) et generatim ut Christi Dei inimicus et auctor mali moralis ac princeps mundi, i. e. hominum malis cupiditatibus indulgentium (1 Io 3, 8. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11). Unde necesse est, Christum eum etiam ut maximum Ecclesiae suae adversarium et ut principem improborum in tartaro quoque suppliciis addictorum habuisse.

Tametsi porro ᾅδης *plerumque* regionem invisibilem mortuorum denotat, adhibetur tamen in Novo Testamento *interdum* etiam ad denotandum ipsum tartarum. Nam 1. Mt 11, 23 dicit Christus de oppido Capharnaum: ἕως ᾅδου καταβήσῃ, quibus verbis ipse non, ut nonnulli protestantes voluere, primario saltem ac proxime, de istius oppidi excidio loquitur, sed de eius civium, haud omnium quidem, sed plurimorum tamen ac praecipuorum, quales increduli scribae et pharisaei erant, ad tartari supplicia damnatione, ut ex oratione contexta manifestum est. Primum enim v. 20 Christus „coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes (δυνάμεις, miracula) eius, quia non egissent poenitentiam", fidem scil. ipsi eiusque doctrinae habendo vitamque secundum eam instituendo: quae sane, proxime saltem ac praecipue, non ad temporalem oppidi prosperitatem, sed ad aeternam civium salutem referuntur. Haec igitur ratio adversariorum opinioni plane repugnat. Deinde v. 22 dicit Christus: „Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis", scil. remissius erit illis in communi illo generis humani iudicio in altera vita futuro. Hoc enim ubique significat in Novo Testamento locutio ἡ ἡμέρα κρίσεως, ut patet ex Mt 12, 36; 2 Petr 2, 9; 3, 7; 1 Io 4, 17; Iud v. 6. Denique id liquet ex v. 24, ubi Christus ait: „Quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi." Loquitur enim hic manifeste non de terrae Sodomorum eversione futura, utpote quae tunc temporis iamdudum locum habuerat, sed de futura hominum sorte, qui illam regionem olim incoluerant, comparata cum sorte incolarum oppidi Capharnaum futura in die extremi iudicii, dicitque horum sortem duriorem quam illorum futuram esse. Iam vero Sodomitas illos propter horrendam luxuriam Deo exosos ideoque gravissima ruina iam in his terris divinitus punitos nemo profecto iustos dixerit; ergo cum Christus incolas Capharnaum, eo quod ipsi suisque doctrinis et manifestis miraculis fidem derogaverant, multo magis reprobos multoque graviore supplicio in die extremi iudicii puniendos declaraverit, necesse est illis verbis: ἕως ᾅδου καταβήσῃ ipsa eorum ad tartari poenas damnatio intelligatur. Itaque

hoc loco ᾅδης directe ac proxime tartarum sive locum aeternae damnationis significat. — Atque 2. eodem omnino sensu nomen ᾅδου etiam Lc 16 in historia divitis adhibetur, sive v. 22 cum Vulgata latina legitur ita: „Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno (ᾅδῃ), sive cum textu graeco recepto: ἀπέθανεν δὲ καὶ ὁ πλούσιος καὶ ἐτάφη. V. 23 vero: καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς κτλ. Quidquid enim est de hac lectionis varietate, certum manet, nomen ᾅδου hoc loco significare tartarum, sedem reproborum, non vero paradisum sive locum iustorum. Nam ille dives mortuus perhibetur esse et in tormentis et a loco, quo Abraham cum mendico erat, in paradiso scil. sive loco piorum, ita separatus, ut nec e loco Abrahae in locum divitis, nec ex hoc in illum quisquam transmeare possit; quare dives vehementer desiderat, ut fratres sui superstites moneantur, ne et ipsi in suum „tormentorum locum (τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου)“ veniant. Quia igitur iudaei inter piorum sedem, paradisum, et locum reproborum, gehennam, omnino distinguebant, dicendum est, hoc loco nomine ᾅδου gehennam sive tartarum significari, cum inter locum Abrahae et illius divitis absoluta separatio, immo oppositio perhibeatur, nemo igitur nisi ridicule possit illum divitem perhibere ut exsistentem in loco quietis, in quo Abraham esse affirmatur. Ita hunc locum interpretatus est iam Tertullianus[1], et alius vetus auctor[2], tecte eundem significans ᾅδην simpliciter de loco tormentorum sive de tartaro usurpavit. Itaque non repugnat, quominus ᾅδης *possit* etiam Mt 16, 18 tartarum significare, sedem reproborum eorumque principis diaboli, et locutio *αἱ πύλαι ᾅδου possit* denotare regnum potestatemque diaboli.

Revera autem hanc explicationem sequendam esse sic probatur. Primum Ecclesiae suae exsistentiam perpetuam Christus aliis locis, uti Mt 28, 19 20, clare docuit; deinde cum Christus modo quam maxime sollemni promiserit futurum, ut portae inferi numquam Ecclesiam superarent, cum ut omniscius optime noverit, undenam Ecclesiae suae maxima pericula imminerent, cum ut infinite sapiens ac sanctus neutiquam qualemcumque, sed perfectam Ecclesiae suae exsistentiam perpetuam velle potuit, eam nimirum, qua permaneret ea integrum illud opus, quale ab ipso institutum est: ob has rationes minime probabile est, eum voluisse hic tantum commemorare minimum omnino et omnibus aliis etiam hominum societatibus commune periculum, scil. necessitatem aliquando desinendi ac pereundi. Ipse sane eiusque apostoli diabolum sociosque toties alibi maximum et unicum fere christianae religionis adversarium et impedimentum esse declararunt, et Christus in ultima coena discipulos solius periculi a satana sive diabolo ipsis imminentis commonefaciendos esse existimavit. Quare dubium prudens nullum esse posse videtur, quin locutione „portae

[1] Adv. Marcion. l. 4, c. 34 (ML II 444).
[2] Ps.-Iust., Ad graec. cohort. n. 35 (MG VI 304).

inferi" tartari eiusque principis diaboli sociorumque potestas intelligenda sit, et hac quidem commodissima ratione, qua secundum antiquum iam orientalium loquendi usum nomine portarum ipsa principis aula atque etiam imperii summa potestas appellatur. Ita Est 3, 2 et Dn 2, 49 fores palatii ac fores regis ipsam regiam (scil. domum) designant, et adhuc dicitur porta osmanica ad summam imperii osmanici potestatem significandam[1]. Et eo minus quidem dubium hac de re esse potest, quod ab Hebraeis nomina שְׁאוֹל, חֹשֶׁךְ, צַלְמָוֶת (ᾅδης, σκότος, σκιὰ θανάτου) saepe saltem ad idem significandum adhibita sunt, ideoque satis constat, etiam *αἱ πύλαι ᾅδου* (Mt 16, 18) per se saltem idem, quod *ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους* (Lc 22, 53) et *οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους* (Eph 6, 12) significare, diaboli scil. potestatem ac regnum. Quae sententia eo quam plurimum confirmatur, quod sancti Patres antiquioresque S. Scripturae interpretes communi ferme consensu hoc loco „portas inferi" de diaboli eiusque sociorum potestate interpretati sunt[2].

Praecipue tamen portas inferi aggressuras esse Ecclesiam *falsis ac haereticis doctrinis* contra ipsam excogitatis, patet ex diaboli ipsius ut mendacii patris natura; patet ex eius in Christum adversarium suum odio, cui nocere cupit, opus eius, Ecclesiam, affligendo atque interimere conando, patet denique ex hoc, quod a vera fide tota Ecclesiae sanctitas et vita ac veritas pendet, adeo, ut si haec destrueretur, tota Ecclesia periret, dum aliis persecutionibus Ecclesiae extensio utique minui, sed numquam veritas deleri potest.

Atque ita etiam tota antiquitas nostrum locum interpretata est.

Origenes certe nomine illarum portarum intelligit[3] quidem proxime omne peccatum, quod aeternae damnationis causa esse possit, speciatim tamen falsas haereticorum doctrinas, quales fuisse dicit Marcionis, Basilidis et Valentini. Item Epiphanius dicit[4]: πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι.

---

[1] Eadem metaphora apud alios populos in usu fuisse videtur. Dicit v. g. de libello sinensi Schott in Abhandlungen der Kgl. Akad. der Wissensch. zu Berlin aus dem Jahre 1878, Philos.-hist. Kl., Berlin 1879, 170: „Für Kaiser oder König ist hier öfter der Ausdruck mi-kado gebraucht, welcher buchstäblich ‚erhabene Pforte' bedeutet, wie nach ägyptischen Denkmälern und Horapollon der Titel Pharao ‚großes Haus', *οἶκος μέγας*. Bei den Osmanen hat bekanntlich der Hof des Sultans, aber nicht der Sultan selbst den Titel ‚erhabene Pforte'."

[2] Huic explicationi praeter alios nonnullos protestantes suffragatur ipse Zwinglius scribens: „Per inferos omnem vim contrariam et satanicam, omnem hostis impetum intellige" (In Mt 16, 18: Opera VI 1, ed. Schuler et Schulthess, Turici 1836, 322). Ex iis, quae hactenus diximus, evidens est, quam perperam Faust. Socinus (In Mt 16, 18: Bibl. Fratr. Polon. I 336) de catholicis dixerit: „Credunt ipsi, unaque cum illis plerique alii, inferni nomen, in Christi verbis, significare diabolum seu diabolos; sed insigniter falluntur. Nusquam enim infernus diabolum seu diabolos in sacris Literis significat, sed ubique (nisi ego vehementer fallor) statum et conditionem mortuorum."

[3] Tom. 12 in Matth. n. 12 (MG XIII 1008).

[4] Ancor. c. 9 (MG XLIII 33).

Et Isidorus Pelusiota ait [1]: „Per inferi portas divinus sermo impiorum hominum coetus atque haeresum blasphemias intelligit; quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest." In eandem sententiam accipit eas voces etiam Maximus [2]. Necnon Theodoretus Stud. scribit [3]: „Adversus quam [fidem] non praevaluere hactenus, nec praevalebunt usque ad consummationem portae inferi, ora scil. haereticorum (τὰ τῶν αἱρετικῶν δηλαδὴ στόματα)." Theophylactus autem in hunc locum postquam dixit, portas inferi persecutores intelligendos esse, scribit [4]: „Et haeretici quoque portae sunt ad infernum ducentes." Etiam Euthymius in h. l. dicit [5], portas inferorum esse „blasphemias, quae a gentibus ac haereticis proferuntur (τὰς παρὰ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν αἱρετικῶν βλασφημίας)". Eadem ratione interpretatur inferorum portas Bessarion, eas vocans [6] haereticorum novitates (τὰς τῶν αἱρετικῶν δηλαδὴ κενοφωνίας). Imperator quoque Constantinus Pogonatus ad Leonem II scribens dicit [7]: „Praedixit [Deus], numquam fore, ut portae inferi, h. e. haereticorum insidiae, adversus eam [petram] praevalerent." — Atque ut ex latinis quoque unum alterumve addamus, Ambrosius scribit [8]: „Cum Ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus saepe tundatur, *adversus omnes haereses* debet valere *Ecclesiae fundamentum*." Leo M. ait [9]: „Haec [fides] erutos mundo inserit coelo, et *portae inferi* adversus eam praevalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque *haeretica* umquam corrumpere *pravitas* nec *pagana* potuerit superare *perfidia*." Item Gregorius M. dicit [10]: „Portae inferi *haereses* sunt. . . . Sunt etiam portae inferi quaedam potestates huius mundi." Nicolaus I vero in epistula ad imperatorem Michaelem III lecta in concilio VIII (Act. IV) inferorum portas „malignorum spirituum suggestiones atque *haereticorum impetus*" vocat [11]. Gregorius VII quoque ad reges Castellae et Aragoniae scribens ait [12]: „Cui portae inferni, i. e. *linguae haereticorum*, numquam praevalere potuerunt."

PROBATUR IAM PROPOSITIO MINOR: *vinceretur Ecclesia, si in rebus fidei et morum erroribus umquam obnoxia fieret.* — Nam Christus hoc divinum insigne, ut numquam a diabolicae civitatis potestate vinceretur, promisit Ecclesiae, eique Ecclesiae, quam ipse instituit, illaque ratione se habentem sicuti eam instituit. Instituit autem eam ut infallibilem doctrinae suae magistram, i. e. instructam infallibili apostolorum magisterio, ideoque ita infallibilem, ut non solum ceu Ecclesia *docens* in nullum errorem in rebus fidei ac morum incideret,

---

[1] Ep. l. 1, ep. 238 (MG LXXVIII 329): *Πύλας ᾅδου ὁ θεῖος λόγος ἐκάλεσε τὰς τῶν ἀθέων τιμωρίας καὶ τὰς τῶν αἱρέσεων βλασφημίας, αἵτινες πάσαις ἀνθεστῶσα ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία τὰς μὲν καταγωνίζεται, ὑπὸ δὲ τῶν οὐ κατακυριεύεται.*

[2] Ep. Romae scripta (MG XCI 140).

[3] Epp. l. 2, ep. 63 (Naucratio) (MG XCIX 1281).

[4] In Mt 16, 18 (MG CXXIII 320). [5] In Mt 16, 18 (MG CXXIX 468).

[6] Ep. gener. (MG CLXI 458). [7] Harduin III 1462 E; Mansi XI 718 A.

[8] De incarn. Dom. sacram. c. 5, n. 34 (ML XVI 827).

[9] Serm. 3, c. 3 (ML LIV 146).

[10] Comment. in Ps. poenit., Ps. 5, 26 (ML LXXIX 626).

[11] Harduin V 802 D; Mansi XVI 59 B.

[12] Registri l. 1, ep. 64 (ML CXLVIII 340).

sed etiam ut tamquam Ecclesia *discens* et *audiens* Christi doctrinam infallibiliter puram ac veram teneret (cf. supra p. 276). Iam vero quamprimum Ecclesia illa Christi post apostolorum mortem umquam in rebus fidei ac morum haud amplius Christi doctrinam, sed aliam falsam ac spuriam traderet ideoque etiam crederet, sollemne illud Christi promissum de Ecclesia sua numquam ab ulla, etiam diabolica potestate superanda vanum et effectu suo vacuum redderetur, ac tristissimo quidem modo. Christus enim infallibile magisterium instituit ut partem ipsius formae externae Ecclesiae suae, fidem vero puram et infallibiliter veram ut eiusdem formae internae eam partem, quae maximi est momenti (cf. p. 3). Ergo si Christi Ecclesia umquam in rebus fidei et morum erroribus obnoxia fieret, formae ei divinitus datae et essentialis tum internae tum externae parte longe gravissima privaretur, ideoque a diaboli, patris mendacii, potestate vere atque ita prorsus vinceretur, ut primario suo officio haud amplius respondere ideoque Christi Ecclesia esse amplius non posset. Repugnat enim, quominus Iesus Christus, Deus infinite verax omnisque falsitatis osor, agnoscat ut suam Ecclesiam adeo sibi dilectam coetum christianorum, qui a doctrina sua aut omnino aut certe plus minusve recedens aliamque falsam et contrariam admittens, primario ipsius in ea condenda voluntati ac consilio adeo non responderet, ut ei etiam quam plurimum obesset et a proposito sibi fine plane deficeret.

Nec opponere licet, hominem, eo quod morbo laboret, non cessare esse hominem, ergo neque Ecclesiam, eo quod errores doceat, cessare esse veram. Haec enim illatio minime fieri potest. Sanitas enim non pertinet ad ipsam hominis essentiam, doctrinae autem ac fidei veritas Ecclesiae Christi omnino necessaria est cum propter rationem modo allatam, tum maxime ideo, quod Ecclesia errans non est illa Ecclesia Christi, contra quam portae inferi praevalere non possint, quemadmodum homo *morbo laborans* non esset homo ille, *quem ex promissione Dei ipsi data nullus umquam morbus afficere posset.* Si enim eiusmodi promissum Deus cuipiam daret, huic homini perpetua sanitas pariter omnino necessaria foret, ut esset *iste*, et non alius homo.

CONSEQUENS vero argumenti ex iis quae probavimus manifesto certum est. Repugnat enim, quominus divinum Christi promissum umquam vanum et falsum reddatur. Christus enim, utpote Deus infinite sapiens, verax ac potens nihil potest absolute promittere, quod vel nesciat, vel nolit, vel nequeat omnino perfecte praestare, praesertim si eius, quod promisit, exsolutio tota ab ipso solo pendeat. Iam vero si ipsius Ecclesia in rebus fidei ac morum infallibilis non esset, Christi promissum vanum ac falsum evaderet necesse esset. Non enim intelligitur, qui fieri possit, ut Ecclesia infallibilitatis dono non insignita in perpetuum usque modo mere humano Christi doctrinam puram atque integram doceat et explanet et conservet, ita ut, quamvis instar cuiusvis alterius religiosae, sed mere humanae societatis errandi periculo subiecta atque insuper a tartareis potestatibus et vanorum

hominum falsis doctrinis impetita esset, numquam tamen in ullum errorem ullamve falsitatem incideret atque hac ratione prorsus vinceretur et Christi Ecclesia, templum Dei, sponsa et corpus Christi esse cessaret. Concludendum igitur est, Christum portas inferorum adversus Ecclesiam non praevalituras esse promittendo, infallibilitatis donum ei in omne tempus contulisse et perpetuo conservare; idque eo magis, quod huius doni largitio et ab ipso solo pendet et ipsi, utpote Deo omniscio et omnipotenti, facillima est.

At obicitur, ex tali argumentatione sequi, Ecclesiam debere pariter neque a peccato vinci posse, quia, si adversus eam praevaleret peccatum, praevalerent etiam portae inferi. Qua in re concedimus, Ecclesiam universalem debere esse eatenus immunem a peccato, quatenus haec immunitas ad assequendum ipsius finem a Christo ei propositum prorsus necessaria est, minime vero, quatenus ea non requiritur. *Necessaria* porro est Ecclesiae immunitas a peccato, quatenus numquam possit tradere doctrinas non sanctas et bonis moribus non convenientes, quatenus numquam propositum sibi finem ratione et subsidiis per se non plane honestis ac licitis prosequi possit; quatenus denique universa Ecclesia numquam peccatis ita contaminari potest, ut nulli amplius homines sanctis moribus ac virtutibus excellentes in ea sint. Sed ad finem Ecclesiae sufficienter obtinendum *neutiquam requiritur*, ut singula etiam eius membra nullis peccatis obnoxia sint. Christus enim praedixit, in Ecclesia sua peccatores futuros esse, ideoque eam cum agro comparavit, in quo cum tritico etiam herbae malae sive zizania crescerent (Mt 13, 24—30), et scandala futura praedixit (ib. 18, 7). Eadem ratione quamvis Ecclesia ipsa universalis ac docens infallibilis sit, singuli tamen, tametsi non simul omnes, Ecclesiae fideles in rebus doctrinae christianae errare possunt, cum Ecclesiae membris libertas non adimatur, qua sicut a bono, ita etiam a vero deficere possint, et reapse saepe deficiant; ideoque S. Paulus praedixit 1 Cor 11, 19, oportere etiam haereses, propter malas scil. hominum cupiditates, futuras esse. Itaque ex singulorum christianorum peccatis et erroribus respectu fidei minime effici potest, Ecclesiam ipsam ut institutum a diabolo vinci, ideoque nec infallibilem nec sufficienter immunem a peccato esse.

c) *Probatur Ecclesiae immutabilitas respectu perpetuitatis suae infallibilitatis ex 1 Tim 3, 14 15:* „Haec tibi scribo . . ., ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (*ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*)." Scil. hoc loco apostolus agit de Ecclesia universali, eamque dicit esse et perpetuo futuram esse columnam et firmamentum veritatis[1]; ergo affirmat ipse, infallibilis magister, eam esse infallibilem veritatis christianae in omne tempus futurum magistram.

[1] Nimium dicit Al. Vincenzi (De hebr. et christ. sacra monarchia[2] P. 1, p. 36): „Non . . . Ecclesia per se est columna et firmamentum veritatis, sed Deus, cuius est Ecclesia, firmamentum vocatur veritatis. Ita Ecclesia columna veritatis dicitur, quatenus Petrus, supra quem fundata est, propugnaculum veritatis sit, qui numquam errat, cum in cathedra sedens eandem Ecclesiam docet." Nam

ANTECEDENS ut constet, tria probanda sunt:

α) *agi de Ecclesia universali,* non de sola Ephesina, cui Timotheus praeerat. Et vero ubique in Novo Testamento nomen Ecclesiae semper universam Ecclesiam significat, nisi contrarium constet aut ex verbis adiectis, v. g. si nominatur ecclesia, quae erat Hierosolymis vel Corinthi, aut ex ipso orationis argumento, ut si dicitur Saulus devastasse ecclesiam, scil. Hierosolymitanam, vel si quis dicitur ad se vocasse maiores natu ecclesiae, scil. certae alicuius et singularis: nisi igitur, inquam, constet, eius significationem ad particularem aliquem fidelium coetum restringendam esse. Iam vero loco 1 Tim 3, 15 nihil invenitur, quo sensus nominis Ecclesiae ad solam ecclesiam Ephesi aut etiam in tota Asia minore constitutam contrahendus sit, sed contrarium clare patet. Quae enim in prima parte huius tertii capitis de episcoporum aliorumque Ecclesiae ministrorum munere apostolus dicit, quaeque postea addit de magno pietatis sacramento, dicuntur non tantum pro aliqua particulari, sed pro universa Ecclesia; ergo quae versiculo 14 et 15 habentur, etiam de universali Ecclesia intelligenda sunt, eoque magis, quod appositum „columna et firmamentum veritatis", quod, ut mox monstrabimus, ad hunc versum 15 pertinet, nulla ratione de sola ecclesia Ephesina aut totius etiam Asiae minoris, sed de universali intelligendum est, quodque generali locutione, qua Paulus „Ecclesiam *Dei vivi*" dicit, universalis tantum Ecclesia intelligi potest.

β) *Dici hoc loco Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis,* spectatae utique non in se ipsa, sed eatenus, quatenus ab Ecclesia conservanda et docenda est. — Et vero istud appositum

α') *non refertur,* ut pauci quidam protestantes voluere, *ad ipsum Timotheum,* quasi Paulus dixerit: ut scias, quomodo oporteat te ut columnam et firmamentum veritatis in domo Dei conversari.

Nam „posita ista interpretatione, in textu esset metaphora, ut vocatur, mixta, S. Paulo indignissima. Bene (quidem) de aliquo dici potest, eum *esse* vel *factum esse* columnam ..., vel bene moneri potest aliquis, ut *sit* vel *fiat* columna. Quoniam vero *ἀναστρέφεσθαι,* sicut et latinum *conversari,* implicat non simpliciter in aliquo loco esse, vel ibi esse ut quid immotum, sed ut agens, ut in actione, plane improprius et durus valde esset modus loquendi, aliquem exhortari, ut se gerat, ut agat tamquam columna" [1]. Praeterea „episcopi quidem simul sumpti dici possunt columna et firmamentum veritatis auctoritate sua; at unum simplicem episcopum ita vocari nimium est; nec satis logice in contextu cohaeret, eum, qui instruitur et instructione indigere ostenditur, appellari simul columnam et firmamentum veritatis. In loco autem ... Gal 2, 9 appellatio columnae fit (tribus) apostolis, qui primum locum in Ecclesia tenentes eam sua auctoritate ac doctrina sustentabant ac regebant. In Apocalypsi (3, 12) vero nec occurrit metaphora *columnae veritatis,* sed solum columnae eaque specialis significatur praerogativa sta-

---

hic a S. Paulo ipsa Ecclesia firmamentum veritatis diserte nominatur, sed utique talis ea est solum ope Dei sive infallibilis magisterii a Christo instituti. Nec tamen Petrus eiusque successor e cathedra loquens est unicum infallibilitatis subiectum.

[1] Murray II 302.

bilitatis in fide concessa vincenti."[1] Praeterea nulla prorsus ratio videtur, cur contra communem regulam istud appositum ad remotiorem, non ad proximam sententiam referendum sit.

Nec opponere licet, verisimile videri, S. Paulum, Ecclesiam cum domo comparantem, hortatum esse Timotheum, ut instar columnae in domo illa se gereret. Apostolus enim non loquitur de columna, quae in domo exsistat eiusque tectum sustentet, sed de columna *veritatis*, i. e. sustentante veritatem religionis christianae. Ab adversariis pariter voces *ὡς* vel *ὄν* omissas esse per ellipsin sine ulla causa sumitur, tum quia, ut Palmieri ait[2], „Paulus generatim de omnibus loquitur, ut scias: *πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι*; tum quia inter subiectum, cui praedicatum hoc *columna* etc. tribuendum esset, ipsumque praedicatum intercedit aliud subiectum, h. e. Ecclesia". — Nec etiam mirum est, S. Paulum, cum Ecclesiam vocasset *domum*, eam continuo dicere *columnam*. Nam „nihil magis usu apud omnes receptum est, quam ut eadem res propter diversas eius qualitates etc. diversis ... vel translatis vel propriis nominibus, in eadem etiam periodo vel inciso vocetur. Sic si aliquis sit astutus simul et rapax et crudelis, non solum his nominibus propriis eodem ore vocari potest, sed etiam nominibus translatis, quae iis respondent, vulpis, lupi, tigris. Sic Mt 5, 13—15: vos estis *sal* terrae ... vos estis *lux* mundi. Non potest *civitas* abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam etc. Vide et Mt 13 passim. Dedi te hodie in civitatem munitam, et in *columnam* ferream et in *murum* aereum. Ier 1, 18"[3]. Ecclesia igitur vocatur hic domus Dei, quia est familia una sacra, cuius dominus est Deus; vocatur columna veritatis, eo quod veram semper doctrinam tenet et tuetur. Quare S. Paulus, praesertim metaphorice loquens, optime potuit propter diversas Ecclesiae qualitates eam duplici illo nomine appellare, cum non significet, columnam esse partem domus Dei, sed Ecclesiam sive ipsam illam domum esse columnam veritatis, quia veritatem sustentat. Et reapse domus etiam proprio sensu accepta saepius simul alicuius rei columna et sustentaculum est, v. g. subdialis, nidi avium etc. — Nec dici potest, nomen columnae, licet rebus concretis tribuatur, numquam tamen abstractis tribui, Ecclesiam autem esse aliquid abstracti. Ecclesia enim quamquam non est, ut dici solet, individuum physicum, manifesto tamen est individuum morale concretum ac minime abstractum; re scil., non tantum cogitatione exsistit. Etenim ipsa est societas una atque perfecta, quae constat ex quam plurimis singulis hominibus in universitatem quandam ad unitatem efficiendam colligatis. Sicuti igitur societas civilis est res abstracta eiusque supremus moderator est ac dicitur rex alicuius abstracti, ita etiam Ecclesiam Christi rem abstractam vocare licet. — Quod porro etiam apostoli aliique egregii viri nonnumquam *columnae* appellati sunt, profecto non impedit, quominus etiam Ecclesia ipsa veritatis christianae columna et firmamentum vocari potuerit. — Nec denique obest, quod Gregorius Nyssenus appositum nostrum de ipso Timotheo interpretatus est, de Paulo dicens[4]: „At vero Timotheum columnam pulcherrimam fabricatus est, cum ipsum columnam et firmamentum veritatis Ecclesiae, suae vocis doctrina effecerit." Ipse enim ex sanctis Patribus solus hunc locum ita explicavit; praeterea etiam ipse hanc suam interpretationem protulit obiter tantum et in opere nullatenus ad propriam locorum S. Scripturae vim et sententiam indagandam destinato, sed multis mysticis interpretationibus referto. Unde Gregorius isti interpretationi nullam auctoritatem conciliat.

β') Neque verba „columna et firmamentum" referuntur ad versum subsequentem 16, quasi post verba *θεοῦ ζῶντος* puncto posito nova sententia incipienda sit haec: columna et firmamentum veritatis magnumque sine controversia est hocce mysterium pietatis etc.

[1] Palmieri 154. [2] L. c. 155. [3] Murray l. c.

[4] Mystica interpretatio vitae Moysis (MG XLIV 385): *Καὶ τὸν Τιμόθεον καλὸν στῦλον ἐτεκτήνατο ποιήσας αὐτὸν, καθὼς φησι τῇ ἰδίᾳ φωνῇ, στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας ἀληθείας.*

Ita quidem iam ab anno 1540 ferme ad nostram usque aetatem quam plurimi protestantes Novi Testamenti tum editores tum interpretes istum locum interpungere et interpretari solebant. Certe ista interpunctio teste Wolfio[1] fuit iam in editionibus Novi Testamenti graeci Basileensibus 1540 et 1545 — cui ultima equidem praefatio Melanchthonis praefixa est — eaque deinceps tanto studio retenta est, ut Griesbach et in nota ad nostrum locum dicat[2]: „Hic interstinguunt 75 editores", et ipse etiam eadem ratione interpungat, quamvis in laudata nota addat: „post *ἀληθείας* novam periodum inchoant codd., verss., Patres gr. et lat."[3]

Istam porro interpunctionem, qua illud appositum ad v. 16 refertur, temerariam esse manifestum est. Non enim, fatente ipso Griesbachio, legitur vel in codicibus, vel antiquis versionibus, vel in ullo Patre, adeoque nulli prorsus verae rationi et auctoritati, sed arbitrio et praeoccupatis opinionibus dogmaticis innititur[4]; editiones igitur, etiamsi sexcentae istam Griesbachii lectionem haberent, nullum eius fulcimentum essent. Editiones enim propter editorum vel ignorantiam vel incuriam diu falsam lectionem retinere impossibile non est, versiones vero et Patrum testimonia nulla ratione favent adversariorum lectioni. S. Epiphanius v. g. locum hunc ita refert[5]: *Ὅπως γινώσκοις, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ τοῦ κυρίου περιπατεῖν, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ τοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. ἣν οἱ πολλοὶ ἀφέντες, εἰς μύθους καὶ μωρολογίας ἐξετράπησαν.* Cyrillus vero Hierosolymitanus totum locum refert[6] eodem modo, quo eum dedimus, nihil addens ex iis, quae v. 16 de pietatis sacramento dicuntur. Atque etiam recentes Novi Testamenti graeci editores protestantes, Lachmann, Tischendorf (ed. VII et VIII), Theile, Westcott-Hort, Bern. Weiß, illam adversariorum lectionem reicientes veram, quam dedimus, restituerunt[7]. — *Accedit,* quod ante *τῆς εὐσεβείας μυστήριον* positus est articulus *τό*; qui ostendit, novum esse sensum novamque incipere sententiam. Nec obstat, quod Paulus secundum nostram lectionem novi argumenti tractationem v. 16 incipit a coniunctione *καί*. Hoc enim S. Paulo minime insuetum esse patet ex 1 Cor 2, 1; 3, 1; Eph 2, 1. Et in Vetere Testamento ipse liber tum Numerorum tum Ionae ab illa coniunctione incipit. — *Deinde καί* hic non mera coniunctio

---

[1] Curae philol. in h. l.

[2] Novum Testamentum graec.[2], Halae 1806, ad h. l.

[3] Gerhard (Loci theol. XI, Tubing. 1667, 133) alio mere ficticio ideoque nulla refutatione digno modo illa verba intelligenda esse putavit de solis *electis* et veris fidelibus, ergo secundum ipsius sententiam de Ecclesia invisibili. At quomodo S. Paulus secundum hunc sensum Timotheo dicere potuit: „Ut *scias,* quomodo oporteat te in domo Dei *conversari,* quae est Ecclesia", si ipse eam vere invisibilem intellexisset? Dicit quidem postea p. 166 sq, illa verba tribui toti Ecclesiae visibili, praecipue tamen ac proprie „Ecclesiae praedestinatae et ante mundi constitutionem electae", et si ad visibilem et particularem Ecclesiam referantur, intelligenda esse de Ephesina tantum, quatenus consentiat, ac tueatur veritatem doctrinae coelestis in scripturis propheticis et apostolicis comprehensam eique tamquam fundamento unice inhaereat et innitatur. At quam falsa pleraque etiam ista dicta sint, evidens est ex iis, quae iam diximus.

[4] Iam Grotius inter alios de hoc apposito scripsit Comment. in h. l.: „Tituli hi sunt Ecclesiae: cui qui eos invident, mirum quam laborent, ut haec verba sequenti periodo connectant."

[5] Adv. haeres. haer. 40, n. 8 (MG XLI 689).

[6] Catech. 18, n. 25 (MG XXXIII 1045 sq).

[7] Ita etiam versiones germanicae a protestantibus Weizsäcker et a Stage adornati. B. Weiß in sua Novi Testamenti editione textum sic explicat: *ἐκκλησία* „an der die Wahrheit, die doch in der Welt ihre Stätte finden soll, einen Träger (*στῦλος*) ... und (in einem andern Bilde) eine gefestigte Unterlage ..., auf der sie ruht (also eine gesicherte Existenz), gefunden hat".

est, sed inservit ad magnitudinem mysterii, de quo loquitur apostolus, magis indicandam. — *Praeterea* si protestantium interpunctio admittitur, iam totus nexus sententiarum destruitur. Totus enim in eo est l. c. S. Paulus, ut Timotheum ad officia episcopalia implenda admoneat. In media igitur hac admonitione quid sibi vult, quod subito de incarnatione loquitur eamque columnam et firmamentum praedicat? Certe sic nullus nexus cum praecedentibus et sequentibus sententiis inveniri potest. Sed optime qui sit iste nexus perspicitur, si Pauli locum cum catholicis interpretaris. Sic enim vis ac nexus totius loci hic est: tibi scripsi, ut scias, quomodo debeas conversari in Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis religiosae et verae religionis. Quanti autem momenti haec vera religio sit, ex eo perspicitur, quod Deus ipse manifestatus est in carne etc. Hic enim est sensus versus proxime sequentis 16, quaecumque tandem lectio ex tribus variantibus (*θεός, ὅς, ὅ*) ut vera admittitur. — Ex eo porro, quod veritas Ecclesiam firmat ideoque eius est etiam firmamentum, minime sequitur, Ecclesiam ipsam non potuisse pariter dici et esse columnam et firmamentum veritatis. Nam „utrumque verissimum est, veritatem esse firmamentum Ecclesiae, et Ecclesiam esse firmamentum veritatis. Vestes calefaciunt hominem, homo calefacit vestes; baculus (ut vetere illo logicorum exemplo utar) erectum senem, senex erectum tenet baculum; tectum firmum firmat muros, muri firmi firmant tectum“ [1]. Veritas nimirum doctrinae est forma Ecclesiae Christi interna, prorsus necessaria et essentialis (cf. supra p. 3); ut forma vero eiusdem Ecclesiae externa partialis, institutum est a Christo magisterium infallibile, idque in perpetuum; cum hoc autem Ecclesia manifesto est firmamentum verae doctrinae christianae, eo quod eam usque puram tradit atque conservat, ita ut haec eius puritas et integritas ab illo ipso infallibili magisterio penitus pendeat. Unde etiam patet, quam commode ea, quae v. 15 et 16 dicuntur, inter se cohaereant. Dicitur enim v. 15 Ecclesia firmamentum veritatis, v. 16 vero indicatur primarium illius totius christianae veritatis argumentum. Quae cum ita se habeant, sicuti columna pavimenti non dicitur, quia columna pavimento, sed quia pavimentum columnae innititur, ita etiam constat, Ecclesiam universalem ab apostolo dictam esse columnam ac firmamentum veritatis, quia Ecclesia firmat veritatem, non vero quia veritas firmat Ecclesiam [2].

γ) Columna et firmamentum veritatis ex hoc loco Ecclesia erit *in perpetuum*. Nam ita vocatur Ecclesia universalis simpliciter et sine ullo additamento, quo diserte aut obscure significetur, Paulum de sola sui temporis Ecclesia loqui. Atque ipsae appellationes columnae et firmamenti vi sua firmitatem et stabilitatem, ideoque cum de Ecclesia perpetua usurpantur, etiam perpetuitatem significant.

Nec opponere licet, non affirmari hoc loco, Ecclesiam *esse* essentialiter et necessario, sed tantum eam *esse debere* columnam veritatis, ita tamen, ut huic suo officio deesse possit. Sic Christi discipulos ex Mt 5, 13 sal terrae esse quidem debere, non tamen necessario semper esse, alioquin additum non esset: „Quod si sal evanuerit, in quo salietur?“ etc. Respondemus enim, duo h. l. haberi: admonitionem Timothei et sententiam quandam de Ecclesia; sententia autem illa admonitioni additur, ut rem gravissimi momenti se commendare apostolus indicet et ad fervorem Timotheum inflammet. Quare hanc vim habet eius admonitio: „Quoniam Ecclesia est Dei vivi Ecclesia, domus Dei, columna et firmamentum veritatis, haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in tanta domo conversari ut tui sacri muneris in Ecclesia a Deo tantum ornata et dilecta ministrum per omnia fidelem. Hoc luce clarius fit

---

[1] Murray II 308 sq. [2] Plura de hac re apud Wilmers 73.

ex eo, quod loquens de Timotheo S. Paulus utitur verbo *oportet;* loquens (vero) de Ecclesia nullo tali verbo utitur, sed simpliciter appositione, quam vocant grammatici, de ea loquitur ut columna — in priore inciso declarans id quod esse *debet,* in altero, quod *est.*" [1] Quod autem ex Mt 5, 13 additur, interpretationem, quam dedimus, non infirmat. Sicut enim in 1 Tim 3, 15, ita etiam in Matthaei loco duo enuntiantur. Nam primum affirmatur, discipulos Christi esse sal terrae; deinde vero monentur discipuli singuli ad retinendam in se ipsis naturam salis per se non deficientem, sed eandem semper remanentem. Sensus igitur hic est: „Sicut salis est, cibos condire et a corruptione servare, ita et vos a Deo constituti estis ad homines puros a peccato conservandos. Videat ergo unusquisque vestrum, ut in se teneat vim et virtutem istam sanctificandi, qua corpus ad quod pertinet insignitur." [2] Illa igitur verba: „Quodsi sal evanuerit" etc. concedimus de singulis doctrinae Christi praedicatoribus explicari debere, nullatenus de tota Christi Ecclesia. De Ecclesia enim ut tali hic non loquitur Christus, nec etiam re vel modo in *antecessum,* sive, ut dici solet, *a priori* tantum considerata, verisimile est, Ecclesiam illam perpetuam et ab ipso Deo institutam adeo umquam deficere posse, ut secundum divinum iudicium ad nihil amplius valeat, quam ut ab ipso penitus reiciatur et tamquam lutum ac sordes pedibus conculcetur. Ista igitur neutiquam obsunt, quominus Ecclesia in perpetuum veritatis columna ac firmamentum sit.

Praeterea Paulus toto illo capite tradit ea, quae non suo tantum tempore, sed semper valitura sunt. Unde valde mirum et insolens esset, si quae v. 15 aeque absolute, nulla certi temporis habita ratione de perpetua Christi Ecclesia dicit, non aeque in perpetuum valerent. Ceterum haec veritas a plerisque saltem adversariis, qui communem ac veram interpunctionem et de universali Ecclesia interpretationem admittunt, numquam in dubium vocata fuit.

At, inquit protestans Gerhard [3], Paulus hic loquitur „de Ecclesia, quae est *domus Dei,* h. e. *quatenus* est domus Dei, *quatenus* Deus in ea sua gratia habitat per verbum, *quatenus* per sceptrum regni sui, per evangelium, eam gubernat et in verbo per Spiritum Sanctum docet, h. e. loquitur de Ecclesia, quae est coetus hominum unice verbum Dei amplectentium, ab eoque ne latum quidem unguem discedentium" (scil. electorum). Et in huius suae sententiae gratiam affert Io 14, 23; Hebr 3, 6 et Gal 2, 9, ubi Petrus etiam vocetur columna, qui tamen non „ab omni omnino errore absolute et simpliciter immunis" exstiterit. Verum quam temere adversarius contendat, Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis hic non dici absolute, sed tantum cum conditione, quatenus scil. veritatem integram conservet, ex ipsis Pauli verbis evidens est, cum ipse istiusmodi conditionem, ut Io 14, 23 et Hebr 3, 6 diserte fit, neutiquam apponat vel indicet, S. Petrum vero, postquam infallibilitatis donum a Christo recepisset, ab omni errore non prorsus immunem fuisse respectu doctrinae christianae, hic denuo refutandum non est.

Antecedens igitur eius quod posuimus argumenti verum est, nimirum hoc loco Ecclesiam universalem dici columnam et firmamentum veritatis christianae perpetuam. Probatur iam eius

---

[1] Murray II 305. [2] Ibid. 306. [3] L. c. 167.

CONSEQUENS Paulum scil. istis verbis *Ecclesiam infallibilem illius veritatis magistram affirmasse.*

Nam Ecclesia a Paulo hic nominatur absolute ἑδραίωμα. Quod verbum sive idem significat, quod θεμέλιος, fundamentum, 2 Tim 2, 19 sive significat illud quod super fundamentum exstructum est, firmum certe statumen denotat. Atque idem dicendum est de voce στῦλος, columna, cui veritas a Christo revelata sive veritas totius religionis christianae in perpetuum innitatur, quaque semper sustentetur, fulciatur, firmetur, ita ut a detrimento et ruina tuta sit. Iam vero si Ecclesia vel unum certum errorem in rebus fidei christianae umquam doceret, haud amplius hoc suo officio ita responderet, ut esset columna veritatem sustentans et firmamentum eam firmans, sed cederet et veritatem vere infirmaret, adeo ut columna et firmamentum falsitatis evaderet. Porro si in docenda Christi religione non usque infallibilis esset, non tantum in unum alterumque, sed in quam plurimos errores delabi posset, et sine dubio etiam pro communi hominum infirmitate reapse delaberetur; ergo tunc veritatis fulcrum non remaneret, sed falsitatum basis evaderet. Unde cum infallibilis apostolus absolute dicat, Ecclesiam in omne tempus futuram esse veritatis christianae firmum fulcrum et firmamentum, necesse prorsus est concludere, Ecclesiam perpetuo infallibilem religionis christianae magistram mansuram esse.

Contra quae quam maxime temere opponeretur, Paulum hoc loco Ecclesiae in verae doctrinae christianae professione stabilitatem nimium extulisse. Hyperbolica enim loquendi ratio in affirmanda christiana doctrina repugnat imprimis apostoli Pauli infallibilitati a nobis iam probatae (p. 19 sq), cum ea loquendi ratio adhiberi non possit, quin aliquid saltem falsi contineat: quod sane cum infallibilitate apostoli, qui ex Christi mandato eius doctrinam tradit, non convenit; repugnat insuper simplici et temperato in toto capite III apostoli dicendi generi.

Manifestum est pariter, interpretationi loci a nobis traditae minime officere, quod *apostoli* a Patribus saepius nominati sunt columnae et crepidines fidei christianae; rectissime enim infallibiles illi doctrinae Christi magistri ita vocantur. — At, inquiunt, etiam alii egregii viri a Patribus appellantur columnae fidei; ita Gregorius Naz. nominat [1] defunctum iam S. Basilium fidei columnam, veritatis normam et religionis formam. Sed [2] cum homo, qui non est infallibilis, aliquem alium, cui neque ipsi infallibilitatis donum collatum erat, esse statumen fidei dicit, id affirmat tantum de *facto* praesenti vel praeterito, et forsitan affirmando errat, et si minus erret, factum tamen, quod affirmat, non facit, sed testatur. Ergo qui sic praedicatur statumen fidei, id forsitan vere aut saltem perfecte non est, vel id non semper permansurus est, vel ante obitum eius perseverantia plane certa non fuit, et multo minus certa ex testimonio infallibilis apostoli. Contra vero apostolus, infallibilis

[1] Ep. 79 (MG XXXVII 149): *τὸ τῆς πίστεως ἔρεισμα, τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα καὶ χαρακτῆρα τῆς εὐσεβείας.*

[2] Murray II 307 sqq.

doctrinae praeco, cum absolute Ecclesiam Christi universalem praedicat statumen fidei, ita ut esse statumen fidei sit titulus et attributum Ecclesiae inhaerens eodem modo, quo esse Christi corpus mysticum, templum etc. eiusmodi attributa sunt, quod verum erit in omne tempus affirmat, ita ut nullo modo umquam falsum fieri possit; cumque id declaret ut divinae voluntatis interpres infallibilis, manifestum est, ipsum Deum efficere, ut Ecclesia veritatis christianae firmum semper fulcrum exsistat. Verbo, inerrantia certi viri ab homine non infallibili affirmata forsan non exsistit aut est tantum inerrantia *facti;* inerrantia vero Ecclesiae affirmata ab infallibili apostolo certo exsistit, ita ut non exsistere non possit, estque inerrantia *iuris* sive infallibilitas. Esto igitur, S. Basilium aliosque nomine columnae fidei insignitos reapse numquam errasse, ea fuit tantum inerrantia *facti;* Ecclesia autem est fidei columna *iure,* et infallibilis in omne tempus futurum doctrinae Christi magistra.

Nec etiam Ecclesia ideo hic vocatur veritatis columna, quia ab apostolis, qui erant columnae, fundata in multis terrae partibus est. Nam in nulla lingua umquam exsistit usus iste loquendi, ut societas aliqua affirmetur v. g. opulenta, quia ab opulentis fundata, vel egena, quia ab egenis, vel docta, quia a doctis, vel indocta, quia ab indoctis instituta est. Prorsus igitur mirum et inauditum esset, si Ecclesia fallibilis esset, et tamen infallibilis diceretur, quia ab infallibilibus apostolis fundata est.

Porro non magis opponere licet, apostolorum tempore Ecclesiam fidei columnam iure vocatam esse, vel quia in ipsa praesidebant apostoli, vere fidei columnae, vel quia tunc Novi Testamenti Scripturae, quae errare non possunt, Ecclesiae conservandae et custodiendae traditae sint, vel quia fides christiana tunc miraculis et martyriis confirmata sit: has autem rationes Ecclesiae solius aevi apostolici proprias fuisse. — *Primum* enim, cum Paulus Ecclesiam veritatis columnam ac firmamentum ideoque infallibilem dicit, nullo modo indicat, Ecclesiam esse columnam aut tamdiu tantum, quamdiu habeat apostolos sibi praesidentes, aut quia acceperit S. Scripturas ac miraculis et martyribus ornata sit. *Deinde* duae illae quae posteriore loco afferuntur rationes sufficienter non explicant, cur apostolus Ecclesiam veritatis columnam dixerit. Ante omnia enim accepta et custodita S. Scriptura nihil probat. Nam nomen veritatis, ἀληθείας, tametsi in Novo Testamento quam saepissime adhibetur, et haud raro quidem etiam ad significandam veritatem divinam sive doctrinam religionis christianae, ut ipso hoc loco, nullibi tamen significat ipsam S. Scripturam, vel librum vel quodvis scriptum, in quo vera doctrina continetur [1]. Sed neque umquam apud ullos homines exstitit usus vocandi librum, in quo veritas contineatur, nomine ipsius veritatis. Numquam etiam aut S. Scripturis aut generatim hominibus sustentare et tutari veritatem idem fuit ac conservare librum, in quo vera continentur. Ecclesia quidem S. Scripturae conservatrix est, id tamen non sufficit, ut vocari iure possit columna et firmamentum *veritatis.* Non repugnat enim, quominus in aliqua societate S. Scriptura per multa saecula incorrupta conservetur, et tamen eo ipso tempore in eadem societate plurimi et gravissimi errores universe ferme grassentur. Et si in familia aliqua per plures generationes Bibliorum exemplar diligenter et reverenter conservaretur, familia ista ideo nullatenus esset et dici posset veritatis christianae columna; alioquin etiam bibliopolae,

[1] Murray II 301.

qui S. Scripturae libros numquam non habent, dicendi essent veritatis christianae columnae, etiamsi iudaei aut increduli essent. Neque etiam *apte* propter meram S. Scripturae conservationem Ecclesia veritatis *columna* diceretur, quin potius *theca* vocanda foret [1]. Conservatio igitur S. Scripturae nullatenus causa esse potuit, cur Ecclesia veritatis columna vocaretur. Miracula vero et martyres ad fidem veritati christianae faciendam et firmandam quam aptissima sunt, eamque in bene dispositis animis etiam pariunt atque confirmant, sed nullo modo efficiunt, ut Ecclesia ipsa illam veritatem semper puram et integram conservet, ideoque veritatis columna et firmamentum sit.

d) *Probatur Ecclesiae immutabilitas respectu perpetuae suae infallibilitatis ex ipsius Ecclesiae ut divinae perpetuitate.* Exsistere enim e Christi voluntate necesse est Ecclesiam in perpetuum (vide supra p. 278), et ita quidem, ut omnes omnium temporum et locorum homines ei sese adiungere debeant. Ergo ipsa exsistere semper etiam debet ut divina et vera Christi Ecclesia; alioquin homines nec ad eam ingrediendam obligari nec eam ut divinam ac veram Christi Ecclesiam agnoscere ullatenus possent. Atqui ut divina et vera Christi Ecclesia in perpetuum exsistere nequit, quin semper in doctrina fidei ac morum infallibilis sit. Si enim in ea errare posset, nihil obstaret, quin in quam plurimos ac gravissimos errores incideret; Ecclesia autem ullo umquam tempore erroribus foedata et a Christi doctrina desciscens profecto divina ac vera Christi Ecclesia esse non potest. Christus enim Ecclesiam ideo esse voluit, ut doctrinam suam puram atque integram dataque ab ipso consequendae salutis subsidia semper conservaret, propagaret, coleret; ergo si Ecclesia umquam huic officio deesset, ipsa Christo tamquam Ecclesia eius probari amplius non posset, sed potius ab eo prorsus reprobanda foret. Humanae autem fragilitatis, variarum cupiditatum et cuiuscumque generis adversariorum si rationem habemus, necesse est dicere, Ecclesiam, si infallibilis non esset, in perpetuum Christi doctrinam puram atque integram conservare minime posse, et morali necessitate futurum esse, ut in varios errores incidat. Qua re cessaret esse Ecclesia Christi; quod cum secundum Christi voluntatem accidere numquam possit, concludendum est, eam in rebus fidei et morum divinitus infallibilem esse.

Nec opponere licet, etiamsi Ecclesia infallibilis non sit et hinc aliquando in errores circa fidem incidat, posse tamen fieri, ut ea per legatum divinum extraordinario modo missum in integrum restituatur, ita ut puram Christi doctrinam rursus accipiat et profiteatur. Nam ne repetam, repugnare, quominus Ecclesia etiam ad breve tempus a Christi doctrina umquam deficiat (cf. p. 324), utque omittam interim accuratiorem de eiusmodi extraordinaria hominis missione tractationem [2], illud certum est, Christum nullo modo indicasse vel innuisse, eiusmodi missionem aliquando fieri posse aut aliquando futuram esse, sed contrarium omnino clare ac diserte docuisse. Saepius enim (Mt 7, 15 16; 24, 22—24. Mc 13, 21 22. Lc 17, 23; 21, 8) monuit, ne ho-

[1] Cf. Corn. a Lapide in 1 Tim 3, 15. [2] Cf. thesis IX, coroll. II.

minibus, qui se Dei famulos et legatos ad novam doctrinam afferendam missos mentirentur, fideles sui crederent iisque sese adiungerent, etiamsi in suae legationis et doctrinae confirmationem mirabilia opera patrarent. Falsos enim esse illos et non obstantibus prodigiis, quae vera miracula non sunt, sat facile ut falsos atque mendaces cognosci ex fructibus, moribus scil. praecipue et saepius etiam ex ipsa eorum doctrina. Atque nullum eiusmodi futurum prophetam a severo hoc condemnationis iudicio Christus excepit, nusquam indicavit, aliquando evenire posse, ut propheta veniat, cui homines iure credant, omnes vero omnino praedixit ex mala sua vita falsos prophetas cognosci posse. Nemo igitur erit, qui ex Dei mandato munus habeat doctrinam Ecclesiae Christi reformandi et emendandi; emendanda autem Ecclesia esset, si umquam in rebus fidei et morum in errores incidisset, i. e. si infallibilem eam non esse patefactum esset. Cum ergo ex Christi diserta praedictione istiusmodi reformatione numquam opus sit, Ecclesia necesse est habeat perpetuo veram ac puram Christi doctrinam ut infallibilis eiusdem magistra.

Praeterea qua etiam ratione fieri possit, ut Ecclesia ab ipso Christo Deo immediate et in perpetuum instituta ab eius doctrina ideoque ab ipso Christo deficiat atque ita pereat, cum vel ipsa lex mosaica, lege christiana multo imperfectior et aliquando cessatura, neque etiam immediate a Deo, sed mediante Moyse populo data non obstantibus tot populi ab ipsa defectionibus, per bis mille circiter annos quoad substantiam saltem adeo immutata constiterit, ut, quoties populus a defectione sese rursus ad Deum convertisset, eam etiam integram observandam et profitendam denuo acceptaret? Num vero Christo Deo aut sapientia aut potentia defuit, ut quam Ecclesiae suae perpetuam doctrinae integritatem conferre voluit, reapse conferret atque efficeret? Num forte ipse omniscius Ecclesiae suae formam internam et externam ea ratione formavit, qua homines id facere debent, qui utique eas civitatum formas nonnumquam excogitant, quae post paucos iam annos emendandae atque iterum iterumque mutandae sunt? Horum profecto nec unum nec alterum quisquam sentire potest, quin Christum verum Deum esse neget.

Denique nulla ratione apparet, quomodo Ecclesia, si umquam in rebus fidei et morum errando Christi Ecclesia esse cessaret, rursus ita restitui et reformari posset, ut Christi doctrinam puram ac veram integre reciperet ac denuo vera Christi Ecclesia fieret. Si enim Christus Deus omniscius et omnipotens, cum voluerit Ecclesiam in conservanda et profitenda pura sua doctrina ita firmam et immutabilem reddere et conservare, ut ab ea numquam deficeret, eam ita instituere aut nescivérit aut non potuerit, quis, quaeso, hominum, etiamsi divinitus missus dicatur, eam in errores lapsam in integrum restituat et rursus veram Christi Ecclesiam efficiat? Num ii, qui, nulla re minus quam sanctitate vitae ornati, interdum etiam vel criminibus foedis irretiti, contra legitimos Ecclesiae superiores conviciis debacchantur, cuius generis homines saepe ii fuerunt, qui a Deo missos se ad reformandam Ecclesiam iactabant? Sed etiam de omni alio, qui Dei legatus ad restituendam Ecclesiam missus feratur, dicendum est, quod iam S. Augustinus de Donato scribit[1]: „Si autem tunc non erat Ecclesia ..., unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de quo mari emersit? de quo coelo cecidit?“

[1] De bapt. c. Donat. l. 3, c. 2, n. 3 (ML XLIII 140).

Confirmatur Ecclesiae perpetua in re fidei ac morum infallibilitas

1) *ex eo,* quod Christus et Ecclesiae magisterium ut unicum doctrinae suae tradendae instrumentum atque institutum condidit, et huic magisterio omnes ita credere iussit, ut *qui ei fidem denegarent, eo ipso aeternum damnatos declararet* (Mc 16, 16). Si enim Ecclesiae magisterium in tradenda doctrina fidei et morum errare posset, errores inde in christianorum populo grassantes ipsi Christo, id quod fieri nequit, imputandi essent. Nec opponere licet, illa Christi verba valere tantum de apostolorum praedicatione. Licet enim protulerit ea Christus, quando apostolos ad omnes gentes praedicandi evangelii causa mittebat, eodem tamen tempore illis se affuturum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi promisit. Cum igitur usque ad consummationem sive finem mundi praesentiam suam et auxilium pollicitetur, apostolorum etiam in magisterio legitimos successores hac promissione inclusit. Ergo quod teste Marco de apostolorum praedicatione immediate post addidit, valet etiam de praedicatione eorum, qui apostolis in magisterio legitime usque ad finem mundi succedunt.

2) *Ex hoc, quod Christus* a fidelibus non tantum temporis apostolici, sed omnium omnino temporum exegit, ut vel ipsam *mortem violentam, si necesse fuerit, propter doctrinam suam,* utique prout a magistra Ecclesia praedicaretur, *potius subirent,* quam hanc vitam temporalem servarent. Dixit enim Mc 8, 35: „Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et *evangelium,* salvam faciet eam." Cf. etiam Mt 10, 28 32 33 39; Lc 17, 33; Io 12, 25. Iam vero Christus hoc profecto iure neutiquam postulare potuisset, nisi scivisset, Ecclesiae doctrinam semper veram ac puram evangelii sui doctrinam futuram esse. Exigere enim, ut falsae doctrinae et erroris causa vel etiam propter opinionem probabiliter tantum veram vitam et sanguinem profunderemus, iniustum sane fuisset. Porro quomodo Christi fidelibus usque constare posset, Ecclesiae doctrinam perpetuo veram ac puram a Christo traditam doctrinam esse, nisi certum omnibusque fidelibus notum esset, Ecclesiam Christi manere, prout ab ipso instituta est, etiam in perpetuum evangelii magistram infallibilem?

3) Si Ecclesia non semper infallibilis maneret, finem a Christo ipsi propositum, ut religionem christianam puram et integram semper conservaret ac propagaret hominumque salutem procuraret, assequi nullatenus posset. Si enim fallibilis esset, posset veritatem perdere, subsidia salutis corrumpere, immo loco veritatis errorem docere et ut medicinam salutis venenum praebere. Unde nec fideles eius auctoritati et directioni in rebus religionis et salutis tuto fidere seseque committere possent, nec ipsa iure posset ab iis exigere, ut verum ac plenum animi assensum doctrinis a se praedicatis praestarent. Ut igitur et Ecclesia officium suum recte explere finemque sibi propo-

situm assequi valeat, et fideles ipsius ope salutem aeternam vere consequi possint, infallibilis semper maneat necesse est.

4) Cum Ecclesiae religionem Christi docenti ex Dei voluntate a fidelibus obtemperandum sit, ipse Deus homines in errores inducere dicendus esset, si Ecclesia docens a veritate aberrare posset.

5) *Antiquitatis christianae testimonio* quoque thesis confirmari potest. Ecclesiae enim infallibilitatem antiqui Patres, tametsi non ipso isto nomine tunc nondum cognito, multis tamen modis satis testati sunt. Docent enim modo, Ecclesiam esse ab omni errore in rebus doctrinae christianae immunem, modo, esse incorruptam, invincibilem, eamque non posse umquam deficere. Quod ut monstremus, nonnulla Patrum hac de re testimonia proferemus, ex primis tamen solis saeculis, tum quia ea testimonia *hoc loco* non efficiunt argumentum rem *vere demonstrans,* tum ne haec confirmatio nimis longa evadat.

Itaque iam S. Ignatius scripsit[1], Christum ideo unctum, sive caput et regem Ecclesiae constitutum esse, ut ipsi „Ecclesiae spiret incorruptionem (ἵνα πνέῃ τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφθαρσίαν)". Theophilus Antiochenus vero ait[2]: „Quemadmodum in mari sunt quaedam insulae habitabiles, aquis salubres, frugiferae, stationibus et portubus munitae, ut iis, qui tempestate iactati fuerunt, perfugio esse possint, sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti et aestuanti synagogas dedit, i. e. sanctas ecclesias, in quibus *doctrina veritatis* velut in insularum portuosarum stationibus *asservatur,* ad quas perfugiunt, qui salutem consequi cupiunt, *veritatis* facti amatores, ac iram et iudicium Dei effugere volentes (οὕτω δέδωκεν ὁ θεὸς τῷ κόσμῳ κυμαινομένῳ καὶ χειμαζομένῳ ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, τὰς συναγωγάς, λέγομεν δὲ ἐκκλησίας ἁγίας, ἐν αἷς καθάπερ λιμέσιν εὐόρμοις ἐν νήσοις αἱ διδασκαλίαι τῆς ἀληθείας εἰσί· πρὸς ἃς καταφεύγουσιν οἱ θέλοντες σώζεσθαι, ἐρασταὶ γενόμενοι τῆς ἀληθείας καὶ βουλόμενοι ἐκφυγεῖν τὴν ὀργὴν καὶ κρίσιν τοῦ θεοῦ)." Insuper Theophilus continuo subicit, quemadmodum navigantes, qui piratas duces sequantur, in saxa impellantur ac pereant, ita qui magistros haereticos duces habeant, in haereses incidere et in perniciem ruere.

Irenaeus porro scribit[3]: „Praedicationem vero Ecclesiae *undique constantem* et *aequaliter perseverantem,* et testimonium habentem a prophetis et ab apostolis et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus, per initia et medietates et finem et per universam Dei dispositionem, et eam, quae secundum salutem hominis est, solitam operationem, quae est in fide nostra: *quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescens, et iuvenescere faciens ipsum vas, in quo est.* Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc, ut omnia membra percipientia vivificentur: et in eo disposita est *communicatio Christi, i. e. Spiritus Sanctus, arrha incorruptelae et confirmatio fidei nostrae et scala ascensionis ad Deum.* In Ecclesia enim, inquit, posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et uni-

[1] Ep. ad Ephes. c. 17 (Funk I² 227).
[2] Ad Autolyc. l. 2, n. 14 (MG VI 1076).
[3] Adv. haer. l. 3, c. 24, n. 1 2 (MG VII 966).

versam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et operationem pessimam. *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas.* Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiae, ne traducantur; reicientes vero Spiritum, ut non erudiantur. Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de iisdem sentientes et numquam sententiam stabilitam habentes; sophistae verborum magis volentes esse quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in se ipsa lapides multos." Quibus verbis Irenaeus sane multiplici modo affirmat, Ecclesiae fidem semper esse incorruptam. Dicit enim primum, Ecclesiae fidem esse ubique eandem sibique semper constantem, cum ei et hoc munus divinam doctrinam sinceram conservandi et praedicandi commissum sit et in ipsa semper sit Spiritus Dei, qui sit veritas, omnisque gratia coelestis. Subdit deinde, eos, qui a Christi fide aberrent, ideo errare, quod fugiant fidem Ecclesiae eiusque eruditionem. Addit, eos, qui ab Ecclesia alienentur, alienari a veritate, et sententias tenere usque variantes, et super arenam fundari; contra qui Ecclesiae adhaereant, doctrinam habere firmam, esse discipulos veritatis et super petram eamque unam esse fundatos. Ac rursus Irenaeus ait[1]: „Quapropter iis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. . . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, . . . et Scripturas sine periculo nobis exponunt." Quinimmo clarius etiam suam de Ecclesiae infallibilitate sententiam exprimit alibi scribens[2]: „Necessitatem habent praedicti haeretici, quoniam sunt caeci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinae ipsorum. Eorum autem, qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eandem esse fidem . . . Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est *lumen Dei*, et propter hoc ‚sapientia' Dei, per quam salvat omnes homines, ‚in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris praedicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur' (Prv 1, 20 21). Ubique enim Ecclesia praedicat veritatem, et haec est ἑπτάμυξος lucerna, Christi baiulans lumen."

Item Tertullianus scribit[3]: „Age nunc, omnes erraverint; deceptus sit et apostolus de testimonio reddendo; nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus

---

[1] Adv. haer. l. 4, c. 26, n. 2 5 (MG VII 1053).
[2] Ibid. l. 5, c. 20, n. 1 (ib. 1177). [3] De praescr. c. 28.

de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse, qui tradiderunt?" Dicit igitur Tertullianus: etiamsi ponatur, quod tamen sumere nullatenus liceat, deceptos esse apostolos in praedicanda Christi doctrina, et Spiritum Sanctum ad hoc missum, ut non solum apostolos, sed etiam successores eorum sive ecclesiarum praepositos omnem veritatem edoceret, hoc suum officium neglexisse, fieri tamen non potuit, ut omnes ecclesiae, tot ac tantae, de eodem errore consenserint et non varios errores protulerint. Unde cum omnes ecclesiae unam eandemque doctrinam tradant, ea necessario falsa esse non potest. Infallibilitatis igitur praerogativam Tertullianus hoc loco clare omnino Christi Ecclesiae vindicat.

Idem satis clare etiam docet Clemens Alexandrinus. Postquam enim dixit, graecam philosophiam, quamprimum a magistratibus prohibeatur, statim perire, christianam autem doctrinam iam inde a prima sua praedicatione a regibus et tyrannis aliisque innumerabilibus hominibus prohibitam eiusque sectatores ad internecionem usque gravissimis persecutionibus vexatos esse, haec subdit[1]: „Illa autem magis etiam floret; non enim emoritur, ut doctrina humana, neque flaccessit ut donum imbecillum. Nullum enim Dei donum est imbecillum; manet autem eiusmodi, ut prohiberi nequeat, cum praedictum tamen sit fore, ut ea perpetuo patiatur persecutionem." Et alibi[2] ait: „Una sola est mater virgo; mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. . . . Virgo est autem simul et mater, integra quidem et inviolata ut virgo, amans autem ut mater." Profecto Clementi nisi persuasum fuisset, Ecclesiam in perpetuum Christi doctrinam puram conservare et ab ea deficere non posse, ista ratione locutus non esset.

Origenes etiam eiusdem sententiae fuit. Scribit enim[3]: „Sicut in firmamento isto (Gn 1, 14), quod iam coelum fuerat appellatum, iubet Deus fieri luminaria, ut dividant inter medium diei et noctis, ita et in nobis fieri potest:... luminaria habebimus in nobis, quae illuminent nos, Christum et Ecclesiam eius. Ipse est enim lux mundi, qui et Ecclesiam illuminat sua luce. Sicut enim luna de sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam nox possit illuminari, ita et Ecclesia suscepto lumine Christi illuminat omnes, qui in ignorantiae nocte versantur.... Sicut autem sol et luna illuminant corpora nostra, ita et a Christo atque Ecclesia illuminantur mentes nostrae." Clarissime igitur h. l. Origenes docet, lumen verae fidei esse in Christi Ecclesia semper integrum et purum. Si enim Ecclesia umquam errores doceret, haud amplius lumen esset, sed caligo, nec mentes amplius illuminaret, sicut illuminat luna corpora, sed iis tenebras offunderet, ut nox et nubes terram obscurant. Et

---

[1] Strom. l. 6, c. 18 (MG IX 400): *Ἡ δὲ καὶ μᾶλλον ἀνθεῖ· οὐ γὰρ ὡς ἀνθρωπίνη ἀποθνήσκει διδασκαλία, οὐδ' ὡς ἀσθενὴς μαραίνεται δωρεά· οὐδεμία γὰρ ἀσθενὴς δωρεὰ θεοῦ· μένει δὲ ἀκώλυτος, διωχθήσεσθαι εἰς τέλος προφητευθεῖσα.*

[2] Paedag. l. 1, c. 6 (MG VIII 300): *Μία δὲ μόνη γὰρ μήτηρ παρθένος· ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν. . . . Παρθένος δὲ ἅμα καὶ μήτηρ ἐστίν· ἀκήρατος μὲν ὡς παρθένος, ἀγαπητικὴ δὲ ὡς μήτηρ.*

[3] Hom. 1 in Genes. n. 5 7 (MG XII 150 sq).

alibi Origenes non esse veritatem nisi in Ecclesia dicit atque addit[1]: „Propterea non debemus attendere iis, qui dicunt: ecce hic Christus, non autem ostendunt eum in Ecclesia, quae plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis, in qua tota totus est adventus Filii hominis dicentis omnibus, qui ubique sunt: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitae, usque ad consummationem saeculi.“ Rursus ait[2]: „In civitatem muris carentem non vult nos intrare sermo Dei, sed in muratam. Ecclesia Dei viventis veritate verbi munita est (ἡ ἐκκλησία τοῦ ζῶντος θεοῦ τετειχισμένη ὑπὸ τῆς ἀληθείας τοῦ Λόγου).“

Cyprianus saepe tradit, Ecclesiam incorruptam semper manere. Ita ut pauca tantum ex multis proferam, scribit[3]: „Aqua Ecclesiae fidelis et salutaris, et sancta corrumpi et adulterari non potest, sicut et ipsa Ecclesia incorrupta et casta et pudica est.“ Idem alio loco repetit hisce[4]: „Adulterari non potest sponsa Christi [Ecclesia], incorrupta est et pudica.“ Et rursus ait[5]: Christus „arbitrio et nutu ac praesentia sua et praepositos ipsos et Ecclesiam cum praepositis gubernat“.

Initio saeculi IV Alexander Alexandrinus omnibus christianis haec significavit[6]: Confitemur „unam praeterea ac solam catholicam, apostolicam Ecclesiam; quae semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet; victrix autem est omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus ipsam consurgunt“. Loquitur autem Alexander de Ecclesia ut inexpugnabili ratione doctrinae, cum contra arianos scribat, omnium haereticorum autem primario sit, rectam fidem depravare. Similia dixit Theophilus Alexandrinus scribens[7]: „Dominus ... singulis temporibus eandem Ecclesiae suae largitur gratiam, ut integrum corpus conservetur, et in nullo haereticorum dogmatum venena praevaleant.“ Lactantius etiam scribit[8]: „Sola igitur catholica Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei.“ Necnon Cyrillus Hierosolymitanus dicit[9]: Ecclesiam catholicam esse, eo quod „universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus“. Maior autem et gravior in docendo defectus ac macula esse non potest quam erroris praedicatio; hanc igitur Cyrillus verbis istis necessario excludit. Epiphanius de Ecclesia dicit[10]: „Quae bituminis vim habet, qua perniciosa ac

---

[1] In Matth. Comment. series n. 47 (MG XIII 1669).

[2] Hom. 5 in Ier. n. 16 (MG XIII 319).

[3] Ep. 73 ad Iubai. c. 11 (Hartel 786). [4] De unit. Eccl. c. 6 (ib. 414).

[5] Ep. 66, c. 9 (ib. 733).

[6] Ep. de ariana haeresi (MG XVIII 568): *Μίαν καὶ μόνην καθολικὴν τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ἀκαθαίρετον μὲν ἀεί, κἂν πᾶς ὁ κόσμος αὐτῇ πολεμεῖν βουλεύηται· νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἑτεροδόξων ἀσεβεστάτης ἐπαναστάσεως.*

[7] Ep. ad Epiphan., inter ep. S. Hieron. ep. 90 (ML XXII 757).

[8] Instit. l. 4, c. 30 (ML VI 542).

[9] Catech. 18, n. 23 (MG XXXIII 1044): *Διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα περί τε ὁρατῶν καὶ ἀοράτων πραγμάτων, ἐπουρανίων τε καὶ ἐπιγείων.*

[10] Haer. 51, n. 2 (MG XLI 890): *Ἔχουσα τῆς ἀσφάλτου τὴν δύναμιν, τὴν ἀποδιώκουσαν τὰ δεινὰ καὶ ὀλετήρια ἑρπετώδη διδάγματα.*

letifera serpentum dogmata propulsantur." Et rursus de vera doctrina ait[1]: „Ad haec nostra tempora in Ecclesia catholica incorrupta (ἀχράντως) servatur." Denique S. Augustinus de Ecclesia dicit[2]: „Non inclinabitur in saeculum saeculi. Ipsa est praedestinata columna et firmamentum *veritatis*."

Atque haec sufficiant[3] ad ostendendum, quam communis et constans, ideoque certe non levis fuerit veterum Patrum persuasio, Ecclesiam peculiari Dei providentia in vera Christi doctrina ita servari, ut ea semper incorrupta in ipsa vigeat.

Verum haec persuasio non solum Patrum, sed etiam omnium fidelium usque fuit. In omnibus enim fidei symbolis: apostolico, Nicaeno, Constantinopolitano professi illi semper sunt, Ecclesiam esse sanctam; ita autem eam vocare non potuissent, nisi credidissent, eam imprimis ratione doctrinae sanctam esse, i. e., habere veram et puram Christi doctrinam, cum nisi Ecclesia hac sanctitate praedita esset, nec sub alio respectu sanctitatem vere ac perfecte vindicare sibi posset. Sed neque Ecclesiam ratione doctrinae semper sanctam esse credere potuissent, nisi persuasum habuissent, veram Christi doctrinam in ea semper infallibili modo, scil. ab infallibili ac vivo magisterio conservari.

Denique haec universalis primorum saeculorum fides in Ecclesiae *infallibilitatem* probatur quoque *ipsa agendi ratione tam ipsius Ecclesiae quam fidelium*. Nam quod Ecclesia definiverat, hoc fidelibus fide divina amplectendum propositum est, et qui secus senserunt, velut homines ipsi Christo rebelles, divini evangelii refractarii et *Spiritui Sancto* contrarii ex gremio Ecclesiae abire iussi sunt. Neque aliter a credentibus definitiones ecclesiasticae ac ut divina auctoritate factae et ut *articuli fidei* agnoscebantur. S. Athanasius et S. Hilarius, magnaque sacerdotum et fidelium turba pro fide Nicaena exsilium, carceres atque omnis generis aerumnas sustinere maluerunt, quam a decisionibus s. synodi vel latum unguem recedere. Ambrosius a tractatu Nicaeni concilii nec morte nec gladio patitur separari[4]; ‚non esse omnino inter catholicos computandos' censet Leo M., ‚qui definitiones synodi Nicaenae, vel Chalcedonensis concilii regulas non sequuntur'.[5] Itaque etiam inde a primis christianae Ecclesiae incunabulis hoc commune immotumque catholicis principium fuit, id credendum agendumque omnibus fidelibus esse, quod credit atque ceu divinitus revelatum credendum et observandum proponit Ecclesia iugiter a Spiritu Sancto recta. Unde simul apparet, quali cum fundamento ab adversariis asseri possit, *infallibilitatis systema*, antiquitati prorsus ignotum, medio tandem aevo invaluisse[6].

Confirmatur denique quod asserimus etiam negative, monstrando nimirum, ea, *quae ab adversariis opponuntur*, vana ac erronea esse. Ac primum quidem

---

[1] Ancor. n. 82 (MG XLIII 171).
[2] Enarr. in Ps. 103 serm. 1, n. 17 (ML XXXVII 1350).
[3] Plures Patrum hac de re sententia vide apud Murray II 240 sqq.
[4] Ep. 21, n. 14 (ML XVI 1005).
[5] Ep. 162, ad Leon. Aug. c. 3 (ML LIV 1145).
[6] Schwetz II 118 sq.

α) dicunt nonnulli Angli, S. Paulum nullum in Ecclesia tribunal infallibile agnovisse[1]. Si enim, inquiunt, Christus in Ecclesia tribunal constituisset permanens atque in doctrina sua docenda fideique controversiis infallibile, quo tempore S. Paulus maiores natu ecclesiarum Mileti et Ephesi ante discessum suum ad sese vocavit deque gravissimis periculis postea fidei et religioni christianae in illa regione imminentibus monuit (Act 20, 26—32), imprimis eos adhortatus esset, ut ingruentibus istis periculis ad illud tribunal confugerent, et ab eo consilium et praesidium contra pericula peterent et acciperent; minime vero totum eorum contra ista pericula praesidium in eo posuisset, ut sibi ac gregi ipsis concredito sedulo attenderent vigilesque ac suarum admonitionum memores essent. Atqui Paulus nullum de eiusmodi tribunali verbum dixit, sed totum praesidium in illorum vigilantia reposuit.

At ista adversariorum ratio, quantumvis ab ipsis ut decretoria habita, est nulla. Imprimis enim S. Paulus, id quod paulo ante ostendimus, universalem Christi Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis appellando eam infallibilem esse declaravit; ergo si ista adversariorum ratio valere dicatur, affirmatur, S. Paulum sibi ipsi in re omnino gravi aperte contradixisse; quis autem christianorum S. Paulo, doctori infallibili, talem iniuriam inferat?

Praeterea appellatio ad tribunal infallibile Ecclesiae non fuisset subsidium aptum ad praecavenda pericula a S. Paulo praedicta. Nam duplex tantum excogitari potest ratio, cur ad istud tribunal appellandum fuisset, scil. *aut* ad discendam certam de re aliqua doctrinam, sive quia appellantes simpliciter voluissent doctiores fieri, sive quia orta inter ipsos de rebus fidei controversia voluissent eam dirimi, *aut* ad praecavenda pericula ex haeresi et haereticis alios in suas partes seducere conantibus oriunda. Iam vero de harum rationum *priore* apostolus non loquitur, sed loquitur de altera. Pericula enim, quae apostolus praedicit, oritura non erant ex domesticis eiusmodi controversiis, quas salva fide et sine haeresis periculo agitare licet, sed ex incursu haereticorum ipsam fidem depravare conantium, ut patet ex verbis, quibus Paulus describit et indolem et acta eorum, qui illorum periculorum auctores futuri essent. Vocat enim eos „lupos rapaces, non parcentes gregi“. „viros loquentes perversa, ut abducant discipulos post se“. Agebatur igitur de Ecclesiae hostibus, qui toti in eo erant, ut illas Asiae minoris ecclesias prorsus corrumperent. Atque hoc periculum *solum* hic Paulus spectasse ac de eo solo seniores monuisse inde liquet, quod hoc *solo* periculo indicato et praedicto continuo subiungit: „Propter quod (*διὸ*) vigilate“ etc. — Porro seniores illi iam accurate et perfecte a S. Paulo Christi doctrina edocti erant. Ait enim ad eos v. 18—20: „Vos scitis . . . quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos.“ Et rursus v. 26 et 27: „Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem *omne* consilium Dei vobis.“ Hanc igitur eorum eruditionem plenam et absolutam fuisse cum bis graviter affirmet apostolus, clare profecto eo ipso indicat, periculum illud non ex imperfecta eorum scientia esse oriturum, sed ex causa externa, ab hostibus scil. rapacibus. Quare eos prius (v. 28) ad vigilantiam exhortatus, tum (v. 29) periculum venturum annuntiat atque depingit. Sensus ergo eorum, quae Paulus dicit, hic esse videtur: de scientia quidem vestra religioni christianae nihil est timendum, sed attentione et vigilantia opus est vobis; ex alia enim parte ingruet malum, nempe ex lupis rapacibus etc. Iam vero cum periculum hic a Paulo praedictum a magistris haereticis immineret, accessus ad tribunal Ecclesiae infallibile, ad Petrum scil. vel alios apostolos vel post horum mortem ad eorum successores, ad istud periculum aut praecavendum aut superandum nec necessarius erat, cum is qui alloquebatur illos, apostolus Paulus, ipse etiam esset infallibilis religionis christianae magister, nec etiam satis utilis. Quo enim consilio ad illud tribunal confugissent? Num ut fidem christianam plenius et clarius edocerentur? Sed ipsi omnem Christi doctrinam iam ab infallibili apostolo plene edocti

[1] Cf. de hac obiectione Murray II 371.

erant; nihil utile enim illis in institutione illa subtractum (v. 20) atque omne consilium Dei iis patefactum erat (v. 27). Num vero, ut controversiae domesticae, inter ipsos agitatae, aut dubia solverentur? Sed de ipsorum dubiis respectu fidei deque eiusmodi controversiis Paulus ne verbum quidem dicit; qui praeterea eiusmodi dubitationes si obtinuissent, certe ipse solvisset atque diremisset. Num forte, ut discerent, utrum ipsorum esset, irruentibus erroris magistris aures praebere, an eos fugere aut oppugnare? Sed qui tam perfecte in disciplina fidei christianae instituti erant, id sane non ignorabant, quod vel quilibet tiro in schola Christi noscit, quodque ipsis certe inter *utilia* et *consilia* Dei annuntiatum iam erat. Num denique, ut discerent, quomodo agerent, ut se tutos et incolumes ab istis periculis servarent? Sed hoc eos hac ipsa concione diserte docet Paulus, et consiliis quidem quam maxime opportunis et efficacibus, hortando eos, ut sibi et gregi commisso sedulo invigilent, considerantes magnitudinem imminentium periculorum et strenue et sine omni avaritiae specie ad procurandam animarum salutem laborantes (v. 33—35). Quae quidem pastoralis vigilantia et simul praemunitio de imminenti periculo optimum atque ordinarium contra ingruentes errores remedium est, cum qui praemonitus est, quadamtenus etiam praemunitus est, et qui vigilat, non est inermis et imparatus; unde Christus quoque dixit Mt 24, 43: „Quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam." Quamvis igitur Ecclesiae infallibilitas necessaria sit, ut pura fides et integra Christi doctrina usque servetur, non est tamen per se necessarium, ut singuli homines, qui rectam fidem christianam iam habent, infallibile tribunal adeant, ut se tutos in fide conservent ab iis, qui falsis et perversis doctrinis eos pervertere velint.

Atque haec quidem recte responderi confirmatur ex aliis quoque Novi Testamenti locis. Cum enim apostoli christianos monent, ut erroris magistros caveant, eos hortantur ad vigilantiam (1 Tim 4, 16; 6, 20. 2 Petr 3, 17) atque ad istorum fugam (2 Io 10). Quando vero ortae sunt controversiae et dubitationes inter ipsos fideles, eae solutae sunt appellatione ad Ecclesiam docentem, quod patet ex 1 Cor 7, 1 et 8, 1. Ex istis enim locis manifestum est, dubia quaedam inter fideles Corinthios agitata fuisse de virginitate et usu idolothytorum, et Corinthios ista dubia S. Paulo proposuisse solvenda. Aliud insigne et decretorium plane exemplum habemus in controversia domestica de necessitate circumcisionis delata ad apostolos, ut ea, id quod factum est in concilio Hierosolymitano, ab iis dirimeretur. Inutiliter igitur S. Paulus illos seniores propter imminens illud periculum ad infallibile Ecclesiae tribunal relegasset, cum ab eo non plus praesidii, quam iam habebant, accipere potuerunt.

Nec opponere licet, S. Paulum ideo praecipue ad monendos seniores incitatum fuisse, quod praevideret, pericula ecclesiae Ephesinae *fallibili* obventura esse ex eo, quod ipse, *magister vivus infallibilis,* iam in perpetuum ab iis *discessurus* esset. Hoc enim totum falsum est, cum S. Paulus non dicat aut de discessu sui ipsius tamquam magistri *infallibilis,* aut de periculis orituris ex eo, quod ipsum magistrum infallibilem haud amplius secum habituri essent. Diserte enim et nominatim causam periculorum externam esse declarat solum adventum mox futurum hominum, qui falsas doctrinas allaturi sint; quatenus vero aliquid indicat de causis internis sive apud ipsos illos seniores exsistentibus, causam praecipuam esse indicat defectum vigilantiae et sibi ipsis et gregi debitae. Periculum ergo internum non situm erat in defectu magistri infallibilis, sed in defectu pastoris vigilantis. Unde ecclesia Ephesina, ut superaret periculum a Paulo praedictum, non duce *infallibili* indigebat, sed pastoribus *bonis,* et si futurum erat ut vinceretur, non illius, sed horum defectu vincebatur. Eam autem vinci sive veram fidem amittere potuisse probat et historia innumerabilium atque doctorum quoque hominum, qui a vera Christi fide defecerunt, et ratio. Assensus enim fidei cum ille sit liber et nulla ipsius rei creditae evidentia productus, etiam ab eo, qui in fide eruditissimus est, revocari potest.

Porro inter remedia, quibus obviaretur illis periculis, Paulus senioribus non proponit recordationem *doctrinae* christianae a se Ephesiis traditae, sed vigilantiam et recordationem *moniti* a S. Paulo toties per triennium repetiti de periculo venturo.

„Vigilate, memoria retinentes, *quoniam* (ὅτι) per triennium nocte ac die non cessavi cum lacrimis monens (νουθετῶν) unumquemque vestrum.“ Utique Paulus noluit, ut vel illi seniores vel simplices fideles Ephesii doctrinae ab ipso traditae umquam obliviscerentur; mera autem eius memoria non sufficiebat ad imminentia pericula avertenda, sed imprimis opus erat multa pastorum vigilantia, ideoque hanc Paulus diserte commendat. Fidei periculum utique est etiam doctrinae christianae oblivio, sed Paulus hoc loco non de omnibus omnino fidei periculis, sed de unico tantum definite loquitur, sive quia alia tunc nondum erant, sive quia illud unum periculum summum et maxime timendum erat, aut etiam citius immineret. — Quamvis porro S. Pauli monita hic data pro simili periculo ubicumque usque ad finem mundi eventuro summe salutaria, apta, accomodata sint, minime tamen sequitur, ipsum locutum esse hoc loco de omni et quocumque simili periculo usque ad finem mundi eventuro, non tantum de speciali aliquo mox post suum discessum ecclesiis Asiae minoris orituro. Paulum enim de mox futuro speciali periculo hic annuntiare manifestum est. Patet id enim ex verbis v. 29: „post discessionem meam (*μετὰ τὴν ἄφιξίν μου*)“. Nam licet ista verba significare etiam possint „*multo* post“, magis proprie tamen, praesertim si in oratione contexta nihil additum sit, quo contrarium indicetur, sonant „non ita longe post“. Insuper verba v. 30: „ex vobis ipsis“ nullatenus ad coetum sive ordinem episcoporum generatim spectatum, sed ad illos ipsos, qui astabant, referuntur. Atque reapse Paulo vivo istae Asiae ecclesiae illis ipsis periculis pressae sunt, quod satis apparet ex 1 Tim, 19 20: „Habemus fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus et Alexander“; et ex 2 Tim 1, 15: „Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus et Hermogenes.“ Cf. etiam Col 2, 16—19.

Verum appellatio ad infallibile Ecclesiae tribunal non solum inepta et inutilis, sed etiam *nociva* fuisset. Ea enim periclitantium mentes animosque a vero et per se efficaci praesidio avertisset, atque ideo tum propter neglectum verum subsidium, tum propter moram, quam appellatio defensioni attulisset, periculum illud multo auctum esset. Praeterea huiusmodi appellatio necessario significasset, aliquid novi a supremo tribunali definiri et tradi posse praeter ea, quae a S. Paulo senioribus iam tradita et isti defensioni necessaria vel saltem utilia erant. Sed haec sumptio falsa fuisset et verbis S. Pauli opposita, qui affirmat, se ipsum illis omnia non tantum necessaria, sed etiam utilia et omne consilium Dei iamiam annuntiasse. Quas ob causas ista prima adversariorum ratio frustra nobis opponitur.

β) *Deinde* nec validior est haec altera: „Synagoga infallibilis non fuit; ergo neque Ecclesia Christi infallibilis est.“ Nam etiamsi antecedens concedatur, manifeste tamen falsa est deducta inde consequentia. Si enim synagoga potuit per se errare, ideo id potuit, quod ei Deus infallibilitatem nec promisit nec contulit; eam autem Ecclesiae Christi promissam ideoque etiam collatam esse a Deo demonstravimus. Ceterum tametsi synagoga non habebat magisterium infallibile, quale Christus Ecclesiae suae dedit, eo tamen non omnino caruit. Nam usque ad Esdram longa et ferme continua infallibilium prophetarum series verae doctrinae ipsius corruptionem impedivit; quod vero postea fuit synedrium, vix videtur ostendi posse, umquam ante Christum ipsum ut tale falsam doctrinam docuisse. — Ex eo tamen, quod synagoga licet absolute falli potuerit, reapse tamen doctrinam suam puram servaverit, minime sequitur, etiam Christi Ecclesiae infallibilitatem necessariam dici non posse, ad Christi doctrinam usque puram et integram servandam. Nam multa sunt, quae synagogae, etiamsi per se errare potuisset, doctrinae purae conservationem tamen facilem reddidissent, quaeque de Christi Ecclesia affirmari minime possunt. Iudaeorum enim populus una eademque lingua valde diu utebatur, ita ut extremis tantum temporibus ex parte etiam graeca uteretur; nec etiam numero adeo magnus erat, deinde usque ad exsilium Babylonicum eandem regionem semper incolebat; insuper variis legibus et institutis propriis et peculiaribus ita copulabatur, ut ab aliis populis singulari prorsus modo distingueretur et seiungeretur. Praeterea articuli fidei ad aeternam salutem obtinendam necessario et nominatim credendi

paucissimi fuere, unitas nempe Dei ut creatoris et remuneratoris, et exspectatio futuri liberatoris Messiae; qui proinde quam facillime ad seram usque posteritatem integri propagari ac conservari potuerunt. Nec etiam communio cum synagoga, utpote quae non erat Ecclesia universalis, adeo ad salutem aeternam consequendam necessaria erat, ut non etiam illi, qui *nulla* ratione ad eam pertinebant, possent esse iusti et aeternam salutem obtinere. Praeterea comparata cum Ecclesia Christi synagoga generatim adeo imperfecta erat, ut huius tantum veluti umbra esset. Num igitur ex eo, quod operi rudi et imperfecto aliqua perfectio deest, rite concludatur, eam nec in opere eiusdem generis perfecto inesse posse? Nonne contrarium potius concludendum est?

γ) *Porro* opponunt adversarii angli, Christum et apostolos, tametsi infallibili auctoritate pollentes, non tamen *ut* eam habentes docuisse; doctrinam enim suam argumentis et rationibus allatis firmasse. Sic, aiunt illi, Christus ad Scripturas provocat Io 5, 39: „Scrutamini Scripturas" etc., et ad miracula sua ib. 36 et 14, 12: „Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me", et: „Propter opera ipsa credite." Item S. Paulus 1 Cor 15 argumentis probat resurrectionem mortuorum, et in epistula ad Galatas legalium abrogationem etc. Ex quo agendi modo concludunt, nec Ecclesiam docere debere ut magistram infallibilem ideoque reapse non esse infallibilem.

At etiam haec ratio est nulla; nam Christus et apostoli utique propter sapientes rationes nec *semper* nec *omnibus* auctoritatem suam infallibilem ut rationem credendi solam proposuerunt, nec etiam umquam ut auctoritate infallibili carentes ullo modo sese gesserunt; quinimmo si illae sapientes rationes non exstitissent, se semper ut infallibiles gessissent et ut auctoritate suprema pollentes docuissent; id certe ex sermonibus Christi in evangeliis relatis, ex Actibus apostolorum et ex eorum epistulis omnino manifestum et indubium est. Sapienti autem consilio Christus Io 5, 36 et 39 argumenta illa ex operibus suis et ex Scripturis profert, ut scil. iudaeos ad auctoritatem suam divinam, quam ipsi negabant, admittendam permoveret, quamquam v. 39 „scrutamini" probabilius non est imperativus, sed indicativus. Ipsa enim haec Christi divina auctoritas, cum contra eam negantes et respuentes argumentis demonstranda esset, non potuit se ipsa sola et nuda monstrari et firmari. Ita profecto ad refutandum atheum nec licet argumentari: admittenda est Dei personalis et unius exsistentia, quia ipse auctoritate infallibili pollens suam exsistentiam credendam proponit. — Io 14, 12 vero Christus locutus est ad apostolos quidem, sed ad apostolos nondum in fide invictos, verum infirmos et timidos, qui paulo post in ea fidei pericula inciderunt, in quibus omni ope et praesidio indigebant. Nec etiam Christus hic loquitur de miraculis suis ceu argumentis, nisi ut *suam in docendo auctoritatem infallibilem ac divinam demonstraret,* ita ut sensus sit hic: si verbo meo propter illud ipsum non creditis, credite saltem propter auctoritatem meam miraculis confirmatam. Unde huiusmodi loci adversariorum sententiam non firmant, sed directe oppositam doctrinam plane comprobant, Christum scil. auctoritatem suam infallibilem non solum non postposuisse et neglexisse, sed eam potius ut unicam aut certe summam et ultimam credendi rationem proposuisse.

Paulus porro non tantum locis allatis, sed in aliis etiam epistulis praeter auctoritatem suam ad Christi doctrinam suadendam et demonstrandam alia quam plurima argumenta profert propter quadruplicem maxime causam. *Primum* enim ea profert contra illos doctores, qui Christi fideles erroribus suis imbuere omnibus modis conabantur, ut patet ex eius epistulis ad Galatas, Corinthios aliasque ecclesias datis. *Deinde* primo illo tempore iam fuerunt, sicuti nostra aetate sunt semperque erunt, fideles, qui plus minusve in fide infirmi erant. Huiusmodi autem christianis perutile est, varia proponere argumenta, eorum captui et conditioni accommodata, quibus vera Christi doctrina comprobatur et confirmatur, et vanitas adversantium errorum demonstratur. Hisce enim argumentis fidelium fides scientifico modo roboratur, patefiunt fraudes insidiantium adversariorum, eorum incursus repelluntur, ipsa docentis auctoritas confirmatur. *Tum* fides semper magis magisque augeri ac

perfici eiusque veritatum cognitio usque amplior et clarior reddi potest. Iam vero argumenta varia, quae veritates fidei variis modis firmant et illustrant, apta certe sunt, quae ad firmiorem veritatibus fidei praestandum assensum magis magisque moveant eiusque veritatum notitiam perficiant. Argumenta enim ista tametsi ipsam rationem, propter quam Christi doctrinae fide divina creduntur, non efficiunt, declarant eam tamen mirifice, et quam rationabilis sit fides christiana, quam vanae ac futiles adversariorum ratiunculae ostendunt. Quare etiam is, qui infallibilem Ecclesiae auctoritatem credit, de singulis fidei doctrinis disputare potest, quamquam id non potest hoc sensu, tamquam specialia illa argumenta, quibus singularum doctrinarum veritas monstratur, ipsi essent propria ratio illas doctrinas fide christiana credendi. Disputatio igitur de iis prohibita non est, quasi argumenta illa non essent utilia ad fidelium fidem firmandam, vel ad aperiendos eorum oculos, qui a fide vera alieni sunt, vel ad refellenda adversariorum sophismata. *Denique* eo ipso, quod istiusmodi argumenta non solum assensus firmitatem augere, sed etiam veritates fidei magis declarare et illustrare valent, haud parum adiuvant, ut piorum animi altius ad Deum erigantur eiusque amore accendantur. Quo clarius enim christianae doctrinae veritas et pulchritudo perspicitur et agnoscitur, eo magis etiam intelligitur, quantum Deus illius doctrinae revelatione donum nobis praestiterit, quamque perfectus et infinite amabilis sit ipse. — Ex allata igitur ratione nullatenus sequitur, Ecclesiam non debere docere ut magistram infallibilem, ideoque revera infallibilem non esse.

δ) *Evidens est*, Ecclesiae infallibilitate haud inutilem reddi S. Scripturam. Hoc aliquatenus iure dici posset, si Ecclesia affirmaretur non solum infallibilis, sed etiam respectu omnium christianae religionis doctrinarum divinitus *inspirata* eo sensu, quo haec vox a christianis theologis vulgo accipitur. Hanc autem inspirationem Ecclesiae minime vindicamus, cum infallibilitatem ei ascribimus, unde patet, infallibilitate Ecclesiae S. Scripturam inutilem non reddi, sed vere demum et summe utilem effici. Infallibilitatis enim solius ope non solum certa, sed infallibiliter vera S. Scripturae interpretatio haberi potest.

Pariter evidens est, doctrina de Ecclesiae infallibilitate neque evidentiam moralem, quae de veritate doctrinarum religionis christianae habetur, e medio tolli. Quam maxime enim ea evidentia in re religionis augetur et firmatur, utpote infallibilis reddita. Nec minus manifestum est, auctoritatis privatae testimonium infallibilitate vi sua non destitui, nisi testimonium illud sit Ecclesiae infallibilis definitionibus oppositum ideoque falsum. — Nec etiam homines a religione christiana alienari atque abduci possunt propter infallibile magisterium. Ecclesia enim simplicem et perfectam oboedientiam sibi ut magistrae infallibili praestandam sine gravissimis et prorsus validis rationibus non postulat, cum, ut monstravimus, invicta argumenta infallibilitatem divinitus ipsi collatam esse reapse demonstrent; nec fieri umquam potest, ut, quod ipsa infallibili iudicio vere definivit, falsum esse postea reperiatur.

Unde etiam patet, quam falso multi adversarii opponant, Ecclesiae auctoritate infallibili libertatem et usum rationis fidelium necessario perimi. Ut enim hac de re, de qua in tertio huius operis tomo tractandum erit, pauca hic annotem, rationis humanae *vera libertas* et *rectus ipsius usus* in eo solo consistit, ut intellectus veritatem eamque solam anquirat inventamque ita teneat, ut in perpetuum possideat. Sicut enim voluntas in ordine morali amorem tantum et possessionem vere boni atque virtutis tamquam finem sibi propositum habet, eoque adepto vera libertate morali fruitur atque quiescit, amando contra malum morale serva fit peccati veraque libertate morali magis magisque usque privatur, ita etiam ratio in vero tantum, pro quo creata est, sive in solius veritatis amore, studio ac possessione vere libera quiescit; constricta contra errore, qui intellectus naturae finique ei proposito prorsus opponitur, pariter libertatem veram plus minusve amittit, prout plus minusve a vero aberrat. Competit nobis libertas quidem veritatem cognitam non solum admittendi, sed etiam repudiandi; at si eam repudiamus, non minus aeque male illa libertate utimur et servi erroris ac perversae licentiae evadimus, ac voluntas nostra libertate sua abutitur et serva peccati fit, si licito illicitum et bono malum

praefert atque ita peccandi licentiae se tradit. Iam vero quidquid magisterium infallibile ut tale docet atque definit, infallibiliter verum est; eiusmodi ergo iudicio atque definitioni qui sese submittit, rationis libertate et recto eius usu adeo non privatur, ut ratio in ea veritate nobilissima rationis suae et libertate et exercitatione gaudeat. Nullae enim veritates religiosae maioris momenti sunt, nullae certius cognoscuntur quam eae, quae ab infallibili magisterio proponuntur. Quare incredibilis levitatis est putare, actu fidei, quae infallibilis auctoritatis iudiciis adhibetur, rationem deprimi vel libertate sua privari, cum assensus illis iudiciis datus non solum rationi non adversetur, sed ei ita consentaneus sit, ut inter omnes actus rationabiles, ipsius rationis iudicio, nullus sit vel esse possit actus, qui magis rationabilis sit. Abusum igitur rationis Ecclesia impedit, usum non tollit. Praeterea illud adnotandum hoc loco vix est, quod infallibile magisterium humanam rationem sibi ipsi plane relinquit in omnium earum scientiarum et artium studio, quae Christi religionem nulla prorsus ratione attingunt, eam autem summopere iuvat et perficit in studio veritatum ordinis tum supernaturalis tum naturalis. In cognoscendis enim iis difficilioribus ordinis naturalis veritatibus, quas ratio humana per se sola pro infirmitate et caecitate sua aut plane numquam aut tantum sero et summa difficultate posset indagare, revelata doctrina lucem multam affert.

ε) *Non magis* opponere licet: si Ecclesia infallibilis divinae revelationis custos ac magistra esset, nulla umquam controversia oriri potuisset vel de numero librorum S. Scripturae vel de traditionibus, cum tamen notum sit, magnam circa has res inter diversas Ecclesias diversosque Patres dissensionem fuisse. Ut enim iam diximus, hae controversiae locum habere utique non potuissent, si Ecclesia infallibilis redderetur aut nova usque revelatione aut inspiratione; cum autem infallibilitas consistat per se tantum in assistentia divina, qua fit, ne Ecclesia in fidei vel morum definitionibus erret, controversiae de rebus religionis non omnino claris necdum definitis facile oriri possunt. Et de numero quidem sacrorum librorum deque veritate nonnullarum traditionum eo facilius eae esse potuerunt ante Ecclesiae iis de rebus latum iudicium, quod „apostoli acceptam a Christo revelationem consignarunt vel singularibus individuis, episcopis scil., vel particularibus ecclesiis, quas instituerunt et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinae corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, eam proponebant, prout colligitur ex 1 Cor 3, 1 2 et alibi passim. Hinc non potuit statim constare singulis episcopis vel ecclesiis particularibus, ex quibus Ecclesia universalis coalescit, de iis, quae apostoli sive viva voce sive scriptis singularibus vel episcopis vel ecclesiis commiserunt. Inde ortae quandoque vel excitatae controversiae sive circa numerum librorum canonicorum, sive circa veritatem aliquarum traditionum, sive demum circa legitimum sensum quorundam Scripturae locorum, donec collatis suffragiis Ecclesia universa divina ope suffulta de iis determinaverit seu iudicium tulerit." [1]

ζ) *Denique* ex eo, quod in multis vitae negotiis, etiam publicis et gravioris momenti, v. g. in litibus componendis, saepe habere non possumus nisi maiorem vel minorem probabilitatem, profecto non sequitur, Deum noluisse, nos habere infallibilem certitudinem in negotio fidei. Omnia enim hac in re a Christi voluntate pendent; Christum autem infallibile magisterium ad infallibilem in rebus fidei et morum certitudinem nobis procurandam reapse in perpetuum instituisse, sane satis superque iam probavimus [2]. Praeterea in aliis plerisque negotiis non requiritur

---

[1] Perrone, De vera religione P. 2, prop. 3, n. 56.

[2] Hinc evidens est, quanta *falsitate* Faustus Socinus (De Ecclesia: Biblioth. Fratr. Polonor. I 345) scripserit: „Si eam Ecclesiam intelligitis, quae nullo modo errare possit, idque ipsa et iure sibi persuadere queat; nulla umquam fuit talis Ecclesia, etiamsi de erroribus loquamur, qui salutem aeternam adimere possunt."

nisi vera probabilitas, quia non agitur nisi de eo, quod conveniat in rebus agendis, aut quia non opus est assensu omnino firmo. In quamplurimis tamen habetur etiam certitudo naturalis summa vel metaphysica, vel physica, vel saltem moralis.

Evidens quoque est, Ecclesiae infallibilitate fidem christianis veritatibus habendam nullatenus impediri, cum eae infallibili definitione per se non reddantur in se evidentes, sed tantum infallibiliter certae ac verae; ceterum secundum quam plurimos theologos etiam doctrina per se evidens, si ab infallibili magisterio definiatur, propter auctoritatem divinam credi potest.

2. Infallibilitas porro activa Ecclesiae Christi ita tributa est, ut nec populo Christo fideli nec principibus christianis, sed solis apostolorum in sacro regimine successoribus e Christi voluntate conveniat. Nam

a) *cum Christus,* id quod supra probavimus, apostolis *ut Ecclesiae suae rectoribus iam constitutis* Mt 28, 20: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" infallibilitatem contulerit et infallibile magisterium ita instituerit, ut usque ad finem mundi exsistere debeat, manifestum est, infallibilitatis activae donum collatum esse etiam iis, qui apostolis in munere Ecclesiae regendae in perpetuum succedere debent, et *iis quidem solis,* minime autem vel fidelium populo vel futuris diu postea principibus christianis. Solis enim apostolis Christus ea dixit, quae habentur Mt 28, 20, ut patet ex eo quod ea dixit ad illos, quos misit in universum mundum ad praedicandam suam doctrinam; hi autem soli apostoli fuerunt (cf. supra p. 8). Praeterea Christus optime scivit, apostolos non in perpetuum victuros esse, ergo pronomine „vobis" necessario intellexit et comprehendit non utique vel populum christianum vel eius principes ac reges, sed solos legitimos apostolorum in sacri regiminis munere successores eosque omnes. Ita tamen isti apostolorum successores comprehenduntur, ut Christus iis non singulis — id quod apostolorum erat privilegium —, sed omnibus coniunctim sumptis infallibilitatem conferret.

Apostolorum enim successoribus, ut unum coetum constituunt, non vero eorum singulis infallibilitatis promissionem istis verbis factam esse patet ex eo, quod α) verba Christi ad apostolos simul congregatos et coniunctos dicta sunt; β) forma pluralis verborum „eun*tes*, do*cete*" hoc indicat; γ) munus hic demandatum docendi omnes gentes non a singulis seorsum spectatis plane obiri potuit; δ) denique assistentia non singulis, sed omnibus simul promissa est verbis: „Ego *vobiscum* sum." Item Christus dixit (Lc 12, 12): „Spiritus Sanctus docebit *vos*." Nolumus tamen negare, Christum etiam particularibus ecclesiis atque vel singulis episcopis et etiam fidelibus auxilium suum praestare, ut a recta fide non aberrent, si tamen ipsi id, quod debent, rite praestent, ne in eiusmodi errores incidant. Conditionata igitur, non absoluta promissione potest Christus dici velle etiam illis sufficiens auxilium praestare, ut in recta fide conservare se valeant.

b) *Tota christianae antiquitatis* ac praesertim conciliorum historia testatur, Ecclesiae magisterium semper a particularium ecclesiarum

moderatoribus, numquam vero aut a populo aut a principibus christianis exercitum esse, nec tamen singularum ecclesiarum praepositos singulos activa infallibilitate donatos habitos esse.

c) *Nec etiam intelligitur,* quomodo fieri posset, ut magisterium Ecclesiae in veram eius utilitatem aut a principibus aut a populo exerceretur. Primum enim nec reges civilesque magistratus, nec populus theologiae studiis vacare iisque in media negotiorum civilium occupatione et sollicitudine ita excoli possunt, ut ad docendam vere atque integre religionem christianam satis scientiae habeant. Nec dicatur, principes posse consulere theologos eorumque consiliis et doctrina instructos Ecclesiam docere. Praeterquam enim, quod Christus magisterium Ecclesiae suae rectoribus, apostolis horumque in regendi officio successoribus, nullatenus vero proprie ac per se theologis commisit, quosnam, quaeso, theologos consulerent illi reges eorumque administri ac generatim magistratus civiles, qui Ecclesiae plus minusve adversarii ac interdum increduli aut societatum occultarum contra Ecclesiam conditarum membra et patroni sunt? Num isti secundum eorum theologorum consilia agerent, qui Ecclesiae vere faverent totoque animo devoti essent, an non potius eos in consilium adhiberent, qui propriis commodis honoribusque multo magis quam Ecclesiae bono studentes hocque facile prodentes ingentem quidem reverentiam adhiberent regibus ac potestati civili, minimam vero vel nullam auctoritati ecclesiasticae, quique scientia sua aut ficta aut etiam vera inflati, dum nullos, ne Ecclesiae quidem praepositos, sibi contradicentes paterentur, ipsi libenter Ecclesiae rectoribus, etiam summis obloqui eosque vituperare et corrigere studerent? Atque his similibusque theologis Christus, Deus omniscius et infinite sanctus, Ecclesiae suae magisterium committere voluisse quis sanae mentis fingat?

Atque non magis fieri potest, ut *populo ipsi* magisterii munus Christus deferre voluerit. Fieri enim non potest, ut universus populus christianus immediate per se illo magisterii munere fungatur, cum tunc singuli et universi christiani magistri essent, nulli autem discipuli; quomodo autem instructio dari potest, si innumeri quidem magistri adsunt, nulli autem discipuli? Et qua ratione universus fidelium populus concilia generalia vel etiam particularia celebrare posset? Et si fidelium plurimi variis falsis opinionibus et erroribus infecti essent, quinam rectam Christi doctrinam docerent? Num vero singulis et universis fidelibus Christus infallibilitatem activam concessisse ullibi legitur? — Si vero populus christianus per homines a se electos se ipsum aliosque docere vellet, fieri posset, ut non solum electiones quam maxime turbulentae essent, quemadmodum in nonnullis civitatibus sunt pro eligendis magistratibus civilibus, sed ut etiam prorsus impii eligerentur, utque minor pars populi, bona et vere christiana, a maiore parte male et fortasse solo nomine christiana vinceretur atque ita fidem veram etiam ipsa amit-

teret. Verum quid evidente hac de re plura, cum Christus clare *solis* apostolis eorumque in Ecclesiae regimine legitimis successoribus infallibilitatem ac magisterium contulerit?

Itaque, id quod sedulo notandum, magisterium infallibile Ecclesiae in omne tempus penes apostolorum in sacro regimine successores manere debet[1]; in quo igitur christianorum coetu illud regimen vere reperitur, dicendum est, esse etiam illud, quod regimini annexum est, infallibile magisterium, continuandum usque *ipsa in munere Ecclesiam regendi successione.*

Immutabilis igitur est Ecclesiae forma externa, ideoque

D. ECCLESIA IMMUTABILIS QUOQUE EST QUOAD FORMAM SUAM INTERNAM SIVE QUOAD RECTAM FIDEM, ET ITA QUIDEM, UT NON LICEAT

1. umquam reicere quidquam e doctrina a Christo Ecclesiae tradita. Nam

a) *ideo Christus* infallibile magisterium perenne esse voluit, ut doctrina sua per se ipsum et apostolos Ecclesiae tradita in perpetuum integra conservaretur et explicaretur, utque fideles omnes huic magisterio sincere crederent, itaque veram semper ac puram fidem haberent. Clarum enim est, tum fideles auctoritati a Christo constitutae debere oboedire, cum alioquin dicendum esset, id quod absurdum est, Christum Deum magisterium sacrum inutiliter omnino instituisse; tum magisterium illud infallibile non posse deesse umquam officio suo, quo Christi doctrinam integram ac puram ab omni errore conservare debet; eius enim infallibilitas non a magisterii illius ipsis membris, sive a magistris, sed immediate ab ipso Christo Deo pendet; ipse autem Deus quae absolute promisit, perfecte semper exsolvit. Ergo Ecclesia respectu fidei ita semper immutabilis esse debet et reapse erit, ut numquam possit e Christi doctrina sibi tradita quidquam reicere, cum Ecclesia infallibilis ut *docens* omnem ac puram Christi doctrinam non possit non integre semper conservare et interpretari; ut *discens* vero debeat infallibili magisterio sese subicere semperque credere doctrinam ab eo propositam, Christi scil. et apostolorum integram semperque eandem ac puram.

b) *Eiusmodi imminutio* doctrinae Christi iure fieri non potest, nisi ex Christi ipsius legislatoris auctoritate; atqui Christus nemini istam auctoritatem commisit aut umquam committet. Et vero apostolis eorumque successoribus in omne tempus futurum evangelii sui promulgationem ac custodiam demandavit. Iussit enim eos Mt 28, 20,

[1] Quae cum ita sint, haud intelligo, quid sentiendum sit de scientia protestantis Gerhard, qui falsis protestantismi opinionibus plenus in libro suo Loci theol. XI (1667) 134 sq scribere ausus est, Christi promissionem Mt 28, 20 intelligendam esse de *electis* et *vere credentibus, quamdiu* scil. vere credentes sunt, ergo de Ecclesia invisibili, non vero de visibili, et huius quidem pastoribus, utut apostolorum solis successoribus!

ut docerent servare *omnia,* quaecumque ipse iis mandaverat. Nec sane ipse Deus quidquam inutile docuit; docuisset autem, si eorum, quae docuit et mandavit, liceret aliquid reicere et ex fidei christianae ambitu delere. Quae enim ipse docuit et mandavit, non pro certo tantum tempore, sed pro omnibus temporibus valere voluit, ut patet ex eo, quod religionem suam universalem ac perpetuam esse voluit, eaque etiam reapse, teste tum sua ipsius natura, tum fidelium christianorum omnium temporum et locorum experientia, nihil contineat, quod non semper et ubique credi et observari possit.

Idem patet quoque ex *ipsa* doctrinae christianae *origine.* Ipsa enim haec doctrina non est humanae rationis foetus, sed supernaturalis ac divinitus hoc consilio tradita, ut eam sincera fide veroque assensu amplectamur; ergo humanae rationi non licet revelationis istius divinae argumentum imminuere.

2. Ecclesia quoad fidem suam ita immutabilis est, ut nec liceat Christi doctrinam alio aut etiam contrario, quam quo Christus voluit, sensu explicare et credere. Nam Christus, ut ipse dixit, est perpetuo cum apostolis eorumque in Ecclesiae regimine et magisterio successoribus; sed illi docendo non solum Christi doctrinas, verum etiam sincerum earum sensum tradebant semperque tradere debent, cum et doctrinae, quantumvis bonae ac praeclarae, non recte intellectae et explicatae ad nihil boni valeant, et propter id ipsum infallibiles magistri ipsi constituti sint, ut non solum Christi doctrinas rite scirent, sed eas vero et puro sensu etiam in perpetuum explicarent. Iam vero verba doctrinae Christi, non *ipsa doctrina* contra disertum Christi mandatum usque ad finem mundi praedicarentur, si a sensu quidem doctrinae eius recedere liceret, a verbis recedere non liceret; Christus etiam auxilium suum apostolis eorumque in magisterio successoribus tunc promisisset non *ad ipsius suae doctrinae* praedicationem, sed ad retinenda ipsa sua verba, si forte horum verborum primitivus sensus posteriore tempore scientiis progredientibus reperiri posset falsus. Quinimmo tunc Christus non fuisset veritatis, sed erroris magister. — Instituto porro infallibili Ecclesiae docentis magisterio a fidelibus omnibus temporibus sincera fides habenda est; ergo eo tantum sensu Christi doctrinam interpretari licet, quo ipse Christus eam docuit et explicat ope infallibilis ab ipso instituti in Ecclesia magisterii.

3. Denique praeter id, quod Christus et apostoli docuerunt, non licet quidquam omnino novi tamquam de novo revelatum addere, ita ut Christi religio in se sive obiective spectata perfectior et amplior effici possit. Nam

a) *Christus voluit* (Mt 28, 20), ut eadem religio, sive eadem illa religiosarum veritatum summa, quam apostoli edocti erant, praedi-

caretur usque ad finem mundi. Sed non esset eadem simpliciter religio, si novum doctrinae caput adderetur; novis enim doctrinis adiectis fieret nova religio, quemadmodum religio patriarcharum, addita lege mosaica, nonnihil nova evasit. Quare quaecumque ipsius christianae religionis praetensa emendatio e Christi sententia nihil nisi eiusdem corruptio censenda est. Ideo apostolus dicit Hebr 13, 8: „Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula", unde sequitur, etiam religionem Christi semper debere esse eandem et immutabilem, cum ipse Christus sit praecipuum eius argumentum. Propterea Paulus Gal 1, 8 9, etiam si angelus aut alius quicumque evangelio Christi quidquam adderet, quod in eo ne quoad substantiam quidem contineretur aut ei contrarium esset, anathema eum dicit.

Quod argumentum confirmatur perpetua missione apostolica. Cum enim apostoli iubeantur illam veritatum summam, quam acceperant, et eam solam usque ad finem mundi praedicare, iure possunt excludere illos omnes, qui alias doctrinas velint adiungere; nam si nova revelatio divina ideoque nova religio annuntiaretur, apostolica missio cessaret et inciperet nova docentium missio; hoc autem Christi verbis repugnat, quibus missio apostolica docetur perpetua.

b) *Si christiana religio* perfici posset, hoc inde esset, quod aut Christus eam imperfectam docuit, aut apostoli eam non integre et perfecte tradiderunt. Atqui neutrum dici potest. Dici non potest *primum,* quod repugnat Christi divinitati. Cum enim ex infinita caritate Deus ad nos venire atque nostram humanam naturam in sui consortium assumere sibique coniungere voluerit nosque „filii Dei nominemur et simus" (1 Io 3, 1), nulla ratione dicere aut suspicari licet, eum non perfectam revelationem perfecto modo attulisse. Fuit enim Christus omniscius atque infinite verax et magister perfectissimus, et adeo nostri amans, ut maiorem caritatem nobis exhibere potuisse minime videatur, quam reapse exhibuit. Huic autem Christi Dei tantae sapientiae et caritati repugnat, quominus, cum nobis revelationem tribuere voluerit, eam non perfectissimam et perfectissimo quidem modo nobis filiis suis communicarit. — Nec opinari licet, Christum ut hominem in docenda divina revelatione muneri suo ulla ratione defuisse. Id enim suspicari nullatenus permittit tum humanae naturae Christi hominis summa perfectio atque intima cum Deo Verbo unio, tum diserta eius declaratio. Ait enim ipse Christus ut homo Io 17, 4 ad Deum Patrem: „Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam", et ib. 15, 15 ad apostolos: „Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis." Dixit quidem postea Io 16, 12 iisdem: „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo"; sed praeterquam quod pleraque, quae manifestanda restabant, videntur fuisse tantum ulterior eorum, quae iam revelaverat, explicatio, subdit ipse protinus v. 13: „Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem* veritatem", et ita quidem, ut, quemadmodum v. 14 additur, illud

quod apostolis annuntiaturus sit, ab ipso Christo, ut Deo, accipiat et ita ipsum Christum clarificet, nihil ergo, quod Christi doctrinae vel adversetur vel divinum non sit, docturus sit. Ergo Christus, quae revelanda habebat, aut per se immediate aut per Spiritum Sanctum reapse revelavit.

Sed nec *alterum* dici potest, apostolos scil. Christi revelationem manco et imperfecto modo praedicasse, Christus enim non solum promisit, Spiritum eos *omnem* veritatem religiosam docturum esse, sed apostolis insuper dixit Io 14, 26: „Paraclitus Spiritus Sanctus . . . vos docebit *omnia* et suggeret vobis *omnia,* quaecumque dixero vobis." Ergo totam Christi revelationem apostoli edocti sunt, et cum infallibiles essent eiusdem magistri, eam etiam recte omnino praedicare et interpretari potuerunt. Eos autem reapse *totam* Christi revelationem integre, aut explicite, aut saltem implicite populis praedicasse, ita ut post omnem eorum praedicationem verbo et scriptis peractam nihil omnino novi tamquam divinitus revelatum christianae doctrinae superfuerit hominibus tradendum, certum est tum ex magno et sincero apostolorum studio Christi religionem ubique omnibus quibus poterant modis praedicandi, tum ex ipsorum sanctitate et summo erga Christum amore et obsequio, necnon ex multis miraculis, quibus, ut iam vidimus, Deus ipsorum praedicationem ubique confirmabat. Si enim apostoli gravissimo suo muneri, *totam* Christi revelationem hominibus praedicandi, defuissent, Deus eorum praedicationem miraculis non adeo approbare et gloriosam reddere potuit, sed potius eorum praedicationis defectum manifestare et punire debuit. — Idem sequitur etiam ex hoc, quod tantum abest, ut revelatio christiana instar revelationis mosaicae aliam revelationem postea futuram praenuntiet, ut contrarium clare significet. Ipsa enim comparata cum revelatione mosaica caduca et imperfecta dicitur ab apostolo testamentum *manens* (2 Cor 3, 11), regnum *immobile* (Hebr 12, 28) et revelatio *perfecta* et *plene sufficiens* (ib. 7, 11 sqq), necnon futurorum bonorum *ipsa imago,* dum contra lex mosaica eorundem bonorum *umbra* tantum appellatur (ib. 10, 1).

c) *Revelatio christiana,* ut est ab apostolis praedicata, incrementum obiectivum accipere posse a christianis censeri nequit, si, teste S. Scriptura, apostolorum successores iubentur tantum *custodire* depositum fidei acceptae, sive docere ea, quae didicerant, et si fideles obligantur tantum, ut *servent* ea, quae ab apostolis tradita sunt; atqui ita res revera se habet. Paulus certe 1 Tim 6, 20 dicit: „O Timothee, depositum [scil. fidei acceptae, quod patet ex 2 Tim 2, 2 et ex contexta oratione, cum depositum illud falsae scientiae opponatur] custodi (*τὴν παραθήκην φύλαξον*), devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae"; et 2 Tim 3, 10 14: „Tu autem assecutus es meam doctrinam. . . . Tu vero *permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi,* sciens, a quo didiceris." Et ib. 1, 13 14 rursus ait: „Formam

habe sanorum verborum, quae *a me audisti in fide* . . .; bonum depositum *custodi* per Spiritum Sanctum." Et ib. 2, 2 dicit: „Quae audisti a me per multos testes, *haec* (*ταῦτα*) commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere." Necnon ad Romanos scribens Paulus 16, 17 ait: „Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula *praeter doctrinam, quam vos didicistis* (*παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε*), faciunt, et *declinate* ab illis." Atque in 2 ep. ad Thess. 2, 15 scribit: „Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis (*κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε*), sive per sermonem, sive per epistulam nostram." Idem repetit scribens Col 2, 6 7 8: „Sicut *accepistis* (*παρελάβετε*) Iesum Christum Dominum [eius scilicet doctrinam] in ipso ambulate, radicati et superaedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis... Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum." Atque idem docet etiam in ep. ad Hebr 13, 7—9. Item apostolus Iudas v. 3 scribit: „Carissimi . . ., necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari *semel traditae* sanctis *fidei* (*παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει*)."

Confirmatur idem 1. doctrina et praxi Ecclesiae. Nam

a) *semper ea ubique* docebat, apostolorum successores esse *custodes* fidei apostolicae, nihilque ei addi, nihil etiam detrahi posse.

Ita iam in Doctrina duodecim apostolorum praecipitur[1]: „Ne derelinquas mandata Domini, custodies vero, quae accepisti neque addens, neque demens." Eadem in epistula, quae dicitur Barnabae leguntur[2]: „Servabis quae accepisti, nec addens, nec demens (*φυλάξεις, ἃ παρέλαβες, μήτε προστιθεὶς μήτε ἀφαιρῶν*)." Irenaeus dicit[3]: „Agnitio vera est apostolorum doctrina et antiquus Ecclesiae status in universo mundo (*γνῶσις ἀληθὴς ἡ τῶν ἀποστόλων διδαχὴ, καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου*)." Atque etiam Tertullianus haec scribit[4]: „In primis hoc propono, unum itaque et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omnimodo debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint, cum invenerint, credere. . . . Quaerendum est, donec invenias, et credendum, ubi inveneris, et *nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti,* dum hoc insuper credas, *aliud non esse credendum,* ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est." Basilius quoque ait[5]: „Nos praecipimus iis, qui in Christum sperant, nihil curiose praeter antiquam fidem inquirere."

b) *Semper etiam vigebat ubique in Ecclesia hoc axioma*: omnem plane *novam* doctrinam non ad fidem, sed ad haeresim pertinere.

Certe Tertullianus iam adversus Marcionem ait[6]: „Si constat, id verius (esse) quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud

[1] L. 4, c. 5 (ML II 366).
[2] C. 4, n. 13 (Funk I² 15). [3] C. 19, n. 11 (ib. 92).
[4] Adv. haer. l. 4, c. 33, n. 8 (MG VII 1077). [5] De praescr. c. 9 (ML II 23).
[6] *Ἡμεῖς παρακαλοῦμεν τοὺς ἠλικιότας εἰς Χριστὸν, μηδὲν παρὰ τὴν ἀρχαίαν περιεργάζεσθαι πίστιν* (Ep. 175: MG XXXII 652). Cf. Vincent. Lir. (ML L 667 673).

ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum." Et rursus ait[1]: „Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus." Et Coelestinus I ad episcopos Gallos dicit[2]: „Desinat . . . incessere novitas vetustatem." Et Xystus III ad Ioannem Antiochenum scripsit[3]: „Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adici convenit vetustati." Atque idem tradit Vincentius Lirinensis[4]. Et Hieronymus Tractatus in Ps. 86, v. 6 („Dominus narrabit in scripturis populorum et principum horum, qui fuerunt in ea") dicit[5]: „Qui *fuerunt,* non qui *sunt,* ut exceptis apostolis, quodcumque aliud postea dicitur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem." — Hinc Thomas Waldensis docens Ecclesiam respectu ipsius obiecti fidei non posse *novum* fidei articulum condere, recte dixit[6]: „Cum Ecclesia iam creverit in virum perfectum, quamvis sit aeque potens ut olim, non tamen datur ei crescere ut olim secundum staturam." Iure igitur Pius IX damnavit hanc propositionem 5 Syllabi: „Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressui respondeat"; et Pius X hanc: „Progressus scientiarum postulat, ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de creatione, de revelatione, de persona Verbi Incarnati, de redemptione"[7].

c) *Fides apostolica* semper etiam habebatur ut fides Ecclesiae, quia, ut ait Irenaeus[8], „non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum". Quod confirmatur omnium theologorum Ecclesiae romano-catholicae consensu, utpote qui aut diserte affirment aut saltem ut certum sumant, nihil, quod in Scriptura Sacra vel traditione apostolica non contineatur, ad fidem divinam christianam pertinere. Atque toti Ecclesiae definire, aliquam veritatem ad fidem christianam pertinere, nihil aliud umquam erat, quam definire, illam doctrinam contineri in Scripturis vel in traditione ab apostolis tradita. Ita egerunt Patres concilii oecumenici Nicaeni I, Ephesini, Chalcedonensis et Nicaeni II, recurrentes ad doctrinam, quae antiquitus iam ab apostolorum tempore viguerat. Notum denique est, contrariam doctrinam montanistarum aliorumque deinde haereticorum ab Ecclesia ut falsam et stultam reiectam esse. Unde Vincentius Lirin.[9]: „Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat,

---

[1] De praescript. c. 7 (ML II 20).
[2] Ep. 21, n. 2 (ML L 529).
[3] Ep. 6, n. 7 (ML L 609).
[4] Commonit. 2, 33 (ML L 684).
[5] G. Morin, Anecdota Maredsolana III 2, Maredsoli 1897, 104. ML XXVI 1083.
[6] Doctrinale fid. cath. l. 2, c. 22, n. 2 (Opera I 353).
[7] Denzinger-Bannwart n. 1705 2064 (Decr. „Lamentabili" prop. 64).
[8] Adv. haer. l. 3, c. 1, n. 1 (MG VII 844).
[9] Commonit. 1, 23 (ML L 669).

nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena." Quare Pius X in decreto „Lamentabili" prop. 21 damnat hanc modernistarum thesin: „Revelatio obiectum fidei constituens, non fuit cum apostolis completa."

Finita igitur apostolorum praedicatione tota Christi revelatio conclusa est, ita ut nihil amplius revelari possit, quod ad ipsam christianae religionis doctrinam pertineat. Contra in Vetere Testamento ab initio ferme usque ad Christum per prophetas novae semper revelationes credendae ad priores accesserunt, explicantes utique tantum, et non proprie priorum revelationum *substantiam* augentes.

Confirmatur Ecclesiae ratione doctrinae perpetua immutabilitas *etiam ex eo,* quod, quae adversarii opponunt, probandi vi non pollent.

α) *Primum* enim isti Ecclesiae immutabilitati non obstat, quod opera humana, uti etiam hominum opiniones, perpetuis mutationibus obnoxia sunt et pleraque in dies perfici et in melius mutari possunt. Omnia enim inventa humana sunt initio plerumque valde imperfecta et emendatione ac correctione omnino indigent; et nonnumquam fit, ut quae prius habebantur certa, progressu temporis inveniantur falsa; quae contra videbantur antea incerta, nova luce allata postea ad certitudinis gradum evehantur; ideoque si quae religio esset inventum mere humanum, et ipsa emendari ac magis magisque perfici posset. Verum enimvero opera divina, utpote intelligentiae et potentiae infinitae effectus, aliter omnino se habent. Ut enim ipse Deus prorsus immutabilis est nec umquam augeri et perfici potest, utque veritas absoluta pariter in omne tempus numquam variat, ita etiam solent Dei opera, quia perfecta, esse stabilia: cogita v. g. pulcherrimum ordinem totius universi, quatuor anni tempora, lucis naturam et effectus aliaque innumera. Cum autem Dei opera, quae ordine naturali concluduntur, adeo sibi constent, num opus supernaturalis ordinis multo altioris, quod effectum est a Deo ipso immensa caritate ac bonitate erga nos homines, atque ita ab ipso stabilitum et firmatum, ut secundum ipsius omniscii declarationem disertam nullae umquam hostium molitiones et incursus illud subvertere valeant: num, inquam, istud opus, religio scil. Christi, non pariter in perpetuum stabile et idem semper sit necesse est? Num vero homunculus doctrinam a Deo ipso revelatam corrigere atque perficere sibi arroget? Num ipse Deum divinaque hominisque ad eum relationem melius quam ipse Deus cognoscat? Quod affirmare cum prorsus vesanum esset, patet, quam temere et absurde nonnulli verae Christi Ecclesiae vitio vertant, quod suam doctrinam numquam mutet et temporum variorum variis atque etiam impiis opinionibus ac deliramentis accommodet.

β) *Deinde* quod revelatio Veteris Testamenti per Christi revelationem perfecta est, nullatenus probat, etiam christianam revelationem nova quadam alia aliquando magis perficiendam esse aut saltem perfici posse. Illa scil. revelatio erat praeparatio ad hanc (supra vol. I, 516 sqq), ita ut secundum ipsas Veteris Testamenti prophetias a Messia partim abroganda novaque ac perfectior lex ei substituenda esset. Non igitur propter se ipsam solum exstitit, sed propter religionem christianam: „Finis enim legis Christus" (Rom 10, 4). Quare ab apostolo Gal 4, 3—9; Col 2, 17 et Hebr 10, 1 Veteris Testamenti lex dicitur parvulis necessariae disciplinae causa data, et esse instar umbrae, quae christianam legem filiis adultis statutam praecesserit

eamque indicarit. Christus vero de futura religionis suae abrogatione numquam locutus est, sed eiusdem perpetuitatem diserte omnino affirmavit.

γ) *Non magis obstat,* quod quaevis ecclesia particularis possit a vera fide christiana deficere. Nam 1. „Ecclesia corpus morale est, quod ex coniunctione multarum partium coalescit; quemadmodum autem pars quaelibet singillatim sumpta corpus esse non potest, sic etiam ad partem pertinere non potest, quod corpori tantum convenit. 2. Ecclesiae institutio positiva est et divina; huius ergo indoles alia esse non potest, quam Christus eam esse voluit. Ridiculum autem esset dicere, Christum non potuisse Ecclesiae universae praerogativam aliquam asserere, qua ecclesias particulares distributive sumptas carere voluit."[1] Non enim his, sed illi tantum perpetuitatem et infallibilitatem ideoque immutabilitatem fidei promisit.

δ) Nec Christus hisce verbis (Lc 18, 8): „Filius hominis veniens, putas, fidem inveniet in terra?" nec Paulus scribens 2 Thess 2, 3: „Nisi venerit discessio[2] primum et revelatus fuerit homo peccati", futurum praedixit, ut Ecclesia universalis ultimo saltem tempore tota a vera fide deficiat. Christus dicit quidem respectu magnae christianorum multitudinis relative paucos futuros, qui tunc fidem habituri sint, qualem habere oporteat, firmam et caritate divina animatam (cf. Mt 24, 12), non tamen nullos, nec etiam tam paucos, ut Ecclesia amplius exsistere dici nequeat. Pariter apostolum loqui de plurimorum defectione a vera fide sive a Christi religione ideoque eius etiam Ecclesia, ultro concedimus, nequaquam autem probari potest, ipsum praedicere futurum, ut etiam Ecclesia universalis a Christo deficiat, cum hac de re adeo nihil significet, ut nomen apostasiae contrarium potius indicet, nec clara Christi verba de perpetua Ecclesiae suae in vera fide immutabilitate falsa ostendi possint loco isto S. Pauli, qui est ex omnium consensu valde obscurus. Praeterea cum quae Christus et apostolus istis locis dicunt, omnia ultimo plane tempore paulo ante secundum Christi adventum futura ab omnibus fere christianis credantur, ex istis ipsis locis etiam patet, Ecclesiam ad finem mundi usque perpetuam et in fide immutabilem permansuram esse. Confirmatur igitur potius his Christi et apostoli verbis thesis nostra.

ε) *Denique* ex eo, quod Ecclesia infallibile magisterium perpetuum habet, manifeste non sequitur, etiam singulos fideles, qui se illius magisterii doctrinam accurate amplecti certo credant, se ipsos quoque active infallibiles esse debere credere. Aliud enim est, hominem certum, et aliud, eum active infallibilem esse. Qui enim certus est aut interna rei evidentia aut vera et sufficienti auctoritate, non errat, quamdiu hac certitudine potitur, potest tamen, si vult, eam amittere et in errorem incidere ac veritatem prorsus respuere. Qui vero active infallibilis est, non solum non errat, sed nec errare potest. Sane omnes christiani, quamdiu verae Christi Ecclesiae adhaerent, certi sunt creduntque firmiter, se in credendis iis doctrinis, quae ab infallibili magisterio definiuntur, nulli errori obnoxios esse, ideoque propter hanc certitudinem possunt dici praediti inerrantia sive infallibilitate passiva, quatenus certi sunt, se infallibiliter vera credere, minime vero activa, cum eorum singuli, utpote liberi et nulla peculiaris illius assistentiae Dei, qua

---

[1] Liebermann, Instit. theol. I[8], Mogunt. 1857, 276.

[2] *Ἡ ἀποστασία*, defectio, et magna defectio a fide; hoc enim, ut ait Cornelius a Lapide in h. l., „innuit articulus ἡ, et generale nomen apostasiae, quod nulla hic gentis aut loci nominatione restringitur aut determinatur".

infallibile magisterium pollet, promissione divina praediti, a vera fide possint deficere, et reapse iam innumeri defecerint. Et vero quamvis in Ecclesia Christi doctrina in perpetuum pura atque integra conservetur, nihil tamen obstat, quin homines mali a vera fide et etiam ab Ecclesia deficiant, cum, teste S. Scriptura, vel primo tempore, quo ipsi infallibiles apostoli vivebant, haereses et multi haeretici iam exstiterint. — Nec etiam Ecclesiam infallibilem esse subsidium ad fidem veram conservandam atque haeresim propulsandam divinitus institutum eo negare licet, quod non tota Ecclesiae docentis acies, uno quasi agmine facto, singulas et universas haereses scriptis et definitionibus editis per se et immediate, sed saepius tantum mediate theologorum et particularium episcoporum ope impugnasse legatur. Non enim necesse est, quemvis exortum errorem semper a toto Ecclesiae magisterio infallibili damnari, sed nonnumquam sufficit, ut fidei veritas et haeresum vanitas solis theologorum argumentis invicte demonstretur atque pastorum vigilantia pericula propulsentur, praesertim si haeresis aperta sit nimiumque absurda. Ceterum illi ipsi theologi et pastores omnes sunt totidem ipsius Ecclesiae ministri atque instrumenta, cum in ea, pro ea, ex ea validi sint ac bonum certamen ut eius membra fortiter certent; unde quidquid illi bene operantur, Ecclesia ipsa dicenda est operata esse.

§ 12.

Consectaria,

quae ex iis, quae hactenus de Christi Ecclesia diximus, consequuntur.

1. Revelatio Christi numquam fuit nec umquam esse potest *sibimet relicta* sive singulorum fidelium arbitrio, i. e., ut vulgo loquuntur, *spiritui privato* permissa. A Christo enim apostolis, ab apostolis Ecclesiae regenti ac docenti ut propagetur, pure et integre conservetur ac custodiatur, sancto denique vitae usu excolatur in perpetuum tradita est. Haec enim ex iis, quae hactenus diximus, certissime ac manifesto constant. Christi ergo revelatio vera, pura atque integra in una Christi Ecclesia semper quaeri debet, in eaque sola in perpetuum inveniri potest.

Obiciunt adversarii, S. Scripturam singulis fidelibus liberum Christi doctrinae examen permittere, utpote qui debeant *probare, utrum spiritus ex Deo* sint (1 Io 4, 1), *omnia probare et quod bonum sit tenere* (1 Thess 5, 21); cavere, ne quis eos *seducat* (Col 2, 18); quique iubeantur omne externum excludere magisterium, cum Christus unumquemque interne doceat ad fidem necessaria secundum 1 Io 2, 20: „Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia“, et v. 27: „Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius [Christi] docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendaciumi. Et sicut docuit vos, manete in eo.“ Quod sane consonare putant vaticinio tum Isaiae (54, 13) dicentis: „universos filios tuos doctos a Domino“ futuros esse, tum Ieremiae (31, 34) de tempore Novi Testamenti praedicentis: „Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus“; quod quidem utrumque vaticinium eventum in Novo Testamento habuisse, tradit Paulus, cum Hebr 8, 11 ista Ieremiae dicta de tem-

pore novae legis adhibet, et Christus ipse Io 6, 45. Christum praeterea vetare, ne quis discipulus vocetur *magister, quia magister unus sit, ipse Christus* (Mt 23, 8—10); Paulum vero dicere de se ipso ad Corinthios (2 Cor 1, 23): „Non dominamur fidei vestrae", atque scribere (1 Cor 2, 15): „Spiritualis autem iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur."

At haec in revelationis ab Ecclesia propositae veritatem inquiri debere non probant [1]. Nam 1. si secundum adversariorum sententiam illi loci interpretandi essent, repugnarent omnino aliis Christi et apostolorum effatis, quibus de institutione ac perennitate sacri regiminis et infallibilis magisterii clarissime constat; simulque repugnarent toti apostolorum agendi rationi. Iam vero nec Christus Deus nec infallibiles apostoli possunt dici sibimetipsis repugnasse et contradictoria docuisse; ergo illa protestantium sententia falsa est.

Atque 2. ex ipsis etiam allatis locis nonnihil accuratius consideratis idem patet. Ac primum quidem quinque quos priore loco posuimus S. Scripturae effata doctrinam de spiritu sive iudicio privato adeo non confirmant, ut illam reiciant auctoritatemque Ecclesiae docentis comprobent. Etenim hi textus „inducti sunt ad praemonendos fideles, ut caveant a privatis et suspectis doctoribus, qui cum apostoli adhuc in vivis essent, iam coeperant hac illac disseminare falsa dogmata, ac puram apostolorum doctrinam corrumpere. Quapropter ipsi, utpote vigiles pastores, gregem sibi commissum perpetuo monent de imminenti periculo, ac de necessitate obsequendi legitimae auctoritati, si immunes ab erronea doctrina et seductione esse velint." [2] Et vero

a) Ioannem iis, quae praecipit 1 ep. 4, 1, non tribuere fidelibus potestatem iudicandi de doctrinis novis ac dubiis ab aliis propositis, prout uniuscuiusque arbitrio placuerit, sive secundum cuiusvis spiritum privatum, patet ex v. 2, ubi regulam statuit, ad quam possint ac debeant iudicare ipsi doctrinas novas Cerinthi aliorumque sui temporis haereticorum Christum verum Deum esse negantium. Haec autem regula discernendi nihil aliud est ac doctrina ab aliis apostolis et a se in ipsa hac epistula 2, 22 praedicata, scil. Christum verum esse Deum. Nihil igitur apostolus hoc loco aliud agit, quam ut hanc Ecclesiae et apostolorum doctrinam omnibus et ubique praedicatam et tamquam primariam religionis christianae veritatem annuntiatam det ut notam certissimam, qua sui temporis fideles doctorem religionis christianae veracem et divinitus missum ab impostore facile possint dignoscere. Ergo non agitur hic de examinanda a fidelibus doctrina *Ecclesiae,* sed de examinanda secundum veritatem modo dictam doctrina a pseudo-prophetis praedicata. Post verba enim: „probate spiritus, si ex Deo sint", Ioannes continuo addit: „quoniam (ὅτι) multi *pseudo-prophetae* exierunt in mundum".

b) Item quod ad 1 Thess 5, 21 attinet, Paulus dum *omnia probanda esse* dicit, primum non loquitur de omnibus omnino rebus et doctrinis probandis, sed, ut ex oratione contexta manifestum est, de iis quae a fratribus dono prophetiae insignitis nova proferebantur, ideoque examinanda utique erant. Etsi enim illi ex inspiratione divina loquebantur, poterat tamen fieri, „ut

---

[1] De textibus his cf. Palmieri 213 sqq; Franzelin, De divina traditione et scriptura[2], Romae 1875, 106 sqq; Schrader, De theologico testium fonte, Paris. 1878, 75 sqq.

[2] Perrone, De vera relig. P. 2, prop. 6, obi. 3, n. 162.

propheta, qui Spiritus Sancti instinctu loqui coeperat et sub eius influxu locutus erat, inspiratis sententiis nonnullas humanas atque etiam erroneas intersereret“ [1], unde prophetiarum discretio et probatio necessaria erat. Ea contra, quae ab ipso ceterisque apostolis praedicata erant, non diiudicari vult, sed teneri et observari, uti 2 Thess 2, 14 diserte ait: „Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistulam nostram“; et 1 Cor 11, 2: „Laudo vos, quod . . . sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.“ — Porro cum Paulus illa probanda esse ait, minime probanda sola ratione sive spiritu privato singulorum dicit; nullatenus igitur excludit tamquam probationis praecipuam normam ipsam Christi doctrinam a se illis traditam. Et vero quomodo eam normam exclusam voluerit is, qui Gal 1, 8 9 anathema ei dicit, qui doctrinam evangelio suo contrariam praedicet. Et nonne in ipsa illa ad Thessalonicenses epistula commemorata et reiecta falsa quadam prophetia de proximo secundo Domini adventu, quae apud ipsos circumferebatur, et vera de eodem enarrata prophetia c. 2 v. 5 statim ipse subiungit: „Non retinetis (μνημονεύετε, memoria tenetis), quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis?“ Demonstrari praeterea nequit, quae Paulus diiudicanda et probanda esse ait, ea ab omnibus omnino probanda praecipi; poterat scil. ea esse Pauli mens, ut a solis praepositis illa probatio fieret. Si quis tamen hoc praeceptum, sicuti 1 Cor 14, 29: „Prophetae autem duo aut tres dicant et ceteri diiudicent“, malit intelligere de iudicio discretionis, de charismate nimirum discretionis spirituum (1 Cor 12, 10), ei „non admodum refragabimur, modo fateatur, etiam hoc iudicium non omnium esse, sed paucorum, utpote eorum, qui, ut apostolus loquitur Hebr 5, 14, ‚pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali‘, quique praediti sunt dono discretionis spirituum. . . . Denique qui spirituales sunt, non animales, nam animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, spiritualis autem iudicat omnia (1 Cor 2, 14 15). Dummodo etiam fateatur, huiusmodi iudicium submitti oportere iudicio eius, qui publicam habet eius rei auctoritatem: quales in Ecclesia sunt episcopi. . . . Quare si quis contendat, omnibus fidelibus dictum, ut omnia probent, id profecto non aliter iis competit, quam quatenus sciunt, audiendam sibi esse vocem sui pastoris, et manendum in eo, quod acceperunt ab initio, et tenendum, quod tenet Ecclesia: atque ex his principiis iudicant de unoquoque dogmate proposito. Si quid autem novum ac dubium exoritur, non praesumunt privato examinare iudicio, sed ad pastores et praelatos Ecclesiae examinandum ac iudicandum remittunt.“ [2]

c) Pariter contra ea quae probavimus non facit, quod Col 2, 18 apostolus fidelibus scribit: „Nemo vos seducat“ (καταβραβευέτω, i. e. certaminis praemium vobis intercipiat, sive, ut Erasmus transtulit, „ne quis vobis palmam intervertat“). Cum enim singuli etiam optimi fideles pro sua libertate, non obstante Ecclesiae cura et infallibilis magisterii vigilantia, possint uti in vitia, ita etiam in errores induci, unusquisque profecto debet perpetuo cavere, ne a virtute et recta fide ad scelera et ad infidelitatem perducatur. Qua re non efficitur, ut liceat unicuique in christianae religionis negotio privato suo sensui indulgere nullique auctoritati esse subiectum.

d) Ioannes porro 1 ep. 2, 20 et 27 non loquitur „absolute de cognitione rerum divinarum, quasi non egeant magistro ulla in re, qui Spiritum Sanctum ac-

[1] Cornely in 1 Cor 14, 29, p. 441. [2] Estius in 1 Thess. 5, 21.

ceperunt. Nam si ita esset, cur Ioannes hanc epistulam scriberet, et moneret ac instrueret eos, quos unctio docebat de omnibus? et quorsum Deus in Ecclesia posuisset pastores et doctores? Loquitur igitur de iis tantum dogmatibus, quae iam acceperant ab apostolis et cooperante unctione Spiritus Sancti didicerant et crediderant, atque eos monet, ut in fide permaneant et non praebeant aures pseudo-apostolis contraria docentibus. Quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab haereticis obsiderentur et perturbarentur: non necesse habetis, ut aliquis lutheranus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim, quae vos scire oportet, iam didicistis et tenetis ex praedicatione Ecclesiae adiuvante unctione Spiritus Sancti. Hunc esse sensum docent verba praecedentia et sequentia. In praecedentibus sic ait: ‚Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. Et vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.' In sequentibus autem ait: ‚Sicut docuit vos, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur in adventu eius." [1] Itaque Ioannes alloquitur fideles, qui cum bene Christi doctrina apostolorum aliorumque praedicatione iam instructi essent atque eam sincere etiam et integre eousque observassent, minime opus habebant nova pseudo-apostolorum doctrina. Quae quidem plurimorum interpretum explicatio saltem valde probabilis est. Sed etiamsi verba: „Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos", non de solis falsis doctoribus explicentur, nihil tamen nobis obsunt. „Habebant enim episcopos et presbyteros, a quibus instruebantur et continebantur in doctrina apostolica; nec adhuc ab haereticis seducti erant, sed tenebant, quod acceperant. Proinde non opus habebant doctore, sicut opus habent vel rudes vel seducti: rudes, ut discant, quod numquam sciverunt, seducti, ut redeant ad id, a quo desciverunt. Sed tamen adhuc opus habebant doctore, cuius opera retinerentur in doctrina prius accepta, atque in ea plenius instruerentur et adversus errores ac deceptiones haereticorum munirentur. Locus similis est apud Paulum 1 Thess 4, 9 sq: ‚De caritate fraternitatis, inquit, non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem.... Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis.'" [2] Cum igitur Ioannes dicit, τὸ χρῖσμα docere eos omnia, minime affirmat, nullatenus opus eos habere magistris humanis, et sequi posse solum doctrinam illam unctione divina acceptam, cum et ipse eos hac epistula amplius instruat, omnemque mendacem dicat, qui neget, Iesum esse Christum (v. 22), et, teste historia, in omnibus ecclesiis instituti fuerint fidelium magistri sive episcopi, id quod respectu ecclesiarum Asiae minoris, ad quas haec epistula secundum communiorem sententiam scripta est, diserte refertur Act 20, 17 sqq et Apc c. 2 et 3. Nullus etiam vere christianus negat, instructionem mere humanam non sufficere, ut homo vere ac genuine christianus fiat, nisi simul Deus mentem luce sua illustret animumque adiutorio suo ad boni amorem moveat in eoque confirmet. Deus enim, ut ait Paulus 1 Cor 3, 6, incrementum dat sicut in ordine naturali, ita in supernaturali. Quare haec Ioannis doctrina minime omne externum magisterium excludit.

e) Atque ab ipso Christo apud Io 6, 45 dicente: ἔσονται πάντες διδακτοὶ θεοῦ aliud, quam quod modo diximus, doceri nec adhuc monstratum est, nec monstrari potest. Christum sane hac sua doctrina externum magisterium

[1] Bellarm., De verbo Dei III, c. 10 ad 12. [2] Estius in 1 Io 2, 27.

minime superfluum dixisse evidens est tum ex instituto ab ipso claris ac disertis verbis magisterio perenni atque infallibili, tum etiam ex ipsius agendi ratione, cum non solum ut Deus lumine interno, sed etiam ut homo verbis ac externa institutione homines instruxerit. Praeterea Christi fideles ideo verissime divinitus edocti dici possunt, quod a) *primus* ipsorum doctor fuit Christus Deus-homo; b) doctores humani, scil. Ecclesiae ministri non aliud proponunt quam doctrinam a Deo acceptam; c) hanc ipsam docent non auctoritate propria, sed divinitus accepta; d) in docendo Ecclesiae magisterium divina assistentia sive infallibilitate divinitus accepta fruitur[1]. Deinde ipse Christus quid sit doceri a Deo, sequente versu explicat: „Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me." Ubi „audire" nil aliud est, quam „invitationem ad fidem percipere, quae fit praedicatione, interna illustratione mentis et inspiratione per gratiam"[2]. In toto contextu enim agitur de modo, quo homines ad fidem in Christum trahantur. Ad fidem inveniendam autem eos iuvari etiam externa praedicatione evidens est (Rom 10, 14).

f) Neque ex Ieremiae et Pauli supra allatis verbis plus colligi potest. Propheta enim 31, 34 non loquitur de mere speculativa ac sterili cognitione Dei, qualis fuit eorum, de quibus Rom 1, 21 dicitur: „Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt", sed de notitia Dei viva et fructuosa, qua nimirum „sic cognoscitur Deus, ut affectus cognitioni respondeat, i. e. ut etiam sicut diligendus est, diligatur, quomodo notitia Dei tum in prima epistula Ioannis, tum alibi in Scripturis frequenter accipitur. Ad hoc indicandum Ionathas Chaldaeus illa prophetae verba: cognosce Dominum, quoniam omnes scient me, reddidit hac paraphrasi: scitote timere Dominum, quia omnes discent, ut sciant timorem mei. Constat enim, in Scripturis per timorem Domini passim significari sincerum cultum et pietatem in Deum."[3] Hanc autem amoris Domini plenam notitiam non hominis verba inspirant, sed Deus secundum communem christianorum doctrinam. Et vero ait Augustinus[4]: „Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare, quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae; si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster." Quo sensu pariter scribit Gregorius M.[5]: „‚Ipse vos docebit omnia.' Quia nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit, qui doceat, doctoris lingua exterius in vanum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditae vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac unctione Spiritus rursus per Ioannem dicitur: ‚Sicut unctio eius docet vos de omnibus' (1 Io 2, 27). Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum non ungitur."

Insuper ex hoc „consequens est, promissionem hanc nec ad omnes homines (etsi generali nomine proximos) pertinere, nec vero ad omnes chri-

---

[1] Hurter, Theol. dogm. compendium I[7], Oeniponte 1891, n. 357, p. 275.
[2] Knabenbauer in Ioan. p. 242. [3] Estius in Hebr. 8, 11.
[4] In ep. Ioannis tract. 3, c. 2, n. 13 (ML XXXV 2004).
[5] Hom. 30 in evang. n. 3 (ML LXXVI 1222).

stianos, bonos et malos, sed ad omnes ac solos filios Novi Testamenti, qui sunt filii promissionis. Huc imprimis facit, quod *civem* ac *fratrem* nominat [propheta], i. e. hominem eiusdem civitatis ac familiae. Quae civitas ac familia non alia est, quam Ecclesia credentium. Deinde probatur, quia haec promissio est Novi Testamenti, quemadmodum et duae praecedentes, et ea quae subsequitur, quae proinde omnes filiis Novi Testamenti propriae sunt, et a malis christianis alienae." [1] Agitur igitur de Ecclesiae verae fidelibus iam ab apostolis aliisque magistris in recta fide instructis, vultque Ieremias tantum docere, „in lege nova tam facilem fore, audita evangelii praedicatione, Dei cognitionem, cultum, amorem et oboedientiam, ut sponte sua eo procurrant homines, cum iudaei in Vetere Testamento vix minis et poenis cogi possent ad relinquendum idola et ad Deum verum cognoscendum, colendum, amandum illique oboediendum: idque proventurum ex eo, quod Deus hanc sui cognitionem cultum et legem non inscribet tabulis lapideis, uti fecit iudaeis, sed menti et cordi christianorum, tanta scil. luce mentem illustrando, tantaque efficacia et suavitate voluntatem impellendo, ut homines rapiantur ad sui cognitionem et amorem." [2]

S. Paulum vero si Hebr 8, 11 recitat ista Ieremiae verba, nullatenus magisterium sacrum excludere voluisse apertissime tota eius agendi ratio declarat, cum non solum ipse verbo et scripto homines iam christianos iterum iterumque in Christi doctrina instrueret, sed etiam, ut Timotheus et Titus, a se constituti idem facerent, saepius commendarit atque praeceperit (cf. 1 Tim 4, 11 13; 2 Tim 4, 2—5; Tit 2, 1 sqq; 3, 1 2) [3].

g) Quod porro Christus Mt 23, 8—10 apostolis dixit: „Nolite vocari rabbi . . . nec vocemini magistri" (καθηγητής, dux, quo nomine maxime princeps scholae alicuius vocabatur), ab Ecclesia nullatenus verum magisterium, sed vanum nominis et gloriae simulque sectarum studium excludit. Nam primum cum Christus postea brevi ante suum e terris discessum magisterium tanta auctoritate instructum in omne tempus instituerit, manifesto et in re gravi contra se ipsum locutus esset, si huius loci verbis significasset, apostolos non debere *esse* suae religionis magistros. Deinde Christus non dixit: nolite *esse* magistri ac patres spirituales meorum fidelium, sed: nolite *vocari* magistri (μὴ κληθῆτε), i. e. ne studueritis, gloriae et iactantiae causa vocari rabbi, duces ac patres, neve ii sitis, quos ut scholae alicuius principes discipuli sectentur iuraturi in magistri nomen ac verba. Et sane Christum hoc loco non solum non magistri officium reiecisse, sed neque ipsa illa nomina rabbi, patris ac ducis *per se* vituperasse, patet tum ex eo, quod illa nomina per se bono magistro plane digna et nullatenus insolentia sunt, tum exinde, quod Christus, qui se recte ut humilitatis exemplum proposuit, non renuit, ut vocaretur rabbi, quodque Paulus 1 Tim 2, 7 se ipsum doctorem gentium, Petrus vero 1 ep. 5, 13 Marcum filium suum, Ioannes etiam christianos, ad quos primam suam epistulam scripsit, saepius (2, 1 12 18 28; 3, 7 18; 4, 4) filiolos suos (τεκνία) appellat; unde consequatur necesse est, christianis etiam licuisse, ut Ioannem aliosque doctores suos patris nomine salutarent. Haud

---

[1] Estius l. c. [2] Cornelius a Lap. in Hebr 8, 11.

[3] Errant Reinke (Messianische Weissagungen III 548) et Hengstenberg (Christologie des Alten Test. II² 491), si Estium Ier 31, 13 faciunt explicantem de futura vita, in qua instructio humana nulla iam habeatur.

igitur ad literam ista Christi, quam exempli causa proponit, vituperatio intelligenda est, sed secundum Christi loquentis mentem, quem proxime vanum tantum nominum ac gloriae studium suis discipulis interdixisse ex oratione contexta evidens est. Reprehenderat enim in praecedente oratione v. 5—7 pharisaeorum vanae gloriae studium, qui opera sua hoc consilio facerent, ut viderentur et laudarentur ab hominibus; qui *amarent* primas sedes in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et nomen rabbi. In consequente autem sermone concludit, qui *maior sit* inter discipulos, debere esse eorum ministrum; eum enim, qui se ipsum exaltaverit, humiliandum esse, exaltandum contra, qui se humiliaverit. Nullatenus igitur Christus hoc loco regimen vel magisterium, quod ipse instituit, reprehendit.

Quinimmo videtur Christus voluisse praeterea illis verbis monstrare, in Ecclesia sua unicum et nullatenus in se divisum magisterium futurum esse. Pharisaei enim id spectabant, ut sui iuris magistri haberentur, ideoque vel patres sive auctores particularium scholarum et sectarum, vel certe earum primarii fierent; hoc igitur sectarum studium Christus voluit praecipue damnare et ostendere, in Ecclesia sua se ipsum, Deum-hominem et totius religionis christianae auctorem, agnoscendum semper esse unum supremum magistrum ac magisterii ducem, ita ut numquam fidelibus suis liceat dicere: „Ego sum Pauli, ego autem Apollo“ (1 Cor 3, 4), utque omnes a se constituti fidelium magistri ac patres, quemadmodum non doctrinas a se ipsis aut ab aliis hominibus excogitatas, sed a Christo acceptas docere deberent, ita neque sibi ipsis, sive suo quisque honori et commodis, sed soli Deo eiusque gloriae viverent.

h) Pariter Paulus verbis: „Non dominamur fidei vestrae“ (2 Cor 1, 23) nullatenus negat, se ut verum magistrum germanam Christi doctrinam iis olim praedicasse et hac ipsa epistula tradere. Neque negat, posse se cum auctoritate diiudicare ac definire, quaenam vera sit fides christiana, cum non solum suprema auctoritate Corinthios fidem docuerit, sed etiam in prima atque in hac ipsa secunda epistula partes agat magistri supremi. Explicant varii varie hunc locum. Alii putant, apostolum significare, se non pro suo iure ac libitu quidvis docere posse, sed tantum quae Christus docenda praeceperit. Reapse enim apostoli et Ecclesia docere non possunt nisi ea, quae Deus revelavit, ideoque infallibile magisterium non exercet dominationem in fidem, sed materna cura et pastorali vigilantia Christi doctrinam integram ac puram conservat. Ex aliorum sententia apostolus se non posse Corinthios propter infirmam fidem reprehendere dicit, cum, ut continuo addit, illorum pars maior in recta fide stabilis fuerit; alii denique volunt, dominationem in fidem subiectivam fieri non posse a S. Paulo enuntiari, cum ea liberae voluntatis sit actus, ideoque cogi non possit. Fortasse etiam apostolus „oblique taxat pseudo-apostolos, quos dominantes et omnia imperantes ac velut tributorum exactores ferebant Corinthii. Hoc est enim, quod infra scribit c. 11, 20: ‚Sustinetis, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.‘“ Quarum explicationum quaecumque admittatur, patet, hunc locum nostrae sententiae non obesse. Idque eo clarius liquet, quod Paulus alibi praedicationi suae oboedientiam fidei praestandam diserte postulat. Dicit certe Rom 1, 5, gratiam et apostolatum se accepisse „ad oboediendum fidei (εἰς ὑπακοὴν πίστεως, i. e. ad conciliandam oboedientiam fidei) in omnibus gentibus“; et 2 Cor 10, 4—6 de se: „Consilia (λογισμούς), inquit, destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum

in obsequium Christi (εἰς ὑπακοὴν Χριστοῦ), et in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam."

i) Denique idem dicendum est de 1 Cor 2, 15: „Spiritualis homo iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur." Perperam enim ex istis verbis colligi, penes *unumquemque* fidelem esse potestatem iudicandi pro arbitrio de rebus ac controversiis religionis christianae, patet *primum* ex eo, quod Paulus loquitur de solo homine, qui sit spiritualis (πνευματικός). Iam vero S. Paulus hominem πνευματικόν eum dicit, qui spiritu divino regitur habetque mentem in divinis exercitatam, utpote in altioris christianae perfectionis vita iam provectus; cui opponitur homo animalis (ψυχικός, v. 14 et 15), homo scil. qui vitam ducit fere naturalem tantum. Exposuerat enim S. Paulus modum, quo ab apostolis altior sapientia docetur; quo exposito „Paulus eos, qui illius recipiendae vel capaces vel incapaces sint, describit. Inter perfectos enim se illam loqui dixerat (v. 6), quinam igitur ad hanc classem pertineant, explicat." [1] Soli igitur perfecti christiani sunt homines spirituales. Porro inter christianos pro humanae voluntatis infirmitate atque malitia, teste experientia, semper et ubique non solum quam plurimi mali sunt, sed etiam inter bonos comparate ad ipsorum multitudinem haud adeo numerosi, qui sensu explicato sint vere spirituales atque perfecti, sed multi plus minusve animales; ac proinde magna certe, si non longe maxima christianorum pars secundum apostolum dicenda est ad iudicandum de rebus spiritualibus inepta. Atque ipsos paucos illos apostolus minime dicit spirituales effectos esse *immediata* et *sola* Spiritus Sancti actione; loquitur enim de iis, qui divina revelatione per apostolorum praedicationem bene cognita et bono animo suscepta spirituales effecti sunt. Paulus igitur hoc loco apostolorum ministerium neutiquam excludit, sed ut rem, quae per se manifesta sit, tacite sumit.

Deinde agitur hic de iudicio discretionis, non de iudicio etiam potestatis, cum et verbum ἀνακρίνειν significet examinare, inquisitionem facere atque discernere potius quam iudicare. Homo igitur spiritualis de spiritualibus rebus diiudicare potest, „quoniam principia supranaturalia possidet, ad quae eorum verum pretium aestimandum est" [2], quibus principiis animalis homo caret. Et quamvis homo spiritualis possit de rebus religiosis multis iudicare suoque iudicio alios instruere, ideo tamen non habet auctoritatem iudicandi publicam; sicut etiam legum peritus sola peritia sua non fit iudex forensis. Iam vero exsistit e Christi voluntate in Ecclesia in perpetuum magisterium summa potestate instructum, utpote quod infallibili auctoritate iudicare potest; ergo ipsum solum de rebus religionis cum potestate iudicare valet, et ita quidem, ut omnes fideles tam spirituales quam animales ipsius iudicio sese submittere debeant, etiamsi quis sibi quidem maxime spiritualis videatur. Nam ille non est vere spiritualis, qui spiritu Christi non est animatus; hunc autem Christi spiritum non habet, qui non libenter sese submittit auctoritati, quacum Christus se semper ita futurum esse promisit, ut errare ea religionis res iudicando numquam possit; ea autem auctoritas est infallibile Ecclesiae magisterium; ergo qui huic non paret, nihil minus quam homo spiritualis est. Quamdiu enim aliquis vere spiritualis est, etiam suam ad Ecclesiam Christi relationem suaque erga eam officia diiudicat vere et clare, estque sibi probe conscius, eo ipso, quod Ecclesiae praecipienti ac

[1] Cornely in 1 Cor p. 71. [2] Ibid.

docenti haud amplius oboediat, etiam hominem spiritualem se esse desinere. — Nec obest, quod Paulus dicit, hominem spiritualem, quamdiu nimirum ipse spiritualiter iudicat et vivit, a nemine iudicari; intelligit enim, id quod etiam protestantes fatentur, quodque ex primo membro: „spiritualis iudicat *omnia*“, satis patet, ipsum a nemine, qui non ipse spiritualis sit, iudicari, sive ipsius vitam supernaturalem et altiorem ab homine animali haud recte intelligi et aestimari posse: quod verissimum est et longa etiam saeculorum experientia comprobatum.

Denique hoc loco S. Paulus non loquitur de ullo vel dogmate fidei vel errore in rebus fidei. Corinthiorum enim dissensiones non ipsam fidem, sed modum eam praedicandi respiciebant, quas dum reprehendit totus est in commendanda humilitate et caritate secundum exemplum Iesu Christi crucifixi. Iudicium ergo hominis spiritualis, de quo hic agitur, non intelligitur iudicium, quo fidei doctrinae diiudicentur. Atque ex dictis etiam sequitur, nullam, quantumvis magnam, fidelium multitudinem posse umquam licite repugnare doctrinae magisterii sacri, quandoquidem illa multitudo activa infallibilitate praedita non est, sed traditam ab illo doctrinam sincere credere debet. Sequitur praeterea, ut aliqua doctrina tamquam fidei explicitae articulus definitiva sententia statui possit, neutiquam necessariam esse acceptationem coetus fidelium; ipsorum enim non est, de fidei controversiis iudicare. Ex eadem ratione nec etiam fidelibus licere potest, revelationis examen cum dubio de eius veritate instituere, sed tantum id licet iis, qui idonei sunt, eam ea mente examinare, ut se aliosque magis magisque in fide confirment [1].

2. Sequitur ex iis, quae vidimus, distinctionem illam, quae fieri solet inter Ecclesiam *docentem* et *audientem* sive *discentem* esse *iuris divini;* nam Christus ipse formam Ecclesiae suae dum daret, ista ratione eam in perpetuum instituit. Quod confirmatur insuper tum his S. Pauli 1 Cor 12, 29 verbis: „Numquid *omnes* apostoli? . . . numquid *omnes* doctores?“ tum ex hoc, quod Paulus Eph 4, 11—14 apostolos, pastores et doctores a Christo institutos esse dicit „ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris“. His enim verbis apostolos, pastores, doctores Paulus ideo institutos esse docet, ut unitas fidei servaretur fidelesque ab erroribus tuti redderentur. Quod obtineri non posset, si fideles ex Christi voluntate non deberent illos doctores et pastores *audire,* ab iis discere ipsisque tamquam magistris obsequi. Quare idem apostolus Rom 10, 17 dicit, oriri fidem *ex auditu,* auditum autem per verbum Christi, eius scil.

---

[1] Patet igitur, quo iure Langen (Das Vatik. Dogma I 26) scripserit: „Waren die Gläubigen in der christlichen Lehre *vollständig unterrichtet,* so wußten sie so gut, was sie glauben mußten, wie ihre Lehrer selbst. Lehrer waren die Apostel den Heiden und Juden und den mangelhaft Unterrichteten gegenüber; unter den *vollkommen unterrichteten* Gläubigen aber gab es keinen Lehrer mehr“ etc.

praedicationem. Hinc etiam apostolis eorumque in munere successoribus Christus tantam ligandi ac solvendi potestatem concessit, ut quod ligarent vel solverent, etiam a Deo ratum haberetur, utque omnis tamquam publicus peccator et gentilis habendus sit, qui Ecclesiae docenti obaudire recuset, denique ut damnationis aeternae reus sit, qui praedicantibus apostolis credere nolit. Atque idem patet ex hoc, quod cum Christus apostolos ad praedicandum evangelium in universum terrarum orbem mitteret, ipsos iussit docere homines servare (τηρεῖν) omnia, quaecumque ipse mandaverit. Quae quidem debita observantia indicat, fideles apostolis subiectos esse ratione doctrinae non solum morum, sed etiam fidei, cum Christus dicendo, servanda esse *omnia* ab ipso praecepta, profecto etiam fidei veritates intellexerit[1].

3. Cum Christi revelatio, ut ab apostolis praedicata est, in perpetuum in se immutabilis sit, ita ut quidquam ei tamquam de novo revelatum addere numquam liceat, apostolorum praedicatione verbo et scriptis facta penitus ea conclusa et absoluta, simulque tota Christi Ecclesiae eique soli in perpetuum tradita est. Ergo

a) *Christi revelatio* in sola ipsius Ecclesia et per Ecclesiam solam, utpote solam infallibilem magistram, integra et infallibiliter pura ac vera in omne tempus futurum reperitur et quaeri debet. Ergo

b) *in ea sola* etiam semper exsistit unica vera in universo terrarum orbe Christi religio eiusque vera professio. Cum enim „christiana religio non sit nisi praxis et usus ipsius revelationis et praeceptorum Christi, evidenter infertur, ibi tantum posse reperiri veram religionem christianam, ubi vera Christi revelatio reperitur. Sed ex modo dictis divina Christi revelatio nequit reperiri nisi in Ecclesia et per Ecclesiam. Igitur etiam christiana religio nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam potest reperiri. Sed non solum christiana revelatio et religio nequit reperiri nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, verum etiam ipsarum professio et exercitium religionis christianae nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam haberi potest.“ [2] Cum enim Christus voluerit, ut singuli et universi fideles Ecclesiae suae sese aggregarent, sequitur, neminem posse esse verum Christi discipulum sive christianum, nisi revera certo modo sit membrum Ecclesiae in eaque semper perseveret; cumque Christus insuper soli suae Ecclesiae integram revelationem divinam omniaque a se instituta salutis aeternae consequendae subsidia cultusque divini rationem tradiderit, evidens est, nisi in vera Christi Ecclesia verum religionis christianae exercitium locum habere posse.

c) *Ecclesiae solius* semper propria est tum ipsa tota Christi revelatio, tum eiusdem authentica atque infallibiliter certa ac vera interpretatio. Unde illorum, qui extra Christi Ecclesiam sunt, *iure*

---

[1] Cf. Scheeben, Handbuch der kathol. Dogmatik I 94.
[2] Cercia, De Ecclesia 55 sq.

nec est revelationis codex, nec eiusdem *authentica* explicatio. Sicuti etiam codex, qui instituta ac leges alicuius regni, v. g. Anglorum, continet, est ipsius huius regni, et non alterius, v. g. Sinensium, eiusdemque codicis authentica interpretatio ad solos Anglos, eorum scil. supremam auctoritatem, regem et regni comitia, non vero ad alienigenas, v. g. Germanos vel Italos, pertinet. Et si alienigena, qui contenderet, se illius codicis leges atque instituta melius cognoscere quam ipsam Anglorum integram nationem, suamque explicationem etiam authenticae ab ipsa suprema illius regni auctoritate datae plane oppositam omnino veram esse: si, inquam, eiusmodi homo procul dubio risum moveret, quanto magis ut stolide superbus ridendus est ille, qui, extra vel etiam intra Christi Ecclesiam exsistens, affirmet, privatam suam S. Scripturae interpretationem veram, authenticam autem infallibilis magisterii Ecclesiae falsam esse, cum ipse ne scire quidem infallibiliter possit, utrum doctrina sua sit Christi doctrina, nisi quantum cum ipsa Ecclesiae doctrina plane concordet.

Atque hoc idem, haereticis scil. nullum per se ius esse in S. Scripturam eiusque explicationem, diserte tradit iam Irenaeus[1] et clarius etiam Tertullianus, qui hac de re scribit[2]: „Ita non-christiani haeretici [scil.] nullum ius capiunt christianarum literarum, ad quos merito dicendum est [nomine Ecclesiae]: Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, iure silvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves?... Mea est possessio. Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo: habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certe exhaeredaverunt semper et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos."

d) *Illi omnes et soli libri* tamquam S. Scripturae libri, sive tamquam divinam revelationem vere continentes ab omnibus agnoscendi et admittendi sunt, quos infallibilis revelationis divinae magistra, Christi Ecclesia, tales esse declarat. Item si quae sint Christi doctrinae apostolorum non libris, sed ore tantum traditae et propagatae, sive, ut vulgo dicitur, si quae sint traditiones divinae, eae omnes et solae ab omnibus Christi fidelibus divinae habendae sunt, quas eadem infallibilis magistra, Christi Ecclesia, tamquam tales admittit ac veneratur.

e) *Iure suo Ecclesia utitur,* cum non omnes promiscue S. Scripturae versiones, ab iis quoque hominibus, qui extra ipsam sunt, factas approbat filiisque suis quibuscumque legendas permittit. Nam neque auctoritas suprema civilis alicuius regni, in quo, ut v. g. in Austria, plures diversae linguae habentur, edictorum suorum quascumque versiones tamquam fide dignas approbat, et ut in usu publico, v. g. forensi, adhibeantur, permittit, sed eam solam probat, quam ipsa fieri curavit.

---

[1] Adv. haer. l. 4, c. 26 (MG VII 1052).
[2] De praescr. c. 37 (ML II 50 sq).

Idem de S. Scripturae versionibus eo magis valet, quod propter innumeras gravesque difficultates philologicas, criticas, archaeologicas, theologicas ipsae multo difficiliores quam ullae aliae dicendae sunt[1].

f) *Non utique repugnat,* quominus Deus etiam post apostolorum aetatem nonnullis hominibus aliquid revelet; sed ea revelatio erit privata, et singularis atque ad religionem ac fidem christianam minime pertinet. Vera revelatio praeterea tunc tantum censeri poterit, si revelationi christianae nulla ratione contradicat. Et licet eiusmodi privata revelatio etiam ab auctoritate ecclesiastica legitima approbetur, inde tamen neutiquam sequitur, eam revelationem fide *divina* ab *omnibus* christianis credi posse et debere, cum istiusmodi approbatio nihil aliud testari possit, quam nihil in ea contineri, quod fidei christianae et bonis moribus adversetur, et pie quidem ac prudenter, sed humana tantum fide, istiusmodi revelationes ab hominibus, quibus ipsae divinitus communicatae non sunt, credi et utiliter legi posse. *Per se* etiam revelationes privatae non pertinent ad doctrinae christianae *explicationem promovendam,* cum plerumque hoc consilio a Deo dari non soleant et infallibile Ecclesiae magisterium ad authenticam saltem istiusmodi explicationem dandam institutum sit. Hinc etiam est, quod inter rationes, propter quas privatae revelationes *suspectae* videri possint, a Benedicto XIV recensetur[2] haec: „Si revelatum dicatur, quod adhuc sit sub Ecclesiae iudicio", i. e. nondum ab Ecclesiae magisterio certa declaratione decisum est[3].

g) *Cum Ecclesiae docentis* sive infallibilis magisterii non sit novam revelationem tradere, sive novae revelationis veritates statuere, quemadmodum legumlator novas leges condit, sed tantum Christi revelationem per apostolos conclusam integram conservare et iudicare, quaenam veritates in deposito fidei christianae contineantur, manifesto Ecclesia in campo huius fidei proxime non tam ut *legum auctrix,* quam potius ut *iudex* et *interpres authentica* agit. Decernit illa quidem, quasdam veritates a fidelibus ut divinitus revelatas explicita fide credendas esse, quod dum facit potest dici ut legum auctrix agere et fidei leges ferre; harum tamen legum fundamentum et ratio est ipsa pure iudicialis sententia, qua Ecclesia illas veritates credendas in deposito fidei contineri pronuntiat. Magis igitur hac in re similis est Ecclesia iudici quam legumlatori civili.

h) *Denique* cum Christi Ecclesia semper infallibilitatis dono divinitus instructa sit, necesse est, ipsam sibi etiam omni tempore infallibilitatem constanter et non incerta ac dubia ratione vindicare altaque voce eam proclamare. Id enim Christi Ecclesia sibi debet tum propter rei veritatem, tum propter filios suos, ut semper debitam in rebus fidei oboedientiam praestent et a fide numquam deficiant, necnon

[1] Cf. Malou, La lecture de la sainte Bible II, Louvain 1846, 329 sq.
[2] De canoniz. Sanctorum l. 3, c. 53, n. 8. [3] Cf. etiam Scheeben II 36.

etiam propter eos, qui extra ipsam Christi Ecclesiam sunt, ut haec ab ipsis cognosci et inveniri possit. Unde patet, quemcumque religiosum christianorum coetum, qui se veram quidem Ecclesiam Christi dicit, sed infallibilitatem sibi non ascribit, hoc solo defectu iam aperte sectam se esse prodere. Et si quidem fiat, ut praeter unam Christi Ecclesiam *nullus* istiusmodi coetus, sive *nulla* secta christiana infallibile magisterium, certa saltem et constante ratione, vindicare sibi audeat, Ecclesia Christi iam hoc ipso, quod se semper alta voce infallibilem dicit, omnibus, qui veritatis amantes sunt, tamquam manifeste veram se exhibet.

4. Cum Christi Ecclesia immutabilis sit respectu tum formae externae, sive imperii et magisterii, tum internae, sive fidei, ideoque in perpetuum permanere debeat, qualis a Christo instituta est, *semper* sit necesse est *unica* tantum, ac societas *perfecta, libera, inaequalis,* ad salutem aeternam obtinendam omnibus hominibus subsidii ordinarii ratione *necessaria.* Quapropter et inaequalitas et libertas et ad salutem aeternam consequendam necessitas proprietates Ecclesiae sunt prorsus *essentiales.* Unde

a) *semper et ubique* omnium hominum, qui nondum verae Christi Ecclesiae membra sunt, gravissimum officium est diligenter et sincere inquirere, ubinam ea sit, eique cognitae, quamprimum fieri potest, sese aggregare in eaque fideles ad mortem usque permanere. Vita ergo, quam vocant, *honesta* extra Ecclesiam ad salutem aeternam obtinendam minime sufficit. Et quamvis homo, qui sine gravi sua culpa extra Christi Ecclesiam est, absolute salutem aeternam consequi possit, eius tamen perdendae periculo plane maximo expositus est. Est enim *extra* viam ordinariam ad salutem, et hinc extraordinario tantum modo salvari potest, cum contra qui est in vera Ecclesia, etsi ad tempus male vivat, non tamen extra ordinariam salutis viam sit et salutis subsidiis a Christo Ecclesiae datis, si modo velit, uti seque emendare et salvare facile possit. Quare beneficium, quo quis verae Ecclesiae filius est vel fit, numquam satis aestimari potest. — Atque semper etiam verum erit, quemcumque christianorum coetum, qui Ecclesiam Christi se esse dicit, nihilominus tamen ad aeternam hominum salutem procurandam se non ita necessarium esse contendit, ut sensu prius a nobis exposito extra ipsum nulla speranda sit salus, hoc ipso hocque solo evidenter demonstrare, se reapse non esse Christi Ecclesiam. Idemque valet, si quis religiosus christianorum coetus, qui Christi Ecclesia esse velit, aut non sit societas inaequalis aut non libera, sed auctoritati civili sua sponte subdita.

b) *Ergo Christi Ecclesiae* prorsus repugnat, quominus umquam fiat instar reipublicae popularis, sive quominus fiat, ut vulgo dicitur, democratia; Ecclesiae enim regimen essentiale propter primatum ex Christi voluntate perpetua successione continuandum semper est mon-

archicum[1]. Item ei repugnat, quod vocatur, systema tum *territoriale,* secundum quod cuiuscumque reipublicae vel regni caput est simul etiam ecclesiae in suo territorio sitae caput, et ita quidem, ut ecclesia civitatis legibus omnino regatur; tum *collegiale,* cuius summa, ut Wegscheider ait[2], „eo maxime redit, ecclesiam et civitatem, tamquam instituta fine et disciplina diversa, ita mutuo vinculo coniungi debere, ut, ratione habita huius diversitatis et observatis singularum iuribus, intercedente quidem iurium collatione, ab unius eiusdemque, principis nimirum eiusdemque episcopi summi, summo regimine pendeant". Notum est, utrumque hoc systema a protestantibus inventum multisque in regionibus inductum esse, et *territoriale* quidem in Germania maxime ita viguisse, ut haec sententia: „Cuius est regio, eius est religio", eius quasi lex ac regula facta sit. Et ista quidem duo systemata Ecclesiae Christi prorsus adversa sunt, quia non solum eius formae *externae,* sive regimini sacro et speciatim primatui perenni et uni, sed eius etiam universalitati et necessariae simul unitati manifesto et quam maxime repugnant.

c) *Ecclesiae regenti et infallibiliter docenti* a fidelibus vera et perfecta semper oboedientia debetur, ut aeternum salvi fiant. Nemo enim salvari potest, nisi sit vere discipulus Christi; sed qui regimini et infallibili magisterio Ecclesiae universalis non oboedit, nequit esse discipulus Christi. Spernendo enim institutam a Christo auctoritatem ipsum Christum spernit (Lc 10, 16), cum Christus regat ac doceat per Ecclesiam vicariam suam, cumque ille, qui Ecclesiae auctoritati pertinaciter non oboediat, declaretur ab ipso Christo Mt 18, 17 habendus tamquam ethnicus et publicanus, i. e. tamquam maxime peccator atque tamquam homo, qui gravi sua culpa sit extra Ecclesiam, ideoque discipulus Christi esse amplius nequit. Qui autem propter gravem suam culpam Christi discipulus adeo non est, ut etiam extra ipsius Ecclesiam sit ac maneat, salvari omnino non potest. Ut igitur aliquis in vera Ecclesia constitutus salvari possit, necesse imprimis est, eum semper omnia sincere credere, quae infallibile magisterium praescribit credenda, et oboedientiam Ecclesiae regenti ac praesertim in Petri primatu successori debitam non denegare neque ab Ecclesia se umquam separare.

d) *Nulla vera* iusta et gravis ratio erit aut esse poterit schismatis vel haeresis. Est autem schisma absoluta separatio ab Ecclesia universali, quod maxime accidit dissoluto plane vinculo con-

---

[1] Utrum autem Ecclesiae regimen dicendum sit *absolute* monarchicum, an propter divinam episcoporum institutionem, et quo sensu aristocratia temperatum, non est huius loci nec generatim huius disciplinae accuratius inquirere, cum huius quaestionis solutio pendeat maxime a controversia de origine iurisdictionis episcoporum, quae controversia, meo quidem iudicio, ad dogmaticam pertinet.

[2] Instit. theol.[5], Halae 1826, 559.

iunctionis et unitatis cum capite Ecclesiae, Petri in primatu successore, et hinc etiam cum omnibus illis, qui illi capiti subiecti sunt. Haeresis vero est pervicacia hominis christiani vel in admittendis et defendendis opinionibus, quae doctrinae ut tali sive formaliter revelatae et a Christi Ecclesia diserte professae repugnent, vel simpliciter in negandis illis veritatibus a Christi Ecclesia omnibus suis filiis ad credendum diserte propositis. Necessarium scil. atque iustum *schisma* tum tantum esset, si quando Ecclesia a se ipsa deficeret sive cessaret Christi Ecclesia esse; hoc autem, id quod in thesi praecedente demonstravimus, prorsus impossibile est et nullo umquam tempore locum habebit. Licet igitur fiat, ut plurimorum Ecclesiae Christi sociorum mores variis temporibus sint valde corrupti fidesque multorum valde debilis, proindeque facies Ecclesiae sit satis deformis, ideo tamen Ecclesia ipsa a Christo non deficit nec esse cessat. In perpetuum enim eam, quam a Christo accepit, formam externam et internam habebit, puram igitur ac sanctam semper doctrinam non solum fidei, sed etiam morum omniaque aeternae salutis subsidia a Christo sibi tradita conversabit, semper illam omnibus praedicabit observandamque praecipiet, haecque subsidia omnibus offeret et ad eorum rectum usum hortabitur. Nemini igitur umquam in Ecclesia deerit occasio atque facilitas recte vivendi sanctumque se reddendi. Et sicut ipsa divina mandata culpanda non sunt, quod eorum transgressione innumeri homines peccatores constituuntur, ita nec Ecclesiae vitio vertendum est, si multi eius alumni male se gerunt, quorum perversi mores efficere non valent, ut a Christo ea deficiat eiusque Ecclesia esse cesset. Praeterea nec etiam apparet, qui fieri possit, ut qui a Christi Ecclesia sese separant, meliores evadere possint, quam in ipsa Ecclesia fieri potuissent, si voluissent, cum separatione semper prorsus illicita ac temere facta gravissimam culpam committant, cum separatione si non omnia, plura tamen certe aeternae salutis subsidia a Christo Ecclesiae commissa amittant, cum denique, utpote infallibili magisterio destituti, fere certo ac proximo errorum haeresisque periculo sese exponant. — Quinimmo cum quodvis verum schisma, si minus doctrina, actione saltem, sive sui ipsius natura, oboedientiam primati debitam neget, semper etiam schisma haeresim saltem occultam coniunctam habet. Vere igitur iam S. Augustinus[1]: „Neque enim, inquit, et schisma fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur, qui faciunt.“ Et cum pronum sit, ut schismatici, quod agendo iam implicite negarunt, mox etiam ad se purgandos docendo formaliter et explicite negare incipiant, in hac saltem re quam facillime veri haeretici evadere solent. Ac certe iam S. Hieronymus[2] scripsit: „Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ec-

[1] C. Crescon. l. 2, c. 7, n. 9 (ML XLIII 471).
[2] In ep. ad Tit. c. 3, v. 11 (ML XXVI 598).

clesia recessisse videatur.“ Schismatis igitur nulla umquam iusta causa esse potest, sed quam gravissimae rationes omni tempore illi obstant.

Atque id magis etiam de *haeresi* valet. Cum enim in Christi Ecclesia infallibile magisterium semper permansurum sit, illa numquam falsam doctrinam docere potest, sed in perpetuum acceptam a Christo doctrinam puram atque integram conservabit et omnibus omnium temporum ac locorum gentibus tradet. Ergo Ecclesiae filium etiam doctissimum, si contrarium verum existimet atque fingat, Ecclesiam docentem errare, suam vero doctrinam Ecclesiae doctrinis quantumvis oppositam infallibiliter veram esse, manifestum est, aut intolerabili superbia aut incredibili mentis caecitate laborare, adeoque non modo non audiendum, sed, si fieri possit, corrigendum aut impediendum esse, quominus falsae doctrinae veneno alios inficiat atque in suam secum perniciem trahat. Quilibet enim, doctrina licet emineat, pro humani ingenii imbecillitate malisque unicuique natura insitis cupiditatibus facile, teste experientia, proh dolor nimium longa et tristi, in errores etiam gravissimos incidere atque ita incidere potest, ut ipse, praesertim si indole fervidus et impatiens atque simul vanus ac superbus sit aliosque, et imprimis auctoritatem ecclesiasticam sibi repugnantes experiatur, illos errores quam acerrime defendat atque nonnumquam mera et manifestissima figmenta vel etiam mendacia tamquam maximi momenti veritates iactitet et mordicus tueatur. Infallibilis contra religionis christianae magistra, universalis Christi Ecclesia, et iam inde a sua origine doctrinae a Christo acceptae optime conscia, in conservanda, docenda atque definienda Christi doctrina errare numquam potest, cum nihil humani impedire possit, quominus quod Christus Deus promisit quodque ut efficiatur ab ipso solo pendet, ab ipso revera praestetur. Unde quidquid contra Ecclesiae doctrinam profertur, etiamsi quam maxime speciosum sit, nihil aliud nisi falsum et erroneum esse potest. Itaque non modo nulla vera ac iusta haeresis ratio esse potest, sed haeresis auctor, ille scil. homo, qui doctrinam religiosam ab Ecclesia universa creditam vel iam sollemni modo ut veram ac divinitus revelatam definitam et sibi sufficienter cognitam sciens et animo pervicaci reicit novasque et Ecclesiae doctrinae contrarias opiniones ut christianae revelationis dogmata statuit, hac sua agendi ratione gravissimi peccati reum se facit, ita ut, si poenitentiam ante mortem non agat nec cum Ecclesia sese reconciliet, salvus fieri prorsus nequeat; in gravissimo enim religionis negotio iste homo oboedientiam auctoritati immediate divinitus institutae et, utpote infallibili, quam maxime debitam pervicaciter et temere detrectando schisma simul atque haeresim inducit, veramque christianam fidem ad aeternam salutem adeo necessariam superbe reicit. Insuper eiusmodi homo erroribus suis etiam alios imbuere atque nonnumquam integros populos pervertere studet,

atque ita innumeros a vera fide ad falsas doctrinas amplectendas deducendo quam maximo aeternae salutis periculo exponit.

Unde intelligitur, cur apostoli de haereticis hominibus severissime loquantur. Scribit certe Paulus ad Titum (3, 10 11): „Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.“ S. Ioannes vero vocat 1 ep. 2, 22 haereticos, qui Christi dignitatem messianam negabant, mendaces antichristos, dicitque 2 ep. 10, eos nec in domum recipiendos nec etiam salutandos esse. Similes haereticos appellat pariter S. Petrus 2 ep. 2, 1 magistros mendaces, „qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem“. — Hinc etiam, id quod notum est, sancti Patres, ut Irenaeus, Augustinus aliique quam plurimi sui temporis haereticos tantopere ad veritatis agnitionem verbo et scripto reducere studebant. Nec etiam mirum videri potest, tum quod Irenaeus refert[1]: „Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi et dicenti: cognoscis nos? respondit: cognosco te primigenitum satanae. Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus communicarent alicui horum, qui adulteraverant veritatem“; tum quod Tertullianus et Cyprianus haereticos haud amplius ut christianos agnoscebant. Ille certe ait[2]: „Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt.“ S. Cyprianus vero de Novatiano scribit[3]: „Scias, nos primo in loco nec curiosos esse debere, *quid ille doceat, cum foris doceat.* Quisquis ille est et qualiscumque est, *christianus non est,* qui in Christi Ecclesia non est.“ Et rursus dicit[4]: „Apparet, adversarios Domini et antichristos omnes esse, quos constet a caritate atque ab unitate Ecclesiae catholicae recessisse. . . . Multo magis [quam ii qui contemnunt Ecclesiam] utique rebelles et hostes falsa altaria et illicita sacerdotia et sacrificia sacrilega et nomina adulterata fingentes inter ethnicos et publicanos necesse est computentur.“ Item Cyrillus Alexandrinus de haereticis dicit[5]: „Christianorum nomen furati sunt.“ Necnon S. Augustinus ait[6]: „Diabolus . . . haereticos movit, qui *sub vocabulo christiano* doctrinae resisterent christianae.“ Denique de haereticis et schismaticis simul loquens ait S. Ambrosius[7]: „Omnes quoque haereticos et schismaticos a regno Dei et ab Ecclesia intellige separatos. Et ideo non Dei, sed immundi spiritus omnes schismaticorum haereticorumque liquido claret esse conventus.“

Quaecumque igitur mala in Christi Ecclesia aliquando esse videantur, nihili instar sunt comparata cum ingenti illo ac plerumque irreparabili malo vel schismatis vel haeresis.

Ergo nulla vera ratio separationis ab Ecclesia esse potest. Omnes igitur christianorum coetus religiosi, qui extra veram et unicam Christi Ecclesiam sunt et Ecclesiam sese dicunt, nihil aliud sunt quam sectae et instituta mere humana, atque superbiae aliarumque pessimarum cupiditatum fructus.

---

[1] Adv. haer. l. 1, c. 3, n. 4 (MG VII 853). [2] De praescr. c. 37 (ML II 51).
[3] Ep. 55, ad Antonian. c. 24 (Hartel 642).
[4] Ep. 69, ad Magn. c. 1 (Hartel 750).
[5] In Is. 21 16 (MG LXX 499 501): *τὸ χριστιανῶν ὄνομα κλέπτοντες.*
[6] De civ. Dei l. 18, c. 51, n. 1 (ML XLI 612).
[7] Expos. in evang. S. Luc. l. 7, n. 95 (ML XV 1723).

e) *Non potest verum esse* quod dicunt, Christi Ecclesiam integram et in fide puram mansisse tantum usque ad quartum vel tertium, vel etiam modo usque ad secundum aerae christianae saeculum. Pariter Ecclesia Christi, quam tempore futuro instituendam quam plurimi recentiorum protestantium fingunt, quamque Ioanneam vel etiam Spiritus Sancti dicunt, nihil nisi vanissimum somnium est. Coetus utique institui possit, qui illo nomine se Ecclesiam Christi dicat, sed nihil minus quam vera Christi Ecclesia esset et esse posset.

f) *Ergo verba*, quae Christus ad Petrum de huius primatu dixit, etiam de singulis ipsius in primatu legitimis successoribus necessario valent, deque ipsis pariter intelligenda sunt.

g) *Denique cum Ecclesia* quoad doctrinam a Christo per apostolos acceptam sive fidem obiectivam semper immutabilis sit, nulla *dogmatica variatio*, sive latens et occulta sive aperta, in ea locum habere potest. Intelligimus enim variationis dogmaticae nomine eam mutationem, qua fiat, ut doctrina tamquam divinitus revelata et omnibus credenda proponatur, licet opponatur priori circa eandem rem doctrinae, quae et ipsa antea ut a Deo revelata credita sit. Variatione igitur dogmatica fit, ut credatur postea dogma, aut priori dogmati plane oppositum aut saltem ab eo ita diversum, ut aut assensus dissensui vel contra dissensus assensui, aut animi suspensio assensui vel dissensui circa eam rem ab omnibus fidelibus credendam succedat. Differt igitur et bene distinguenda est variatio dogmatica

α) *a variatione* merae *opinionis* de re, de qua nullatenus certo constat, utrum revelata sit necne. Haec scil. non ut dogma certis rationibus, sed vel coniecturis vel rationibus plus minusve probabilibus innititur, ideoque animum non necessario in alterutram partem flectit, et hinc fluxa esse et varia fieri atque numquam ut talis ad symbolum profitendae fidei pertinere potest, quod constituunt dogmata.

β) *A mera et recta* dogmatum *explicatione*. Haec enim nihil aliud est nisi *eiusdem* doctrinae continuatio; per ipsam enim hoc tantum fit, ut distincte, clare atque plene habeatur, quod prius habebatur quidem, sed plus minusve confuse, obscure, ex parte habebatur, utque e praemissis consectaria tenentur. Sed ea evolutio dogmatica doctrinae, quae *nova omnino* dogmata progignat et ipsius christianae doctrinae substantiam immutet, esse prorsus nequit.

γ) *A definitione dogmatum*, quae ab infallibili magisterio fieri potest. Nam etiam haec est *eiusdem* doctrinae continuatio; definitione enim fides obiectiva, sive doctrina ipsa credenda non mutatur, sed solum magis evolvitur, declaratur, firmatur atque interdum nova propter novos errores forma proponitur. Mutatur igitur ea tantum subiective sive in animo fidelium, quatenus nimirum aut ipsorum assensus positivus ad *plura* quam antea *distincte* sive, ut dici solet, *explicite* credenda sese extendat, aut ad prius distincte iam credita maiore vi ii astringantur. Nec tamen ideo ipse habitus animi

hominis credentis vere mutatur, habitus enim iste hominis christiani ante definitionem hic est, ut dispositus sit ad ea omnia credenda, quae ut dogmata definienda erunt; hinc dum in haereticorum variationibus dogmaticis transitus animi a doctrina prius credita aut non credita ad doctrinam modo credendam aut non credendam heterogeneus est[1], Ecclesiae definitione dogmatica transitus non fit alterius generis, sed est prorsus homogeneus. Itaque Ecclesiae immutabilitati respectu fidei non officit, quod temporis decursu numerus doctrinarum Christi distincte credendarum augeatur. — Differt porro variatio dogmatica

δ) *a variationibus disciplinae et formae regiminis ecclesiastici* illius, quae *auctoritate apostolica* et *ecclesiastica* constituta est, ut bono Ecclesiae administrando prospiceretur. Haec enim, quamquam utiliter pro temporum locorumque varietate instituta est, ad dogmata spectare non potest. Cum enim Ecclesiae potestas eadem semper maneat, iure per ea, quae ab ea nova iubentur, circumscribi aut mutari priora instituta possunt. Cogita v. g. disciplinae decretum ab apostolis latum de esu sanguinis, et institutionem patriarcharum, quae ut ab Ecclesia facta est, ita etiam ab ipsa tolli posset. Disciplina et forma regiminis ab ipso Christo institutae immutabiles esse per se patet.

Itaque istiusmodi variatio Ecclesiae nullatenus repugnat, at repugnat variatio dogmatica. Si quis igitur religiosus christianorum coetus, qui se Christi Ecclesiam esse contendit, vere dogmaticam variationem vel unam admittit, eo ipso se non esse Christi Ecclesiam probat. Unde patet, variationes dogmaticas esse vere sedem argumentorum, quibus omnem christianorum coetum illis obnoxium Ecclesiam Christi nullatenus esse demonstretur; efficiunt ergo eae locum vere theologicum artificialem, sed mere *negativum*.

5. Cum Petri primatus ex immediata voluntate et institutione Christi in perpetuum exstiturus sit, legitimus Petri in primatus munere successor *iure divino* sive ex voluntate Christi succedit. — Item qui apostolis in *ordinaria* potestate succedunt et simul Petri in primatu successori ex officio subiecti sunt, *iure divino* succedunt, cum, ut probavimus, ex Christi voluntate in perpetuum sint necesse sit, qui illis in regimine et magisterio sacro rite succedant. Hos autem apostolorum in supremo particularium ecclesiarum sive dioecesium regimine successores alios non esse, quam qui episcopi vocantur, patet ex eo, quod, nisi episcopi in ista iurisdictionis potestate apostolorum successores essent, nulli omnino in ea successissent. Tota enim antiquitas christiana alios in isto regiminis et magisterii apostolici munere successores quam episcopos adeo non novit, ut diserte semper epi-

[1] Utique si ipsi Ecclesiae Christi *novae* doctrinae divinitus revelarentur ipsaque eas fidelibus explicite credendas praescriberet, assensus iis novis dogmatibus praestandus non foret heterogeneus; sed eiusmodi revelatio locum non habet.

scopos apostolis in ordinaria ipsorum iurisdictione successisse testata sit. Quod iam ex supra allatis tum apostolorum tum veterum Patrum testimoniis satis patet et tota Ecclesiae historia quam luculentissime demonstratur; sed cum notum id sit, pauca tantum veterum hac de re testimonia iam allatis addere sufficiat.

Certe S. Ignatius: „Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.“ [1] Si vel diaconi mandatum Dei, i. e. a Deo constituti sunt, multo magis id dicendum est de episcopis. Cf. supra p. 293. Et Irenaeus ait [2]: „Iis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui *successionem habent ab apostolis* . . .; qui cum *episcopatus successione* charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt.“ Tertullianus autem ad ostendendam sectarum falsitatem haec dicit [3]: „Edant ergo origines ecclesiarum suarum, *evolvant ordinem episcoporum* suorum ita *per successiones ab initio decurrentem,* ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.“ Cyprianus de episcopis dicit: (Christus) „ad apostolos ac per hoc ad omnes praepositos, qui apostolis vicaria ordinatione succedunt: qui audit vos, me audit, et qui me audit, audit eum, qui me misit“ [4]. Hieronymus: „Apud nos, inquit [5], apostolorum locum episcopi tenent, apud eos (Montanistas) episcopus tertius est.“ Eusebius, ubi [6] „de prima apostolorum successione“ agere se scribit, postquam plures episcopos ab ipsis apostolis constitutos nominavit, ad finem dicit, quinam deinde per temporum ordinem apostolis successerint, se in progressu operis suo loco narraturum esse, idque reapse deinceps praestat [7]. Quare etiam sedes episcopales, quas primi tenuerunt apostoli, *sedes apostolicae* appellatae sunt; quinimmo etiam aliae sedes plus semel hoc nomine insignitae sunt, non propter aliam procul dubio causam quam successionis legitimae in sacro apostolorum regimine. Ita sane Sidonius Apollinaris [8] sedem suam episcopalem Arvernae sive Claromontii positam „sedem apostolicam“ dicit; et Paulinus Nol. sedem Alypii Tagastae in Africa apostolicam vocat [9]. Dubitatio ergo prudens nulla esse potest, quin episcopi apostolis in ordinaria eorum iurisdictione sive in sacro Ecclesiae regimine et magisterio iure divino succedant, si tamen cum Petri in primatu successore coniuncti eique subiecti sint. Qui enim ab Ecclesiae primate schismate separatus est, non est socius verae Christi Ecclesiae, nec amplius ad ovile Christi pertinet, Petro eiusque successoribus commissum. Christus etiam apostolis omnem iurisdictionem et missionem dedit tantum ut Petro coniunctis. Ergo nullus episcopus a Petri successoribus schismate vere separatus illo successionis iure pollere potest.

---

[1] Ep. ad Smyrn. c. 8 (Funk I² 283).
[2] Adv. haer. l. 4, c. 26, n. 2 (MG VII 1053).
[3] De praescr. c. 32 (ML II 44). [4] Ep. 66, n. 4 5 (Hartel 729 sq).
[5] Ep. 41, n. 3 (ML XXII 476). Aliis locis videtur Hieronymus dicere, primitus episcopos eosdem ac presbyteros fuisse. De qua re cf. L. Sanders, Études sur St-Jérôme, Bruxelles-Paris 1903, 269 sqq; Segna 344 sqq; Wilmers 330 sqq.
[6] H. E. l. 3, c. 4, n. 11. [7] Ibid. c. 11 14 21 etc.
[8] Ep. l. 6, ep. 1 ad Lup. (ML LVIII 551).
[9] Ep. 3 (ML LXI 162).

§ 13.

De apostolicitate Ecclesiae.

Thesis IX.

Ecclesia Christi fuit estque necessario semper apostolica origine, doctrina, successione et missione tum ratione regiminis sacri generatim et speciatim primatus, tum ratione infallibilis magisterii.

I. **St. q. 1.** Apostolicitas est illa proprietas, qua Christi Ecclesia ratione *suae essentiae suaeque formae tum internae tum externae* eadem semper atque perpetuo permaneat, qualis a Christo per apostolos fundata est. Postulat igitur apostolicitatis proprietas, quatenus hoc loco considerari potest, haec tria:

a) *originem apostolicam,* illam scil. originem divinam atque supernaturalem, qua Christus apostolorum ope suam in orbem terrarum induxit Ecclesiam, quaque Ecclesia sit illa ipsa, quam una cum Christo fundarunt apostoli. Origo autem apostolica distinguenda est duplex, *immediata* et *mediata.* Immediatae originis apostolicae est illa ecclesia, quam opera sua propria aliquis apostolorum condidit, uti v. g. ecclesia particularis Corinthiorum ab apostolo Paulo instituta fuit. *Mediatae* vero originis apostolicae potest ecclesia fieri duplici modo, altero proximo et directo, altero remoto et obliquo.

α) *Proximo et directo modo* ecclesia aliqua particularis originis mediate apostolicae est, si fundata sit vel ab aliquo, quem apostoli ad eam fundandam miserant (uti v. g. apostoli Petri comes S. Marcus auctor fuisse perhibetur ecclesiae Alexandrinae), vel ab alia ecclesia immediate apostolica. Ita ecclesia Africana, sicut etiam multae aliae occidentales ab ecclesia Romana ab ipsis apostolis fundata conditae sunt, ab eaque exsistentiam et fidem acceperunt.

β) *Remoto autem et obliquo modo* ecclesia aliqua originis mediate apostolicae fit *primum* illa, quae progenita est ab alia ecclesia mediate tantum, sed proximo et directo modo apostolica, uti pleraeque ecclesiae septentrionales in Batavia, Dania, Russia etc. conditae sunt a viris aliarum ecclesiarum mediate tantum priore illa ratione apostolicarum; *deinde* illa quae origine sua quidem notha fuit, i. e. ab haereticis vel schismaticis fundata, sed aggregando sese deinceps verae et universali Christi Ecclesiae et apostolicitatis centro, Petri in primatu successori sese subiciendo, ab eo tempore legitime nata pronuntiatur et reapse apostolicae originis *particeps* fit. Nam hoc ipso, quod ecclesia ista adulterina priorem suam nativitatem abdicat, obtinet veluti secundam legitimam nativitatem ex illo ipso apostolicitatis centro, a quo suscipitur et quocum sese coniungit; idque eadem ferme ratione, qua alicuius regni provincia, seditione per aliquod tempus ab illo prorsus seiuncta, postea rursus cum eo sese coniungendo regique sese subiciendo pertinet iterum vere ad illud regnum eiusque

non solum nomine comprehenditur, sed etiam eius naturae ac formae et eiusdem legitimae originis particeps fit. Atque idem plane obtinet, si qua civitas, quae prorsus a certo regno aliena suique iuris hucusque exstiterat, libere se illi regno aggregat eiusque regi omnino se subicit.

Ecclesiae igitur particulares variis modis immediate aut mediate ratione originis apostolicae fieri atque manere possunt, si tamen, id quod omnino notandum est, et natae fuerint et maneant semper *subiectae et aggregatae apostolicitatis centro,* Petro eiusque in primatu legitimis successoribus. Nam cum Christus *totam* Ecclesiam suam super Petrum eiusque in primatu legitimos successores tamquam super fundamentum firmans et singulas eius partes in unitatem coniungens aedificaverit, apostoli eorumque successores sic debuerunt particulares ecclesias fundare , ut eas singulas non sibi quisque retineret, sed cum centro illo unitatis et apostolicitatis coniungeret atque ita in illud insereret, ut singulae super fundamentum totius Ecclesiae vere aedificatae essent ac semper manerent atque sic omnes unam eandemque Christi Ecclesiam efficerent. Itaque ut apostolica censeri possit aliqua ecclesia, necesse omnino est, ipsam immediate aut mediate modis paulo ante expositis natam esse atque unitam et aggregatam Petro huiusque in primatu legitimis successoribus, et in hac coniunctione deinceps semper permanere. Unde ex hac sola coniunctione cum centro unitatis et apostolicitatis adeo certo et clare cognoscitur, utrum aliqua ecclesia origine apostolica sit necne, ut ea coniunctio si locum non habuerit, ecclesia illa numquam apostolica fuerit; si ex certo aliquo tempore exsistere desierit illa coniunctio, etiamsi ab ipsis apostolis illa ecclesia fundata fuerit, ex eodem illo tempore simpliciter et vere apostolica esse cessaverit. Contra vero a qua aerae christianae aetate, sive prima sive posteriore, aliqua particularis ecclesia cum Petro eiusque in primatu successoribus debite unita iisque subiecta est, origine apostolica est et tamdiu manet, quamdiu illam coniunctionem conservat. Ecclesia porro universalis nec primis ipsius temporibus fuit *tota* originis *immediate* apostolicae, cum etiam apostolorum discipuli, uti S. Marcus aliique, plures particulares ecclesias fundarint; maxima tamen eius pars tunc temporis origine immediate apostolica erat. Quo honore procul dubio aliqua eius pars semper fruitura est; certe Ecclesiam Romanam hucusque saltem perpetuo origine apostolicam mansisse nemo negare potest.

b) *Porro proprietas,* de qua agimus, praeter originis etiam *doctrinae* apostolicitatem includit, quae consistit in hoc, ut Ecclesia semper et profiteri debeat et reapse profiteatur illam ipsam fidem obiectivam sive doctrinam, quam professi sunt et docuerunt apostoli. Distinguitur autem haec apostolicitas in apostolicitatem *facti* et *iuris.* Facti apostolicitate aut tota aut partiali pollet ille religiosus christianorum coetus, qui, tametsi infallibile magisterium non habet, tamen aposto-

lorum doctrinam aut totam aut saltem maximam eius partem profitetur. Sed praeterea iuris etiam apostolicitate vera Christi Ecclesia ornari debet, utpote in qua infallibile magisterium sit, quod curat et certo efficit, ut apostolica doctrina semper integra ac pura conservetur et doceatur. Hac apostolicitate iuris opus esse, cum Christi Ecclesia perpetuo debeat esse apostolica ratione doctrinae, manifestum est, sine infallibilis magisterii vero continua praesentia nec necessitas apostolicitatis iuris demonstrari, nec etiam pro humana fragilitate et malitia apostolicitas facti, quacumque tandem ratione acciperetur, diu integra reapse conservari posset.

c) *Necessariam* denique affirmamus ad Ecclesiae apostolicitatem *successionem* et *missionem apostolicam* ratione tum regiminis sacri generatim et speciatim primatus, tum etiam infallibilis magisterii. Definiri autem potest successio, quae generatim sumpta est modus ordinarius acquirendi aliquod ius, in hac nostra re: *publica, legitima et numquam interrupta personarum in locum apostolorum ad regendam et pascendam Ecclesiam suffectio.* Ipsa dicitur *suffectio*, quatenus qui apostolis succedunt, non nomine apostolorum vicarias solum eorum vices obeant, sed eadem qua apostoli *ordinaria* potestate fungentes, ad id muneris potestate divina ad ipsos transmissa praediti regant et docentes pascant Ecclesiam Dei. Unde liquet, cur necesse etiam sit, eam suffectionem esse *publicam*, cum nisi per signa propria et omnibus nota constet, hos et non alios apostolico muneri vere successisse, grex christianus veros suos pastores a mercenariis non posset certo ac clare distinguere. Quaenam autem illa ecclesiasticae successionis signa sint aut esse debeant, non est huius loci inquirere. — Additur, eam suffectionem debere esse *legitimam*, ut nimirum tum ex parte dantis potestatem, tum ex parte accipientis ex iuris norma facta sit transmissio, descendat igitur ea a Christo vel per apostolos immediate, vel mediate per veros apostolorum successores. Non cuivis enim competit, transmittere potestatem divinam. — Dicitur denique suffectio *non interrupta*, ut scil. perpetua Christi Ecclesia semper atque perpetuo habeat, qui apostolico munere regiminis et infallibilis magisterii fungantur; quod fit per *missionem* sive *vocationem*, i. e. *legitimam assumptionem* et *deputationem* ad obeunda munia apostolica. Vocatio enim generatim definiri solet actio, qua alicui homini aliquid committitur ab eo, penes quem committendi potestas est. Successio igitur *rem* ipsam et *modum* eam transmittendi, sive potestatem divinam eiusque transferendae rationem spectat; missio vero sive *vocatio* ad *personam* designandam et assumendam in successionem apostolorum refertur.

Apostolicitas ex successione oriunda porro distingui solet a theologis alia *formalis*, alia vero *materialis*. Formalis apostolicitas „ex ea oritur successione ad apostolos pertingente, cui omnes competunt conditiones, quas Christus continuationi Ecclesiae voluit esse annexas, e quibus communio cum Petri cathedra praecipua est; materialis ex

ea nascitur successione, cui praedictae conditiones non omnes conveniunt, quae posterior apostolicitas varios gradus admittit. Haec et illis competit ecclesiis, quae initio ab apostolo vel viro apostolico fundatae postea communionem cum Petri successoribus abruperunt. Rursus Ecclesia, quae formaliter apostolica est, talis esse potest vel sola communione cum Petri successore, qua, apostolica Petri sede originis apostolicae defectum supplente, etiam illae ecclesiae sunt apostolicae, quae primitus a nullo apostolo sunt fundatae, vel simul ex eo, quod ab apostolo aut viro apostolico sunt fundatae" [1]. Itaque successio formalis est omnino vera, materialis vero per se sola est ad speciem tantum vera. Unde in vera Christi Ecclesia successio formalis locum habeat necesse est. Notandum praeterea, agi de successione eorum tantum, qui ordinaria apostolorum potestate regendi ac docendi praediti sunt plena et integra, ergo de Ecclesiae rectoribus ac magistris primariis, qui episcopi appellari consueverunt; non vero de christianorum pastoribus secundariis.

Manifestum est etiam, Ecclesiae Christi apostolicitatem totam ex demonstrata iam Ecclesiae tum forma et institutione, tum immutabilitate adeo necessario et evidenter consequi, ut non tam novis argumentis probanda quam breviter declaranda et evolvenda sit.

2. *Apostolicitatis proprietatem* generatim sumptam christianorum coetus religiosi, qui antiquiore tempore orti sibi nomen Christi Ecclesiae vindicarunt et adhuc vindicant, omnes antiquitus sibi attribuerunt [2] et adhuc attribuunt. Sed soli romano-catholici eam quam nos in thesi statuimus apostolicitatem Ecclesiae suae ascribunt; Graeci cum Russis et Anglicani in eo differunt a romano-catholicis, quod communionem cum Petri in primatu successoribus e conceptu apostolicitatis excludunt; protestantes plerique eam ad solam apostolicitatem doctrinae restringunt. Recenti tempore aliqui protestantes eo progressi sunt, ut etiam apostolis varios errores ascribant solamque eam, quam Christi doctrinam nominant, esse sequendam dicant.

II. Probatur, apostolicitatem Ecclesiae necessariam esse

1. ratione originis. Origo Ecclesiae est utique praecipue a solo Christo repetenda, utpote qui elementi eius formalis auctor immediate solus sit, elementi vero eius materialis mediate auctor primarius. Sed elementi formalis praecipuam partem, Ecclesiae scil. regimen et magisterium, Christus ita constituit in ipsis apostolis, ut utroque post Christi e terris discessum mox fungi inciperent; materiale vero elementum, multitudinem scil. fidelium, Christus exsistere quidem voluit, sed reapse ferme tantum per apostolos Ecclesiae addidit. Unde cum, ut monstravimus, Christus apostolis, sollemni in

---

[1] Reinerding II 171.
[2] Cf. Tert., De praescr. c. 32 (ML II 44).

universam terrarum orbem missione data, Ecclesiam suam perpetuo exstituram commiserit propagandam, sive in concreto ubique fundandam, docendam atque regendam, et sua auctoritate eos omnes atque imprimis Petrum instruxerit, dicendus omnino est suam unam Ecclesiam super et per apostolos in concreto instituisse. Quod et Paulus innuit, dum Eph 2, 20 Christi fideles superaedificatos esse „super fundamentum", praedicationem scil. „apostolorum" dicit, et simili modo Ioannes apostolus, qui Apc 21, 14 a se visam civitatem sanctam Ierusalem sive Ecclesiam refert, cuius murus habebat fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim apostolorum. Quare apostoli, tametsi non primarium, secundarium tamen principium sunt, ex quo Ecclesiae Christi origo repetenda est. Atqui Christi Ecclesia quoad essentialem suam formam internam et externam eadem semper permanere debet, ut supra p. 281 sqq monstravimus; ergo cum Ecclesia apostolica origine fuerit *facto*, eadem etiam *iure* apostolica origine est sive semper origine apostolica sit ex Christi voluntate necesse est.

Quae quidem originis apostolicae necessitas christianae antiquitatis testimonio confirmatur, utpote quae ad alicuius ecclesiae vel veritatem vel falsitatem ostendendam, ad eius originem apostolicam vel non apostolicam provocabat. Hoc certe sensu iam Tertullianus egregie haec scripsit[1]: „Apostoli . . . ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputabuntur ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et apostolicae, dum una omnes probant unitate (al.: unitatem)." Atque S. Hieronymus dicit[2], „esse in illa ecclesia permanendum, quae ab apostolis fundata usque ad diem hanc durat". Item Clemens Alex. ait[3], „unam esse veram ecclesiam, eam, quae vere est antiqua". Atque hinc Tertullianus iubet[4] haereticos, qui aetatem apostolicam pro se perhibebant, edere origines ecclesiarum suarum apostolicas. Similiter S. Hieronymus[5] ait: „Ex hoc ipso, quod postea (haeretici) instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros apostolus pronuntiavit", nempe seductores. Denique, ut ceteros omittam, S. Optatus Milev. donatistas hisce alloquitur[6]: „Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare." Adeo igitur sanctis Patribus persuasum erat, Christi Ecclesiam origine sua necessario semper apostolicam esse, ut

---

[1] De praescr. c. 20 (ML II 32).

[2] Dial. adv. Lucif. n. 28 (ML XXIII 181).

[3] Strom. l. 7, c. 17 (MG IX 552): *Μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ ἐκκλησίαν τὴν τῷ ὄντι ἀρχαίαν.*

[4] De praescr. c. 32 (ML II 44). [5] L. c.

[6] De schism. Donat. l. 2, c. 3 (ML XI 949).

Ecclesiam quae illam haberet, veram, omnes autem posteriores eo ipso, quod non essent originis apostolicae, falsas et haereticas confidenter pronuntiarent. — Apostolica praeterea Ecclesia esse debet

2. ratione doctrinae. Nam Ecclesiae doctrina ab initio fuit, atque in perpetuum sit necesse est doctrina tota Christi, cum alioquin Christi Dei Ecclesia esse non posset, cumque ideo, ut doctrinam Christi integram ac puram perpetuo conservet ac doceat, instructa sit a Christo in omne tempus magisterio in rebus fidei ac morum prorsus infallibili. Atqui doctrina Christi et tota doctrina Christi fuit illa ipsa, quam apostoli, utpote infallibiles illius doctrinae doctores et interpretes a suo magistro constituti, Ecclesiae tradiderunt; ergo Ecclesia debet esse omni tempore ratione doctrinae apostolica.

Nec opponere licet, in synagoga aliquando grassatam esse idololatriam, ergo pariter etiam fieri posse, ut in Ecclesia Christi aliquando fides recta corrumpatur. Primum enim nec in synagoga magistri infallibiles, scil. prophetae, umquam in illos errores inciderunt, nec etiam postea synedrium legitur umquam positiva saltem ratione falsam doctrinam docuisse. Deinde Christi Ecclesia quoad constantem fidei ac doctrinae puritatem synagoga longe perfectior et firmior constituta est propter perenne magisterium suum infallibile tale, quale synagoga non habuit. Nec huic sicut Ecclesiae Christi promissum divinitus est, numquam fore, ut ab inferorum potestate vincatur. Licet igitur non repugnet, quominus nonnullae Ecclesiae partes a vera fide deficiant, fieri tamen propter Christi promissum et assistentiam nequit, ut in ipsa Ecclesia universali ac tota umquam doctrina ac fides corrumpatur.

3. Ratione successionis et missionis respectu tum regiminis tum magisterii Ecclesia necessario apostolica est. Nam

a) *id quod* iam monstravimus, Christus verum Ecclesiae regimen apostolis omnibus, et Petro speciatim eiusdem primatum contulit simulque iis infallibile magisterium commisit, voluitque, ut tum istud regimen una cum primatu, tum magisterium perenniter in omne tempus per legitimos apostolorum ac Petri successores continuaretur, ita ut infallibile magisterium solis legitimis apostolorum in sacro regimine successoribus in perpetuum competeret, ideoque eadem illa in regimine successione et missione semper continuandum esset. Ergo cum regimen atque magisterium, quod apostoli divinitus acceperant, idem semper in Ecclesia continuandum sit, ipsa necessario semper apostolica est etiam ratione numquam interrumpendae et formalis successionis. Unde sequitur, ut etiam ratione missionis apostolica sit, cum successio sine missione non magis esse possit quam missio, ordinaria certe, sine legitima successione. Nisi enim essent, qui legitime cooptarentur et destinarentur ad apostolica munia regiminis et magisterii, nulli forent, qui legitime succederent; nisi adessent legitimi apostolorum in regimine et magisterio successores, nemo vera ac legitima, ordinaria certe, ratione mitti, sive ad illa munia obeunda eligi et

destinari posset, cum nulla sit vera missio, nisi facta ab eo, qui potestatem mittendi habet.

Nec sane opponere licet, ipsam Ecclesiam, utpote societatem, potestatem habere ex iure naturae ministros regimini suo necessarios eligendi, proindeque missionem ex apostolis petitam non esse necessariam. Ecclesia enim, ut iam ostendimus, non est societas naturalis, nec humana nisi ratione hominum, ex quibus constat, ergo, ut schola loquitur, *materialiter* tantum; *formaliter* autem considerata est societas supernaturalis atque divina; quare eius essentia et proprietates petendae sunt non ex iure naturae vel ex hominum conventione, sed ex forma tum interna tum externa, quam Christus Deus ipsi dedit. Utramque autem eam esse iam monstravimus (supra p. 245 sqq; 308 sq), ut Ecclesiae ministros constituere atque ita veram et apostolicam successionem continuare ac missionem dare, supremo Ecclesiae regimini, non vero fidelium multitudini competat.

b) *Ecclesia* semper debet esse apostolica origine et doctrina, atqui sine apostolicitate successionis et missionis nequit haberi

α) apostolicitas originis. Haec enim exigit, ut Christi Ecclesia quavis aetate saltem mediate connectatur cum suis fundatoribus apostolis; sed haec connexio nisi per legitimam et formalem successionem et missionem ad apostolos usque pertingentem haberi non potest. Ergo huius utriusque ratione Ecclesia apostolica esse debet. Praeterea sine legitima successione et missione haberi non potest

β) apostolicitas doctrinae, aut certe certitudo plena et *infallibilis* de ea. Christus enim voluit doctrinam suam, quae est eadem cum apostolorum doctrina, propagari et conservari per praedicationem eorum, qui apostolis in magisterio succederent, adeoque voluit doctrinae suae in perpetuum propagationem; haec autem sine perpetua personali apostolorum successione locum habere non potest; ergo si Ecclesia non esset apostolica ratione successionis ac missionis, sive nisi haberet legitimos apostolorum in regimine ac magisterio successores ad apostolos usque pertingentes, non posset sine extraordinario prorsus subsidio aut esse apostolica ratione doctrinae, aut saltem infallibilem certitudinem habere de possessione doctrinae apostolicae.

Confirmatur haec apostolicae successionis et missionis necessitas auctoritate antiquissimorum Patrum, utpote qui eam Ecclesiae apostolicitatem semper exegerunt, eaque tamquam nota verae Ecclesiae contra haereticos usi sunt.

Ita sane Irenaeus scribit[1]: „Iis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate.“ Tertullianus vero hae-

[1] Adv. haer. l. 4, c. 26, n. 2 (MG VII 1053).

reticos provocat[1], ut „edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt", scil. origines suas. Item S. Cyprianus scribit[2]: „Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, *nemini succedens, a se ipso ortus est.*" S. Augustinus[3]: Tenet me, ait, in Ecclesia „ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum *successio sacerdotum*". Fulgentius dicit[4]: „Illam itaque fidem crede sincerissimae menti tuae nos velle notescere, per quam iustificati sunt patriarchae prophetae, apostoli martyres coronati; quam hactenus per totum orbem sancta tenet Ecclesia. . . . Quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri apostoli Romae vel Antiochiae, in cathedra Marci evangelistae in Alexandria, in cathedra Ioannis evangelistae Ephesi, in cathedra Iacobi Hierosolymae ab episcopis ipsarum urbium praedicatur. Coge ergo arianos, donatistas . . . et reliquas haereseon pestes hisce communicare ecclesiis, quibus apostoli praesederunt; non consentiunt, quia per pravitatem fidei ab Ecclesiae unitate divisi in parte esse voluerunt."

In Oriente eadem doctrina viguit. Audi v. g., quid dicat Origenes[5]: „Quoniam multi ex his, qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant . . ., propter hoc necessarium videtur prius de singulis certam lineam manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de ceteris quaerere. Sicut enim multis apud graecos et barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquam credidimus filium Dei esse Christum et ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cum multi sint, qui se putant sentire, quae Christi sunt et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesia permanens, illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione." Gregorius Nyssenus affirmat[6]: „Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos traditionem velut hereditatem quandam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam." Basilius etiam Neocaesareensibus scribit[7]: „Fidei eversio apud vos excogitatur inimica apostolicis et evangelicis doctrinis, inimica traditioni Gregorii [Thaumaturgi, episcopi primi Neocaesareae] vere magni, et eorum qui ei sucesserunt usque ad beatum Musonium, cuius profecto documenta etiamnum in vestris auribus resonant." Hinc enim sancti Patres, id quod notum est, catalogos successionum episcoporum et maxime quidem successorum S. Petri conscripserunt et servarunt, ut veram Ecclesiam tuerentur.

Coroll. I. Ergo ut certo ac facile cognoscamus, utrum aliqua ecclesia praedita sit an non apostolicitate doctrinae et originis, satis est scire, utrum habeat apostolicam in regimine et hinc etiam in infallibili magisterio successionem. Quae enim ecclesia hac apostolicitate pollet, necesse est polleat etiam apostolica tum doctrina tum origine. Si cui vero ecclesiae sive reli-

---

[1] De praescript. c. 32 (ML II 44).
[2] Ep. 69, ad Magn. n. 3 (Hartel 752).
[3] C. epist. fundam. c. 4 (ML XLII 175).
[4] De Trinit. ad Felicem c. 1 (ML LXV 498).
[5] De principiis l. 1, n. 2 (MG XI 115 sq). — Similiter (ib. l. 4, n. 9: ib. 359) dicit se docere, „servata coelestis secundum successionem apostolorum Ecclesiae Iesu Christi regula (*κανόνος*)".
[6] C. Eunom. l. 4 (MG XLV 653). [7] Ep. 210, n. 3 (MG XXXII 772).

gioso christianorum coetui successionis apostolicitas non competit, deest manifesto ac certo etiam apostolicitas originis; quod autem ad doctrinam spectat, sine ullo eius examine praevio dicendum est, quam maxime probabile atque moraliter certum esse, eam pariter non integram ac puram apostolicam esse; religioso enim coetui, cui apostolicitas successionis et hinc originis non convenit, deest magisterium infallibile, non autem videtur, qua ratione Christi et apostolorum doctrina tota et pura sine infallibilis magisterii ope, diutius saltem, haberi possit. Si tamen quacumque ratione reapse haberetur, nec infallibiliter certo ea de re constaret nec etiam probabile esset, hominum coetum erroribus obnoxiorum eam diu puram et integram conservare posse, nec denique apostolicitas solius doctrinae solo facto et non iure consistens sufficeret ad veritatem alicuius ecclesiae efficiendam, cum aeque apostolicitas originis ac successionis requiratur.

Unde ad unam veram Christi Ecclesiam a falsis discernendam necessarium non est, omnium ecclesiarum doctrinam examini subicere, sed sufficit certitudo de sola successione apostolica respectu Petri primatus, cum huius successionis ea sit vis, ut habeat coniunctam totam apostolicitatem. Cum enim Petri primatus sit fundamentum Ecclesiae et centrum totius qui ab ipso pendet apostolatus, ubi vere successio in illo primatu locum habeat, ibi necesse est sit etiam Christi Ecclesia et tota successio et missio apostolica. Hinc quae ecclesia habet vere successionem apostolicam quoad Petri primatum, habet etiam originem apostolicam, cum Ecclesia tandem a suo fundamento coeperit; habet regimen sacrum apostolicum primatui subiectum, cum quivis summus particularis ecclesiae praepositus sive episcopus, subiciendo se Petri in primatu successoribus, regiminis apostolici eo solo iam particeps fiat. Ubi autem apostolicum Ecclesiae regimen est, ibi est e Christi voluntate necessario etiam infallibile magisterium, utpote, ut prius vidimus, in perpetuum successioni in illo regimine annexum; ubi porro hoc magisterium habetur, ibi necesse est sit etiam doctrina apostolica integra ac pura. In qua igitur ecclesia est vere successio apostolica in Petri primatu, ea ecclesia, et sola ea ecclesia, est *facto* et *iure* sub omni respectu apostolica. Quare in Petri successoribus tota verae Christi Ecclesiae apostolicitas veluti in fonte ac centro continetur atque exprimitur, adeo, ut quicumque religiosus christianorum coetus hucusque non apostolicus cum Petri in primatu successoribus sese coniungit iisque se subicit, fiat mediate vere et sub omni quoque respectu apostolicus. Contra qui iis non adhaeret, aut separatione ab iis facta apostolicitatem amittit, aut numquam ulla ratione apostolicus fuit, si nimirum origine posterior est tempore apostolorum et origo apostolica numquam coniunctione cum apostolicitatis centro suppleta sit. Qui igitur religiosus christanorum coetus non est cum Petri successoribus coniunctus, non est apostolicus, ideoque manifeste vera Christi Ecclesia non est.

Ad cognoscendum autem, quis et ubi sit verus Petri in primatu successor, minime necesse est examinare, qua ratione ille successor constitui debeat aut possit, sed sufficit scire, aliquem reapse ab Ecclesia universali agnosci ut talem, cum qui ut Petri successor ab ea agnoscitur, successor Petri etiam sit. Si enim, id quod tamen nullibi legitur, successionis modus a Christo aut ab apostolis sit constitutus, Ecclesia eum nosse et servare censenda est; si autem, ut res revera se habet, non sit certus modus praescriptus, Ecclesia eo ipso, quod est vera ac perfecta societas, valet eligere in perpe-

tuum aut ad tempus quemcumque electionis modum. Unde fieri potuit, ut Petri in primatu successor designaretur vel a solo praedecessore, vel ab episcopis vicinis aut solis aut una cum populo, vel a tota Ecclesia, vel alia quacumque Ecclesiae convenienti ratione.

Coroll. II. Cum Christi Ecclesia in perpetuum habitura sit respectu regiminis ac magisterii ordinariam successionem, patet, eam neque umquam carituram esse *missione ordinaria* et *apostolica*. Atque hinc in Christi Ecclesia missio *extraordinaria*, quam statuunt protestantes, numquam admitti potest. Existimant enim illi, Christi Ecclesiae statum posse adeo corruptum fieri, ut aut nulli amplius possint vocatione ordinaria ad ecclesiastica munia obeunda constitui, aut qui sint constituti, praesto esse non valeant, vel etiam fidei morumque vitiis ita sint infecti, ut etiam ipsi emendari haud possint. In eiusmodi porro Ecclesiae conditione tantum abesse, ut qui ordinaria missione non pollent, ecclesiasticis muniis non fungantur, ut ad id agendum illi quam plurimum obstringantur, ideoque optandum sit, ut homines divinitus modo extraordinario ad reformandam Ecclesiam mittantur [1].

At eiusmodi missio extraordinaria ad Ecclesiam reformandam est prorsus *impossibilis*, ideoque *numquam futura*. Nam 1. ut paulo ante ostendimus, successio atque missio apostolica tum materialis tum formalis secundum Christi promissiones numquam in Ecclesia deficere potest, semperque regimen Ecclesiae a Christo institutum atque infallibile magisterium manebit, ita ut Ecclesiae forma essentialis tum externa tum interna, sive recta fides nulla umquam emendatione indigeat; ergo temere omnino ac falso ab adversariis sumitur possibilitas extraordinariae missionis aliquando futura. Quamvis enim fieri possit, ut mores plurimorum Christi Ecclesiae sociorum fiant valde corrupti, non tamen potest vel doctrina ipsius infallibilis magistrae Ecclesiae umquam corrumpi vel etiam morum corruptio tanta tamque universalis fieri, ut ordinata a Christo successio legitima ordinaria impossibilis reddatur. Nihil enim Christus ut ordinarium et perenne velle potuit, quod aliquando impossibile esse futurum ipse omniscius sciverit.

2. Adversarii si ad extraordinariam illam missionem provocant vel eam fieri posse contendunt, contra se ipsos dicunt. Iterum enim iterumque docent, nihil esse in religionis christianae negotio admittendum, quod non perspicue in S. Literis contineatur. Nullibi autem in S. Scriptura vel indicatur, eiusmodi extraordinariam missionem in Christi Ecclesia aliquando futuram aut possibilem esse. Immo contrarium in S. Scriptura diserte ac saepius docetur. Nam praeter institutionem claram ac definitam ordinariae missionis et infallibilis magisterii, ut supra (p. 334) iam retulimus, in ea Christum severe fidelibus prohibuisse invenimus, ne umquam credant hominibus, qui se divinitus missos dicant ad doctrinam Ecclesiae ipsius repugnantem nuntiandam, etiamsi in praetensae legationis suae divinae confirmationem mirabilia opera efficiant. Quae cum ita se habeant, istiusmodi extraordinaria missio ut prorsus impossibilis habenda est.

3. Sed ut extraordinariae missionis impossibilitatem omittamus, si Deus voluisset, et sub periculo quidem aeternae damnationis voluisset, ut fideles sui aliquando agnoscerent aliquos tamquam legatos ad restaurandam

[1] Cf. Walenburch, Tract. 8 de missione protest. c. 5 (Opera I, Colon. Agripp. 1670, 910).

Ecclesiam modo extraordinario missos, hanc suam voluntatem Deus omnibus compertam facere atque ipsam istorum legatorum divinam missionem perspicuis et fide dignissimis testimoniis ac signis plane certam reddere debuit. Nam omnis lex ita perspicue proponi debet, ut ab iis, quos obligat, facile possit intelligi; libera autem alicuius, praesertim Dei, dispositio sciri nequit nisi manifesta eius declaratione. Legatus etiam hominis alicuius regis, imprimis extraordinarius, certis plane et claris notis ita insigniri debet, ut ab omnibus, ad quos mittitur, facile ac certo ceu talis agnosci possit; idque eo magis necessarium est, quo gravius est istius legati negotium quoque maius periculum, ut impostores ipsius personam mentientes munusque sibi arrogantes quam plurimos fallant. Porro extraordinaria missio divina ad restaurandam Christi Ecclesiam data esset res non tantum summi momenti, sed etiam prorsus insolens ac nullatenus exspectanda, cum et christiana revelatio apostolorum praedicatione conclusa atque ita absoluta sit, ut nulla in animis fidelium exoriri umquam possit exspectatio alterius cuiuspiam revelationis, et in Ecclesia perpetuum sit non solum supremum regimen, sed etiam magisterium infallibile atque efficax ad doctrinae integritatem ac puritatem semper conservandam, cum denique in Novo Testamento quam saepissime moneamur, ut caveamus a falsis prophetis ac doctoribus, qui usque ad finem mundi sint exorituri. Cum igitur Moysis, prophetarum Veteris Testamenti, Iesu Christi ipsius atque apostolorum missio divinitus data partim ad fundandam, partim ad praedicandam et conservandam institutam iam novam religionem tot tantisque miraculis fuerit confirmata atqua certissima reddita [1] ipsique illi magni ac vere divini legati noluerint, sibi fidem haberi, nisi prius vere divinitus missi reperirentur: quanto magis is certissimis documentis divinis deberet suam legationem probare, qui se divinitus missum diceret ad reparandam illam Christi Ecclesiam, contra quam ipsas inferorum portas nullo umquam tempore praevalituras esse eius auctor, Christus Deus, ipse praedixit? Alioquin etiam quilibet homo fanaticus posset se ad reparandas fictas Ecclesiae ruinas divinitus missum venditare; atque ita innumeri doctrinis quam maxime inter se variis et in multis plane oppositis possent divinam istam missionem sibi vindicare et hac ratione omnia susque deque vertere religionemque christianam, eiusdem reformandae simulatione, penitus pessumdare atque evertere. Certissima igitur et evidentia extraordinariae suae divinae missionis signa essent exhibenda ab eo, qui ea legatione ad emendandam Christi Ecclesiam se fungi affirmaret.

Iam vero quaenam ista signa esse possint, plane non apparet. Eiusmodi enim signum manifesto non esset a) *praedicatio ipsa,* quae perhiberetur ut praedicatio pura verbi Dei sive iactata cum apostolorum doctrina concordia. Haec enim ipsamet verbi divini praedicatio signo indiget, quo, utrum sit sincera et conveniens doctrinae apostolicae necne, clare et certo cognoscatur, idque ipsum illud est, de quo imprimis quaeratur necesse est, quoties religiosa controversia aut inter Christi Ecclesiam eosque qui eius reformatores se dicunt, aut inter hos ipsos reformatores exorta sit. Nec etiam ullatenus verisimile est, ut eorum, qui se tamquam Ecclesiae reformatores gerant, vel unus suae doctrinae puritatem non iactet. Quis enim alioquin divinitus missum religionis doctorem se diceret? Nec sane ullibi legimus,

[1] Cf. vol. I, p. 478 sqq 750 sqq 758 sqq.

haereticorum quemquam, quamdiu Christi Ecclesiae repugnabat, de sua doctrina dixisse, eam non esse puram Christi doctrinam. Quinimmo iam sua aetate S. Hilarius scripsit[1]: „Memento, neminem haereticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur." Praeterea si pura praedicatio verbi Dei signum infallibile esset extraordinariae missionis divinae, liceret universis Christi fidelibus munia apostolica obire, si modo verbum Dei pure praedicarent, utpote eo ipso extraordinaria illa missione instructis. Hoc autem non solum formae essentiali externae, quam Christus Ecclesiae suae dedit, prorsus repugnat, sed etiam est contra plerasque ipsorum protestantium disciplinas ecclesiasticas.

b) *Sed etiam* ineptius est aliud, quod adversarii proponunt, signum, positum in dono dicendi et docendi. Nullibi enim in S. Scriptura illud donum ut signum veritatis doctrinae traditur. Deinde experientia teste saepe fit, ut etiam impostores magna dicendi vi praediti sint. Neque apostolos naturalis eloquentiae laude floruisse ullibi commemoratur.

c) *Nec eiusmodi signum est* imperterrita hominis, qui illam extraordinariam missionem sibi ascribit, in profitenda sua doctrina etiam inter res adversas constantia. Nam nullatenus repugnat, quinimmo a natura quasi insitum est homini, qui mera superbia vel alia quacumque mala cupiditate motus divinum legatum se finxit, ut hanc suam simulationem summa qua fieri potest pervicacia defendat, adeo ut tandem suam ipse fictionem veritatem esse credere incipiat, et tum propter hanc suam fanaticam persuasionem, tum, et maxime quidem, quia ipse superbus contradictionem pati ullique subiectus esse non vult, etiam inter adversa a suo tristi coepto non desistat, sed magis magisque in defendenda sua sententia pervicax evadat. Et sane historia tum profana tum ecclesiastica multa eiusmodi pervicaciae hominum etiam pessimorum exempla refert.

d) *Successus,* quem homo, qui extraordinaria legatione ad Christi Ecclesiam reformandam divinitus missum se dicit, suam doctrinam praedicando fortasse habet, per se nullum istiusmodi signum est. Si enim praedicationis successus per se solus divinae missionis signum esset, evinceretur, et illos, qui falsorum numinum cultum primi in terrarum orbem invexerunt, et Muhammedem fuisse divinitus extraordinaria legatione ad homines missos, quandoquidem et polytheismus et islamismus incredibili celeritate quam latissime propagatus est. Successus igitur praedicationis ut sit argumento divinae missionis ipsius praeconis, ideoque divinae originis doctrinae praedicatae, ea exigit plane adiuncta, quibus pateat, rationem propagationis nec fuisse nec esse potuisse naturalem, sed fuisse prorsus divinam. Si porro homo, qui Ecclesiae reformatorem se dicit divinitus missum, annuntiet doctrinam, quae malis hominum cupiditatibus faveat, promittendo v. g. principum ac privatorum avaritiae bona temporalia Ecclesiae, permittendo morum licentiam atque cogitandi agendique quaecumque plenam libertatem, liberando ab observantia praeceptorum Ecclesiae et ipsius decalogi a Christo retenti etc., ipsius huius praedicationis successus minime profecto divinam praedicatoris missionem demonstrat. Adde, christianam religionem omnibus vitiis adeo contrariam non potuisse utique olim sine divino auxilio tam late propagari, induci, stabiliri; corrumpere vero eam specie emendationis haud adeo difficile esse,

[1] Ad Constant. l. 2, n. 9 (ML X 569).

cum hominum vulgus semper magis amet religionem, quae facile, quam quae difficulter observatur.

e) *Denique nec ipsa opera mirabilia,* quae illi novatores forsitan efficiant, signum divinae ipsorum missionis esse possunt. Christus enim diserte, ut iam retulimus, saepius praedixit, etiam *falsos* prophetas si minus miracula, opera tamen mirabilia effecturos esse, et ea quidem, quibus, si fieri posset, etiam amici Dei in errorem inducerentur (Mt 24, 24). Ratio autem, propter quam Christus nos monuit, ne huiusmodi prodigia tamquam signa divinae legationis illorum haberemus, qui ad ipsius Ecclesiae eiusque fidem emendandam ac reformandam se missos dicerent, manifesto alia non est, quam quod, infallibili magisterio e Christi voluntate in ipsius Ecclesia in omne tempus permanente, Ecclesiae doctrina semper pura et vera est et emendatione adeo non indiget, ut contraria quaecumque doctrina, licet miris quoque operibus confirmetur, prorsus falsa habenda et reicienda sit.

Quamvis igitur valde conveniens sit, ut, si quando aut magna morum corruptio inter fideles oriatur aut falsi prophetae aliique adversarii ad Ecclesiae doctrinam atque instituta impugnanda et corrumpenda insurgant, providentia divina procuret singularis sanctimoniae et doctrinae viros, qui et fidelium mores verbo et exemplo efficaciter emendent et adversariorum insultus fortiter propulsando Ecclesiam strenue defendant: quamvis, inquam, eiusmodi missio, aliquo certe sensu extraordinaria, Ecclesiae Christi valde consentanea et proficua sit, ei tamen prorsus repugnat extraordinaria ista missio, quam adversarii volunt.

Coroll. III. Sequitur postremo, nullam doctrinam, quae non sit aut *explicite* aut saltem *implicite* divino-apostolica, posse in vera Christi Ecclesia umquam tamquam fidei christianae immediate divinae obiectum haberi et ad credendum fidelibus proponi; ideoque omnem doctrinam, quae christiana perhibetur et revera est, etiam ut talem demonstrari, sive argumentatione ad apostolos usque reduci et posse et, si opus sit, ut in scientifica tractatione, etiam debere. Haec autem apostolicitatis alicuius doctrinae demonstratio fieri potest dupliciter, scil. aut *directe* testimoniis disertis S. Scripturae et antiquitatis christianae, aut *indirecte* sive *oblique.* Si enim doctrina aliqua ante exortam de ea controversiam certo tempore in Ecclesia, usu saltem, ita vigebat, ut, etsi nondum definita et explicite ad credendum proposita esset, implicite ut divina crederetur, eiusque origo certo post apostolos tempore nullatenus ostendi potest, talem doctrinam pariter vere apostolicam esse admittendum est, licet fortasse eius absoluta ad apostolos usque pertingens antiquitas *directe* sive disertis testimoniis probari non possit: quae quidem indirecta argumentatio per analogiam ad praescriptionem iuridicam iure vocatur *praescriptio theologica,* de qua pauca hic sunt dicenda [1].

Praescriptio iuridica varia quidem est ac varie definitur, prout latiore aut proprio et stricto sensu accipitur. Lato enim sensu a iurisperitis praescriptio dicitur [2] „quaelibet exceptio, removens actionem et possessoris securitati consulens". Proprio autem et stricto sensu accepta definiri praescriptio iuridica fere solet exceptio peremptoria, qua res aut ius acquiritur per possessionem legitimam et continuatam certo, lege statuto tempore. Hoc

[1] I. Ottiger in Zeitschrift für kath. Theol. V (1881) 71—84.
[2] Walenburch, Tract. 7 de praescript. cath. P. 1, c. 1 (Opera I 869).

utrumque porro praescriptionis genus primus Tertullianus celeberrimo „De praescriptionibus haereticorum“ libro ad res fidei christianae defendendas transtulit, et utroque aeque egregie contra haereticos utens defensoribus Ecclesiae Christi praeclarum eam contra quosvis adversarios optime defendendi exemplum statuit. Et *primum* quidem praescriptione *lato* sensu accepta utens, in quantum scil. est *exceptio quaelibet nascens ex vitio actoris*, haereticos quosvis homines ad disputationem de rebus fidei atque disciplinae christianae non esse admittendos, sed a limine ab ea excludendos, in hunc fere modum probat: in iudicio forensi, inquit, praescribuntur ab omni actione accusatores inimici, excommunicati, rerum ignari, illegitimi; reiciuntur pariter instrumenta abolita, corrupta, auctoritate destituta; excluduntur denique actores, qui comparere coram iudice legitimo recusant. et contra exhibent iudicem non competentem; iam vero novem haec enumerata vitia omnia apud haereticos, qui disputare cum verae Ecclesiae sociis de fide et S. Scriptura praesumant, reapse reperiri luculenter diversis in locis[1] ostendit. Idque de omnium omnino temporum haereticis atque partim etiam schismaticis plus minusve verum esse et per se et ex historia ecclesiastica manifestum est; unde omni tempore istis exceptionibus Christi Ecclesia ab adversariorum insultationibus rite et utiliter defendi potest[2]. *Deinde* vero Tertullianus praescriptione etiam *proprie dicta* utitur, et quam maxime quidem, dum contra haereticos *ex antiquitate doctrinae* argumentatur, ostendens et eius necessitatem, quia non liceat quidquam mutare in doctrina Christi ab apostolis praedicata atque auctoritate ad posteros transmissa (c. 6), et locum, ubi illa apostolorum doctrina reperiatur, scil. apud ecclesias apostolicas (c. 20 21), et consensionem doctrinae, quam christiani suo tempore profitebantur, cum ecclesiis apostolicis (c. 29—37), quia illorum christianorum doctrina sit antiqua, haereticorum contra aut nova, aut, si antiquior, iam prius damnata ideoque falsa.

Haec porro praescriptio theologica ita fere definiri potest, ut dicatur esse *exceptio peremptoria, quae in quaestione de doctrina christiana contra novitatem ex antiquitate illius petitur*. Est igitur argumentum, quo omnis competitor, sive quicumque christianam doctrinam sibi addicat, si antiquo possessore recentior sit, eo ipso, quod recentior est, a iudicio sive disputatione iure reicitur atque excluditur, et ita quidem, ut ipse litem amittens erroris convincatur, veritas autem possessori absolute antiquo adiudicetur. Dico possessori *absolute antiquo;* si enim ipse relative tantum antiquior est altero competitore, maior eius possessionis antiquitas argumento quidem est, doctrinam alterius, utpote omnino recentiorem, non esse apostolicam, ideoque neutiquam christianam, sed non eo ipso demonstrat, illam aliam nonnihil antiquiorem doctrinam esse vere christianam sive apostolicam[3]. Ut igitur, ubi

---

[1] Sunt praesertim hi: a) inimici (c. 12); b) excommunicati (c. 30); c) rerum ignari (c. 10); d) illegitimi (c. 30 37); e) instrumenta abolita (c. 17); f) corrupta (c. 38); g) auctoritate destituta (c. 14); h) reiciunt iudicem legitimum (c. 17 18 19 38 39); exhibent iudicem non competentem (c. 20).

[2] Cf. Walenburch, Tract. cit. c. 4 sq. p. 910.

[3] Ita si demonstretur, v. g. peccatorum confessionem sacerdoti faciendam in usu fuisse in Ecclesia iam sat diu ante concilium Lateranense IV a. 1215 celebratum, quo protestantes illam confessionem primum inventam et inductam esse contendunt, demonstratum est, hanc protestantium quidem affirmationem falsam esse, sed nondum eo ipso patet, doctrinam de confessionis necessitate esse apostolicam.

veritas sit, penitus evincatur, necesse est ostendere, antiquitatem possessionis esse absolutam sive eam, quae cum apostolica praedicatione certo et non interrupto vinculo connectatur. Unde patet, praescriptionem theologicam distinguendam esse in *relativam* et *absolutam;* illa est mere *negativa,* utilis ad ostendendam falsitatem doctrinae haereticae, non vero ad ostendendam veritatem doctrinae, quae christiana perhibetur. Absoluta vero praescriptio est *positiva,* utpote nata ad monstrandam ipsam doctrinae veritatem sive originem apostolicam.

2. Atque hinc etiam per se manifestum est, *quanti momenti* utraque quidem, praesertim tamen absoluta ac positiva praescriptio sit. Et sane huius argumentationis vim optime senserunt eaque usi sunt multi, qui revelationem divinam defendendam habebant. Ipse certe Moyses iam saepius ex antiquitate argumentatus est. Sic Dt c. 32 ad probandum, Deum esse Hebraeorum patrem, possessorem et creatorem, v. 7 dicit: „Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas; interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, maiores tuos, et dicent tibi." Deinde ib. v. 17 dicit de Hebraeis: „Immolaverunt daemoniis, et non Deo, diis, quos ignorabant; *novi recentesque* venerunt, quos non coluerunt *patres eorum.*" Necnon ipse Iesus Christus ad refutandos pharisaeos, qui concessum a Moyse affirmabant, ut uxori repudium remitti posset, reposuit Mt 19, 8: „*Ab initio* non fuit sic." Apostoli porro saepe simili ratione locuti sunt. Ioannes certe fidei eorum, ad quos scribit, satis consultum esse censet (1 ep. 2, 24), si in eo, quod audierint ab initio evangelicae praedicationis, stabiles permaneant, docens, signum apertissimum haeresis esse, quidquid apostolorum praedicationi contrarium vel prorsus novum sit. S. Paulus vero Timotheo commendat, ut „depositum" custodiat (1 ep. 6, 20), quasi dicens: custos es, non inventor doctrinae traditae, tibique persuadeas, te fidelem custodem tunc tantum te probaturum esse, si quod accepisti conservaveris et posteris tradideris. Et Gal 1, 8 9 omnem praedicationi suae priori contrariam atque ab eo diversam et ita vere novam doctrinam falsam declarat. Notum porro est, antiquitus in Ecclesia et a conciliis et a privatis scriptoribus [1] damnatos esse haereticos, eo quod *nova protulerint;* symbolorum

---

[1] V. g. Tert., Adv. Marcion. l. 4, c. 5 (ML II 366): In summa, si constat id verius quod prius, id prius, quod ab initio, id ab initio quod ab apostolis etc. Athanasius, De decret. Nic. syn. n. 27 (MG XXV 465): En igitur nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transisse demonstramus; vos vero, o novi iudaei et Caiphae discipuli, quos Patres qui vestris voculis faverint exhibere potestis? Epiphanius, Haer. 75, n. 7 (MG XLII 511): Iam vero utri tandem illorum peritiores sunt? An errore deceptus homuncio [scil. Aerius, qui Paschalem festivitatem non esse celebrandum docebat], qui nunc tandem emersit et adhuc hodie superstes est? An qui ante nos testes exstiterunt, quique ante nos eandem traditionem in Ecclesia tenuerunt, quam et ipsi a parentibus suis acceperant, et ipsorum parentes a maioribus didicerant? Pacianus (Ep. 3 ad Sympronianum n. 1: ML XIII 1064) ad adversarii obiectionem: „Novatianus hoc docuit", respondet inter alia: At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decii principatum, i. e. post trecentos prope annos dominicae passionis. . . . Ergo a Christi usque Decii principatum nullus intelligens? S. Augustinus, C. Iulian. l. 2, c. 9, n. 31 (ML XLIV 694): Proposuimus hic auctoritatis mole sanctorum, qui episcopi ante nos . . . fidem catholicam strenue defenderunt, vestra argumenta confringere. . . . Tales quippe ac tanti viri secundum catholicam fidem, quae antiquitus

vero, quae contra istos statuta sunt, rationem aliam vix datam esse nisi hanc: quod *semper sic creditum sit.* Hinc Vincentius Lirin. orthodoxum illud vocat[1], „quod ubique, quod *semper,* quod ab omnibus creditum est"; quod quidem effatum sensu *positivo,* ut oportet, intellectum verissimum est, non vero, id quod in tertio volumine ostendemus[2], si contra Vincentii mentem sensu *negativo* accipiatur, quasi nulla alia quam ista fidei regula esse possit. Praescriptionis theologicae igitur usus frequens omnino fuit.

3. Restat paucis declarandum, qua generatim ratione argumentatio, quae ex illa petatur, instituenda sit. Si praescriptione *relativa sive negativa* utendum sit, scil. ad adversarium erroris convincendum, sive ad ostendendum, ipsius doctrinam apostolicam ideoque christianam non esse, hac fere ratione argumentari licet: quaecumque in rebus fidei christianae doctrina omnino nova profertur, ea minime apostolica et christiana est; atqui haec doctrina est plane nova, ergo non est vera sive christiana. Huius argumentationis propositio maior constat iam ex iis, quae hactenus a nobis demonstrata sunt; si tamen fortasse ab adversario negaretur, ea utique primum demonstranda foret; quae si monstrata esset, restaret tantum probanda *novitas* prolatae doctrinae; quae probatio facilis est, si ea doctrina reapse recens sit et ex oppositae doctrinae antiquioris exsistentia certa et manifesta facile ut nova appareat. Sed, ut diximus, hac praescribendi ratione falsa quidem doctrina detegitur, neutiquam vero oppositae doctrinae veritas per se iam patet, cum haec absolutae tantum praescriptionis via inveniatur.

Qua *positiva* praescribendi ratione uti si velis, ita fere argumentaberis: quod in rebus fidei christianae antiquum et apostolicum est, id verum et christianum est; atqui hoc dogma est ita antiquum, ut sit apostolica doctrina; ergo verum est et ad christianam revelationem pertinet. Cuius syllogismi propositio maior constat, cum ipsa praescriptionis regula sit; si quis tamen eam negaret, probandum imprimis esset, apostolicitatem necessario esse veritatis christianae normam, cum tota Christi revelatio apostolorum praedicatione absoluta et consignata sit, ita ut quod dogma inde non dimanet, christianum esse nullo pacto possit, quod vero usque ad apostolos reduci possit, necessario revelatione divina per apostolos nobis traditum censendum sit. Propositio porro minor, qua doctrinae antiquitas absoluta ad apostolos usque pertingens affirmatur, *duplici ratione* probari potest, scil. aut *directe,* quod fit vel certis S. Scripturae testimoniis vel documentis historicis, aut *indirecte,* quod fit vel partim historia et partim eo argumento, quod ex impossibilitate inductionis sive apertae sive latentis novi dogmatis petitur, vel hoc solo argumento, si tamen aliquando, quocumque tandem tempore eiusdem doctrinae professio in tota Ecclesia viguerit. Quodsi prior *directa* demonstrationis ratio locum habet, i. e. si vel certi loci S. Scripturae vel testimonia historica fide digna et numero sufficientia suppetant, quae serie continua ad apostolicam usque aetatem pertingunt et diserte ac directo testantur doctrinam, de qua agitur, reapse iam illa aetate ut christianae revelationis veritatem in Ecclesia viguisse et creditam esse, res confecta est et causa definita; certum scil. tunc est, eam doctrinam vere apostolicam,

---

toto orbe diffunditur et hoc et illa vera esse confirmant, ut vestra fragilis et quasi argutula novitas sola auctoritate conteratur illorum.

[1] Commonit. 1, c. 2 (ML L 640). [2] Infra vol. III, thesis III, pars II.

contrariam autem novam ac falsam esse. Sed hac ratione si aliquod dogma S. Scripturae testimoniis aut solis historicis documentis apostolicum demonstratur, non dicitur praescriptionis, sed aut S. Scripturae aut traditionis vel utroque hoc argumento probari.

Argumentatio igitur ex praescriptione petita *duplici* tantum modo proprie locum habere potest; ac *primum* quidem, quando aliqua doctrina, quam universalis Christi Ecclesia ut divinitus revelatam et apostolicam, ante exortam de ea controversiam, certe in vitae suae usu sive, ut dici solet, in praxi vel in cultu divino ita professa est, ut implicite saltem ab omnibus fidelibus divina crederetur, nec in S. Scriptura sufficiente claritate enuntiatur nec alia historica suae exsistentiae documenta pro se habet nisi ea, quae fortasse usque ad secundum, vel quartum, vel posterius etiam aerae christianae saeculum pertingant, sed tamen neque constat, ipsam ullo certo post apostolos tempore exortam esse. *Alia deinde ratione* praescriptionis argumentum adhibetur, quando doctrinam quidem vel S. Scriptura clare exprimit vel historia ad apostolos usque eam pertingere continua documentorum serie testatur; sed praeter ista argumenta ex Scriptura et historia allata *insuper* etiam praescriptionis argumentum ut per se solum firmum adhibetur.

Praescriptionis autem argumentum ubi adhibetur, hoc est: viguit aliquando et adhuc viget in tota Ecclesia huius doctrinae sive dogmatis tamquam revelati professio publica; atqui hoc dogma numquam sic in tota Ecclesia invaluisset, nisi ab apostolis ut divinitus revelatum ac credendum traditum fuisset; ergo vere a Deo revelatum est. Cuius argumentationis propositio maior de publica illius doctrinae in tota Christi Ecclesia professione ponitur ut historice omnino certa et ab adversariis concessa; si tamen ab his ea negaretur, breviter sufficienter probanda foret; demonstranda igitur est potissimum propositio minor; probatur autem, ut iam diximus, argumento ex *impossibilitate inductionis novae doctrinae* sive *variationis dogmaticae,* tum *negative,* exigendo scil. ab adversariis imputatae variationis rationes easque refellendo; tum *positive,* demonstrando historice, ea fuisse priora tempora, ut omnem illius dogmatis mutationem reddiderint moraliter impossibilem. Instituere autem iuvat istam probationem hac fere ratione: ut adversarii eiusmodi *variationis factum* probarent, sive ut monstrarent, Ecclesiam non esse in legitima illius doctrinae possessione, eam igitur doctrinam non esse apostolicam, deberent ipsi

a) *illius variationis rationes* afferre, quae probabilitatis speciem saltem prae se ferrent, cum tanti momenti mutatio temere omnino et mero casu facta admitti plane non possit. Atqui *in antecessum* post ea, quae antea probavimus, affirmare certissime licet, nullas umquam probabiles rationes eiusmodi variationis afferri posse. Nam α) *religiosam societatem sociorum numero maximam, ubique in terrarum orbe diffusam,* constantem sociis *indole, ingenio, moribus quam maxime diversis,* inter quos semper multi rectae fidei christianae summopere studiosi ac probitate ceterisque virtutibus excellentes erunt: talem, inquam, societatem universam deviasse a principio atque praecepto suis sociis *omnibus noto,* et *sine ulla quidem causa iusta ac vera,* sane sine omni probabilitatis specie affirmaretur. Atqui talis societas est esseque semper debet Christi Ecclesia, taleque eius principium atque praeceptum ipsi a Christo datum et omnibus eius sociis notissimum est hoc: *nihil umquam in veritatibus a Christo per apostolos acceptis vere mutandum esse.* Neque etiam ulla iusta

causa apparet, ob quam Ecclesia ab illo sui auctoris praecepto umquam deficiat. — β) *Porro sine omni probabilitate affirmaretur,* eam quam modo diximus societatem conspirare contra id, per quod ipsa vivit et est, sive, ut vulgo dicitur, contra *principium vitale* propriae suae exsistentiae. Atqui principium vitale societatis, quae est Christi Ecclesia, in hoc consistit, ut sit continuatio societatis a Christo institutae, sive ut in Christi doctrina ab apostolis accepta, in *recta igitur fide, semper immutabilis permaneat* ideoque dogmata sua numquam variare possit. — γ) *Item prorsus temerarie* illi societati ascriberetur illud ipsum crimen, quod omni tempore detestari, proscribere et a se omnino repellere debet, quodque nemine dissentiente primis certe suis temporibus quam maxime abhorruit gravissimisque verbis reprehendit. — δ) *Absone valde* Ecclesia in illud ipsum vitium incidisse contenderetur, ad cuius vel possibilitatem avertendam ipsa a Christo accepisse se affirmat[1] regimen atque infallibile magisterium; atqui tale esset vitium variationis respectu fidei christianae veritatum atque doctrinarum. — ε) *Denique magis etiam improbabiliter atque vere absurde* affirmaretur, Christi Ecclesiam variationem dogmaticam admisisse, si agatur de dogmate, quod ut gravissimum sese exhibeat, quod etiam ad vitae religiosae usum atque exercitationem habeat relationem, quod quam plurimum coniunctum sit cum ipso usu sacrorum, ita ut certa ac definita eius notitia fidelibus necessaria sit, quod denique spirituales pastores non docendo tantum, sed etiam agendo praedicent, ita ut illius inductio haud minimam aut ipsius liturgiae aut certe communis vitae religiosae usus mutationem postularet. Magis autem absurditas variationis istiusmodi evidens fit, si ipsum illud dogma insuper tale sit, ut aut sensibus atque ipsi rationi et fortasse aliis certis revelationis christianae doctrinis in speciem adversari videatur, ut conscientiam commoveat, superbiae plane opponatur, superiores aeque ac subditos gravet, verbo, si eiusmodi sit, ut eius inductioni mere humanae ipsi pii fideles una cum incredulis et impiis obstarent. Nulla igitur videtur probabilis ratio variationis dogmaticae, quae in Ecclesia locum habuerit, umquam *in antecessum* proferri posse.

Nec opponere licet, etsi dogmatum variationes publicae et subitae in Christi Ecclesia possibiles vix cogitari possint, non tamen repugnare, quominus sensim et occulte in eam irrepant. Ut enim non repetam, eiusmodi sumptionem perenni infallibilis magisterii in Ecclesia exsistentiae prorsus repugnare ipsamque impossibilem reddere, etiam propter alias rationes ea reicienda est. *Primum* enim ut primorum haereticorum, quos Irenaeus et Tertullianus impugnarunt, historia testatur et rationi ipsi probabile est, haereticorum proprium est, doctrinas suas tamdiu tecte atque in tenebris propagare, donec tandem favente sat magna populi ac magistratuum multitudine tutos se esse rati in publicum erumpant. Qua vero ratione hic haereticorum agendi modus Ecclesiae Christi umquam ascribi possit, cum Christus apostolos ad doctrinam suam praedicandam mittens dixerit (Mt 10, 27): „Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate

[1] Non dicimus in hac argumentatione, Ecclesiam reapse infallibile magisterium possidere, sed illud sibi ascribere. Si enim ad ipsum infallibile magisterium provocatur, non iam argumentum *praescriptionis*, sed aliud per se solum solidum habetur.

super tecta", eosque hortatus sit, ut neminem nisi Deum timerent, nec publica doctrinae Christi praedicatio profecto umquam pudori esse possit? — *Deinde* illa sumptio manifeste etiam repugnat ipsi Ecclesiae *structurae ac formae externae.* Ut enim ex iis, quae prius demonstravimus, satis patet, similitudinem ea cum forma ac structura corporis humani refert, cuius omnia membra ex aliis alia pendent et mutuam sui ipsorum curam gerunt. Quare repugnat, quominus sensim irrepentes variationes dogmaticae in Ecclesia aut non animadvertantur, aut animadversae non corrigantur et refellantur. — *Tum* ista sumptio plane non convenit cum gravissimo *officio* omnium pastorum Ecclesiae *vigilandi,* ne lupi rapaces creditas sibi oves a Christi pascuis, i. e. a vera doctrina abducant itaque conficiant. Nec enim spectato numero, varia conditione, indole, scientia et vitae sanctitate pastorum sumere licet, eos omnes aut imminens fidei periculum non cognoscere, aut cognitum non strenue omni qua valeant cura et vigilantia velle avertere. Sane tot concilia generalia et particularia, quae primis iam Ecclesiae saeculis christianorum pastores ea mente celebrarunt, ut prospicerent, ne quid damni recta fides caperet et ab haereticis vel minimum corrumperetur, luculentissime testantur, falsas doctrinas non potuisse ab illius temporis haereticis inter christianos etiam occulte doceri ac propagari, quin illi pastores mox fidei periculum animadverterent illudque serio, eiciendo etiam ex Ecclesia pertinaces refragatores, propulsare studerent. — *Denique* illa sumptio secum ipsa pugnat. Aut enim auctores dogmaticae variationis sumuntur eo spectare, ut variationes illae semper lateant, aut ponuntur velle, ut illae variationes clarae ac manifestae fiant. Latere si volunt illas variationes, non possunt universae Ecclesiae fidem corrumpere atque mutare, cum vera eius corruptio in tota Ecclesia non possit diu etiam manere omnibus omnino abscondita et occulta. Manifestari autem si volunt illas variationes, ergo cum fides et doctrina universae Ecclesiae essent immutandae, de facto maxime publico ageretur, ergo non iam tectae et sensim irrepentes variationes essent.

Ista igitur opinio de possibilitate sensim et tecte in Christi Ecclesiam irrepentium variationum dogmaticarum ut plane futilis reicienda est, ideoque illae variationes *in antecessum* tantum spectatae iam impossibiles sunt.

Sed ut adversarii factum eiusmodi variationum probent, debent insuper

b) *definite monstrare* earum *tempus, auctores, causas, rationes, effectus, adversarios, habitas concertationes* atque *adhibitas artes,* et monstrare quidem ea omnia ex *monumentis fide dignis, aptis et rite explicatis;* deberent igitur accurate ac vere respondere posse ad has interrogationes: *quis, quando, cur, quomodo, quibus auxiliis* eiusmodi variationem effecerit. Quaestio enim de variationibus illis est quaestio de *facto;* unde obscuris quibusdam S. Scripturae locis et ambiguis quorundam Patrum sententiis factum variationis, ut multi tamen adversarii volunt, probari nequit. Ita enim res clarior obscuriore explicaretur; quae explicandi ratio esset sane praepostera. — Dogmatica variatio praeterea factum quam maxime sollemne et publicum esset, cum ad eam efficiendam fidei christianae summa sive, ut dici solet, symbolum totius Ecclesiae in toto terrarum orbe immutandum esset; quod profecto fieri non posset sine multis publicis gravibusque controversiis et reclamationibus piorum fidelium ac praesertim pastorum, ideoque definite ac perfecte omni ex parte istud factum cognosci posset et reapse toti christiano terrarum orbi cognitum esset. Cum insuper inventionum mere humanarum etiam antiquissimarum, tametsi

saepius haud adeo magni momenti fuerunt et uno tantum loco contigerunt, tempus, auctores, locus, ratio et effectus plerumque sciantur, quanto magis ea omnia de facto adeo celebri ac tanti momenti variationis dogmaticae historiae monumentis consignata nobisque clare ac certo cognita esse deberent, si eiusmodi factum umquam in Ecclesia Christi contigisset!

Iam vero Ecclesiae dogma, de quo in hac quaestione quaeritur, ipsum eiusmodi est, ut, quemadmodum iam diximus, nullatenus certo constet et clare pateat, id post apostolos tantum ita ortum atque ab Ecclesia credendum propositum esse, ut antea nullo modo, ne obscure quidem atque in aliis doctrinis contentum, aut certe usu magis quam directa praedicatione in Ecclesia exstiterit, etsi forte a nonnullis tunc temporis viris adhuc ambiguum habitum et nihil de eo scriptum fuerit. Si enim certo constaret, aliquod dogma nulla prorsus ratione iam prius ab apostolorum tempore exstitisse, sed omnino novum inductum esse, eo ipso possibilitas originis apostolicae et hinc etiam quaestionis de ea instituendae et argumenti praescriptionis in huius dogmatis gratiam adhibendi penitus sublata et res confecta esset. Minime autem ostendi potest, alicuius doctrinae apostolicitati repugnare, quominus ea per longius tempus latente illa quam modo diximus ratione exstiterit, aut si minus ab ipsa Ecclesia universali, tamen a pluribus eius filiis, ceteroquin doctis et piis, ut neutiquam aut saltem ut dubie divina et apostolica habita fuerit, postea vero ipso usu aut diligentiore de eius veritate atque origine inquisitione instituta in Ecclesia magis magisque universim tamquam apostolica pleno consensu tandem admittatur atque a sacro magisterio omnibus fidelibus explicite ut divina et credenda proponatur. Nequit enim ulla ratione monstrari, *singulas* et *universas* Christi doctrinas ab apostolis eadem ratione clare, distincte ac definite doctas, explicatas, Ecclesiae traditas fuisse. Unde concedatur necesse est, longiora tempora effluere potuisse, donec singulae veritates vel maior earum pars in plena omnino luce positae atque tamquam divinae *explicite* ab omnibus agnitae fuerint. Quodsi hoc tandem serius ocius contigit et certa doctrina, quae prius plus minusve vel latens exstiterat, vel non ut certo divina habebatur, vel saltem non ut explicite credenda proponebatur, ab Ecclesia tota pleno consensu tamquam apostolica credatur, hic ipse consensus est sufficiens ac certissima eius apostolicitatis nota, atque argumentum firmissimum, istam subsecutam maiorem claritatem, quae fere ex ipsa dogmatis defensione oriri solet, loco antecedentis tranquillae, sed minus explicitae minusque distinctae ac certae fidei, neutiquam esse innovationem, sed legitimam ac veram antiquitatis explicationem. „Multa quippe", ait verissime S. Augustinus[1], „ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio."

Atque ex iis, quae hactenus diximus, evidens est, tum praescriptionis argumentum in hoc consistere, quod, ut Bonal scribit[2], „ex universalitate alicuius dogmatis tali vel tali saeculo vigente in Ecclesia inferatur eiusdem dogmatis antiquitas seu origo ab apostolis et a Christo ob impossibilitatem mutationis sive sensibilis sive insensibilis in fidei professione specialis illius dogmatis"; tum ipsam praescriptionem vere *locum theologicum artificialem*

[1] De civ. Dei l. 16, c. 2, n. 1 (ML XLI 477). [2] Instit. theol. I[10] 592.

constituere, cum sedes sit argumentorum, quibus et veritas christiana stabiliatur et error valide refellatur [1]. Evidens autem est, a) *dogmatis mutationem* generatim spectatam eo difficiliorem apparere, quo propius apostolorum aetati ipsum sese prodit, propterea quod traditio in primaeva aetate vividior fuit, ideoque apostoli eorumque proximi discipuli reclamassent; b) *eo magis* etiam impossibilem evadere universalem consensum in fraudem, quo propius ad nostram acceditur aetatem, propter multiplicationem tum particularium ecclesiarum simul ac fidelium, tum sectarum hostilium, necnon subsidiorum ad detegendam illico eiusmodi fraudem; c) *quam maxime* autem impossibilem fieri universalem consensum in innovationem, si agatur de dogmate gravissimo, populari et practico, cum institutione publica connexo, uti v. g. de dogmate Confessionis, Eucharistiae, primatus iurisdictionis Romani Pontificis.

§ 14.

De unitate Ecclesiae.

Thesis X.

Ecclesia Christi necessario quoque est semper una: primum unitate regiminis in eo sita, ut omnes Christi fideles in rebus religionis uni a Christo instituto sacro regimini oboediant, et ita quidem, ut simplices fideles immediatis suis legitimis praepositis et una cum istis totius Ecclesiae primati sint subiecti; deinde unitate verae doctrinae et fidei tanta, ut singuli et universi Christi fideles semper dogmata fide sincera et explicita credant, quae infallibile magisterium distincte credenda iis umquam proponat; tum unitate et necessariae mutuae communionis et essentialis cultus divini.

I. **St. q.** 1. Quae in thesi enuntiamus, fere sponte sua fluunt ex iis, quae de immutabilitate Ecclesiae ratione regiminis et infallibilis magisterii demonstravimus, ideoque secundum servatum hactenus a nobis rerum ordinem thesis probatu facillima est.

Manifeste vero non agitur in hac thesi de illa unitate, qua Ecclesia est *unica* tantum, sed de illa, quae illi natura sua iam constitutae ut proprietas essentialis competit ideoque perpetuo et ubique necessaria ei est. Unde non intelligimus unitatem fortuito fortasse actu exsistentem, sed unitatem *iure* necessariam, ortam ex principiis aptis et efficacibus ad ipsam non solum generandam, sed etiam in perpetuum conservandam. Principia autem ista sunt praecipue regimen sacrum a Christo institutum, ac maxime quidem primatus, et magisterium infallibile; exinde enim provenit unitas regiminis sensu explicato, unitas fidei eiusque professionis, unitas denique mutuae communionis

[1] Huius autem loci theologici usus utiliter fit et in hac nostra disciplina et maxime in theologia dogmatica, non tam ad dogmata speculativa stabilienda, quam ad veritates positivas defendendas, v. g. doctrinam de exsistentia SS. Trinitatis, ac potissimum eas, quae, ut sacramenta, in vitae christianae usum deducuntur, quare huius loci usus maxime fit in doctrina de sacramentis et de novissimis.

sive mutuae caritatis. Distinguenda igitur est *unitas iuris,* proveniens ex principio legitimo unitatis, i. e. regimine et infallibili magisterio a Christo instituto; et *unitas facti,* in eo posita, quod, tametsi legitimum sive a Christo institutum unitatis principium deest, unitas tamen aliquatenus saltem habeatur. — Insuper distinguenda est unitas *formalis* sive ea, quam magisterium et regimen Ecclesiae omnino requirunt quaeque ideo essentialis est; et *materialis,* quae non tantum discordias regimini et infallibili magisterio contrarias, sed etiam alias quascumque excludit. Patet autem, requirere nos in hac thesi tantum unitatem *formalem,* eam tamen, quae non solum facti, sed imprimis iuris sit. Cum porro institutio et perennitas utriusque principii, regiminis et magisterii, probata iam sit, de ea haud amplius inquirendum, sed ex ea demonstratio thesis potissimum repetenda est. Et eo minus quidem conveniret, agere in hac thesi de institutione vel necessitate illorum unitatis principiorum, quod magisterium et regimen sacrum non ad Ecclesiae proprietates pertinent, sed ipsam eius formam externam atque essentialem constituunt.

Affirmamus porro *primum,* Ecclesiae essentialem esse ideoque iure ipsi convenire unitatem regiminis eo sensu, quo in ipsa thesis enuntiatione explicatur; vocatur haec unitas ab aliis unitas adhaesionis, qua singuli fideles legitimis Ecclesiae pastoribus imprimisque Petri in primatu successoribus adhaereant atque obtemperent; posset etiam dici unitas oboedientiae; cum tamen dicatur in rebus religionis oboedientia praestanda uni regimini a Christo instituto, videtur ea unitas apte cum plerisque theologis unitas regiminis posse appellari.

Affirmamus *deinde,* Ecclesiae essentialem esse unitatem in *vera* doctrina et fide, ideoque in eius etiam professione, cum, ut p. 221 probavimus, christiani veram Christi doctrinam non tantum credere, sed etiam publice profiteri debeant. Si enim non affirmaretur, solam veram fidem intelligi, aut, si de qua fide ageretur, in incerto relinqueretur, quid tandem unitatem fidei Ecclesiae vindicando efficeretur? Et qua ratione unitas fidei, de qua incertum foret, utrum vera an falsa esset, posset, quando de Ecclesiae notis agitur, verae Ecclesiae nota positiva statui?

Vindicamus autem Ecclesiae non qualemcumque fidei distinctae sive explicitae unitatem, sed requiri et sufficere dicimus eam, qua fit, ut quod cuique Ecclesia explicite credendum proponat, id credat. Eam autem unitatem hac ratione circumscribere et definire necessarium est, tum quia ista fidei unitas Ecclesiae reapse essentialis est, tum quia, nisi generali saltem ratione accurate definiatur, ea utpote omnino indefinita, vaga, dubia, fieri non potest Ecclesiae nota positiva. — Dum autem statuimus, Ecclesiae fideles debere necessario explicite credere ea dogmata, quae infallibile magisterium decernat esse distincte credenda, nullatenus affirmamus, omnes fideles, etiam rudes, singula et universa dogmata, quae ullo umquam tempore definita sunt, semper distincte scire et explicita fide credere omni aetate debere; sufficere

enim ipsis potest, ut dogmata, quae non sunt primaria et ad vitae christianae usum non multum pertinent, quaeque haud amplius impugnantur, quale est v. g. dogma, quo docetur, animam esse corporis humani formam, fide implicita credant, nisi ipsis distincte cognita sint. Nec etiam ullatenus excludimus necessitatem omnes alias divinitus revelatas christianae religionis veritates, etiamsi ut explicite credendae nondum propositae sint, *implicita* saltem fide credendi. Per se enim patet, nulli christiano licere, aliquam vere a Deo revelatam veritatem reicere, atque etiam infallibile Ecclesiae magisterium postulare, ut revelationis christianae veritates nondum definitae implicita saltem fide ab omnibus credantur. Sed quia hanc unitatem requiri ex se patet, de illa in hac thesi nominatim et diserte non agitur, praesertim cum ea unitas Ecclesiae nota fieri non possit. Manifestum est autem, unitatem fidei maximi omnino esse momenti.

Contendimus *praeterea,* Ecclesiae essentialem esse unitatem communionis sive caritatis, qua Christi fideles se invicem suosque praepositos ea saltem mutua caritate complecti debeant, ut nullum umquam verum schisma licitum sit. Huius igitur caritatis nomine hic minime intelligimus „caritatem illam, qua nos mutuo diligere debemus, veluti virtutem personalem et privatam, qua vel cum infidelibus ipsis coniungi debemus, qui extra Ecclesiam sunt, sed significamus caritatem specialem totius christiani populi propriam, qua omnes absque divisione adhaeremus pastoribus et episcopis ad idem corpus constituendum, profitentes eandem fidem et tenentes eandem communionem“ [1].

Denique Ecclesiae asserimus necessario etiam competere unitatem essentialis cultus divini, ita tamen, ut in quanam re ipse iste cultus *essentialis* consistat, non definiamus, nisi quatenus dicimus, id quod per se intelligitur, ipsum et Deo dignum atque ipsi soli modo externo ac publico exhibendum esse actibus adorationis, gratiarum actionis, supplicationis. Quonam autem ipso modo publica illa adoratio, gratiarum actio et supplicatio e Christi voluntate potissimum exprimi debeat, minime affirmamus, cum in hanc rem inquirere theologiae dogmaticae sit.

2. Unitatis proprietatem, quam in thesi statuimus, soli romanocatholici Ecclesiae attribuunt; alii enim christiani omnes negant imprimis primatus Petri aut institutionem ipsam aut saltem perpetuitatem ideoque, etsi aliquam regiminis unitatem admittant, reiciunt tamen eam, quam nos statuimus respectu Ecclesiae primatis; quoad Ecclesiae autem regimen generatim sumptum inter eos, praecipue tamen protestantes, tot sententiae sunt, ut eas commemorare non vacet.

Quod deinde *unitatem fidei* attinet, non solum Graeci et Russi, sed etiam quam plurimi protestantes eam *generatim* acceptam Ecclesiae

---

[1] Perrone, De locis theol. P. I, c. 3, prop. 1, n. 157. Cf. Pichler, Theol. polem. P. 1, controv. 3, c. 2, a. 1.

necessariam esse dicunt[1]. Quamprimum autem statuere suscipiunt, quaenam doctrinae necessario credendae sint, ipsi protestantes in duas maxime varias abeunt sententias. *Prima* est eorum, qui auctoritate Ecclesiae infallibili et quavis alia, quae internum assensum rebus fidei definitis *absolute* habendum exigat, penitus reiecta, cum N. Hunnio, qui initio saeculi XVII hanc distinctionem primus invenit[2], distinguunt religionis christianae articulos fundamentales et non fundamentales. *Altera* est eorum, qui auctoritatem coactivam et aliquo modo infallibilem res fidei definiendi ecclesiae ei universali quam sibi fingunt, vindicantes, reiciunt saltem verbotenus distinctionem dogmatum fundamentalium et non fundamentalium[3].

Primae sententiae patroni „dicunt Ecclesiam, ut sit una in fide, debere tenere et profiteri fundamentalia seu essentialia; unitatem vero non perdi, etsi non fundamentalia seu non essentialia ignorentur, vel reiciantur, vel etsi de illis dissidia sint in ipso sinu Ecclesiae, quibusdam membris ea tamquam falsa aut etiam haereticalia reicientibus, aliis vero eadem tamquam vera aut etiam revelata amplectentibus“[4].

Ut autem a praesenti disputatione excludantur, quae huc non pertinent, atque ita evitetur ista rerum distinctarum commixtio, qua non solum implicaretur controversia, sed etiam veritas ipsa obscuraretur, sedulo „imprimis distinguendae sunt variae significationes istorum vocabulorum, *fundamentalium* et *non fundamentalium*. Fundamentalia ergo spectari possunt vel relate ad individuos, quatenus explicite necessario sunt credenda, vel relate ad unitatem Ecclesiae, quatenus ex institutione divina, ut Ecclesia unitatem essentialem habeat, unitas in iis omnibus necessaria est. Fundamentalia relate ad individuos vocantur dogmata illa, quae in ordine ad salutem vel necessitate medii vel necessitate praecepti explicite credenda sunt. Non fundamentalia relate ad individuos sunt dogmata illa, quae in ordine ad salutem non sunt necessario sic credenda, vel necessitate medii vel necessitate praecepti[5]. Fundamentalia (vero) relate ad unitatem Ecclesiae sunt dogmata illa, quae omnia, ex decreto divino, tenere

---

[1] „Multi sunt“, ait Murray (De Eccl. I 394 nota), „protestantes Anglici, qui, etsi negent infallibilitatem Ecclesiae, tenent tamen, aliquam ecclesiam edere posse professionem fidei, v. g. 39 articulos, obligatoriam, non quod aliquis eam, nisi in quantum verbo Dei iudicat esse conformem, amplecti teneatur; sed cuius acceptatio conditio est communionis, ita ut qui eam non acceptet, non agnoscatur ut illius Ecclesiae membrum.“

[2] Bretschneider, Handbuch der Dogmatik I[3] 52.

[3] Murray I 395. [4] Ibid.

[5] Ut Wegscheider (Instit. theol.[5] 87) refert, protestantes „vulgo *fundamentales* (fidei articulos) praeeunte Hunnio olim ita definiebant: qui salva fide et salute ignorari non possunt; *primarios* ita: qui salva fide et salute nec ignorari nec negari possunt; *secundarios* ita: qui ignorari salva salute possunt, sed cogniti semel non debent negari“. Quas definitiones adicit ab omnibus ferme recentioribus improbari.

necessarium est ad unitatem fidei Ecclesiae essentialem: ita ut a) si circa aliquod eorum sit fides divisa — una parte dogma illud tenente, altera reiciente — hoc ipso solvatur et deperdatur essentialis unitas fidei Ecclesiae; b) si quis aliquod eorum reiciat, hoc ipso in illo solvatur vinculum istud communionis cum Ecclesia, quod ex professione unius et eiusdem fidei constat. Dogma (contra) non fundamentale relate ad unitatem Ecclesiae illud est, de quo illaesa unitate fidei Ecclesiae essentiali, divisa esse potest membrorum Ecclesiae fides, quodque a quovis membro Ecclesiae reici potest, quin solvatur eiusdem communio cum Ecclesia." [1] Quaestio porro nos inter et protestantes hic est de fundamentalibus et non fundamentalibus dogmatibus praecipue sensu secundo intellecta, de fundamentalibus scil. quoad unitatem ipsius Ecclesiae, eatenus tamen etiam de obligatione fidelium, qua dogmata ab infallibili magisterio definita distincte credere tenentur, quatenus haec fides non quidem ad salutem aeternam consequendam, sed ad Ecclesiae in fide unitatem efficiendam necessaria est.

Praeterea in hac quaestione de dogmatibus fundamentalibus et non fundamentalibus non agitur de ordine aut dignitatis aut necessitatis, sed solum de fide iis habenda, utrum scil. ea necessario credenda sint an non. Dubium enim esse nequit, quin aliquae veritates revelationis divinae per se aliis nobiliores et digniores sint et simul instar fontis, ex quo aliae deriventur, ut sunt veritates, quae ad Deum ipsum et Iesum Christum attinent. Item aliquae veritates religiosae sunt in se simpliciter necessariae, v. g. illae, quae sunt de perfectionibus Dei, dum aliae per se sunt contingentes, v. g. Iesum Christum mortuum esse [2]. Atque respectu singulorum fidelium illi articuli, quos omnes fide christiana distincta et explicita scire et credere debent necessitate absoluta, possunt utique iure vocari fundamentales; contra non fundamentales illi, qui nondum sunt fide explicita, ab omnibus saltem credendi. Sed ut iam diximus, hac de re hoc loco non agitur, sed quaeritur tantum, utrum aliquae veritates divinitus vere revelatae, quatenus sunt credendae sive fidei obiecta, sint aliis *digniores, quae credantur,* et ita quidem, ut alias non solum non credere, sed etiam prorsus reicere liceat.

Secundae iam sententiae patroni „Ecclesiam quandam universalem tenentes, quae ex Ecclesia catholica, graeca et Angliae constituta constat, tenent a) hanc Ecclesiam universalem auctoritatem habere

---

[1] Murray I 637.

[2] „De ordine dignitatis non est dubium, cum aliqua (fidei obiecta) sint digniora et nobiliora in sua entitate, ut ea, quae pertinent ad Deum in se, et rursus ea, quae pertinent ad Christum Dominum, et sic de aliis. Non dico, *esse digniora fide,* sed esse maioris dignitatis et nobilitatis in se. Neque etiam est dubium de ordine necessitatis; nam aliqua sunt necessaria simpliciter, ut essentia et attributa Dei, item immortalitas animae rationalis et similia. Alia sunt contingentia, ut creatio mundi, passio Christi" etc. (De Lugo, De fide disp. 3, sect. 3, n. 47).

definiendi, quid sit de fide tenendum. Tenent b) etsi in ista Ecclesia exsistere possint haereses et idololatriae, aliquando etiam fere universales, ipsam tamen Ecclesiam non posse definire et docere doctrinam haereticalem. Tenent c) unitatem fidei in iis stare, quae ab illis tribus ecclesiis ut de fide definita sunt et docentur, ut divinitas Christi. Tenent ergo illud esse, et solum esse de fide, aut haereticale, quod illae ecclesiae ut de fide docent vel ut haereticale reiciunt; et eum qui in quovis articulo hanc unitatem fidei in se solvit, esse haereticum et extra Ecclesiam. Haec est sententia inter Puseyitas communis: qui tamen numquam in eodem statu permanentes, cum ad eam latius exponendam et evolvendam aggrediuntur, in variationes incidunt innumeras, ita ut impossibile sit, una, clara, communi definitione rem concludere.[1]" Patet etiam, istam Puseyitarum opinionem pugnare cum nostra sententia de unitate communionis, cum secundum istos variae ecclesiae, quae inter se nullatenus mutuo (coniunctionis) vinculo coniunctae sunt, efficiant unam veram et universalem Christi Ecclesiam.

Quod denique ad *cultum* divinum attinet, intelligimus hoc loco verum quidem Dei cultum, sed generatim tantum eum consideramus. Quo sensu non posse eum nisi unum esse a nullo christiano negatur; quae unitas negaretur a quam plurimis, si statuere vellemus, in qua is re consistere debeat; sed haec definitio hoc loco omittenda est.

II. **Probatur thesis: 1. Ecclesia una est unitate regiminis.**

Ut prius a nobis demonstratum est, Christus unum solum totius universalis suae Ecclesiae regimen instituit, et ita quidem, ut in omne tempus futurum simplices sui fideles immediate suis legitimis praepositis et una cum istis Petri in primatu successoribus necessario adhaerere iisque obtemperare deberent. Atqui eiusmodi adhaesio et oboedientia ex Christi voluntate non esset Ecclesiae necessaria, nisi necessario etiam in perpetuum una esse deberet sensu exposito unitate regiminis. Divinitus enim institutae auctoritati ceu *principio* et *causae efficienti* respondeat necesse est ut *effectus* obligatio ei oboediendi; si igitur Christus hunc effectum necessarium non intendisset, nec illud eius principium et causam eum necessario efficientem, utpote tum plane inutilem, posuisset. Iam vero illam adhaesionis et oboedientiae causam in perpetuum posuit, et unam quidem, unum scil. proprie dictum Ecclesiae regimen cum uno supremo capite, Petro eiusque in primatu legitimis successoribus. Ergo Christus voluit, ut omnes sui fideles uni a se instituto regimini ita usque adhaererent et oboedirent, ut ipsi simul cum suis pastoribus omnes supremo Ecclesiae pastori sive primati subicerentur; voluit ergo regiminis unitatem ut Ecclesiae suae prorsus necessariam et essentialem, ideoque perpetuam.

---

[1] Murray 395 sqq.

Quod quidem argumentum *christianae antiquitatis consensu* confirmatur. Ut enim iam prius retulimus, antiquissimi Ecclesiae Patres docuere, tum finem institutionis primatus Petri fuisse praecipue *unitatem* Ecclesiae, tum plebem christianam episcopis et sacerdotibus, sive immediatis praepositis, in rebus religionis oboedire iisque adhaerere debere, immo episcopos istam adhaesionem et oboedientiam a fidelibus semper postulasse verique nominis potestatem in eos exercuisse. Quare S. Cypriano Ecclesia, eius unitatem describenti, est[1] „plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens", pauloque post addit: „Si qui cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse." Optatus vero Milev. de Petri primatu ad Parmenianum ait[2]: „Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra *unitas* ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret."

2. Ecclesia una est unitate fidei et doctrinae.

Ut enim prius demonstravimus, Christus in omne tempus futurum in Ecclesia infallibile magisterium ideo instituit, ut suam doctrinam omnes fideles pure et summa cum auctoritate usque doceret atque inter eos conservaret. Ergo in Ecclesia sua voluit omnino unitatem fidei ideoque etiam doctrinae, cum sine hac illa consistere non possit suaque doctrina sit una. Nam si magisterio illi non deberent christiani perfecte oboedire, sed illis pro arbitrio credere et profiteri liceret, quod vellent, profecto Christus auctoritatem revelationem suam docendi infallibilem et coactivam non instituisset, utpote quae tunc ad propositum a Christo finem nullatenus perveniens, sat inutilis et supervacanea fuisset. Cum ergo eam, et in perpetuum quidem, instituerit, censendus est omnino voluisse, ut omnes sui fideles huic Ecclesiae docentis auctoritati usque perfecte oboedirent; idque eo magis voluisse iudicandus est, quod Ecclesia infallibiliter docens omni tempore est ut alter Christus habenda; ipsi Christo autem, magistro infinite sapienti et veraci quodcumque credendum proponenti christiani omnes oboedire debent, ergo etiam ipsius vicariae auctoritati. Ecclesiae igitur tantae fidei unitas absolute et essentialiter necessaria est ex Christi voluntate, ut fideles omnia semper debeant credere, quae infallibile Ecclesiae magisterium quacumque ratione ipsis credenda umquam proponit, ergo credere fide explicita et distincta, quae magisterium illud ea fide credenda ab ipsis exigit.

Confirmatur idem a) *apostoli Pauli agendi ratione et verbis.* Nam Paulus eos, qui a fide sive a doctrina a se praedicata defecerant ali-

[1] Ep. 66, c. 8 (Hartel 733).
[2] De schism. Donat. l. 2, c. 2 (ML XI 947).

amque dissidentes profitebantur, ex Ecclesia exclusit (1 Tim 1, 19 20) Galatasque reprehendit, quod ad aliam doctrinam admittendam passi sint sese induci; item Romanos admonet (16, 17), ut illos declinent, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam didicerint, faciant; Ephesiis vero suadens et inculcans necessitatem servandi „unitatem spiritus in vinculo pacis“ (4, 3) inter alia argumenta et exemplaria, quibus ad perfectam christianam caritatem fraternam incitarentur, proponit etiam *unitatem fidei*, v. 5 dicens: „Unus Deus, *una fides* (*πίστις*), unum baptisma.“ Dicit itaque apostolus christianam fidem unam ratione obiecti, quatenus unum et idem omnes credere debeant. Veram autem atque maximam a Paulo hic intelligi fidei unitatem patet tum ex eo, quod eam non solum unam dicit, sed etiam proponit una cum iis, quae aut natura sua aut institutione ratione sui maxime una sunt, scil. cum uno corpore, uno spiritu, una spe, uno Domino, uno baptismate atque uno Deo; tum exinde, quod ea fidei unitate tamquam argumento et exemplari utitur ad commendandam mutuam caritatem, quae ex Christi voluntate et apostolorum saepe proposita doctrina quam maxime perfecta esse debet. Si autem Ecclesiae fides non esset perfecte una, si divisa et diversa esse posset, ea profecto non ut ratio et exemplum servandae concordiae afferri potuit. — Unde etiam liquet, non intelligendam hic esse fidem mere subiectivam et talem quidem, quam adversarii velint, quae obiecta scil. etiam diversa et inter se opposita amplecti possit. Talis enim fides profecto nec tamquam eximium unitatis exemplar et argumentum proponi potuit nec commisceri et aequiparari illis aliis rebus unis *ut unis*, quaeque, ut Deus, baptisma etc. obiectivae sunt. — Confirmatur idem

b) *christianae antiquitatis testimonio.* Eam enim fidei unitatem verae Christi Ecclesiae omnino necessariam et essentialem antiquitas christiana duxit, ideoque Ecclesiam propter istam suam unitatem laudavit et extulit. Ita, ut ex innumeris hac de re testimoniis pauca afferam, S. Irenaeus dicit[1]: „Vera et universa Ecclesia unam et eandem toto terrarum orbe fidem tenet“, et alibi[2] vocat Ecclesiae praedicationem „*undique* (ubique) *constantem* et *aequaliter* perseverantem“. Origenes etiam ait[3], in Ecclesia *omnes intra unam fidem* contineri. S. Athanasius vero, postquam retulit, Eusebianos haereticos numquam in una permanere sententia, sed modo unam, modo aliam amplecti, modo quae dixerint, laudare, modo eadem vituperare, rursusque idem, quod paulo ante reprehenderant, approbare, dicit[4], veram esse doctrinam christianam verumque doctorum iudicium, „cum

---

[1] Adv. haer. l. 1, c. 10, n. 3 (MG VII 560): *τῆς οὔσης ἐκκλησίας πάσης μίαν καὶ τὴν αὐτὴν πίστιν ἐχούσης εἰς πάντα τὸν κόσμον.*

[2] Ibid. l. 3, c. 24, n. 1 (MG VII 966).

[3] In Genes. hom. 2, n. 3 (MG XII 168).

[4] De decretis Nicaenae synodi n. 4 (MG XXV 430).

omnes inter se consentiunt, non autem vel secum vel cum suis patribus litigant (*διδασκάλων ἀληθῶς τοῦτο τεκμήριον, τὸ τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις ὁμολογεῖν, καὶ μὴ ἀμφισβητεῖν μήτε πρὸς ἑαυτούς, μήτε πρὸς τοὺς ἑαυτῶν πατέρας*). . . . Sancti autem et qui veritatis revera sunt praecones, inter se concordant, non discordant (*οἱ δὲ ἅγιοι καὶ τῷ ὄντι τῆς ἀληθείας κήρυκες ἀλλήλοις τε συμφωνοῦσι καὶ οὐ διαφέρονται πρὸς ἑαυτούς*)." Cyrillus Alex. vero scribit[1]: „Dispersas per universum orbem ecclesias nunc unam appellat, propterea quod ad unum Dominum pertinent, *unam habent fidem* (*διὰ τὸ . . . μίαν εἶναι τὴν πίστιν ἐν αὐταῖς*) unumque pariter salutarem baptismum. Non enim ambiguitate dogmatum scinduntur, ita ut, quamvis sint innumerae, una tamen appelletur (*οὐ γὰρ μερίζονται πρὸς διχόνοιαν· ὥστε καὶ ἀναριθμήτους οὔσας, μίαν εἶναί τε καὶ ὀνομάζεσθαι*)." Eodem modo Theodoretus scribit[2]: „Quemadmodum quaelibet civitas intus multas habet domos inter se divisas et una tamen civitas nominatur, sic infinitae et innumerabiles sunt ecclesiae in insulis et in continenti, simulque *omnes in unam rediguntur verorum dogmatum unitae consonantia* (*εἰς μίαν δὲ κοινὴν πᾶσαι τελοῦσι, τῇ συμφωνίᾳ τῶν ἀληθῶν ἡνωμέναι δογμάτων*)." Necnon Basilius ad refutandam calumniam, qua ipse minus recte de rebus fidei sensisse a quibusdam dicebatur, scribit[3], normam *unicam*, secundum quam de qualitate doctrinae fidei christianae iudicandum sit, esse consensum universalis Ecclesiae; omnes porro episcopos secum unanimes esse in fide (*σύμψυχοι πάντες ἐσμὲν, τὸ ἓν φρονοῦντες*) idemque sentire sive credere, et ideo quicumque respectu fidei a sua communione recedat, eo ipso eum ab Ecclesia universa recedere. Quibus sane Basilius aperte significat, ubi fidei unitas non sit, ibi nec Christi Ecclesiam esse.

Ex latinis porro Patribus Ambrosius Ecclesiam vocat[4] congregationem, „quae in *unum connexum corpus* atque compactum *unitate fidei* et caritate assurgit". Augustinus autem inter alia haec de Ecclesia habet[5]: „Vestitus reginae huius quis est? Et pretiosus est et varius est: sacramenta doctrinae in linguis omnibus variis. Alia lingua Afra, alia Syra, alia Graeca, alia Hebraea, alia illa et illa: faciunt istae linguae varietatem vestis reginae huius. *Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguae ad unam fidem*. . . . Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem; in ipsa autem varietate aurum quod est? Ipsa sapientia. Quaelibet sit varietas linguarum, *unum aurum praedicatur: non diversum aurum, sed varietas de auro. Eandem quippe sapientiam, eandem doctrinam et disciplinam omnes linguae praedicant.* Varietas in linguis, aurum in sententiis."

---

[1] In Ps 44, 10 (MG LXIX 1042). [2] In Ps 47, 4 (MG LXXX 1214).
[3] Ep. 204, n. 7 (MG XXXII 753).
[4] De offic. l. 3, c. 3, n. 19 (ML XVI 150).
[5] Enarr. in Ps. 54 n. 24 (ML XXXVI 509).

Sed ne plura singulorum Patrum dicta afferam, ista antiquitatis de Ecclesiae in fide unitate necessaria persuasio quam maxime elucet *ex fidei symbolis*, quae pro tota Ecclesia antiquissima concilia oecumenica Nicaenum I et alia statuerunt, excludendo[1] aliter credentes ab Ecclesia, quod quidem Nicaenum diserte in ipso symbolo expressit.

Quae autem ab adversariis opponuntur, nullam vim habent. Nam

a) *non obstat,* quod synagoga non habuerit tam perfectam fidei unitatem, qualem secundum nos Ecclesia Christi habere debet. Fuit enim vetus lex tantum instar umbrae legis novae et praeparatio ad eam; unde manifesto quam maxime convenit, ut haec lex multo perfectior perfectiorem etiam fidei unitatem postulet. Ceterum etiam in synagoga fuit unitas in fide eorum paucorum dogmatum, quae credenda omnibus erant fide vel explicita vel implicita. Sadducaei enim publici, qui tum resurrectionem mortuorum, tum angelorum et generatim purorum spirituum exsistentiam contra ceterorum iudaeorum sententiam negabant (Act 23, 8), nullatenus ut veri synagogae socii ad eam pertinebant; si qui autem occulte similia sadducaeis dogmata sequebantur, externe quidem, sed non interne ac vere, sive animo et coram Deo, ad eam pertinuisse censendi sunt. Nec obstat, quod eorum quidam summas religiosas dignitates aut fraude aut vi adepti sunt; aut enim sede pontificia occupata eiusdem auctoritate vere potiti sunt, aut non. Primum contingere poterat, quando erant sadducaei occulti, cum synagogae bonum publicum videatur postulasse, ut etiam tales auctoritatem muneris sui haberent, utpote quod secundum communem populi opinionem rite ipsis competebat, quodque iure administrare videbantur. Alterum autem accidit, cum illi se publice ut sadducaeos gererent; tunc enim „non magis ad ecclesiam iudaicam pertinebant, quam episcopus protestanticus, qui sedem episcopi catholici invaderet et arriperet, hoc ipso Ecclesiae catholicae membrum fieret“ [2].

b) *Nec dici potest,* unitatem fidei in Ecclesia primo ipso apostolorum tempore non obtinuisse. Hoc enim minime sequitur vel ex Act 21, 20: „Vides, frater, quot milia sunt in iudaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis“, vel ex aliis similibus locis. Nam quamvis legis mosaicae abrogatio die Pentecostes saltem coepisse dicenda sit, non tamen simul pro toto terrarum orbe facta esse videtur, sed sensim crevisse, crescente promulgatione legis novae [3], consummataque esse, quando legis novae promulgatio pro iudaeis saltem, et id quidem non solum in Palaestina, sed et alibi consummata erat. Nec etiam statim post Pentecosten lex mosaica mortifera evasit, ita ut non amplius eam eiusque ritus, per modum cultus religiosi, observare liceret. Lex enim illa, etsi iam nulla et obligandi vi destituta, in se tamen bona erat et divinitus instituta tamquam praeparatio et typus novae legis; eique, praesertim post captivitatem babylonicam, valde addicti deditique erant iudaei. Ideoque tum ob reverentiam ipsius legis, olim tamdiu tantumque venerandae, tum ut iudaeorum infirmitati consulerent et eorum conversioni et in fide constantiae viam faciliorem et expeditiorem redderent, apostoli non solum iudaeis conversis usum legalium permiserunt, sed etiam ipsi ritibus illis aliquando se conformarunt, ut patet ex Act 21, 26, ubi legitur, S. Paulum se purificationi legali subiecisse; et ex Act 16, 3: „Hunc [Timotheum] voluit

[1] Cf. Denzinger-Bannwart n. 54.
[2] Murray I 603. [3] Suarez, De leg. l. 9, c. 13, n. 26.

Paulus secum proficisci; et assumens circumcidit eum *propter iudaeos, qui erant in illis locis*", et ex aliis pluribus locis [1]. Porro iudaeo-christiani quam plurimi ab initio sibi ipsis non solum licitum, sed ad salutem aeternam necessarium legis mosaicae usum atque observantiam putabant, immo etiam illis, qui e gentibus christiani facti fuerant, imponendam legem censebant, ut patet ex Act 15, 1 5. Verum nec hac de re ante concilium Hierosolymitanum ab apostolis erat quidquam publice definitum et Ecclesiae ceu credendum propositum, ut ex eodem Act 15 manifestum est. Unde qui isti iudaeorum sententiae ante concilii illius definitionem adhaeserant, ideo non fuerant haeretici, sed haeretici illi fiebant, qui post concilii decretum a sententia ibi reprobata pertinaces non recesserunt. Verum hi ab eo tempore haud amplius ad Christi Ecclesiam pertinere putabantur, sed vel simpliciter iudaei, vel haereticae Ebionitarum sectae socii esse censebantur. Contrarium sane minime cum Palmer ex epistulis Pauli probari potest. Nam

α) *apostolus* nec diserte ullibi affirmat, nec etiam indicat, aliquem Ecclesiae socium istorum iudaeorum errorem pertinaciter credidisse et professum esse, aut qui eum pertinaciter professus sit, nihilominus Ecclesiae filium mansisse atque habitum esse. Sed contra, ut ex sola epistula ad Galatas, in qua Paulus legis mosaicae patronos directe impugnat, argumenta petamus, ipsum illorum errorem vocat 1, 6 „aliud evangelium", eos vero, qui Galatas isto veneno inficere tentarunt, dicit ecclesiam Galatinam conturbare, immo totam corrumpere, et quantum ab ipsis penderet, evangelium Christi pervertere (1, 7; 5, 9), eosque „*falsos* fratres" appellat (2, 4), ergo non veros fideles, non veros Ecclesiae filios; ac vehementer indignabundus et fervore apostolico abreptus iis bis anathema dicit (1, 8 9). Ex quibus omnibus profecto luculenter constat, Paulum eos tam pertinaciter errantes aliosque in errorem etiam inducentes minime ut Ecclesiae filios, sed ut ab ea exclusos habuisse. — Praeterea tametsi Galatae in gravissimo periculo a vera fide aberrandi ideoque a Christi Ecclesia deficiendi versabantur, maximam tamen eorum partem a fidei unitate non pertinaciter recessisse ex eo constat, quod talis defectionis, si locum habuisset, Paulus certissime mentionem fecisset. Iam vero non solum talem apostasiam nullatenus commemorat, sed etiam iis semel atque iterum utitur verbis, quae falsorum fratrum quidem *conatus* et exorta inde *pericula*, sed minime ipsum illorum Galatarum lapsum significant. Scribit certe 1, 7: „Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt (*θέλοντες*) convertere evangelium Christi", et 5, 10: „*Ego confido in vobis in Domino*, quod nihil aliud sapietis; qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille"; ac rursus 6, 1 ait: „Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris." Certe hoc modo de hominibus pertinaciter errantibus et vere haereticis loqui non solet S. Paulus aut alius quisquam apostolorum. Qui ergo ex Galatis pertinaciter aberrasse a vera fide videntur, non fuerunt ex iis, ad quos Paulus isto modo locutus est. Defecerunt illi a vera fide, sed in ipsa Ecclesia necessaria fidei unitas minime ideo dissoluta est.

β) *Ex verbis Pauli* Rom 14, 1—3: „Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet. Is, qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit", neutiquam sequitur, apud Romanos fuisse non recte credentes, qui nihilominus Ecclesiae socii, immo nec increpandi, sed Dei solius iudicio relinquendi fuerint, ideoque ad fidei unitatem aevo apostolico veram et firmam respectu omnium christianarum veritatum consensionem non fuisse requisitam. Nam istorum „in fide" infirmitas potest per se triplici sensu intelligi, ita nimirum, ut dicatur, eos vel veritati dogmaticae

[1] Cf. Suarez l. c. c. 15, n. 2.

ab Ecclesia definitae et ut tali ab ipsis cognitae dubios tantum assensos esse, *vel* doctrinae christianae de cibis et diebus festis, de quibus solus Paulus in isto capite agit, scientia non plena instructos fuisse, *vel* tametsi tunc temporis vere et sufficienter firmam fidem habuerint, eos tamen ita animatos fuisse, ut de ipsorum in fide constantia in difficilioribus circumstantiis iure timeri posset. Porro sola ea in fide infirmitas, quam primo loco commemoravimus, naturae fidei dogmaticae vere repugnat. Apostolum autem non de hac, sed de infirmitate secundo loco posita loqui manifestum est tum ex eo, quod alioquin eos certe ab aliis fidelibus non tam leniter tractari voluisset, tum etiam ex disertis ipsius verbis v. 2 14 22 23. Quia enim v. 22 23 „fides sine ullo dubio dictamen conscientiae actionem quandam velut licitam permittens designat, hic quoque fidem significare . . . persuasionem de rebus homini christiano licitis vel illicitis atque re saltem nihil aliud esse quam conscientiam“ [1] recte dicitur. Agit igitur Paulus de infirmo in morali persuasione, qui animo anxius est, utrum quidam cibi, sicut olim in lege mosaica, etiam in religione christiana vitandi certique dies prae aliis sancti habendi sint. Intellectus igitur ista erat infirmitas et ex ignorantia exorta, non autem voluntatis et ex assensus fidei defectu. Quinimmo si quis de iis apostolum loqui putet, de quorum constantia futura timeri possit, nihil inde contra nostram sententiam efficitur, cum non absolute repugnet, quominus quilibet, etiam vere sanctus et in fide hucusque quam maxime firmus, in gravi quodam ac proximo fidei periculo possit desciscere. Cum igitur illorum, de quibus Paulus hic agit, error dogmaticus non fuerit, ex eo, quod apostolus eos non esse increpandos, sed Dei iudicio permittendos dicat, nullatenus colligi potest, ad fidei unitatem Ecclesiae necessariam aevo apostolico consensum firmum respectu omnium doctrinarum revelationis christianae requisitum non fuisse.

γ) Non minus falso opponitur, ex 1 Cor 10, 7 14 19—22 patere, Corinthios sacrificiorum in falsorum numinum honorem oblatorum participes fuisse, atque ita externe saltem fidem christianam abnegasse, neque tamen christianos esse desiisse. Concedimus quidem ultro, Corinthios idolothyta manducando peccare potuisse, eorumque nonnullos revera peccasse, vel eo quod nondum plene abiecerant opinionem suam priorem de idolis et idolothytis, quasi illa aliquid numinis et divini, haec vero sanctitatem quandam haberent; vel ex conscientia erronea, si, putantes esse illicitum, comedere idolothytum, illud tamen contra suam conscientiam comedebant, opinati scil., se ita committere aliquo modo idololatriae crimen, aut saltem carnem ab idolo esse contaminatam. Vel peccare poterant malo exemplo, si probe scientes, idolum nihil esse, ad ostendendam tamen hanc suam scientiam et libertatem coram infirmis idolothyta comedendo, eos ita provocabant, ut etiam ipsi, contra conscientiam, eadem comederent, aut eos in sententiam inducebant, eum, qui illa manducaret, redire ad idolorum cultum et alios eodem trahere velle; vel si propter adiuncta, comedendo v. g. tempore sacrificii idololatrici coram idolo idololatriam profiteri censebatur; vel denique si apostolorum interdictum (Act 15, 29) ipsis notum erat atque istud non observando debitae oboedientiae defuerunt. Nihilominus negamus, Corinthios ideo, paucis forsitan exceptis, in formalem haeresim incidisse, ita ut in ipsorum ecclesia unitas fidei sublata fuerit. Nam *primum,* ut S. Scripturae interpretes non solum catholici, sed etiam protestantes existimant, probabile saltem est, Corinthios in literis ad Paulum datis dubia sua de idolothytorum esu ut docerentur proposuisse. Et vero id satis manifestum est ex 7, 1 et 8, 1. In priore enim loco ait Paulus: „De quibus autem *scripsistis mihi:* bonum est“ etc. ac toto illo capite septimo ad primum dubiorum genus, quod matrimonium et virginitatem spectabat, respondet. Tum initio capitis octavi ad alteram dubiorum classem solvendam accedit dicens: „De iis *autem,* quae idolis sacrificantur“ etc. Porro qui hoc modo agebant, profecto non pertinaciter errarunt, sed eximiae potius docilitatis exemplum dederunt. *Deinde* esum idolothytorum prohibet Paulus nec tamquam per se illicitum, neque etiam

[1] Cornely in h. l. 696.

ideo, quod putabat, Corinthios illa etiam in idolorum templis manducando *voluisse* a Christo deficere et idololatriam rursus profiteri, sed propterea, quod diis immolata edentes illis, qui minus instructi minusque in fide firmi erant, essent offensioni aut etiam periculum crearent, ne illi concluderent, idolothytis vescentes cum ethnicis rursus eorum sacra sequi atque ita etiam ipsi tali exemplo illecti ad eadem sacra denuo amplectenda inducerentur; quod patet ex 8, 9—13; 10, 23 29; quamquam Paulus simul declarat 10, 14—21, idolothytorum esum in ipsa coena sacrificali esse revera idolorum cultus professionem, ideoque hunc esum omnibus absolute interdicit. Sed nec ullibi leguntur Corinthii hoc praeceptum non servasse et pertinaciter priori suae opinioni contrariae inhaesisse. Unde illi Corinthii unitatem fidei non vere violarunt, ita ut haeretici fierent.

δ) *Non plus valet obiectio,* qua opponitur, negare resurrectionem mortuorum esse haeresim tam apertam, ut nemo, qui vel prima fidei christianae elementa didicerit, eam profitens ullo praetextu a formali haeresi excusari possit; inter Corinthios tamen fuisse, qui dicerent: „quoniam resurrectio mortuorum non est" (1 Cor 15, 12). Quidam enim doctores falsi eorumque sequaces, si tamen, id quod minime constat, discipulos ex ipsis Corinthiis habuerint, corporum resurrectionem utique negabant, ideoque ad Ecclesiam non pertinebant. Eiusmodi enim haereticos publicos fuisse ex Corinthiis et simul Ecclesiae socios tantum abest, ut probari possit, ut contrarium, praetermissa etiam Ecclesiae agendi ratione contra quosvis posterioris temporis haereticos, ex solis apostolorum scriptis satis constet. *Primum* enim notum est, Corinthios aliosque plures aevo apostolico haeresum auctores eorumque sequaces ab apostolis nullatenus ut Ecclesiae socios habitos esse; alioquin fideles non monuissent, ut eos ceu inimicos crucis Christi corruptos mente, reprobos circa fidem (Phil 3, 18: 2 Tim 3, 8) vitarent et abhorrerent; nec illos ipsos haereticos alioquin vocassent lupos rapaces et perversa loquentes (Act 20, 29 30); fontes sine aqua, nebulas turbinibus exagitatas, quibus caligo tenebrarum reservetur; servos corruptionis; conversos a sancto mandato, quod illis traditum sit; canes reversos ad vomitum, sues lotas in volutabro luti (2 Petr 2, 17 sqq); antichristos, qui non permanserint cum veris Ecclesiae fidelibus; mendaces, seductores, Deum non habentes (1 Io 2, 18 19 22; 2, 7 9), impios; arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas; fluctus denique feri maris, despumantes suas confusiones et sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata sit in aeternum (Iud 4, 12 13). Nec alioquin etiam Paulus circa fidem naufragantes Hymenaeum et Alexandrum ex Ecclesia eiecisset (1 Tim 1, 19 20). *Deinde* Corinthios doctrinae ipsis a S. Paulo traditae firmiter adhaesisse ipse diserte testatur 15, 1 dicens: „Notum autem vobis facio, fratres, evangelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis, *in quo et statis.*" Idem innuit, dum eos non tamquam lapsos, ut resurgant, monet, sed tamquam periculo lapsus expositos, ut non cadant exhortatur, iisque per totum ferme caput argumenta gravissima instar armorum ministrat, quibus ab impiorum resurrectionem corporum negantium captionibus se defendant. Ait certe v. 33: „Nolite seduci (nondum igitur erant seducti); corrumpunt mores bonos colloquia mala." Et v. 58: „Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles." Eos autem, qui mortuorum resurrectionem negabant, ad Christi Ecclesiam pertinuisse nullo modo S. Paulus affirmat. Verba enim v. 12: „Quidam dicunt in vobis" (ἐν ὑμῖν τινές, quidam inter vos), quamvis per se significare possint, illos *quosdam* ad ecclesiam Corinthiorum pertinere, id tamen nullatenus denotare, ex iam dictis manifestum est, cum quid haec locutio hic significet, non ex solis verbis, sed simul e contexta oratione et re, de qua agitur, aliisque adiunctis definiendum sit. Qui vero illi resurrectionem negantes revera fuerint, utrum Corinthii, ut quidam putant, an philosophi gentiles, id quod alii autumant, an e schola sadducaeorum, id quod aliis placet, nostri nihil refert.

ε) *Pariter infirma sunt haec,* quae ex Apc 2, 12 14 18 20 opponuntur: „Et angelo Pergami ecclesiae scribe. . . . Sed habeo adversum te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere ac fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. . . . Et angelo

Thyatirae ecclesiae scribe: ... Sed habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis." Ex his enim minime sequitur, in istis duabus ecclesiis particularibus, etsi verae partes Ecclesiae universalis erant, apertos haereticos exstitisse, qui simul fuerint et habiti sint socii ipsarum ecclesiarum, ideoque Ecclesiae fidem neque unam fuisse neque esse debere. *Primum* enim non dicitur, istos haereticos fuisse membra Ecclesiae. Episcopo Pergami obicitur, eum *illic* (ἐκεῖ) haereticos habuisse, i. e. in urbe Pergami vel eius territorio. Episcopus Thyatirae vituperatur, quod permiserit (ἀφεῖς) mulierem Iezabel docere. Unde nil aliud elicitur, quam illos episcopos non satis studiose munere suo functos esse, ac propter hanc eorum negligentiam aliquos christianos seductos fuisse. Deinde licet illi haeretici fuissent illarum ecclesiarum socii et ut tales ab illis „angelis" (episcopis) tolerati, nullatenus tamen sequeretur, fidei unitatem in Ecclesia esse non debere, cum ea ipsa istorum „angelorum" negligentia et tolerantia, quaecumque tandem fuit, non modo non norma et lex fieri potuerit pro Ecclesia universali, sed etiam ipso hoc loco graviter reprehendatur; quare tantum abest, ut inde colligere liceat, Ecclesiam unitate fidei pollere non debere, ut contrarium manifeste consequatur.

ζ) *Denique adversarii opponunt* 2 Tim 2, 20: „In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam." Dicunt enim, vasa aurea et argentea esse illos, qui puram fidem habeant; vasa lignea et fictilia esse haereticos etiam publicos; id enim patere ex v. 17 et 18: „Ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse iam factam, et subverterunt quorundam fidem." Magnam denique domum esse Ecclesiam. Ergo, concludunt, haeretici etiam publici fuerunt in Ecclesia apostolica ut eius socii. — At non modo hoc loco nihil est, ex quo inferri possit Hymenaeum et Philetum aut haereticos notos et publicos ab iis corruptos Ecclesiae ipsius socios habitos fuisse, sed contrarium patet. Apostolus enim v. 19 opponit „firmum fundamentum Dei" quorundam, de quibus v. 18 locutus erat, fidei subversae, occurritque timori ac tacitae huic obiectioni: si ipso Ecclesiae initio Hymenaeus et Philetus iam a veritate aberrarunt aliorumque fidem subverterunt, nec subvertere desinunt, metuendum, ne serpente haeresi tota fides et Ecclesia brevi subvertatur. Sensus igitur est: quamvis *quorundam* subvertatur fides, non tamen *firmum fundamentum* Dei subvertetur, sed perpetuo firmum ac solidum subsistet. Atque eadem ratione etiam v. 20 praeoccupat tacitam obiectionem, sive is versus dicatur cohaerere, id quod Cornelius a Lap., Murray aliique volunt, cum proxime praecedentibus his verbis: „Discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini", sive, id quod plurimis aliis placet, cum v. 19, ita ut sit secunda responsio ad priorem iam expositam obiectionem. Si enim sententia Cornelii a Lap. vera sit, sensus, ut ipse ait, est hic: nemo „miretur et obiciat: si ita est et esse debet, ut dicis, quomodo ergo inter christianos, qui invocant nomen Domini, nonnulli sunt improbi, qui non discedunt, sed sequuntur iniquitatem? Respondet apostolus, id nemini mirum debere videri: si enim nemo miratur, in magna domo requiri tam vasa fictilia quam aurea, tam vilia quam honorifica, tam pollubra et matulas quam lances et cyathos, pari modo nec mirari quis debet, si in eadem Ecclesia, quae Deum colit, adorat et invocat, alii sint boni, qui discedant ab iniquitate, alii sint mali, qui sectentur iniquitatem." [1] Secundum quam expositionem vasa lignea et fictilia significant quidem „membra Ecclesiae imbecilliora, minus firma ad doctorum falsorum machinationibus resistendum, et ex quorum numero erant ii, qui ab Hymenaeo et aliis eiusmodi seducti, facti sunt haeretici. ... Sed aliud est vitam agere pravam, qua fides periculo exponatur, aliud fidem actu abicere." [2] Sed Hymenaeus iique omnes, qui publici haeretici iam erant, secundum hanc interpretationem nullatenus vasis ligneis et fictilibus designantur,

[1] Corn. a Lap. in h. l. [2] Murray I 623.

utpote iam extra Ecclesiam positi: unde tota obiectio corruit. — Si vero v. 20 secundum alteram sententiam dicatur secunda responsio esse ad obiectionem, quae ex v. 18 oriri potuit, nec etiam tunc ostendi potest, apostoli comparatione de vasis fictilibus et ligneis comprehendi Hymenaeum et Philetum, utpote quorum prior iam antea a Paulo ex Ecclesia exclusus erat, alter vero hoc loco par, i. e. aeque haereticus publicus aliorumque corruptor habetur; sed referri illud responsum optime potest ad haec v. 18 ultima verba: „et subverterunt quorundam fidem", cum ex his maxime orituram facile obiectionem apostolus procul dubio cogitaverit. Isti autem corrupti, aut quia nondum erant manifesti haeretici, aut propter spem correctionis, si non erant pertinaces, poterant sine ulla unitatis fidei laesione in Ecclesia tolerari. Quae explicatio videtur confirmari v. 21: „Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum." Ista enim verba referuntur ad haec proxime praecedentia: „quaedam (vasa) in contumeliam"; eorum autem sensus hic est: si quis purum sese reddiderit a falsis haereticorum doctrinis ceterisque vitiis, ab haereticis igitur penitus separatus Ecclesiae se rursus vere adiunxerit, assumetur iterum ad usum honorificum. Ceterum adversarios nihil iuvaret, si ipsis etiam concederemus, Pauli sententiam, ut ait Estius, fuisse hanc: „Hymenaeum et Philetum, quo tempore adhuc *occulti* erant haeretici, in Ecclesia quodammodo fuisse, velut in magna domo vasa contumeliae, donec per manifestam haeresim inde recederent aut excommunicatione pellerentur: ac de ea re, quod nimirum mali, immo et haeretici quidam sint in Ecclesia, nos mirari non debere." Ut enim adversarii pervincerent, clare et accurate ipsis probandum esset, quod omnino non valent, Paulum dixisse, Hymenaeum aliosque etiam ut notos et publicos haereticos habitos esse Ecclesiae Christi socios.

c) *Falsissimum est*, non magis haeresibus atque ipsa idololatria late etiam diffusis unitatem Ecclesiae necessariam laedi, quam aliis sociorum Ecclesiae peccatis letalibus. Verum enim id tunc tantum esset, si sanctitas *ipsorum fidelium* unum esset ex vinculis, quibus Ecclesia ut societas religiosa constituitur. Iam vero, quamvis sanctitas in hoc conveniat cum unitate fidei, quod et ipsa proprietas est Ecclesiae, tamen haec proprietas non ita intelligitur, ut omnes omnino Ecclesiae membra debeant esse sancti, et praeterea non sanctitati, sed soli unitati fidei id muneris tribuendum est, ut sit vinculum, quo Ecclesia ut omnes Christi doctrinas profitentium *societas* presse intellecta constituatur. Ex eo igitur, quod in Ecclesia possunt esse et reapse semper fuerunt peccatores etiam publici, neutiquam sequitur, posse in ea tolerari haereticos *publicos*. Ex dictis enim haec tolerantia repugnaret tum naturae Ecclesiae ut totam Christi doctrinam profitentium societati presse intellectae et fini infallibili magisterio proposito, tum clarae doctrinae et agendi rationi apostolorum, infallibilium voluntatis Christi interpretum. — Nec obest, quod cum novatiani ideo ab Ecclesia recessisse se dicerent, quod cum libellaticis[1] idololatriae specie maculatis, sed post poenitentiam in Ecclesiam iterum admissis communionem habere nollent, S. Cyprianus respondit[2], cum apud novatianos peccata committerentur non minus gravia ac peccatum idololatriae, nullam fuisse iustam separationis causam. Hic enim argumentandi modus nullatenus ponit, haeresim posse esse ac tolerari in ipsa Ecclesia. Argumentatur enim Cyprianus *ad hominem* hoc modo: vos ex Ecclesia existis, ut cum peccatoribus, scil. idololatris, nullam communitatem haberetis; sed apud vos sunt etiam aeque magni peccatores; ergo illa vestra ratio non valet.

[1] Libellatici vocabantur ii christiani, qui in Decii persecutione licet idolis non sacrificaverint, tamen edicto publico, quo sacrificare iubebantur, oboedivisse se libello a magistratibus subscripto testificati erant.

[2] Ep. 55, ad Antonian. c. 27 (Hartel 644 sq).

d) *Nec impossibilis est* definita a nobis in thesi unitas fidei, eo quod non omnes omnia dogmata scire possint, sed quo quis doctior sit, eo plura etiam cognoscat et credat. Nam statuta fidei unitas requirit tantum, ut singuli et universi Christi fideles distincte quidem credant, quod unitatis illius principium, magisterium infallibile, proponat ipsis *omnibus* explicite credendum, utque parati sint ad alia omnia eadem distincta et sincera fide amplectenda, quae illud magisterium decernat et publice omnes doceat esse distincte credenda. Iam vero repugnat, quominus haec *omnibus publice* ut credenda proposita non omnes etiam, indocti aeque ac docti, nota habere atque eadem publica et firma fide amplecti possint. Si tamen fiat, ut aliquis eiusmodi definitum dogma invincibili ignorantia nesciat, is illud explicite non credendo tamdiu manifeste contra unitatem fidei non peccat, quamdiu ipsius ignoratio non culpabilis est [1]. Quod vero ad implicitam fidem spectat, nulli utique fideli licet quidquam negare, quod in divina revelatione contineatur; quae autem in revelatione contineantur, nemo obligatur, ut sciat; si itaque doctus theologus ex istis plura quam vir rusticus cognoscat, potest plura quam ille distincte credere, sed, id quod notandum est, ea credit vel fide *privata* tantum et non publica, si res, quas credit, revelatae sunt implicite tantum et obscure in S. Scriptura et traditione, vel saltem ea non credit fide ad unitatem Ecclesiae requisita. Item homo doctus earum rerum, quae ab Ecclesia definitae sunt, distincte scire potest plures quam homo indoctus, cognoscitque plures earundem rationes ac clariorem ipsarum habet notionem; at fidelis quoque rusticus catechismo probe instructus habet eandem doctrinam maxima saltem ex parte sufficienter cognitam, eamque et eadem, qua theologus, fide et propter idem fidei distinctae principium credit et quae non distincte cognoscit, implicita saltem fide admittit: hoc autem ad requisitam fidei unitatem plane sufficit; ea igitur facile omnino possibilis est.

e) *Unus idemque baptismus* apud haereticos utique esse potest, qui est in vera Christi Ecclesia, quia ea omnia, quae ad illum valide conferendum necessaria sunt, apud haereticos haberi possunt; sed inde concludere, etiam ea omnia, quae ad unitatem fidei efficiendam necessaria sunt, apud illos haberi posse, sive inter Ecclesiam et ipsos, non obstante haeresi, exsistere posse unitatem fidei, omnino absonum est, cum unitas illa, utpote ad omnia a probe instructis saltem explicite credenda sese extendens, fidei divisae sive aliqua illorum tantum amplectenti necessario, ut ex iis, quae hactenus diximus, evidens est, prorsus repugnet.

f) *Nec dici potest,* hominis libertati contrarium et tyrannicum esse, perfectam istam fidei unitatem ab omnibus Christi fidelibus requirere, et ita quidem, ut qui ab ea dissentiant, ex Ecclesia, extra quam nulla salus sit, excludantur. Primum enim ea non est libertas, sed nihil nisi effrenata atque insana licentia, quae Christi Dei, cui omnes se subicere et oboedire debent, apertae voluntati et ipsi religionis christianae naturae repugnat. Iam vero Christus aperte istam, quam diximus, fidei unitatem ut omnino necessariam ab omnibus postulavit, et religio ipsa christiana non constat rebus, v. g. caeremoniis, indifferentibus, sed constat veritatibus et officiis ideo revelatis, ut ea omnes homines admittant et accurate servent. Quemadmodum igitur physici et mathematici ut talis libertas non in eo consistit, ut de singulis

[1] Cf. quae diximus supra p. 399.

et universis suae scientiae veritatibus cogitare et iudicare possit, quidquid voluerit, sed ut iis libens assentiat, et eo libentior quidem ac laetior, quo certiores illae sunt, ita etiam libertas christiani tunc tantum vera et perfecta est, cum singulas ab infallibili magisterio, Christi Dei in terris vicario, veritates ad credendum propositas laeto et volenti animo credit et amplectitur [1]. Quod autem Christus Deus infinite bonus et sapiens illam unitatem ab omnibus servari voluit, etiam sub poena exclusionis ab Ecclesia et periculi salutis aeternae, pariter rectissime voluit atque exegit, ut vel ex hac sola ratione patet, quod ad eam unitatem veritati adeo necessariam et convenientem obtinendam magisterium instituit, quod in tradenda et definienda ipsius doctrina ut fidei publicae obiecto numquam errare possit. Cum enim iam ipsi auctoritati mere humanae ac per se fallibili oporteat generatim fidem habere, ita ut nemo sanae mentis ei fidem per se denegandam esse profiteri possit, quanto magis infallibili nullisque erroribus obnoxiae auctoritati fides semper habenda est! Eam sane exigendo Christus nihil poposcit, nisi quod rationi humanae summe conveniens et honorificum est: tanti enim eam fecit, ut fidem ab ea in religionis suae negotio *necessariam* nulli nisi soli auctoritati *infallibili* praestandam esse voluerit. Si iam quis ita stultus ac superbus sit, ut huic auctoritati fidem pervicaciter deneget, habeat autem fidem iis hominibus, qui nulla divinae extraordinariae legationis nota clari nec fide digni, vanitate, insolentia, pervicacia ac perditis plerumque moribus insignes, infallibili Ecclesiae magisterio contradicunt ac doctrinas prorsus falsas atque etiam absurdas venditant itaque haeresum auctores fiunt: quis non videat, insanum eiusmodi hominem summo iure ex Ecclesia expelli, maximo licet aeternae eius salutis periculo?

g) *Vix opus est annotare,* ex eo, quod in rerum universitate maxima appareat varietas, ex eaque mundi pulchritudo quam plurimum nascatur, nullatenus sequi, similem legem etiam in ordine fidei christianae valere, ita ut Ecclesiae pulchritudo fidei non unitate, sed varietate quam maxime efficiatur. Primum enim falsum est, mundi huius pulchritudinem partium potissimum varietate constitui, cum haec parum admirationis haberet, nisi omnia apte atque etiam mire inter se coniuncta essent et continuae temporum rerumque vicissitudines certo quodam et immutabili ordine sibi succederent; ad pulchritudinis enim rationem praeter rerum varietatem earum etiam unitas necessaria est. Praeterea minime a mundo hoc aspectabili ad Ecclesiam concludi potest. Ad hoc enim Ecclesia condita est, ut veritatem, quam Christus hominibus attulit, conservet et propaget. Veritas autem necessario una est et varietatem circa unam eandemque rem necessario excludit. Omnino igitur vane etiam nonnulli recentiores protestantes defectum unitatis in protestantismo eius sentiendi libertate absurde suppleri gloriantur. Verum id utique esset, vereque de hac re gloriari possent, si unitas religionis christianae ad accidentales tantum caeremonias et ad varios non a Deo constitutos, sed ab hominibus inventos ritus referretur. Sed ita se res non habet; nam unitas doctrinae ac fidei christianae refertur *ad veritates* religiosas divinitus revelatas et ad praeceptum eas sub poena aeternae damnationis credendi ac profitendi atque omnia divina mandata *servandi;* quod praeceptum pariter a Christo diserte traditum et omnibus inculcatum est, ita ut ipse nullam prorsus libertatem pro lubitu

[1] Cf. Vosen, Der Katholizismus I, Freiburg 1865, 211 sqq; 3. ed. ib. 1885, 84.

agnoscendi aut non agnoscendi veritatem revelationis suae et oboedientiae fidei ipsi praestandae ulli hominum dederit. Tantum igitur abest, ut iactata ista sentiendi libertas bona et expetenda sit, ut a Christo iure optimo prorsus proscribatur, cum et dixerit eum damnationis aeternae reum, qui annuntiatae sibi doctrinae suae non crederet, et valedicens apostolis praeceperit, ut omnes gentes docerent *servare omnia*, quaecumque ipse mandaverit. Atque hinc etiam patet, non *a priori*, sed tantum e Christi voluntate statuere licere, qualis unitas et varietas in ipsius Ecclesia esse possit ac debeat.

h) *Denique admitti prorsus nequit distinctio inter articulos fidei fundamentales* et *non fundamentales*, quasi unitas fidei debeat tantum extendi ad articulos fundamentales sensu protestantium intellectos. Nam ista distinctio α) *non solum* revelationi divinae, qua fundari deberet, non innititur, sed ei etiam aperte contradicit. Et opus quidem esse primum, eam distinctionem, ut vera sit, ipsi revelationi inniti manifestum est. Nam sola ratio humana non est regula, secundum quam inter veritates vere revelatas isto modo rite distingui possit, cum non ipsius, sed Dei revelantis sit declarare, utrum revelata ab ipso veritas credenda sit necne, illaque tantum pronuntiare possit, non esse ut revelata credenda, quae reapse revelata non sint. Praeterea si ista distinctio vera sit, non solum dogma est illa, sed, utpote fundamentalium fundamentum, dogma omnino praecipuum. Atqui tanti momenti dogma sane necesse est in revelatione divina exprimatur et quam maxime quidem clare ac definite, et secundum protestantes in ipso *verbo Dei scripto* sive in S. Scriptura. Nisi enim talem distinctionem adhibendam esse aut saltem adhiberi posse Deus ipse directe affirmet, summa audacia ipse homo inter doctrinas revelatas ea ratione distinguit. Porro nullus S. Scripturae locus afferri potest, quo faciendae illius distinctionis ius vel minimum probetur.

Provocant quidem adversarii nonnulli ad Io 20, 31: „Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius"; et praeterea ad Rom 10, 9 10 11 13: „Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur. . . . Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit." At ex istis locis minime sequitur, non esse necessarium omnia revelata credere, sed sufficere fidem in Christum solum. Nam non agitur locis illis de unitate fidei Ecclesiae necessariae, sed de iis, quae a singulis credenda sunt ad obtinendam salutem aeternam. Sed nec hoc iis demonstratur, ad salutem illam sufficere solam fidem in Christum, cum certe vel ipsi protestantes, qui non sunt rationalistae, plerique contendant, praeter nudam in Christum fidem multas alias doctrinas revelatas esse fundamentales. Et vero si ex allato Ioannis loco concludatur sufficere, ut credatur Iesum esse Messiam Dei filium, dicendus est errare S. Paulus, qui allato altero loco requirit, ut credatur Iesus divina virtute a mortuis resurrexisse, et ut invocetur nomen eius. Praeterea qui credit, Iesum esse Messiam, necesse est credat, ipsum esse Deum; sed Deum nemo eum vere credere potest, quin simul credat, eum esse summe veracem et sapientem, et ideo omnia ab eo revelata distincte aut saltem confuse credat. Qui enim qualemcumque ab eo revelatam doctrinam et ut talem a se agnitam negat esse veram aut alicuius saltem momenti, mendacem eum facit et insipientem, et eo ipso eum Deum esse negat. Quare cum admissa Christi divinitate omnia ab ipso revelata aliquo modo, explicito vel implicito credenda sint, ea contra negata tota eius revelatio ut divina neganda sit, S. Ioannes aliique Novi Testamenti scriptores necessitatem fidei in Iesu Christi divinitatem adeo inculcant.

Opponit insuper Jurieu cum aliis pluribus haec, quae 1 Cor 3. 10—15 leguntur: „Ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem." [1] Secundum adversariorum sententiam hoc loco „fundamentum" summa est dogmatum fundamentalium; aurum, argentum et lapides pretiosi sunt dogmata vera, sed non fundamentalia; ligna, foenum, stipula sunt errores non fundamentales; aut, ut aliis placet, aurum, argentum et lapides pretiosi sunt dogmata fundamentalia, vel etiam dogmata vera tum fundamentalia tum non fundamentalia, dum lignum, foenum et stipula sunt errores non fundamentales. Sed aiunt, qui superaedificat lignum, foenum et stipulam, i. e. qui profitetur et docet errores non fundamentales, non damnabitur. Ergo quaedam sunt dogmata quae si non credantur unitas Ecclesiae tamen non dissolvatur.

Verum prorsus alio modo S. Pauli textus interpretandus est. Loquitur apostolus de suo adiutorumque suorum labore, qui ex munere suo fidelium instructioni ita incumbere debent, ut eos ad recte credendum et vitam vere christianam ducendam inducant, huncque eorum laborem comparat cum labore aedificandi. Sed ut praedicatores ad bene vivendum homines moveant, varias doctrinas in subsidium vocare possunt, tum utiles et solidas, tum eas, quae, licet in se non sint falsae, plus tamen splendoris oratorii habent quam utilitatem, vel magis quaestionem praestant quam aedificationem Dei. Ita ut, quemadmodum ait Estius in h. l. v. 12, „per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligatur doctrina pura, sincera, solida, conducens ad pietatem et pertinens ad ornamentum Ecclesiae; per ligna vero et foenum et stipulam doctrina non quidem haeretica aut perniciosa (talis enim fundamentum destrueret), sed minus sincera minusque solida, veluti si sit humanis ac philosophicis, aut etiam iudaicis opinionibus admixta plus satis, si curiosa magis quam utilis, si vana quadam oblectatione mentes occupans christianas, ut contingit illis, qui plus aequo student ornatui sermonis." Et vero lignum, foenum et stipulam non esse intelligendas doctrinas haereticas aut perversas patet. Haeresis enim Christum, qui est veritas ipsa, tamquam fundamentum habere nequit; deinde Paulus, quamquam fere totus est ab initio huius epistulae usque ad locum, de quo agimus, in emendandis ac corrigendis partium studiis, nihil dicit aut innuit de ulla istarum partium vel contentione vel varietate respectu ipsius fidei sive doctrinae credendae, aut de falsa et haeretica doctrina Corinthum inducta, sed tantum vult fideles ab inquieto et supra modum aemulo studio diversorum Christi doctrinae praeconum deterrere. Denique id patet quoque ex oratione contexta. Ait enim apostolus v. 6 7 9: „Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Dei enim sumus adiutores" etc. Certe hac ratione de Apollo aliisque, qui tunc Corinthi fuerunt, praeconibus apostolus locutus non esset, si illi praedicationis evangelicae socii vel minimam falsam et haereticam doctrinam docuissent. Sic enim Pauli plantationem non irrigassent, sed destruxissent, nec Deus etiam istorum labores fortunasse dici potuit. — Quaenam illae doctrinae fuerint, quas apostolus lignum, foenum, stipulam vocaverit, difficile dictu est; „a vero tamen vix aberrare mihi videor", inquit Cornely in h. l., „si doctrinas de iudaeorum praerogativis intelligendas censeam, quibus iudaizantes in ecclesiis Paulinis sibi viam ad errores suos docendos praeparare solebant. . . . Verum de illis inter ethnico-christianos multum loqui saltem

[1] De his cf. Regnier, De Ecclesia Christi P. 1, sect. 2, a. 1, c. 3 (Migne, Curs. theol. IV 271).

erat inutile, atque interdum nocivum, quia ad perturbandos christianos facile aliquis iis abuti potuit." [1]

Verum ista articulorum fundamentalium et non fundamentalium distinctio non solum S. Scriptura nullatenus firmatur, sed ei aperte *contraria* est. Ex S. Scriptura certo et luculenter a nobis supra demonstrata est institutio magisterii infallibilis, quod in perpetuum ideo in Ecclesia Christi exsistat, ut semper puram Christi doctrinam doceat, omnesque fideles ei ex animo oboedientes eadem etiam semper credant, credentes pro officio suo semper, quidquid et quacumque ratione credendum magisterium illud ipsis umquam proponat. Exsistente autem et in *Ecclesia docente* auctoritate infallibili et perenni et in *discente* gravissima obligatione propositam ab illa auctoritate doctrinam credendi profecto illa articulorum fundamentalium et non fundamentalium distinctio nullum prorsus locum habere potest, sed fundamentale sive dignum, quod credatur, est semper id omne et solum, quod infallibile illud magisterium aliqua ratione sive distincte sive non distincte credendum esse docet, nec refert, sintne veritates, quae tamquam doctrina Christi exhibentur, maioris vel minoris momenti ad hominum salutem efficiendam. Quare ista distinctio ut Christi revelationi et ipsorum protestantium regulae fidei directe contraria ab iis ipsis prorsus reicienda est. Sed insuper

β) *distinctio ista ita nova est,* ut ante saeculum 16 fuerit inaudita. Quamquam enim prioribus saeculis multae de fide christiana controversiae exortae sunt, numquam tamen disceptatum est, utrum aliqua doctrina esset fundamentalis an non, sed semper tantum *de eius veritate aut falsitate* actum est. Inspiciantur sane „decreta et acta conciliorum, sive generalium sive particularium, opera Patrum, alia quaecumque rerum gestarum istorum saeculorum exsistunt monumenta, ipsorum etiam haereticorum et schismaticorum quae supersunt scripta: in nullo eorum, nec semel etiam, vel minimum huius distinctionis vestigium invenietur. Ex damnatis nullus se excusabat aut defendebat ex eo, quod dissidium esset de doctrina non fundamentali; nullus umquam damnatus est, quia in fundamentali errabat, sed quia errabat, quia in se unitatem fidei simpliciter solvebat." [2] Distinctio igitur ista nimis recens est, quam ut apostolica ideoque christiana et vera esse possit.

γ) *Si vera sit ista distinctio,* praesto sit necesse est aut index enumerans fundamentalia dogmata, aut saltem certa et sat facilis ratio inveniendi et statuendi, quaenam Christi doctrinae sint fundamentales, quaenam vero fundamentales. Si enim Deus hanc distinctionem statuerit aut saltem approbaverit — a quo si nec statuta nec probata sit, eo ipso figmentum humanum et reicienda est —, si porro decreverit, unitatem fidei essentialem in solis doctrinis fundamentalibus reponendam esse, si nihilominus clara ac certa ratio praesto non est secernendi articulos fundamentales a non fundamentalibus: Deus unitatem fidei Ecclesiae necessariam constituit in re, quae numquam cognosci potest; cumque unitatem hanc servari severissime iusserit, mandatum dedit, cuius verus sensus inveniri prorsus non potest, quodque observari prorsus nequit. Sed eiusmodi agendi ratio Deo infinite sapienti ac bono manifeste repugnat. Ergo si distinctio illa vera sit, necesse est facilis ac certa fundamentales doctrinas secernendi ratio suppetat.

---

[1] Pag. 83. [2] Murray I 643.

Praeterea si certus ac facilis secernendi dogmata fundamentalia modus non habetur, inutiles sunt omnes labores conatusque, quibus invenire ac statuere student protestantes, quaenam dogmata sint fundamentalia quae non, omnisque hac de re controversia ut plane superflua et impossibilis reicienda est. Tunc enim protestantes indices vel tabulas articulorum fundamentalium conficere non debent, sed solum dicere, incertum prorsus esse, in quo vera fidei unitas in Ecclesia constet, ideoque ex hac fidei unitate neutiquam concludi posse, quaenam sit vera Christi Ecclesia. — Nec opponere licet, exhibere indicem fundamentalium dogmatum, aut certam ea inveniendi rationem non magis necessarium esse, quam alicui medico, ut in arte sua eminenter doctus et peritus iure habeatur, necessarium sit, indicem exhibere omnium venenorum et ciborum salubrium, aut certam indicare saltem rationem, ea facile distinguendi. Ratio enim discriminis est, quod Christus Ecclesiam suam, ut probavimus, absolute et essentialiter unam in fide constituit; ergo si unitas haec essentialis, ut volunt protestantes, in articulis fundamentalibus solis sita sit, necesse est statuere, quinam sint fundamentales, quinam non fundamentales. — Quod autem porro opponitur, non magis necessarium esse, definite statuere, quinam sint articuli fundamentales, quam quid licitum sit, quid vero illicitum, probandi vim haberet, si Deus necessitatem definiendi licita et illicita non aeque absolute decrevisset, ac secundum allatam iam thesis nostrae probationem decrevit necessitatem unitatis fidei; iam vero Deus tum lege naturali hominum animis inscripta, tum decalogo et maxime diserta Christi doctrina morali non solum regulas claras ac certas definiendi, quid sit licitum, quid illicitum, accurate statuit, sed etiam quam plurimas hominum actiones licitas aut illicitas directo declaravit, et insuper vult, ut homo numquam contra conscientiam agat. Quodsi vero Deus, id quod utique fieri non potest, nec aliqua lege naturali nec ulla alia ratione statuisset, quid licitum, quid illicitum esset, incertum pariter dicendum esset, quid sit licitum, quid illicitum, sive potius, nullam plane actionem esse moralem, sed omnes indifferentes. Nisi igitur protestantes dicant, Christum aut nullam fidei unitatem ne in fundamentalibus quidem dogmatis in Ecclesia sua voluisse, aut eam saltem nullatenus definivisse, debent aut accuratum indicem illarum fundamentalium exhibere, aut claram ac certam rationem statuere, qua quivis sanae rationis christianus illas veritates facile invenire possit.

Nec dicere possunt, ex eo, quod statui non possit, quae sint dogmata fundamentalia, nullum sequi incommodum pro vita christiana, cum in vitae usu, ut dici soleat, pars tutior sequenda sit; partem autem tutiorem in re nostra hanc esse, ut id non habeatur dogma fundamentale, de quo dubitetur, an sit revelatum, aut quamvis esse revelatum constet, tamen dubitetur, an sit fundamentale. Haec, inquam, dicere nequeunt. Primum enim sic secum ipsis pugnant; ponitur enim, statui non posse articulos fundamentales, et continuo tamen subnectuntur regulae ad ea saltem negative statuenda. Deinde quamvis regula de parte tutiore eligenda per se et generatim vera sit, uti tamen ab adversariis in hac quaestione partim adhibetur, falsa est. In hoc enim eius usu ut certum ponitur, aliquid certo revelatum posse esse non fundamentale, sive non dignum, quod ab omnibus credatur; cuius sententiae contrarium verum esse iam ostendimus. Insuper quale dubium illud sit necesse est? positivum an tantum negativum? leve an grave? Et a quo habendum est? An a quovis privato, an ab hoc vel illo protestantium integro coetu, an ab

omnibus illis coetibus simul? Incerta manent haec omnia. Ista igitur regula nulli solido innititur fundamento. Unde certum manet, monstrandam esse claram ac definitam rationem, qua fundamentales articuli facile ab omnibus cognoscantur, si protestantium de iis sententia vera sit.

Iam vero ratio discernendi articulos fundamentales certa et facilis nulla habetur. Si enim haberetur, reperiretur vel in indicibus ac tabulis articulorum fidei fundamentalium iam confectis ac statutis, vel in certis regulis saltem generalibus, vel in quodam indice et regula particulari. Quorum nullum dici potest. Ex iis enim, quae hucusque statuta sunt a protestantibus „indices indicibus, regulae regulis adversantur: index vel regula una plus ad fundamentale requirit, vel plura fundamentalia recenset, quam index vel regula alia; aut etiam diversa requirit et dogmata diversa recenset“ [1]. Quidam enim „dicunt sola fundamentalia esse: unum exsistere Deum, qui bonis praemia, malis supplicia in vita futura rependet; Christum esse Messiam divinitus missum; et S. Scripturam ratione privata interpretatam regulam esse fidei et morum sufficientem. . . . Alii addunt dogma divinitatis Christi. Alii insuper dogma Trinitatis addunt. Alii dicunt, omnes et solos articulos fidei in symbolo apostolorum contentos esse fundamentales. Et alia alii, sine fine variantes, vel addunt vel demunt.“ [2] Quis iam protestantium certo dicat, hanc vel illam aut articulorum fundamentalium tabulam aut rationem eos discernendi esse unice veram sive a Deo statutam, cum earum nulla ab infallibili auctoritate profecta sit, et vera ac genuina sive discernendi regula sive fundamentalium articulorum enumeratio si exsistat, ad eius cognitionem non infallibili modo, sed notitia mere humana perveniatur? Sane ipsi protestantes de fundamentalibus dogmatis inter se pugnantes luculenter testati sunt, se nescire, quinam index et quaenam regula sit vera et sequenda.

Deinde vero illa certa ratio nec invenitur in aliqua *regula vel tabula particulari* in se sola spectata. Quae enim esse posset regula vel tabula illa certa, cum unaquaeque non possit esse statuta nisi humana scientia et auctoritate, ideoque nemo prudenter ac certo sibi persuadere valeat, tot inter regulas et tabulas hanc vel illam unice ac certo esse veram? Et vero ut praecipuas saltem regulas a variis protestantibus statutas breviter examinemus, certa eiusmodi regula non est

α') *illa,* quam Jurieu († 1713) statuit, habendum scil. esse pro errore fundamentali doctrinae quodlibet genus, quo destruatur vel Dei gloria vel suprema hominis beatitudo; habendum autem esse pro fundamentali veritate dogma quodcumque perpetuo et universali christianorum assensu confirmatum. Nam regula prior negativa multiplici laborat aequivocatione. Si enim intelligatur gloria Dei essentialis sive interna, quam ipse ex aeterno ac necessario sui ipsius intuitu et amore habet, cum sit ea natura sua immutabilis, ita ut nec augeri nec minui possit, nulli omnino esse possunt errores fundamentales; illa enim gloria nullis umquam hominum flagitiis et erroribus violari potest. Quodsi intelligatur gloria Dei accidentalis sive externa, quae ei a creaturis debetur, omnis etiam minima haeresis, cum huic gloriae officiat, est error fundamentalis; nulla enim esse potest pars revelationis divinae, quae ad hanc gloriam promovendam augendamque non referatur; quo fit, ut quacumque

[1] Murray I 644. [2] Ibid. 639 sq.

revelationis particula negata illa gloria violetur. — Supremam autem hominis beatitudinem quod attinet, aut de ipsa natura et obiecto beatitudinis agitur, aut de subsidiis ad eam obtinendam aptis et destinatis. Si priore modo intelligatur beatitudo, nullus potest ingruere error fundamentalis, nisi qui ipsam illam beatitudinis naturam et obiectum adversa fronte et quasi de industria pertinaciter impugnet. Si autem „loquamur de subsidiis ad parandam beatitudinem coelitus ordinatis, nulla exsistit haeresis, quae non afferat acquirendae impedimentum felicitati; si respondeat Iuriaeus, id solis attribuendum haeresibus, quibus diruuntur fundamenta fidei, pro concesso id assumit, quo summa rei continetur, quodque probatione maxime indigeat“ [1], scil. et quaenam sint certo illa fidei fundamenta, et utrum non omnes divinitus revelatae veritates fide vel explicita vel saltem implicita credendae salutisque subsidia a Christo pro omnibus fidelibus instituta non etiam ab omnibus adhibenda sint.

Altera autem *positiva* regula, secundum quam ea sola sunt dogmata fundamentalia, quae omnium christianorum consensu affirmantur, sensu ab adversariis intento intellecta, est vana atque absurda. Cum enim omnium christianorum nomine ipsi denotent non solum omnes vere fideles, sed etiam omnes, qui latissimo quodam sensu vocantur christiani, manifestum est primum, ista regula rem totam in incerto relinqui, cum fieri nequeat, ut ex innumeris sectarum, quae iam fuerunt et adhuc sunt, sententiis et opinationibus semper incertis, inter sese saepe contrariis ac cotidie fere variantibus summa certa dogmatum conficiatur, ad quam credendam ac profitendam omnes conveniant. Deinde qui hac regula uti velit, incidit necessario in circulum logicum. Si enim „ex adversariis quaeratur, quinam sint illi *omnes christiani*, respondebunt, omnes, qui fundamentalia tenent — si enim secta aliqua fundamentale aliquod reiciat, ex hac ipsa regula non est christiana. Si iterum quaeras, quae sint fundamentalia, respondebunt, ut in regula, ea omnia et sola, in quibus omnes christiani conveniunt.“ [2] Denique hac regula admissa statuendum est, articulos fundamentales in dies posse mutari, eorum numerum posse modo augeri, modo imminui. Historia enim teste inter christianos, qui infallibili magisterio reiecto rationem suam, aut divinam, ut ipsi loquuntur, inspirationem privatam sequuntur, alii atque alii usque coetus oriuntur, quorum alii plures, alii pauciores, alii nullos fundamentales articulos admittunt, et omnes quidem eodem privatae et mere humanae auctoritatis iure. Iudicent autem ipsi, utrum haec mutabilitas revelationis divinae indoli et Christi voluntati conveniat. — Ista igitur regula nulla est.

3′) *Alia statuta regula est haec:* omnia quae in S. Scriptura continentur, et ea quidem sola, sunt fundamentalia. At prior et maxime fundamentalis articulus sane hic dicendus est: hi libri omnes et soli efficiunt S. Scripturam. Sed qua ratione hoc ex ipsis et solis libris, qui S. Scriptura nominantur, probare velint, cum id in nullo eorum ullo modo indicetur? Quae ratio etiam contra duas sequentes regulas eodem modo valet. Insuper quam plurima sunt in libris, qui S. Scriptura appellantur, quae nullus omnino protestantium coetus tamquam articulos fundamentales habet, ut sunt multae res historicae et geographicae, necnon Petri primatus iurisdictionis. Immo ista regula ita comparata est, ut distinctionem fundamentalium et non fundamen-

[1] Regnier, De Ecclesia Christi P. 1, sect. 2, a. 1, c. 3 (Migne, Cursus theol. IV 266).

[2] Murray I 648.

talium articulorum prorsus tollat et evertat. Cum enim protestantes statuant totum verbum Dei in S. Scriptura contineri, ista regula nihil aliud edicitur, nisi omne et solum verbum Dei esse fundamentalem doctrinam. Quod rite intellectum et expositum verissimum est; sed si totum verbum Dei pertinet ad fundamentalia dogmata, quaenam erunt dogmata non fundamentalia? Quaerendane sunt dogmata non fundamentalia fidei extra ambitum fidei? An potest quidquam fide divina credi, quod nullo modo est revelatum neque verbum Dei?

γ') *Tertia regula haec est:* omnes et soli sunt fundamentales articuli, qui in S. Scriptura diserte exprimuntur. Sed praeterquam quod haec regula vitio prioris laborat, quod scil. probari non possit, possunt in S. Scriptura sicut in omni fere libro, plura contineri et reapse continentur, quae tametsi non diserte, vere tamen et certo in ea insunt, et analytica tantum conclusione indigent, ut omnibus clare ac manifeste appareant. Ita ex eo, quod Deus absolute sese nominat: „Sum qui sum", recte per analysim concluditur, ipsum esse infinite perfectum. Eiusmodi autem veritates non minus vere ac certe revelantur a Deo atque ea, quae diserte revelantur. Praeterea multa diserte in S. Scriptura affirmantur, quae, ut paulo ante iam diximus, nullatenus ut dogmata fundamentalia a protestantibus habentur. Num v. g. quod Paulus Troade reliquit paenulam, articulus fundamentalis est?

δ') *Alia deinde* ab aliis haec regula ponitur: eos omnes et solos esse articulos fundamentales, quos Scriptura declaret necessarios esse sive sub poena damnationis aeternae aut exclusionis ab Ecclesia christiana credendos. Sed etiam haec regula adversariorum sensu intellecta, nulli innititur fundamento. Non enim ostenditur, non esse alios articulos fundamentales praeter eos, quos Scriptura necessarios esse declarat et sub poenis nominatis, ut credantur, praecipit, nisi demonstretur clare ac certo, Scripturam declarare, haec sola et non alia dogmata esse fundamentalia: quod tamen nec adhuc a quoquam demonstratum est nec umquam demonstrari potest, cum nullibi in S. Scriptura talis declaratio habeatur.

ε') *Aliis haec regula placuit:* ii omnes et soli articuli sunt fundamentales, qui ad religionis christianae essentiam pertinent, ita ut eorum aliquo dempto illa prorsus interiret. Verum etiam huius regulae veritas probari nequit, cum, ut alia iam dicta non repetam, fieri omnino possit, ut fides christiana complecti debeat multa, quae licet non ad ipsam religionis christianae essentiam in se absolute spectatam pertineant, faciunt tamen ad eius complementum, perfectionem, ornatum; quemadmodum Deus nec hominem creavit sola sua essentia perfectum, nec eos tantum cibos nobis procurat, qui ad vitae usum absolute necessarii sunt. Praeterea haec regula nimis generalis ac vaga est, quam ut usui esse possit. Si enim secundum hanc regulam index dogmatum fundamentalium conficiendus esset, ac decem protestantes suum quisque indicem ab aliis prorsus diversum proponerent, secundum regulam, de qua loquimur, suum quisque indicem ut solum verum et christianum laudare ac defendere posset. Pendet enim tota res a notione *essentiae* religionis christianae, quam quisque habet. Et mirum dictu duo, ut demonstravimus, adeo religionis christianae essentialia, ut ipsam eius in concreto sive ut Ecclesiae spectatae essentiam quam maxime constituant, sacrum scil. regimen ac maxime primatus perpetuo e Christi voluntate exsistens, et infallibile magisterium pariter perenne, a nullo adhuc illorum protestantium ut essentialia agnita

sunt. Unde etiam haec regula plane insufficiens est, nec, id quod ex modo dictis evidens est, melior redditur hac rationalistae Wegscheider sententia, qua, ut ait[1], articuli *fundamentales,* qui salva religionis integritate tolli nequeant, sunt alii „*primarii* sive *constitutivi,* doctrinae religionis christianae directe necessariae, v. c. de Deo spiritu perfectissimo spirituali modo colendo (Io 4, 24), per Iesum Christum homines ad salutem aeternam perducente (Io 17, 3)"; alii „*secundarii* sive *consecutivi,* qui propiore aut remotiore nexu cum illis cohaerent, e. c. doctrina de angelis; *non fundamentales* vero sive *illustrantes,* qui salva religionis integritate tolli possunt, e. c. doctrina de peccato angelorum".

ζ) *Denique ab aliis dictum est,* etiamsi index articulorum fundamentalium accuratus confici non possit, eos tamen colligi posse e testimonio Ecclesiae et Scripturae et ex instinctu quodam spirituali. At iam probavimus, si distinctio inter articulos fundamentales et non fundamentales vera sit, absolute necessarium esse aut indicem fundamentalium, aut certe regulam claram ac certam, qua ipsi inveniri facile possint. Quod vero de instinctu spirituali additur, si is admittatur, certe apud varios homines omnino varius est; quare per se nullatenus is certum hac in re signum fieri potest. E Scriptura autem sola spectata non posse certam regulam statui iam vidimus; et si nomine Ecclesiae omnes omnino, qui vocantur christiani, intelligantur, neque ex eius testimonio quidquam colligi posse monstravimus; si autem sola vera Ecclesia intelligatur, credendum est, nullo discrimine facto, id omne, quod ipsa per infallibile magisterium suum credendum proponit. Quae autem illa vera Ecclesia sit, non simpliciter sumendum ac sine inquisitione statuendum, sed vere ac clare demonstrandum est.

Atqui haec de istis regulis sufficiant; quae enim aliae insuper a protestantibus excogitatae sunt, aut puram putidamque deistarum doctrinam sapiunt, aut certe ex iam dictis facile evertuntur.

ὸ) *Ista distinctio* non per accidens aut hominum inquirentium culpa, sed per se et natura sua necessario id efficit, ut homines ei addicti quam maxime inter sese respectu fidei dissentiant, et qui inter eos sunt ad cogitandum acuti, nisi illa reiecta meliorem ac veram fidei regulam quaerant, circa totam religionem christianam indifferentes reddantur. Illa enim distinctione statuitur, posse aliquibus articulis fidei vere revelatis fidem negari eosque reici. Ergo revelatio divina saltem quoad hos articulos spernitur et nullius auctoritatis habetur. Unde sponte sua fluit, ut brevi *tota* revelatio contemnatur. Nam nullus articulus fidei e S. Scriptura tamquam necessario revelatus demonstrari potest, ac fere nullus est, qui non ab adversario aliquo impugnetur. Deinde ipsa istarum regularum et indicum multitudo et varietas e natura sua viam ad indifferentismum sternit. De facto enim si protestantibus obicias, quod in innumeras sectas inter se in fide diversissimas divisae sunt, statim uno ore respondent, divisiones istas unitati essentiali non repugnare, utpote quae non sint de fundamentalibus. Omnes itaque fere articuli pro indifferentibus habentur, omnes divisiones fidei illa distinctione defendi possunt.

ε) *Ea distinctio postremo* ut revelationi divinae quam maxime iniuriosa et inimica respuenda est. Quid enim verbo Dei iniuriosius cogitetur quam ea sententia, secundum quam illud ipsum ut inutile negligi, immo ut falsum

[1] Instit. theol.[5] 86.

et nocivum reici possit? Protestantium autem ista sententia de veritatibus divinae revelationis non fundamentalibus sive non dignis, quae ab omnibus Christi fidelibus credantur, talis omnino est; ergo quam maxime ab omni christiano abhorrenda. Quid praeterea sit magis revelationi divinae inimicum? Si enim vel unicam eius doctrinam licet negligere atque reicere, eodem iure licet omnes omnino negligere atque respuere, siquidem omnes eius doctrinae eadem auctoritate divina confirmatae et sancitae sunt. Perit etiam ista distinctione omnis fides et obligatio credendi; cum enim articuli fundamentales sive obligatorii definiri non possint, neque esse potest certa obligatio has vel illas doctrinas credendi; ergo revera nulla amplius obligatio est.

Nec defendere licet distinctionem fundamentalium et non fundamentalium dogmatum ex eo, quod per longius tempus symbolum apostolorum ab universa Ecclesia eo in honore habitum fuerit, ut eo omnia necessario credenda atque ad unitatem fidei in Ecclesia requisita contineri putaretur. Nam licet eo omnia concludantur, quae tunc temporis a singulis fidelibus distincte credenda fuerint, tamen minime sequitur, illis fidelibus alia omnia reicere licuisse, tamquam quae nullo modo neque explicite neque implicite credenda sint. Verum undenam constat, apostolos ea tantum, quae in illo symbolo continentur, ut necessario credenda tradidisse, alia multa ut credenda non tradidisse, ne ea quidem, quae e veritatibus in illo symbolo contentis necessaria illatione consequantur? Praesertim cum illud symbolum primitus non fuerit scriptum, sed verbis cum variis explicationibus traditum. Certe eius forma in variis ecclesiis particularibus nonnihil varia fuit[1], ita ut una plures quam alia doctrinas exprimeret. Quaenam igitur ut unice vera forma seligenda est? Traditum est illud symbolum ut continens primarias utique religionis christianae veritates, sed minime probari potest, traditum esse, quasi contineret *omnes* christianas veritates ita, ut alias, quas apostoli docuerint, ne implicite quidem credi vellent.

Ex eo autem, quod non omnia in S. Scriptura sunt omnibus aeque clara, nonnulla etiam valde obscura, pro distinctione, de qua agimus, nihil concludi potest. Iure quidem ex obscuritate Scripturae conficies, Deum non omnia credi iussisse, quae continentur in Scriptura, privato examine explicata. Quodsi vero Deus infallibile magisterium instituerit, cui etiam Scripturae interpretationem commiserit, iam non sequitur ex obscuritate sacrarum Literarum, non omnia credi debere, quae in iis continentur, sed illud tunc tenendum est, credenda esse explicite, quae clare in S. Scriptura continentur aut magisterium infallibile in ea contineri doceat et tamquam explicite credenda fidelibus proponat; reliqua credenda esse implicite, donec authentice declarentur. — Insuper in ipsis illis obscuris S. Scripturae locis continentur fortasse veritates, quae fundamentales vocantur.

Itaque ad fidei unitatem, quae Ecclesiae necessaria et essentialis est atque hinc etiam ad fidelium salutem, tametsi non absolute sive necessitate subsidii, necessitate tamen praecepti, pertinet, omnino requiritur, ut christiani credant fide aut distincta sive explicita, aut confusa sive implicita, quaecumque Ecclesiae magisterium credenda proponit et prout ea proponit, credenda scil. aut explicita aut implicita fide. Quae quidem fides implicita ea est, ut propositum firmum implicet nullam veram Christi doctrinam ab Ecclesia sufficienter propositam umquam reiciendi.

3. Probatur thesis quoad unitatem mutuae communionis.

a) *Huius enim unitatis necessitas* ex unitate iam probata regiminis eiusdemque fidei consequitur. Nam si singuli et universi Christi

[1] Denzinger-Bannwart n. 2.

fideles ac singulae et universae ecclesiae particulares semper debent et oboedire sacro Ecclesiae regimini ac maxime S. Petri in primatu successoribus, et credere, quod unum idemque Ecclesiae magisterium proponit credendum, fieri absolute non potest, quin omnes tum singuli fideles tum ecclesiae particulares inter sese et cum Ecclesiae regimine ac magisterio, et maxime cum primate ea caritate et communione coniunctae esse semper debeant, ut non modo umquam schismate facto hanc coniunctionem tollant, sed ut etiam in mutua pace et concordia ecclesiastica viventes mutuis pro temporum locorumque ratione caritatis officiis omnia Ecclesiae membra suosque superiores ac magistros prosequantur. Atqui unitas illa regiminis ac fidei est Ecclesiae omnino essentialis, ergo etiam unitas haec mutuae communionis.

b) *Ut demonstravimus*, Christus suam *unam* Ecclesiam in perpetuo instituit ut societatem religiosam *veram* et *presse intellectam* atque *perfectam;* eiusmodi autem societati unitas communionis essentialis est, sive eius socii, quamdiu quidem eius socii esse volunt, inter se et cum Ecclesiae superioribus eam saltem communionem et necessitudinem usque servare debent, ut numquam ab ea societate se separent et distinctam societatem constituant. Qui enim regnum esset unum aut etiam respublica una, si singulae eius provinciae aut civitates non essent uni eidemque supremae regni aut reipublicae auctoritati subiectae, sed singulae pro se solae perfectam societatem constituerent, et propriam quaeque haberet auctoritatem supremam a nulla alia pendentem?

c) *Id praeterea patet* ex precibus, quas Christus homo morti iam proximus ad Deum fudit Io 17, 11 20—23: „Pater sancte, serva eos [apostolos] in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. . . . Non pro iis autem rogo tantum, sed pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi iis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ut sint consummati in unum et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti." Hisce enim precibus Christus rogat

α) unitatem pro omnibus fidelibus, non tantum pro ipsis apostolis, rogat igitur pro universa sua Ecclesia; quicumque enim in universa Ecclesia in Christum umquam credunt, per apostolorum verbum aut immediate aut mediate ad eam fidem perducuntur; quare Christus pro universa Ecclesia unitatem rogavit perpetuam quoque usque ad finem mundi. Insuper Christus rogat, ut „omnes" unum sint; numero autem *omnium* Christi fidelium comprehenduntur singuli et universi, qui usque ad finem mundi in his terris versabuntur. Unitatem praeterea rogat Christus, ut signum et nota praeclara sit, qua de divinitate missionis suae „mundus" convincatur; mundus autem iste, pro quo haec nota statuitur, perpetuus est; ii scil. qui in Christum aut

non credituri sunt aut sunt credituri, ad finem mundi usque exsistent. — Rogavit porro Christus

β) unitatem eximiam et perfectam. Nam α′) non tantum rogavit, ut fideles sui essent uniti inter se, sed ut constituerent aliquod *unum,* ἕν; quo sane significatur unitas absoluta et perfecta. β′) Comparat deinde Christus hanc unitatem cum intima illa coniunctione, quae inter ipsum et Deum Patrem intercedit. Rogat γ′) hanc unitatem eo consilio, ut divinae suae missionis sit signum et argumentum eximium evidens. Sed tale signum esse nequit fidelium unitas, nisi sit omnino magna et eximia, tanta nimirum, ut ceu divinae potentiae opus appareat. Rogat δ′) Christus, ut sint fideles sui „consummati (τετελειωμένοι) in unum", ut scil. tantam unitatem inter sese usque conservent, qua semper perfecte in unum coniungantur. ε′) Rogat denique Christus hanc unitatem non sub conditione, sed *absolute.* Non solum enim in ea precatione nullum conditionis appositae signum apparet, uti v. g. cernitur in precatione in horto Oliveti fusa (Mt 26, 39. Lc 22, 42), sed etiam cum maximo fervore iterum iterumque repetens idem rogat et petit. Unitatem vero Christus ideo precatur, ut in perpetuum fiat nota insignis divinae suae missionis; incongruum autem est, ut Christus eiusmodi notam sub ea conditione petat, quae a sola hominum voluntate pendeat, praesertim cum aliunde certum sit, Christum serio ac simpliciter voluisse, ut gloria suae divinae missionis in perpetuum clara et manifesta esset, quia tamquam Messiam, ceu Deum-hominem, igitur et tamquam religionis christianae auctorem in perpetuum se haberi voluit. Ergo omnino et sine conditione Christus voluit fideles suos perfectae caritatis et communionis vinculo in perpetuum inter sese et cum superioribus ab ipso institutis coniungi, ut Ecclesia sua neutiquam esset turba coetuum vel doctrina vel schismate vel utraque re inter se disiunctorum, sed una societas perfecta semper unitate coniuncta. Non enim Ecclesiae socii ita perfecte, ut Christus voluit, uniri possent, si non in coetum vere et perfecte unum essent arcte coniuncti, sed in plures inter se distinctos et seiunctos divisi. Christum hominem autem cum Deo tam intime coniunctum illam unitatem precantem exauditum esse, quis christianus dubitet, praesertim cum ipse dicat, et se facere semper, quae Deo placita sint (Io 8, 29), et se *semper* ab eo *exaudiri* (ib. 11, 42)?

Nec opponere licet, Christum rogasse illis verbis caritatem fraternam quasi personalem et privatam, qua homines omnes, etiam infideles, unusquisque christianus diligere debet. Fidelibus enim suis rogasse ipsum illam caritatem, qua erga Ecclesiam obstringerentur ut societatem illam, cuius omnes filii ac alumni essent, et in qua omnes in unum coniungerentur, erga quam singuli variis officiis obligarentur, patet tum ex eo, quod non solum ut omnes fideles essent *unum* rogavit, sed ut essent etiam consummati in *unum,* utque haec unitas adeo clare externe se proderet, ut divinae suae missionis esset argumentum manifestum ac perpetuum. Fraternae autem caritatis solo vinculo varii generis

homines in externam eiusmodi unitatem non coniunguntur, cum fraterna caritas homines non ita societ, ut propter eam solam *unam societatem* efficiant. Quoties etiam Christus alibi caritatem mere fraternam commendat ac praecipit, iis utitur verbis, quae diserte *caritatem, dilectionem, amorem* significant, ut videre est Mt 19, 19; 22, 39; Io 13, 34 35; hoc autem loco (Io 17) nullum legitur verbum, quo ipsa dilectio directe significetur. Idem insuper liquet ex huius precationis efficacia; ut enim omnes fatentur, caritatem fraternam nullibi rogavit Christus *efficaciter* pro omnibus fidelibus suis. Ergo caritas mere fraterna non est obiectum istius precationis. Ceterum etsi admitteretur, Christum hoc loco caritatem fraternam rogasse, eam tamen dicendus est orasse non solum internam, sed etiam eminenter externam. Si ergo Christus vere voluit, istam caritatem in Ecclesia sua vigere, ita ipsam profecto constituit Ecclesiam, ut in ea possit semper vigere. Deus enim infinite sapiens nihil velle potest, quin etiam subsidia ad id necessaria velit. Atqui si Ecclesia non esset una societas, sed plurium coetuum disiunctorum turba, fieri sane non posset, ut inter horum coetuum socios vigeret illa caritas interna et externa adeo perfecta ac conspicua, ut signum clarissimum esset divinae missionis Christi. Notum enim est, teste experientia, nulla re magis quam diversitate fidei religiosae homines ab hominibus alienari atque haereticos et schismaticos, cum error veritatem pati non possit, verae Christi Ecclesiae acerbissimos plerumque adversarios fuisse et adhuc esse.

Itaque Christus Io 17 summam communionis unitatem Ecclesiae suae ut perpetuam ideoque necessariam et essentialem efficaciter precatus est, eam igitur serio voluit; quae quidem seria ipsius voluntas confirmatur Io 11, 52, ubi Christum ideo moriturum esse effertur, ut non solum iudaeos, sed etiam „filios (futuros) Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (εἰς ἕν)", ad unitatem scil. communionis perfectam in uno *regno* suo, Ecclesia.

d) *Hanc eandem perfectae communionis unitatem* etiam apostolus Paulus saepius Christi fidelibus valde commendat et inculcat. Saepius enim (Rom 12, 4 5. 1 Cor 12, 12 13. Eph 4, 4) universam Christi fidelium multitudinem sive Ecclesiam, constantem tum ex rectoribus, tum ex subditis, *unum corpus* nominat, manifesto non ad ignominiam, sed ad gloriam. In quo autem sita est ex Pauli sententia ratio huius comparationis ex parte corporis? „In eo plane, quod, si in illo non omnino singulare, saltem insigne est et egregium. Hoc autem nihil aliud est, quam mirabilis illa arctissima et ordinatissima omnium partium in unum totum consociatio — singulis membris singulorumque membrorum singulis partibus ... suum proprium munus habentibus — unaquaque parte actionem et efficientiam ceterarum partium non tantum non impediente, sed suo modo adiuvante — quavis parte a ceteris praecisa, statim marcida facta — omnibus simul illud integrum totum, quod corpus vocamus, constituentibus." [1] Sicut igitur corpus humanum est unum totum physicum, ex diversis membris in unum idemque totum

[1] Murray I 404 sq.

colligatis constans, ita etiam Ecclesia est unum totum morale ex multis Christi fidelibus, eam efficientibus, constans. Quia vero Ecclesia ita una est, sicut corpus est unum, sequitur, ut necessaria ei sit unitas illa mutuae communionis, qua fideles inter se et cum Ecclesiae praepositis atque cum supremo eius capite arcte semper coniuncti sint, qua unitate illud certe ante omnia exigitur, ut schismatis separatio omnino excludatur. Multi enim homines si inter se prorsus seiuncti atque in coetum aut nullum aut saltem non unum eundemque consociati vivant, neutiquam unum sunt, sicut corpus est unum, ideoque nullo modo vocantur aut vocari possunt nomine corporis unius. Si ergo Ecclesia non esset una christianorum societas, sed ex pluribus divisis societatibus constaret, non potuisset ab apostolo corpori uni comparari.

Atque ideo, quod Ecclesia instar corporis una esse debet unitate communionis, ad hanc unitatem atque ad caritatem fraternam apostolus fideles tantopere hortatur. Certe 1 Cor 1, 10 ad Corinthios, inter quos dissidia exorta erant, scribit: „Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia." Cum autem Paulus schisma illud reprobaverit, quo fideles quamquam ab ipsa Ecclesia non separabantur, fraterna tamen concordia maxime turbabatur, quanto magis damnasset schisma proprie dictum sive separationem ab Ecclesia, qua sane multo magis fraterna illa fidelium ut talium mutua concordia laeditur? Item Paulus Ephesios hortatur (4, 3), ut sint „solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis"; Philippenses monet (2, 2), ut idem sapiant „eandem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes". Nullum itaque eiusmodi dissidium in Christi Ecclesia locum habere potest, neque ullum ex essentialibus huius mutuae communionis vinculis, ac minime omnium communionem cum Petri in primatu successore solvi licet; quae vincula si qui aut fidelis aut fidelium numerus, maximus licet, pertinaciter solverit, ab Ecclesia excluditur ad eamque haud amplius pertinet, usquedum poenitens ad illam unitatem redierit. Quamvis enim christianorum unusquisque per se ab Ecclesia discedere et schismaticus fieri possit, ipsa tamen Ecclesia ita dividi nequit, ut etiam pars, licet penitus ab ipsa separata, ad illam nihilominus pertineat. Quod igitur Paulus Act 20, 29 30 et Petrus 2 ep. 2, 1 2 dicunt de futuris haeresum et schismatum auctoribus, intelligendum est de singulis christianis, non vero de ipsa tota Ecclesia ut tali.

Confirmatur haec mutuae istius communionis necessitas *antiquitatis christianae sensu* et agendi ratione.

Abhorrebant enim antiqui Patres et episcopi, ut iam satis retulimus [1], quam maxime a schismate; conveniebant, id quod notum est, frequenter quam

[1] Supra § 10, p. 266 sq.

plurimi ad concilia tum generalia tum particularia; declarabant diserte illius communionis cum omnibus aliis episcopis necessitatem, ut S. Basilius illo loco, quem paulo ante in hac ipsa quaestione attulimus (vide supra p. 406); solebant literas, quas Graeci γράμματα κοινωνικά, vel κανονικά, vel συστατικά aut ἐπιστολὰς κοινωνικάς vel ἐπιστόλια εἰρηνικά, Latini vero *epistulas communicatorias*, et teste Augustino[1] etiam *formatas* vocabant, dare peregrinaturis fidelibus, ut a peregrinis episcopis admitterentur; id quod ita testatur Basilius[2]: „Haec erat olim Ecclesiae gloria, ut ab orbis termino ad terminum brevibus tesseris, veluti viatico instructi, fratres ex unaquaque ecclesia patres ac fratres omnes invenirent.“ Solebant praeterea episcopi plerumque mox post acceptum hoc novum suum munus testandae communionis suae causa ad alios episcopos eiusmodi literas mittere et vicissim ab iis accipere; et si qui episcopi haeretici fiebant ideoque a munere suo amovebantur, ea de re alii episcopi literis certiores facti sunt, ut cum illis haereticis haud amplius communicarent; unde qui ad haereticos notos literas communicatorias dabant aut ab iis accipiebant, pariter extra Ecclesiam constituti habebantur. Ita, ut ex plurimis, quae afferri possent, testimoniis haec pauca exhibeam, Basilius commemorat[3] acceptas ab episcopo Sympio communionis literas; et contra eos, qui calumniando dicebant, ipsum cum Apollinari haeretico communicare, haec scripsit[4]: „Ostendant aut communionis literas a me ad ipsum missas aut ab illo ad me, aut clericorum nobiscum commercia, aut quempiam eorum ad precum communionem an umquam admiserim.“ Cum concilium Antiochenum Paulo Samosateno loco episcopi moto Domnum successorem suffecisset, hanc nominationem universis episcopis annuntians scripsit[5]: „Quod quidem idcirco vobis significavimus, ut et ad eum scribatis et ab eo communicatorias literas accipiatis.“ Item concilium Sardicense epistula synodica Iulium urbis Romae episcopum rogavit[6], ut episcopis Siciliae, Sardiniae et Italiae res ab ipso constitutas significaret et curaret, ne illi ignorantes episcoporum haereticorum, qui ab ipso [concilio] munere amoti erant, acciperent literas communicatorias, „quos extra episcopatum iusta sententia declaravit“. Atque idem concilium epistula ad universas ecclesias data singulos earum „episcopos et comministros“, haereticis episcopis, quos ipsum loco moverat, nominatis, hisce alloquitur[7]: „Observate, carissimi, ut neque scribatis ad eos, neque eorum accipiatis literas.“ Eandem ob causam Cyprianus testatur[8], se Cornelio, urbis Romae episcopo, misisse nomina

---

[1] Ep. 44, n. 3 (ML XXXIII 175).

[2] Ep. 191 (MG XXXII 704): *Τοῦτο γὰρ ἦν ποτε τῆς ἐκκλησίας τὸ καύχημα, ὅτι ἀπὸ τῶν περάτων τῆς οἰκουμένης ἐπὶ τὰ πέρατα, μικροῖς συμβόλοις ἐφοδιαζόμενοι, οἱ ἐξ ἑκάστης ἐκκλησίας ἀδελφοὶ πάντας πατέρας καὶ ἀδελφοὺς εὕρισκον.* Cf. eiusdem ep. 205 (ib. 757).

[3] Ep. 190 (MG XXXII 701).

[4] Ep. 224, n. 2 (MG XXXII 836): *Δειξάτωσαν ἢ κανονικὰ γράμματα παρ' ἐμοῦ πρὸς αὐτὸν διαπεμπόμενα, ἢ παρ' ἐκείνου πρὸς ἐμέ· ἢ τῶν κληρικῶν τὰς πρὸς ἡμᾶς ἐπιμιξίας, ἢ εἴ τινα αὐτῶν εἰς κοινωνίαν εὐχῆς ἐδεξάμεθά ποτε.*

[5] Apud Eus., H. E. 7, 30, 17: *Ἐδηλώσαμέν τε ὑμῖν, ὅπως τούτῳ γράφητε, καὶ παρὰ τούτου κοινωνικὰ δέχησθε γράμματα.*

[6] Harduin I 654 D; Mansi III 41 C.

[7] *Καὶ φυλάξασθε, ἀγαπητοί, μήτε γράφειν πρὸς αὐτοὺς, μήτε γράμματα παρ' αὐτῶν δέχεσθαι.* Harduin I 668 E; Mansi III 65 C.

[8] Ep. 59, c. 9 (Hartel 676).

episcoporum Africae, qui „integri et sani in Ecclesia catholica fratribus praesunt", additque: „Quod utique ideo de omnium nostrorum consilio placuit tibi scribere, ut erroris diluendi ac perspiciendae veritatis compendium fieret, et scires tu et collegae nostri, quibus scribere et literas mutuo a quibus vos accipere oporteret." Ceterum cum istius urbis Romae episcopo, ait Optatus[1], „nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat". — Cum iis porro, qui ab Ecclesia expulsi erant, nulla amplius ecclesiastica communio fidelibus permissa erat, adeo ut ne preces una cum iis vel in domo fundere liceret[2]. Concilium Arausic. I insuper statuit[3]: „Placuit in reatum venire episcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiuscumque, sine reconciliatione eius, qui excommunicavit, ei communicare praesumpserit." Denique si illi, quorum nomina in Ecclesiae diptycha relata erant, Ecclesiae socii esse cessabant aut saltem ut schismatici aut haeretici habebantur, eorum etiam nomina ex sacris illis tabulis expungebantur, quemadmodum Evagrius de ipso imperatore Anastasio refert[4], eo quod nonnulli eum concilii Chalcedonensis inimicum iudicarint.

Atque haec pauca sane sufficiunt ad monstrandum, quam Ecclesiae Christi necessaria et essentialis unitas communionis omnium, qui vere eius fideles esse voluerint, ab antiquitate christiana habita sit; quae quidem persuasio tam constans, firma et universalis illius communionis necessitatem sane haud leviter confirmat, cum profecto nemo prudens illam tantam persuasionem temere ortam ac vanam habere possit.

4. Probatur thesis quoad unitatem essentialis cultus divini.

Cultus divinus religioni christianae essentialis ille est, quem Christus ipse instituit ac perennem esse voluit; atqui, ut vidimus (vol. I, p. 520), Christus aliquem cultum divinum publicum instituit et ut religio sua in perpetuum immutabilis permaneret voluit; ergo non minus voluit, ut respectu cultus divini a se instituti in Ecclesia sua etiam semper ea unitas vigeret, ut numquam aut cultus contrarius in ea locum haberet, aut eius, quem ipse instituit, pars aliqua abrogaretur. Hinc etiam, id quod notum est, in Ecclesia publicus ac certus Dei cultus semper tamquam essentialis et ut summi omnino momenti habitus est, nec etiam, ut iam diximus, ab ullo coetu, qui religionem christianam profitetur, negatur necessitas illius cultus divini generatim spectati. Nulla enim vera religio esse potest sine vero et publico Dei cultu, ideoque, cum religio christiana sit religio sola vera et perfectissima, necessario habet unum aliquem communem Dei cultum, eumque perfectum quidem.

---

[1] De schism. Donat. l. 2, c. 3 (ML XI 949).

[2] Can. apost. 11 (10) 12 (11) 13 (12), apud Hefele, Konziliengeschichte I², Freiburg 1873, 803. S. Basilius, Ep. 99, n. 1 (MG XXXII 497) refert, se ipsum propter suam communionem cum episcopo Eustathio, quem Theodotus quasi haereticum habuerit, ab hoc admissum non fuisse ad communes preces mane et vespere fundendas.

[3] Can. 11 (Harduin I 1785B; Mansi VI 438B). Cf. Conc. Nicaen. I can. 5 et Eliber. can. 53.

[4] H. E. l. 3, c. 34 (MG LXXXVI 2674).

Coroll. I. Haec unitatis proprietas, id quod ex iis, quae hactenus diximus, patet, tum materialiter, tum formaliter spectata, Ecclesiae absolute necessaria est, sive essentiale ei est, ut et unitas illa quadruplex in ipsa reapse ab origine iam locum habuerit semperque habeat, et semper adsit ipsius huius unitatis principium verum atque sufficiens, regimen scil. sacrum *a Christo institutum* una cum Petri primatu, atque infallibile magisterium. Cui igitur coetui christianorum religioso *istud a Christo institutum* unitatis principium deest, is manifesto instructus non est proprietate unitatis a Christo postulatae, sive non est formaliter unus, licet, quaecumque tandem ratione id contigerit, materialem unitatem aliquatenus saltem habeat.

Coroll. II. Ut proprietas apostolicitatis, ita etiam haec unitas continetur et exprimitur in regiminis sacri apice, sive Petri in primatu successoribus tamquam in fonte ac centro, cum illi successores eo ipso, quod sunt in regimine primates, sint etiam necessario summi religionis christianae doctores, quia, ut probavimus, magisterium sacrum annexum fuit a Christo successioni legitimae in regimine. Qui igitur his Petri successoribus adhaeret cum iisque communionem servat, is necessario cum toto sacro regimine et magisterio ideoque cum tota etiam Christi Ecclesia coniunctus est et requisitam unitatem conservat. Qui autem ab illo unitatis centro separati sunt, eo ipso pariter haud amplius cum Christi Ecclesia cohaerent et extra eius unitatem constituti sunt.

Coroll. III. Haeretici *publici* ipsa sua haeresi extra Ecclesiam constituuntur, ita ut, quamdiu manent haeretici, haud amplius ad eam vere pertineant. Cum enim Ecclesia necessario semper sit una in fide vera ac pura, membra publice haeretica habere nequit; alioquin alia eius membra veram fidem, alia vero falsam profiterentur, atque ita Ecclesia respectu fidei esset divisa, et oboedientia infallibili ipsius magisterio necessario amplius praestanda non esset. Quare apostoli, ut paulo ante ostendimus, declarant eiusmodi haereticos vitandos et abhorrendos ut hostes infensissimos, quos inter et Ecclesiam nulla umquam esse possit vera pax et concordia. Atque eodem modo antiquissimi Patres de publicis haereticis quam frequentissime locuti sunt, et fideles, ut eorum consortium fugerent, maximopere hortabantur. Ita, ut eorum paucos nominemus, S. Ignatius, postquam in epistula ad Ephesios data secundum Onesimi, ipsorum episcopi, dictum ipsos laudavit, eo quod secundum veritatem vivant et nullus apud ipsos sit haeresi locus, continuo haec subicit[1]: „Solent enim nonnulli malo dolo nomen [christianorum] quidem circumferre, alia quaedam patrantes indigna Deo; quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes; quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes." Et teste Irenaeo[2] Polycarpus Marcioni, haeresis auctori, aliquando occurrenti sibi et interroganti, utrum ipsum cognosceret, respondit: „Cognosco te primogenitum satanae (ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ σατανᾶ)." Ipse Irenaeus de haereticis inter alia multa ait[3]: „Omnes, qui quoquo modo adulterant veritatem et praeconium Ecclesiae

---

[1] C. 7 (Funk 219): *Εἰώθασι γάρ τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν, ἄλλα τινὰ πράσσοντες ἀνάξια Θεοῦ· οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν. Εἰσὶν γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδῆκται· οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι, ὄντας δυσθεραπεύτους.*

[2] Adv. haer. l. 3, c. 3, n. 4 (MG VII 851).

[3] Ibid. l. 1, c. 27, n. 4 (ib. 689).

laedunt, Simonis Samaritani magi discipuli et successores sunt." Item Cyprianus scribit[1]: „Cum haereticis non loquendum. Paulus apostolus ad Titum: Haereticum hominem post primam correptionem devita sciens, quoniam perversus est huiusmodi et peccat et est a semetipso damnatus" etc. Cyrillus Hieros. fideles hortatur[2]: „Praesertim vero oderis omnia transgressorum haereticorum conventicula." Et alibi ait[3]: „Haereticos dico, infausti nominis et a Deo alienissimos viros, qui se Christi amatores cum simulent, ipsum tamen penitus odio insequuntur." Hac autem ratione sanctissimi isti viri de haereticis profecto locuti non essent, si eos non ab Ecclesia extorres iudicassent. Ceterum Hieronymus diserte affirmat[4]: „Et de haereticis quidem non est dubium, quin de domo Dei [Ecclesia] eiecti sint"; atque ex formulis, quibus in concilio Ephesino post Nestorianae haeresis damnationem multi quartodecimani haeretici poenitentes haereses eiurabant seque Ecclesiae adiungebant, patet, quartodecimanos ipsos existimasse, se ante istam eiurationem non ad Ecclesiam pertinuisse. Formularum enim illarum quaedam hae erant[5]: „Rudius Iconici Philadelpheus, quartodecimanus, cognoscens veram orthodoxamque fidem et rogans Theophanem sanctissimum episcopum, sanctissimae catholicaeque Ecclesiae me adiunxi (προσῆλθον τῇ ἁγιωτάτῃ καὶ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ); omnemque haeresim, et praecipue quartodecimanorum, in qua ante errabam, anathematizo, ac praescriptae orthodoxae fidei expositioni assentior." Alia sic se habet: „Hesycius Cerdanepii Flavius senator, quartodecimanus, vera orthodoxaque fide cognita, ad sanctissimam et catholicam Ecclesiam supplex accessi (παρακαλέσας προσῆλθον τῇ κτλ.) Patricius secundus presbyter de vico Paradioxylo . . . accessi communicare cum sancta Dei Ecclesia orthodoxorum fidei (προσῆλθον τοῦ κοινωνῆσαι τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ τῆς τῶν ὀρθοδόξων πίστεως)."

Nec opponi potest, quod Augustinus contra donatistas scribit[6]: „Dicit et apostolus Paulus de quibusdam, qui circa fidem aberraverant et fidem quorundam subvertebant, quorum sermo ut cancer serpebat, quos cum evitandos esse diceret, in una tamen domo magna eos fuisse significat, sed tamquam vasa in contumeliam. Credo, quod nondum foras exierant." Hisce enim Augustinum nullatenus docere, Ecclesiam posse haereticos *publice notos* tamquam veros filios, sive, ut dici solet, vera membra in se continere, patet ex oratione contexta tum praecedente tum subsequente. Nam allatis verbis Augustinus haec praemittit: „Huius autem fraternae caritatis inimici, sive aperte foris sint, sive *intus esse videantur*, pseudochristiani sunt et antichristi. Inventis enim occasionibus foris exeunt, sicut scriptum est: ‚Occasiones quaerit, qui vult discedere ab amicis' (Prv 18, 1). Sed etiamsi occasiones desint, cum intus videntur, ab illa invisibili caritatis compage separati sunt. Unde Ioannes dicit: ‚Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex

---

[1] Testimon. l. 3, c. 78 (Hartel 172).

[2] Catech. 4, n. 37 (MG XXXIII 501): *Ἐξαιρέτως δὲ μίσει πάντα τὰ συνέδρια τῶν παρανόμων αἱρετικῶν.*

[3] Catech. 6, n. 12 (MG XXXIII 556): *Τοὺς τῶν αἱρετικῶν λέγω παῖδας, τοὺς δυσωνύμους καὶ ἀθεωτάτους, προσποιουμένους μὲν εἶναι φιλοχρίστους, μισοχρίστους δὲ παντελῶς.*

[4] Comment. in Os. c. 9, v. 15 (ML XXV 899).

[5] Harduin I 1518 sq 1523; Mansi IV 1351 sqq.

[6] De bapt. l. 3, c. 19, n. 26 (ML XLIII 152).

nobis, mansissent utique nobiscum' (1 Io 2, 19). Non ait, quod exeundo alieni facti sunt, sed quod alieni erant, propter hoc eos exiisse declaravit." Verba autem allatum locum subsequentia sunt haec: „Aut si iam exierant, quomodo eos dicit in eadem magna domo cum vasis honorabilibus: nisi forte propter ipsa sacramenta, quae separatis etiam haereticorum conventiculis non mutata sunt, ad unam magnam domum dicit omnes, sed diversis meritis pertinere." Loquitur igitur Augustinus de haereticis, qui videantur esse in Ecclesia, non publicis, sed occultis, antequam nimirum per publicam separationem et obstinationem ab ea sese segregaverint; eos vero, qui sint publici haeretici et iam ab Ecclesia recesserunt, dicit pertinere ad eam non *proprie* ac *vere*, quasi eius filii adhuc essent, sed tantum propter aliquid ipsis et Ecclesiae commune, quod ipsi ex Ecclesia exeuntes secum sumpserint, et tametsi non iure, vere tamen possideant, nimirum propter sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quaedam sacramenta administrent; ergo non simpliciter ac proprie, sed improprie et secundum aliquid eos ad Ecclesiam pertinere Augustinus dicit, maxime propter baptismum ipsis cum Ecclesia communem.

Coroll. IV. Nihil absurdius videtur, quam ut vel omnes, vel plures saltem, quantumvis ratione tum doctrinae, tum etiam regiminis inter se diversi atque discordes christianorum coetus propter unicam *nominis*, v. g. protestantium vel unionis vel ecclesiae evangelicae, unitatem in solidum Christi Ecclesia vocentur.

Coroll. V. Falsae omnino sumptioni innititur et unitati Ecclesiae a Christo statutae pariter repugnat sententia multorum recentiorum, maxime in Anglia, protestantium, qui Christi Ecclesiam ex variis, nec regimine et eiusdem doctrinae professione, nec etiam externa communione coniunctis christianorum coetibus conflari contendunt. Id certum omnino et evidens est ex iis, quae hactenus diximus, et insuper exinde confirmatur, quod S. Scriptura hac de re nihil plane indicat, et toti antiquitati christianae ad nostra usque tempora hoc commentum numquam in mentem venit. Alioquin certe nec apostoli tot iam homines ut haereticos ex Ecclesia exclusissent et ut antichristos habuissent, nec christiana antiquitas schismata et haereses tantum semper exhorruisset, quantum praeter alios Patres exhorruit v. g. Irenaeus inter alia multa contra haereticos scribens [1], eos fures et latrones esse, ac veritatem apud eos non reperiri; et Hieronymus dum dicit [2]: „Sicut illam [unam Evam] maledictus Lamech in duas divisit uxores, sic hanc [Ecclesiam] haeretici in plures ecclesias lacerant, quae iuxta Apocalypsim Ioannis synagogae magis diaboli appellandae sunt (Apc 2, 9) quam Christi conciliabula." Atque etiam nulli haereticorum vel schismaticorum usque ad nostram ferme aetatem istam opinionem umquam protulisse leguntur. Nova igitur ista sententia et quam maxime falsa et adeo absona est, ut secundum ipsam Ecclesia Christi ex coetibus conflata, inter quos summa dissidia respectu fidei et liturgiae et regiminis essent, referret potius confusionem babylonicam quam unitatem a Christo postulatam [3].

---

[1] Adv. haer. l. 3, c. 4, n. 1 (MG VII 855).

[2] Ep. 123, n. 12 (ML XXII 1053).

[3] Unde evidens est, quo iure Martensen (Die christliche Dogmatik[3] 394) scripserit: „Die verschiedenen Konfessionen müssen als verschiedene Gemächer, verschiedene Wohnungen im Hause des *einen* Herrn angesehen werden."

Coroll. VI. Denique ea ecclesia, quae alicuius gentis ita propria est et vocatur, ut prorsus sit libera et Petri in primatu successoribus nullatenus subiecta, adeo non potest esse Christi Ecclesia, ut ipsi eius notioni manifesto repugnet. Repugnat enim haec ad unam gentem restrictio verae Ecclesiae ad profitendam *universalem* Christi religionem institutae unitati, estque eiusmodi ecclesia nationalis similis gentilium institutis religiosis, utpote qui numina et sacra religiosa ubique habebant singularum fere gentium propria. Ecclesia porro, quae hac ratione se haberet, institutum esset nimis humanum et naturale, fieretque civitati omnino subiecta. Qui igitur inter christianos ecclesiam suae gentis dicto sensu propriam cupiunt atque collaudant, non ut christiani de Christi Ecclesia sentiunt. Nihilominus non obstante verae Ecclesiae unitate variae ecclesiae eatenus particulares esse possunt et sunt, quatenus singulae habent suam propriam originem et historiam atque etiam particulares varios non reprehendendos disciplinae usus [1] et ritus sacros.

§ 15.

De catholicitate Ecclesiae.

Thesis XI.

Ecclesia Christi essentialiter catholica est catholicitate loci et fidelium numeri formali perpetua, morali atque simultanea, tum iure tum pro temporum ratione etiam re sive facto; ea autem non solum absoluta, sed probabiliter saltem ita relativa esse debet, ut nulla christianorum secta extensione et asseclarum numero eam diutius superare possit.

I. **St. q.** 1. Ante omnia thesis sic statutae sensus accurata explicatione indiget. a) Vocabulum *catholicus,* καθολικός (a καθ' ὅλον, scil. τὸν κόσμον) significat idem ac vocabulum latinum *universalis.* Ecclesia Christi porro multiplici sensu potest dici catholica, ratione nimirum doctrinae, temporis, loci, numeri fidelium. Atque *doctrina* Ecclesia Christi est catholica, quatenus semper doctrinam revelationis christianae universam possidet; vulgo autem doctrina aut fides catholica intelligitur ea, quam tenet Ecclesia catholica; Ecclesia autem catholica intelligitur vulgo ea, quae communionem habet cum Petri in primatu successore, sive ut dici solet, cum Sede Apostolica. Porro Ecclesia Christi est catholica *tempore,* quantum in perpetuum est exstitura; *loco,* si late per universum terrarum orbem sit extensa; est catholica ratione *fidelium,* tum quatenus non unum tantum populum, ut olim synagoga, complectitur, sed ex omnibus fere gentibus

---

[1] Ita iam Leo M. (Ep. 167, ad Rustic.: ML LIV 1202): „Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari: illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum." Cf. etiam S. Aug., Ep. 54, n. 2 (ML XXXIII 200).

constat, tum quatenus hic fidelium numerus magnus omnino atque maximus esse debet.

b) Iam de catholicitate doctrinae et temporis haud amplius hic agimus, cum de utraque iam tractaverimus, partim in thesi de Ecclesiae perpetuitate, partim in quaestione de eiusdem doctrinae ac fidei immutabilitate. In hac igitur praesenti quaestione de catholicitate ut Ecclesiae *proprietate singulari et ab aliis omnibus distincta* agendum tantum est de catholicitate *loci* et *fidelium numeri*. Haec autem generatim modo, ut hic licet, spectata ita definiri potest, ut dicatur esse *lata per terrarum orbem Ecclesiae extensio, coniuncta cum magna et conspicua fidelium multitudine*. Ista enim duo, permagnum scil. credentium numerum *et* latam eorundem per terrarum orbem diffusionem, catholicitatis notio prorsus requirit. Nam societas, quae aut multis quidem constat sociis, sed in una sola regione coarctatur, aut late quidem extenditur, sed in singulis regionibus sodalibus paucis tantum componitur, catholica omnino non esset, ac multo minus sensu illo eminenti, quo Ecclesiam Christi catholicam esse contendimus. Tametsi igitur credentium numerus non efficit, ut id, quod falsum est, fiat verum, et quod malum, evadat bonum, tametsi gentilium ac muhammetanorum superstitio non obstante magna sui extensione falsissima est, tamen, si ex voluntate Christi ipsius Ecclesia debeat esse catholica, magnus fidelium numerus ad eam omnino requiritur. Quare etiam in posterum catholicitatis nomine semper catholicitatem quoad locum et fidelium numerum intelligemus.

c) *Catholicitas porro* tum *iure* tum *facto* Ecclesiae competit. Facti catholicitas nihil aliud est quam lata illa Ecclesiae extensio revera exsistens, sive ut scholastici theologi loquuntur, actualis; ad iuris vero catholicitatem requiritur et sufficit, ut Ecclesia *α) acceperit munus* et officium late per terrarum orbem sese diffundendi, salva sua unitate; deinde ut *β) non solum* nihil habeat, quo ipsius per universum terrarum orbem extensio impediri possit, sed ut ea etiam efficacia praedita sit, qua multos omnino homines sive gentiles sive alios ab ipsa separatos ad se convertere sibique aggregare atque ita se late propagare atque facto et revera catholicitatem sibi acquirere et conservare valeat. Haec autem virtus, ut per se intelligitur, aut supernaturalis aut certe honesta et Christi religioni conveniens sit necesse est. Societas igitur multum quidem se extendens, sed vel per vim, vel ope lucri temporalis, vel defectione a lege ad licentiam, non esset catholica sensu christiano. Minime autem opus est, istam Ecclesiae vim et fecunditatem ita se prodere, ut *perpetuo* multas magnasque hominum turmas ad se trahat ac convertat sibique aggreget. Quinimmo id ipsi ut proprium competere non potest, cum alioquin contra experientiae et historiae testimonium post pauca exsistentiae saecula Ecclesia evasisset iamdudum *physice* catholica.

d) *Catholicitas* praeterea est aut *simultanea,* si Ecclesia debitam sui extensionem fideliumque multitudinem uno eodemque tempore habeat; aut *successiva,* si paulatim temporis decursu acquirenda et perficienda sit; utraque autem est pariter aut *physica* aut *moralis.* Et catholicitas quidem simultanea duplici modo physica cogitari potest, nimirum aut ita, *α) ut totum* omnino terrarum orbem eodem tempore occupet Ecclesia, nec ulla plane sit regio, in qua non habeat magnam fidelium multitudinem; aut ita, *β) ut non solum* universam occupet terram, sed etiam *sola* eam occupet, ceteras omnes religiones excludens, ita ut omnes omnino homines sint catholici.

Iam vero catholicitas *simultanea physica* nec uno nec altero sensu Christi Ecclesiae ut *essentialis* ideoque perpetua proprietas competere potest. Nam *α)* Ecclesia a Christo non est ita instituta, ut catholicitatem illam simultaneam physicam ab ipsis primordiis nancisceretur, cum apostoli nec prius debuerint gentiles ad Christum convertere, quam aliquamdiu ipsis iudaeis operam suam navaverant, nec postea ad gentes profecti potuerint suo tempore in omnibus plane terrae partibus Christi doctrinam praedicare, hominesque insuper persuasionis ope ad Christi religionem amplectendam permovendi fuerint. — Neque *β)* etiam aetate sua adulta Ecclesiam umquam ante ultima omnino mundi huius tempora illam catholicitatem habituram esse satis patet ex Christi verbis Mt 24, 14: „Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe (ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ) in testimonium omnibus gentibus (πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν); et tunc veniet consummatio (τὸ τέλος)." Christum enim hisce verbis non proprie ac proxime de Hierosolymorum excidio, sed de tempore omnium extremo et ultimo loqui probabilius saltem est, non tantum propter plurimorum S. Scripturae interpretum auctoritatem, sed etiam ideo, quod Christus videtur responsum suum ad ea, quae apostoli interrogaverant, conformavisse. Interrogaverant autem apostoli (v. 3), quod signum esset secundi adventus ipsius et consummationis saeculi; respondet Christus, praedicandum esse evangelium per omnes partes orbis terrarum, atque tunc tantum, non prius, futuram esse consummationem. Unde rite concludere licet, Ecclesiae diffusionem ante ultima tempora numquam ita generalem futuram esse, ut evangelium non possit amplius praedicari gentibus, ad quas antea nondum allatum fuerit. Et sane sunt in interiore Africa, Australia, in Patagonia, Americae meridionalis parte atque etiam in aliquibus Asiae regionibus gentes, quibus hodie adhuc Christi doctrina nondum praedicata est. — Insuper *γ)* apostoli iam plurium haeresum suo tempore grassantium mentionem faciunt et haereses futuras generatim praedicunt (1 Cor 11, 19. 2 Tim 4, 3); cui praedictioni eventum adeo respondisse, ut quam plurimae et numerosae gentes a Christi Ecclesia defecerint, historia utinam minus luculenter testaretur. Et quis nesciat, nonnullas ecclesias particulares, verae Ecclesiae partes, diris persecutionibus aut

penitus excisas aut ad defectionem ab universali Christi Ecclesia compulsas esse? — Denique

d) antequam America, Australia aliaeque orbis terrarum partes cognitae essent, physice impossibile erat, ut in iis terrae partibus Christi Ecclesia extendere se posset. Cur autem Deus, omnium hominum salutem aeternam sincere volens, non curaverit, ut istae regiones prius invenirentur itaque *ordinarium* salutis aeternae subsidium, Ecclesia, etiam illis gentibus prius innotesceret, ipsius sanctissimae voluntatis inscrutabile mysterium est; cuius tamen aliqua saltem ratio inde reddi potest, quod ipse et *extraordinario* modo illorum hominum, qui bonae voluntatis erant atque Deo, quantum poterant, serviebant, salutem procurare valuit, et uti in omni alia re humana, ita etiam in inveniendis omnibus terrae partibus hominum ope uti voluit, nec eam inventionem miraculo praevenire debuit, removendo omnia obstacula physica, quae prius eidem obstiterant; nullibi enim id se facturum esse promisit.

Atque propter has aliasque causas catholicitas simultanea physica Ecclesiae ut proprietas *essentialis* competere dici nequit.

Nec ex eo, quod dicuntur *omnes* gentes docendae omnesque esse hereditas Christi, catholicitas physica ut necessaria consequitur. Nam vocabula haec: „omnes, universi" in omnibus linguis significant non solum totum absolute et physice sumptum numerum rerum, de quibus loquimur, sed etiam totum *moraliter* spectatum, sive ingentem eius partem, ut cum dicitur: omnes senes sunt queruli; omnes invasit timor; omnes fortiter pugnarunt. Quandonam igitur eiusmodi voces proprio et stricto vel latiore sensu intelligendae sint, ex rei, de qua agitur, natura, ex oratione contexta, locis analogis, loquentis consilio aliisque adiunctis diiudicandum est. Iam vero quamvis vocabulum *omnes* numquam possit partem exiguam significare, in hac tamen de qua agimus quaestione non denotare catholicitatem physicam simultaneam patet ex argumentis modo allatis. Insuper S. Augustinus recte dixit[1]: „Omnes, inquit [Christus: Mt 28, 19], *gentes*. Non dixit: omnium gentium omnes homines. Unde necesse est, non solum fecunditate crescentis Ecclesiae, verum etiam permixta multitudine inimicorum eius, per quos pietas eius exerceri et probari possit, usque in finem iudiciariae separationis totus orbis impleatur." Et alibi[2]: „In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promissae sunt, non omnes homines omnium gentium. Non enim omnium est fides."

Quinimmo propter hominum perversitatem et in errorum malique amore obstinationem Ecclesia eam catholicitatem etiam ut mere *accidentalem* tantum probabiliter numquam habebit.

Ex iis quae diximus, liquet, etiam hanc catholicitatis proprietatem aliter se habere ac unitatis et apostolicitatis proprietates. Utraque enim haec proprietas quandam indivisibilitatem sibi annexam habet, qua maior minorve fieri non potest, catholicitas autem variis vicissi-

[1] C. Crescon. l. 4, c. 61, n. 74 (ML XLIII 589).
[2] Ep. 199, ad Hesych. n. 48 (ML XXXIII 923).

tudinibus est obnoxia, ita ut ratione diffusionis maiore minoreve gradu exsistere possit nec tamen in se illaesa et integra manere desinat. Cuius discriminis ratio est, quod apostolicitas et unitas pertinent ad ipsam partem Ecclesiae formalem sive internam eius formam, dum contra diffusio, sarta tectaque manente interna Ecclesiae perfectione, respicit materialem eius extensionem; haec autem mere externa extensio eiusmodi non est, ut si qua parte privetur, ipsa Ecclesia eiusque notio interne vitietur.

Catholicitas porro *simultanea moralis* locum tunc habet, quando Ecclesia per terrarum orbem universum non physice sive absolute, sed moraliter sumptum diffusa sit ita, ut habeat „in mundo splendorem quendam universalem, quo possit eius dignitas et maiestas cognosci et ab haereticorum turbis discriminari“ [1]. Quanta autem Ecclesiae extensio quantusque fidelium numerus ad hoc requiratur, accurate statui minime potest. Nihilominus haec catholicitas videtur postulare, ut Ecclesia saltem in maiore orbis pro tempore cogniti parte diffusa sit, licet non ubique constans magna fidelium multitudine, sed tamen aut aliquo credentium numero aut certe viris, missionariis scil., qui ipsius personam sustinentes ipsam gentibus notam faciant iisque veluti praesentent et ita sistant, ut ipsius claritas possit illis satis innotescere. Itaque catholicitas *negative* spectata in hoc sita est, ut „Ecclesia *iure* et *facto* non sit coarctata ad certum locum certamque nationem, quemadmodum synagoga; *positive* vero in eo est, ut *iure* quidem et aptitudine ad omnia loca omnesque nationes ac personas se porrigat: *facto* autem amplitudinem quandam moraliter universalem obtineat“ [2].

Quod ad catholicitatem *successivam* pertinet, ea est physica, si Ecclesia omnes omnino mundi partes, unam post alteram occupet, ita ut aliquando affirmari possit, nullam prorsus esse orbis terrae regionem habitatam, in qua non aliquo saltem tempore Ecclesia floruerit. *Moralis* vero est catholicitas successiva, si Ecclesia solum plerasque aut certe valde multas terrae partes successive occupet.

e) *Catholicitas* est aut *absoluta* aut *relativa*. Absoluta est, si Ecclesia vere sit et dici possit sufficienter ideoque simpliciter catholica, ita ut omnibus in locis conspicua sit, sive dicatur catholicitas ei competere simultanea sive successiva, et si insuper haec eius catholicitas spectetur in se, nulla ratione habita diffusionis sectarum, neque quaeratur, utrum harum diffusio maior sive minor sit verae Ecclesiae extensione. Relativa vero catholicitas refertur aut ad multitudinem et extensionem vel gentilium, vel muhammetanorum, vel iudaeorum, vel incredulorum, aut ad sectas haereticorum et schismaticorum, sive omnes simul sumptas, sive earum quamcumque singillatim spectatam.

---

[1] Suarez, Defensio fidei cath. l. 1, c. 16, n. 10.
[2] Palmieri, De Rom. Pontif. Proleg. 277.

Prior comparatio eatenus huc plane non pertinet, essetque omnino iniusta et temeraria, quatenus in quaestione sive generali de veritate Ecclesiae Christi sive hac particulari de eius catholicitate illius infidelium multitudinis ulla ratio habenda esset. Illorum enim doctrinas religiosas falsas esse iamdudum omnino constat sive ex philosophia, sive ex iis, quae prius tractata sunt de revelatione supernaturali. Infidelium igitur numerus et diffusio sive minor sive, uti reapse est, multo maior sit quam Christi fidelium, ad hanc de qua quaerimus rem plane nihil refert[1]; exinde igitur nihil contra veritatem Ecclesiae Christi effici posse evidens est. Itaque quaeri tantum potest, utrum Ecclesiae Christi catholicitas minor esse possit, an vero necessario maior esse debeat extensione et multitudine haereticorum et schismaticorum aut omnium simul sumptorum, aut certae saltem alicuius sectae. Et vere inquiri debet in hanc rem tum propter claram veritatis cognitionem, tum etiam propterea, quod inde pendet huius alterius quaestionis solutio, an catholicitas fieri etiam possit Ecclesiae nota, non negativa solum, sed etiam positiva. Ecclesiae verae extensionem autem necessario semper superare debere omnium christiani nominis sectarum simul sumptarum diffusionem monstrari nullatenus potest, cum haec catholicitas nullibi Ecclesiae sit divinitus promissa nec aliunde possit probari. Quare concedimus, „non pertinere ad universitatem Ecclesiae per nomen catholicae explicatam, ut in ea sit maior hominum multitudo quam in falsis sectis[2]“ simul spectatis. At vero affirmamus in thesi saltem tamquam probabile, necesse esse, Christi Ecclesia praedita sit catholicitate relativa tanta, ut quamcumque christianorum sectam et extensione et fidelium multitudine excedat, ut nulla igitur etiam secta adeo per terrarum orbem diffundatur, ut verisimiliter catholica existimari queat.

Affirmamus insuper in thesi, catholicitatem simultaneam moralem *absolutam* re sive facto Ecclesiae convenire *pro temporum ratione*, i. e. eandem quidem, saltem usque ad postrema mundi tempora, *semper vere*, licet pro vario tempore nonnihil variam Ecclesiae competere. Sane certum est, Ecclesiam ipso iam apostolorum tempore, ac magis etiam proxime consecuto, catholicitate re ipsa praeditam fuisse, ac tanta quidem non solum relativa, ut singulas atque etiam omnes haereticorum sectas tunc temporis exsistentes extensione et fidelium numero longe superaret, sed pro temporis ratione etiam absoluta. Ut enim iam satis monstravimus[3], iam apostolorum aetate ac magis etiam paulo post, diu saltem ante Constantinum M., Christi Ecclesia non solum

[1] Quamquam paganorum cultuum asseclae, si in unum omnes colligantur, longe superent eorum numerum, qui Christo quomodocumque nomen dederunt, iuverit tamen annotare, ex his cultibus nec unum quidem, si per se solus spectetur, christianam religionem numero asseclarum aequiperare videri. Cf. quae de buddhismi diffusione diximus vol. I, p. 913.

[2] Suarez l. c. n. 12. [3] Cf. vol. I, p. 850 sqq.

in omnibus ferme latissimi Romanorum imperii provinciis innumerabiles habebat fideles, sed etiam longe ultra eius fines protendebatur; ergo in toto fere *tunc temporis cognito orbe* diffusa erat, ideoque sufficienter iam tunc non solum iure, sed etiam facto catholica erat, ita ut a sanctis Patribus simpliciter catholica diceretur et iure sic posset nominari. Quamdiu enim totus terrarum orbis cognitus non erat, Ecclesia absolute universalis erat, si catholicitate simultanea morali in orbe cognito potiebatur. Nec obest, quod ipsa apostolorum aetate christiani nondum leguntur *catholici* appellati. Recte enim iam S. Pacianus Symproniano hoc opponenti respondit dicens[1]: „Sed sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses exstitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur . . ., *nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat,* quo incorrupti populi distinguerent unitatem? . . . Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum marcionitas, cum apollinariacos, cataphrygas, novatianos et ceteros eiusmodi comperissem, qui se christianos vocarent: quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur? . . . Certe non est ab homine mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit."

Quod autem ad postremum Ecclesiae tempus, secundum Christi adventum proxime praecedens, attinet, Christus utique (Mt 24, 24. Mc 13, 21) praedixit, tantam tunc futuram tribulationem totque praestigias atque mirabilia etiam opera edituros esse pseudochristos, Christi adversarios, ut breviandi sint dies illi propter electos, ne in errorem inducerentur, si fieri posset, etiam ipsi electi. Quibus sane satis indicat futurum, ut quam plurimi Ecclesiae alumni adversariorum Christi signis decipiantur; et probabile est, eorum multos etiam Christi inimicis ita adhaesuros esse, ut ab eius Ecclesia se prorsus separent, quamquam Christus ipse id nullibi diserte dicit[2]. Sed etiamsi revera Ecclesia tunc temporis haud amplius habitura sit catholicitatem respectu fidelium numeri adeo ut prius, absolutam, et forsitan neque

---

[1] Ep. 1, ad Sympron. n. 3 (ML XIII 1054).

[2] Cum enim ait (Lc 18, 8): „Cum venerit filius hominis, putasne inveniet fidem in terra?" intelligit, id quod satis liquet ex articulo adiecto τὴν πίστιν et exinde, quod secundum orationem contextam loquitur de fide, quae possit exaudiri, non qualemcumque fidem christianam, sed perfectam, eam scil., quam christiani habere deberent. Unde verisimile saltem est, defectionem isto tempore futuram haud aliter intelligendam esse satis universalem, quam respectu vivae fidei et caritatis bonis operibus clarae. Ita huuc locum explicabat S. Augustinus (De unitate Eccl. c. 15, n. 38: ML XLIII 419 sq), cui eum donatistae obiciebant. Quem sequitur v. g. Klee, Kath. Dogmatik I[3] 105. Alii tamen Christum hic loqui putant de apostasia et seductione, de qua scribit Paulus 2 Thess 2, 3. Ita Knabenbauer in Luc. 504. Ceterum etiamsi exiguus credentium numerus intelligendus est, „ex imminutione pro tempore determinato praedicta non sequeretur, licere similem imminutionem . . . pro quolibet alio tempore supponere" (Wilmers 551).

eatenus relativam, quatenus fidelium numero superet multitudinem illorum, qui a Christo deficientes ipsius adversarios sequantur, hoc nihil tamen Ecclesiae catholicitati obest. Nam Christus si ipse statuit, ut suae Ecclesiae illo tempore catholicitas *facti* absoluta minor futura sit, haec a lege catholicitatis verae Ecclesiae praestituta exceptio, utpote legitima et a Christo praedicta, Ecclesiae veritati atque acquirendae eius agnitioni nullatenus officit. Et eo minus officiet, quod, si ex nostrae aetatis erroribus et ex ingenio ac studio eorum, qui omnem supernaturalem revelationem reicientes a longiore iam tempore Christo eiusque Ecclesiae maxime adversati sunt, iure conicere licet, illi, qui postremis temporibus ab Ecclesia deficient, non tam transituri sunt ad sectam, quae aliquas saltem doctrinas dogmaticas vere christianas profiteatur, quam potius ad ingentem iam illorum multitudinem, qui religioni christianae prorsus renuntiantes nihil minus quam Christi Ecclesiam sibi attribuunt. Qui cum non tam haeretici et schismatici sint quam increduli, ac doctrinam profiteantur omni divinae revelationi contrariam, quaeque et vere in se et secundum cuiuscumque hominis christiano nomine gloriantis iudicium aperte falsa est, horum multitudo quantacumque erit cum Ecclesiae catholicitate non magis quam gentilium multitudo conferri potest. Quapropter etiam illo postremo tempore splendor ille universalis, quem Ecclesia catholicitate sua diffundit, ei usque ita manebit, ut incredulorum multitudine per se nullatenus obscuretur, utque omnis etiam homo prudens eius veritatem facile, si modo velit, ex eo possit a falsis sectis christianis discernere. Quare

f) *catholicitatem* simultaneam moralem tribuimus Ecclesiae minime temporariam sive tantae defectioni obnoxiam, ut aliquando et absolute et relative haud amplius sufficiens sit, sed simpliciter *perpetuam*.

g) *Denique catholicitas* est aut *materialis* aut *formalis*. Et materialis ea quidem est, si christianorum diffusio in se sola spectetur neque ad illud respiciatur, utrum illa extensio sit unius eiusdemque societatis, an plurium disiunctarum societatum sive potius turbarum, quae non aliter aliquod unum efficiant, nisi quod communi quodam nomine appellentur. Formalis contra est, si spectetur non solum lata extensio magnaque christianorum multitudo, sed eorum christianorum, qui unam veram societatem christianam ac religiosam, sive unam veram Christi Ecclesiam, eandem fidem profitentem constituunt. Sola enim quaestio est de catholicitate Ecclesiae *verae*, quae, ut probavimus, est societas una vera ac presse intellecta. Unde ad Ecclesiae catholicitatem requiritur duplex elementum, quorum unum est instar formae, alterum instar materiae. Et materiale quidem elementum est Ecclesiae diffusio, formale vero eiusdem debita sive a Christo statuta unitas. Quapropter societas christianorum religiosa, quae caret illa unitate aut saltem vero sive a Christo instituto unitatis principio ac centro, eo ipso non est catholica.

2. Thesis demonstratio in duas partes dispescitur, in quarum priore demonstratur, essentialiter Ecclesiae competere ius ad catholicitatem simultaneam moralem tum absolutam tum relativam, in altera vero haec eadem catholicitas ut de *facto* exsistat, Ecclesiae essentiale esse monstrabitur. Haec autem secunda pars adeo clare ex priore consequitur, ut probatione vix indigeat.

3. Variae de catholicitate Ecclesiae habentur sententiae, et a) quidem *in dubium vocatur, utrum catholicitas Ecclesiae proprietas sit necne.* Eam ut proprietatem non solum Ecclesia romano-catholica sibi semper vindicavit, sed, teste Augustino [1], etiam sui temporis sectae haereticae omnes catholicae videri voluerunt. Item praeter Graecos et Russos etiam protestantes, qui rationalistae non sunt, catholicam esse ecclesiam docuerunt [2] et adhuc docent; non tamen admittunt, recentiore maxime aetate, catholicitatem quam nos statuimus *formalem,* sive simultaneam sive successivam. Eorum aliqui affirmant quidem, catholicitatem simultaneam et permanentem esse attributum Ecclesiae, sed nomine Ecclesiae intelligunt coetuum diversorum collectionem, quorum unitas solo nomine christiano communi efficitur; alii vero aliquo modo catholicitatem esse Ecclesiae proprietatem dum contendunt, Ecclesiae nomine comprehendunt omnes, qui religionem christianam profitentes in articulis quos vocant fundamentalibus non errant. — Porro variae sunt sententiae

b) *quoad ipsam catholicitatis Ecclesiae debitae notionem,* quae habentur α) *inter ipsos theologos romano-catholicos.* Nota est enim sententia Bellarmini cum Driedone affirmantis [3], catholicitatem *successivam* sufficere. „Ex quo", ait, „id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam et eandem cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis, quae faciunt unam Ecclesiam catholicam." Similia habent M. Canus [4] et P. Pichler [5]. Ceteri vero ferme omnes Ecclesiae defensores catholici catholicitatem simultaneam moralem proprietatem Christi Ecclesiae essentialem esse diserte affirmant ac probare student.

β) Plurimi autem veteres haeretici catholicitatem ita intellexerunt, ut latam diffusionem magnamque credentium multitudinem proprietatem falsae ecclesiae, paucitatem vero fidelium et angustiam expansionis verae esse dicerent. Certe S. Augustinus contra donatistam Cresconium scribens ait [6]:

---

[1] De utilit. cred. c. 7, n. 19 (ML XLII 78).

[2] Confess. Helvet. prior c. 14, apud Niemeyer, Collect. Confess. ref. 109; Confess. Scot. c. 16 (ib. 348); Confess. Belg. art. 27 (ib. 379); Confess. Bohem. art. 8 (ib. 796); Calvin, Instit. l. 4, c. 1, n. 2. Idque patet maxime ex eo, quod prima fidei christianae symbola etiam protestantes, olim saltem, admiserunt. Lutherus tamen in symbolo tum apostolico tum „Athanasii" germanice edito voci „catholicam" substituit: „christianam" (cf. Müller, Die symbol. Bücher der evang.-luth. Kirche 29 32). Apologia vero germanica Confessionis Augustanae utramque vocem retinuit (cf. Müller 153). Atque etiam Gerhard (Loci theol. XI 274) iam dixit: „Amplitudo est dumtaxat *accidens* quoddam Ecclesiae, non quidem proprium et perpetuum, sed mutabile et separabile."

[3] De Concil. et Eccl. l. 4, c. 7.

[4] De locis theol. l. 4, c. 6 ad 13.

[5] Theol. polem. P. I, controv. 3, c. 2, a. 5, n. 3.

[6] L. 3, c. 66, n. 75 (ML XLIII 537).

„In paucis, inquis, frequenter est veritas; errare multorum est.“ Eadem opinio fuit manichaeorum dicentium[1]: „Apud quosdam est veritas.“ Et Augustinus scribit[2]: „Omnes [haeretici] de paucitate gloriantur, et ut seducere possint, multitudinem quaerunt.“ Idem plures alii veteres haeretici senserunt[3]. Atque, ut Stapleton refert[4], „eandem prorsus cantilenam canit Calvinus in epistula Institutionibus suis praefixa; eandem apologia protestantium Tridentino concilio exhibita; apologia quoque ecclesiae Anglicanae statim in initio; Musculus etiam in locis communibus; Magdeburgenses denique in doctrina sua de notis verae Ecclesiae, secuti Lutherum in suis quoque notis, quas verae Ecclesiae affinxit.“

Alii vero veteres haeretici catholicitatem putarunt sitam esse in sola observantia omnium mandatorum Dei. Augustinus certe ad Vincentium rogatistam scripsit[5]: „Acutum autem aliquid tibi videris dicere, cum catholicae [Ecclesiae] nomen *non ex totius orbis communione* interpretaris, sed ex observatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum. . . . Sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse rogatistas, qui catholici recte appellandi sint, ex observatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum, et vos esse solos, in quibus inveniat fidem, cum venerit filius hominis. Da veniam, non credimus.“ — Atque S. Pacianus quoque dixit[6]: „Catholicus, ubi unum, vel ut doctiores putant, oboedientia omnium nuncupatur, mandatorum, scil. Dei“. Item Optatus Milev. scripsit[7]: „Catholicam [Ecclesiam] facit simplex et verus intellectus in lege, singulare ac verissimum sacramentum [symbolum] et unitas animorum.“ Quae quidem unitas fidei pertinet ad catholicitatis elementum formale; observantia vero praeceptorum Dei potius ad sanctitatem Ecclesiae, scil. eius fidelium.

II. **Probatur thesis pars I: catholicitatem Ecclesiae iure competere.** Ad hanc enim requiritur et sufficit, ut Ecclesia 1. munus et officium acceperit, salva unitate sua ita late per terrarum orbem sese extendendi, ut pro temporum ratione catholicitate absoluta simultanea quidem morali atque probabiliter etiam relativa potiatur, eamque permanentem usque ad postrema tempora conservet; deinde 2. ut non solum nihil habeat, quo illa tanta diffusio impossibilis fiat, sed tanta efficacia ac virtute praedita sit, ut illam catholicitatem revera consequi et conservare valeat. Atqui

1. Ecclesia munus et officium illud accepit a) respectu localis catholicitatis *absolutae*, sive simultanea ea esse debet sive successiva. Nam *α*) Christus religionem suam unice veram voluit fieri universalem[8]; atqui Christus Ecclesiam propter religionem suam instituit

---

[1] Apud Aug., De utilit. cred. c. 7, n. 16 (ML XLII 76).
[2] C. adversar. leg. et prophet. l. 2, c. 12, n. 42 (ML XLII 664).
[3] Cf. Stapleton, De vera Ecclesia controv. 1, l. 4, c. 15 (Opera I, Lutet. Paris. 1620, I 143). [4] Ibid.
[5] Ep. 93, c. 7, n. 23 (ML XXXIII 333).
[6] Ep. 1 ad Sympron. n. 4 (ML XIII 1055).
[7] De schismate Donat. 1, n. 11 (ML XI 906).
[8] Cf. vol. I, p. 903.

(cf. supra p. 226), scil. ut religio christiana integra atque pura in summa unitate continenter coleretur ac conservaretur, et ita quidem, ut Christi religio a Christi Ecclesia non differret nisi ut abstractum a concreto. Ergo salva sua unitate Ecclesia e Christi voluntate natura et destinatione sua eodem modo, quo Christi religio, universalis sive catholica esse debet. Ex quo efficitur, ut Ecclesia debeat esse catholica saltem successive, cum alioquin nullo modo universalis esset.

β) Ad salutem aeternam consequendam e Christi voluntate Ecclesia ita necessaria est, ut sit unica ordinaria ad eam via, omnesque homines ideo gravissimo ei se aggregandi officio obstringuntur (cf. supra p. 370). Quo fit, ut homines debeant moraliter facile posse eam invenire inventamque amplecti. Atqui id moraliter fieri non potest, nisi Christus voluerit, ut Ecclesia acquireret et conservaret catholicitatem localem absolutam pro temporum ratione. Quamdiu enim aliqua regio, ut America et Australia, Ecclesiae incognita erat, ad catholicitatem vel iuris vel facti pertinere non potuit, ut ibi Ecclesia constitueretur, utpote quod tunc physice impossibile erat. — Nec opponere licet, si Christus voluerit, ut ad hominum salutem procurandam Ecclesia late sese extenderet, debuisse eum curare, ut America et Australia iam primis Ecclesiae temporibus invenirentur. Ut enim supra diximus, Christus plures rationes habere potuit, propter quas illam inventionem *miraculo* accelerare nec voluit nec debuit. — Sed

b) *Ecclesia munus et officium illud accepit* respectu catholicitatis absolutae *simultaneae moralis.* Nam

α) id sequitur iterum ex necessitate Ecclesiae ad hominum aeternam salutem. Si enim ipsius extensio successiva tantum esse posset et non morali sensu absoluta simultanea esse deberet, Deus vix dici posset sincere omnium salutem aeternam procurare velle subsidio Ecclesiae tamquam omnibus ad salutem *ordinarie* necessario semel ab ipso instituto. Quamvis enim Deus alia extraordinaria ratione illorum saluti providere possit ideoque demonstrari nequeat, Deum efficere debere, ut Ecclesia singulis hominibus quasi praesens sistatur, sive ut ipsa reddatur physice simultanee universalis, hoc tamen videtur efficere debere, ut Ecclesia saltem pro temporum ratione absolutam moralem simultaneam catholicitatem in terrarum orbe obtineat atque conservet, ideoque non solum nihil in se contineat, quo illa lata diffusio impossibilis reddatur, sed etiam ea virtute et efficacia praedita sit, ut illam catholicitatem revera attingere et conservare valeat.

β) Idem demonstrant verba plurium vaticiniorum Veteris Testamenti, quae de Iesu Christo Messia eiusque regno sive Ecclesia agere in prima huius operis parte probavimus. Certe id demonstrant *α') verba Ps 2, 8:* „Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.“ Nam hereditas et possessio hic Iesu Christo Messiae promissa sunt gentes ad Christum conversae, eius igitur Ecclesiae aggregatae, et gentes quidem morali saltem sensu

omnes. Vocabulum enim „*gentes*“ simpliciter prolatum id significat tum ex usu ipsius communi, tum speciatim ex usu S. Scripturae, in qua gentium nomine significantur populi praeter iudaicum aut omnes aut aliqui tantum, prout ea vox absolute, ut hic, aut cum aliqua restrictione adhibetur. Nomine terminorum etiam extremi terrae fines designantur (cf. vol. I, p. 535). Iam vero „dici non potest, gentes hereditate accipi, si nonnisi paucae quaedam gentes primo accipiantur, deinde, his amissis, aliae quaedam paucae, et ita porro. Sic nemo me praedii cuiusdam magni heredem vocaret, si nonnisi agros aliquos in isto praedio hereditate acciperem, et his ereptis aliquos alios acciperem, et ita porro. Simili modo dici non possunt termini terrae possideri, i. e. terra a termino ad terminum, si successive tantum, plagae post plagas, possideretur terra. Sic nemo me urbis Dublinii possessorem vocaret, si tantum isto modo successive vicos eius, alterum post alterum, tenerem.“ [1] — Aliud argumentum praebent

β′) *verba Ps 71 (72), 8:* „Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.“ Praedicitur hic sane regnum Messiae, quae est Ecclesia, universale; atqui tale non esset, nisi id esset modo simultaneo. Certe qui uno anno unam tantum certi regni provinciam regeret, altero autem priore dimissa aliam, et ita successive reliquas omnes, non esset rex illius regni, sed praefectus tantum illius provinciae, cui eo ipso tempore praeesset, neque etiam aliqua illarum provinciarum istud regnum esset, sed tantum omnes simul provinciae ad illud pertinentes. Ita Ecclesia quoque non esset regnum a mari ad mare pertingens, si regiones inter utrumque mare sitas, i. e. spatium totius orbis successive solum et non moraliter saltem simultanee occuparet. — Idem ostendunt

γ′) *verba Mal 1, 11:* „Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.“ Agitur hoc loco, ut prius probatum est [2], de tempore novae legis sive Ecclesiae Christi. Iam vero qua ratione vere praedici potuit, celebrationem illam nominis Dei *ab* ortu solis *usque* ad occasum locum habituram esse, si Ecclesia non in maiore saltem parte terrae inter solis ortum et occasum exsisteret Deique nomen celebraret, sed modo in hac una regione, modo, ea relicta, in alia esset? Et quomodo in *omni* loco dici posset Deo sacrificari (qua ratione id fieri debeat, spirituali an alia, nostra hic nihil refert), si non simul in maiore saltem orbis parte, sed in paucis tantum locis revera hoc aut illo tempore sacrificandum esset?

Dubium ergo esse nullatenus potest, quin Christi Ecclesia esse debeat sive iure fiat ita catholica, ut eodem tempore maiorem saltem terrae cognitae partem occupet, sive ut habeat catholicitatem moralem absolutam. Atque ideo ex illis Veteris Testamenti vaticiniis etiam

---

[1] Murray II 84. [2] Vol. I, p. 520.

sequitur, tametsi id non diserte dicitur, regnum sive Ecclesiam Christi habere officium magnamque vim sese propagandi, nihil vero, quo illa ipsius lata diffusio impossibilis reddatur; alioquin huic Messiae regno tanta amplitudo praedici neutiquam potuisset.

c) *Ecclesia illud munus et officium accepit* saltem probabiliter respectu catholicitatis etiam *relativae.* Nam *α*) ut iam probavimus, Christi Ecclesia est a Deo ipso instituta, et ita quidem, ut et divinitus acceperit potestatem ac munus religionem christianam omnibus gentibus praedicandi et sit ad salutem aeternam adipiscendam adeo necessaria, ut *sola* sit *ordinaria* ad illam via et extra ipsam sine extraordinario Dei auxilio nulla salus sperari possit. Ergo cum Deus omnium hominum salutem sincere quidem velit, sed ordinarie per solam Ecclesiam velit procurare, sequitur, ut eam in praedicanda Christi doctrina et hominibus sibi conciliandis ita ad iuvet, ut proposito suo fini ac muneri ea non possit, quantum scil. per hominum libertatem ac malas cupiditates aliaque impedimenta fieri possit, non plene respondere, ideoque et latissime per terrarum orbem sese extendere et ingentem fidelium multitudinem sibi aggregare. Contra christianorum coetus haereticus aut schismaticus non est vel opus Dei, vel ad salutem necessarius, vel ulla Christi doctrinam docendi potestate instructus, sed est Deo adversus et *per se* (i. e. in quantum est haereticus) via ad perniciem aeternam. Quare Deus ad huiusmodi coetus incrementum nihil prorsus conferre, sed eius propagationem solummodo permittere potest. Tametsi porro corrupti hominum mores malaeque omnis generis cupiditates et naturalia quoque adiuncta ad haeresim aut schisma dilatandum quam plurimum procul dubio, Deo permittente, valent, certum tamen aut saltem maxime verisimile videtur, Christum Deum dilectam suam et ad hominum salutem procurandam adeo necessariam Ecclesiam ita adiuturum esse, ut ad divinam gloriam et aeternam hominum felicitatem et iure et revera plus valeat quam singuli saltem coetus aut haeretici aut schismatici ad hominum perniciem Christique gloriam imminuendam. Quod si ita se habet, Ecclesia catholicitate maiore semper praedita erit quam ulla particularis haeresis ullumve schisma.

β) *Vix dubium esse potest,* quin illi, qui a vera Christi Ecclesia ad christianam doctrinam propagandam hominesque tum gentiles tum alios a vera fide alienos Christo conciliandos mittuntur, multo maiore fervore, virtute, constantia, rerum humanarum despicientia et auctoritate multoque puriore studio hoc munus exsequantur quam haeretici et schismatici, utpote qui non vero Christi spiritu animati ad idem opus accedunt. Nec etiam verisimile est, hos, utut fortasse in pervertendis verae Ecclesiae fidelibus plane fanaticos, velle illas ethnicas gentes ad doctrinam suam perducere, a quibus nullum lucrum terrenum exspectare possunt, sed persecutiones, diros cruciatus ac mortes timere debent. Certe iam Tertullianus de sui temporis haereticis

scripsit[1]: „De verbi autem administratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur.“ Unde summo iure dici potest, verae Ecclesiae missionarios generatim et longe plures futuros et multo plus in convertendis ethnicis gentibus allaboraturos et laborum fructus multo uberiores percepturos esse quam missionarios cuiuscumque sectae.

Non tamen negamus, variis rationibus adductam etiam sectam aliquam per brevius vel etiam sat longum tempus magno studio et conatu in convertendos gentiles incumbere posse. Sed hic non quaeritur, quid per aliquod tempus fieri possit, sed utrum secta, a vera Christi Ecclesia separata, in se habere possit hanc vim et efficaciam, ut perpetuo et constanter usque ad consummationem saeculi studium hoc convertendi gentes retineat. Revera v. g. nestoriani multum studium posuerunt in convertendis Asiae gentibus episcoposque et missionarios miserunt usque ad Indos et Sinenses. Sed hodie quo hic zelus evanuit vel quis horum laborum fructus iam restat?

γ) Cum omnis haeresis omneque schisma minime fiat secundum regulam certam a Deo traditam, sed proprio auctorum haud infallibilium iudicio et opinione, necesse est, haeresis vel schisma, si per aliquod tempus exstiterit aut satis extendatur ac multiplicetur, mox in varias novas sectas scindatur, cum tandem haereticorum aut schismaticorum quilibet eodem doctrinas innovandi novamque sectam instituendi iure polleat, quod primi haeresis aut schismatis auctores habuisse gloriabantur. Quod etiam omnium ferme haeresum ac schismatum historia quam maxime luculenter testatur. Sane Augustinus iam scripsit[2]: „Non omnes haeretici per totam faciem terrae, sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia, verbi gratia. Diversis locis sunt diversae; sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra catholica omnes christianos fideles, toto orbe diffusos. Non ergo mirum, si superbia parit discissionem, caritas unitatem.“ Hinc fit, ut, etsi aliqua haeresis aut aliquod schisma sese late extendat, haec eius diffusio locum non habeat aut saltem diutius maneat *salva unitate fidei* ad catholicitatem omnino requisita, sed summum retenta generalis alicuius nominis unitate ad Ecclesiae unitatem nullatenus sufficiente.

δ) Denique „omnis haeresis [et idem de schismate valet] introducitur per defectionem a catholica fide [sive ab Ecclesia Christi catholica], et consequenter deviat a certa regula credendi, ideoque numquam potest universaliter persuaderi tamquam vera et indubitata fides“[3]. Quod etiam Augustinus eleganter indicat, dum allatis

---

[1] De praescript. c. 42 (ML II 57).
[2] Serm. 46, de past. c. 8, n. 18 (ML XXXVIII 280).
[3] Suarez, Defensio fidei cath. l. 1, c. 16, n. 19.

supra verbis haec subiungit: „Illa [i. e. catholica] sic est tamquam vitis crescendo ubique diffusa: illi [haeretici] sic sunt tamquam sarmenta inutilia, agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae, ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmenta ergo illa, ubi praecisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia et sarmenta sua novit, quae in illa remanserunt, et iuxta se, quae de illa praecisa sunt. Inde tamen revocat errantes." Insuper cum, qui a Christi Ecclesia deficiunt, infallibilis magisterii institutionem a Christo factam necessario reiciant ideoque etiam sibi ipsis infallibilitatem tribuere iure non possint, doctrinam suam tamquam infallibiliter certam ac veram annuntiare non possunt, adeoque eius veritatem auditorum examini non solum negativo, sed etiam positivo subicere debent. Sed religio hac ratione sine ulla auctoritate annuntiata prae se non fert speciem divinitatis, ideoque, licet, id quod tamen rarissime accidet, nullas doctrinas rectae rationi vere repugnantes contineat, tamen homini prudenti et nondum corrupto ut divinam non se probabit.

Quas propter rationes si non plane certum, maxime tamen probabile est, fieri non posse, ut ulla umquam secta particularis veram Ecclesiam Christi extensione et asseclarum numero superet, sive ut Ecclesia non semper catholicitatem etiam *relativam* habere debeat.

d) *Ecclesia Christi munus et officium illud accepit* respectu catholicitatis *permanentis*. Nam *α*) *Ecclesia permanere perpetuo debet,* qualis est a Christo instituta; instituta autem est ut catholica, i. e. cum destinatione, ut fieret universalis, ergo etiam cum destinatione, ut semper maneat catholica. — *β*) *Catholicitas simultanea moralis* iam ideo Ecclesiae necessario convenit, quod ipsa e Christi voluntate est ad aeternam hominum salutem procurandam modo a nobis explicato necessaria; sed haec eius necessitas in perpetuum eadem permanet; ergo etiam dicta catholicitas Ecclesiae perpetuo conveniat necesse est. — *γ*) *Secundum Christi verba* Mt 28, 19 20 religionem christianam per Ecclesiam discere debent omnes gentes usque ad finem mundi; ergo Ecclesia etiam usque ad extrema tempora universalis manere debet catholicitate simultanea morali, cum alioquin illud Christi mandatum exsequi nullatenus posset. — *δ*) *Christi hereditas* dicuntur Ps 2, 8 omnes omnino gentes; sed hae non sunt gentes unius saeculi vel paucorum, sed saeculorum omnium, cum alioquin non essent *omnes* gentes, sed gentes istorum tantum saeculorum. Christi autem hereditas fieri possunt illae gentes solum per ipsius Ecclesiam; ipsa ergo usque ad postrema huius mundi tempora universalis sit necesse est catholicitate simultanea morali.

2. Ecclesia non modo nihil, quo dicta catholicitas ipsi impossibilis reddatur, habet, sed tanta etiam virtute et efficacia praedita est, ut illam catholicitatem vere adipisci et conservare usque valeat. Et *primum* quidem manifestum est. Nam cum principi civili regnum quam latissime extensum possit esse et reapse saepius sit subditum,

cur S. Petri in primatu successor non possit regere Ecclesiam etiam per universum terrarum orbem dilatatam, cum non ipse solus omnia debeat perficere, sed una cum adiutoribus suis et particularium ecclesiarum rectoribus eam regat? Certe cum Ecclesia regnum sit spirituale, eius, quantumvis in maiore orbis parte exsistentis, gubernatio per se facilior est quam gubernatio regni latissimi civilis. Quinimmo primatus non solum Ecclesiae extensioni non obstat, sed eam quam maxime promoveat necesse est, cum Ecclesiae primas et universalem iurisdictionem habens Christi doctrinae praecones in omnes regiones mittere possit et plura ad fidei propagationem subsidia praesto sint ipsi quam particularium ecclesiarum praefectis sive episcopis singillatim sumptis. Insuper, ut iam diximus, ad catholicitatem ut conditio plane necessaria requiritur unitas unitatisque principium ac centrum a Christo institutum, scil. Petri in primatu successor. Porro cur non ubique terrarum ac perpetuo eadem Ecclesiae doctrina ab omnibus credi possit, cum et sua indole plane universalis sit et omnibus populis valde conveniat? Sane Christus, Deus infinite sapiens, eam non in perpetuum omnibus gentibus tradi praecepisset, si non ubique et semper credi et observari posset. Atque idem dic de cultu essentiali, quem Ecclesia ubique ac semper Deo exhibere debet. Communio denique mutua fidelium et cum suis superioribus pariter gravibus difficultatibus obnoxia ostendi nequit.

Quod deinde ad *alterum*, scil. ad virtutem et efficaciam Ecclesiae attinet, ea pariter ipsi denegari nullatenus potest. Nam cum Deus in ipso rerum ordine naturali omnia, minima ut maxima, tanta sapientia condiderit, ut eorum unumquodque ad finem ipsi propositum consequendum non parce, sed abunde omnino et quam aptissime viribus instructum sit, erga Ecclesiam suam, opus supernaturale quam maxime sublime et utile, minus liberalem Deum fuisse sane absurde putaretur. Ea igitur illam virtute et efficacia donavit, ut finem suum ultimum omniumque nobilissimum, aeternam hominum salutem, obstent licet malae hominum voluntates cupiditatesque, attingere valeat omnesque gentes, si modo velint, per eam salvae fieri possint. Quod ut perficiat, necessarium est, ut Ecclesia Christi catholicitate simultanea morali in terrarum orbe cognito potiatur eaque permanente, ita ut, quamvis magna temporis decursu fidelium multitudo aut schismate aut haeresi deficiat, ipsa tamen semper in maiore orbis parte diffusa sit tanto fidelium numero, ut quamcumque sectam excedat. Id porro Ecclesia assequi prorsus nequit, nisi in perpetuum praedita sit magna sese extendendi virtute sive ea fecunditate, qua novos usque atque numerosos sibi filios ex infidelium multitudine pariat atque acquirat. Quamvis igitur Ecclesia nostra aetate iam senuisse dici possit eo sensu, quod iam dudum exsistit suamque omnem quam habere debet integritatem ac perfectionem a longo iam tempore consecuta est, eatenus tamen Ecclesia senescere numquam

omnino dici potest, quatenus languore, sterilitate aut quacumque alia senilis aetatis infirmitate umquam afficiatur.

Insuper cum Christus apostolos eorumque legitimos successores ad docendas gentes omnes mitteret singularemque et prorsus efficacem assistentiam iis pollicitaretur (Mt 28, 19 20), infallibilitatem illis, ut probavimus (supra p. 8), et praeterea sine dubio omnia illa promisit, quae ad exsequendum illud mandatum necessaria erant, cum alioquin illud praecepisset, quod ad effectum adduci nullatenus posset. Ergo censendus est, illis verbis Ecclesiae suae eam saltem virtutem et efficaciam promisisse, qua ita efficaciter gentes docere posset, ut in maiore certe orbis parte exsisteret, sive ut haberet catholicitatem saltem simultaneam moralem.

Quod confirmatur apostolorum et evangelistarum testimonio ac revelatione. Legimus enim Mc 16, 20 de illis: „Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis"; et Col 1, 6 de evangelio: „In universo mundo est, et fructificat et crescit."

Probatur pars II: catholicitatem Ecclesiae facto competere.

Nam 1. id sequitur ex catholicitate iure Ecclesiae debita. Quod enim alicuius rei naturae ita inditum est, ut illud producere atque evolvere possit et naturaliter appetat, id successu temporis reapse efficiatur et evolvatur necesse est, dummodo impedimenta vincendi vires suppetant. Atqui ut Christi Ecclesia catholicitatem moraliter simultaneam sibi acquirat, ut modo vidimus, in ipsius destinatione atque natura positum est; cumque praeterea habeat *virtutem efficacem* ad illam sui evolutionem et diffusionem saltem necessariam efficiendam, naturaliter sui extensionem etiam appetit. Omnis enim vis ac potentia quasi in actum transire cupit, atque Ecclesia suae necessitatis ad aeternam hominum salutem sibi maxime conscia non potest non studere, ut omnibus gentibus nota fiat et quasi repraesentetur, ut aggregare se ipsi possint.

Nec opponi potest, quod Christus dixit Mt 7, 14: „Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui invenient eam." Christus enim hoc loco non agit de Ecclesia sive religione christiana amplectenda, sed de sola virtutum lege christiana praeceptarum exercitatione et vitiorum in ea prohibitorum fuga, sive potius de difficultate naturali virtutes christianas colendi et vitia fugiendi, quam quidem non solum homines a fide christiana alieni, verum etiam ipsi christiani saepissime experiuntur. Sermone enim in monte fere ad finem perducto Mt 7, 13 et 14 „Christus toto sermone in unam regulam collecto iam nos attentos reddit et graviter monet, magno opus esse conatu magnaque abnegatione, ut ea praestantes quae oportet ingrediamur ad vitam perennem" [1]. Si quis autem hunc locum interpretandum ita putat, ut porta angusta intelligatur Christi

[1] Knabenbauer in Matth. I 307.

doctrina ac fides ei habenda, via vero arcta sit vita secundum fidem christianam instituta, nec ista interpretatio ullatenus nobis obstat. Christus enim non dicit, paucos esse, qui inveniant portam sive qui ad fidem christianam veram perveniant, sed paucos esse, qui via illa incedant, i. e. vitam vere ex fide et secundum fidem agant. At etiamsi Christus affirmasset, paucos fore, qui ad fidem perventuri sint, nec sic haec ipsius verba Ecclesiae catholicitatem excluderent. Pauci enim sunt christiani, si comparentur cum multo maiore omnium infidelium numero; aut si Christus de solis iudaeis loquebatur, rursus qui ex iis religionem christianam amplexi sunt, pauci erant, si comparentur cum multitudine iudaeorum, qui Christum respuebant.

Non magis nobis contraria sunt, quae Christus dicit Lc 12, 32: „Nolite timere, pusillus grex." Praeterquam enim quod quo tempore haec verba prolata sunt, Ecclesia nondum proprie aedificata erat, Christus hoc loco, ut ex v. 22 sqq patet, solos illos, qui tunc temporis erant discipuli sui, allocutus est, eosque rectissime pusillum gregem dixit, quia revera numero valde pauci erant.

Denique vix opus est annotare, ex defectione decem tribuum Israel et ex aliis eiusmodi exemplis temporis veteris legis nihil concludi posse contra perpetuam Ecclesiae Christi catholicitatem, cum synagoga non habuerit hac de re promissiones divinas.

2. Idem testatur quoque antiquitas christiana[1]. Certe apostolorum praedicatione iam valde magna christianorum multitudo in variis multisque Asiae, Europae, partim etiam Africae regionibus congregata est. Nihilominus tametsi Christi Ecclesia iam a prima sua origine aspirando ad sui diffusionem et magnam efficaciam ac virtutem ad se extendendum ostendendo sese prodebat catholicam, tamen totam amplitudinem simultaneam sibi debitam et vere catholicam temporis tantum decursu adepta est. Non vero ita catholica facta est, ut nomadum more ex loco in locum vagabunda migraret, sed eodem ferme tempore in regionibus etiam dissitissimis aucta fuit iis incrementis, quibus non solum relativa, sed pro temporum ratione etiam absoluta fere catholicitate tribus primis iam saeculis polleret. Cuius rei testimonium est, quod prima iam aetate sua simpliciter *catholica* appellabatur, et catholicitas eius attributum habebatur. Et vero

a) *Ecclesiam* catholicam appellavit iam Ignatius Antiochenus scribens[2]: „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia (*ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία*)." Item *epistula ecclesiae Smyrnensis* de martyrio S. Polycarpi incipit[3]: „Ecclesia Dei, quae Smyrnae peregrinatur, ecclesiae Dei, quae Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum sanctae et *catholicae* Ecclesiae paroeciis (*πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις*)." In eadem epistula re-

[1] R. Söder, Begriff der Katholizität der Kirche und des Glaubens, Würzburg 1881.

[2] Ep. ad Smyrn. c. 8, 2 (Funk I² 283). [3] Ibid. 314.

fertur[1], Polycarpum precando mentionem fecisse „totius per orbem terrarum *catholicae* Ecclesiae (*πάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*)". Praeterea eiusdem epistulae scriptores vocant[2] Christum pastorem *catholicae* in toto orbe Ecclesiae (*ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*)[3]. *Fragmentum Muratorianum* etiam, sive index ille saeculo II Romae confectus, quo exhibentur libri Novi Testamenti canonem constituentes, ter Ecclesiam veram nominat catholicam, v. g. dum loquitur de apocryphis, „quae in catholicam Ecclesiam recipi non potest", dum dicit „epistula sane Iudae et suprascripti Ioannis duae in catholica habentur". Legitur ibi etiam: „Una tamen per omnem orbem terrae ecclesia diffusa esse dignoscitur."[4] Tertullianus de Marcione dicit[5]: „Pecuniam in primo calore fidei catholicae Ecclesiae contulit, proiectam mox cum ipso, posteaquam in haeresim suam a nostra veritate descivit." Relata prophetia Ezechielis (9, 4): „Dicit Dominus ad me: pertransi medio portae in media Hierusalem, et da signum Tau in frontibus virorum", eam sic explicat: „Ipsa est enim litera Graecorum Tau, nostra autem T species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram et catholicam Hierusalem."[6] Voce „catholica" absolute usurpata, sine addita voce „ecclesia", utitur ad designandam veram Christi Ecclesiam. Sic Valentinum et Marcionem haereticos dicit „in catholicae primo doctrinam credidisse apud ecclesiam Romanensem"[7].

Etiam in oriente eadem loquendi consuetudo inoleverat. Clemens Alex.[8]: „Quod enim catholica Ecclesia, inquit, posteriora sua fecerint conciliabula [haeretici], non est opus multis probare. . . . Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam." Firmilianus, episcopus Cappa-

---

[1] C. 8 (Funk I² 322). [2] C. 19 (ib. 339).

[3] Aliqui protestantes, v. g. Harnack (Dogmengesch. I⁴, Freiburg 1909, 408) omnibus his locis vocem catholicam postea interpolatione additam esse existimant. Sed in inscriptione et c. 8 vox ab omnibus testibus traditur et in dubium vocari non debet; c. 16 et 19 pro *καθολικῆς ἐκκλησίας* invenitur varia lectio *ἁγίας ἐκκλησίας*. Sed etiam his locis „testes vix dubium relinquunt, lectionem *καθολικῆς* genuinam esse" (Funk I 334, ubi de varia hac lectione bene disputatur). — Conybeare (in The Academy 1893, II 14) cum invenisset, in armeniaca versione historiae ecclesiasticae Eusebii. ubi 4, 15 epistula de Polycarpo inseritur, deesse vocem „catholica", statim eam interpolatione in graeco textu additam esse conclusit. Sed versio illa armeniaca ex syriaca fluxit, syriaca autem Eusebii historiae ecclesiasticae versio vocem catholica l. c. habet.

[4] Vide fragmentum apud F. Kaulen, Einleitung in die Heilige Schrift³, Freiburg 1890, 36; Cornely, Introductio I² 180; Rauschen, Florilegium III (1905) 24.

[5] C. Marcion. l. 4, c. 4 (ML II 365).

[6] Ibid. l. 3, c. 22 (ib. 353).

[7] De praescript. 30 (ML II 42). — Idem usus vocis „catholica" saepe invenitur apud Augustinum, Optatum etc. Cf. Revue Bénéd. XVII (1900) 1 sqq.

[8] Strom. 7, 17 (MG IX 547 551).

dociae, dicit[1]: „Sponsa Christi una est, quae est Ecclesia catholica." Dionysius Alexandrinus de Macriano dicit[2]: „Hostis quidem fuit catholicae Dei Ecclesiae." *Synodus* contra Paulum Samosatenum congregata decretum, quo Paulum illum damnat, inscribit: „Dionysio et Maximo... et universae Ecclesiae catholicae, quae sub coelo est."[3] Etiam *Didascalia apostolorum,* liber saeculo III graece scriptus, qui in versione syriaca et latina adhuc exstat, apostolos facit excommunicantes haereticos, „qui catholicam Ecclesiam, quae est susceptorium Sancti Spiritus, in detractionibus blasphemant, hi sunt, qui ante iudicium futurum sine excusatione a Christo iam nunc condemnati sunt. . . . Eos autem, qui mortaliter laesi sunt . . ., cum insanabile haberent vulnus, eiecimus, ut neque inquinent electam sanctam catholicam Ecclesiam Dei neque velut scabia transeat aut serpat putredo et omnes maculet."[4]

Ipsi etiam martyres Ecclesiam catholicam esse professi sunt. Ita dixit Fructuosus († a. 259)[5]: „In mente me habere necesse est Ecclesiam *catholicam,* ab oriente usque in occidentem diffusam." Et in historia martyrii S. Pionii († 251) legitur[6] Polemon interrogasse: „Quis vocaris? Pionius ait: Christianus. Cuius Ecclesiae? Pionius ait: *Catholicae.*" Item S. Sabina interrogata, quaenam esset, respondit: „Theodota et christiana. Polemon: Si christiana es, cuius Ecclesiae? At illa: *Catholicae.*" Atque eadem ratione Asclepiades interrogatus, quis esset, respondit: „Christianus. Polemon: Cuius ecclesiae? Asclepiades: *Catholicae.*"

In symboli apostolici forma antiquiore vox „catholicam" ad vocem „Ecclesiam" non additur, additur vero in ea forma, quam in homiliis suis commentatur Faustus Reiensis[7].

Itaque vera Christi Ecclesia catholicae nomine quasi proprio usu constanti et communi appellabatur et a sectis distinguebatur. Nomen autem illud Ecclesiae inditum est ideo, quia revera catholica erat eo tempore, quo hoc nomine insigniri coepta est. Non enim convenit dicere, nomen istud Ecclesiae inditum fuisse aut propria vocis significatione non cognita et spectata, aut inditum esse falso, re nomini pro tempore non respondente. Eo ipso autem, quod Ecclesia illo nomine appellabatur, dicebatur catholica, quia moraliter simultanee catholica erat. Ut enim iam diximus, catholicus nulla ratione vocari

---

[1] Epistula Firmiliani n. 14, inter ep. Cypriani ep. 75 (Hartel 819).

[2] Apud Eus., H. E. 7, 10, n. 6 (MG XX 661).

[3] Apud Eus., H. E. 7, 30, n. 6 (MG XX 709).

[4] Didascaliae apostolorum fragmenta Veronensia latina, ed. E. Hauler, Lipsiae 1900, 65 sq. Eadem habet textus syriacus c. 25 (Die syrische Didaskalia übersetzt und erklärt von H. Achelis und J. Flemming, Leipzig 1904, 127 sq).

[5] Ruinart, Acta martyr. p. 192, n. 3. [6] Ibid. p. 122, n. 9.

[7] C. P. Caspari, Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols II, Christiania 1869, 191 197. Cf. Denzinger-Bannwart n. 3.

potest hominum coetus, qui successive tantum loca late extensa et multum inter se dissita occupat. Neque etiam Ecclesia simpliciter ac proprie vocari potest catholica, nisi perpetuo catholica intelligatur, cum quo tempore Ecclesia cessaret esse late diffusa, cessaret etiam re esse catholica. Nec iure opponi potest, quod etiam particularis, cum Ecclesiae primate tamen unita ecclesia dicitur catholica, cum hoc loquendi modo nihil aliud significetur, quam ad Ecclesiam totam catholicam illam pertinere et cum ea communionis vinculo coniunctam esse. Praeterea nulla ecclesia particularis sive unius tantum provinciae alicuius regni, sive totius etiam nationis, simpliciter vocatur Ecclesia catholica, sed semper cum aliquo apposito, v. g. Galliae, Germaniae etc. Nec ulla etiam ecclesia particularis catholica vocari potest, nisi Ecclesia universa, cuius pars est, vere catholica sive universalis sit. Unde si Ecclesia universa successive tantum terrarum orbem occuparet ideoque numquam veram sive moraliter simultaneam catholicitatem haberet, nulla etiam ecclesia particularis catholica umquam dici posset.

b) *Item posteriores sancti Patres* de catholicitate Ecclesiae ita loquuntur, ut satis indicent, suo tempore eam se tamquam revera sive *facto* catholicam habuisse, et ita quidem, ut catholicitatem necessariam esse iudicaverint.

Certe Pacianus ait[1]: „Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen.“ Eusebius dicit[2]: „Dictum (scil.: ‚dominabitur a mari usque ad mare‘, Ps 71, 8) autem impletum noveris, si perpendas, Dei ecclesias *ubique terrarum* Christum eius dominum praedicare (ἁπανταχοῦ γῆς αἱ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαι τὸν Χριστὸν αὐτοῦ κύριον ἀναγορεύουσιν).“ Cyrillus Hierosolymitanus scribit de Ecclesia[3]: „Catholica . . . vocatur, eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est.“ Augustinus exclamat[4]: „O beata Ecclesia . . ., erige oculos ergo et diffunde per mundum. vide iam hereditatem usque ad terminos orbis terrae.“ Et rursus[5]: „Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies haereticorum de angulo. Toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est, omnes gentes habent ecclesiam (al.: habet Ecclesia).“ Item[6]: „Ipsa est enim Ecclesia catholica, unde καθολικὴ graece appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur.“

Insuper ex catholicitate Patres frequenter colligunt veritatem Ecclesiae ex eius autem defectu falsitatem sectarum. Ita, ut e pluribus aliquos afferam, Cyrillus Hierosolymitanus dicit[7]: „Et si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras, ubi sit dominicum [τὸ κυριακόν] (nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas domini-

---

[1] Ad Sympron. ep. 1, n. 4 (ML XIII 1055).

[2] In Ps. 71, v. 6—8 (MG XXIII 804).

[3] Catech. 18, n. 23 (MG XXXIII 1044): *Καθολικὴ καλεῖται διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων.*

[4] Enarr. in Ps. 47, n. 7 (ML XXXVI 537).

[5] Serm. 238, n. 3 (ML XXXVIII 1126).

[6] Ep. 52, n. 1 (ML XXXIII 194).

[7] Catech. 18, 26 (MG XXXIII 1048).

corum nomine honestare nituntur), neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit *catholica* Ecclesia, hoc enim proprium nomen est huius sanctae, et matris omnium nostrum (ἀλλὰ ποῦ ἐστιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· τοῦτο γὰρ ἰδικὸν ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἁπάντων)." Et paulo post haec subiungit: „*Sola* est sancta *catholica Ecclesia,* quae per *orbem totum* indeterminata gaudet potestate (κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἀπεριόριστον ἐχούσης τὴν δύναμιν)." Optatus autem Milev. interpellat Parmenianum sic[1]: „Ubi ergo [apud vos] erit proprietas catholici nominis, cum inde dicta sit [Christi Ecclesia] catholica, quod sit . . . ubique diffusa?" Atque eodem modo S. Augustinus urget haereticos scribens[2]: „Habemus testamentum dominicae hereditatis, recitamus et ibi nos invenimus: ‚Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.' Tenemus hereditatem Christi, illi eam non tenent; non enim communicant orbi terrarum; non communicant universitati redemptae sanguine Domini." De se ipso autem affirmat idem sanctus doctor[3]: „Tenet [me in gremio Ecclesiae catholicae] postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere." Ac rursus ait[4]: „Una est catholica [Ecclesia], cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis vocabulis, quae negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, *cui sit catholicum nomen, ad quos omnes ambiunt, tribuendum.*" Denique Augustinus generatim ait[5]: „Tenenda est nobis christiana religio et eius Ecclesiae communicatio, *quae catholica est et catholica nominatur* non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim *ipsi quoque haeretici* et *schismatum alumni,* quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur." S. Hieronymus quoque dicit[6]: „Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est. Et si Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes et totum semel mundum possidet satanas, quomodo ad angulum universae terrae crucis tropaea collata sunt? . . . Quod si de illa . . . sibi sententia blandiuntur: ‚Putasne cum venerit filius hominis inveniet fidem super terram', sciant illam fidem nominari, de qua ipse Dominus aiebat: ‚Fides tua te salvam fecit'."

Porro hac ratione sancti Patres de catholicitate loqui manifesto non potuissent, nisi ipsis omnino persuasum fuisset, tum catholicitatem iuris et facti essentialem Ecclesiae proprietatem esse, tum catholicitatem *facti* moraliter simultaneam sua iam aetate, pro temporis utique ratione, Ecclesiae convenisse.

[1] De schism. Donat. l. 2, c. 1 (ML XI 942).
[2] Tract. 3 in ep. Ioan. n. 7 (ML XXXV 2001).
[3] C. epist. Manich. c. 4, n. 5 (ML XLII 175).
[4] De util. cred. c. 7, n. 19 (ML XLII 78).
[5] De vera relig. c. 7, n. 12 (ML XXXIV 128).
[6] Dial. adv. Lucifer. n. 15 (ML XXIII 168).

§ 16.

De sanctitate Ecclesiae.

Thesis XII.

Ecclesia Christi essentialiter sancta est, et multiplici quidem modo, imprimis tamen vi efficaci producendi in nonnullis certe suis fidelibus sanctitatem vere eximiam, necnon dono miraculorum.

I. **St. q.** 1. Sanctitas creaturarum in se et absolute spectata nihil aliud est quam „ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia“ [1], sive est plena congruentia cum suprema omnis rectitudinis moralis regula, Deo. Est autem sanctitas alia rei, alia hominis. Et *res* quidem sancta duplici modo dicitur: nimirum si vel a rebus profanis secreta et Deo consecrata sit, quo sensu sanctificandum dicitur Ex 13, 2 omne primogenitum, et ib. 40, 8—11 tabernaculum, altare etc., vel ex se, si ad hominem sanctum reddendum conducit, sive ad id conducit sua ipsius natura, v. g. preces ad Deum fusae, sive ex institutione positiva, v. g. leges divinae et ecclesiasticae, sive ex utraque causa simul. Atque de hac secundae speciei sanctitate sola agitur, quotiescumque in hac quaestione de re sancta loquimur, quamquam dubium esse nequit, quin Ecclesia Christi cum omnibus suis fidelibus, utpote per baptismatis ritum Dei servitio consecratis, etiam prioris speciei sanctitate praedita sit. — *Homo* vero sanctus ille est, qui non solum externe, verum etiam interne sive animo et voluntate constanter agit, quod rectum est optimo modo, sive qui semper agit, *quod, quia, quomodo* Deus vult. Requiritur igitur ad sanctitatem, ut mente plane pura ac magno fervore animoque laeto semper et ubique exsequatur cognitam a se voluntatem divinam, ut homo praeceptum illud primarium, quo Deum non solum plus quam omnia alia, sed etiam toto animo totaque mente omnibusque viribus diligere iubemur, quantum valet, observare studeat. Caritas enim Dei est principium et vinculum omnium virtutum. „Manifestum est“, inquit S. Thomas [2], „quod caritas, in quantum ordinat hominem ad finem ultimum, est principium omnium bonorum operum, quae in finem ultimum ordinari possunt. Unde oportet, quod cum caritate simul infundantur *omnes* virtutes morales.“ Et vero non una tantum vel altera, sed omnes virtutes exercendae sunt, quantum fieri potest, ab eo, qui vult sanctus evadere. Ut enim per se patet et S. Gregorius M. ostendit [3], quaecumque virtus „sine aliis aut omnino nulla est aut imperfecta“. Nam disiunctae „perfectae esse nequaquam possunt, quia nec prudentia vera est, quae iusta et temperans et fortis non est“ [4].

---

[1] Bened. XIV, De canoniz. sanctorum l. 3, c. 21, n. 3.
[2] S. th. 1, 2, q. 65, a. 3 corp.
[3] Moral. l. 22, c. 1, n. 2 (ML LXXVI 211 sq).
[4] Cf. S. Thom., S. th. 2, 2, q. 81, a. 1.

Unde hominis sanctitas in exercitatione omnium virtutum et in immunitate peccati constanti ac firma consistit; qui enim, postquam per aliquod tempus sancte vixit, postea in peccata gravia laberetur in iisque persisteret, nullatenus sanctus esset; unde praeter animi puritatem ad sanctitatem acquirendam etiam magna constantia et firmitas in colenda virtute requiritur [1]. — Diversos autem *gradus* sanctitas admittit, qui ad tres revocari possunt. Primus gradus est eorum, qui a peccatis gravibus se continent, i. e. omnia praecepta sub gravi peccato obligantia servant, de minoribus vero peccatis vitandis haud ita curant. In secundo gradu ii recensendi sunt, qui etiam peccata minora deliberata vitant aut saltem ea vitandi sinceram voluntatem habent ac media ad hanc voluntatem exsequendam efficacia adhibent. Ad tertium gradum ii pervenerunt, qui virtutes christianas modo heroico exercent. Heroica autem virtus christiana dicitur „ille virtutis gradus, perfectio, seu fulgor et excellentia, quae facit, ut homo circa materiam illius virtutis supra communem aliorum hominum (scil. etiam iustorum) operandi modum operetur et in hoc Deo similis sit“ [2]. Benedictus vero XIV, postquam hanc aliorumque virtutis heroicae definitiones retulit, concludens ait[3]: „Virtus christiana, ut sit heroica, efficere debet, ut eam habens operetur expedite, prompte et delectabiliter supra communem modum ex fine supernaturali et . . . cum abnegatione operantis et affectuum subiectione.“ Istorum autem etiam graduum singuli maiores minoresve esse possunt, ita ut, quemadmodum stella a stella differt claritate, ita etiam in gradu heroico unius sanctorum sanctitas aut simpliciter aut saltem in certo virtutum genere sanctitate alterius maior sit.

Atque hanc heroicam sanctitatem intelligimus, cum in thesi Ecclesiae vim efficacem producendi in nonnullis saltem fidelibus suis sanctitatem vere eximiam vindicamus. Nomine autem fidelium non intelligimus infantes, qui nondum aut peccare aut virtutes exercere valent, sed eos, qui moraliter bene vel male agere possunt. Dum porro contendimus, *saltem nonnullos* debere esse in Ecclesia heroica ratione sanctos, minime negamus, eos posse esse ac vere dici *absolute* multos, praesertim si sancti non certae tantum aetatis, sed omnium omnino Ecclesiae temporum simul sumantur. Fidelium tamen multitudinem, qui eximie sancti non sint, illorum numero semper longe atque etiam incomparabiliter maiorem fore, et consideratio humanae infirmitatis in antecessum iam suadet et omnium aerae christianae temporum experientia testatur. Cum porro Ecclesiae dicimus essentialem vim efficacem producendi in nonnullis sanctitatem vere eximiam, affirmamus,

[1] Cf. S. Thom. l. c. a. 8.

[2] Sic Card. de Laurea apud Bened. XIV l. c. c. 21, n. 10. De historia vocis „sanctus“, eius usu apud romanos ethnicos et apud veteres christianos agit H. Delehaye in Analecta Bolland. XXVIII (1909) 145 sqq.

[3] L. c. c. 22, n. 1.

longiorem certe aetatem historiae Ecclesiae nullam transire posse, quin aliqui Ecclesiae fideles ista sanctitate praediti exstiterint, multo vero plures inveniantur, qui saltem in primo aut etiam secundo sanctitatis gradu constituti sint. Utrum autem omnes omnino, qui Ecclesiae vere fideles sunt, vere sancti esse debeant, huius loci non est inquirere, ideoque in thesi id nec affirmamus nec negamus; si enim id verum sit, eo sanctior est Ecclesia eoque certior nostra thesis. Ceterum hac de re agendi locus proprius erit in quaestione proxime sequente de visibilitate Ecclesiae. Efficacia porro Ecclesiae ad producendam in fidelibus sanctitatem vocatur etiam sanctitas *activa* sive potius *sanctificatio;* sanctitas autem fidelium vocari solet *passiva,* utpote effectus sanctitatis activae, pendens tamen a libera etiam hominum cooperatione.

Vindicamus insuper Ecclesiae eam sanctitatem ut necessariam, qua in ipsa usque ad finem mundi edantur vera *miracula,* ita ut neque longum omnino, plurium v. g. saeculorum, tempus praetereat, quin aliqua saltem miracula in ipsa patrentur. Donum enim miraculorum effectus et signum censetur sanctitatis. Quibus autem aliis multis modis Ecclesia Christi etiam sancta esse debeat, necesse non est hic explicare, cum id in ipsa thesis probatione manifestum fiat.

Ad thesim probandam monstrandum est primum, Ecclesiae essentialem esse sanctitatem generatim spectatam, deinde magis in specie singula videnda sunt. In duas igitur partes tota haec demonstratio apte dispescitur, in quarum prima vindicatur Ecclesiae sanctitas generatim spectata, in altera autem singillatim ostenditur, in quibus et quot potissimum rebus ista eius sanctitas posita sit.

2. Antiqui quidam haeretici, imprimis donatistae, docuerunt, peccatores, saltem graviorum criminum reos, ab Ecclesia excludi. Wicleffus et Hus solos praedestinatos ad Ecclesiam pertinere voluerunt. Protestantes porro, qui rationalistae non sunt, non solum cum catholicis, Russis Graecisque contendunt, Christi Ecclesiam esse sanctam, et ratione quidem tum originis ac finis ipsi propositi, tum etiam virtutis efficacis producendi sanctos, sed etiam omnes veros, licet ii paucissimi sint, verae Ecclesiae fideles sanctos esse volunt, adeo ut ipsam congregationem sanctorum vel etiam coetum ad vitam aeternam praedestinatorum appellent[1]. Pariter Ecclesiae doctrinam a Christo acceptam et salutis subsidia ab ipso instituta eique tradita sancta fuisse illi omnes defendunt; sed quoniam illi omnes Ecclesiae infallibilitatem negant, universi affirmant, Ecclesiae sanctitatem ratione tum doctrinae tum illorum subsidiorum non esse permanentem et essentialem, ita ut deficere non possit, sed etiam Ecclesiam primitivam iamdudum ab ea sanctitate defecisse docent. Donum etiam miracu-

[1] Cf. Confess. Aug. P. 1, a. 7, apud Müller 40; Catech. Genev. 1 de fide, apud Niemeyer 135; Confess. Helv. post a. 17, ib. 499.

lorum Christi Ecclesiae in perpetuum a Christo tributum esse ii minime admittunt.

II. **Probatur pars I: Ecclesiam sanctam esse sanctitate generatim spectata.**

Christi Ecclesiam essentialiter sanctam esse 1. patet ex eo quod ipsa et ut supernaturale atque immediatum opus Christi in perpetuum idem permanens atque immutabile natura sua semper etiam supremae rectitudinis moralis regulae, sive sapientiae et sanctitati auctoris sui divinae conformis sit necesse est, et ut persona moralis, utpote immediata ipsius Christi in terris vicaria, rectum ac bonum constanter propositum habere atque intendere debet.

2. Idem liquet ex hac simili ratione, quod ipsa semper est apostolica sive origine, doctrina, regimine et magisterio eadem, quae fuit tempore apostolorum; sed haec, utpote ab ipso Christo effecta, fuit sancta; ergo manet etiam semper sancta.

3. Sanctitas Ecclesiae apparet etiam ex fine ipsi proposito, utpote qui alius non est, quam ut Christi sanctissimam religionem colat, propaget atque conservet hominesque ita ad sanctitatem vitamque aeternam perducat, cum, ut Paulus 1 Thess 4, 3 ait, voluntas Dei sit sanctificatio hominum. Ut enim praestare id possit, necesse est etiam ipsa sit sancta, cum tandem nemo dare possit, quod non habeat.

4. Necnon inde Ecclesiae sanctitas elucet, quod ipsa in terris versans in S. Scripturis iis imaginibus adumbratur, quae satis indicant, eam sua natura esse sanctam. Appellatur enim regnum coelorum (Mt 13, 24 33 47; 16, 19 et alibi saepius), Christi ovile (Io 10, 16), Christi corpus (Eph 1, 23; 4, 12 16; 5, 23. Col 1, 18 24 et alibi), Christi sponsa (Apc 19, 7; 22, 17; cf. Eph 5, 23—28), Christi plenitudo (Eph 1, 23), Dei vel domus (1 Tim 3, 15. 1 Petr 4, 17) vel templum (Eph 2, 21) vel civitas (Hebr 12, 22), Dei Ecclesia (Act 20, 28. 1 Tim 3, 15) et vinea (Mt 20, 1 sq; 21, 33). Ipsi vero Ecclesiae fideles dicuntur gens sancta (1 Petr 2, 9), cives sanctorum et domestici Dei (Eph 2, 19), lux et filii lucis (ib. 5, 8), vocatione sancti (Rom 1, 7; 8, 27. 1 Cor 1, 2; 6, 1 2. Eph 4, 12; 5, 3 et alibi frequenter) et sanctificati (Act 20, 32. 1 Cor 1, 2; 6, 11. Hebr 2, 11; 10, 10 14), aedificatio et templum Dei (1 Cor 3, 9 16 17. 2 Cor 6, 16). De Ecclesia insuper dicit apostolus Eph 5, 25—27: „Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, ut sit sancta et immaculata.“ Et Ioannes eam ut in coelis exsistentem describit Apc 21, 11 ut „habentem claritatem Dei“, cuius lumen simile sit „lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum“. Hanc autem filiorum suorum sanctitatem perfectam debet Ecclesia in his terris efficere; quod sane non posset, nisi ipsa quoque esset sancta.

5. Denique Ecclesiam essentialiter sanctam esse testatur omnium christanorum, qui Christum Deum esse credunt, unanimis persuasio. Inde enim ab origine Ecclesiae sanctitatem tamquam eius proprietatem plane necessariam ab omnibus christianis habitam et a nulla umquam secta, quae saltem Christi divinitatem non reiecit, negatam fuisse manifestum est vel ex solis fidei symbolis. Ecclesia enim sancta dicitur ferme in omnibus formis symboli apostolorum, item in symbolo Constantinopolitano; haec autem symbola ab omnibus christianorum coetibus, qui Christi Ecclesia esse volunt, admissa sunt. Quare supervacaneum videtur, sanctorum Patrum testimonia, quantumvis pulchra et luculenta, in huius rei adeo certae ac manifestae confirmationem afferre. Itaque

Prob. pars II: Ecclesiam multiplici ratione sanctam esse sanctitate speciatim accepta. Enimvero vera Christi Ecclesia essentialiter sancta est semper

1. ratione originis et institutionis. Ut enim probavimus, Ecclesia in perpetuum eadem illa esse debet, quam Christus instituit, sive semper ea manere debet, quae instituta est a Christo et fundata ab apostolis. Iam vero institutio Christi necessario est institutio sancta, apostolorum fundatio fundatio sancta. Unde fit, ut Ecclesia necessario quoque sancta sit

2. ratione primarii auctoris et capitis invisibilis, Iesu Christi, Dei infinite sancti. Alius enim quam Christus verae Ecclesiae primarius auctor nec fuit nec umquam esse potest. Quae quidem duplex originis et auctoris *verae Ecclesiae* sanctitas inter se haud aliter differunt, quam quod sub priore respectu consideratur sanctitas *institutionis* ipsius operis, quatenus a *sancto* auctore effecta est; sub altero autem respectu ipsius auctoris *personalis* sanctitas in se spectatur.

3. Ratione essentiae suae etiam Ecclesia sancta est, scil. in ipsa substantia sua in se spectata. Etenim Ecclesia quoad essentiam debet semper esse illud morale compositum, quod Christus instituit. Sed hoc compositum, cum sit opus Christi, eiusque ideae archetypae partus, necessario sanctum sit oportet. — Porro sancta est Ecclesia

4. ratione doctrinae ac fidei, magisterii et regiminis sacri. Horum enim omnium ratione Ecclesia, ut probavimus, in perpetuum sit apostolica necesse est; doctrina igitur ac fides semper propter infallibile magisterium infallibiliter vera ac pura manet, sive illa, quam Christus Dominus docuit; haec autem natura sua sancta fuit, utpote non solum vera, sed etiam religiosa et ad moralem hominum perfectionem promovendam quam maxime apta et efficax. Successio vero apostolica in regiminis et magisterii munere est pariter sancta, utpote a Christo ipso instituta, et ad religionis quidem suae bonum hominumque aeternam salutem. Qui ergo apostolica ista successione in Ecclesiae regimine et magisterio potiuntur, sancti sunt

ratione ipsius successionis sanctamque constituunt Ecclesiam regentem ac docentem. Si vero eorum aliqui forte sint mali, eorum malitia ipsis ut hominibus, non vero ut successoribus in sacro illo munere tribuenda est. — Sancta etiam est Ecclesia

5. ratione finis sibi in perpetuum propositi. Hic enim, ut vidimus, proximus est religionis Christi cultus et conservatio, ultimus vero aeterna fidelium salus et gloria Dei: qui uterque sane est plane sanctissimus, a Christo ipso et ab apostolis serio postulatus.

6. Item Ecclesia essentialiter sancta est ratione subsidiorum ad illum finem consequendum. Nam ad hoc Christus Ecclesiae suae debuit ea subsidia subministrare, quae apta essent et ita saltem efficacia, ut sufficerent; ipse enim cum infinite sapiens esset, non potuit finem ei proponere assequendum, quin ei dederit, quae ad eiusdem consecutionem necessaria erant et semper sunt. Ad finem autem illum sanctum attingendum cum inter finem et adiumenta ad eum consequendum apta proportio intercedere debeat, necessaria erant et sunt subsidia sancta, ad finem enim sanctum adiumenta haud sancta proportionem nullam habent. Praeterea cum Ecclesiae necessaria et propria sit apostolicitas successionis et missionis, necessaria ei ac propria est copia subsidiorum, quibus apostoli a Christo immediate erant instructi; sed haec, ut praedicatio evangelii et reliqua omnia, non potuerunt non esse sancta; ergo etiam Ecclesiae adiumenta, utpote eadem a Christo data, sancta sint necesse est.

7. Ecclesia quoque sancta est ratione vitae suae internae et externae. Id quoad vitam internam evidens est; Ecclesiae enim essentialis est forma sua interna sive principium ipsam formans internum; hoc autem principium constat vera ac pura fide, ac deinde vera caritate Dei et spe in ipso ponenda. Nam essentiale Ecclesiae officium est curare, ut in ipsa cum reliqua divina praecepta, tum praecipue omnium gravissimum et maximum, quo Deum plus quam alia omnia et omnibus viribus diligere iubemur (Mt 22, 37 38), quantum fieri potest, serventur; haec enim caritas pertinet ad ipsum Ecclesiae finem, estque finis omnium aliorum praeceptorum. Atque eadem necessitate etiam vera spes in Deo ponenda in Ecclesia vigere debet. Nec enim sine illa spe adhiberi possunt necessaria ad aeternam salutem procurandam adiumenta, nec sine illa expeti ut finis ultimus ipsa promissa Dei Deique possessio, nec a Deo exorari auxilia ad eam consequendam necessaria et utilia, atque ipsa beatitudo aeterna. Quare toties in S. Scriptura spes illa praecipitur tum in Vetere Testamento, ut Ps 4, 6; 61 (62), 8 9; Eccli 2, 9; Os 2, 6, tum in Novo Testamento ut 1 Tim 6, 17; 1 Petr 1, 13; Iac 1, 6. Ceterum cum Ecclesia, ut infallibilis revelationis magistra, habeat semper veram ac puram Christi doctrinam ac fidem, cumque ex fide tamquam radice et fundamento oriantur spes et caritas Dei, semper vigeant in Ecclesia cum fide ambae hae virtutes necesse est. Unde cum in Ecclesia tria haec, fides

spes caritas, deesse non possint, sequitur, ut eo ipso vita eius interna sancta esse debeat et sit.

Quodsi vero Ecclesia habeat sanctitatem vitae internae, necessario inde etiam vitae externae sanctitas consequitur, utpote qui est internae effectus, positus quam maxime in trium illarum virtutum, fidei spei caritatis divinae, exercitatione perpetua. Idem insuper patet ex eo, quod Ecclesia, utpote ab ipso Christo plantata, est certe arbor bona; omnis autem arbor bona, ait Christus Mt 7, 17, „fructus bonos facit". Quod quidem maxime confirmatur tum exercitatione illustrium virtutum, quibus, ut vidimus vol. I, p. 869, innumeri primorum temporum christiani sive Ecclesiae filii floruerunt, tum numero ingenti sanctorum martyrum, quos Ecclesia genuit et educavit, et illorum beatorum, de quibus Ioannes Apc 7, 9 dicit: „Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis: stantes ante thronum, et in conspectu agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum." Hos enim beatos maximam partem olim Ecclesiae Christi in terris versantis filios fuisse christianorum nemo iure negaverit.

8. Ecclesia essentialiter sancta est ratione sanctitatis vere eximiae, quam quovis longiore saltem temporis spatio in nonnullis suis fidelibus efficit. Eximiam enim etiam sanctitatem Ecclesiam producere debere patet a) ex *fine Ecclesiae proposito et ex promissione Christi.* Nam sanctitas eximia ab Ecclesia in nonnullis suis alumnis semper efficietur, si ea efficienda et Ecclesiae fine atque officio continetur, et Christus promisit, se in omne tempus efficaci modo ad finem hunc attingendum Ecclesiam adiuturum esse; atqui hoc utrumque obtinet. Et vero

a) *pertinet ad propositum Ecclesiae finem et officium,* ut sanctitatem eximiam in nonnullis saltem fidelibus efficiat. Christus enim hoc maxime consilio Ecclesiam instituit, ut in ea et per eam homines non solum iusti, sed etiam eximie sancti redderentur, i. e. tales, ut insigniter virtutes colerent, bona ac sancta opera sedulo exercerent. Quod Ecclesiae propositum esse omnes concedere debent, sive haec opera absolute necessaria ad salutem aeternam dicantur, sive saltem ut fructus fidei christianae necessario secuturi spectentur. Patet enim id *primum* luculenter ex iis, quae de morali Christi doctrina a nobis iam relata sunt vol. I, p. 608 sqq. Ostendimus enim, Christum ab omnibus postulasse, ut Deum plus quam omnia reliqua pro viribus amantes semper agerent, *quae, quomodo, quia* Deus vellet, Christi igitur ipsius etiam praecepta, id quod saepius diserte dixit (Io 14, 15 21 23 24), varia sane ac multa, fideliter ac constanter ad sanguinis et vitae profusionem usque servarent, homines vel maxime inimicos sincere diligerent. Quas res dum praecipit, virtutem certe maxime heroicam exercendam proponit. Praeterea exigit, ut fideles sui maxima humilitate et caritate agant, utque continuis de variis tentationibus

victoriis ornati ac pro status sui conditione casti et coelestia imprimis desiderantes vitam degant quam maxime probam et ab omni, gravis saltem, peccati labe liberam atque immunem.

Deinde id pariter notum est ex apostolorum doctrina. Quorum, ut pauca hac de re dicta referam, Paulus Eph 1, 4 Christi fideles electos esse dicit, ut essent „sancti et immaculati in conspectu eius in caritate"; et Tit 2, 14 de Christo locutus: „Qui dedit semetipsum, inquit, pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum"; 1 Cor 13, 1 sqq vero mirabilem tum Dei tum hominum caritatem fidelibus commendat. Et Petrus 1 ep. 2, 1 2 adhortatur fideles, ut deponant „omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes et invidias, et omnes detractiones". Christus igitur et apostoli a christianis eam vitae puritatem ac sanctitatem, utique constantem, postulant, quae sine heroico virtutum studio acquiri nequit.

Denique Christus quamquam non praecipit, tamen ut valde perfectam consulit voluntariam tum virginitatem tum paupertatem.

Et *virginitatem* quidem laudat Mt 19, 11 12. Postquam enim Christus respondit pharisaeis, uxoris dimissionem nisi ob fornicationem (*μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*) licitam esse — quo responso solutionem vinculi matrimonialis non concedi alibi ostendendum est —, apostoli opponunt v. 10: „Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere", vel potius uxorem ducere (*οὐ συμφέρει γαμῆσαι*). Quod cum dicerent, exspectasse eos responsum, quo Christus doceret, cur saltem novae suae legis tempore *melius* sit, ut uxor ducatur, quam ut vita caelebs praeferatur, non improbabiliter existimari potest. Sed ecce Christus dixit illis: „Non omnes capiunt (*χωροῦσι*) verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat." Quo responso Christus virginitatem propter regnum coelorum servatam tamquam rem permagnam et moraliter perfectam laudavit et consuluit. Sine dubio enim

α') Christus apostolorum dictum „non expedit nubere (*γαμῆσαι*)" confirmat et approbat. Manifestum enim est, verba *τὸν λόγον τοῦτον* ad istud discipulorum dictum referenda esse, non vero ad doctrinam de matrimonio non dissolvendo, quasi Christus dixerit, illam de matrimonio indissolubili legem a se pro iis tantum ferri, quibus continentiae donum datum esset. Ista enim explicatio repugnat Christi tum argumentationi, qua matrimonium solvendum non esse monstravit, ex ipsa coniugii in se spectati natura petitae, tum absolutae et neminem excipienti ea de re sententiae Mt 5, 32 prolatae. Necnon Christus alioquin primitivam de matrimonio non solvendo legem moralem mariti arbitrio tradidisset, cum quivis pro lubitu sibi continentiae donum datum non esse praetendere posset, atque ita legem istam pro vitae

usu prorsus inutilem et inefficacem reddidisset. Praeterea quod de eunuchis subditur, intelligendum sane est de continentia generatim et absolute sumpta, non tantum de adulterio vitando. Quas ob causas cum aliis fere omnibus S. Scripturae interpretibus tenendum est, Christum apostolorum dictum *οὐ συμφέρει γαμῆσαι* confirmare voluisse.

β') Ita tamen Christus apostolorum dictum approbat, ut illustrans adderet, eam sententiam *non valere pro omnibus,* sed pro iis tantum, quibus peculiaris moralis facultas divinitus data sit. Verbis enim *οἷς δέδοται* Christum non significare, ut rationalista Paulus frivole exponit[1], eos, qui virginitatis certis rerum adiunctis, naturali et humano prorsus modo capaces facti sint, sed eos, quibus a Deo datum sit, unicuique christiano certum est et ab omnibus aliis S. Scripturae explanatoribus, etiam protestantibus, admittitur. Et vere locutio „datum est, dabitur" a Christo etiam sine apposito hoc: „desuper" (Io 19, 11) vel alio simili frequenter adhibetur ad designandum donum coeleste, uti v. g. Mt 10, 19: „Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: *dabitur* enim vobis in illa hora, quid loquamini"; rursus ib. 13, 11 12: „Quia vobis *datum est,* nosse mysteria regni coelorum; illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei." Cf. etiam Mc 4, 25; Lc 6, 38. Ergo hoc loco ista locutio eodem sensu intelligenda est, et eo magis quidem, quod perfecta virginitas, ea scil., quae non solum nullo actu, sed ne ulla quidem voluntaria cogitatione ac desiderio laedatur, si minus vires solius naturae humanae superat — qua de re agendi hic locus non est —, certe tamen observatu per longam vitam est difficillima, ut patet tum ex natura rei totque eius periculis atque omnium saeculorum experientia tristi, tum ex verbis v. 5 a Christo allatis et ex ipsius Christi effato: „Non omnes capiunt verbum istud", et: „Qui potest capere, capiat." Hisce enim verbis relative paucos esse innuit, qui istam virtutem et mente et animo ita capiant, ut seria et constanti voluntate colant. Quin autem Christus de perfecta virginitate locutus sit, nulli christiano dubium esse potest, cum ipse, Deus, quodcumque quidem peccatum, speciatim tamen Mt 5, 28 diserte vel desiderium luxuriosum voluntarium damnet, cumque alioquin eam non tamquam adeo excellentem et sine Dei auxilio tam difficilem exhibuisset. — Atque ex iis, quae hactenus diximus, patet

γ') Christum de perfecta virginitate ut *re permagna atque pretiosa* loqui, cum donum Dei eam appellet, et adeo quidem, ut illud donum qui non acceperint, mente illud non capiant, i. e. aut probe non intelligant, quam perfectum et nobile sit, aut si pulchritudinem quidem huius virtutis admirentur, tamen ne propter regnum quidem coelorum eo amore eam prosequantur, ut ipsi perpetuam atque perfectam virginitatem colere sibi proponant. Christum autem hanc virtutem *commendare* ad eamque ut excellentem colendam *exhortari* liquet ex

[1] Exeget. Handbuch über die drei ersten Evang. II 598.

eius verbis: „Qui potest capere, capiat." Ut enim S. Hieronymus in h. l. ait[1], „quasi hortantis vox Domini est et milites suos ad pudicitiae praemium concitantis: ‚Qui potest capere, capiat'; qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet", simili ratione, qua dum dicit Io 7, 37: „Si quis sitit, veniat ad me et bibat", sitientes hortatus est, ut ad se venirent. Certum igitur est, Christum voluntariam virginitatem ut aliquid omnino magni ac praeclari consuluisse.

Praeterea S. Paulus, infallibilis Christi doctrinae interpres, virginitatem commendavit 1 Cor 7. Postquam enim v. 7 8 9 25 27 dixit, omnibus utriusque sexus, qui serio velint et valeant esse continentes ac casti, bonum id esse, atque ut caelibes maneant, non obstante matrimonii bonitate, optare se atque consulere, v. 38 de virginibus (*παρθένοις*) speciatim dicit: „Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene (*καλῶς*) facit (i. e. non peccat; cf. v. 28 et 36); et qui non iungit, melius (*κρεῖσσον*) facit."

Obiciunt protestantes plurimi, apostolum pro suis tantum, non vero absolute pro omnibus temporibus veram virginitatem ut genere suo meliorem commendasse ac matrimonio praeferendam esse dixisse. Atque aperte id Paulum ipsum declarare v. 26: „Existimo ergo hoc [scil. virginem manere] bonum esse *propter instantem necessitatem* (*διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην*)"; *instantem* enim necessitatem intelligendam esse magnam illam tribulationem et perturbationem, quae Messiae secundum adventum mox futurum praecessurae sint. At ut non repetamus, apostolum secundum Christi adventum non docuisse esse propinquum (v. supra p. 35 sqq), instans illa necessitas longe aliter explicari potest, scil. aut cum Cornelio a Lap. aliisque de brevitate temporis, quod nobis concessum est ad beatae aeternitatis acquisitionem, quod proinde non rebus inanibus, nec coniugi, sed animae saluti et Deo dandum est, sicuti apostolus v. 29—31 magis explicat; aut cum Estio et plerisque tum graecis tum latinis, de vitae huius molestiis et status coniugalis incommodis, quas tribulationes carnis v. 28 appellet. Coniuges scil., cum non sibi tantum, sed etiam suis providere debeant, longe magis premi ac sollicitari vitae huius necessitatibus et angustiis clarum est. „*Instans* vero vel *praesens* (*ἐνεστῶσα*) angustia et necessitas vocatur, quia hominem continuo premit atque cum matrimonio ita est coniuncta, ut coniuges etsi voluerint, se ab illa liberare nequeant."[2] Sed licet intelligatur instans necessitas aut cum pluribus recentioribus S. Scripturae interpretibus de calamitate, quae secundum Christi adventum praecedat, aut cum Döllinger[3] de praevisis a Paulo imminentibus toti Ecclesiae tribulationibus: nihil tamen aliud contra nos sequetur, nisi *hanc unam* rationem commendandae virginitatis, quod instet scil. Messiae adventus, pro Pauli tantum temporibus valuisse. Sed aliam etiam rationem cur virginitas praestet matrimonio, v. 32—34 apostolus affert, quae cum ex

---

[1] ML XXVI 136. [2] Cornely in h. l. p. 199.

[3] Christentum und Kirche in der Zeit der Grundlegung, Regensb. 1860, 374. — Similiter iam explicaverat Rosenmüller in h. l.: „Instabat per Romanum imperium magna iudaicarum rerum conversio; cum iudaeis vero solebant christiani partim matrimonia inire, partim facile confundi ab aliis; instabat etiam persecutio per Neronem; satius igitur erat, unum caput quam multa obicere tantis malis."

ipsa matrimonii et virginitatis natura petatur, pro omni tempore valet. Dehortatur enim hic Paulus a coniugio, ut adimat sollicitudinem rebus temporalibus innectentem, quo liberius quisque vacare possit rebus divinis. Qui enim caelebs et castus sit atque a curis, quibus velint nolint uxorati implicentur, plane liber, hunc magnam dicit habere et opportunitatem et facilitatem occupandi se totum cogitatione earum rerum, quae Christi sint quaeque ad aeternam salutem spectent, virginemque studere, ut sit sancta corpore et spiritu, ut scil. corpus habeat atque conservet mundum a libidinis foeditate, et animus similiter purus evadat. Quamvis igitur, ut ait Estius recte in v. 34, „etiam mulier nupta suo modo possit ac debeat esse sancta corpore et spiritu, dum se continet intra fines honesti ac christiani matrimonii . . ., multo tamen eminentior in muliere innupta, praesertim in virgine, sanctitas commendatur, ut quae prorsus aliena sit ab omni opere et voluptate carnali". Itaque Paulus virginitatem *per se* et *natura sua,* ideoque universim matrimonio excellentiorem praedicat et in omne tempus commendat, nec tamen propterea ullatenus matrimonii dignitatem negat; eo enim quod virginitatem matrimonio excellentiorem dicit, matrimonium malum et nullius momenti esse non affirmat; alioquin qui regem administris et magistratibus, militum ducem singulis militibus excellentiorem censet, dicendus esset illos magistratus et milites nihili facere.

Nec obstat, quod Gn 2, 18 dicitur: „Non est bonum, esse hominem solum." Recte enim „illic Scriptura loquitur de bono speciei, Paulus hic de bono individui. Illud dictum pro eo tempore, quo mundus erat hominum vacuus, istud pro tempore, quo mundus erat plenus. Item Moyses loquitur de bono vitae temporalis, Paulus de bono conducibili ad vitam aeternam." [1] Praeterea quis nesciat, teste omnium temporum ac locorum experientia, fieri plane non posse, ut singuli et universi homines matrimonia contrahant, cum propter multiplices sat notas causas quam plurimi, velint nolint, semper caelibes vivere cogantur?

β) Christus pariter *moralis perfectionis causa sponte electam paupertatem commendavit.* Iuveni enim diviti et optime morato, qui postquam dixit, se praecepta divina, quorum observantia ad vitam aeternam consequendam necessaria sit, omnia eo usque bene servasse, interrogabat, quid insuper sibi deesset, Christus respondit (Mt 19, 21): „Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me." Consuluit igitur Christus huic iuveni, ut ad virtutis perfectionem consequendam omnibus suis bonis se abdicans pauper ipsum sequeretur, id vero minime a iuvene exegit, quasi non sufficere putaret, quod ille divina praecepta bene observaverat. Si enim Christus iuveni paupertatem ut necessariam praecipere voluisset, profecto interroganti, quid boni facere deberet, ut vitam aeternam consequeretur, nec respondisset solum: „Serva mandata", scil. decalogi, nec ad paupertatem ipsum invitans dixisset: *„Si vis."* Voluit ergo Christus iuveni indicare, plus etiam, quam quod ad salutem consequendam absolute necessarium

[1] Estius, Comment. in 1 Cor. 7, 1.

esset, praestari posse, et si quis perfectus fieri velit, etiam debere: non quod in illa voluntaria paupertate ipsa moralis perfectio posita esset — haec enim consistit in pura Dei caritate —, sed quod voluntaria illa paupertas sit unum ex praecipuis adiumentis ad illam ipsam perfectam caritatem consequendam. Nec hunc solum iuvenem ad voluntariam paupertatem sui amore amplectendam Christus exhortatus est, sed etiam apostolis, eo quod omnia sua, quantumvis pauca, ipsum sequendi gratia reliquerant, magnam mercedem promisit (ib. v. 27 28) et denique generatim pro omni tempore et loco dixit v. 29: „Et omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem [aliqui codices uxoris mentionem hic omittunt], aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum (ἑκατονταπλασίονα, alii codices πολλαπλασίονα) accipiet, et vitam aeternam possidebit.“ Quibus verbis Christus manifeste unumquemque magnis propositis praemiis invitat ad relinquenda etiam sibi carissima, sive facultates, sive parentes et filios, ut eo melius ipsi servire ipsumque sequi possit.

Itaque cum Christus voluntariam tum virginitatem perfectam, tum paupertatem non quidem praescripserit, sed multum tamen commendaverit ideoque desiderasse dicendus sit, istius utriusque virtutis non minus eximiae quam difficilis cultus pertinet ad perfectionem finis Ecclesiae propositi. Itaque Ecclesia quamvis multos alumnos suos ad eam vitae puritatem perduceret, ut nullum umquam grave peccatum committerent, nisi tamen in nonnullis eam etiam sanctitatem produceret, quae consistit in perfecta virginitate, in sponte ex Christi amore electa paupertate, in heroico aliarum virtutum, ut perfectae humilitatis, caritatis inimicorum et amoris Christi usque ad vitae profusionem constantis exercitatione, finem sibi propositum ne in uno quidem alumnorum suorum perfecte consecuta dici posset.

γ) *Christus absolute promisit,* se in perpetuum efficaci modo Ecclesiam suam ad finem istum consequendum adiuturum esse. Nam ut iam prius monstravimus (supra p. 9 sq), Christus Mt 28, 19 20 apostolis eorumque legitimis successoribus in perpetuum absolute promisit adiutorium prorsus singulare et efficax ad officia, quae l. c. apostolis imponuntur explenda. Iam vero apostolorum ex mandato Mt 28, 19 sqq non solum est, omnes gentes ad fidem christianam amplectendam adducere (supra l. c.) easque baptizare, sed etiam deinceps apostoli gentes docere debent (διδάσκοντες) servare omnia, quaecumque ipsis mandaverit Christus. Ergo non solum praecepta, sed etiam consilia Christi docere debent, illa quidem ut praecepta ideoque sub poena peccati, haec vero ut consilia ad maiorem perfectionem perducentia, utraque vero proponere debent perfecte, quantum quidem fieri possit, servanda. Ergo Christus auxilium suum perenne et vere efficax promisit apostolis eorumque successoribus non solum ad docendas infallibiliter recte ac pure religionis suae veritates, sed etiam ad praeceptorum et consiliorum suorum observantiam ita docendam, ut ipsi

eo munere *efficaciter* et *multo cum fructu* fungerentur, quemadmodum apostolis id diserte dixit Io 15, 16: „Ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat." Et certe Christus Deus, „qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire" (1 Tim 2, 4), quique venit, ut oves eius „vitam habeant, et abundantius habeant" (Io 10, 10), non potuit velle, ut Ecclesia sua similis esset ficulneae illi, cui propter sterilitatem maledixit (Mt 21, 19), sed eius ministerium in perpetuum omnino et eximie quidem fructuosum velle debuit.

Tametsi igitur illud Christi auxilium, quo infallibiliter efficax redditur ministerium apostolicum, non ad singulos fideles spectat, sed ad coetum fidelium sive Ecclesiam ipsam, nihilominus necesse est, nisi Christum proposito suo efficaciter intento magna saltem ex parte frustrari posse perperam omnino admittatur, fore semper in Ecclesia non paucos, qui auxilio illo divino egregie usi vitam Christi doctrinae plane consentaneam ducant atque eximio virtutum cultu ad postulatam a Christo sanctitatem perveniant.

b) *Ecclesiam sanctam esse quovis tempore ratione sanctitatis nonnullorum filiorum* patet quoque *ex continuata per ipsam missione ipsius Christi.* Ecclesia enim missionem Christi semper continuat non solum in quantum pergit semper praedicare Christi evangelium, sed etiam cum eius sit corpus mysticum, in quantum eius vitam, mores, modum conversandi in mundo semper repraesentat. Atqui Christus in terris degens quam maxime illustre sanctitatis exemplum edidit, immo ad hoc venit in mundum, ut illud nobis praeberet, cum non solum verbis, sed etiam exemplis nos vellet docere. Ergo etiam Ecclesia in nonnullis saltem suis filiis semper edat sanctitatis exempla necesse est.

c) *Quod confirmatur α) ex eo, quod,* ut paulo ante diximus, Ecclesia natura sua et vita interna est eximie sancta; exinde enim fluit, ut usque opera eximie sancta edere debeat, haec enim vitae internae sunt necessarii effectus ac fructus. Licet igitur in Ecclesia fortasse semper plures sint mali quam boni et sancti, quia tamen non semper a maiore parte, sed nonnumquam a sola potiore res denominatur, Ecclesia etiam ratione fidelium suorum simpliciter sancta semper dicenda est eadem ratione, qua civitas dicitur opulenta propter multos eius cives valde divites, etsi multi ac fortasse etiam plures in ea sint pauperes vel saltem fortuna mediocri utantur, et qua universitas literarum denominatur docta propter doctos atque eruditos professores, etiamsi plures in ea sint indocti quam docti literarum doctrinaeque studiosi. Et vero „quia coram Deo maioris aestimationis est unicus iustus quam peccatores multi, ideo [Ecclesia] ab iis potest denominari, praecipue cum sanctitas iustorum sit ex intentione et institutione Ecclesiae, cui contraria est malitia" [1]. A maiore autem parte res de-

[1] Suarez, De fide theol. dist. 9, sect. 7, n. 2.

nominari solet, scribit Sylvius[1], „quando agitur de qualitate per subiectum extensa et sufficienter ad denominandum intensa. Sic paries pro maiore sui parte dealbatus denominabitur albus, si albedo ipsi insit sufficienter ad denominationem. Alioquin non a maiori, sed a potiori parte sumitur denominatio. Boni autem sunt potior pars Ecclesiae." Nec ex eo, quod bonum ex integra causa esse dicitur, ullatenus sequitur, omnes Ecclesiae fideles debere esse sanctos, ut ipsa simpliciter bona sive sancta sit et iure denominetur. Nam „bonum non sic oritur ex integra causa, quasi ipsum vel eius causa debeat extendi per totum subiectum, ut supponit argumentum, sed oritur ex integra causa ipsius boni, ita nimirum, ut nulla pars bonitatis sive nihil ad bonitatem requisitum desit".

Confirmatur β) etiam exinde, quod in antecessum quam maxime verisimile videtur fore, ut multi Ecclesiae alumni eximiae sanctitati serio studeant. Christi enim doctrinam ab Ecclesia probe edocti multi semper contenti non erunt, si ea solum agant et faciant, quae ad aeternam salutem consequendam prorsus necessaria sunt, sed *infinito a Christo Deo-homine ipsis exhibito amori* dum quantum valent respondere conantur, multo plus perficient, ut scil. heroicae virtutis studio se dedant vel multa propter Christi nomen laeto animo sufferendo et inimicos christiano amore diligendo vel virginitatem et voluntariam paupertatem eligendo ac perfecte servando, animum ab omnibus huius vitae vanitatibus penitus avellant solique Deo vivant, eum non solum omnibus rebus creatis infinite praeferendo, sed etiam toto animo omnibusque viribus amando, ita ut vere sancti et perfecti evadant.

Idem confirmatur γ) sanctorum Patrum dictis. Appellatur enim Ecclesia ab ipsis „mater viventium, ut a Tertulliano[2], Ambrosio[3], Basilio[4]; „paradisus", ut a Cypriano[5], Optato[6], Augustino[7], Origene[8]; „figura et imago coelestis Ecclesiae", ut a Clemente Alex.[9] et Cyrillo Hieros.[10] Praeterea „viam ad coelum" eam vocat Hilarius dicens[11]: „Ad coelestem Ierusalem per Ecclesiae . . . domum scanditur." Chrysostomus[12] vero „balneum spirituale, quo animae labes absterguntur", Augustinus[13] denique et Hieronymus[14] eam dicunt „arcam Dei" sive alteram arcam Noe.

---

[1] Controv. l. 3, q. 2, a. 6 (Opera V, Antverp. 1714, 261).

[2] De anima c. 43 (ML II 723): ut de iniuria lateris eius [Christi] vera mater viventium figuraretur Ecclesia.

[3] In Luc. l. 2, n. 86 (ML XV 1585): Mater viventium Ecclesia est.

[4] Ep. 41, 1 (MG XXXII 345): omnium matrem ac nutricem.

[5] Ep. 70, n. 10 (Hartel 785). [6] De schism. 2, 11 (ML XI 964).

[7] De baptismo c. Don. 4, n. 1 (ML XLIII 153).

[8] Select. in Gen. n. 28 (MG XII 99). [9] Strom. l. 4, c. 8 (MG VIII 1279).

[10] Catech. 18, n. 26 (MG XXXIII 1048).

[11] In Ps. 123 n. 2 (ML IX 751).

[12] In 2 Cor. hom. 15, n. 5 (MG LXI 510).

[13] In Ps. 28 n. 10; In Ps. 86 n. 3 (ML XXXVI 214; XXXVII 1103).

[14] Adv. Lucifer. n. 22 (ML XXIII 176).

9. Ecclesia denique necessario semper sancta est ratione *doni miraculorum*. Ipsa enim edet illa opera supernaturalia per fideles suos sanctos, quae Christus verae fidei promisit in perpetuum ut huius fidei propria; atqui promisit vere credentibus in perpetuum miracula. Nam

a) *Mc 16, 17 18 dixit*: „Signa autem eos, qui crediderint (*τοῖς πιστεύσασιν*), haec sequentur: in nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis (*γλώσσαις λαλήσουσιν καιναῖς*), serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non iis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt." Christum enim haec dicendo miracula, quae vere signa essent divinitatis suae revelationis, intellexisse manifestum est, cum Christus certe non intendit dicere, eos eventus mere naturales ac naturali modo cum susceptione fidei christianae coniunctos esse; praeterea idem patet tum ex voce *σημεῖα*, utpote quae toties ad designanda miracula adhibeatur; tum ex verbis „in nomine meo", quibus auctoritate et virtute Christi divina omnia haec fieri dicitur eadem ratione, qua aliquid nomine sive auctoritate et virtute legis iniungitur aut prohibetur. Denique ipsa opera, de quibus agitur, id extra dubitationem ponunt.

Cum enim Christus de fidelibus dicit: *„daemonia eicient"*, non intelligit, id quod aliqui rationalistae volunt, morborum atrocissimorum sanationes, quamquam etiam haec secundum Christi mentem supernaturali modo facta miracula essent, sed intelligit eiectionem malorum spirituum ex hominibus. Daemoniorum enim nomine nec gentiles nec iudaei morbos, sed genios sive spiritus, plerumque malos, intelligebant; nec Christum alio sensu isto nomine usum esse ostenditur praesertim ex eo, quod tum hic tum alibi (Mt 10, 1 8. Mc 3, 15) daemonum eiectionem diserte a curatione morborum distinguit, quodque alioquin quid dicere voluerit, a discipulis intellectum non esset. Porro eiusmodi spirituum eiectionem ab homine non naturali, sed supernaturali tantum virtute effici posse liquet tum per se, cum ii hominibus et invisibiles et viribus superiores sint, tum ex tota Christi hac de re sentiendi ratione, utpote qui (Mt 10, 1) discipulis suis *potestatem dedisse* referatur in spiritus illos immundos, ad eos scil. exturbandos, et nostro loco dicit, fideles idem *in nomine suo,* sua scil. auctoritate et virtute effecturos esse.

Deinde si *linguis loquentur novis* discipuli, pariter miraculose id fieri intelligendum est. Christum enim hisce verbis nec insolitam eloquentiam, nec naturalem linguarum cognitionem, nec usum vel obsoletorum et poeticorum vocabulorum, vel vocum balbutiente ore et lingua inexplanata in statu fanatico sive clare sive submisse editorum intellexisse cuivis christiano adeo evidens est, ut probandum non sit. Illud igitur Christus his verbis promisit, futuros esse fideles, qui, ut plerisque S. Scripturae interpretibus, et meo quidem iudicio recte, placet, divinitus habituri sint facultatem supernaturalem loquendi linguis alienis sive peregrinis, quae *„novae"* sint his, qui iis loquuntur, quia scil. antea his incognita erant.

Verbis autem: *„serpentes tollent (ὄφεις ἀροῦσι)"*, etiamsi fidelium manus a serpentibus, quorum morsus in Palaestina mortem nonnumquam extemplo affert, apprehendantur, eos inde nihil mali passuros esse promittitur, quemadmodum Act 28, 3—5 Paulo accidisse legitur. Quod per se sive plerumque sine singulari Dei praesidio non contingit. „Tollere" autem serpentes hic idem esse non posse ac „delere, occidere" eos naturali modo, et ex oratione tota contexta patet, et ex eo, quod ad naturalem exstirpationem serpentium Christus apostolos non misit. Nec de serpentibus orientalium modo domandis, vel, ut vult Lange, tamquam triumphi signis in altum

extollendis hoc loco agi eodem modo patet. — Quod denique additur: *„Et si mortiferum quid biberint, non iis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt“*, tale est, ut utrumque sine miraculo explicari non possit. Mortiferum enim venenum per se utique hominum corporibus nocet, et multum quidem; agi autem hic reapse de vita corporali, non vero, ut Lange vult, de spirituali, evidens est. De hac enim re, utpote aperta, Christus opus minime habuit loqui, et eam ut divinitatis suae religionis signum statuere nulla ratione potuit. — Pariter aegros *quoscumque* — nullum enim Christus excipit — sine miraculo sola manuum impositione non sanari per se patet; nihilominus Christus promittit, ut ea sola adhibita aegri a fidelibus sanitati restituantur; non enim Christus ipsos illos, qui manus imponant, bene se habituros esse dicit, cum isti non ponantur a Christo etiam aegrotantes, cumque alioquin addere debuisset: *καὶ αὐτοί*.

Promisit porro Christus hanc miracula patrandi virtutem suis fidelibus *in perpetuum;* absolute enim et de nullo certo tempore loquens dixit: „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur.“ Erunt autem usque ad consummationem mundi in Christi Ecclesia semper aliqui, vel potius multi, qui traditam ab ipso revelationem credituri sunt fide eximia et constanti; semper enim nonnulli in ea futuri sunt fideles vere et eximie sancti. Erunt insuper in perpetuum, qui ex gentilium aliorumque superstitione ad veram Christi Ecclesiam convertantur, nam et ipsius missio numquam finietur semperque fructuosa erit, et usque ad mundi consummationem multi, qui Christo non subiciuntur, futuri sunt. Sine ratione igitur obicitur, voce „eos qui crediderint“ intelligendos esse solos discipulos tunc temporis praesentes. Huiusque opinionis falsitas magis etiam patet ex oratione contexta. Postquam enim Christus apostolos iussit evangelium praedicare omni creaturae, addidit (v. 16): „Qui crediderit (*ὁ πιστεύσας*) et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.“ Quae verba profecto non ad praesentes Christi discipulos, sed ad convertendos ipsorum opera gentiles atque iudaeos referuntur; ergo eadem ratione etiam subsequentia v. 17: „Signa autem eos“ etc. de iisdem intelligenda sunt, eoque magis, quod illi qui praesentes erant discipuli iamdudum in Christum crediderant.

Nec ex eo, quod in exordio Ecclesiae ad christianae fidei propagationem confirmationemque miracula magis ac frequentius necessaria fuerunt quam postea, concludi debet, posteriore aetate ea nulla omnino necessaria aut certe summe utilia esse. Tametsi enim arbusta, cum plantantur, tamdiu saepius aqua opus habeant, quamdiu in terra nondum radices fixerunt, nihilominus etiam postea non solum, ut non arescant, sed ut crescant, sese magis magisque extendant ac flores et uberes fructus proferant, identidem rore coelesti et pluvia indigent. Atque eadem ratione etiam Christi Ecclesia, quamvis apostolorum aetate miraculis aliisque divinis charismatibus ad sui agnitionem et dilatationem maxime opus habuerit iisque reapse multo etiam magis quam ullo posteriore tempore abundaverit, iisdem tamen nullo umquam longiore tempore penitus carere potest, sive ut infideles ad veram fidem amplectendam eo facilius perducat, sive ut apud ipsos fideles

clarissima divinae suae originis ac missionis nota continenter resplendeat, utque ita ipsa suorum fidelium fides et fiducia ac pietas in Deum eiusmodi extraordinariis documentis hinc inde magis ac magis excitetur atque firmetur, sive ut etiam insignis hominum vel vivorum vel mortuorum sanctitas plane certa et in commune bonum manifesta reddatur.— Et tametsi certissime revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumpta, quae testium ocularium sensus mentesque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit[1], non minus tamen verum est, homines generatim rebus, quae praesentes sunt oculosque feriunt, magis affici et percelli quam rebus, quae iamdudum locum habuerunt; idque maxime de rebus mirabilibus valet. Unde veris miraculis coram patratis procul dubio et fidelium fides, etsi iam firma, magis tamen viva redditur, et infidelium animi facilius ad fidem christianam amplectendam moventur. Quae inde praeterea confirmantur, quod Christus religionis suae praedicationem fieri voluit non tam humanae sapientiae verbis, quam virtute divina sive miraculis, ut omnibus apostolorum missio divina manifesta fieret et fecunda redderetur; iam vero Ecclesiae eadem semper missio est atque apostolorum; ergo ut fecunda sit, eodem virtutis divinae sive miraculorum subsidio carere non debet. Denique miracula patrari possunt propter variam quoque singulorum hominum utilitatem tum spiritualem tum corporalem.

Non tamen potestas miracula patrandi illis Christi verbis singulis atque universis fidelibus concessa putanda est. Quae cum non tam propter privatam cuiusque quam propter communem Ecclesiae utilitatem concessa fuerit, valde verisimile est, non singulis christianis fuisse datam, sed ut plurimum his, a quibus convenit ad propagandam et stabiliendam fidem haec fieri. Quid enimvero necesse est, singulas etiam mulierculas miracula patrare, cum id aliis non multum utile esset, ipsis vero perniciosum evadere facile posset? Certissimum autem argumentum ad id demonstrandum est ipse illius promissionis eventus; historia enim teste vel ipsis apostolorum temporibus non singuli Christi fideles, sed relative pauci miracula patrabant. Nec etiam existimandi sunt illi singuli, quibus potestas miracula patrandi divinitus datur, patrare posse et debere aut singula illa a Christo enumerata varii generis miracula, aut nulla prorsus alia. Horum enim nec unum nec alterum Christi verbis enuntiatur, et Ecclesiae iam primitivae historia contrarium testatur. Denique miraculorum donum nec etiam certo hominum statui nec muneri alicui ecclesiastico annexum fuisse legitur, sed Deus illud dat, quibuscumque ipse voluerit.

b) *Eandem miracula patrandi potestatem* Christus Ecclesiae suae fidelibus promisit etiam Io 14, 12 dicens: „Amen, amen dico vobis,

---

[1] Denzinger-Bannwart n. 1624.

qui crediderit in me (*ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ*), opera (*τὰ ἔργα*), quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet." Nam

α) *verba* „qui crediderit in me" non de solis apostolis intelligenda sunt, sed ad omnes, qui umquam Christi doctrinam suscipiunt, referuntur. Christus enim iis verbis omnino absolute et indefinite locutus est, ergo de omnibus, qui in ipsum ullo umquam tempore credituri sunt. Apostoli utique etiam ac primario quidem horum numero comprehenduntur, sed ex eo, quod antea v. 11 et postea v. 13 Christus cum ipsis colloquitur, profecto non sequitur, intermediam sententiam, quae de omnibus valere potest et modo prorsus absoluto et indefinito expressa est, ad eos solos restringendam esse. Atque etiam quae v. 13 et sequentibus Christus directo quidem ad apostolos dicit, num de iis solis intelligenda sunt? Num non de omnibus Christi fidelibus valent haec, quae v. 14 et 15 habentur: „Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate"?

β) *Nomine* „opera" (*ἔργα*) miracula proprie dicta quam maxime intelligenda sunt. Idem enim vocabulum ut alibi saepius, ita hoc ipso loco v. 10 et 12 initio de miraculis proprie dictis adhibetur.

Quod enim aliqui opera (*ἔργα*) h. l. doctrinam ipsam sive docendi munus, alii contra Iesu facta omnia, quatenus sancta erant, nulla horum miraculosae interdum indolis ratione habita, intellexerunt, iure iamdudum ab omnibus ferme reicitur. Nullibi enim legitur, *ποιεῖν τὰ ἔργα* commutari cum verbo *λαλεῖν* vel *διδάσκειν*, docere, doctrinam tradere, aut *κατ' ἐξοχήν* de eo dici, qui docendo aliquid efficiat. Insuper Christus v. 10 opera, quae Pater in ipso manens dicitur facere, distinguit a verbis, quae ipse loquatur, illaque opera tamquam illius doctrinae suae partis, qua se docebat Patri esse coniunctissimum, clarissimam demonstrationem affert. Neque „opera" illa intelligi possunt reliqua Iesu facta, quatenus sancta quidem et voluntati divinae consentanea erant, nulla tamen ratione habita factorum miraculosae indolis. Etenim patet id ex eo, quod „verba v. 10 *ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι*, accuratiorem interpretationem continent illius effati v. 7 et 9, quo Iesus docuerat, qui ipsum probe cognoverit, eundem Deum quoque Patrem vidisse, recte cognovisse, atque adeo h. l. sermo est de coniunctione plane singulari, quae inter Iesum et Deum intercedebat et singularis auxilii vestigia suppeditabat. Quamquam autem vitae morumque honestas omnino comprobat, hominem, cuius agendi ratio tali indole gaudeat, Deo probari eiusque effatis fidem esse habendam (nisi ipse potuerit decipi), nil tamen inest factorum probitati, quod *coniunctionem plane singularem* arguat, quae inter hominem ita agentem et Deum intercedat atque *singulare auxilium divinum* ostendat. Immo factis talia probaturis inesse debet aliquid, quod plane eximium appareat, ab iis, quae vulgo fieri et evenire solent, differat, et omnipotentiae divinae curam atque efficaciam praecipuam quandam demonstret. Huius generis autem ea Christi facta erant, quae alias *σημεῖα*, *τέρατα*, *δυνάμεις* dicuntur." [1]

Itaque opera cum v. 10 et initio v. 12 miracula intelligenda sint, idem valet de illis v. 12 verbis, de quibus agimus. Quamquam minime negamus,

[1] Kuinoel in h. l.

non solum miracula physica, sed etiam miraculum morale admirabilis propagationis religionis christianae comprehendi; sed hoc miraculum morale, quod maxime fuit effectus miraculorum ordinis physici, hoc loco propter allatam orationem contextam neutiquam *solum* intelligi potest.

Nec obstat, quod eos, qui in Christum crediturі sunt, maiora Christo opera facturos esse l. c. affirmatur. Maiora enim erant horum miracula ante omnia ratione effectuum, quippe quibus propagatio, flos, vigor regni Christi effecta sint. Praeterea maiora dici ea potuerunt etiam propter varias alias rationes. Et primum quidem propter ipsam eorum speciem, cogita v. g., quod sola Petri umbra aegroti sanabantur (Act 5, 15 16), quodque, cum Christus una loqueretur lingua, nonnulli eius discipuli divinitus accepto linguarum dono maxime hominibus stupori atque admirationi erant. Deinde etiam propterea, quod Christus nullum nisi beneficii causa miraculum patravit, postea vero edita sunt miracula non solum in hominum gratiam, sed etiam in poenam, sicut Petrus Ananiam et Saphiram solo interemit verbo (Act 5, 5 9 10) et sicut Paulus Elymam magum excaecavit. Tum etiam ideo, quod postea longe maior multitudo miraculorum locum habuit. Denique Christus in Palaestina tantum, eius autem discipuli per totum terrarum orbem miracula edidere; quare haec illa fama et celebritate aliquatenus saltem superarunt.

Unde cum et illis operibus designentur miracula etiam ordinis physici et voce „qui crediderit“ omnis verus Christi discipulus omnium temporum atque locorum intelligendus sit, etiam hoc loco Christus Ecclesiae suae miracula patrandi potestatem in omne tempus promisit; ergo hoc miraculorum dono semper ea potiri debet. Quod videtur aliquatenus confirmari tum Mt 21, 22, ubi Christus discipulis, et (cum vividae fidei promittat miracula) procul dubio implicite omnibus etiam christianis vere credentibus dixisse refertur: „Et *omnia quaecumque* petieritis in oratione *credentes,* accipietis“, cum ad haec *omnia* bona manifesto etiam miraculorum donum pertineat; tum 1 Cor 12, 4—11, ubi apostolus docet, varia eiusdem Spiritus Sancti charismata, inter quae enumerat etiam (v. 10) prophetiam et operationem virtutum (δυνάμεων, miraculorum), variis Ecclesiae alumnis data esse non in propriam solum, sed in publicam potissimum utilitatem (v. 7), ita ut in modum humani corporis suo quisque divinitus accepto munere bene utatur; iam vero cum Ecclesia, utpote indefectibilis ratione exsistentiae, efficaciam suam continuare usque debeat eo modo, qui substantialiter saltem idem sit cum eo, quo inchoavit, probabile est, illa charismata inter Ecclesiae fideles numquam penitus defutura esse, quamquam probari nequit, ea vel certis fidelibus vel certo muneri ecclesiastico annexa esse.

Coroll. I. Ergo religiosus christianorum coetus, qui ratione cuiuscumque ex novem supra indicatis modis non est sanctus, non est vera Christi Ecclesia, et maxime evidenter quidem ea non est, si aut caret efficacia sive producendi sanctitatem eximiam sive patrandi vera miracula, aut ratione vel originis vel auctoris vel doctrinae manifesto sanctus non sit.

Coroll. II. Deus tametsi absolute etiam per infideles in hominum utilitatem miracula edere potest, plerumque tamen per eos miracula non patrabit, quia promisit Deus, id se effecturum esse per eos, qui in ipsum crediturі sint,

sive per Ecclesiae suae veros filios. Quinimmo tametsi absolute non repugnat, quominus per malos etiam christianos, i. e. credentes quidem, non tamen fide efficaci et fructuosa, Deus miracula edat, plerumque tamen ea per probos atque sanctos sine dubio patrabit, tum quia fides, cui promisit miraculorum donum, per se intelligenda est fructuosa, tum quia quo magis instrumentum Deo dignum et aptum est, eo magis Deus eo uti videtur.

§ 17.

De visibilitate Ecclesiae.

Thesis XIII.

Ecclesia e Christi institutione ut vera ipsius Ecclesia essentialiter visibilis est, et ita quidem, ut facile ac certo ceu talis cognosci et discerni omni tempore possit.

I. **St. q.** 1. Duo in hac thesi affirmamus: primum quidem Ecclesiam e Christi institutione sive voluntate essentialiter ideoque semper ut veram Christi Ecclesiam visibilem esse; alterum vero, eam etiam ceu talem sive ceu veram semper facile ac certo cognosci atque a falsis discerni posse. Et ea quidem rerum cognoscibilitas, qua ab aliis facile discernuntur, est ab ipsarum visibilitate per se nonnihil distincta atque diversa, cum saepissime contingat, ut plures eiusdem generis res, uti sunt v. g. duo ova, anuli catenarum, ut tales singulae videri quidem et in se cognosci possint, propter summam tamen similitudinem, nisi solo numero, vix aut ne vix quidem inter se discernantur et dignoscantur. Quapropter ut res non solum ceu talis videri et in se cognosci, sed etiam ab omnibus aliis bene distingui possit, praeter eius visibilitatem certum insuper distinctionis signum requiritur, ideoque ea cognoscibilitas, de qua in thesi agimus, per se generatim a visibilitate distincta ac nonnihil diversa rei proprietas est. Visibilitas tamen Ecclesiae Christi eadem fere est atque ipsius cognoscibilitas; cum enim Ecclesia Christi una sit tantum, eo ipso, quod ut talis videtur atque cognoscitur, etiam ut sola vera agnoscenda est; omnes enim christianorum coetus religiosi, qui singuli falso se Christi Ecclesiam dicunt, necesse est sint ab ea multum diversi et dissimiles instar levis umbrae et simulacri. Tametsi autem Ecclesiae visibilitas et facilis cognoscibilitas inter se non sunt ita distinctae, ut duas illius diversas proprietates efficiant utque separatim tractandae sint, utraque tamen propriis atque probe distinctis argumentis probanda est.

2. Visibilitas porro distingui potest atque claritatis causa etiam debet, duplex, *materialis* scil. et *formalis*. Dicitur enim „aliquid esse materialiter visibile, cum in eo tantum attenditur id quod *in se* visibile est[1]. Hoc sensu homo, corpore solo aspecto, materialiter visibilis est. Dicitur aliquid esse formaliter visibile, cum

[1] Murray I 246.

in eo attenduntur ea, quae in se invisibilia aut saltem occulta sunt, prout signis externis se produnt; seu aliis verbis, cum attenduntur signa externa, *prout* quae invisibilia sunt manifestant. Sic homo formaliter visibilis est, seu visibilis ut homo, cum videtur ut animal rationale; anima enim rationalis sese manifestat per loquelam etc. Societas porro aliqua hominum est materialiter visibilis, cum consideratur tantum ut coetus hominum, quin attendatur, quod sint tali aut tali vinculo communi in talem aut talem societatem coadunati. Si vero sit mihi visibilis non tantum ut societas hominum, sed ut talis aut talis, v. g. militum, mercatorum, clericorum, catholicorum, protestantium etc., tunc mihi formaliter visibilis est.“ Iam manifestum est ex verbis thesis, nos hic agere maxime de visibilitate Ecclesiae *formali,* ita quidem, ut affirmemus, Ecclesiam Christi esse non tantum ut societatem christianam generatim sumptam visibilem, sed visibilem etiam ut *veram* Christi Ecclesiam. Et vero de hac formali Ecclesiae ut verae visibilitate in hac quaestione proprie agendum esse evidens est, quia alioquin non ostenderetur, *Ecclesiam Christi ut talem* necessario esse visibilem, sed illud tantum probaretur, quod adversariorum nullus umquam negavit.

Observandum autem est insuper cum Suaresio[1], aliquid etiam formaliter visibile pariter dupliciter posse dici visibile, scil. uno modo *stricte* et *immediate,* quatenus ad visum vel sensum aliquem corporeum refertur, alio modo *late* et *mediate,* ut se extendit ad mentis cogitationem et iudicium, et non in se ipso, sed in alio, scil. aut in effectibus suis aut causis, agnoscitur. Ita anima hominis potest quidem dici visibilis, manifesto autem aliter visibilis est ac corpus. Dum enim corpus videtur ipsum, anima in operationibus tantum suis videtur et minime immediate in se ipsa cognoscitur. Unde corpus dici potest visibile modo mere sensuali, anima autem modo rationali sive ope rationis. Quare prior dici potest *visibilitas sensibilis,* altera vero *intelligibilis;* illa materiali, haec autem formali visibilitati respondet. Atque ista ratione sacri magisterii infallibilitas per se est invisibilis, sive in se ipsa videri nequit nec corporeo nec rationali modo, sed nihilominus eius praesentia rationis ope percipitur, dum percipiuntur tum eius causae, promissa scil. Christi, tum conditiones, a quibus eius propagatio et conservatio pendet, legitima nimirum in sacro regimine successio.

Itaque Ecclesiae Christi veritas visibilis est *partim ope sensuum,* cum oculis corporeis Ecclesiae non solum fideles, sed etiam rectores et supremum caput, atque ii, qui sacro magisterio funguntur, multaque alia videri possint; *partim* vero ac maxime quidem visibilis est *ope rationis,* cum praesentia infallibilitatis, ius successionis aliaque similia iudicio neutiquam obscuro ac dubio, sed claro ac certo cognoscantur. — Nullatenus tamen contendimus, Ecclesiam *ut veram* ita visibilem esse,

[1] De fide theol. disp. 9, sect. 8, n. 1.

ut *evidenter vera* appareat, sed ita, ut evidenter *credibile* sit, eam esse veram. Non enim „est idem evidenter verum et evidenter credibile. Nam evidenter verum dicitur, quod vel in se vel in suis principiis videtur; evidenter credibile illud dicitur, quod non videtur, nec in se nec in suis principiis, habet tamen tot et tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat.“ [1] Evidenter tamen ut verum mihi apparere etiam potest, quod oculis quidem non vidi, quod tamen a tot tamque fide dignis testibus oculatis affirmatur, ut ne imprudens quidem dubitatio de eius veritate oriri possit, uti v. g. de veritate exsistentiae Americae. Evidenter verum igitur illud est, de cuius veritate ne imprudens quidem dubium haberi potest, quales sunt sententiae mathematicorum, v. g. bis bina efficere quatuor, vel etiam historicum factum, quod certissimum est quodque innumeri testes oculati testantur, v. g. exsistentiam urbis Romae. Evidenter credibile autem est, quod quidem plane certum est, non tamen ita evidens, ut ne *imprudens* quidem dubium de illo exoriri possit. Atque hoc sensu Ecclesiae tamquam verae visibilitatem ut certam vindicamus.

Nec tamen cum Ecclesiam ut talem visibilem esse affirmamus, contendimus, eam aut ratione singulorum et universorum donorum, quae a Deo accepit, etiamsi maximi momenti sint, respectu v. g. internae eius vitae et sanctitatis singulorum filiorum efficiendae, esse visibilem, aut ratione eorum omnium, quae in ea visibilia sunt, semper esse debere eodem plane modo conspicuam; nihil enim obstare videtur, quin ipsa ratione certi doni, v. g. fecunditatis in conversione gentium, aliquando singulari quadam quasi physica claritate multoque magis quam aliis temporibus praefulgeat. Nec etiam hic inquirimus, quibus singillatim modis Ecclesia conspicua reddatur, cum haec quaestio in proxima de notis Ecclesiae tractatione solvenda sit.

3. Controversia haec de essentiali visibilitate aut invisibilitate ecclesiae est maxime ac proprie de forma essentiali constituente Ecclesiam, sive de eius principio formante[2]. Ecclesiae enim socios ut homines visibiles, eiusque praedicationem sensibus subiectam esse nec quisquam adhuc negavit nec negari potest. De hac igitur visibilitate eo minus hic inquirimus, quod hac Ecclesiae *veritas* minime visibilis fit. Cultum etiam divinum externum ideoque sensibus obnoxium esse debere aut saltem esse posse, christianorum plerique admittunt et sua agendi ratione comprobant. At ex hominibus, qui inter se coniunguntur praedicatione doctrinae, quae christiana dicitur, et cultu divino, efficitur quidem fidelium multitudo, et visibilis quidem, sed neque hac visibilitate Ecclesia *ut vera* redditur visibilis. Ut verus enim religiosus christianorum coetus tamdiu non probatur,

[1] Bellarmin., De Eccl. mil. l. 4, c. 3.
[2] Suarez, Defens. fid. cath. l. 1, c. 7, n. 2—4.

quamdiu non firme monstratur, ei inesse duas Ecclesiae essentiales *formas* ipsam constituentes, scil. tum externam tum internam.

Interna porro ea forma ex omnium christianorum consensu et secundum ea, quae iam demonstravimus, est maxime vera et pura Christi *doctrina ac fides*. Haec autem doctrina si aut relicta esset singulorum fidelium arbitrio, ita ut eam sua quisque ratione privata sive, ut loquuntur, privato suo spiritu sibi interpretari et ex S. Scripturis eruere vel revelatione pariter privata accipere deberet; aut si praedicaretur quidem a publico magisterio, sed eo, quod se vel nullatenus vel certe nullo iure infallibile affirmaret, numquam infallibiliter certo de veritate ac puritate illius doctrinae constaret, ideoque fidei tum subiectivae ac privatae, tum etiam obiectivae *veritas* invisibilis esset. Auctoritas enim erroribus obnoxia errare ac fallere potest; insuper spiritus ille privatus sine dubio invisibilis est, quod idem valet de revelatione privata, sive vera sive commentitia; quae si ficta sit, insuper erroribus plena est ideoque christianae doctrinae veritatem nullatenus refert[1]. Itaque ut Ecclesia Christi ut *vera* essentialiter visibilis monstretur, ostendendum est, generatim utique tantum, sed firma ratione, etiam doctrinae ab ipsa praedicatae sive fidei ipsius obiectivae *veritatem* necessario *visibilem* esse, cum Ecclesiae Christi non solum essentiale sit, ut veritatem doceat, sed etiam, ut eius doctrina visibili modo *vera appareat;* unde fit, ut istius veritatis visibilitas non utique corporis oculis, sed rationis ope percipienda ac scientifice certo demonstranda Ecclesiae essentialis sit. Manifesto enim religiosus christianorum coetus ut vera Christi Ecclesia tamdiu admitti nequit, quamdiu de veritate eius doctrinae certo non constat; coetus enim, qui forsitan falsam omnino et Christo adversam doctrinam profitetur, ut vera Ecclesia haberi non potest. Huius autem veritatis sive verae fidei visibilitas rationalis probari certo hoc loco nequit nisi ope magisterii infallibilis divinitus instituti et semper exsistentis.

Ut autem Ecclesiae visibilitas plenius etiam demonstretur, ea non tantum conspicua ostendenda est quoad doctrinae suae veritatem, sed etiam ratione *externae* suae formae essentialis, ergo respectu totius suae essentiae, sive, ut dici solet, totius sui constitutionis. Opus igitur est, ipsam considerare, qualis reapse a Christo fundata est, nimirum tamquam *institutum divinum obiectivum,* dotatum externa essentiali forma non tantum infallibilis magisterii, sed etiam veri ac supremi regiminis, potestate triplici, omni vero imperio convenienti, instructi[2]. Cum porro formam illam essentialem utramque Ecclesiae a Christo in perpetuum datam esse iam demonstraverimus, facillimum nobis erit, Ecclesiae visibilitatem ostendere, utpote quae ex utriusque illius formae

---

[1] Suarez l. c. n. 3.

[2] Cf. Jörg, Geschichte des Protestantismus in seiner neuesten Entwicklung I, Freiburg 1858, 360 sqq.

praesentia sua sponte consequitur. Quare ad eam monstrandam nos non afferemus Veteris Testamenti locos, v. g. Is 2, 2 3, tum quia ista argumenta minime necessaria sunt, tum quia, ut thesis nostra iis probaretur, longissima argumentatione opus esset, cum imprimis ostendendum esset, eos locos de sola Christi Ecclesia intelligendos esse, et insuper Ecclesiae visibilitas inde generatim tantum probaretur.

4. Adversariorum variae hac de re sunt sententiae, quae haud incommode ad quinque reduci possunt.

Prima est eorum, qui Ecclesiam omnino et essentialiter invisibilem esse affirmant. Hanc sententiam necessario tenere debent, qui Ecclesiam ex solis praedestinatis aut ex solis iustis constare existimant. Id docuit Hus, ut patet ex eius articulis 1, 3, 5, 6, a concilio Constantiensi damnatis [1], idemque videntur iam prius cathari sive albigenses sensisse [2] et Fraticelli [3]. *Secunda* sententia duplicem fingit ecclesiam, aliam visibilem, aliam invisibilem, ita ut membra ecclesiae invisibilis sint vel soli praedestinati, vel soli iusti, vel soli praedestinati et iusti etc., ceteri ad ecclesiam visibilem pertineant. Qui in *tertia* sententia sunt, nominetenus admittunt ecclesiam, eam vero, non ut visibilis est, sed ut invisibilis, seu aliis verbis, eam illius ecclesiae partem, quae invisibilis est, variis privilegiis et dotibus a Christo Ecclesiae suae promissis et collatis solam ornatam esse dicunt. Ex *quarta* sententia Ecclesia, licet sit ex ordinatione divina visibilis, non tamen ita essentialiter et indefectibiliter est visibilis, ut nullo temporis spatio, quantumvis exiguo, possit aut multum aut etiam omnino obscurari. Hi ergo dicunt, corruptiones in fide etc. adeo, pro tempore saltem, diffundi posse, ut nitorem Ecclesiae multum obscurent vel etiam prorsus denigrent. Ita sensisse necesse est omnes, qui umquam docuerunt, Rom. Pontificem esse antichristum, aut Ecclesiam romano-catholicam per aliquot saecula ante Lutherum idololatria et superstitione subversam fuisse. Manifesto enim talis Ecclesia se non ut Christi Ecclesiam exhibet ideoque ut talis visibilis esse nequit. *Quinta* est nonnullorum recentiorum protestantium; dicunt illi, Ecclesiae a Christo institutae formam *expletam* atque *perfectam* in nullo christianorum coetu religioso reperiri, prout in mente Christi exstiterit; varios igitur istos coetus plus minusve, sed numquam plene illius perfectionis participes esse, nihil ergo eas nisi varias imperfectas et mutationibus atque erroribus obnoxias illius Ecclesiae formas esse; utrum autem quis illius ecclesiae idealis, quam vocant, socius sit, pendere a *sola animi cum Christo coniunctione* sive ab animo vere *religioso*, non vero a coniunctione externa cum hoc vel illo religioso christianorum coetu. Hinc cum singulorum istius Ecclesiae sociorum animus religiosus hominibus cognitus nec sit nec esse

---

[1] Cf. Denzinger-Bannwart n. 627.

[2] Hurter, Gesch. Papst Innozenz' III. II² 275. Non vero annumerandus est inter invisibilis Ecclesiae defensores abbas Ioachim de Fiore. Licet enim futuram esse „Ecclesiam spiritualem" putaverit, de ea tamen haec docet: „Non igitur, quod absit, deficiet ecclesia Petri, qui est thronus Christi . . ., sed commutata in maiorem gloriam manebit stabilis in aeternum." Cf. Archiv für Literatur- u. Kirchengesch. des Mittelalters, herausgeg. von H. Denifle und F. Ehrle I, Berlin 1885, 55 sq.

[3] Cf. Denzinger-Bannwart n. 485 sq, ubi refertur, ipsos duas finxisse ecclesias, unam carnalem, aliam spiritualem, in qua ipsi soli contineantur, et in qua sola auctoritas perseveret.

possit, etiam ipsa vera Christi Ecclesia incognita ideoque invisibilis sit necesse est. Quae quidem opinio totam a Christo institutam Ecclesiam, qualem hactenus probavimus, plane negat.

Ceterum necesse omnino est, coetus protestantium et haereticorum orientalium, qui infallibile Ecclesiae magisterium sibi non vindicant, omnes visibilitatem Ecclesiae ut verae reicere et docere, Ecclesiam esse prorsus invisibilem. Cum enim Ecclesia ut vera visibilis dici non possit, si non ipsius doctrinae veritas etiam ratione saltem mediata certo visibilis sit, cumque haec visibilitas effici certo nullatenus possit nisi ope infallibilis magisterii, illi coetus omnes, si sibi constare velint, veritatem Ecclesiae Christi visibilem esse necessario negare debent. Unde cum multi tamen protestantium recentiore praesertim aetate Ecclesiae visibilitatem concedunt, aliis suis doctrinis contradicentes id asserunt. Nec tamen ex allata modo interna, ex visceribus rei ipsius petita ratione protestantismi auctores Ecclesiam invisibilem dixerunt, sed propter alias etiam omnino et maxime varias mere externas rationes.

Difficillimum porro esset statuere, ex quatuor priore loco allatis sententiis quaenam quibus protestantium religiosis coetibus vel eorum theologis sit attribuenda, cum et singuli auctores dictae reformationis et protestantium libri symbolici et plurimi eorum theologi in hac quaestione tractanda sibi adeo non constiterint, ut aut aperte sibi ipsi contradicerent, aut certe doctrinam hac de re omnino incertam ac perplexam traderent. Certe multis documentis ostendit protestans Schenkel[1], Lutherum primo Ecclesiam plane invisibilem docuisse, postea tamen, ab adversariis pressum, duas eiusdem notas, sinceram ac puram evangelii praedicationem et rectam sacramentorum administrationem, ut necessarias statuisse, nec tamen vel illius vel huius suae sententiae veritatem demonstrasse nec sibi umquam in defendenda vel una vel altera constantem fuisse, sed pro temporibus variasse[2]; item Calvinum ferme cum Luthero hac in re consensisse, Zwinglium vero etiam temerarias et inter se omnino pugnantes doctrinas tradidisse de Ecclesia vera, utpote per se ut tali invisibili, soli Deo cognita, solos sanctos continente et tantum in die extremi iudicii apparente, visibili tamen in his

[1] Das Wesen des Protestantismus aus den Quellen des Reformationszeitalters dargestellt III, Schaffhausen 1851, 120—203.

[2] Sane post multa huius rei allata argumenta Schenkel (l. c. 138) de Luthero scribit: „Luther dreht sich mit seinem Begriffe von der Kirche in einem unaufhörlichen Zirkel. Soll er die Merkmale angeben, an denen man sie erkennen kann, so sagt er, sie führe ein rein geistliches Dasein und sei verborgen; bemerkt man hingegen, eine dergestalt verborgene Kirche sei im Grunde gar nicht vorhanden, so sagt er, am Evangelium und Sakramente sei sie ja leicht zu erkennen. Will man ihn wieder bei dieser letzten Äußerung fassen, so kommt's auch da wieder darauf an, daß man *den* habe, von welchem das Evangelium und das Sakrament herkommt, und man wird wieder auf Christum verwiesen. Aber selbst *Christus* ist nach Luther wieder ein Name, der wesenlos ist, mit dem man sich und andere täuschen kann. . . . ‚*Der einige Christus ist recht, aber die Ketzer machen einen neuen Christus.* Die *Worte* sind zweierlei. Ein jeder Ketzer hat ein besonderes Wort und führt den Namen des *göttlichen Wortes* auch. — Schöne Namen sollen mich nicht verführen; *die Ketzer wollen unter den schönen Namen Gottes, Christi und der christlichen Kirche* kommen und die Welt verführen.‘ Dergestalt an allen äußeren und sichtbaren Merkmalen der Kirche verzweifelnd und unfähig, den Gegnern nachzuweisen, woran man sie erkennen und wo man sie finden könne — verweist Luther endlich doch wieder auf das *Leben,* d. h. auf die *sittlich-religiöse Erscheinung* der Kirche.“

terris iam per particulares ecclesias ut illius partes ac membra, quamquam hae particulares ecclesiae etiam pessimos fideles atque vel homines infideles complectuntur; his etiam particularibus ecclesiis proprietates Ecclesiae universalis et invisibilis temere attribuisse, scil. infallibilitatem, sanctitatem, ius de doctrina eiusque doctoribus pronuntiandi etc.[1] Denique, ut taceam, quae de anabaptistarum, Schwenkfeldii aliorumque hac de re doctrina afferre longum est, etiam in ipsis tum lutheranorum tum reformatorum libris symbolicis hac de re doctrina traditur eodem modo confusa, incerta ac quae secum ipsa pugnet. Ac certe Conf. Aug. art. 7 dicitur[2]: „Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta." Quae definitio adeo obscura est, ut, quemadmodum recte ait Schenkel, obscurior vix dari possit, cum minime dicatur, quo sensu haec verba: „congregatio sanctorum" usurpentur, utrum ad designandam Ecclesiam invisibilem illam sola mente conceptam, quam novatores initio somniaverant, an vero ad Ecclesiam visibili modo vere exsistentem. Si invisibilis intelligitur, non concipitur, quomodo ei notae illae Ecclesiae competere possint; si vero Ecclesia visibilis dicatur ista definitione comprehendi pariter non intelligitur, quomodo haec solis sanctis constare dicatur. Octavo tantum articulo indicatur satis clare, Ecclesiae ut invisibilis notionem, tametsi illis verbis contentam, revera tamen abici; dicitur enim illo articulo: „Quamquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint, licet uti sacramentis, quae per malos administrantur." Itaque, ait Schenkel, non in articulo, in quo Ecclesiae definitio, a qua adeo multum pendebat, dabatur, sed in alio et in sententiis quidem tantum interiectis dicitur, Ecclesiam sanctorum sensu vero ac proprio intelligendam non esse, sed eam revera compositam esse etiam ex multis malis et hypocritis. Idemque repetitur in Apologia Confessionis, ita ut clarum fiat, sententiam de Ecclesia invisibili et omnino sancta postea dimissam esse. Sane legitur in ea art. 7 et 8 (4)[3]: „Concedimus, quod hypocritae et mali in hac vita sint admixti Ecclesiae et sint membra Ecclesiae, secundum externam societatem signorum Ecclesiae, h. e. verbi, professionis et sacramentorum, praesertim si non sint excommunicati." Et paulo post dicitur: „At Ecclesia non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut aliae politiae, sed principaliter est societas fidei et Spiritus Sancti in cordibus, quae tamen habet externas notas, ut agnosci possit, videlicet puram evangelii doctrinam et administrationem sacramentorum consentaneam evangelio Christi. Et haec Ecclesia sola dicitur *corpus Christi*, quod Christus spiritu suo renovat, sanctificat et gubernat." Denique ibidem[4] haec habentur: „Si Ecclesia, quae vere est regnum Christi, distinguitur a regno diaboli, necesse est impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam, quamquam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi, sunt admixti Ecclesiae et gerunt officia in Ecclesia."[5]

[1] Suam de Zwingli ecclesia sententiam Schenkel (l. c. 157) hisce concludit: „Seine Kirche ist eigentlich weder sündig noch sündlos, weder fehlbar noch unfehlbar, weder sichtbar noch unsichtbar, weil sie teils das eine und teils das andere, d. h. beides nur nebeneinander ist. Sie ist noch keine *wirklich gewordene*, sondern eine *erst zu werden anfangende Kirche*."

[2] Apud Müller 40. [3] Ibid. 152. [4] Ibid. 155.

[5] Circa quam doctrinam annotat Schenkel (l. c. 197 sq): „Gewiß — eine eigentümliche Verwirrung! Wir suchen die wahre Kirche, und es wird uns gesagt:

Quod porro ad libros symbolicos reformatorum spectat, Confessio Scot. art. 16 definit [1] Ecclesiam „societatem et multitudinem hominum a Deo electorum, qui illum recte per veram fidem in Iesum Christum colunt et amplectuntur", quae quidem Ecclesia sit „invisibilis, soli Deo nota", cuius tamen notae sint vera praedicatio verbi Dei et recta sacramentorum administratio (art. 18). Traditur ergo etiam hic illa protestantium secum ipsa pugnans doctrina. Item Conv. Helv. post. c. 17 easdem illas duas Ecclesiae notas statuit [2], et nihilominus profitetur [3]: „Unde et Ecclesia invisibilis appellari potest, non quod homines sint invisibiles, ex quibus Ecclesia colligitur, sed quod oculis nostris absconsa, Deo autem soli nota, iudicium humanum saepe subterfugiat." Contra Conf. Tetrapolitana c. 15 [4], Bohemica art. 11 [5], Anglicana art. 19 [6] Ecclesiam visibilem admittunt.

Quae cum ita se habeant, mirum non est, protestantium theologos iam inde a primis temporibus ad nostram usque aetatem ubique locorum in varias hac de re sententias abiisse, cum alii in America, Anglia, Germania et alibi Ecclesiam visibilem, alii invisibilem defenderint et adhuc defendant [7], alii, ut J. P. Lange [8], eam essentialiter invisibilem et simul visibilem dicant et iam olim dixerint, ut J. Gerhard [9] et Frid. Cotta [10]. Qui autem Ecclesiam invisibilem docuerunt, id fecerunt etiam propterea, ne catholicis concedere cogantur, se a vera Ecclesia recessisse, utque Romanum Pontificem et hierarchiam ab Ecclesia Christi possent excludere.

II. Probatur thesis pars I: de visibilitate Ecclesiae.

Ecclesia Christi ut talis sive ut vera essentialiter ideoque semper visibilis est, si essentialia elementa tum formalia tum materialia,

---

sie sei etwas Sichtbares. Wir suchen ihre Glieder, und es wird uns gesagt: *alle wahren Gläubigen gehören dazu.* Wir suchen die Gläubigen, und es wird uns gesagt: *man könne sie nicht sehen.* Wir bemerken folgerichtig: *mithin sei die Kirche nicht sichtbar,* und es wird uns gesagt: sie sei es *vermittelst der reinen Lehre und der rechtmäßig verwalteten Sakramente.* Wir fragen, ob denn alle, welche sich zur reinen Lehre bekennen und die rechtmäßig verwalteten Sakramente empfangen, gläubig seien und der wahren Kirche angehören, und man antwortet wieder: *Mit nichten, sondern unter der Zahl dieser befinden sich viele Ungläubige und Heuchler.* In welchem Zirkel werden wir da herumgeführt? Was ist am Ende sichtbar, was unsichtbar an der wahren Kirche?"

[1] Apud Niemeyer 348 sq. [2] Ibid. 502. [3] Ibid. 504.
[4] Ibid. 759. [5] Ibid. 835 sq. [6] Ibid. 605.
[7] Cf. Jörgl. c. I 356—372; Murray I 254—264; Kenrick, Theol. dogm. I 104 sq.
[8] Christl. Dogmatik, Heidelberg 1848—1852, 2, 1088, ubi scribit: „Es ist der Grundcharakter der Kirche, daß sie *unsichtbar* und *sichtbar* zugleich ist."
[9] Loci theol. XI, Tubing 1767, 82 sqq.
[10] Ibid. in notis p. 106. Uterque docet, Ecclesiam *visibilem* esse respectu non solum *hominum,* qui eam constituant, sed etiam *status sui externi,* sive *externorum subsidiorum* et *instrumentorum,* per quae in his terris colligatur Ecclesia, necnon ratione *externorum religionis exercitiorum,* quae sint professio doctrinae, usus sacramentorum aliaque ad cultum divinum spectantia et disciplina ecclesiastica. *Invisibilem* autem ipsi eam esse dicunt potissimum respectu fidei et status interni fidelium et communionis cum capite invisibili, Iesu Christo. Hinc ecclesiam *electorum* invisibilem dicunt, eo quod ipsorum fides et divina electio non appareant et quamvis ut homines corporei visibiles sint, non tamen videantur ceu electi.

quibus tamquam religiosa a Christo instituta societas praecipue constat, essentialiter semper visibilia sunt. Atqui ita est. Nam natura sua visibilia sunt ut talia Ecclesiae

1. elementa formalia. Ut enim demonstravimus, duplex est Ecclesiae hoc elementum formale, scil. forma externa et interna. Iam vero natura sua manifesto visibilis est

a) *forma externa.* Haec enim constat tum sacro regimine generatim ac speciatim primatu, tum magisterio infallibili, quod propagandum est in perpetuum humana utique electione, sed secundum Christi voluntatem, ergo successione a Deo postulata. Regimen autem illud sacrum et infallibile magisterium ut talia visibilia sunt. Etenim Ecclesiae, ut omnis societatis, rectores visibiles sint necesse est non solum ut homines, sed etiam ut praepositi et ut triplici quidem illa potestate legifera, iudiciaria, ultrice instructi; alioquin enim fideles eos adire atque audire, ipsis oboedientiam praestare actionemque in alios apud ipsos instituere nullatenus possent. Petri autem in primatu successorem ut talem eo magis etiam atque eminenti quidem ratione visibilem esse patet eo, quod unus tantum esse debet totius Ecclesiae rector supremus. Atque eos omnes esse *legitimos* successores constare etiam facile potest morali certitudine atque evidentia. — Nec minus visibile in perpetuum est magisterium infallibile ut tale. Tametsi enim infallibilitas ipsa oculis corporeis videri nequit, certissime tamen ac facile ipsum Ecclesiae magisterium ut infallibile cognoscitur, cum et magisterium ipsum, ut vidimus, sit sacro regimini essentialiter visibili annexum, et infallibilitate illud donatum esse ex certis ac claris Christi promissis omnino constet. Haec igitur essentialis Ecclesiae forma externa est manifesto institutum obiectivum natura sua et eminenti quidem modo visibile. Ideo vero

b) *etiam essentialis forma* Ecclesiae *interna* necessario semper visibilis est. Et α) *quidem doctrinae* Ecclesiae veritas sive vera eius fides obiective spectata visibilis fit semperque est hac ratione, quod quaecumque Ecclesiae magisterium ceu infallibile ut divinitus tradita ac generatim ut vera docet, necesse est sint et agnoscantur reapse vera et divinitus revelata. Mediate igitur per magisterium infallibile doctrinae Ecclesiae veritas non utique oculis corporeis sive sensu stricto, sed sensu lato, sive intellectui visibilis fit, et modo quidem certissimo, cum illud magisterium ut infallibile errare et fallere non possit. Id autem sufficit, ut doctrinae veritas visibilis dicatur eadem ratione, qua sufficit, humanae animae praesentiam ex eius actionibus mediate percipere, ut homo non tantum ceu corpus, sed et ceu homo visibilis dicatur et vere sit. — β) *Professionem* porro huius verae fidei *externam* et *publicam* sive oculis sive auribus percipi et intellectu dignosci posse utrum recta sit necne, manifestum plane est, cum quilibet veram Ecclesiae doctrinam cognoscens facile intelligat, utrum cum illa consen-

tiat professio fidei externo et publico modo a fidelibus prolata. — γ) *Exercitatio* vero *spei* et *caritatis* externa pariter omnino visibilis est, et ut verae quidem spei et caritatis christianae. Hae enim virtutes visibili modo coluntur et exercentur observantia praeceptorum, quae Christus per Ecclesiam docet esse observanda; observari autem ea, pleraque saltem, non possunt, quin haec observantia etiam externa fiat. Qui enim omnia officia caritatis ergo Deum et homines expleri possint modo prorsus invisibili? Cogita v. g. officium misericordiae erga pauperes, miseros et aegrotos, dilectionis erga inimicos in faciem te offendentes. — δ) *Item cultus* ab Ecclesia Deo publice exhibendus natura sua visibilis est sensu stricto, eius autem veritas saltem lato sensu, eo quod certissimum est, infallibilem Ecclesiam Deum colere non posse cultu vel falso vel inepto et indecoro. — ε) *Hinc finis* Ecclesiae *proximus,* cultus ac conservatio religionis christianae, plane sensibus subiectus est, *ultimus* autem clare ac certo a ratione agnoscitur.

Formalia igitur elementa, quibus Ecclesia a Christo potissimum instructa est, sensu vel stricto vel lato prorsus visibilia constituta sunt omnia.

2. Sed etiam elementum Ecclesiae materiale, fidelium multitudine constans, essentialiter visibile est. Ecclesiae enim filios non tantum ut homines, sed etiam ut ipsius fideles visibiles esse negari minime potest. Id enim patet

a) *ex ipsorum oboedientia* erga Ecclesiae regimen ac magisterium. Nam si debitam unionem cum Ecclesiae praepositis ac speciatim cum Petri in primatu successore servant, necnon communionem cum ceteris Ecclesiae fidelibus, doctrinam vero ab infallibili magisterio traditam suscipiunt ac profitentur, manifesto ut Ecclesiae fideles se gerunt. Ita autem omnes se gerere debent, quamdiu Ecclesiae filii esse ac manere volunt; haec porro se gerendi ratio evidenter visibilis est.

b) *Ex ipsorum vita religiosa.* Qui enim in Ecclesia sunt, debent et Deum publice colere et Christi atque Ecclesiae praecepta servare, atque ita non solum vera fide, sed etiam vera spe et caritate animati vitam vere christianam degere; iste autem Dei cultus publicus istaque praeceptorum observantia vitaque christiana, ut plurimum saltem, non potest esse invisibilis, quamquam interni iustorum actus virtutis aliis per se incogniti sunt. Itaque etiam fidelium multitudo ut talis plane visibilis est.

Nec obstat, quod protestantes opponunt, nec ad aeternam vitam electos ut tales, nec generatim christianos ut Deum „in spiritu et veritate" adorantes et vera caritate amantes visibiles esse. Primum enim excepta Dei caritate haec non pertinent ad essentialem Ecclesiae formam; unde Ecclesia ut vera plane visibilis maneret, etiamsi illa per se prorsus invisibiles essent. Deinde haec, tametsi non semper, saepe tamen sufficienter visibiles fiunt. Qui enim Christi fideles vitam agunt vel prorsus sanctam, ita ut heroicis

virtutibus emineant, vel certe vere christianam ac puram, ipsorum adoratio et caritas Dei externo modo visibilis iure omnino censenda est etiam provenire ex intimo animo et nullatenus simulata esse; et si insuper Deus in eorum virtutum gratiam vera miracula edat, manifesto illi habendi sunt veri Dei adoratores et amatores, et ut tales visibiles redduntur. Porro quam plurimos eiusmodi homines in Christi Ecclesia omni tempore exstitisse historia tradit. Et de eiusmodi sanctis vel certe piis Christi fidelibus iudicare summo iure etiam licet, eos reapse ad vitam aeternam esse electos.

Pariter non officit, quod in Ecclesia praeter multos iustos ac plus minusve sanctos multi quoque hypocritae et mali reperiuntur. Iusti utique et sancti magis cum Ecclesia coniuncti sunt quam hypocritae ac peccatores in ea viventes, quia hi non tam interno quam externo vinculo, sive ut dici solet, non tam animo quam corpore cum illa coniunguntur, illi vero iusti et sancti ei etiam toto animo adhaerent et ut verissimi eius filii sese gerunt. Nihilominus etiam qui maxime peccatores et simulatores sunt, Ecclesiae filii aliquatenus saltem esse possunt, quamdiu nec haeresis aut schismatis *externa* professione fidei verae renuntiant nec ab ipsa Ecclesia *foras eiiciuntur*, cum illi peccatores sane cum Ecclesia coniuncti sint vinculis externae oboedientiae et externae professionis verae fidei, necnon communicationis sacrorum et cultus divini publici. Nec veritas ipsius Christi Ecclesiae eorum praesentia ullatenus invisibilis redditur aut vere ac proprie obscuratur. Ea enim veritas maxime ac proprie sita est in formali Ecclesiae elemento tum externo tum interno, quod, ut prius monstravimus, semper immutabile manet, quodque, ut vidimus, institutum est a Christo essentialiter visibile. Insuper Ecclesiae veritas nullatenus requirit, ut omnes ipsius alumni sint vel iusti vel ad aeternam vitam praedestinati, qui utique soli Deo sunt noti.

Ecclesiam enim semper complecti eiusmodi fideles, qui peccatores sunt aut usque ad vitae finem iusti non sunt perseveraturi, evidens est *primum* ex eo, quod Christus ipse eam comparat modo cum agro, in quo inter bonas fruges crescant etiam zizania, tempore messis tantum discernenda (Mt 13, 24—30), modo cum sagena bonos et malos pisces continente (ib. v. 47 48); quodque praeterea dicit, in ea esse, quibus quam saepissime iniuriarum venia danda sit (ib. 18, 22 sqq), necnon virgines morali sensu prudentes et fatuas (ib. 25, 1—14), et peccatorem illum, qui saepius incassum admonitus tandem ab ipsa excludendus sit; quod etiam omnes suos fideles precari docuit, ut dimittantur ipsis peccata sua (ib. 6, 12).

Deinde peccatores semper futuros esse in Ecclesia patet ex sententia apostolorum. Secundum S. Paulum certe in Ecclesia alii similes sunt vasorum aureorum, alii argenteorum, ligneorum et fictilium, ita quidem, ut alii sint in honorem, alii in contumeliam (2 Tim 2, 20); secundum Iacobum (5, 16) alter alteri peccata sua confiteatur; quinimmo Ioannes dicit (1, 1 8 sqq) eum, qui putet se nullius peccati reum esse, omnino falli; et Apc c. 2 et 3 episcopos Asiae minoris verbis castigat, et Sardicensi Christi nomine dicit (3, 1): „Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es.“ Et quis nesciat, minime omnes christianos primitivae Ecclesiae sanctos fuisse, atque S. Paulum saepe multorum vitia graviter reprehendisse? Cf. v. g. 1 Cor 1, 10; 4, 18 21; 5, 11; 6, 6—10; Phil 2, 21; 3, 18 19; 2 Thess 3, 6 11. Ipse etiam Timotheum ac Titum docuit, qua ratione peccatores punire deberent. In Ecclesia fuerant Ananias et Saphira, quos gravis peccati causa Deus morte mulctavit

(Act 5); in ea etiam fuerat, antequam monente Paulo excludebatur, incestuosus Corinthius (1 Cor 5, 1 sqq); non enim Paulus eum ex Ecclesia expulisset, si postquam peccare coepit, haud amplius in ea fuisset. — Nec vero mirum est, esse in Ecclesia etiam peccatores, cum moraliter impossibile sit, ut res aliter se habeat. Qui enim vel gentiles vel alii Ecclesiae aggregantur, hac ipsa cooptatione neutiquam sancti in omne tempus redduntur, sed constanter religionis christianae omniumque virtutum cultu eo tendere omni studio utique *debent*, ut continuo magis magisque puri ac sancti efficiantur totamque legem moralem Christi perfecte observent. Haec autem lex adeo pura et perfecta est, ut eam totam certe nullus, nisi singulari prorsus ac perpetuo Dei auxilio adiutus, ita omnino perfecte semper observet, ut numquam vel levissimum peccatum committat. Iam cum homo natura sua sit adeo levis et infirmus et inconstans, totque in ipso vigeant malae cupiditates, atque peccandi illecebris et periculis innumeris ubique circumdetur, fieri non potest, quin multi multa peccata committant et perfectam vitae sanctitatem, ad quam, ut finem suum proximum, Ecclesia omnes quidem perducere studet, reapse relative pauci assequantur. Atque etiam qui sancti evadunt, vix umquam ita perfecti erunt, ut perfectiores fieri usque non possint; primarium enim Christi praeceptum, Deum non tantum magis quam reliqua omnia, sed etiam toto animo ac pro omnibus viribus amandi vix a quoquam ita semper et ubique observatur, ut non perfectius ab ipso potuerit observari. Quare doctrinae Christi in se spectatae moralis perfectio tanta est, ut eam nemo umquam plene metiri et exhaurire possit, et quaecumque christianorum sanctitas minor semper sit sanctitate illius ab Ecclesiae magisterio propositae Christi doctrinae. Unde Ecclesia ut institutum quidem divinum obiectivum et visibile pro sua immutabilitate semper perfecta est ea perfectione, quam a Christo in ipsa sui institutione recepit; ut vero est etiam aliquatenus invisibilis, i. e. quatenus credita ipsius doctrina a fidelibus colitur et observatur, manet semper plus minusve imperfecta.

Denique comprobatur, quod asserimus, christianae antiquitatis testimonio. Sane scribit Origenes[1]: „In Ecclesia licet omnes intra unam fidem contineantur atque uno baptismate diluantur, non tamen unus omnibus atque idem profectus est. . . . Hi quidem, qui per rationabilem scientiam vivunt . . ., paucorum, qui cum ipso Noe salvantur et proxima ei propinquitate iunguntur, tenent figuram. . . . Et ii sunt, qui in summo gradu positi sunt et in summitate arcae collocantur. Ceterum multitudo irrationabilium animalium vel etiam bestiarum in inferioribus locis habetur, et eorum maxime, quorum feritatis saevitiam nec fidei dulcedo mollivit." Item Pacianus ait[2]: „Nos autem intelligimus, ut exprobras, Ecclesiam Dei, columbam non felle amaram, non unguium laceratione violentam, parvulis quoque plumis exiguisque. Scimus etiam puteum aquae vivae fontemque signatum nulla haeretici gurgitis labe sordere, hortumque conclusum plenum oleribus magnis pariter et parvulis, vilibus atque pretiosis. Octo quoque animas ex arca, sed inter quas et Cham fuerit, et milia illa volucrum atque ferarum bina atque septena, munda pariter et immunda; fontes vero siccos et nebulas turbinibus excitatas haereticorum sterilitatem et insanarum vocum impetus arbitramur." Eodem sensu

[1] Hom. 2 in Gen. n. 3 (MG XII 168).
[2] Ad Sympron. ep. 3, n. 21 (ML XIII 1077 sqq).

loquitur etiam Theodoretus dicens[1]: „Praeterea nec Dei Ecclesia ex hominibus perfectis tota constat, sed habet etiam ignavos, et qui remissam vitam amplexi sunt, et qui voluptatibus servire decreverunt.“ Idem testatur Hieronymus[2]: „Ut ibi [in arca Noe] pardus et hoedi, lupus et agni, ita et hic [in Ecclesia] et iusti et peccatores.“ Atque ut aliorum multorum testimonia omittam, Augustinus multis in locis idem affirmat. Ita v. g. ad patientiam malorum adhortans ait[3]: „Cum quisque profecerit in Ecclesia, necesse est malos patiatur in Ecclesia. Sed non eos cognoscit, qui talis est; quamquam multi mali murmurent adversus malos, quomodo facilius unus sanus fert duos aegrotos, quam duo aegroti se invicem singulos. Itaque hoc praecipimus, fratres, area est Ecclesia huius temporis. . . . Nemo ante tempus ventilationis deserat aream, quasi dum non vult pati peccatores, ne praeter aream inventus prius ab avibus colligatur, quam ingrediatur in horreum.“ Alio loco scribit[4]: „Ubicumque autem in his libris [De baptismo c. Donat.] commemoravi Ecclesiam *non habentem maculam aut rugam,* non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum habet, unde quotidie tota dicat: *dimitte nobis debita nostra.*“ Tertio denique loco Augustinus ait[5] manichaeis: „Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiae catholicae maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigere studet.“ Atque haec testimonia sufficiant, praesertim cum notum sit, *Chrysostomum aliosque Patres* in sermonibus sacris multorum fidelium mores saepe reprehendisse suosque auditores graviter adhortatos esse, ut a vitiis abstinerent christianasque virtutes serio colerent; qua adhortatione profecto minime opus fuisset, si, qui praesentes erant fideles et ab illis ut Ecclesiae filii habiti sunt, vere sancti iam fuissent atque etiam ab illis Patribus ut tales agniti essent. Cum autem Chrysostomus docet[6], apostoli dictum (2 Tim 2, 20) non esse de Ecclesia ita intelligendum, ut in ea non solum aurea, sed et minoris pretii vasa sint, loquitur manifeste vel de eo, quod esse deberet. non vero, quod in ea reapse sit, vel de obiectiva Ecclesiae per apostolos docentis sanctitate.

Praeterea iusti et sancti Ecclesiae non utique regentis et infallibiliter docentis, sive ut instituti obiectivi, sed ut fidelium multitudinis consideratae praecipua sunt pars, ipsius Ecclesiae docentis et regentis consilio maxime respondentes intimeque cum ea ita spectata coniuncti; ipsi etiam sunt egregium eius ornamentum et praecipua instrumenta, quibus Deus vel ad filiorum Ecclesiae suae mores emendandos vel ad religionem christianam latius propagandam, vel ad falsas doctrinas verbo et scripto impugnandas vel ad Ecclesiam aliis eximiis operibus illustrandam uti fere solet. Nihilominus etiam fideles, qui magni sunt peccatores, ad Ecclesiam pertinere om-

---

[1] In Ps. 39, v. 13 (MG LXXX 1160): *Οὐδὲ ἐκ τελείων πᾶσα συνέστηκεν ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία, ἀλλ' ἔχει καὶ τοὺς ῥᾳστώνῃ συζῶντας, καὶ τὸν ἀνειμένον βίον ἀσπαζομένους, καὶ ἡδοναῖς δουλεύειν αἱρουμένους.*

[2] Dial. adv. Lucif. n. 22 (ML XXIII 176).

[3] In Ps. 25 enarr. 2, n. 5 (ML XXXVI 190).

[4] Retract. 2, 18 (ML XXXII 637).

[5] De mor. Eccl. cath. l. 1, c. 34, n. 76 (ib. 1342).

[6] In 2 Tim. hom. 6, n. 1 (MG LXII 629).

nino censendi sunt, quamdiu debitam unitatem cum ea servant aut ab ipsa non eiciuntur. Tametsi enim virtutes fidei et spei et caritatis essentiales sunt Ecclesiae, ita ut illis carere numquam possit, non tamen eae omnes absolute necessariae sunt singulis hominibus, ut possint esse membra Ecclesiae. Nam non omnia, quae de aliqua societate praedicantur, eo ipso etiam de singulis membris illius societatis praedicari possunt.

Itaque cum essentialia elementa tum formalia tum materialia, quibus Ecclesia ut religiosa a Christo instituta societas potissimum constituitur, essentialiter semper visibilia sint, certum omnino et evidens est, Ecclesiam essentialiter quoque et semper ut veram visibilem esse.

Confirmatur haec eadem veritas 1. ipsius Christi et apostolorum dictis. Nam Christus Mt 28, 19 praecepit, ut qui evangelio crederent, ritu externo, baptismo, Ecclesiae verae aggregarentur; hunc ritum autem visibilem sane non praescripsisset, si Ecclesia ipsa invisibilis esset. Nomine etiam *Ecclesiae,* quo ipse Christus institutam a se societatem vocavit Mt 16, 18, in S. Scriptura visibilis tantum hominum congregatio appellatur. Christus praeterea voluit in Ecclesia et per Ecclesiam perennem facere suam in terris missionem et iuge reddere suum orale magisterium. Sed missio Christi eiusque magisterium fuere visibilia. Nec etiam posset Ecclesia illi muneri satisfacere, nisi esset aspectabilis societas.

Ecclesiam a Christo visibilem institutam esse pariter docent apostoli. Ipsi enim „in universum orbem abeuntes ubique verbum Domini praedicabant, atque eos, qui illud receperant, in visibiles societates coniungebant, ubique ecclesias particulares constituentes, quibus seniores et ministros praeficiebant, hasque rursus unam Ecclesiam universalem, Ecclesiam seu domum Dei (1 Tim 3, 15), unum corpus, licet multa sint membra (Eph 1, 22; 4, 4; 5, 23. 1 Cor 12, 14 sq) efficere tradunt. Hinc et dicere potest Lucas, appositas esse (Ecclesiae) in die Pentecostes post primam a S. Petro habitam orationem ad iudaeos animas circiter ter mille (Act 2, 41); Paulus dare ad varias ecclesias epistulas, et admonere Corinthios, ut sine offensione sint iudaeis et gentibus et *Ecclesiae Dei* (1 Cor 10, 32); in epistula ad Philippenses scribere, se persecutum esse Ecclesiam, i. e. quos noverat christianos, non iustos (3, 6); atque advocatos ex Epheso antistites exhortari, ut attendant sibi et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (Act 20, 28); Petrus scribere advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae (1 ep. 1, 1); Ioannes vero mittere literas ecclesiis, quae erant Ephesi, Smyrnae et Pergami et Thyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiciae (Apc 1, 11). Atque hinc etiam de excommunicatione ac abscissione membrorum Ecclesiae possunt loqui.“ [1]

---

[1] Schwetz II 12.

Quae cum ita sint, in antecessum iam certo iudicare licet, in S. Scriptura prorsus nihil esse, quo nostra de Ecclesiae visibilitate doctrina evertatur, cum alioquin Deus, Ecclesiae auctor, sibi ipse contradixisset. Atque revera quod olim protestantes dixerunt, synagogam visibilem interdum totam defecisse, ita ut amplius videri non potuerit, ergo etiam Ecclesiam Christi visibilem posse pariter identidem adeo deficere, ut invisibilis evadat, infirmum est, cum Christi Ecclesia multo altioris sit ordinis ac dignitatis, quam fuit synagoga, cumque, id quod monstravimus, in perpetuum immutabilis constituta sit respectu omnium, quae ei essentialia sunt, praecipue igitur quoad formam essentialem et internam et externam. Hac autem utraque forma et maxime quidem externa Ecclesiae visibilitas potissimum efficitur et continetur.

Quae vero e Novo Testamento proferuntur, pariter contra Ecclesiae visibilitatem nihil probant. *Primum* enim quod Christus Mt 13, 44 dixit: „Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa quae habet, et emit agrum illum", neutiquam de ipsa Ecclesia eiusque externa organizatione, sed de evangelica doctrina, ut plerique S. Scripturae explanatores interpretantur, intelligendum est, de eius scil. pretio, quod tantum praedicatur, ut, si opus sit, omnium rerum iactura debeat comparari. Thesauro vero *abscondito* bona regni messiani assimilantur, quia multis ipsum illud regnum „tectum est et ignoratum, cum nesciant, esse regnum a Deo institutum, cui omnes nomen dare ac sese subicere debeant"; praeterea „aliis magnam partem vel maximam quoque incognitum est, cum sapientiam coelestem et bona supernaturalia eo in regno oblata et promissa parvi pendant ac fere neglegant. Quare illis opus est magno gratiae lumine et auxilio, quo Deus haud raro quosdam subito illustrat, ut talem thesaurum inveniant. Cogita de subita Pauli conversione." [1] Tali autem modo etiam Ecclesia si maxima visibilitate externa praedita est, abscondito thesauro recte comparatur. — Quodsi deinceps additur, hominem post thesauri inventionem eum abscondisse, animadvertendum est, non omnia et singula, quae in parabolis narrantur, etiam ad rem parabola designatam debere posse transferri. Ut pretium thesauri inventi efferatur, apte in parabola additur, hominem, qui eum invenerat, eum abscondisse, i. e. sollicitum fuisse, ut eum sibi retineret et alios, ne praeoccupent thesaurum, ab eius cognitione excluderet. In re parabola illa significata huic absconsioni necesse non est, ut alia absconsio respondeat.

Deinde neque quod Christus interrogantibus pharisaeis: „Quando venit regnum Dei?" perhibetur Lc 17, 20 21 respondisse: „Non venit regnum Dei cum observatione (μετὰ παρατηρήσεως); neque dicent: ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est (ἐντὸς ὑμῶν)", quidquam obest, sive „regnum Dei" explicatur de regno Christi in hominum animis fidei christianae et poenitentiae aliarumque virtutum ope condito, sive, ut alii quam plurimi volunt, de adventu et praesentia Messiae, cum manifestum sit, secundum neutram explicationem Ecclesiae invisibilitatem significari. Secundum priorem enim interpretationem de Ecclesia nulla ratione agitur, neque proprie secundum alteram; si quis tamen Christi, utpote Ecclesiae auctoris, adventu hanc iam eo tempore quasi inchoatam dicere velit, quatenus in Christo una cum discipulis suis eminenti modo constabat, eam minime invisibilem, sed valde con-

[1] Knabenbauer in h. l. p. 555.

spicuam dicere debet, cum sane Christus ut divinitus missus Messias simul cum apostolis aliisque discipulis tunc temporis eminentissime visibilis esset.

Tum ex Hebr 12, 18 22 23: „Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem et caliginem et procellam . . ., sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem et multorum milium angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis", non sequitur, Paulum hic synagogae visibili, comparatae cum monte Sinai visibili et tangibili, opponere Ecclesiam Christi, utpote comparatam cum monte Sion spirituali sensu accepto, tamquam invisibilem. Admittendum quidem est, hic agi de Christi Ecclesia non solum triumphante sive beata in coelis, sed simul ut militante in terris spectata, cum instituta ab apostolo antithesis id postulet; verum Paulus Ecclesiam Christi militantem synagogae non ut invisibilem visibili, sed ut spiritualem terrenae et ut perfectiorem imperfectiori opponit. Opponit enim modum, quo initum est primum foedus, modo, quo initum est novum, huiusque praestantiam ostendit. Sane conditum esse dicit primum sive vetus foedus inter maximos terrores, omnino aliter ac novum constitutum est; sancitum enim esse illud sanguine brutorum, hoc vero sanguine ipsius Christi Domini (v. 24); spiritum Veteris Testamenti fuisse spiritum timoris, Novi autem amoris, ut explicat Rom 8, 15; ad illud accessisse homines corporis gressibus, ad hoc vero fide; illud sanxisse Deum in terra, hoc ratum habere in coelo (v. 25); Novo denique promitti bona spiritualia et aeterna, cum Vetere promissa fuerint tantum bona temporalia. Hac igitur oppositione utriusque foederis invisibilitas Ecclesiae nullatenus docetur. Nec magis obsunt haec S. Pauli Rom 8, 9: „Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius." Nam „qui non habet spiritum Christi, non est Christi, prout Christus vivificat per caritatem; at si retineat fidem Christi, habet quodammodo spiritum Christi, seu accipit aliquem influxum a Christo capite, et sic quodammodo etiam pertinet ad Ecclesiam. Immo prout adhaeret externis vinculis corpori Christi mystico, quod est Ecclesia, aliquem externum motum simul cum aliis a Christo recipit: sicut membra corporis arida ob continuitatem cum reliquo corpore vivo ac perfecto aliquem externum motum a capite habent, vel saltem non marcescunt." [1]

Denique ex 1 Petr 2, 5: „Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum", colligi non potest, Ecclesiam invisibilem esse. Nam Petrus ut praeses visibilis a Christo Ecclesiae praefectus ad Ecclesiam pariter visibilem scribit eamque ut talem, scil. visibilem, manifesto exhibet 5, 1 sqq, ubi seniores illius ecclesiae adhortatur, ut pascant gregem non „dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo". Qua enim ratione haec omnia cum ecclesia non conspicua conveniant? Et ipso c. 2, 9 declarat illius ecclesiae fidelibus, ipsorum esse, ut virtutes *annuntient* eius, qui ipsos de tenebris vocaverit in admirabile lumen suum: quae sane neque intelligi possent, si S. Petrus voluisset docere, Christi Ecclesiam invisibilem esse. Insuper Petrus illis verbis c. 2, 5 nihil aliud spectat, quam ut christiani non tantum externo, sed interno etiam amoris vinculo cum Christo coniungantur atque ita cum ipso uniti domum vere spiritualem, non externam tantum et

[1] Mazzella, De Relig. et Eccl. 485 sq.

materialem, aedificent atque hostias non carnales et cruentas, quales iudaeorum fuerunt, sed spirituales omnium virtutum Deo offerant, earum praesertim, quas in eodem hoc capite commemorat, scil. castitatis, oboedientiae legitimis superioribus debitae, caritatis fraternae, patientiae in adversis etc., quae hostiae omnes non sunt mere internae et hominum aspectui subtractae. Petrus igitur Ecclesiam cum re corporea et omnino visibili, domo, comparans eam spiritualem minime ideo nominavit, quod esset invisibilis, sed quod propositus ei finis multaque adiumenta spiritualia sunt.

Postremo quod Paulus Eph 5, 25—27 scribit, Christum dilexisse Ecclesiam et se ipsum tradidisse pro ea, ut ... „exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata", manifeste nihil aliud monstrat, quam Ecclesiam ratione essentiae sanctam finemque ipsi propositum hunc esse, ut sit sancta et immaculata; minime autem exprimit, necesse esse, singulos etiam et universos Ecclesiae praesentis socios esse sanctos sanctitate tantum interna et plane invisibili. „Quemadmodum enim respublica quaelibet dici potest perfecta, si servet finem honestum, idoneum regimen, leges iustas, ac publicam felicitatem debite promoveat; etsi in ea plura sint membra, qui haud recte se gerant: ita dici potest, Ecclesiam esse totam pulchram etc., etsi aliqua eius membra a recto tramite deflectant." [1] Ceterum Ecclesia iam in his terris ut institutum divinum obiectivum omnino sancta est, id quod in priore quaestione ostendimus, et tempore secundi Christi adventus etiam ratione *omnium* sociorum, quos tunc habebit, prorsus sanctam et immaculatam sese exhibebit. Nihil igitur in S. Scriptura est, quod adversariorum sententiae de Ecclesia invisibili vel minimum faveat, cum aliae ex ea a protestantibus prolatae difficultates multo minus contra Ecclesiae visibilitatem valeant atque eiusmodi sint, ut refutatione plane indignae videantur [2].

2. Confirmatur Ecclesiae visibilitas antiquitatis christianae assensu. Multis certe testimoniis monstrari potest, sanctis Patribus intime persuasum fuisse, Christi Ecclesiam natura sua perpetuo visibilem esse, sed haec pauca sufficiant. Scribit Irenaeus [3]: „Ubique Ecclesia praedicat veritatem; et haec est ἑπτάμυξος [septem linamenta habens] *lucerna Christi baiulans lumen.*" Item Cyprianus ait [4]: „Ecclesia Domini *luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.*" Athanasius dicit [5]: „Thronum Christi intellige Ecclesiam; in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi *fulgens* et *illuminans* orbem manensque in aeternum *sicut sol* et *luna.*" Chrysostomus de Ecclesiae persecutoribus locutus ait [6]: „Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? *Plus quam sol splendescit* (*ὑπὲρ τὸν ἥλιον λάμπει*)." Ambrosius scribit [7]:

[1] Mazzella l. c. 484. [2] Cf. Murray II 284 sqq.

[3] Adv. haer. l. 5, c. 20, n. 1 (MG VII 1177).

[4] De unit. Eccl. c. 5 (Hartel 214).

[5] In Ps. 88, v. 38 (MG XXVII 392): *Θρόνον Χριστοῦ ἐννόει τὴν ἐκκλησίαν· ἐπαναπαύεται γὰρ αὐτῇ. Ἔσται οὖν, φησὶν, ἡ ἐκκλησία Χριστοῦ καταστράπτουσα καὶ φωτίζουσα τὴν ὑπ' οὐρανὸν καὶ μένουσα διηνεκῶς ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη.*

[6] Hom. „Antequam iret in exsilium" n. 2 (MG LII 429).

[7] In Ps. 118 serm. 5, n. 7 (ML XV 1253).

„Sicut lilium inter spinas eminet, ita *super omnes conventus Ecclesia Dei refulget.*“ Porro S. Hieronymus addit[1]: „Super quem [montem Sion] Ecclesiae civitas sita latere non potest.“ Concludamus paucis S. Augustini saepissime de Ecclesiae visibilitate loquentis testimoniis. Sic igitur contra donatistas ait[2]: „In omnem terram exivit sonus eorum (Ps 18, 5). Hinc fit, ut Ecclesia vera *neminem lateat.* Unde est illud, quod in evangelio ipse dicit: Non potest civitas abscondi super montem constituta.“ Alio loco contra eosdem[3]: „Non estis, inquit, in montibus Sion, quia non estis in civitate super montem constituta, quae *certum signum* hoc habet, quod *abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus,* pars autem Donati ignota est pluribus gentibus: non est ergo ipsa.“ Denique ait[4]: „Ipsa est Ecclesia *in sole posita,* hoc est *in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.*“

Manifestum est porro, Patres de Ecclesiae visibilitate ista affirmantes locutos esse de una vera Christi Ecclesia, ideoque de visibilitate Ecclesiae *verae ut verae.*

Obicit Gerhard[5], quod Augustinus alibi de Ecclesia dicit[6]: „Ipsa est, quae aliquando obscuratur et tamquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum et sagittant in obscura luna rectos corde.“ Sed non animadvertit, addi ab Augustino continuo: „Sed etiam tunc [Ecclesia] in suis firmissimis [filiis] *eminet*“, et ut ex paulo post ab ipso dictis[7] patet, locutus est hic de tempore arianorum. Potest enim interdum, ut illa arianorum aetate, fieri, ut Ecclesia Christi non tanta visibilitate *ubique* sive apud omnes splendeat, quanta aliis temporibus, quando nullae haereses eam impugnant; attamen omni tempore ipsa ut sola vera omnino visibilis manet tum propter essentialem suam formam externam clare visibilem et plures proprietates pariter valde conspicuas, tum propter multos egregios filios et pastores, qui fidei constantia et vitae sanctimonia eminent, ut arianorum tempore Athanasius, Hilarius, Liberius et alii multi.

Porro Gerhard etiam opponit haec Augustini verba[8]: „Per multos annos Ecclesia, quae futura erat in omnibus gentibus in filiis suis, hoc est in sanctis suis, non apparuit.“ At Augustinus continuo addit: „nondum Christo annuntiato per evangelistas iis, quibus non est annuntiatus per prophetas“. Unde, ut ex tota oratione contexta patet, Augustinus hic non de Ecclesiae visibilitate in se spectata, sed de eius diffusione et propagatione inter gentes loquitur, quibus omnibus ea non statim vel apparuit vel apparere potuit, cum profecto evangelium non potuerit prima iam aerae christianae aetate ubique in terrarum orbe praedicari. Quid ergo ista nobis obsunt?

---

[1] In Is. l. 9, c. 29 (ML XXIV 330).

[2] C. lit. Petil. l. 2, c. 32, n. 74 (ML XLIII 284).

[3] Ibid. c. 104, n. 239 (ib. 343). „*Non latere eam Deus voluit,* ut nemo se excusaret: praedicta est futura per orbem terrarum, exhibita est orbi terrarum“ (Serm. 12, n. 3, apud Mai, Nov. Patr. bibl. I 23).

[4] Ep. 105, c. 4, n. 14 (ML XXXIII 402).

[5] Loci theol. XI 131.

[6] Ep. 93, ad Vincent. n. 30 (ML XXXIII 336). [7] Ibid. n. 31.

[8] De cons. evang. l. 1, c. 31, n. 47 (ML XXXIV 1064).

Necnon idem adversarius haec S. Augustini verba[1] obicit: „Quando sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur, ... Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus et remoto timore, tamquam arridente mundi felicitate, dicentibus: *pax et securitas*. Tunc stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur..., quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent et cadent, et quidam fideles fortissimi turbabuntur." At de his aliisque similibus Patrum dictis idem valet, quod supra de primo ab adversario allato loco diximus. Insuper Augustinus proxime antea dixerat: „Ecclesia est sol et luna et stellae, cui dictum est (Ct 6, 9): speciosa sicut luna, electa sicut sol." Unde manifestum est, allata Augustini verba de Ecclesia tempore extremo ante finem mundi non apparente stricto sensu intelligenda non esse. Quare etiam ista Augustini verba neutiquam ostendunt, ipsum visibilitatem Ecclesiae non ut essentialem eius proprietatem pro omni tempore agnovisse.

3. Confirmatur eadem veritas omnium paene christianorum agendi ratione. Omnes enim ferme christianorum coetus religiosi, qui se Christi Ecclesiam esse dicunt, habent historiam suam ecclesiasticam a suis sociis conscriptam. Ecclesiae autem invisibilis historia conscribi nequit, cum secundum adversariorum sententiam sanctorum congregatio sive Ecclesia invisibilis sit prorsus occulta, sensibus nullatenus subiecta et soli Deo cognita. Ergo conscribendo et admittendo historiam sui coetus, quam ut Ecclesiam veram habebant, singuli illi coetus doctrinam de invisibilitate Ecclesiae reiecerunt. Et mirum est, etiam illos, qui Ecclesiam omnino invisibilem esse voluerunt, tamen Ecclesiae historiam conscripsisse. Sana nimirum ratio et historia falsae illi sententiae refragantur. Illos tamen, qui Christum Ecclesiam tantum „idealem", ut loquuntur, instituisse fingunt, quae deinde concretam speciem mere humanam induerit, huius concretae Ecclesiae historiam vere conscribere posse concedimus.

Nec huic veritati de Ecclesiae visibilitate obest, quod in symbolo apostolorum habetur: *„Credo sanctam Ecclesiam"*, visibile autem credi non possit. At tametsi id, quod est fidei dogma, non videtur *tamquam tale* sive quatenus est fidei articulus, potest tamen esse, ut sub alio respectu omnino videatur sive cognoscatur ut certum, lato saltem sensu. Nam secundum verissimam et longe communiorem iam dudum theologorum sententiam multae veritates duplici ratione cognosci et admitti possunt: nimirum alia naturali vel experientiae vel demonstrationis philosophicae, alia supernaturali fidei divinae, scil. propter auctoritatem Dei loquentis; inter quas veritates est v. g. exsistentia Dei creatoris, suntque aliae multae. Ita etiam apostoli ex dictis et miraculis Christi certo cognoscere poterant, ipsum non esse solum hominem, sed etiam Deum; nihilominus eius divinitatem etiam credere poterant, utpote propter auctoritatem Dei loquentis evidenter credibilem. Similiter igitur Ecclesia ut vera visibilis est eo sensu, quod partim sensuum experientia, partim, et maxime quidem, naturali rationis cognitione ac demonstratione ceu vera certo

[1] Ep. 199, c. 11, n. 39 (ML XXXIII 919).

cognoscitur. Sed hoc minime impedit, quominus Ecclesiae veritas, utpote per se non evidens, sed tantum certa et ex sola revelatione divina nota, propter Dei revelantis auctoritatem etiam distincto fidei actu credi possit. Sic mulier samaritana ex signo credibilitatis, quod Christus ei dedit, cognitione scil. secretorum, ipsum naturali modo ut prophetam agnovit (Io 4, 16—19), ideoque potuit postea etiam eius auctoritati firmiter credere, ipsum esse, quem se dicebat, Messiam. Cum igitur Ecclesiae veritas, utut certo cognosci potest, non sit per se evidens, sed tantum evidenter credibilis, optime dici potest: *credo Ecclesiam* [1].

Probatur thesis pars II: de facili cognoscibilitate Ecclesiae.

Nam Christi Ecclesiam facile a sectis discerni et ut veram cognosci posse patet 1. ex eius natura. Ut enim supra p. 474 sq iam diximus, cum Ecclesia Christi sit una tantum atque ut talis sive (ut sola vera) visibilis, necesse omnino est, eam a religionis christianorum coetibus, qui se falso Christi Ecclesiam praedicant, certo ac facile discerni posse, quia sectae nullo *iure* ipsius formam essentialem tum externam tum internam habent, nec eam probabiliter *facto* habere possunt, ideoque ipsa ceu illud institutum obiectivum, quod Christus reapse instituit, sine multa difficultate cognosci potest.

2. Ex proposito ipsi fine. Ecclesia enim, ut probavimus, instituta est ideo, ut in ea et per eam homines ad salutem aeternam perducerentur. Iam vero hoc propositum homines aut omnino non, aut certe non sine maxima difficultate et perpetua dubitatione consequi possent, si certo ac facile non valerent discernere, quaenam Ecclesia sit illa sola vera, cui sese aggregare et in qua usque manere deberent, ut ad aeternam beatitudinem pervenirent.

3. Ex officio sese Ecclesiae adiungendi. Coniunctio enim cum vera Christi Ecclesia, ut probavimus, necessaria est necessitate tum *praecepti* tum *subsidii ordinarii* ad salutem; atqui haec lex prorsus nulla esset, nisi *per se* sive absolute et sat facile quidem distingui

---

[1] Atque hoc eodem sensu Bellarminus (De Eccl. mil. l. 3, c. 15 ad 6) secundo loco ad illam difficultatem hac ratione respondet: „Sed melius dico, in Ecclesia aliquid videri, et aliquid credi. Videmus enim eum coetum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est, quae profitetur Christi fidem. Quis autem *evidenter scit*, nostram fidem esse Christi? Id quidem firma ac certissima fide credimus: sed aliud est credere, aliud videre.“ Quam quidem responsionem, etsi non verbis, re tamen Tournely aliique quam plurimi theologi ad nostram usque aetatem suam fecerunt. Quare nec Bellarminus nec Tournely cum aliis ideo reprehendendi sunt, ut faciunt Cercia (De Eccl. 84) et Murray (II 355). Verbum enim „videre“ adhiberi videtur a Bellarmino aliisque hic tantum de visu oculorum, stricto igitur sensu et non lato; atque ita videmus reapse tantum coetum hominum, subditorum et rectorum, qui est Ecclesia, sed non huius ipsius veritatem; haec enim tantum ratione ope argumentationis cognoscitur, hinc lato sensu potest dici videri, sed ita certo, ut illa veritas evidenter credibilis sit. Hoc igitur tantum sensu dici potest, illos theologos debuisse paulo accuratius loqui, si ipsi saltem verbum *videre* non lato sensu etiam hic usurpare voluerunt.

posset vera Ecclesia a sectis; quod cum divinae Christi fundatoris sapientiae omnino repugnet, Ecclesiam necesse est non solum cognosci, sed etiam certo ac facile ab omnibus sectis discerni et ut solam veram cognosci posse, cum ei non tantum docti, sed indocti etiam ac rudes sese aggregare debeant.

Ut igitur et christiani, qui iam sunt verae Ecclesiae filii, securi in ea usque permanere et illi, qui nondum sunt eius socii, eam certo invenire eique se adiungere pro officio possint, prorsus oportet, ut Christi Ecclesia in perpetuum non solum visibilis, sed etiam facile cognoscibilis sit.

Coroll. I. Ergo Christi Ecclesia non est duplex, ita ut altera visibilis et defectibilis, altera vero invisibilis et indefectibilis sit, sed est una eademque perpetua semperque usque in finem mundi ut sola vera conspicua.

Coroll. II. Ergo nulla exsistit in terris Ecclesia Christi invisibilis. Unde qui religiosus christianorum coetus profitetur, se quidem esse Christi Ecclesiam, sed invisibilem, hac ipsa sua professione se veram Ecclesiam minime esse aperte declarat. Si qua vero ecclesia declaret et iactet quidem, se esse visibilem, sed de qua iure affirmari possit, eam aliquando post Christum ut visibilem non exstitisse, eo ipso pariter constat, eam non pollere visibilitate Ecclesiae Christi, utpote perpetua et numquam deficiente. Nec sane opponere licet, eam exstitisse in S. Scriptura. Ecclesia enim in Bibliis non magis exsistit aut exsistere potest, quam „coelum stellatum exsistit in tabula coelesti vel commentatione astronomica, aut omnes volucres, bestiae et pisces exsistunt in libro historiae naturalis“ [1]. Ecclesia enim est societas hominum; in Scriptura autem licet exsistant loci plurimi, ex quibus forma et institutio huius societatis probari et delineari possint, tamen haec delineatio non magis confundi potest cum ipsa illa societate quam effigies hominis cum ipso homine. Si autem reponatur, nomine Ecclesiae hic significari tantum verae doctrinae christianae complexum, respondemus, necesse quidem esse, eum totum a vera Christi Ecclesia possideri, sed eum solum nec esse nec efficere Christi Ecclesiam, nec etiam, id quod iam ostendimus, integrum esse atque haberi posse, nisi ubi sit infallibile Ecclesiae magisterium; hoc autem ab initio Ecclesiae *semper* fuisse visibile. Ergo si qua ecclesia non fuit a Christi tempore semper visibilis, ea neutiquam Christi Ecclesia est.

Coroll. III. Ergo visibilis Christi Ecclesia prior est quam sanctorum in ea congregatio vel potius magnus numerus. Homines enim infideles prius in visibilem Ecclesiam recipiendi sunt, quam sancti fieri possint, et ipsa Christi fidelium sanctitas a visibili Ecclesia producenda est, cum nimirum fideles et veram Christi doctrinam atque praecepta ab Ecclesia recipiant, et ab ipsa ad eam bene observandam impellantur ac dirigantur, et per solam Ecclesiam participes fiant subsidiorum, quae Christus ad vitae sanctimoniam efficiendam ipsi, et soli quidem, tradidit.

Coroll. IV. Cum Christi Ecclesiae essentiale sit, tamquam ut revera exsistens sive in concreto spectata possit sat facile ac certo ab omnibus falsis ecclesiis discerni et ut vera cognosci, necesse omnino est, illam insignitam

---

[1] Murray II 364.

semper esse *certis notis externis,* quibus illa cognitio possit sine nimia difficultate acquiri. Plurimi enim reapse exsistunt iam dudum christianorum coetus religiosi prorsus diversi, qui se singuli veram Christi Ecclesiam esse profitentur, cum ex iis omnibus tamen unus solus possit esse Christi Ecclesia. Quemadmodum igitur regnum civile, quantumvis per se ut tale visibile, opus habet certis notis, v. g. nomine, sigillo, regione, quibus ab aliis regnis discerni possit, ita etiam necesse est praesto sint certa indicia externa ad Ecclesiam solam veram cognoscendam et a falsis discernendam; alioquin homines iure semper dubii essent, quaenam esset vera Ecclesia, eamque reapse numquam certo cognoscerent. Ita autem Christus Deus Ecclesiam suam ut necessarium ordinarium ad salutem aeternam consequendam adiumentum sat inutiliter et inepte instituisset: quod sane dici nequit, cum ipsius et sapientiae et bonitati divinae repugnet. Ut bonus enim debuit assecutionem necessarii illius ad salutem subsidii reddere velle omnibus hominibus non absolute tantum, sed etiam moraliter possibilem, ita nimirum, ut omnium temporum homines singuli, si modo serio velint et Christi Ecclesia sub ipsorum aspectum ponatur, sat facile ac certo eam cognoscere ut veram eique aggregare se possint. Ut sapiens vero debuit Christus indicia praebere omnino apta, quibus Ecclesia certo a falsis coetibus omni tempore discerni ac ceu vera agnosci possit. Haec autem discretio et cognitio esset plane impossibilis, si Ecclesiam visibilibus notis non ornasset, quibus ea semper omnibus ut solam veram conspiciendam se exhiberet: quamquam necesse non est, has notas non esse illas ipsas qualitates, quibus Ecclesiae ut verae visibilitas constituitur, sive illos certos modos, quibus Ecclesia ut vera visibilis ita fit, ut ab omnibus aliis religiosis christianorum coetibus facile ac certo discerni possit. Contrarium enim potius reapse obtinet. Quapropter non solum romano-catholici, sed etiam protestantes ac graeci hanc notarum Ecclesiae necessitatem et exsistentiam usque admiserunt. Quae porro de his notis earumque usu dicenda sunt, capitis proximi argumentum constituunt.

Caput III.

De notis Ecclesiae Christi.

§ 18. **Praenotanda.**

Ecclesia Christi, ut modo monstravimus, ita visibilis est, ut ceu vera ab omnibus certo cognosci possit. Iam accuratius et magis singillatim ostendendum est, quarum notarum ope et ipsa cognoscatur et quinam ex omnibus christianorum coetibus religiosis, qui exsistunt et Christi Ecclesia esse volunt, sit illa vera Christi Ecclesia. Tria porro sunt in hoc capite praestanda: primum explicanda est recta notarum Ecclesiae notio; deinde inquirere oportet, quot et quaenam sint Ecclesiae notae; denique videndum est, cuinam religioso christianorum coetui illae notae competant, ideoque variis christianorum religiosis coetibus, qui singuli Christi Ecclesia esse volunt, applicandae sunt, ut ita discernatur, quinam ex iis sit vera Ecclesia. Hoc ultimum longa opus

habet tractatione, duo priora vero sat breviter absolvi possunt; ideoque quae de notarum notione et numero dicenda sunt, uno eodemque primo articulo comprehendemus, altero deinde notarum applicationem, ut dici solet, faciemus.

Articulus I.

De notarum Ecclesiae notione et numero.

§ 19.

De earundem notione.

Ut notarum notio omnino clara sit, iuverit primum explanare, quid nota generatim accepta intelligatur, deinde quid nota Ecclesiae significet qualisque esse debeat. Itaque

1. nota generatim spectata est aliquid relativi, cum sit signum *alicuius rei,* estque id, quod per se istius rei cognitionem parit vel parere *potest;* variis enim ex causis fieri potest, ut ipsa rei cognitionem in hoc vel illo homine reapse non pariat et tamen vere indicet, utrum et quid illa res sit. Ita exsistentia mundi est certissima et clarissima nota exsistentiae Dei creatoris infinite potentis et sapientis; et tamen quot iam perversi homines Deum verum non agnoverunt!

Notae porro sunt non solum *externae,* sed etiam *internae,* uti v. g. cogitatio nota substantiae spiritualis est. Hic tamen de sola nota agimus externa, sive quae est nota rei extra nos exsistentis. Ad omnem iam eiusmodi notam tria requiruntur: nimirum ut primum per se pariat cognitionem eius rei, cuius est nota; deinde, ut sit visibilis in se vel in alia re, et visibilis quidem aut stricto sensu, i. e. sensibilis, aut lato sensu, i. e. intelligibilis: si enim nullo modo est visibilis, rei externae cognitionem parere nobis non potest; tertio denique, ut sit *relative,* i. e. respectu inquirentium cognoscibilis, priusquam res, cuius nota est, nobis sit cognita, sive ut notior sit re cognoscenda. Manifeste enim rei cognitionem illud parere nequit, quod ipsum nisi illa re iam cognita cognosci non possit. Duplici autem modo, positivo et negativo, rei cognitionem nota nobis parere potest, ideoque etiam in *positivam* et *negativam* distingui solet. Illa directe et quasi affirmando rem indicat; haec contra non affirmat, hanc esse illam rem, de qua inquiritur, sed eam illam *esse posse;* et haec vocatur negativa ideo, quod si absit a re aliqua, cui inesse deberet, haec absentia argumento sit, eam non esse rem, de qua agitur. Nota igitur *negativa* est „ipsamet proprietas communis seu ad speciem pertinens, ex cuius absentia concluditur quidem, ens, in quo deficit illa proprietas, non esse illius speciei, sed ex cuius praesentia discerni non potest illud ens ab aliis entibus eiusdem speciei, cum iis omnibus communis sit illa proprietas“ [1].

[1] Bonal, Instit. theol. I [10] 291.

Sic hominis vita vere pura nota positiva est animi vere puri, cum sine animo puro nec vita, longior saltem, omnino pura esse possit. Modestia vero externa nota tantum negativa est animi puri; tametsi enim significat, animum purum esse posse, non tamen certo demonstrat, eum revera purum esse, cum impuri modestiam externam simulare eiusque speciem prae se ferre possint. Si tamen modestia et pudor prorsus desint, clarum est, animum quoque purum non esse: mores enim inverecundi nisi ex animo impuro non proveniunt. Sic etiam v. g. Titius, eo quod est animal rationale, discernitur quidem ab animalibus, quae ratione carent; non autem ab aliis hominibus, utpote qui sunt pariter animalia rationalia.

Ut vero nota aliqua sit *positiva,* praeter tres illas, quas paulo ante memoravimus, omnis notae qualitates necesse est habeat etiam hanc, ut *exclusorio* modo sit *propria* rei, cuius est nota positiva. Si enim eius propria non sit, sed aliis quoque rebus communis, manifesto ex eo, quod in aliqua re invenitur, minime sequitur, eam esse rem illam, in quam inquiritur. Sic vestis decens est nota viri honesti, sed cum viri etiam turpes passim vestibus decentibus induantur, neutiquam verum est, quemcumque veste decente indutum esse etiam honestum ac bene moratum.

Atque ex iis, quae hactenus diximus, sequitur, notam positivam posse esse etiam negativam, notam autem tantum negativam per se numquam fieri posse positivam. Et toties quidem nota positiva est simul negativa, quoties *essentialis* est proprietas rei, cuius est nota. Sic si ponas, calorem esse notam positivam et proprietatem essentialem ignis, absentia caloris ab aliquo loco indicio est, ibi ignem non esse. Si vero nota positiva non sit essentialis proprietas rei, non potest simul esse nota negativa, cum hoc posito eius absentia a re non demonstret, eam non esse rem, de qua inquiritur. Sic miraculum mortuo invocato patratum nota est positiva, qua constat, mortuum istum inter Dei amicos et sanctos esse; sed quoniam sanctitati essentiale non est, ut ad eam testandam miracula edantur, ex hoc solo, quod aliquis nulla miracula patravit, colligi nequit, eum sanctum non esse. Eiusmodi igitur nota positiva *accidentalis* est; contra *essentialis,* si ipsa sit proprietas rei essentialis ideoque ab ea abesse non possit. Haec etiam, ut patet, *intrinsecus* in ipsa re exsistit, dum contra nota *extrinsecus* est, quae extra rem notatam et ab ea disiuncta exsistit, quale est testimonium hominum de factis.

Omnis praeterea nota est aut *naturalis* aut *instituta.* Naturalis est, quae ex ipsa rei natura hoc vel illud significat, uti v. g. fumus est naturalis nota ignis. Instituta est, quae tantum ex institutione positiva aliquid monstrat, uti tonsura est nota clerici instituta. Denique patet per se, omnem notam posse esse plus minusve *certam* aut *incertam, definitam* aut *indefinitam, claram* aut *obscuram, permanentem* aut tantum *temporariam.*

Nota igitur „proprie ad subiectum pertinet, quod ipsa manifestat, ideoque minorem habet extensionem ac signum: nota igitur id est, quod cognitum cum sit, ad certam notitiam subiecti conducit“ [1]. — Atque ex his, quae de notis generatim spectatis diximus, liquet iam satis, quales esse debeant

2. notae Ecclesiae Christi. Eae enim possunt esse tum *negativae,* quales sunt omnes essentiales Ecclesiae proprietates hoc sensu, quod qui christianorum coetus religiosus earum vel una careat, is evidenter non est Christi Ecclesia; tum *positivae.* Atque de his solis in hac tota quaestione agitur; notarum enim ope quaerimus, quaenam ex tot religiosis christianorum coetibus sit vera Christi Ecclesia. Hoc autem solum positivarum notarum ope invenitur, cum negativae notae ostendant quidem, quaenam *non sit,* sed minime, *quae sit* vere Christi Ecclesia. — Generales omnium notarum proprietates etiam notis Ecclesiae convenire debere patet. Quare necesse est sit

a) *externa* et *visibilis* non solum lato, sed maxime stricto sensu; alioquin non efficeret, ut Ecclesia Christi externe cognosci posset. Non tamen necesse est, nota sit ita sensibilis, ut „sit aliquid tantum immediate visibile, subiectum enim cognoscens, pro quo necessariae sunt notae, non est sensus, sed intellectus, et obiectum cognoscibile non est solum id, quod sensibus subest, sed ita debet nota esse sensibilis, ut quod est intelligibiliter visibile, contineatur in eo, quod sensibiliter visibile est“ [2]. — Porro nota Ecclesiae debet esse

b) *notior* non quidem in se, sed *quoad nos* ipsa Ecclesiae *in concreto* spectatae *veritate.* Si enim inquirenti primo constare posset atque deberet, quaenam in concreto spectata esset *vera* Ecclesia, ut deinde tantum eiusdem notas discerneret, non notae Ecclesiam, sed haec notas proderet atque designaret; quod sane absonum esset. Ecclesia utique in *abstracto* considerata prius cognita est, quam eius proprietates ex ipsius essentia fluentes cognoscuntur; at si Ecclesiam Christi in concreto spectatam quaeramus, sive si quinam ex tot christianis coetibus religiosis sit illa Ecclesia, indagemus, tunc proprietates, quae notae fiunt, ut tales notiores esse debent quam Ecclesia in concreto spectata. — Ecclesiae nota tertio sit oportet

c) *positive certa,* sive necessariam ac positivam habens connexionem cum Ecclesiae veritate, adeo ut sine ullo erroris metu et periculo illius ope eam cognoscere valeamus, et quarto

d) *ecclesiae maxime propria,* et non communis, ita ut nulli alii christianorum religioso coetui competere possit saltem *tota,* quam soli verae Ecclesiae, cum alioquin ex eius praesentia vera Christi Ecclesia agnosci nequiret. Plures quidem theologi romano-catholici existimarunt, necesse non esse, singulae Ecclesiae notae seorsum sumptae sint singulares et propriae, sed sufficere, ut omnes simul sumptae nulli alteri

[1] Palmieri, De Rom. Pontif. App. p. 757. [2] Ibid.

quam verae Ecclesiae competant. At licet hoc absolute posset sufficere, verum tamen illud non est; ut enim ex infra dicendis patebit, singulae Ecclesiae notae sunt ei soli ita omnino propriae, ut saltem integra earum nulla ulli alteri religioso christianorum coetui competat.

e) *Permanens* et *ab Ecclesia inseparabilis in perpetuum* debet esse Ecclesiae nota; semper enim Ecclesiae veritas debet posse certo cognosci. Necesse igitur est, Ecclesiae nota positiva sit *essentialis eiusdem proprietatis externa atque perennis manifestatio,* cum alioquin fieri posset, ut licet Ecclesia eam aliquamdiu haberet, eam postea tamen penitus amitteret. Unde patet, quale discrimen logicum ac formale inter Ecclesiae proprietates ac notas intercedat. Proprietates enim Ecclesiae possunt praeter essentiales esse etiam accidentales, et praeter eas, quae ipsi soli propriae sunt, possunt etiam aliquatenus saltem esse communes; eius vero notae in solis essentialibus et maxime propriis ipsius proprietatibus tamquam in fundamento innituntur. Praeterea notae ratio exigit, ut eius praesentia visibili modo sese manifestet; ad rationem autem proprietatis hoc non necessario requiritur. Haec enim respicit rem in se, nota vero rem quoad nos sive quoad nostram cognitionem consideratam; illa refertur ad ius, nota vero ad factum, sed cum iure utique essentialiter connexum et ex eo ortum.

f) *Atque hinc nota necesse est* sit plane *definita* et non indefinita ac vaga. Signo enim, quod non est definitum, nullatenus id, quod quaeritur, inveniri potest. Ita, ut vol. I, p. 20 diximus, unitas fidei nullo modo definita, sed vaga et generalis tantum asserta, Ecclesiae nota fieri neutiquam potest.

Denique requiritur, ut aut omnes aut aliquae saltem essentiales notae sint ita *clarae* ac *faciles cognitu,* ut etiam hominum vulgus adhibita diligentia, qualem in negotiis gravis momenti viri prudentes adhibere solent, istas notas cognoscere earumque ope veram Ecclesiam sufficienter discernere valeant. Cum enim non solum docti, sed etiam rudes Christi Ecclesiae aggregare se debeant, necesse est, Christi Ecclesiam saltem una alterave sua nota cognitu ita facilem esse, ut etiam indocti adhibita debita diligentia eam invenire possint. *Definiri* igitur secundum ipsarum naturam et essentiales qualitates Ecclesiae notae possunt: *proprietatum ipsi essentialium ac maxime propriarum externa et definita manifestatio, cuius ope vera Ecclesia ab omnibus sat facile ac certo cognosci possit.* Notio igitur notae Ecclesiae duo continet: scil. externum effectum et necessariam connexionem cum interna causa, proprietate scil. Ecclesiae essentiali, ita ut nota *formaliter* spectata semper cum elemento divino interno sive cum proprietate Ecclesiae divinitus indita sit connexa. Si autem ad hanc connexionem non attenditur, sed solius effectus externi praesentia spectatur, nota est tantum *materialis,* et si est *mere* materialis sive connexione illa necessaria penitus carens, non est positiva verae Ecclesiae nota, cum possit etiam falsae convenire. Ita certe unitas et successio mere ma-

terialis in regimine possunt etiam sectae schismaticae convenire. Immo fieri potest, ut ad aliquod saltem tempus sectae schismaticae conveniat etiam apostolicitas sive veritas doctrinae modo materiali sive modo facti, quamquam non *iuris*.

Atque ex iis, quae diximus, apparet, notam Ecclesiae distinguendam esse tum a ratione, sive ut vulgo dici solet, *motivo credibilitatis, tum ab immediate divino testimonio*. Testimonium enim divinum a Deo ipso provenit; nota Ecclesiae vero ex huius ipsius Ecclesiae divinitus utique institutae natura et proprietatibus essentialibus exoritur, estque igitur originis mediate tantum divinae. — Motivum porro credibilitatis necessario neque semper est essentialis Ecclesiae proprietas, neque apertum et omnino clarum et prius ac magis notum quam ipsius Ecclesiae veritas, vel etiam externum, sed potest pro certis christianis saepe esse tantum vel accidentale, uti v. g. certum miraculum in gratiam doctrinae Ecclesiae patratum aut auctoritas docti et pii sacerdotis etc., vel etiam sat obscurum vel etiam variorum hominum animis internum; dum contra nota Ecclesiae est externa essentialis proprietatis manifestatio et clara atque Ecclesia ipsa notior.

§ 20.

Quot et quaenam sint notae.

Praenotanda.

Plerique protestantes duas tantum Ecclesiae notas statuerunt: puram scil. verbi Dei praedicationem sive veritatem doctrinae, et legitimam sacramentorum administrationem. Qua de re cum plura testimonia iam supra p. 479 sq attulerimus, pauca hic addidisse sufficiat. Certe Calvinus[1]: „Ubicumque, inquit, Dei verbum sincere praedicari atque audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei ecclesiam nullo modo ambigendum est.“ Angli, qui hac de re scripserunt, omnes in iisdem duabus notis affirmandis unanimes sunt, quamquam aliqui alias insuper adiungunt, quemadmodum iam in Conf. Belg.[2] et Scot.[3] addita legitur disciplina ecclesiastica tamquam tertia nota. Sed haec esse non potest nota. Primum enim in antecessum, sive non probato aut admisso vero Ecclesiae regimine et magisterio, definiri nequit, in quanam re illa disciplina ecclesiastica essentialis sita esse debeat, ideoque quid *vera* sit disciplina, notius ipsa Ecclesia non est. Deinde si verum a Christo institutum Ecclesiae regimen et magisterium admittatur, partim ad hoc ipsum, partim ad sanctitatem Ecclesiae haec nota reducitur. Porro quas Lutherus in libro de conciliis et Ecclesia duabus illis prioribus addidit, scil. orationem publicam, psalmodiam, catechismum vulgari lingua ex-

[1] Instit. l. 4, c. 1, n. 9.
[2] Art. 29, apud Niemeyer 380. [3] Art. 18, ib. 350.

plicatum ac crucis mysterium, sive tribulationes internas (moestitiam, pusillanimitatem, terrores) et externas (paupertatem, contemptum)[1], protestantes tum in libris symbolicis tum generatim recte omiserunt, cum nimium evidens sit, quam arbitrariae, communes, vagae hae res sint. Item quae ab aliis olim adiunctae sunt: constantia in fidei confessione, et oboedientia praestita verbi divini ministris, notae nec sunt nec etiam in protestantium libris symbolicis habentur nec hodie admittuntur. Et recte quidem reiciuntur. Nam manifesto nec oboedientia nec constantia illa Ecclesiae nota esse potest, cum et *aliunde* prius constare debeat, utrum qui praedicandi munere fungantur, sint puri evangelii ministri ac legitimi apostolorum successores, cumque non solum Ecclesia romano-catholica, sed etiam omnes ferme sectae de suis, quos vocabant, martyribus gloriatae sint; unde hae res minime Ecclesiae notae sunt. Sed de his satis; qui plura cupiat, adeat Bellarminum loco laudato.

Romano-catholici porro fere unanimes iam pridem contenderunt et adhuc affirmant, *quatuor* omnino esse Ecclesiae notas, proprietates scil. apostolicitatis, unitatis, catholicitatis, sanctitatis, in symbolo Constantinopolitano iam expressas, quatenus visibili modo eae sese manifestant. Et reapse iam antiquos Patres eas non solum ut proprietates, sed etiam ut notas Ecclesiae habuisse iisque contra suorum temporum novatores usos esse satis liquet ex eorum dictis, quae de illis proprietatibus agentes p. 382 406 etc. recitavimus. Plura his addi possunt testimonia. Sic v. g. Cyrillus Hieros. ait[2]: „Quoniam *Ecclesiae* nomen diversis accommodatur rebus . . ., idcirco nunc cautissime tibi tradidit fides ita tenendum: *et in unam, sanctam, catholicam Ecclesiam,* ut eorum abominanda collegia fugiens, adhaereas semper sanctae catholicae Ecclesiae, in qua et renatus es"; quibus verbis Cyrillus tres proprietates unitatis, sanctitatis et catholicitatis diserte tamquam Ecclesiae notas agnoscit. Augustinus vero de se affirmat[3]: „Tenet [me in gremio Ecclesiae catholicae] consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicae nomen." Quibus verbis fere non alia dicuntur, quam quae quatuor illis notis exprimuntur[4]. — Theologos vero romano-catholicos

---

[1] Werke XXV 374 sqq; Bellarm., De Eccl. mil. l. 4, c. 2.

[2] Catech. 18, n. 26 (MG XXXIII 1048): *Ἐπειδὴ τὸ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα περὶ διαφόρων λέγεται πραγμάτων . . ., διὰ τοῦτό σοι νῦν ἠσφαλισμένως παρέδωκεν ἡ πίστις τὸ: καὶ εἰς μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἵνα ἐκείνων μὲν τὰ μιαρὰ συστήματα φεύγῃς, παραμένῃς δὲ τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διὰ παντὸς, ἐν ᾗ καὶ ἀνεγεννήθης.*

[3] C. ep. fundam. c. 4, n. 5 (ML XLII 175).

[4] Bellarminus, Hayer, Tournely aliique dicunt, Vincentium Lirin. Commonit. I, c. 2 affirmantem: „In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut

in admittendis illis quatuor notis omnes consentire probare opus non est; id tantum notandum videtur, plures fuisse, qui, teste Bellarmino[1], nonnullas alias illis quatuor adderent; et ipse Bellarminus statuit, esse quindecim; sed ut ipse fatetur, possunt omnes quas enumerat notae verae, ad illas quatuor revocari[2]. Michael de Medina tamen statuit etiam decem notas, Pistorius duodecim et Socolavius viginti. Th. Bozius denique, presbyter Congregationis Oratorii, in 24 libris „De signis Ecclesiae Dei" anno 1591 editis *centum* notas recenset; sed earum quam plurimae nihil aliud sunt quam fusior atque multum distincta explicatio earundem quatuor, quas diximus, notarum; reliquae autem omnes, quas ipse Ecclesiae notas dicit, non sunt verae notae, utpote minime aut propriae aut essentiales. Contra Hayer cum Horantio, ut ipse ait, *unam* tantum statuit Ecclesiae notam adversus omnes haereses, scil. perpetuam divinae auctoritatis et infallibilitatis praerogativam.

Inquirendum iam est, *quaenam* et *quot* sint verae notae Ecclesiae, utrum duae illae a protestantibus communiter admissae, an quatuor illae a catholicis statutae, et hae quidem ita, ut et nec plures nec pauciores esse possint, et singulae separatim spectatae sint notae positivae.

Thesis XIV.

Nec pura verbi divini praedicatio protestantium sensu intellecta nec legitima sacramentorum administratio sunt verae notae Ecclesiae Christi.

I. **St. q.** Minime negamus, sinceram Christi doctrinam huiusque puram praedicationem debere esse in Christi Ecclesia, atque ita in ea esse debere, ut doctrinae eiusque praedicationis veritas visibilis fiat.

---

id teneamus, quod *ubique,* quod *semper,* quod *ab omnibus* creditum est. . . . Hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem*", tres Ecclesiae notas statuisse. Sed cum de doctrinae, non de Ecclesiae veritate Vincentius hic loquatur, nequaquam ad Ecclesiae notas transferri posse celeberrimum hoc illius effatum videtur.

[1] L. c.

[2] Et vero eius prima, quarta et nona (nomen catholicum, credentium multitudo, efficacia doctrinae) ad catholicitatem iuris aut facti spectant; secunda autem, tertia, quinta ac sexta (antiquitas, duratio, successio Apostolicae Sedis, conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua) ad apostolicitatem; septima (unio membrorum inter se et cum capite) est, partim saltem, ipsa unitas; octava, decima, undecima, duodecima et decima tertia (sanctitas doctrinae ac vitae auctorum etc., gloria miraculorum, lumen propheticum, confessio adversariorum) revocatur ad sanctitatem. Denique decima quarta et decima quinta (infelix exitus adversariorum Ecclesiae, et felicitas temporalis eius defensorum) non haberi possunt tamquam verae notae Ecclesiae, cum teste tum Christi et apostolorum praedicatione de futuris christianorum, i. e. verae Ecclesiae fidelium afflictionibus, tum tota Ecclesiae historia, neutiquam sint essentiales ac propriae, ideoque minime certae. Quam ob rem etiam ferme ab omnibus aliis theologis istae notae reiectae sunt.

Probavimus enim, necessarium prorsus esse Ecclesiae, ut habeat semper veram ac totam Christi doctrinam, utque illa doctrinae veritas reddatur lato saltem sensu visibilis ope magisterii infallibilis in Christi Ecclesia semper praesentis. Necessario igitur monstrandum est, veritatem doctrinae eiusque praedicationis haberi in illa religiosa christianorum societate, quae affirmetur esse Ecclesia Christi; si enim hoc non demonstraretur, minime probatum esset, illam veram Christi Ecclesiam esse. Hinc etiam ultro concedimus, veritatem illam doctrinae et praedicationis pertinere ad Ecclesiae notas atque unam ex praecipuis earum partibus esse; sed contendimus, si sensu eorum, qui nullum infallibile magisterium admittunt, intelligatur, eam fieri non posse Ecclesiae notam.

II. **Probatur thesis** 1. ex eo, quod praetensae istae notae Ecclesiae veritatem non manifestant.

Secundum protestantium enim, quos impugnamus, sententiam vera Ecclesia constat solis ad vitam aeternam praedestinatis, aut saltem iustis et sanctis; iam vero praedicatione et auditione etiam verae Christi doctrinae et legitima quoque sacramentorum administratione neutiquam monstratur, quinam sint praedestinati et vere iusti ac sancti, cum manifesto non repugnet, quominus homines mali atque pessimi, nec alia re quam nomine christiani possint tum Christi doctrinam praedicare et audire, tum sacramenta administrare et suscipere. — Neque opponere licet, verbum Dei esse efficax et ita ferax, ut ubicumque praedicetur, ibi sit aliqua ecclesia. Primum enim num repugnet, quominus verbum Dei praedicetur et sacramenta ministrentur hominum coetui constanti ex solis peccatoribus et nullis iustis, et ita quidem, ut horum peccatorum nullus vel doctrinae Christi auditione vel sacramentorum usu ad meliorem frugem reducatur? Deinde etiamsi admittatur, verbum Dei praedicatum saepius in nonnullis aliquem fructum producere, num ille tantus semper sit necesse est, ut illi mox iusti atque sancti efficiantur? Denique etsi hoc fieret, qua ratione ex ipsa praedicatione vel usu sacramentorum illos sanctos et iustos clare ac certo cognoscere et ab hypocritis ac malis discernere possumus? Quare istae a protestantibus statutae Ecclesiae notae non solum aperte pugnant cum ipsorum de Ecclesia invisibili, de congregatione sanctorum soli Deo cognita doctrina, sed etiam manifeste tales sunt, ut, etsi veritas invisibilis illius ecclesiae visibilis et cognoscibilis fieri posset, nullo tamen modo illarum notarum ope cognosci posset; eae igitur notae non sunt. — Quod probe novit ac suam alias traditam doctrinam refutans expressit vel ipse Lutherus, dicens, multos quidem esse in ecclesia, qui non sint veri eius filii, utpote non boni ac iusti, quamvis recta doctrina et veris sacramentis non egeant [1].

[1] „Sie sind unter der Zahl der Christen; den Namen, Schein und Geberden der Kirchen und Christen haben sie, aber sie sinds drümb nicht. So mußt du nu

2. Ista protestantium sententia est prorsus arbitraria. Debuerant enim protestantes hanc suam de Ecclesiae notis opinionem demonstrare, et secundum ipsorum principia debuerant demonstrare maxime quidem S. Scripturae auctoritate. Atqui id nec umquam praestiterunt nec umquam praestare valent. Protulerunt quidem protestantes in suae sententiae confirmationem haec S. Scriptura testimonia: a) Primum Mt 18, 20: „Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum"; ergo, dicunt, congregari in nomine Christi tamquam vera Ecclesiae nota declaratur. Deinde b) Io 10, 27: „Oves meae vocem meam audiunt"; ergo, concludunt, ibi est Ecclesia, ubi auditur verbum Dei. Tum c) Eph 5, 26, ubi legitur Christus Ecclesiam „mundans lavacro aquae in verbo vitae"; ergo, inquiunt, si Ecclesia mundatur verbo, ubicumque est verbum illud mundans, ibi est Ecclesia. Atque idem indicari aiunt d) Io 10, 35, ubi Christus dixisse legitur: „Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est"; et e) ib. 15, 3: „Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis." f) Sacramentorum autem legitimam administrationem, praesertim baptismi, proponi dicunt a Christo ut verae Ecclesiae notam Mc 16, 16: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit."

At hi loci minime probant, quod adversarii volunt. Et quidem

a) non *primus*. Nam „si congregari in nomine Christi nota sit verae Ecclesiae, certe non erit ista congregatio *qualiscumque* in nomine Christi; sic enim omnes haeretici et schismatici congregantur in nomine Christi, cum omnes nomen Christi appellent et obtendant; sed ea sola erit congregatio, quae fit auctoritate a Christo accepta; ab iis nempe, qui suam habent a Christo auctoritatem et pro eo legatione funguntur" [1], quales sunt praecipue episcopi legitime constituti et apostolica successione ac missione pollentes. Congregatio igitur in nomine Christi hac ratione intellecta pertinet ad notam apostolicitatis a catholicis statutam; si vero non ita explicetur, nota esse prorsus nequit, cum alia ratione quaecumque sectae in nomine Christi congregari se dicant et minime alioquin manifestum sit, quaenam revera in nomine Christi conveniat. Neque

b) *secundus* locus (Io 10, 27) demonstrat, ubi sit Ecclesia, cum singuli christianorum coetus religiosi etiam quam maxime diversi se

unterscheiden die rechte christliche Kirche, die in der Wahrheit die Kirche ist, von der Kirchen, die da will die Kirche sein, und ist's doch nicht. Die falsche Kirche hat alleine den *Schein*, hat aber gleichwohl die *christlichen Ämpter*. Denn ein *Schalk* kann wohl *recht* täufen, das Evangelium lesen und zum Sakrament gehen, die zehen Gebot sprechen; solches ist und bleibt *alles recht;* er aber bleibt ein böser Schalk und wird kein Christ noch die christliche Kirche genennet, sondern man spricht: *er* ist *in* und *unter der christlichen Kirchen*, gleichwie Mäusedreck unter dem Pfeffer und Raden unter dem Korn liegt und hilft den Schäffel füllen" (Auslegung des 6., 7. und 8. Kap. des Ev. Johannis [1530—1532]: Werke XLVIII 221 f).

[1] Tournely, De Eccl. q. 2, art. 1, concl. 2 (ed. Venet. 1790, 33).

vocem Christi audire glorientur. Illud tantum l. c. ostenditur, quinam sint electi, illi nimirum, qui Christi verbum non tantum audiunt, sed etiam animo recipiunt et Christum constanter usque ad mortem egregie imitati sequuntur. Cum autem minime manifestum sit, quinam Christi verbum etiam animo recipiant, non potest haec esse visibilis nota Ecclesiae, sed summum est plus minusve probabile argumentum, quo praedestinatus habeat aliquam suae ad beatitudinem aeternam electionis coniecturalem notitiam.

c) Atque etiam Eph 5, 26 nihil probat; mundatio enim illa est interna et per se invisibilis; nec Paulus ibi vult explanare, quae aut ubi sit vera Ecclesia, sed tantum, quale bonum Deus illi contulerit. Probat hic locus solum, Christi Ecclesiam mundam esse coram Deo et ab eo ut talem cognosci, non vero eam ut mundam etiam hominibus manifestam esse.

d) Verba Christi Io 10, 35 minus etiam ad rem faciunt, cum quia ibi dicuntur dii soli iudices et principes, quibus Deus aliquid, munus scil. vel iudicandi vel regendi commiserit; id enim significant verba: „ad quos sermo Dei factus est"; tum maxime, quia verbum Dei homines nullo modo facit „deos", cum praedicatur, sed tunc, quando animo recipitur et vere creditur atque observatur. Haec autem interna receptio est per se invisibilis; unde Ecclesiae nota fieri nequit.

e) Quae Io 15, 3 dicuntur quamquam ostendunt, homines credendo Christi doctrinam, sive per eius verbum animo receptum ut primam saltem, quamquam non solam mundationis causam, mundos fieri coram Deo, nullatenus tamen monstrant, illam animi munditiem eo ipso etiam aliis hominibus manifestam reddi.

f) Christum Mc 16, 16 declarare, ad aeternam salutem requiri veram fidem et baptismum rite collatum, concedimus; sed quae sit recta illa fides et quinam verus baptismus, neutiquam hic docet, sed aliunde cognitum ponit.

Unde ex S. Scriptura nihil ab adversariis profertur, quod ipsorum de Ecclesiae notis sententiae faveat.

Quae vero Patrum testimonia in illius sententiae patrocinium aliqui protestantes laudarunt, non magis eam confirmant.

Sane ex Hieronymi verbis[1]: „Ecclesia non parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, ubi fides vera est", nullatenus colligi potest, fidem protestantium sensu intellectam esse notam Ecclesiae. Nihil enim aliud illa verba annuntiant, quam quod verissimum est, veram scil. fidem Ecclesiae prorsus essentialem esse; sed inde non magis efficitur, veritatem fidei, prout a protestantibus percipi potest, posse fieri positivam Ecclesiae notam, quam multa alia Ecclesiae essentialia, v. g. proprietatem perpetuitatis, eiusmodi notam fieri posse ostenditur. — Nec magis adversarios iuvant duo testimonia e S. Augustino petita. Quorum alterum est hoc[2]: „In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam."

---

[1] In Ps. 133 (Anecd. Maredsol. III 2, Maredsoli 1897, 253 sq; ML XXVI 1223).
[2] Ep. 105, c. 4, n. 14 (ML XXXIII 401).

Alterum vero ita se habet[1]: „Inter nos autem et donatistas quaestio est . . ., ubi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto, quod in illius potius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum." Haec, inquam, S. Augustini verba adversariorum sententiae nullatenus favent. Non enim ex illis probari potest, Augustini mentem hanc esse, ut ex Scriptura quasi ex nota verae Ecclesiae monstretur, ubi sit ista Ecclesia, sive quasi ipsum verbum Dei in Scripturis expressum eiusque praedicatio possint esse nota Ecclesiae, sed eatenus tantum, quatenus Scriptura docet, quaenam sint essentiales Ecclesiae proprietates, et hinc implicite, quaenam sint eius notae. Indicavit igitur Augustinus recte, ex verbo Dei cognosci posse Ecclesiam *mediate, non vero immediate tamquam ex nota.*

Alia quaedam, quae ex Patribus ab adversariis afferuntur, praetereo, cum si modo in contextu inspiciantur, primo aspectu ut nullius roboris sese manifestent.

Sed adversarii insuper hanc rationem pro sua sententia attulerunt: verbum Dei sive S. Scripturam, utpote per quam Ecclesia vera probetur, necessario notiorem esse ipsa Ecclesia.

Verum respondendum est, „Ecclesiam esse priorem et notiorem, quam sit Scriptura. Nam Ecclesia fuit ante Scripturam [Novi Testamenti], et ipsi data est Scriptura a Deo, et ipsa eam aliis tradit et explicat. Nihilominus si Scripturae Novi Testamenti sumantur mere uti sunt historica monumenta, possunt nobis . . . indicare notas, ex quibus deinde fas sit discernere veram Ecclesiam. Item aliquando *ex hypothesi* notior est Scriptura quam Ecclesia, quando scil. Scriptura est recepta, et clare loquitur, et oritur quaestio de ipsa Ecclesia. Sicut interdum e contrario Ecclesia est recepta et nota, et quaestio oritur de Scriptura; et sic unum probatur ex altero: verbi gratia, quando disputabatur de baptismo haereticorum, quia Scriptura obscure loquitur, et Ecclesia nota erat, Augustinus probabat, secundum Scripturas baptismum haereticorum ratum esse, quia Ecclesia illum habet pro rato. Contra cum disputabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturae receptae erant apud donatistas et clare loquebantur, inde Augustinus adversarios refellebat."[2] Scriptura igitur notior potest dici vera Ecclesia, quatenus ex verbo Dei cognoscimus, quaenam sint notae, ex quibus veram Ecclesiam cognoscamus, et sic mediate Scriptura nos inducit in cognitionem Ecclesiae. Non vero ipsum Dei verbum est nota Ecclesiae.

3. Notae a protestantibus statutae non habent ea, quae notarum conceptui essentialia sunt (cf. p. 498 sq). Nam nec sincera verbi divini praedicatio nec legitima sacramentorum administratio secundum protestantium infallibile magisterium reicientium doctrinam possunt esse

a) externae et visibiles. Praedicatio enim et sacramentorum administratio eatenus solum res externae et visibiles sunt, quatenus simpliciter sunt praedicatio et administratio, non vero quatenus sunt

[1] Lib. de unit. Eccl. c. 2, n. 2 (ML XLIII 392).
[2] Ita cum Bellarmino Cercia, De Ecclesia 303.

praedicatio *sincera* et *vera* et administratio *legitima;* ergo sunt materialiter tantum, non vero formaliter spectatae sensibus obnoxiae; ut autem notae esse possent, deberent etiam *formaliter* spectatae sensibus subiectae esse. — *Deinde* non sunt

b) *propriae* seu *soli* verae Ecclesiae convenientes. Nam teste christianae religionis historia omnes religiosi christianorum coetus, qui Christi Ecclesia esse volunt, quantumvis inter se diversi atque interdum oppositi respectu tum doctrinae tum sacramentorum administrationis, omni tempore vindicarunt sibi sinceram verbi divini praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Quis igitur adversariorum secundum quam regulam iam certo iudicet, quinam ipsorum solus verum dicat? Ipsi enim omnes eandem iudicandi regulam eodem iure sequuntur iudicium privatum. Eodem igitur modo se haec res habet, ac si, qui deberent nummos bonos ab adulterinis discernere, singuli eandem minime infallibiliter certam discretionis regulam secuti, singuli aliter iudicarent, ita ut hi bonos, quos illi adulterinos, pertinaciter declararent, ita ut omnium iudicio confidere atque bonos nummos discernere nemo posset. — Praeterea non repugnat, quominus schismatici primo saltem post separationem tempore omnino retineant Ecclesiae verae, a qua discedunt, universam doctrinam, omnia sacramenta eorumque administrationem eandem, qui tamen minime ad veram Ecclesiam pertinent. — Porro notae illae protestantium non sunt

c) *notiores nobis quam Ecclesia.* Etenim *α*) *sincera* verbi divini praedicatio est praedicatio conformis doctrinae Christi; unde nisi Christi doctrina prius iam probe nota sit, cognosci nequit, utrum praedicatio sit sincera necne. Ergo *alia nova* nota opus esset, ut sciretur, quis veram, quis falsam doctrinam praedicaret, ubi igitur vera evangelii doctrina haberetur, et quinam eam profiterentur, sive ubi vera Ecclesia esset[1]. — Eadem ratione neque legitima, i. e. institutioni Christi conformis sacramentorum administratio notior est Ecclesia. Nam nec recta fides in suscipiente sacramenta nec legitima ac vera potestas ea administrantis sensibus subiecta est, aliunde vero cognosci non potest ab iis, qui nullum divinitus institutum perpetuum Ecclesiae regimen admittunt, atque iure nullatenus affirmare possunt, eam potestatem a populo ipso legitime conferri. Deinde vero ea, quae dicuntur, sacramenta, utrum vera et a Christo instituta sint, et tot quidem sint numero, non plura nec pauciora, ex se nullatenus clarum est. Sane Zwinglii, Calvini, Lutheri asseclae verum Eucharistiae sacramentum habere se gloriabantur, tametsi singuli plane diversas atque inter se contrarias de illius sacramenti natura sententias acriter

[1] Hinc vel ipse Faustus Socinus (Tract. de Eccl.: Biblioth. Fratr. Polon. I 342) istam notam prorsus reicit, eo quod hoc ipsum quaeratur, „ubinam sit vera Christi doctrina".

defendebant. Cumque anabaptistae ab illis se separarent, quia se solos putabant habere verum usum baptismi, num protestanti quaerenti, ubinam vera Ecclesia esset, solus illorum sacramentorum usus adeo diversus eam ipsi, et clare quidem, demonstrare potuit? Et cum baptismus omnibus christianorum coetibus religiosis sit communis, quomodo is possit esse signum, quo clare distinguatur, quis illorum sit vera Christi Ecclesia? Sincera igitur praedicatio verbi divini et legitima sacramentorum administratio adeo non sunt Ecclesia Christi notiora, ut solum cognita vera et infallibili Ecclesia Christi dicere certo liceat, in ea eaque sola esse sinceram Christi doctrinae praedicationem et vera sacramenta rectumque eorum usum.

β) *Ut certo cognoscatur* ab adversario, quaenam sit vera Christi doctrina, certo ipsi constare necesse est, et Scripturam, in qua illa doctrina contineatur, esse vere verbum Dei, et translationes librorum, in quibus sit hoc verbum Dei, esse fidelissimas ipsosque fontes ab omni errore saltem gravi liberos, et quinam sit sensus illius verbi, quaenam legitima ac sola vera interpretatio. Atqui „difficile admodum et arduum est, ne dicam impossibile, haec omnia ab unoquoque privato dignosci et explorari, cuius prorsus incapaces sunt rustici, plebeii, illiterati etc. Quin et literati ipsi ac docti de hisce tribus graves habent inter se concertationes, quae privatorum iudicio et auctoritate finiri ac terminari numquam possunt. Non eos omnes Scripturae libros tamquam canonicos agnoscit Lutherus, quos tamen Calvinus admittit, v. g. epistulam ad Hebraeos, epistulam S. Iacobi, Apocalypsim. Non minus etiam discordes sunt circa sensum et interpretationem Scripturae. Lutherus in illis Christi verbis: ‚Hoc est corpus meum', deprehendit realem ac substantialem corporis Christi in Eucharistia praesentiam, Calvinus econtra realem absentiam et figuratam dumtaxat praesentiam. Quis litem inter ipsos componet?" [1] Nemo certe, nisi qui infallibile magisterium in vera Christi Ecclesia exsistens audire et sequi voluerit. Atque ex dictis iam patet, illas ab adversariis praetensas notas nec

d) *esse ita claras ac faciles cognitu,* ut etiam rudiores earum ope Ecclesiam possint invenire, cum omnes quamvis falsae ac spuriae ecclesiae iisdem uti possint. Et vero si homo nullis literis instructus ac sincero verae Ecclesiae cognoscendae desiderio incensus videat lutheranos, zwinglianos, anabaptistas, puritanos aliosque, utut et nomine et sententiis multum inter se discrepantes, singulos apud se solos veram Ecclesiam esse profiteri, nonne, nedum ex ipsorum tam diversa praedicatione veram Ecclesiam facile cognoscat, potius mire perplexus evadet et admodum angetur, quam in partem sese convertat? Nam eorum singuli affirmant tamquam suae Ecclesiae notam, apud se doceri puram Christi doctrinam; atque suae quisque fidei articulos probare studet ex S. Scriptura, etiam secundum vim hebraici vel graeci

[1] Tournely, De Eccl., Venet. 1790, 30.

codicis intellecta, et adversariorum rationes quantum valet erudite refutat. Is certe homo, „qui horumce omnium valde ignarus est ac imperitus, nullam ex his ecclesiis poterit amplecti; cum enim has omnes disputationes et momenta nec penetrare quidem possit, immo nec attingere, tam anxius et anceps haerebit, ac erat antea; neque ullam e societatibus praedictis alteri praeferendam iudicare umquam poterit, si delectus ille pendeat ex privato ipsius de veritate doctrinae iudicio, examine ac discussione“ [1].

Thesis VII.

Verae notae Ecclesiae Christi sunt ipsae eius proprietates apostolicitatis, unitatis, catholicitatis, sanctitatis, quatenus externo ac visibili modo sese manifestant.

Probatur thesis. Singulae illae quatuor Ecclesiae proprietates habent omnes verae notae Ecclesiae qualitates; ergo sunt verae eius notae.

Probatur antecedens. Ad veram enim notam Ecclesiae requiritur, ut supra ostendimus, ut ea sit *externa* et *visilis; notior ipsa Ecclesiae veritate; essentialis* ideoque *permanens; propria, certa ac definita; clara* et *facilis cognitu.* Iam vero singulae illae quatuor proprietates

1. externo ac visibili modo sese manifestant. Nam

a) proprietas *apostolicitatis* ad extra sese manifestat modo, qui partim stricto partim lato sensu est visibilis *α*) respectu *successionis in Petri primatu.* Haec enim successio stricto sensu visibilis est, et quam maxime quidem. Ille enim ut successor Petri in primatu habendus est, quem illa Ecclesia, quae Petri primatus heredem ut suum caput veneratur, ut talem agnoscit; haec autem agnitio clara est, cum se manifestare omnino debeat perfecta illius totius Ecclesiae erga ipsum oboedientia. Quovis porro tempore *unus* tantum esse potest *verus* Petri in primatu successor, qui cum in ipso totius visibilis Ecclesiae culmine positus sit, fieri non potest, quin Ecclesiae apostolicitas tum materialis tum formalis respectu successionis in primatu toto terrarum orbe clarissima luce resplendeat.

Non repugnat quidem, quominus aliquando vel errore vel malis cupiditatibus ducti plures quam unus solus eodem tempore se dicant Petri in primatu successores eorumque singuli ab aliqua verae Ecclesiae parte ut tales agnoscantur itaque inter ipsos verae Ecclesiae fideles schisma oriatur, non quidem *formale,* quasi non omnes crederent, unum solum esse posse et debere quovis tempore S. Petri in primatu successorem, cui omnes sese subicere et oboedire deberent, sed *materiale* propter dubium circa factum legitimae successionis: sed ne ea quidem re, si accidat, successionis in primatu apostolicitas *iuris* ob-

[1] Tournely l. c. 31. — Nihilominus Gerhard (l. c. 206) dixit: „*Apodictice* veram Ecclesiam ostendunt hae notae.“

scurari potest, tum quia necessitas huius successionis ab universa Ecclesia agnoscitur, tum quia ex pluribus primatus competitoribus aut aliquis est vere Petri successor aut nullus. Si nullus sit, longiore tunc quidem tempore Petri sedes vacua erit, sed ipsa successionis apostolicitas iuris non minus clara erit quam tempore vacationis brevioris, quae post mortem uniuscuiusque successoris Petri locum habet. Si vero ex illis pluribus unus vere sit Petri successor, apostolicitas illius successionis in primatu etiam *facto* eo ipso tempore visibilis est, quamquam non tanta claritate pro toto terrarum orbe, qua tunc splendet, quando dubium nec est nec esse potest de legitima successione illius, qui solus ab universa Ecclesia Petri successor agnoscitur.

Quapropter proprietas apostolicitatis quoad successionem in Petri primatu semper eminenti ratione ad extra visibili modo sese manifestet necesse est, eoque magis, quod materiale illud schisma in Christi Ecclesia certe tum propter providentiam, qua Deus Ecclesiam suam curat, tum propter ipsius muneris dignitatem et naturam atque Ecclesiae indolem procul dubio rarissime accidet. — Apostolicitas externe se manifestat

β) *quoad totum Ecclesiae regimen Petri successori subiectum.* Hoc enim totum, mediate saltem, ut vere apostolicum eo ipso apparet, quod est cum Petri successore, totius apostolicitatis centro, visibili modo amoris, subiectionis, oboedientiae vinculo coniunctum. Insuper esse potest, ut aliquae ecclesiae particulares, quae evidenter apostolicae sunt, etiam *immediate* ad nostram usque aetatem permanserint atque in futurum quoque permaneant, aut ut certe permaneant ecclesiae ita *mediate* apostolicae, ut licet non ab ipsis apostolis, ab eorum tamen discipulis fundatae sint. Quod si certo constat, earum sacrum regimen non solum — id quod sufficit — formali, sed etiam materiali apostolicitate insignitum est. — Apostolicitas externe se prodit etiam

γ) *respectu infallibilis magisterii.* Cum enim hoc, ut prius monstravimus, in perpetuum coniunctum sit cum ipso sacro Ecclesiae regimine huiusque successione usque propagandum sit, magisterium ipsum ut tale externum et sensibus obnoxium, ut *infallibile* vero sensu lato visibile est, quatenus nimirum ut tale ex Christi promissis apostolicae successioni in Ecclesiae regimine annexum cognoscitur. Unde etiam

δ) *apostolicitas et veritas ipsius doctrinae* certo *manifesta fit.* Ad hoc enim Christus Ecclesiae magisterio donum infallibilitatis in perpetuum contulit, ut non solum vera ipsius doctrina pura semper atque integra conservaretur, sed etiam ut homines certo scire possent, ubinam sit vere apostolica doctrina et fides. Alioquin enim Christus non satis providisset, ut homines *veram* suam Ecclesiam certo cognoscere et ab omni erroris periculo tuti in perpetuum amplecti possent.

ε) *Denique apostolicitatis proprietas* quoad Ecclesiae Christi *originem* eo ipso etiam se clare manifestat, quod sacri regiminis ac praesertim primatus apostolicitas stricto sensu visibilis est, quodque illa sola est Christi Ecclesia, quae apostolicum regimen generatim, et speciatim primatum habet.

b) *Item proprietas unitatis* externo et visibili modo sese manifestet necesse est. *Primum* enim regiminis unitatem se manifestare evidens est, cum et Ecclesiae rectores et subditi visibiles sint, et illorum successio legitima, gubernatio atque praecepta, horum autem oboedientia possint ac necessario debeant aut sensibus aut ratione facile percipi. Huius certe oboedientiae actus, quibus fideles praepositis ac praecipue totius Ecclesiae capiti parent, etiam externos esse is solus negare potest, qui Ecclesiae auctoritatem temere omnino atque absurde ad actus mere internos restringeret. — Atque idem *deinde* valet quoque de unitate fidei, cum magisterium ut tale visibile sit et ut infallibile facile pariter cognoscatur, cumque, ut iam monstravimus, fides non possit esse solum interna, sed etiam externa et publica professione se debeat exhibere, et ita quidem, ut fideles sincere credant et profiteantur, quaecumque infallibile magisterium docet esse credenda ac profitenda. — *Denique* unitas necessaria mutuae communionis inter fideles et eorum episcopos hosque inter sese et simul cum Petri in primatu successore, sicut etiam unitas cultus essentialis divini publici vel saltem externi natura sua externa est et sensibus percipi potest.

c) *Catholicitatis* porro proprietatem, qualem definivimus, quatenus est catholicitas *facti,* externam atque omnium oculis subiectam esse vix est, quod monstretur. Videtur enim ea in numero populorum, qui ubique fere in orbe terrarum *eandem* Christi religionem publice profitentur eidemque capiti supremo, Petri in primatu successori, oboediunt actibus non solum internis, sed etiam quam plurimis externis, iisque gravis omnino momenti et claritatis eximiae. Catholicitatem autem *iuris* lato sensu visibilem esse, sive ut certam a ratione humana cognosci posse constat eo ipso, quod ut proprietas Ecclesiae certis argumentis vindicatur.

d) *Atque etiam sanctitatis* proprietas multis modis sese manifestat. *Primum* enim ratione sanctae originis sanctique auctoris, Christi, Ecclesia vera visibilis fit ex ipsa visibili apostolicitate regiminis sui maximeque primatus, super quem tamquam petram ipsa fundata est. Cum ergo Petri in primatu successor plane visibilis sit et non possit esse Ecclesia vera praeter eam, quae super illum primatum aedificatur, ipsa etiam originis et auctoris sui ratione sancta apparet eo modo, qui saltem lato sensu visibilis dici debet. Ope *deinde* infallibilis sui magisterii Ecclesia manifestum omnibus reddit, se sanctam esse ratione doctrinae. Magisterium enim illud nullam nisi apostolicam ideoque Christi omnino sanctam doctrinam tradere potest, eamque non in occulto docet, sed quam maxime publice, concionando, literas et libros conscribendo, ita ut ab omnibus facile cognosci possit, et nonnumquam summa cum celebritate, ut fit in conciliis, praesertim oecumenicis. — *Tum* evidenter ipsum etiam Ecclesiae regimen et magisterium, cum a Christo in omne tempus sit institutum et semper apostolicum, omni tempore ut sanctum apparet, etsi forte ex iis, qui illis muneribus fungantur,

nonnulli interdum sint mali. — *Praeterea* ipse sanctus Ecclesiae finis, partim saltem, verae religionis Christi scil. propagatio et conservatio, oculis subiectus est. Nec etiam esse potest, ut sanctitatis in fidelibus efficiendae subsidia a Christo Ecclesiae tradita visibilia non sint. — *Denique* Ecclesia se sanctam clare manifestat essentiali illa sanctitate eximia, qua nonnulli sui fideles omni tempore excellant necesse est. Exercitatio enim virtutum non solum interna, sed persaepe etiam externa esse debet, cum Christi praecepta ea praescribant, quae partim etiam externe erga Deum, alios homines, nosmetipsos agenda sint atque ad totam vitam internam et externam recte componendam pertineant. Quae variarum virtutum exercitatio visibilis sine dubio est; ac maxime visibiles sunt insignes illi christianarum virtutum actus, v. g. vera inimicorum dilectio, exilii duri aut ipsius mortis violentae propter veram Christi religionem perpessio, perfecta atque vel inter magna et multa pericula constans castimonia, voluntaria paupertas ex Christi amore electa, praesertim si, qui eam elegit, magna bona splendidosque honores abiecit; constans denique et impensum studium semper et ubique accurate, etiam in minimis, agendi, *quae, quomodo, quia* Deus ab ipso postulat. Iam vero licet virtus etiam per aliquod saltem tempus interdum fucata esse possit ideoque non quaevis virtutis species ad demonstrandam sanctitatem sufficiat, simulatio tamen in constanti et diuturna virtutum illarum heroicarum exercitatione, cum quibuscumque malis cupiditatibus hominum quam maxime adversa sit, prorsus repugnat. Quare talium virtutum exercitatio visibilis ac frequens Ecclesiae sanctitatem procul dubio vere declarat.

Praeterea miracula, quae Ecclesiae semper necessaria esse ostendimus, ut effectus extraordinarii per se stricto sensu, et ut effectus producti a virtute divina vel angelica lato saltem sensu visibilia sunt atque Ecclesiae sanctitatem produnt. Ac praesertim si, quod nullatenus repugnat, miracula ad hominis sancti invocationem post eius mortem patrentur, ea veram eius sanctitatem et consequenter etiam Ecclesiae, cuius filius fuerat, invicte demonstrant. Ab Ecclesia enim sancti acceperunt veram fidem, quae sanctitatis initium est, ab ea sola legitime sacramenta possunt haberi, quae sanctitatis sunt fontes, ab ea sola infallibiliter proponitur norma vivendi ex evangelio[1].

2. Sed singulae illae quatuor proprietates etiam notiores sunt Ecclesia per eas manifestanda. Licet enim Ecclesiam, si sola cogitatione ac mente sive, ut dici solet, *in abstracto* eam consideremus, proprietates illae consequantur, utpote quae ex eius essentia sive forma essentiali tum interna tum externa fluant ac colligantur, notiores tamen sunt illae proprietates Ecclesia in *concreto* cognoscenda. Cuius rei signum ac argumentum est ipsa quam in tota hac apologetica tractatione inivimus via. Iam enim singulas illas proprietates probe

[1] Palmieri 276.

cognitas habemus; quae autem ex tot religiosis christianorum societatibus sit vera Christi Ecclesia, ex iis quae hactenus diximus, hoc loco nondum scimus, sed quaerimus; ergo notarum illarum cognitio prior est cognitione societatis christianae, quae revera sit Christi Ecclesia; ergo etiam proprietates illae ut externae et visibiles notiores sunt nobis quam Ecclesia nondum cognita, sed modo inquirenda.

3. Singulae illae quatuor proprietates sunt essentiales Ecclesiae ideoque *in perpetuum permanentes* atque ab Ecclesia inseparabiles (cf. supra p. 378 sqq), idque non solum ut internae, sed etiam ut externae, sive ut notae, cum, id quod modo diximus, ipsae singulae externo ac visibili modo sese semper manifestent necesse sit.

4. Singulae illae proprietates ita sunt Ecclesiae Christi *propriae,* ut earum nulla ne ut externa quidem et sensu stricto vel lato visibilis, si modo *integre* accipiatur, ulli umquam sectae sive falsae ecclesiae communis fieri possit. Id certe evidens est

a) *ratione apostolicitatis α)* tum *regiminis* tum *magisterii.* Christus enim praeter unam suam Ecclesiam nulli coetui infallibile magisterium, primatum, reliquum regimen sacrum dedit; missio vero extraordinaria divina vel ad fundandam religionem novam vel ad reformandam verae Ecclesiae doctrinam et regiminis formam fieri nequit (cf. supra p. 387); omnes igitur religiosi christianorum coetus, qui non sunt vera Christi Ecclesia, etsi habeant aliquod regimen ac magisterium ecclesiasticum, id tamen habent *nullo iure divino* sive ex institutione Christi, sed iure *mere humano.* Christus enim unam eamque destinatione universalem Ecclesiam in perpetuum instituit eamque solam curavit, sectas vero ab Ecclesia sua schismate aut haeresi deficientes minime sane voluit et curavit. Qui ergo christiani a vera Ecclesia recedunt, nullo plane iure divino ullius iurisdictionis accepto constituunt sibi superiores et errorum suorum magistros. Quapropter nec possunt habere tales magistros, quales Ecclesiae suae Christus dedit, scil. infallibiles; et si forte etiam aliquem supremum in regimine primatum creant, is procul dubio primatui vero a Christo instituto nisi instar larvae similis non erit. — Eodem modo res se habet

β) ratione apostolicitatis doctrinae. Propter infallibile enim magisterium in vera Christi Ecclesia perpetuo praesens Ecclesiae doctrina semper manet manifeste apostolica tum *iure* tum *facto;* et ita propria quidem Ecclesiae est haec doctrinae apostolicitas, ut, id quod ex iis quae hactenus diximus, clarum omnino est, numquam *iure* ulli sive schismaticae sive haereticae sectae communis esse possit, *facto* autem plene nulli conveniat sectae haereticae, utpote quae haeretica non esset, nisi in una saltem alterave re a certa Ecclesiae verae doctrina pertinaciter dissentiret; schismatico autem christianorum coetui ea absolute initio quidem schismatis convenire potest, sed probabiliter non diu id obtinebit (cf. p. 372). — Idem patet

γ) *ratione apostolicitatis originis.* Nam haec origo Ecclesiae Christi tam propria est, ut manifeste nec *iure* nec *facto* ulli sectae vel schismaticae vel haereticae competere possit. Christus enim et apostoli nullam eiusmodi sectam instituerunt; necesse igitur fuit, omnes quotquot umquam exstiterunt sectae, ortas esse defectione ab Ecclesia Christi iam instituta et exsistente. Et certe, teste historia, qui iam apostolorum aetate exstiterunt christianorum coetus cum Christi Ecclesia non coniuncti, separatione ab ipsa facta se constituerunt. Soli igitur Ecclesiae Christi apostolica origo competere potest.

b) *Nec minus propria Ecclesiae,* nec ulli sectae communis est proprietas *unitatis.* Id patet quoad *unitatem regiminis,* cum nulli sectae competere possit regimen a Christo in una sua Ecclesia institutum. Quod igitur christianorum religiosi coetus a Christi Ecclesia separati regimen sibi ipsis constituerunt, nec *iure* nec *facto* apostolicum est; quare nullam habet auctoritatem apostolicam, et nullo iure divino, sed summum humano oboedientiam exigere valet. Hinc etiam *unitas communionis,* qualis a Christo postulata est, *iure* nulli umquam sectae competit, atque, quoad supremum saltem regiminis caput, nec etiam *facto,* cum nulla prorsus secta possit habere supremum illud caput, quod Christus uni suae Ecclesiae dedit.

Fidei autem unitatem Ecclesiae necessariam luce clarius est soli Ecclesiae competere posse, cum sola Ecclesia potiatur infallibili magisterio, auctoritate igitur, quae sola iure eoque divino postulare potest, ut, quaecumque credenda praescribit, ab omnibus sincera fide credantur. Insuper cuiuscumque sectae schismaticae vel haereticae principium primarium ac summum, sive id diserte exprimitur sive implicite ac tacite supponitur, aliud esse nequit quam auctoritas *rationis privatae.* Qua enim alia auctoritate primus sectae cuiuscumque auctor legitimo Ecclesiae regimini et infallibili magisterio se opponit atque se suosque ab ea separat nisi auctoritate suae rationis privatique sui iudicii? Iactabit fortasse extraordinariam missionem divinitus acceptam ad Ecclesiae doctrinam reformandam, sed demonstrare eam non poterit. Quapropter tantum abest, ut huiusmodi sectae auctor iure solidum possit fundamentum unitatis fidei iacere, ut statuat verbo vel exemplo principium summae discordiae et dissensionis de fidei doctrina, iudicium nimirum et auctoritatem rationis humanae singulorum sociorum. Nam eodem atque etiam maiore iure, quam quo ipse regiminis a Christo instituti et infallibilis magisterii auctoritatem detrectat, potest quilibet suorum et maxime vir ipso doctior ipsius auctoritatem mere humanam spernere atque suam ipsi opponere itaque aliam atque aliam fidei doctrinam statuere. Cum igitur Christi Ecclesia sola habeat unitatis fidei verum principium, infallibile scil. magisterium, ipsi etiam soli, iure saltem et semper, illa unitas competit.

c) *Atque etiam catholicitas, integra* saltem, Christi Ecclesiae ita propria est, ut nulli alii christianorum religioso coetui communis esse

possit. Nulla certe secta accepit a Christo catholicitatem *iuris* sive destinationem per terrarum orbem salva unitate sese diffundendi, atque virtutem et efficaciam supernaturalem, qua alios homines ad sese convertat sibique aggreget atque ita late se propagando facto catholica fiat et maneat. Ipse enim unam suam Ecclesiam curavit, orituras autem christianorum sectas ab Ecclesia sua dissentientes abhorruit. Ut enim alia multa praeteream, ipse earum auctores falsos prophetas nominavit, ipsiusque apostoli eos anathema et antichristos vocarunt. Ergo si nihilominus fiat, ut etiam sectae late se diffundant, haec earum propagatio manifeste non subsidiis divinis, sed adiumentis mere naturalibus efficitur.

Atque ex dictis patet, nec catholicitatem *facti* ulli sectae *iure* competere posse, et ut ostendimus p. 445, etsi forte non certum, summe tamen probabile vel in antecessum est, fieri non posse, ut ulla secta, quamdiu certe doctrinae eiusdem professione una manet, ante tempora saltem postrema, veram Christi Ecclesiam et extensione et sociorum numero reapse superet, sive ut Christi Ecclesia catholicitate etiam *relativa* non semper insignita sit.

d) *Denique sanctitas* Ecclesiae adeo propria est, ut non modo *iure* numquam, sed nec etiam *facto* alicui sectae *integra* competere possit. Certe nulli religioso christianorum coetui, qui non est vera Christi Ecclesia, communis esse potest sanctitas *originis* et *auctoris,* ideoque neque *essentiae.* Cum enim nulla *iusta* ratio esse possit vel schismatis vel haeresis (cf. supra p. 371), *sectarum origo* et *institutio* non potest nisi malis causis ascribi, superbiae scil. pervicaci vel ambitioni vel libidini, vel his aliisque malis cupiditatibus simul. *Auctores* vero sectarum cum non sint Christus vel apostoli, sunt homines, qui privatum suum iudicium mere humanum et erroribus obnoxium iudicio infallibilis magisterii temere atque superbe praeferunt, suamque quamcumque auctoritatem extollentes divinam Ecclesiae auctoritatem spernunt atque reiciunt.

Sanctitas porro *magisterii* et *regiminis ecclesiastici,* originis saltem ratione, evidenter quoque ab omnibus sectis semper abest; *doctrinae* vero sanctitas plus minusve prout sectae ab Ecclesiae verae doctrina plus vel minus recedunt. Item ipsis necessario deest aut omnino aut partim sanctitas *finis propositi* et *subsidiorum* ad eum consequendum. Sectae enim omnes, sive schismaticae sive haereticae, natura sua duce eo tendunt, ut exsistentiam suam Ecclesiae verae ideoque etiam Christo adversam tueantur seque magis magisque diffundant, quod student efficere praecipue etiam corrumpendo et ad se trahendo verae Ecclesiae, cuius odio flagrant, fideles. Nec sectae, haereticae maxime, plenam vitae tum *internae* tum *externae* sanctitatem habere possunt, cum et partim principio vitae interno, pura fide et subsidiis ad consequendam sanctitatem a Christo Ecclesiae datis necessario plus minusve careant.

Sanctitas denique vere *eximia nonnullorum quovis longiore saltem tempore fidelium* Christi Ecclesiae adeo quoque propria est, ut nulli alii christianorum coetui ab ipsa vel schismate vel haeresi avulso vere communis esse possit. Loquimur autem non de infantibus, sed de iis qui iam ratione utentes moraliter bene aut male agunt. Nec ullatenus infitiamur, in istiusmodi coetibus, licet etiam eorum doctrina bonis moribus adversa sit, posse esse et revera nonnumquam esse sat multos homines probos atque honestos, qui duce natura humana ac adiuti bona educatione, auxilio etiam divino tacito vel interdum verae Ecclesiae influxu ipsis occulto ita se gerunt, ut multo meliores sint quam ipsorum sectae doctrina moralis. Nihilominus neutiquam probabile videtur, in christianorum sectis umquam *vere* et *eximie* sanctos esse posse, cum quia aut multa fortasse praecipua sanctitatis subsidia illis desunt aut eorum rectus ac frequens usus non habetur, tum maxime quia homo, qui, licet non sit externo ac visibili vinculo cum vera Ecclesia coniunctus, tamen verae et eximiae sanctitati sincere studet, non videtur posse diu aut etiam usque ad vitae finem bona fide credere, sectam suam esse veram Christi Ecclesiam. Procul dubio enim hominem tam bonae voluntatis Deus ad veritatis cognitionem perducet. Ceterum etiamsi ille homo falsitatem suae sectae numquam cognosceret essetque semper de eius tamquam Ecclesiae Christi veritate securus, animo tamen ac voluntate verae Ecclesiae Christi filius esset. Vult enim is omnino Christi Ecclesiae socius esse, et si dubius fieret, utrum secta in qua est reapse esset illa ecclesia, in rei veritatem pro viribus inquireret eaque inventa verae Ecclesiae necessario sese aggregaret; quodsi enim dubius in secta sua perpetuo remaneret, eo ipso graviter peccaret atque verae Ecclesiae socius vereque sanctus neutiquam esset. Quinimmo licet ille homo de sectae suae veritate haud dubius in ea ad mortem usque remaneret, iam propter hunc ipsum veri ac perfecti veritatis studii defectum vere et eximie sanctus dici non posset, cum profecto nulla secta esse possit, cuius falsitas adeo aperta veritatis sincere ac perfecte studioso homini serius ocius manifesta non fiat.

Miracula denique, licet non repugnet, quominus aliquando etiam in gratiam schismatici et haeretici alicuius, ad eius v. g. morbum curandum, vere patrentur, donum tamen miraculorum alicui sectae ut tali commune esse prorsus non potest, utpote soli verae Ecclesiae concessum; nec etiam ullum miraculum in confirmationem ipsius schismatis aut haeresis vel directe vel indirecte edi potest, cum alioquin sectae asseclae in errore suo necessario confirmarentur. Quare etiam miraculorum donum Ecclesiae Christi ita proprium sit necesse est, ut nulli alteri religioso coetui ut tali commune esse possit.

Constat igitur, singulas quatuor de quibus agimus Ecclesiae proprietates, etiam ut externas sive ut notas, dummodo integrae ac plene sumantur, nulli sectae proprias esse posse.

5. Singulae illae proprietates etiam ut externae et aliquo modo sive lato sive proprio visibiles sunt *omnino definitae,* ut evidens est ex iis, quae de illis ut meris proprietatibus diximus et quae paulo ante de earum visibilitate exposuimus. Accurate v. g. definiri potest, et modo generali sufficienter definivimus, qua ratione unitas doctrinae nota verae Ecclesiae quam certissima et clarissima sit.

6. Singularum istarum proprietatum manifestatio externa est nota Ecclesiae *certa,* i. e. certam cognitionem gignit. Atque proprietates apostolicitatis, unitatis, sanctitatis sunt certo notae *positivae,* nota catholicitatis probabilius positiva, certo vero negativa. Scilicet

a) *singulae sunt notae* sensu aut positivo aut negativo *certae.* Cum enim illae proprietates sint Ecclesiae essentiales, *necessaria* earum manifestatio talis est, ut habeat etiam necessariam sensu aut positivo aut saltem negativo connexionem cum veritate Ecclesiae, ideoque certo indicet, aut quaenam sit vera Ecclesia, aut saltem, quaenam non sit, cum vera Ecclesia nulla earum proprietatum carere possit. Verum non solum negativae sunt singulae illae notae, sed earum saltem aliqua sit etiam positiva necesse est, cum alioquin nulla esset nota, qua Ecclesia vera positive et directe manifesta fieret, ideoque Ecclesia vera visibilis non esset. Atque

b) *proprietatum* apostolicitatis, unitatis, sanctitatis, ut sunt externae et lato aut proprio sensu visibiles, *unaquaeque* est nota certo positiva[1]. Quod quidem

α) de *apostolicitate* adeo evidens est, ut declaratione vix opus sit. Cum enim haec nota Christi Ecclesiae non modo essentialis, sed etiam ita propria sit, ut ratione originis, regiminis sacri, primatus, infallibilis magisterii nulli sectae, ratione doctrinae saltem iure earum nulli communis fieri possit, manifeste sequitur, eam Ecclesiam, quae habeat regimen apostolicum et primatum a Christo institutum, ideoque etiam infallibile magisterium et doctrinam et originem apostolicam, eo ipso sese ratione horum *singulorum* quatuor elementorum, quae ad ipsam pertinent, modo positivo ut veram Christi Ecclesiam demonstrare. Et quia Ecclesia sub quadruplici hoc respectu non vago, sed definito sese sensu vel stricto vel lato visibilem exhibet (cf. supra p. 509 sqq), apostolicitas est Ecclesiae nota quam maxime positiva.

β) *Atque idem dicendum est* de nota *unitatis.* Quamvis enim fieri possit, ut coetus christianorum schismaticus initio saltem habeat unitatem fidei rectae materialem, nihilominus, ut diximus, nulli sectae competere potest unitas regiminis *apostolici* — de quo solo, ut patet, hic agi potest —, ac minus etiam unitas primatus a Christo instituti,

---

[1] Plures quidem, ut v. g. Card. De Luzerne (Dissert. sur les églises catholique et protestante ch. 7, n. 25 et ch. 9, n. 4: Oeuvres compl., ed. Migne II 424 457), dicunt apostolicitatem et sanctitatem esse notas tantum negativas; sed errore hoc dici evidens est ex iam dictis et amplius fit ex modo dicendis.

unde fit, ut neque unitas communionis cum regimine apostolico eiusque centro, Petri successore, adesse possit, neque etiam propter defectum infallibilis magisterii iure unitas fidei sive unitas eiusdem formalis. Ergo si visibili modo adsit in aliqua ecclesia primatus et totum regimen apostolicum, infallibile magisterium et unitas requisita tum rectae fidei tum communionis non solum facti, sed etiam iuris, manifestum est, horum in illa Ecclesia praesentiam demonstrare eius veritatem modo absolute positivo et egregie affirmante. Confirmatur id etiam inde, quod Christus ipse Io 17, 20—23 fidelium unitatem precatus est tamquam insignem divinae suae missionis notam et argumentum certum, quo homines directe et positive ad fidem christianam amplectendam moverentur („*ut* credat mundus, . . . ut cognoscat“) [1].

γ) *Atque etiam sanctitatem,* quatenus lato vel stricto sensu visibilis est, *integre* acceptam positivam Ecclesiae notam esse patet ex hoc, quod, ut modo probavimus, ea Ecclesiae non solum essentialis, sed etiam tota ferme ita propria est, ut nulli sectae communis fieri possit. In qua igitur religiosa christianorum societate eam omnem inesse certo apparet, eam veram Christi Ecclesiam esse certissime etiam concludendum est.

Verum tamen est, Ecclesiae ac maxime ipsius fidelium sanctitatem, tametsi per se notam vere positivam et clarissimam, non tamen ita aperte et clare hominibus, qui non ipsi sint puri et bonae voluntatis, sese exhibere, quemadmodum v. g. unitas Ecclesiae se prodit. Unitatis enim nota constat facto externo et publico, quod et malis, si modo velint, et bonis non minus manifestum est quam unitas regiminis alicuius regni. Id vero sanctitati peculiare est, ut ab impuris et superbis, etiamsi ante ipsorum oculos fulgeat, non magis quam a caeco solis claritas videatur et agnoscatur. Etenim „abominantur impii eos, qui in recta sunt via“ (Prv 29, 27), et saepe bonum malum ac malum bonum dicunt. Quare de iis etiam valet, quod Paulus de iudaeis 2 Cor 3, 15 16 dixit: „Velamen positum est super cor eorum. *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur* velamen.“ Quod igitur homines mali Ecclesiae sanctitatem non tam clare percipiunt, causa non est aliqua huius ipsius notae imperfectio et obscuritas, sed magna saltem ex parte, est idem illorum vitium, quod fuit iudaeorum, qui Christi ipsius auctoritatem, dignitatem messianam, evidentia miracula agnoscere nolebant propter corruptos ipsorum animos mentesque falsis opinionibus praeiudicatis obscuratas [2].

δ) *Catholicitas* denique quatenus externa est etiam, probabilius saltem, nota Ecclesiae positiva, certo autem negativa. Et illud quidem patet eo, quod saltem probabile esse ostendimus, fieri non posse, ut ulla umquam secta una in eiusdem fidei professione veram Christi Ecclesiam et extensione et sociorum numero vincat. Tametsi igitur

[1] Fuerunt quidem theologi, qui unitatis notam tantum negativam dixerunt. Ita certe Sardagna (Theol. dogm. polem. II 294, tract. 3, n. 26) affirmat, unitatem et universalitatem vocari notas negativas, antiquitatem vero et sanctitatem notas positivas.

[2] Murray III 834.

fieri potest, ut certis temporibus immensa hominum multitudo ad amplectendam causam aliquam religiosam non minus quam ad politicam amplectendam incitetur ac permoveatur, praesertim si causa illa malis eorum cupiditatibus accommodatior sit, vis tamen et efficacia permanens et constans sese propagandi, subsidiis maxime, ut necesse est, pure spiritualibus atque honestis adhibitis, multo probabilius est nota Ecclesiae positiva. Illi enim singulares animorum motus humani labente tempore natura sua pariter labuntur et concidunt; vis ac virtus contra illa, qua Ecclesia sese constanter usque propagat sola honesta persuasionis ratione, argumento est, eam esse ipsam illam Ecclesiam, cui Christus virtutem suam in perpetuum promisit.

Alterum porro, catholicitatem esse certo notam negativam, inde manifestum est, quod cum sit proprietas Ecclesiae essentialis, ab ipsa abesse numquam potest; ergo si alicui religioso christianorum coetui desit, eo ipso hunc coetum Christi Ecclesiam non esse plane evidens est.

7. Denique illae proprietates externe se manifestantes ut Ecclesiae notae possunt *ab omnibus, etiam indoctis sat facile ac sufficienter cognosci.* Ut enim illae proprietates ceu Ecclesiae notae agnoscantur, requiritur et sufficit, ut cognoscantur *duo.* Iudicanda est scil. primum quaestio *iuris,* i. e. has et non alias esse veras Ecclesiae notas, ipsarumque talem et non aliam esse notionem atque naturam; iudicandum deinde de quaestione *facti,* scil. discerni debet, in quanam christianorum religiosa societate hae notae inveniantur. Iam vero homo etiam indoctus debita diligentia adhibita potest sufficienter cognoscere

a) *iure illas* proprietates ut Ecclesiae notas statui. Nam ex iis quae hactenus diximus, unumquemque, dummodo sincerae voluntatis sit, aut propria investigatione aut certe idonei magistri ope sat facile ac satis cognoscere posse patet

α) omnes alias quam illas quatuor a nobis statutas notas non esse Ecclesiae notas. Notae enim a protestantibus statutae tam evidenter sunt falsae, ut nemo sit, qui earum falsitatem non sat facili labore ac sufficiente claritate percipere valeat, praesertim si a bono magistro erudiatur.

β) Contra potest quilibet facile cognoscere, quatuor illas quas catholici statuunt Ecclesiae notas esse veras. Quivis enim, qui admittit Ecclesiam a Christo in perpetuum institutam, licet scientifice id non cognoscat, facili tamen negotio satis perspicit, Ecclesiae semper necessarias et a Christo inditas esse quatuor illas proprietates. Et vero evidens unicuique sit necesse est, Christi Ecclesiam semper *apostolicam* esse debere primum origine, cum ex evangeliis et apostolorum historia manifestum sit, eam per apostolos a Christo fundatam esse. Regimen deinde sacrum et Petri primatum et infallibile magisterium divinitus esse instituta et perpetuo permanere debere, etiam sine gravi labore

sufficienter apprehendere quivis poterit, cum argumenta, quibus ea probantur, sint certa et primo aspectu adeo clara, ut qui sincere veritati studet, ea non possit non admittere. Qui porro hoc ut verum perspexerit, si Christum Deum esse credit, sine ulla difficultate concedet, doctrinam Ecclesiae semper debere esse apostolicam et in se immutabilem. His vero concessis et admissis necessario consequitur necessitas *unitatis* Ecclesiae, prout a nobis supra definita est, respectu tum regiminis tum fidei et communionis mutuae. Argumenta porro, quibus proprietas *catholicitatis,* ut a nobis definita est, ceu essentialis Ecclesiae vindicatur, adeo manifesta et facilia sunt, ut quivis non plane rudis eorum vim ideoque etiam illius proprietatis necessitatem nullo negotio intelligat. *Sanctitatis* denique proprietatem ex ipsa Ecclesiae natura evidens est ei necessario debere convenire ratione originis, auctoris, essentiae, doctrinae, magisterii, regiminis sacri, finis praeterea ei propositi et subsidiorum, quae Christus ad eum attingendum ipsi dederit, vitae denique tum internae tum externae. Cur autem in Ecclesia et necessario sint quavis longiore saltem aetate aliqui eximie sancti et miracula patrandi vis numquam cesset, sufficienter cognoscet, qui Ecclesiae finem et Novi Testamenti locos ad utrumque probandum idoneos noverit et diligenter meditatus sit. — His deinde quatuor Ecclesiae proprietatibus singulis omnia ea inesse, quae ad veram Ecclesiae notam constituendam requiruntur, tam difficile cognitu non est, ut indoctus id facili modo satis doceri non possit. Nostram certe pro hac re allatam argumentationem homo etiam illiteratus, duce saltem idoneo magistro, facile intelligat atque lubens admittat.

Sed ad sufficienter cognoscendam veram Christi Ecclesiam nec absolute necessarium est, ut homo cognoscat, illas proprietates esse simul etiam Ecclesiae notas, verum manifeste sufficit, solam earum praesentiam in certa christianorum societate religiosa satis compertam habere, ut certo sciatur, eam solam esse veram Christi Ecclesiam, cum in hac sola proprietates illae omnes inesse possint. Quinimmo, ut ex iis quae hactenus diximus, satis patet et mox amplius ostendemus, ad inveniendam veram Ecclesiam certo cognoscere sufficit, in quo religioso christianorum coetu adsit proprietas apostolicitatis ac praesertim Petri in primatu successor; qui cum unus solus sit et esse possit, ibi manifesto est vera Christi Ecclesia, ubi est Petri primatus. — Porro

b) *quaestio facti,* quae in hac re solvenda est, scil. notas illas in certo coetu religioso adesse, adeo facilis est, ut quilibet, etiam rusticus, sufficienter eam perspicere possit. Et primum quidem

α) *negative* quilibet facile videre potest, in secta, ad quam ipse pertinet, eas notas non haberi. Primum enim videt, tum suae tum aliis omnibus sectis deesse *apostolicitatem.* Audit certe a propriae et aliarum sectarum asseclis assignari constanter tempus, quo sua aliorumque secta orta sit, et longe illud esse ab apostolis; audit nomina eorum, per quos introducta sit, qui alii omnino sunt ab apostolis; audit

de loco, in quo primo constituta sit; videt igitur clare, omnino deesse sectis originem apostolicam ideoque etiam regimen apostolicum ac maxime primatum a Christo institutum. Quod insuper inde manifestius ei fit, quod in sectis aut nullum primatum videt admissum, aut traditum principibus civilibus etiam iis, qui alteri aut nulli religioni addicti sunt, atque vel feminis, reginis una cum regni comitiis. Atque hinc rite concludere debet, nec infallibile magisterium in ulla secta haberi. Et in hac sua sententia quam plurimum inde confirmatur, quod, excepta una romano-catholica Ecclesia, nulla alia infallibile illud magisterium sibi ascribat, sed potius omnes alii coetus religiosi id reiciant atque explodant. Unde necesse est, homo etiam illiteratus incipiat dubitare, rectene dicatur a sui coetus religiosi sociis, se habere doctrinam saltem apostolicam, atque ob hanc causam suam quam dicunt ecclesiam vere apostolicam esse. — Quod ipsius dubium quam plurimum augetur, cum videt et audit, aut in propria sua secta nullam esse *unitatem* doctrinae, sed singulos fere, pro concesso sibi iure S. Scripturam pro suo arbitrio explicandi, admittere vel reicere alias atque alias doctrinas tamquam apostolicas, aut si qua unitas sit, certe alias sectas eodem quo suam iure statuere doctrinas tamquam apostolicas, quae contrariae omnino sint doctrinis suae quam vocat ecclesiae. Unde necesse est, talem hominem haec aliaque considerando minimum serio dubitare, desitne suae quam putat ecclesiae non modo proprietas apostolicitatis, sed etiam unitatis. Nam licet in coetu suo religioso etiam adsit materialis unitas doctrinae ac communionis, non tamen videt hic homo in eo verum istius unitatis principium, cum in ipso et primatum a Christo institutum et magisterium infallibile invenire et cognoscere non possit. Et cum suus hic coetus apostolica institutione careat, manifesto non habet ipsum Christum auctorem, sed alium, qui quidem, instar multorum aliorum qui alios coetus religiosos eosque doctrina in multis diversos instituerunt, extraordinariam divinam missionem sibi fortasse ascribebat, sed eam nullatenus probavit, qui neque eximie sanctum, sed fortasse potius vitiis inquinatum sese exhibuit. — Praeterea homo ille, quicumque est, videt, in suo coetu nulla umquam vera miracula edi, nec etiam homines eximie sanctos reperiri; unde profecto dubium saltem haud leve in ipso exoriri necesse est, utrum sua quam dicit ecclesia proprietate *sanctitatis* vere praedita sit. — Denique si secta sua non sit ubique fere in orbe terrarum propagata, sed in una alterave tantum terrae parte, nec etiam fecunditate et efficacia in convertendis ad se aliis gentibus excellat, sane fieri non potest, quin his omnibus aliisque defectibus cognitis homo ille, utut indoctus, sed veritatis sincere studiosus, serio saltem ac positive de eius ut Christi Ecclesiae veritate dubitet, ideoque se vere obligatum sentiat ad inquirendum, ubi tandem sit ecclesia illis proprietatibus revera ornata. Quam inquisitionem si pro viribus et Dei, qui aeternam omnium hominum salutem serio vult, opem implorando

instituit, fieri vix potest, quin brevi tempore ac facili labore veram Christi Ecclesiam inveniat.

β) *Nam cum Christi Ecclesia* in perpetuum exsistat semperque sit ubique ferme in terrarum orbe diffusa, unusquisque semper potest facile in ea videre et agnoscere omnes illas proprietates, utpote, ut paulo ante ostendimus, quoad maximam ac praecipuam suam partem visibiles, ita ut eius unitas atque catholicitas atque verus Petri in primatu successor eminenti claritate ubique resplendeant. Ecclesia autem, cui haec competunt, manifesto veram se esse ostendit. Unde vere dicenda est veritas Ecclesiae Christi adeo manifesta et facilis cognitu, ut quicumque debitam tantae rei diligentiam in ea quaerenda pro sua conditione adhibeat, eam certo ac brevi reperiat: quod quidem magis apparebit ex iis, quae in primo corollario restant dicenda.

Quatuor ergo Ecclesiae proprietates apostolicitatis, unitatis, catholicitatis et sanctitatis omnes notarum qualitates habent; ipsae igitur, et solae quidem, sunt verae notae Ecclesiae[1].

Coroll. I. Patet iam, quanam in re liceat definite contueri *factum* illud, de quo egimus, sive qua quis ratione certo, licet summatim tantum, possit cognoscere, quaenam religiosa societas illis notis ornata ac praedita sit. Omnes enim notas in aliquo coetu adesse tunc conspicitur

1. *cum in illo adesse conspicitur totum regimen sacrum a Christo institutum*, ita ut in hoc uno omnes reliquae notae tamquam in speculo reluceant. Nam hoc regimen coniunctum necessario habet et ostendit tum successionem apostolicam tum infallibile magisterium. In qua autem religiosa christianorum societate haec duo adsunt, adest etiam proprietas a) *apostolicitatis;* habetur enim tunc et origo et doctrina et regimen apostolicum; b) *unitatis* formalis et materialis, tum regiminis et communionis tum etiam fidei; c) *catholicitatis*. Ubi enim illud regimen ac proinde successio apostolica est, ibi est coetus illorum, qui hereditaverunt missionem apostolorum. Sed missio apostolorum erat efficaciter catholica. Ergo etiam missio illorum, qui tali praesunt so-

---

[1] Nihilominus Hase (Hutterus rediv.[11] 262 nota 8) scribit: „Nach dem Kanon unserer Kirche [sunt notae]: Reinheit der evangelischen Lehre und rechte Administration der Sakramente, welche Reinheit, verbunden mit dem ihr gemäßen christlichen Leben, *ein Ideal ist,* daran jeder wirkliche Zustand sich mißt. Statt dieses *aus dem Wesen des Christentums* genommenen Merkmals braucht die katholische Kirche allerlei äußerliche Merkzeichen, die *mit dem Christentum wenig zu schaffen haben* und nach denen nicht einmal die *apostolische Kirche eine wahre Kirche war,* nämlich antiquitas, episcoporum successio ab apostolis deducta, gloria miraculorum, felicitas temporalis [!] etc." Necnon Faust. Socinus de illis notis scribit: „Notas istas vel non apparere in ipsorum [catholicorum] Ecclesia, qualis est illa, quod sit sancta, vel non esse veras ac proprias verae Ecclesiae notas nec ullo testimonio divino confirmatas: et breviter concludendum est, *nullas esse notas,* proprie loquendo, quae scil. sensibus nostris percipiantur, quae possint fidem facere verae Ecclesiae." Item protestans Gerhard (Loci theol. XI 187) scribit: „Notae illae, quas Pontificii assignant ex nomine catholico, ex multitudine, ex successione, ex felicitate temporali etc., non sunt notae propriae et essentiales, sed communes et accidentales, proinde etiam fallaces." Et p. 188: „Imitantur igitur Pontificii in notis illis adsignandis pseudomonetarios [sic!]."

cietati, est huiusmodi. Sed non sic se haberet, si ecclesia, cui praesunt, non se extenderet ad omnem locum (quod moraliter intellige), et non sibi annecteret omne tempus. Sed non solum catholicitas materialis sive lata diffusio sequitur ex eo, quod regimen illud in aliquo coetu adest, verum etiam unitas requisita sive catholicitas formalis, cum fidelium greges subiecti esse debeant pastoribus suis. hique etiam supremo pastori, Petri in primatu successori, totius unitatis centro. Denique ubi est regimen sacrum, ibi adsit necesse est proprietas d) *sanctitatis.* Illud enim regimen est instrumentum a Christo electum ad homines sanctitatis studio imbuendos; quare ubi est hoc sacrum regimen, sanctitas abesse nequit, praesertim cum posita successione apostolica praeter originem sanctam et finem Ecclesiae sanctum adsit ad illum finem consequendum copia subsidiorum eorum omnium, quae Christus apostolis tradidit; haec autem et in se sancta fuerunt et procul dubio etiam efficacia ad homines sanctos reddendos, utpote data ad hanc ipsam sanctitatem efficiendam.

Quae cum ita sint, in applicandis notis absolute sufficeret, ut omnis quaestio revocaretur ad apostolicum regimen, utrum scil. hoc adsit vel non adsit in aliquo coetu religioso. Quod adesse constabit, si certo scitur, ubi sit legitimus in Petri primatu successor, cum omnes ecclesiae particulares, quae cum ipso coniunctae sunt, sint vere aut immediata aut mediata aliqua ratione apostolicae. Quare

2. *in sola Petri ut primatis Ecclesiae successione conspicere licet omnes Ecclesiae notas.* Petri enim primatus perennis est perpetuum centrum totius successionis apostolicae, adeoque, ut, ubi conspicitur hoc centrum in sui successione, ibi conspiciatur tota successio apostolica. Sed per hanc omnes notae conspici possunt; ergo etiam per successionem centri unitatis. Quinimmo

3. *in unoquoque legitimo Petri in primatu successore exhibetur specimen omnium notarum,* utpote in quo elucet tota successio pontificia. Fieri enim manifesto nequit, ut verus successor Petri in primatu reperiatur divulsus a tota primatus successione; in hac autem successione tota centri unitatis elucent omnes Ecclesiae notae, ergo etiam in singulis quibusque veris Petri successoribus. Idem igitur est, regnantem quavis aetate Petri primatis legitimum successorem atque totum regimen apostolicum omnesque ideo proprietates ac notas et consequenter ipsam totam in sua exsistentia et veritate Ecclesiam videre. Unde etiam patet, quam vere Petri primatis successor Christi in terris personam gerat, quandoquidem certe in Christo, si mansisset in terris ut visibile caput Ecclesiae, cernere fuisset proprietates ac notas, exsistentiam atque veritatem Ecclesiae. Patet praeterea, quam facile vera Christi Ecclesia etiam ab indoctis cognosci possit, cum ibi sit Ecclesia, ubi est verus Petri in primatu successor, semper iure unus, ubique terrarum notus. Quare unius notae apostolicitatis applicatione vera Christi Ecclesia certo invenitur; nihilominus aliarum notarum applicatio inutilis non est, cum ea Ecclesiae veritatem maiore etiam luce illustret eamque omnis conditionis hominibus ita undequaque conspicuam reddat et tanta morali evidentia ceu veram ostendat, ut, si modo velint, eam facile possint solam veram Christi Ecclesiam agnoscere.

Coroll. II. Ergo *primaria* Ecclesiae nota est nota *apostolicitatis.* Sicut enim proprietates omnes, quae Ecclesiae notae fieri possunt, e proprietate apostolicitatis ceu fonte originem ducunt eique tamquam fundamento innituntur, ita etiam ceterae notae in nota apostolicitatis continentur ab eaque proficiscun-

tur, cum huius solius notae ope ceterae notae elementum suum *formale*, quod maximi est momenti, habere possint.

Insuper apostolicitatis nota recte tractata 1. maxime immediate et certissime ostendit externam essentialem Ecclesiae Christi formam, vivum magisterium infallibile et regimen sacrum; 2. semper et ubique eadem claritate cognosci et videri potest; 3. continet et exhibet quasi in speculo reliquas tres notas Ecclesiae. Itaque reliquae tres notae, utut verae et tales quidem, ut pro variis hominibus haec vel illa evadat cognoscendae verae Ecclesiae subsidium praecipuum, respectu tamen notae apostolicitatis sunt notae *secundariae*. Quod patet *generatim* ex eo, quod in apostolicitate velut in fundamento et principio innituntur; *speciatim* vero a) quoad *unitatem*, quia unitas non ostendit tam immediate et tam certo Ecclesiam Christi veram quam apostolicitas, cum varia considerari oporteat, ut unitas aliqua revera exsistens et inventa pronuntietur esse illa, quam Christus instituit et voluit, cumque sectarum asseclis non tam certo et immediate innotescat, homines non potuisse fingere talem unitatem vel in ea statuenda non potuisse errare, quam certo apparet, Ecclesiam Christi debere esse apostolicam; b) quoad *catholicitatem*. Nam α) catholicitas facti *absoluta* non potest ita clare definiri et ita certo ceu exsistens cognosci ut apostolicitas; β) catholicitas facti *relativa* non est tam certa Ecclesiae Christi proprietas essentialis; c) quoad *sanctitatem*. Nam α) vera sanctitas ab hominibus non adeo clare et certo cognoscitur et a simulatione discernitur secundum illud Prv 29, 27: „Abominantur impii eos, qui in recta sunt via", quod verum esse experientia cognoscitur; β) homines eximie sancti et illustrium miraculorum donum non ita frequenter occurrunt, vel saltem non ita communiter cognoscuntur, ut homines veram Christi Ecclesiam quaerentes semper sat facile et certo ex illis concludere valeant. Quare cum istae notae ad apostolicitatis notam ut ad suum principium revocentur, ipsa in methodo inquirendi Ecclesiam apologetica *primo* loco tractetur et applicetur necesse est.

Coroll. III. Notarum non est, efficere veritatis Ecclesiae evidentiam metaphysicam vel mathematicam, siquidem Ecclesiae veritas neque intuitione ipsius essentiae neque inspectis immediate eius causis evidenter patescit. Nihilominus notae pariunt evidentiam credibilitatis sive evidentiam moralem etiam summam, adeo ut nulla prudens formido erroris admitti possit. Apud eos tamen, ait Bellarminus[1], „qui admittunt Scripturas divinas et historias ac Patrum veterum scripta, faciunt [notae] etiam evidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non potest nobis esse evidens absolute, tamen potest esse evidens ex hypothesi, i. e. supposita veritate Scripturarum. Quod enim a Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum, suppositis Scripturis." Iis nimirum, qui „Scripturarum divinam auctoritatem reverentur ac sensum Patrum traditionalem suscipiunt, talis utriusque fontis divina contestatio fungetur respectu Ecclesiae vice principii, ut eius veritas teneatur; nec tantum sit evidenter credibile, talem societatem esse veram Ecclesiam, sed etiam veluti ex suis causis eiusmodi veritas demonstretur."[2] Atque hoc sensu verum est, quod Palmieri scribit[3]: „Evidentia, quam notae gignere possunt, est evidentia tum veritatis tum credibilitatis. Illud dicitur evidens

[1] De Conc. et Eccles. l. 4, c. 3. [2] Cercia, De Eccl. 314.
[3] De Rom. Pontif. 759 sq.

evidentia veritatis, cuius veritas videtur in se ipsa, h. e. per eiusdem rei analysim sive immediatam sive mediatam ope ratiocinii; illud dicitur evidens evidentia credibilitatis, cuius veritas non in se, sed in testimonio, quod evidens est dignum esse fide, videtur. Porro cum notae sint proprietates rei, cuius sunt notae, illis in concreto cognitis cognoscis per intrinsecum medium rem ipsam, h. e. notitiam eius accipis ex analysi eiusdem rei, ideoque obtines evidentiam veritatis. At per notas praesto est quoque evidentia credibilitatis; cum enim notas adhibes tamquam signum divinae testificationis, quod haec sit vera Ecclesia, cum id tenes, ideo tenes, quia inniteris divinae auctoritati; talis porro actus est fides. Utraque evidentia tum credibilitatis tum veritatis quoque, supposita, ut diximus, fide, gigni per se potest a notis: non tamen affirmamus, necesse esse, ut omnibus evidentia perfecta affulgeat; satis est enim, quod hominibus evidens sit, se prudenter agere, si huic Ecclesiae nomen dent", i. e. se agere non solum sufficienti probabilitate, sed etiam vera ac plena certitudine, si Ecclesiae sese adiungant.

Coroll. IV. Patet, Ecclesiae notas non pendere a S. Scriptura ut divinitus inspirata, cum de iisdem ex iis quae diximus, omnino constet, quamvis libri S. Scripturae hactenus tantum ut historici, sed fide plane digni a nobis considerati sint. Quare nihil minus quam demonstratio eodem revolvens, sive ut vulgo dicitur, circulus vitiosus fit, cum ex S. Scriptura ita considerata probatur veritas Ecclesiae, et postea ex iudicio verae atque infallibilis Ecclesiae inventae monstratur S. Scripturae inspiratio divina. Manifesto enim ista argumentatione non idem per idem et sub eodem respectu probatur [1]. Quapropter mirum est, fuisse umquam, qui si istam demonstrationem tamquam eodem revolventem dicerent, sapientes sibi viderentur.

Articulus II.

Applicatio notarum Ecclesiae.

§ 21.

Praenotanda.

Consideravimus hactenus Ecclesiae Christi formam, institutionem, proprietates, notas, ita ut iam probe sciamus, et qualis illa sit et quibus notis cognosci possit. Superest iam inquirendum, ubinam ipsa sit, sive quinam ex omnibus christianorum religiosis coetibus, qui se singuli Ecclesiam Christi esse contendunt, sit vera Ecclesia. Quae sane inquisitio non minus gravis ac summi momenti est quam grata et utilis, utpote ex qua tot tantarumque investigationum, quas hactenus instituimus, fructum tandem percipiemus.

Affirmamus porro, veram Christi Ecclesiam esse solam romanocatholicam, illam nimirum religiosam christianorum societatem, quae utut ubique terrarum exsistens, unum tamen supremum caput, Romanum Pontificem, agnoscit atque veneratur. Atque ad hoc demon-

---

[1] Plura de hac obiectione vide apud I. B. Franzelin, De Traditione et Scriptura[2] thes. 7, Schol. p. 61 sqq.

strandum quatuor distinctis paragraphis ostendemus, singulas notas ei perfectissime competere et convenire; idque ostendemus eodem quidem ordine, quo de illis notis ceu proprietatibus egimus, ita ut primum nota apostolicitatis, deinde notae unitatis, catholicitatis, sanctitatis applicentur.

Quae quidem demonstratio per se sola omnino iam sufficeret ad monstrandam non solum veritatem Ecclesiae romano-catholicae, sed etiam falsitatem omnium aliarum, cum eo ipso, quod illa probetur vera, alii christianorum coetus religiosi ostendantur falso se Christi Ecclesiam dicere, utpote quae una tantum ideoque romano-catholica est. Sed ut ista veritas undequaque collustrata clariore etiam in luce ponatur, utque simul doctrina huius tractationis integra, et quantum quidem opus est, plena tradatur, insuper aliis distinctis argumentis schismaticorum et haereticorum sive acatholicorum ecclesias, quas dicunt, falsas esse cum plerisque Ecclesiae romano-catholicae defensoribus declarabimus. Ista enim comparatione clarius patebit Ecclesiae catholicae dignitas et veritas.

§ 22.

Applicatio notae apostolicitatis.

Thesis XVI.

Apostolicitatis nota Ecclesiae romano-catholicae omnino competit.

I. **St. q.** 1. Demonstrandum iam est, ea omnia Ecclesiae romano-catholicae convenire, quae Ecclesiae apostolicitas ut proprietas requirit; ea autem sunt: apostolica et origo et doctrina et successio respectu tum primatus et sacri totius regiminis tum infallibilis magisterii. Quae demonstratio ut rite instituatur, primo loco ostendere opus est, Ecclesiae romano-catholicae iure divino competere apostolicam successionem ratione primatus Petri. Haec enim apostolicitas si Ecclesiae romano-catholicae vindicata sit, eo ipso apostolicam eam esse patet ratione totius sui sacri regiminis atque originis; unde porro efficitur, infallibile ipsam habere magisterium, et hinc doctrinam integram ac puram apostolicam. Contra si ista apostolica successio in primatu non probaretur primo loco, non solum difficilius esset, certo ac clare monstrare, Ecclesiam romano-catholicam esse apostolicam ratione magisterii infallibilis et hinc doctrinae, sed etiam multo magis difficile ac paene impossibile esset certo probare, apostolicitatem ei competere tum originis, cum praeter Romanam vix ulla adhuc supersit catholica ecclesia particularis, quae *immediatae* apostolicae originis sit, tum ideo etiam regiminis sacri, et maxime quidem, quatenus apostolicitas *iuris* spectetur.

Ut porro monstretur, Ecclesiae romano-catholicae apostolicam successionem ratione primatus competere, *absolute* quidem neutiquam opus est inquirere, *utrum apostolus Petrus Romae fuerit* et huius urbis

episcopi munere functus sit usque ad mortem. Fieri enim potuit, ut successio in primatu non ex successione in aliquo episcopatu particulari, quem Petrus susciperet, penderet et haberetur, sed ex designatione Petri episcopus huius vel illius sedis, v. g. Romanae, ipsius successor in primatu futurus esset. Cum enim haec omnia a libera Dei voluntate pendeant, Deus aut Petri arbitrio relinquere potuit, quam vellet designare sedem episcopalem, quacum coniuncta esset in perpetuum successio in primatu, aut ipsi revelare, quacum sede episcopali primatus coniungendus atque semper perpetuandus esset; quae revelatio si locum habuisset, Petri tantum fuisset, hoc divinum decretum Ecclesiae declarare atque patefacere. Dummodo igitur ostendi possit, episcopum urbis Romae, eumque solum, post Petri mortem ab universa Ecclesia Petri in primatu successorem habitum esse, dicendum sane est, eum esse verum Ecclesiae primatem, alioquin enim absurde affirmandum esset, universam Ecclesiam ab initio caput suum supremum non agnovisse. Quod argumentum per se solum iam sufficit, ut Romani Pontificis primatus demonstretur.

Nihilominus utile est, etiam historicas illas quaestiones tractare de Petri in urbem Romam adventu eiusque episcopatu Romano, quem ad mortem usque administravit. Argumento enim supra memorato etiamsi *de facto* Romanis episcopis primatum competere demonstretur, tamen si quaeratur, *cur* cum Romana sede is unitus sit, dicendum est, id saltem proxime provenire ex illo Petri facto, quo primatum in totam Ecclesiam annexuerit sedi Romanae. Haec annexio autem licet absolute fieri potuerit aut ita, ut Petrus numquam Romam veniens post mortem suam primatum suscipi debere ab episcopo Romano iuberet, aut ita, ut absens Roma eius urbis episcopatum in se susciperet eo fere modo, quo SS. Pontifices Avenione residentes eum assumebant, de facto tamen illa annexio eo effecta est, ut Petrus Romam profectus in se ipso uniret episcopatum huius urbis cum primatu totius Ecclesiae. Unde harum historicarum quaestionum cognitio rem illustrat, immo necessaria est, si *historice* volumus ostendere, Romanos Pontifices Petri in primatu esse successores[1].

Minime autem ad propositum nobis in hac thesi finem opus est inquirere, quo tempore Petrus Romam adierit et quamdiu huius urbis episcopus fuerit. Manifeste enim nihil nostra hic refert, utrum Petrus longo an brevi tempore episcopus Romanus fuerit, sed sufficit monstrare, eum revera Romae ut eius urbis verum ac praecipuum saltem episcopum fuisse, et usque ad mortem fuisse. Ex eo autem, quod viri

[1] Ergo non satis accurate rem proponit Zeller, cum scribit in Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. XIX (1876) 32: „Wenn Petrus überhaupt nicht in Rom gewesen ist, so ist er auch nicht römischer Bischof gewesen, so sind mithin die jetzigen römischen Bischöfe nicht seine Amtsnachfolger, und es fällt demnach die ganze Grundlage der päpstlichen Ansprüche auf die oberste Leitung der Kirche, so wie diese in der päpstlichen Theorie selbst aufgefaßt wird, zusammen."

eruditi disputant, utrum imperatoris Claudii an Neronis tempore Petrus Romam petierit, non magis sequitur, eum Romae non fuisse, quam ex eo, quod docti de die et anno nativitatis ac mortis Iesu Christi ipsius non consentiunt, concludere licet, Christum Iesum numquam natum et numquam cruci affixum esse. Itaque respectu huius historicae quaestionis haec tria tantum probanda sunt: S. Petrum Romae fuisse, ut episcopum Romanum Romae fuisse, Romae mortuum esse. Quae triplex veritas in ordine quidem *historico* quasi fundamentum est primatus Romani Pontificis, sed nondum ipsa eius proprie dicta demonstratio.

Ulterius enim ostendendum est, eum qui Petro succedat in episcopatu urbis Romae, ei etiam succedere in ipso primatu, idque *iure* minime humano, sive politico sive ecclesiastico, sed *divino*. Hoc autem successionis ius divinum probe distinguendum est a *ratione* sive *modo* successionis. Ut enim Bellarminus scite observat[1], successio ipsa ex Christi instituto et iure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro pontificatum duraturum usque ad finem mundi; et proinde quicumque Petro legitime succedit, a Christo accipit pontificatum. At vero quod episcopus Romanus, quia episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam si Christus aut statuisset, ut Petrus nullam sedem particularem sibi eligeret, sicut fecit primis quinque annis, tunc moriente Petro non episcopus Romanus neque alius quisquam certus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset; aut si nullum ei mandatum ulla ratione dedisset, ut hanc potius quam aliam sedem particularem eligeret, potuisset quamcumque eligere, et tunc qui ei in hac sede episcopali successisset, fuisset successor in eius primatu, nisi Petrus contrarium clare et definite statuisset.

Itaque ut idem aliis verbis declaremus[2], successio in Petri primatum potest duplici modo spectari, scil. *in se* sive *obiective*, et in *subiecto*, quod succedit, sive *subiective*. Si obiective spectetur successio, nemini dubium esse potest, quin sit iuris divini, cum, ut probavimus, et primatus ipse per se, utpote ab ipso Christo institutus, et eius perpetuitas, utpote pariter a Christo postulata, sit iuris divini, et hinc qui legitime in primatum succedit, eum saltem sensu obiectivo dicendus sit tenere iure divino. Atque hoc sensu valet eorum argumentum, qui R. Pontificis primatum sic probant: Petri primatus ex Christi dispositione debuit continua successione perpetuari; atqui nullus est Petri successor, nisi R. Pontifex; ergo ipse, et solus quidem, succedit in Petri primatum iure divino. Si contra successio spectetur *subiective*, quaeritur, cur R. Pontifex potius quam aliquis alius in Petri primatum succedat, sive quomodo contigerit, ut ille primatus Romanae potius quam alterius ecclesiae particularis sit. De hac porro quaestione inter ipsos catholicos plus quam una sententia fuit, nec eius solutio ad thesis nostrae probationem pertinet, cum manifeste nec ad apostolicitatem Ecclesiae romano-catholicae

---

[1] De Rom. Pontif. l. 2, c. 12. [2] Cercia 163.

nec ad ius divinum successionis R. Pontificis in Petri primatum intersit, ut Petrus vel diserto Christi mandato, vel occulta divinae providentiae dispositione, vel etiam sua sola voluntate primatum cum ecclesia Romana coniunxerit. Quare hac de re in thesis probatione nihil dicemus; verumtamen cum scitu dignum sit, quid de ea probabilius saltem sentiendum sit, post exhibitam thesis demonstrationem in scholio eam nonnihil tractabimus.

Totius porro thesis demonstrationem in tres partes ita distribuemus, ut Ecclesiae romano-catholicae apostolicitas probetur in prima respectu regiminis, in altera vero respectu ipsius originis, in tertia denique respectu doctrinae et fidei; ad quam apostolicitatem certo et clare probandam monstranda est infallibilis a Christo instituti magisterii praesentia in Ecclesia romano-catholica, sive ostendendum est, apostolicitatem fidei competere illi Ecclesiae non tantum facto, sed etiam iure, vel potius ei competere iure ideoque etiam facto.

2. Adversarios huius thesis multos habemus. Scilicet

a) *Petrum Romae fuisse* ibique ut eius urbis episcopum mortem obiisse primi negaverunt waldenses [1]. Deinde saec. XIV Marsilius Patavinus [2], Ludovici imperatoris contra Summum Pontificem commilito, ut R. Pontificis auctoritatem everteret, etsi non plane negaret, Petrum Romae fuisse, tamen propter S. Scripturae hac de re silentium rem dubiam esse significavit. Quem pone secuti sunt multi protestantes [3], ac primum quidem anno 1520 Ulricus Velenus [4], deinde usque ad haec tempora multi alii, inter quos eminet Frid. Spanhemius (iunior, † 1701), manifeste religioso partium studio impulsi. Postquam deinde ineunte saec. XIX controversia illa sopita fuit (post Eichhorn, qui scripsit 1810), eam excitavit praecipue dux ille ac caput protestanticae scholae Tubingensis Ferd. Christ. Baur († 1860). Qui cum omnia fere, quae ad ipsum usque de primordiis christianae religionis tradebantur, meram fabularum mythorumque congeriem esse diceret, consequens erat, ut etiam Petri apostoli

---

[1] „Praeterea dicunt, Petrum numquam fuisse Romae, unde arguunt nos de inquisitione ossium eius Romae. . . . Ecclesiam nescire, an eius ossa fuerint vel alterius hominis mortui, forte pagani, quod ipsi credunt, et ab illo mortuo dicunt ecclesiam Romanam sumpsisse exordium“ (Ven. Patris Monetae Cremonensis O. P., S. P. Dominico aequalis, adv. Catharos et Valdenses libri quinque, ed. Th. A. Ricchinius, Romae 1743, 411).

[2] De Marsilii opinionibus, damnatis a Ioanne XXII bulla „Licet iuxta“ (apud Martène et Durand, Thes. nov. anecdotorum II, Paris. 1717, 704; Raynald ad a. 1327 n. 28—35), agit Alb. Pighius, Hierarch. eccl. assertio l. 5, c. 1.

[3] Historiam huius controversiae apud protestantes scribit P. Martin in Rev. des quest. hist. XV, Paris 1874, 1—92; XVIII (1875) 202—210. Multos libellos hac de re scriptos indicat U. Chevalier, Répertoire des sources historiques du moyen-âge [2], Paris 1904. — E catholicorum plurimis libris novissimos tantum nominamus: M. Lecler, De Romano S. Petri episcopatu dissert. hist., Lovanii 1888; J. Schmid, Petrus in Rom oder novae vindiciae Petrinae, Luzern 1892. qui etiam accurate de historia controversiae huius agunt. Cf. etiam Fr. Windischmann, Vindiciae Petrinae, Ratisbonae 1836; S. Sanguineti, De sede Romana b. Petri principis apostolorum commentarius historicus criticus, Romae 1867. Ex antiquioribus praecipue laudandus est P. F. Foggini, De Rom. Divi Petri itinere et episcopatu, Florentiae 1741.

[4] De eo cf. Zentralblatt für Bibliothekswesen XVII (1900) 586.

historia ab ipso fabula eodem modo orta putaretur. Quod magistrum secuti omnes eius asseclae, v. g. Schwegler et Zeller, docebant, maxime vero Rich. Adalb. Lipsius[1] († 1892) principia scholae Tubingensis applicare ad ea, quae de S. Petro traduntur, studebat. De qua Tubingensi theoria hodie ab ipsis protestantibus fere iam derelicta post exposita argumenta quaedam dicenda erunt. Libellis ad vulgi captum accommodatis permultis Romanum Petri iter impugnare studuerunt etiam recentiores protestantes, quos hic nominare operae pretium non est. Praecipue postquam in ipsa urbe Roma 1872 tres protestantium ministri publice cum tribus sacerdotibus catholicis hac de re disputationem instituerant eo successu, ut utraque pars victoriam sibi adscriberet, fere ubique in variis libellis periodicis vel etiam iustis libris de Petri Romano itinere disceptabatur.

Contra tamen protestantes numero fortasse haud pauciores et doctrina generatim certe magis insignes, Romam venisse Petrum concedunt. Ita ex vetustioribus v. g. Scaliger († 1609), Casaubonus († 1614), H. Grotius († 1645), Ussher († 1656), Hammondus († 1660), Pearsonus († 1686), Cave († 1713), Sam. Basnage († 1721); ex recentioribus Schroeckh († 1808), Bertholdt († 1822), Olshausen († 1839), Gieseler († 1854), Credner († 1857), Bleek († 1859), Niedner († 1865), Jaffé († 1870), Ewald († 1875), Guericke († 1878), Wieseler († 1883), Delitzsch († 1890), J. B. Lightfoot († 1889), Weizsäcker († 1899), Seyerlen († 1903), Hilgenfeld († 1907), Harnack, Th. Zahn[2]. Romae autem episcopum Petrum fuisse hi aut negant aut de hac re tacent. Eodem fere modo iam senserat Calvinus, qui multis de Romano itinere Petri difficultatibus motis tandem concludit[3]: „Propter hunc scriptorum consensum non pugno, quin illic [Romae] mortuus fuerit; sed episcopum fuisse praesertim longo tempore persuaderi nequeo."

---

[1] Libris supra p. 33 nominatis, ac in Jahrb. für protest. Theol. 1876, 561 sqq. Lipsium impugnavit Hilgenfeld in Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1872, 372 sqq; 1877, 486 sqq. Contra defendit Lipsium E. Zeller in eodem periodico 1876, 31 sqq et in Vorträge und Abhandlungen II, Berlin 1877, 215. Etiam J. Friedrich (Zur ältesten Gesch. des Primats 60) Tubingensium placitis contra Romanum Petri iter utitur.

[2] Religioso partium studio ascribendum esse, quod multi protestantes Petrum Romam venire nolunt, aliqui ex his aperte concedunt. Ita v. g. Gieseler (Lehrbuch der Kirchengesch. I 1^4, 102): „Es war partheyische Polemik, wenn einige Protestanten, besonders Frid. Spanheim . . ., läugnen wollten, daß Petrus je in Rom gewesen." Hilgenfeld (l. c. 1877, 508) vero contra Lipsium scribit: „Es ist gewiß nicht zu billigen, wenn protestantische Theologen mit dem Katholizismus liebäugeln. Dieselben sollen sich aber auch davor hüten, der katholischen Theologie gegenüber durch unhaltbare Verneinung eine Blöße darzubieten." Harnack denique (Die Chronologie der altchristlichen Literatur bis Eusebius I, Leipzig 1897, 244): „Der Märtyrertod des Petrus in Rom ist einst aus tendenziös protestantischen, dann aus tendenzkritischen Vorurteilen bestritten worden. In beiden Fällen hat der Irrtum der Erkenntnis wichtiger geschichtlicher Wahrheiten Vorschub geleistet, also seine Dienste getan. Daß es aber ein Irrtum war, liegt heute für jeden Forscher, der sich nicht verblendet, am Tage. Der ganze kritische Apparat, mit dem Baur die alte Tradition bestritten hat, gilt heute mit Recht für wertlos." Etiam Lipsius (Die Quellen der röm. Petrussage IV) conqueritur, quod aliqui hac in re „lieber mit dem unfehlbaren Papste als mit der leidigen Tübinger Schule zusammengehen wollen".

[3] Instit. l. 4, c. 6, n. 15.

b) Deinde *Romanum Pontificem Petri* in primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam *successorem esse,* idque iure divino, negant omnes generatim acatholici, sive haeretici sive schismatici.

Et Calvinus quidem, quem multi in hac re veteres protestantes secuti sunt, asseruit [1], primatum R. Pontifici in Graecos collatum esse ineunte saec. VII ab imperatore Phoca, in Gallos autem et Germanos a Pippino et Carolo Magno. Quod hodie a nullo amplius defenditur et simplici primatus demonstratione satis refutatur. Alias alii primatus Romani mere naturales causas assignaverunt, quas postea videbimus.

M. A. de Dominis († 1624) negavit, R. Pontifici competere primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam iure divino. Docuit enim [2], „Ecclesiam universalem nullum habere in terris unum caput universale", et rursus ait [3] *α*): „R. Pontifex nullum privilegium potest habere iure divino super alios episcopos, nec in potestate ordinaria episcopali, sed iure tantum ecclesiastico in certis causis"; *β*): „Cura quaedam et superintendentia generalis super universam Ecclesiam peculiari quadam ratione . . . convenit episcopo Romano"; sed *γ*) „haec cura generalis non facit papam dominum Ecclesiae, sed purum speculatorem, ministrum ac operarium". Richerius († 1631) quoque statuit hanc thesim [4]: „Iurisdictio ecclesiastica primario ac essentialiter Ecclesiae, Romano autem Pontifici atque aliis episcopis ministerialiter tantum, sicut facultas videndi oculo, convenit." Ex iansenistis Quesnellius († 1719) docuit [5], R. Pontificem esse inter episcopos instar senioris inter fratres, habere igitur primatum tantum honoris; aliique plures huius sectae asseclae idem tradiderunt. Contra in actis et decretis „secundae synodi provinciae Ultraiectensis" a. 1763 a iansenistis celebratae haec leguntur [6]: „Declarat sancta synodus: episcopum Romanum tamquam Petri successorem iure divino eodem [quo Petrus] primatu frui supra ceteros episcopos. Hunc primatum Romani Pontificis, tamquam Petri successoris, non esse tantum primatum honoris, sed etiam ecclesiasticae potestatis et auctoritatis." Insuper haec synodus damnavit plures propositiones, quibus R. Pontificis negabatur „primatus iurisdictionis" ex iure divino, et perfecta aequalitas, excepto honoris primatu, cum ceteris episcopis statuebatur [7]. Nominat etiam haec synodus in eodem illo decreto R. Pontificem „Christi primum in terris vicarium, cui totius Ecclesiae cura commissa est", et Ecclesiae Christi caput visibile et *ministeriale,* utique, ut ex prioribus videtur, non hoc sensu, quod R. Pontifex vel Petrus iurisdictionis primatum ab Ecclesia acceperit, sed quod eo in Ecclesiae utilitatem fungi debeat. Ac paucis annis post etiam iansenista Opstraet († 1720) in libro de locis theologicis defendit [8], R. Pontificem iure divino primatum iurisdictionis non quidem in Ecclesiam universalem, ita ut concilio oecumenico superior esset, sed tamen per universam Ecclesiam in omnes episcopos et ecclesias particulares habere. Alius iansenista, Tamburini, docuit [9], R. Pontificis „auctoritatem primatus consistere (tantum) in iure *inspectionis* super omnes ecclesias orbis catholici", ita ut R. Pontifex „ratione primatus nullam habeat immediatam iurisdictionem in dioeceses aliorum episcoporum", utque „in iis, quae pertinent ad propriae dioecesis administrationem, iura episcoporum eorumque legitimum exercitium turbari non possit a R. Pontifice ratione primatus sui". Ellies Dupin († 1719) vero scripsit [10]: „Patet autem ex dictis, potestatem eccle-

[1] Instit. l. 4, c. 7, n. 17.
[2] De republ. eccles. l. 4, c. 7. [3] Ibid. c. 9.
[4] De eccl. et polit. potest. (ed. 1612) 1.
[5] Cf. Neueste Sammlung jener Schriften, die von einigen Jahren her über verschiedene wichtige Gegenstände zur Steuer der Wahrheit im Druck erschienen sind XV, Augsburg 1785, 40 sq.
[6] P. 2, decr. 3 4, Ultraiecti 1774, 235.
[7] L. c. prop. 4—7 (p. 243 sqq). [8] Dissert. 5 6.
[9] Praelect. de Eccl. Christi P. 2, § 35—40 (p. 43 46 sq 49).
[10] De antiqua Eccl. discipl., Paris. 1686, 384.

siasticam esse penes Ecclesiam, Romanum autem Pontificem ceterosque praelatos eam accipere ab Ecclesia quoad usum tantummodo. Non ergo Summus Pontifex habet potestatem in universam Ecclesiam, licet habeat in universa Ecclesia, sed vice versa Ecclesia potestatem habet in Pontificem, et quemadmodum mortuo Pontifice alium sufficit, ita potest eum corrigere atque deponere, non quidem ipsa per se, nam universam societatem Ecclesiae convenire aut iudicare non est possibile, sed per concilium generale, quod cum universam Ecclesiam repraesentet, habet universam Ecclesiae potestatem in se unitam, cum praesertim Ecclesiae universae habeat assensum. Cum ergo Ecclesiae potestas sit superior potestate papae, cum Ecclesia leges dicere possit papae, cum Ecclesia possit auferre a papa iurisdictionem, quam ipsi commisit: nemo dubitare potest, quin haec omnia fieri possint a concilio generali ipsam repraesentante." Denique, ut alios silentio praeteream, Febronius († 1783) R. Pontificis primatum pro viribus diminuere, sive potius penitus tollere studens, ex doctrina sua, secundum quam potestas clavium universitati Ecclesiae a Christo data sit, illaque ab hac per ipsius ministros exerceatur, colligit [1], R. Pontificem utut primarium ministrum, esse universitati illi subordinatum, et insuper addit [2], principatum R. Pontificis per universam Ecclesiam non tam iurisdictionis esse quam ordinis et consociationis.

Cum autem horum adversariorum doctrinam de potestate universitati Ecclesiae sive fidelium multitudini tradita falsam esse iam monstraverimus (supra p. 248), eo ipso quae ex ea contra R. Pontificis primatum ab adversariis deducuntur concidunt, ideoque istius doctrinae in praesenti quaestione nulla ratio habenda est.

c) Negant porro protestantes et schismatici orientales omnes etiam *praesentiam infallibilis magisterii* in Ecclesia romano-catholica, et hinc etiam puritatem et apostolicitatem doctrinae eiusdem; quinimmo protestantes hanc a primis fere saeculis iam multum corruptam fingunt.

Catholicam denique Ecclesiam originem non repetere posse a Christo, sed saeculo II medio coepisse, ut iam vidimus (p. 2 217), contendit schola neotubingensis duce Baur, quam hac in re sequuntur permulti recentiores protestantes.

Probatur pars I: apostolica est Ecclesia romano-catholica respectu regiminis, sive successionis et missionis quoad regimen.

Nam Pontifex urbis Romae iure divino (sensu supra explicato) in Petri primatu successor ab initio semper fuit semperque est. Ergo Ecclesia romano-catholica, quae ei ut primati oboedit, apostolica est respectu huius ipsius primatis ideoque etiam respectu regiminis episcoporum suorum.

Probatur antecedens. A. Ut probavimus, ex Christi voluntate primatus Petri in perpetuum in Ecclesia erit ut pars eius necessaria; ergo ex iure divino primatus et semper affuit in Ecclesia, in eaque hodie est et semper erit. Sed si primas in Ecclesia exsistat necesse est, is alius esse non potest nisi episcopus Romanus. Nam is qui Petri in primatu successor est, ut Petri successorem se gerere et oboedientia Petri successori debita sibi ut praestetur postulare debet. Atqui nemo in toto terrarum orbe Petri nomine oboedientiam exigit nisi solus Pontifex Romanus. Praeterea solum episcopum Romanum

[1] De statu Eccl. c. 1, § 6. [2] Ibid. c. 2, § 11.

posse esse successorem illum Petri, quem semper in terris inveniri necesse est, per exclusionem demonstrari potest. Quis enim Petri successor diceretur, si episcopus Romanus ita nominari non debet? Num episcopus Alexandrinus aut Constantinopolitanus? Num imperator Rossiacus aut rex Angliae?

B. Cum communicatio cum Petri successore Ecclesiae ita necessaria sit, ut ea deficiente vera Christi Ecclesia esse desinat (cf. p. 430), hinc fieri non potest, ut Ecclesia tota eum deserat aut ignoret, qui ex Christi voluntate Petri in terris successor exsistit, contra ex maiore sua parte ei tamquam Petri successori adhaereat, qui Petri successor non est. Atqui per mille saltem annos nemo in Ecclesia Petri successor agnitus est nisi episcopus Romanus. Ergo is Petri successor aut revera erat et est, aut Ecclesia Christi iam dudum periit. Idem ex eo elucet, quod ex Christi voluntate Ecclesia Petri successorem tamquam supremum pastorem audire et consequenter eum nosse debet, quod ex eo tamquam visibili fundamento, i. e. ex eius praeceptis et admonitionibus vis ac robur illud fluant necesse est, quo Ecclesia hostibus superior evadit. Ergo novisse debet vera Ecclesia, quis sit verus Petri successor.

C. Demonstratur denique idem ex Petri Romano episcopatu. S. Petrus ex quo Romam advenit, usque ad mortem suam urbis Romae episcopus fuit. Atqui succedendo in hunc Petri episcopatum R. Pontifices successere etiam semper et iure quidem divino in eiusdem primatum; ergo verum est antecedens.

Huius igitur argumenti propositio et maior et minor diligenter demonstrandae sunt. Atque ut de maiore propositione constet, ostendendum est, 1. Petrum Romae fuisse, 2. Romae episcopum fuisse, 3. Romae mortuum esse. Itaque

PROBATUR PROPOSITIO MAIOR QUOAD PRIMUM: S. PETRUM ROMAE FUISSE. Id testatur satis 1. ipse S. Petrus, dum 1 Petr 5, 13 scribit: „Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta et Marcus filius meus: *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ καὶ Μάρκος υἱός μου.*“ Quibus verbis Petrus ex urbe Roma se scribere significat, si verba „in Babylone“ hic neque cum aliquibus adversariis de Babylone ad Euphratem aut de Babylonia, neque cum aliis de Babylone in Aegypto sita intelligenda sunt, sed tecte urbs Roma significatur. Atqui tantum Roma hic intelligenda est[1]. Nam

a) *si Petrus revera* vel Babylone in Mesopotamia, vel Babylone in Aegypto, vel in Babylonia commoratus esset, fieri non potuisset, ut Petri in Babylone commoratio ex christianorum memoria postea excideret. Ipsa enim Petri verba *ἐν Βαβυλῶνι* (1 Petr 5, 13) continuo

[1] Cf. Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus, Mainz 1873, 93 sqq, quem fere sequimur.

iis memoriam refricuissent[1]. Immo etsi Petrus Babylone aut in regione huius urbis numquam fuerit, illius commorationis saltem fama propter istud ἐν Βαβυλῶνι exire facillime potuit. Iam vero tota antiquitas christiana ferme usque ad finem saeculi VI prorsus ignorat, Babylone sive ad Euphratem sive in Aegypto sita aut in Babylonia Petrum commoratum esse, sed locum 1 Petr 5, 13 constanter de urbe Roma intelligit; ergo de Roma, non de alia urbe intelligendum est, cum profecto veteres illi ac docti scriptores multo melius quam recentes scire potuerint, ubi S. Petrus fuerit et mortuus sit, cumque alioquin illud eorum silentium non explicaretur. Hinc Grotius in 1 Petr 5, 13 dixit[2]: „Veteres Romam interpretantur [Babylonem], ubi Petrum fuisse nemo verus christianus dubitabit. Ego veteribus assentior."

Neque obstat, quod Petrus in inscriptione epistulae, quibus ea destinata sit regionibus cum enumerat, non incipit ab ea provincia, quae omnium maxime ad occidentem posita est, scil. provincia Asiae, sed a Ponto. Nam si ista epistula Babylone ad Euphratem scripta esset, multo magis convenisset, eam christianis in *proxima* Cappadocia degentibus *primum* inscribere; si vero Romae scripta est, ideo procul dubio eam primum christianis Ponti Petrus inscripsit, quod vel navis, quae Roma in orientem primum abiit, in Pontum navigavit, vel Silvani, qui eam pertulit, patria Pontus erat[3]. Tantum igitur abest, ut ista inscriptio nostrae sententiae obsit, ut eam etiam confirmet.

b) *Romam nomine Babylonis* symbolice ab illius temporis iudaeis et christianis vocatam esse *α) verisimile iam fit ex hoc,* quod eo tempore iudaei certe valde proni esse poterant, ut Romam isto nomine appellarent tum propter ipsius magnitudinem et impium deorum cultum horrendamque morum corruptionem, tum propter tyrannicam dominationem, qua illa varios populos et speciatim etiam iudaicum sibi subiecerat et regere solebat. Cum igitur quae horrenda prophetae de Babylone dixerant, omnia etiam Romae convenirent et in huius urbis vita flagitiosa, falsorum numinum cultu, dominandi cupiditate veteris Babylonis imago iudaeorum christianorumque oculis sese exhiberet, mirum non est, ab iis Babylonis nomine Romam vocatam esse[4].

---

[1] Quando Syri primam Petri epistulam tamquam canonicam receperint, non constat. S. Ephraem eam novit, sed non videtur eam putasse canonicam (W. Bauer, Der Apostolos der Syrer, Gießen 1903, 48 52).

[2] Opera II 2, Amstelod. 1679, 1113.

[3] Ewald, Sieben Sendschreiben des Neuen Bundes, Göttingen 1870, 2 f.

[4] Hinc falsum esse patet, quod Lipsius (Jahrbücher für protest. Theologie 1876, 574) scripsit de hac Petri epistula: „Hält man den Brief für echt, so scheitert die allegorische Auslegung an dem ... Umstande, daß Rom erst durch die neronische Christenverfolgung in den Augen der Christen zu Babylon geworden sein kann, weil es erst jetzt dem neuen Gottesreiche in derselben Weise als Todfeind gegenübertrat."

Id vero *β) certum apparet ex hoc,* quod, ut scribit Schoettgen[1] ad 1 Petr 5, 13, „iudaeis sollemne erat, Romam Babylonem vocare, quia eo modo, quo Babylonii iudaeos sub templo primo vexarunt, tandem totam regionem cum templo devastarunt, sic Romani fecerunt sub templo secundo, usquedum tandem devastatio illius subsecuta est“[2]. Necnon Buxtorfius tradit, Romam a iudaeis post Vespasianum communiter dictam esse „impia Roma“, et insuper testatur[3], Romam a iudaeis vocatam esse „Roma Babylon“. Item in Oraculis Sibyllinis[4] nomine Babylonis Roma designatur; huius autem loci auctorem plerique putant esse iudaeum, qui scripserit a. 76 p. Chr.[5]

γ) Idem testatur Apocalypsis, utpote in qua saepius, scil. 14, 8; 16, 19; 17, 5; 18, 2 10 21, nomine Babylonis Roma intelligenda sit. Cf. etiam 17, 9 18, ubi loquitur S. Ioannes de Romae septem collibus et imperio orbis terrae. Neutiquam autem probari potest, id quod Lipsius loco paulo ante allegato dicit, istam Romae denominationem *originem* ducere ex ipsa Apocalypsi, quasi prius nondum in usu fuisset. Atque iam Tertullianus istos locos ita intellexit, utpote bis scribens[6]:

---

[1] Chr. Schoettgenii Horae hebraicae et talmudicae I, Dresdae et Lipsiae 1733, 1150.

[2] Hanc rationem non esse unicam, cur Roma figuraliter Babylon vocaretur, vidimus. Ut aliquid argumenti ex rabbinis proferamus, transcribimus, quae Schoettgen l. c. 1125 ad Apc 14, 18 annotat: „V. 8: *Βαβυλών.* Romam Babylonem esse, ipsi quoque iudaei veteres agnoverunt. Schir haschirim rabba fol. 8, 3. ‚Dixit R. Levi: Eo die quo Salomon filiam Pharao Necho uxorem duxit, Michael princeps magnus descendit de coelo magnamque cannam mari infixit, humida vero materia ex utroque latere ascendit factusque est ille locus tamquam saltus et ille locus fuit Roma. Eo die quo Ierobeam duos vitulos aureos constituit, Romae duae casae exstructae sunt, quae vero collapsae sunt; cum easdem restaurarent, iterum collapsae sunt. Ibi vero fuit senex quidam, nomine abba Kolon, qui ipsis dixit: Nisi vos aquam ex Euphrate sumitis et cum luto commiscetis, numquam stabunt. Dixerunt ipsi: Quisnam hoc faciet? Respondit se facturum. Simulavit ergo se mercatorem vini esse, et ex una urbe et provincia ad aliam transiit, donec eo (ad Euphratem) perveniret. Quo facto aquam ex flumine sumpsit, quam cum luto commiscuerunt et domos aedificarunt, quae firmae manserunt. Ex illo tempore homines per proverbium dixerunt: Omnis provincia, quam abba Kolon non peragravit, non dicenda est provincia, יחיו קריין רומי בבלון: Romam vero vocarunt Babylonem.‘ Ibidem in scholiis, quae Mattenoth Kehunna vocantur, ratio denominationis haec adducitur: ‚Illas duas casas vocarunt רומי בבלון, quoniam רום excelsitas ipsarum firma stetit על ידי בלילת, propter commixtionem aquarum Euphratis cum aliis aquis.‘“

[3] Lexicon chald., talm. et rabbinic., Basil. 1639, 2227 2231.

[4] Ed. Ioh. Geffcken, Lipsiae 1902, l. 5, v. 159.

[5] Hilgenfeld in Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1872, 355; E. Schürer, Gesch. des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Christi III[3], Leipzig 1898, 442. Certe l. 5 generatim non est iunior anno ca 150 locusque, de quo agimus, vetustissimus est.

[6] Adv. Marc. 3, 13; Adv. Iud. c. 9 (ML II 339 620). Cf. Hier., Ep. 46, n. 11 (ib. XXII 480). Paulinus Nol., Ep. 13, n. 15 (ib. LXI 216). Etiam Lactantius (Div. inst. 7, 15: ML VI 790) dicit: „Sibyllae tamen aperte interituram Romam loquuntur“; sed locus ex Oraculis Sibyllinis 5, 159, quem aperte Lactantius respicit, habet: *ἥξει .. ἀστὴρ .. καὶ φλέξει Βαβυλῶνα Ἰταλίης γαῖάν θ' ἧς εἵνεκα* etc.

„Si et Babylon apud Ioannem nostrum Romae urbis figura est, proinde et magnae et regno superbae et sanctorum debellatricis.“ Atque Hippolytus Rom. in opusculo De Christo et antichristo Ioannem apostolum ita compellat[1]: *Τί εἶδες καὶ ἤκουσας περὶ Βαβυλῶνος; γρηγόρησον καὶ εἰπέ· καὶ γὰρ αὐτὴ* [Roma] *σὲ ἐξώρισε*[2].

δ) Eidem sententia suffragatur, quod Marcus secundum 5, 13 cum Petro istam epistulam scribente fuit. Secundum *unanime* enim veterum scriptorum testimonium[3] Marcus cum Petro Romae fuit, et ex iis, quae Petrus ibidem docuerat, evangelium suum composuit. Secundum Col 4, 10 et Phm 24 Marcus etiam cum Paulo tempore primae eius captivitatis Romae fuit, et a Paulo tempore secundae captivitatis ex Asia minore Romam vocatus est (cf. 2 Tim 4, 11). Unde valde verisimile est, Marcum Romae fuisse, cum Petrus priorem epistulam scriberet. Ergo concludendum est, etiam Petrum epistulam suam Romae scripsisse. Marcum enim, qui in epistula Petri et in laudatis epistulis Pauli commemoratur, esse unum eundemque Marcum evangelistam, nemo iure infitiari potest, cum tota antiquitas christiana de nullo alio Marco, qui cum Petro et Paulo fuerit, umquam loquatur.

Eusebius, provocans ad Clementem Alex., Papiam, traditionem refert[4], Marci evangelistae mentionem fieri in priore Petri epistula, hanc Romae scriptam esse, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellet. Et revera in adumbrationibus suis in 1 Petr 5, 13 dicit Clemens Alex.[5]: „Marcus, Petri sectator, *praedicante Petro evangelium palam Romae* coram quibusdam caesareanis equitibus et multa Christi testimonia proferente, petitus ab iis, ut possent, quae dicebantur, memoriae commendare, scripsit ex his, quae (a) Petro dicta sunt, evangelium, quod secundum Marcum vocitatur.“ Et Hieronymus dicit[6]: „Meminit huius Marci [evangelistae] et Petrus in epistula prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans“ (1 Petr 5, 13). Ideo etiam omnes S. Scripturae interpretes rectissime dicunt, 1 Petr 5, 13 Marcum tropice filium Petri dici, praesertim cum Petrus nullibi sive a S. Scriptura sive ab antiquitate christiana tradatur filium genuisse nomine Marcum eumque in praedicatione evangelii secum duxisse.

[1] Ed. Lagarde, Berol. 1858, c. 36, p. 17 (MG X 755).

[2] Et generatim ait Hilgenfeld (Hist.-krit. Einleitung in das N. T., Leipzig 1875, 632): „Nicht bloß als Sitz des Götzendienstes und aller damit verbundenen Laster, sondern vor allem als die heidnische Welthauptstadt ward Rom seit der Johannes-Apokalypse geradezu Babylon genannt.“

[3] Cf. Foggini, De Rom. D. Petri itinere exerc. 5, p. 87 sqq.

[4] H. E. l. 2, c. 15; cf. ib. l. 2, c. 14, n. 5.

[5] Opera II, fragm. 1, col. 732. Zahn, Forsch. zur Gesch. des neutestamentl. Kanons und der altchristl. Literatur III, Suppl. Clementinum, Erlangen 1884, 83. — „Adumbrationes“ Clementis sunt idem opus, quod alias Hypotyposes dicitur. Fragmentum illud latine tantum exstat. Genuina esse fragmenta illa latina, vide apud Zahn l. c. 133—138.

[6] De viris ill. c. 8 (ML XXIII 621).

c) *Si Petrus habitasset* atque mortuus esset Babylone sive ad Euphratem sive in Aegypto, illa urbs procul dubio, uti Antiochia, primo iam aerae christianae tempore sedes episcopi evasisset; neutra autem illa Babylon legitur illa aetate episcopi sedes fuisse.

Insuper si ipse umquam in Aegypto, diutius saltem, fuisset, sine dubio in urbe principe Alexandria sedem fixisset; apostoli enim ubique in praecipuis urbibus diutius commorari solebant, cum ita magis evangelium propagare hominesque ad religionem christianam amplectendam permovere possent. Babylon autem Aegypti tunc temporis neutiquam ex praecipuis urbibus erat, Babylon ad Euphratem tunc ne urbs quidem[1].

d) *Nomine Babylonis* 1 Petr 5, 13 Romam intelligendam esse monstrat antiquitatis christianae sententia. Accedit quam plurimorum etiam protestantium S. Scripturae interpretum auctoritas, atque argumentorum, quibus adversarii suam opinionem firmare student, futilitas. Quae partim ex dictis, partim ex dicendis manifesta est.

Non enim obstat, quod dicunt istam denominationem symbolicam convenire illam quidem orationi poeticae Apocalypsis, non vero convenire prosaicae epistulae. Primum enim ipsa huius epistulae inscriptio 1, 1: „*electis advenis* (ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις)", qua christiani hac in terra degentes sub imagine peregrinantium in patriam tendentium repraesentantur, non est prorsus ieiuna et prosaica. Deinde totus hic locus (1 Petr 5, 13) speciem tropicae orationis habet, cum certe tropice intelligendum sit, quod ecclesia illa particularis, in qua Petrus tunc degebat, vocatur ἡ συνεκλεκτή, Marcus vero „filius meus". Denique cur S. Petrus, qui in hac epistula multa Veteris Testamenti vaticinia profert, etiam Babylonis nomen in Vetere Testamento saepius occurrens adhibuerit, facile suspicari licet. Ad „electorum" enim solatium et exhortationem significare velle videtur: sicut in vetere illa Babylone, totius impietatis et idololatriae sede, populus tamen etiam Dei quondam fuerit, ita etiam nunc in ipsa urbe principe et centro totius gentilitatis, ubi omnia nefanda in unum confluebant, christianorum Ecclesiam florere, coniunctam eadem fide Asiae ecclesiis ac una cum illis electam a Deo. Accedit altera ratio, quod Petrus, ne temere et inutiliter periculo persecutionis mortisque violentae sese fidelesque Romae degentes exponeret suamque operam apostolicam ante tempus finiret, ad occultandum se iure Babylonis nomine pro Roma uti potuit[2], praesertim cum etiam Christus ipse persecutionem *fugere* iusserit

[1] Vide locos ex Strabone, Plinio aliisque apud Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie II, Stuttgart 1896, 2681 sq. Ex vetere illa maxima urbe Babylone videntur primo post Christum saeculo superfuisse solummodo ruinae, inter quas novae domus et casae exstructae erant. Etiam multi iudaei in vicinia urbis habitabant; christianos ibidem esse coepisse primum traditur in laudatione in S. Ioan. Chrysostomum, quam Photius ascribit Theodoreto (cod. 273; MG CIV 234).

[2] Ipse Renan (L'Antichrist, Paris 1873, 122) scribit: „L'église de Rome est designée par ces mots: l'élue qui est à Babylone. La secte était surveillée de près, une lettre trop claire interceptée pouvait amener d'affreux malheurs." Atque etiam E. Zeller (Hilgenfelds Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1876, 34) scribit: „Daß hier mit der ‚Mitauserwählten in Babylon' die römische Kirche gemeint sei, nehme auch ich an." Pariter Th. Zahn (Einl. in das Neue Test. II², Leipzig 1900, 17):

(Mt 10, 23) et christiani, ad quos scribebat, procul dubio sciverint, et ubi ipse esset, et quaenam urbs illo nomine intelligeretur. Et si hoc ipsis antea ignotum fuisset, id tamen comperire potuerunt christiani in Ponto a Silvano, qui Petri literas ad ipsos pertulit, compertumque id cum aliis deinde christianis, ad quos illa epistula etiam inscripta est, per tabellarium communicare.

Obicit R. A. Lipsius contra argumentum, quod ex traditione ecclesiastica sumitur, saltem Syriacam ecclesiam constanter locum 1 Petr 5, 13 de Babylone proprie dicta explicasse [1], quod demonstrasse dicit doctissimum in Syriacis literis I. S. Assemanium. At 1. verum non est, ex antiqua traditione Syros 1 Petr 5, 13 intellexisse de Babylone ad Euphratem sita. Habent Syri traditiones suas tum de regionibus, in quibus Petrus praedicaverit, tum de evangelii praeconibus, qui Mesopotamiam et Parthiam, ad quam Babylon pertinebat, praedicationibus excoluerint. Numquam autem ante saec. XIII Petrus Mesopotamiae vel Parthiae apostolus apud Syros nominatur. Ephraem Syrus v. g., locutus de regionibus, in quibus apostoli praedicaverunt, sic dicit [2]: „Thomas [praedicavit] apud Parthos, . . . Petrus in Ponto et Romae et apud Galatas et Cymbrios [Cappadoces] et Bithynos et Asianos et in Merdsin [alia lectio: Mesuin, i. e. Mysia]." Ubi Petro praeter Romam solae illae regiones tribuuntur, quae 1 Petr 1, 1 enumerantur. Liber apocryphus, sed antiquissimus, qui inscribitur *„Doctrina Addai"*, post Christi ascensionem in coelum facit S. Thomam apostolum Edessenis mittentem unum ex 72 discipulis, nomine Addai; Thomas igitur ibi apostolus orientis inducitur. Qui Addai moriens inter alia enumerat libros, qui tamquam sacri recipiendi sint, inter quos nominantur ‚epistulae

---

„Als Ort der Gemeinde, von welcher er den Kleinasiaten einen Gruß sendet . . ., nennt Petrus Babylon. Das sieht nicht aus wie eine Mitteilung an die Leser, welche erst hierdurch erfahren sollen, wo Petrus sich aufhält; eine Mitteilung, welche in sämtlichen Briefen des Neuen Testaments ohne Beispiel dastünde. . . . Ist aber vorausgesetzt, daß die Leser den Aufenthaltsort des Petrus kennen, so scheint der Name Babylon vielmehr die Lage charakterisieren zu sollen, in welcher er und die Ortsgemeinde, inmitten deren er weilt, sich befinden. Wie 9, 5 daran erinnert war, daß die ganze Christenheit in der Welt die gleichen Leiden zu ertragen hat wie die Leser, so scheint hier darauf hingewiesen zu sein, daß der Bruchteil der ‚Brüderschaft', von welchem Petrus einen Gruß bestellt, und dieser selbst sich in der Welthauptstadt befinden, also mindestens ebensosehr wie die trostbedürftigen Leser in der Fremde, fern von dem Land der Verheißung und der Stadt, deren wahre Bürger die Christen sind. Nimmt man hinzu, daß die grüßende Gemeinde personifiziert und als eine Schwester der asiatischen Christenheit vorgestellt ist, und daß Markus nur uneigentlicherweise ein Sohn des Petrus genannt ist, so ergibt sich schon aus rein exegetischen Erwägungen, daß hier die Welthauptstadt Rom als das Babylon der Gegenwart des Verfassers bezeichnet ist."

[1] „Wie Hilgenfeld (Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1877, 494) die ‚Deutung auf das eigentliche Babylon' eine ‚ganz moderne' nennen kann, ist mir unerfindlich. Die syrische Kirche hat von jeher einstimmig an ihr festgehalten. Vgl. Assemani, Bibl. orient. III 2, VI sq" (Die apokryphen Apostelgeschichten II 1, 3). — „Während die syrische Tradition, wie sie noch heute von den Nestorianern bewahrt wird, an dem babylonischen Aufenthalte des Apostelfürsten auf Grund von 1 Petr 5, 13 einstimmig festhält (vgl. die Belege aus Amrus, Iesuiabus Nisibenus u. a. bei Assemani l. c.), finden sich bei griechischen und römischen Schriftstellern davon nur ganz vereinzelte Spuren, vielmehr scheint hier die symbolische Deutung des in jener Stelle erwähnten Babylon auf Rom im kirchlichen Altertume die fast ausnahmslos herrschende (doch vgl. Kosmas Indicopleustes, Topogr. christ. II 147, ed. Montfaucon) gewesen zu sein" (ib. II 2, 145).

[2] Evangelii concordantis expositio, ed. G. Moesinger, Venet. 1876, 286.

Pauli, quas Petrus misit nobis e civitate Romae'." [1] Liber pariter apocryphus pariterque valde antiquus, „*Doctrina* (syriaca) *apostolorum*" (orta ex R. A. Lipsii sententia ca 350—400), Mesopotamiam septentrionalem dicit excultam esse praedicatione ab Addai, ecclesias vero in regionibus prope Babylonem sitas fundatas esse ab Aggai; porro inter epistulas apostolorum etiam ponit „illud, quod Simon scripsit a Roma" [2], i. e. primam Petri epistulam, cum secundam Syri non habuerint tum in canone suo. Praeterea in manuscripto saeculi VI aut VII, Londinii asservato, post primam Petri epistulam invenitur scriptum: „Finita est epistula apostoli Petri, scripta e Roma." [3] Unde patet, eos qui saec. XIII Babylonem ad Euphratem sitam loco 1 Petr 5, 13 nominari putant, id non hausisse ex antiqua traditione.

2. Praeterea etiam saec. XIII illa sententia non omnium Syrorum est [4]. Dionysius Barsalibi († 1207), qui inter optimos S. Scripturae interpretes Syros numerandus est, dum ex professo explicat 1 Petr 5, 13, sic ait [5]: „Ecclesia electa, quae est mecum Babylone, vos salutat.' Sunt qui affirment, apostolum ita nominare uxorem suam, et Marcum vere eius filium fuisse. . . . Quantum ad nos attinet, sententia nostra est, ab eo vocari nomine ecclesiae electae collegium apostolorum, collegas suos. Facit deinde mentionem specialem Marci, quia erat unus ex 70 discipulis et ipsi erat ab epistulis. Apostolos vero Babylonem vocat, quia sicuti linguae divisae sunt Babylone, ita etiam Spiritus Sanctus divisus est cum linguis omnium populorum in apostolos." Alibi Barsalibi [6]: „De Marco aliqui scriptores referunt, quod est scriptum in libro Actuum, Petrum scil., postquam eductus fuisset e carcere per angelum, se contulisse ad domum Mariae, matris Ioannis, qui cognominabatur Marcus; et addunt, hanc Mariam fuisse uxorem Petri, unde factum sit, ut Marcus eius esset filius et Rode filia. In priore sua epistula, quam scripsit *Romae*, in qua figura usus hanc urbem nomine Babylonis vocat propter magnitudinem eius et divitias, Petrus videtur hanc opinionem confirmare his verbis: Salutat vos ecclesia electa quae est Babylone et Marcus filius meus." Barhebraeus etiam (Gregorius Abulfaradsch, † 1286), maximus Syrorum iacobitarum doctor, explicat locum 1 Petr 5, 13 ita [7]: „Apostolus ‚Ecclesiam' appellat agmen apostolorum, et ‚Babylonem' illud triclinium, ubi linguae fuerunt divisae. Alii scriptores putant, ‚Ecclesiam' ab illo vocari sponsam suam, et ‚Babylonem' Romam. Ex aliorum sententia appellat ‚Babylonem' Rodî, filiam suam, quia erat illa dives in timore Dei." Animadvertendum autem

---

[1] The doctrine of Addai, the apostle, ed. G. Phillips, London 1876, 5: „After that Christ had ascended to heaven, Judas Thomas sent to Abgar Addai the apostle, who was one of the seventy-two apostles." Ibid. 44: „But the Law, and the Prophets, and the Gospel, which ye read every day before the people, and the Epistles of Paul, which Simon Peter sent us from the city of Rome and the Acts of the twelve apostles, which John, the son of Zebedee, sent us from Ephesus; these books read ye in the churches of Christ, and with these read not any others."

[2] The Doctrine of the apostles, apud W. Cureton, Ancient Syriac Documents, ed. W. Wright, London 1864, 34: „The whole of Persia of the Assyrians and Armenians and Medians, and of the countries round about Babylon ... received the apostles hand of priesthood from Aggaeus, a maker of golden chains, the disciple of Addaeus the apostle." Ibid. 32: „And after the death of the apostles there were guides and rulers in the churches, and whatsoever the apostles had committed to them, . . . they taught to the multitudes all the time of their lives. They again, at their deaths also committed and delivered tho their disciples after them every thing which they had received from the apostles; also what James had written from Jerusalem, and Simon from the city of Rome, and John from Ephesus . . ."

[3] Apud Th. Zahn, Einl. in das Neue Test. II², Leipzig 1900, 21.

[4] Locos, quos hic proferemus, ex manuscriptis codicibus Parisiis et Londinii servatis vertit P. Martin in Revue des quest. hist. XIII, Paris 1873, 1 sqq.

[5] Ibid. 51. [6] Ibid. 55. [7] Ibid. 51.

est. Barsalibaeum expresse profiteri, in interpretanda S. Scriptura se suam propriam sententiam nolle sequi, sed sententiam optimorum commentatorum. Revera mira illa explicatio, qua apostoli Babylone significari dicuntur, invenitur iam apud Iacobum Sarugensem, qui „Petrus, inquit[1], ubi loquitur de ecclesia electa, quae est Babylone, loquitur de collegio apostolorum dilectissimorum. Audiverat linguas multiplices, quibus loquebantur, et ob hanc rationem comparavit eos cum Babylone, ubi linguae divisae sunt: ecclesia, inquit, electa quae est Babylone vos salutat", quam sententiam deinde magis evolvit.

3. Duos Syros nestorianos, qui 1 Petr 5, 13 ita interpretati sunt, ut Babylonem notissimam illam Assyriae urbem intelligerent, nominavit I. S. Assemani[2], quibus usque hodie tertius, qui eiusdem sententiae esset inter Syros, addi non potuit. Sed animadvertendum est, istos duos scriptores minime negare, Petrum Romae fuisse ibique mortem obiisse. Amrus enim Matthaei in libro „Turris", cum lect. 4 fund. 3 appellasset Petrum „principem coetus apostolici et basim Ecclesiae christianae", sic scribit (ib. part. 5, fund. 1)[3]: „Simon Kepha se contulit Romam, et ibi praedicavit et docuit gentem et christianam eam fecit. Disperdidit etiam Simonem Magum et mundavit terram de illo. Commoratus vero est in praedicando et docendo 25 annos; tum cruci fixit eum Caesar, capite inverso, die 29 iunii. Porro eadem die, qua cruci fuit Petrus affixus, interemit Nero Paulum quoque gladio. Hac igitur die fit commemoratio amborum omni anno." Iesuiabus autem ipso illo quem recitat Assemani loco Romanam Petri commorationem testatur. Testimonio igitur sunt ipsi hi duo scriptores, quam alte insederit in mente ipsorum etiam orientalium illa persuasio, qua Petri propria sedes sola Roma putabatur. Ita enim epistulam Petri primam Babylone scriptam esse putarunt, ut Petrum post sedem episcopalem Romae stabilitam facerent invisentem orientem ibique epistulam illam dantem. Ceterum numero adeo pauci, tempore adeo ab antiquitate remoti sunt illi scriptores, ut auctoritatis nullae hac in re existimandi sint.

Cosmas Indicopleustes, ex mercatore monachus, qui post multa itinera saeculo VI fere medio scripsit topographiam christianam, cum Persicum regnum post Romanum primum dignitatis locum obtinere dixit, sic pergit[4]: „At enim in Romana primum ditione apostolorum tempore christiana praedicatio diffusa est; statim vero postea in Perside per Thaddaeum apostolum. Et sane in catholicis epistulis scriptum est: Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta. Quinetiam Romanum imperium multas hac in parte praerogativas obtinet. . . ." Cosmas igitur

---

[1] Martin l. c. 52.

[2] „Demum de S. Petro apostolorum principe [Amrus Matthaei, qui floruit anno ca 1340]: ‚Praedicavit primum in Syria, deinde Antiochiae et in Asia et Bithynia et Galatia aliisque locis. Ipse autem in fine epistulae suae, quae catholicarum secunda est, significat, se evangelium Babylonem usque invexisse: inde enim memoratam epistulam scripsit. . . .' Et in vita Maris: ‚Petrus quoque Babylonem venit rediitque.' In eandem sententiam loquitur Iesuiabus Nisibenus [† 1222] in Lib. adv. sectas parte 2, cap. 8: ‚Simon Kepha docuit Syriam, Antiochiam, Romam et Hispaniam. . . . Et abiit in partes orientis, in quibus tamen diu manere noluit, quod illas obiter, non animo permanendi adiisset. Scripsit autem celeberrimam epistulam suam, quae secundum inter catholicas locum occupat eamque cum Silvano uno ex LXX misit, Marcum comitem adiutoremque secum habens: sparsoque in ecclesia nostra [Chaldaeorum scil.] spirituali semine, cum eandem dimisisset, Romam se contulit.' Ita nestoriani verba haec Petri ‚Salutat vos ecclesia quae est Babylone, non de Roma, sed de Babylone ipsa quae caput fuit Assyriorum intelligunt" (Assemani, Bibl. orient. III 2, Romae 1728, VI; III 1 [1725], 587). De Amro et Iesuiabo cf. Khayyath 132 106. Uterque arabice scripsit.

[3] Kayyath 25.

[4] Topogr. II (MG LXXXVIII 113 d)

1 Petr 5, 13 de Babylone non quidem illa ad Euphratem sita, sed de illa, quae erat sedes archiepiscopi Persarum, de Seleucia dico quae est ad Tigrim posita. intellexisse videtur. Deinde animadverte, Cosmam dubitare de genuinitate epistulae petrinae et epistularum catholicarum omnium[1]. Unde Petrum Seleuciae commoratum esse non sequitur ex eius verbis, praesertim cum Thaddaeum Persidis apostolum putat.

Ex Clementis Alexandrini quoque sententia loco 1 Petr 5, 13 Babylonem ad Euphratem positam commemorari, Theod. Zahn[2] ita ostendere conatus est. Dicit Clemens in fragmento ex Hypotyposibus latine servato: „Secunda Ioannis epistula, quae ad virgines scripta, est simplicissima. Scripta vero est ad quandam Babyloniam Electam nomine, significat autem electionem ecclesiae sanctae.“ Quo loco cur „electa“ secundae Ioannis epistulae Babylonia dicatur, ita Zahn explicat: putat Clementi, cum electae nomen legeret, in mentem venisse „coelectae“ illius, de qua loquitur Petrus 1 ep. 5, 13, et propterea Babyloniam eam putasse. Cuius argumenti confirmationem eruit ex eo, quod „ad virgines“ Ioannis epistula data dicatur. Dicit enim 1. evidenter in his vocibus mendum inesse, cum illa epistula ad uxorem et matrem data sit. Deinde 2. loco vocum „ad virgines (*πρὸς παρθένους*)“ legendum esse „ad Parthos (*πρὸς Πάρθους*)“, quod optime quadret cum eo, quod ad Babyloniam scripta dicatur epistula, Babylon enim in Parthorum ditione sita erat. Praeterea in codicibus aliquibus graecis saeculi XI et XIV epistulam illam Ioannis in inscriptione vel subscriptione nominari epistulam ad Parthos. S. Augustinum quoque et ex Bedae sententia Athanasium *primam* Ioannis epistulam hoc nomine insignire. At 1. si Clementem 2 Io 1 explicantem respexisse Petri verba 1 Petr 5, 13 concedamus, sequitur, ut etiam „Babylonia illa electa“ metaphorice intelligenda sit. Videtur Clemens ea in sententia esse, ut Ioannem ad ecclesiam scripsisse dicat, quae est electa ex Babylone, i. e. e mundo perverso et Dei inimico. Certo autem ex eo, quod tempore Augustini Ioannis prima vel saeculo XI etiam secunda epistula „ad Parthos“ scripta putabatur, verisimile non fit, etiam Clementis temporibus idem nomen iam pro secunda Ioannis epistula in usu fuisse. Quod autem „ad virgines“ epistula scripta dicatur, pariter metaphorice videtur intelligendum, scil. ut ii significentur, qui incorrupti sint fide. Sollemnis enim Patribus haec metaphora. 2. Ceterum difficulter intelligi, Babylonia illa electa quid sibi velit, concedimus. Sed notetur, nos illam ad 2 Io 1 adumbrationem non habere, sicuti Clemens eam scripsit, sed talem, qualem Cassiodorus eam cum pluribus omissionibus vertit et correxit. Mutilum autem esse eum de quo agimus locum, ipsa eius maxima obscuritas demonstrat. Unde ex eo non debemus discere, quid Clemens de Babylone apud Petrum 1 ep. 5, 13 senserit.

Errant igitur, qui affirmant, in S. Scriptura de Petro Romae degente nihil indicari. — Sed Petrum Romae fuisse

2. testatur tota praeterea christiana antiquitas, et a) quidem id affirmant testes secundi et primi saeculi, ex quibus Romanam Petri commorationem Clemens et Ignatius satis indicant, Dionysius, Irenaeus expresse testantur.

α) Clemens Romanus enim, ostensurus, zelum et invidiam multorum malorum causam fuisse, eius rei exemplis e Vetere Testamento propositis ita pergit[3]: „Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletas veniamus; saeculi nostri generosa exempla proponamus.

---

[1] Topogr. l. c. 371.

[2] Forschungen III 99—103 nota 28.

[3] 1 Cor. c. 5 (Funk I 105). De Clementis hoc testimonio vide F. Probst in Der Katholik LII, Mainz 1872, II 658—666; A. Brüll in Theol. Quartalschr. LIX, Tübingen 1877, 659 sqq; Joh. Schmid, Petrus in Rom 82.

Propter zelum et invidiam, qui maximae et iustissimae columnae erant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt (*ἕως θανάτου ἤθλησαν*). Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos: Petrum, qui propter zelum iniquum non unum aut alterum, sed plures labores sustulit atque ita martyrium passus in debitum gloriae locum discessit (*καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης*). Propter zelum et contentionem Paulus patientiae praemium exhibuit, septies in vincula coniectus, fugatus, lapidatus, in oriente ac occidente verbi praeco factus, illustrem fidei suae famam sortitus est, qui postquam mundum universum iustitiam docuit et ad occidentis terminos venit et coram praefectis martyrium subiit, sic e mundo migravit et in locum sanctum abiit, summum patientiae exemplar exsistens. Viris istis sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis, propter zelum passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt. Propter zelum persecutionem passae mulieres Danaidae et Dircae" etc. Quibus verbis Clemens satis clare et martyrium Petri et locum illius martyrii indicat. Ac primum quidem

α') violenta martyrii morte Petrum obiisse significat, dum voce *μαρτυρήσας* de illo utitur. Quamquam enim Zeller et alii obiciant, verbum illud hoc loco posse significare *testari*, ita ut sensus sit: postquam illo modo (*οὕτω*), multis scil. laboribus, testimonium reddidit, in locum gloriae discessit, tamen errare in hac re adversarios patet. Nam primum loquitur Clemens de iis, quos „columnas" ecclesiae (cf. Gal 2, 9) vocat, qui „usque ad mortem certaverunt", inter quos ponit Petrum et Paulum et immediate adiungit martyres neronianae persecutionis. Ex his autem certissime martyres neroniani ita „ad mortem usque" certaverunt, ut his certaminibus iis mors inferretur. Ergo etiam Petri et Pauli certamina non ita intelligi possunt, ut per totam vitam certasse dicantur, usquedum placida mors sua sponte secuta eorum certaminibus finem poneret. Deinde vox illa cum de Paulo adhibetur, violentam mortem indicat, alioquin enim immediate post illam vocem Clemens non ita pergere potuisset, ut diceret: „et sic e mundo migravit". Ergo cum de Petro paulo ante idem verbum usurpatur, eadem ratione id intelligatur necesse est. Iisdem praeterea fere verbis de utraque columna Clemens loquitur, ita ut similes horum duorum exitus fuisse sine dubio significare velit. Denique obvius sensus loci ille tantum esse potest, ut Petrus mortem violentam obiisse affirmetur[1]. Sed

[1] Ceterum ipse Lipsius, qui anno 1869 scripserat: „Das . . . römische Gemeindeschreiben an die Korinther, welches . . . den Namen des Klemens trägt, weiß selbst, wo es eine absichtliche Parallele beider Apostel zieht, nur von einem Märtyrertode des Paulus vor der heidnischen Obrigkeit" (Chronologie der röm. Bischöfe 165 sq), anno 1887 concedit: „So wird es bei dem Urteil sein Bewenden behalten, daß der Verfasser des [Klemens-]Briefes wohl um das Märtyrertum, aber nicht um das römische Märtyrertum des Petrus gewußt hat" (Die apokryph. Apostelgeschichten II 1, 13).

β′) etiam locum, in quo martyrium obierit Petrus, Clemens satis aperte indicat. Nam cum Pauli martyrium cum Petro mortem obeunte arctissime coniungat, Paulus autem omnibus fere consentientibus Romae mortuus sit, iam ob hanc rationem de duabus „columnis“ Romae coronatis Clementem loqui verisimile est, idque „eo vel magis, quod non aliorum apostolorum exempla ac illa duo nominatim afferat: id nonnisi in eo suum fundamentum habere apparet, quod illi duo et ipsi soli praedicta ratione ecclesiae Romanae, cuius nomine scribebat, iuncti erant“ [1]. Quod confirmatur ex eo, quod cap. 6 omnibus consentientibus Clemens de victimis neronianae persecutionis *Romae* immolatis loquitur. Optime enim conveniunt ea, quae de martyrum multitudine et ludibriis exquisitis eorum suppliciis additis Clemens narrat, cum iis, quae de Romana Neronis persecutione apud Tacitum leguntur, quam ob rem ad eundem eventum ambos hos respexisse censendum est. Quodsi vero solos martyres Romanos Petro iungit, etiam Petrum in Romanorum martyrum numero Clemens posuisse dicendus est. Accedit, quod martyres illos et „exemplum optimum *inter nos* (ἐν ἡμῖν)“ exstitisse et „viris istis“, Petro scil. et Paulo, aggregatos esse a Clemente dicitur. „Inter nos“ igitur, i. e. Romae, Petrus et Paulus mortui sunt. Romanae enim urbis incolas pronomine illo „nos“ Clementem Romanum indigitare, et obvius huius loci sensus suadet et illud confirmat, quod de Romanis tantum martyribus loquitur. Danaides certe illae et Dircae, quas commemorat martyres, erant certo aliquo in loco passae. Ubi autem illas mortem pertulisse dices, si non Romae mortuas credas? [2] Consonant cum hac explicatione Clementis epistulae prima verba: „Propter subitas . . . calamitates et casus adversos, qui nobis (ἡμῖν) acciderunt, tardius, fratres, nosmetipsos convertisse agnoscimus ad ea, quae apud vos quaeruntur.“ [3]

Opponit Hase, 1 Cor. c. 55 [4] iterum occurrere illud ἐν ἡμῖν, atqui hoc loco complecti Iuditham et Esther, quae certe Romanae non erant. At c. 55 res ita se habet. Exempla magnanimitatis prolaturus, Clemens primum ethnicorum exempla adducit. Deinde transit ad eos, de quibus dicit: „multos *inter nos* cognovimus“, et Romanae ecclesiae egregia quaedam facta commemorat. Denique addit, vel multas mulieres virilia multa gessisse, quod demonstrat Iudithae et Estheris exemplo. Illud igitur „inter nos“ non respicit duas illas heroinas.

[1] Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 108.

[2] Danaidarum et Dirces nomina ex mythologia graeca petita esse patet. Cur christianae martyres his nominibus nominentur, probabilissime illi explicant, qui martyres illas coactas esse putant, ut in scena personam Danaidarum vel Dirces induerent et poenas, quas in fabula illas perpessas esse legitur, revera ad spectaculum plebis subirent. Eo scil. processerat Romanorum morum crudelitas, ut si in fabulis, quae in scena theatri spectante populo agebantur, supplicia a latronibus, maleficis etc. luenda essent, ea supplicia sumi non fingeretur, sed substitutis actoribus hominibus capite damnatis vere ab illis sumerentur. Dirce autem ex fabularum narratione perierat alligata cornibus tauri rabidi. Danaidarum varia supplicia narrabantur.

[3] Funk I 98. [4] Ibid. 168.

Porro Zeller ita opponit: ex verbis in principio capitis 5 positis: *τῆς γενεᾶς ἡμῶν* illud *ἐν ἡμῖν* posse intelligi vel „nostra aetate“ vel melius „inter nos christianos“. Non enim fuisse, cur Clemens loquatur de solis martyribus Romanis, cum ii, licet numerosiores, soli tamen non fuerint (Apc 2, 13. Act c. 6 et 12). Sed etiamsi Clemens de solis martyribus Romanis locutus sit, inde tamen colligi non posse, ubi *Petrus* occisus fuerit, cum magna illa electorum multitudo aggregata fuerit Petro *et Paulo*, et ostendi nequeat, Petrum ac Paulum eodem loco martyrio coronatos esse [1]. Quod ultimum etiam R. A. Lipsius opponit [2]. — At licet verba illa *τῆς γενεᾶς ἡμῶν* exprimant hominum genus christianum, primum tamen Clemens respicit „proximos athletas (*ἔγγιστα γενομένους ἀθλητάς*)“, quibus verbis intelligit probabiliter proximos tum tempore tum loco, i. e. Romanos martyres christianos. Deinde vocibus *ἐν ἡμῖν* intelligendos esse Romanos christianos, ex modo dictis certum est. Unde tametsi alibi tres christiani, scil. S. Stephanus et Iacobus Hierosolymis et Antipas Pergami martyrii mortem iam obierant, neutiquam tamen sequitur, Clementem hoc loco noluisse loqui de solis martyribus, qui Romae obierint. Tum illam ipsam magnam martyrum multitudinem, quae apostolis Petro ac Paulo aggregata dicitur, aliam intelligi non posse nisi Romanam iam probavimus [3]. Falsum igitur est, Clementi nullam rationem fuisse, de proximis his illustribus martyribus Romanis quam plurimis potius loquendi quam de tribus tantum illis aliis, qui longe ab Urbe martyrium subierunt.

Accedit denique, quod Clementem de Petri martyrio tamquam re Corinthiis et omnibus christianis notissima verba facere ex tota sermonis eius connexione elucet. Cur enim Clemens Petri martyrium in medium attulit? Profecto ut demonstret, invidiam ac contentionem multa mala procreare: invidiae enim Petri mortem ac labores ascribenda esse. Iam vero, si et ipse Clemens et Corinthii invidiae fructum Petri mortem esse sciebant, profecto non ignorabant, qua tandem invidia funestus ille eventus procreatus, qua re adversariorum invidia excitata fuisset, qua ratione, quo tempore contra Petrum processissent. Quis enim umquam, qui exemplis alium ad vitium aliquod detestandum inducere vult, ea exempla seligit, de quibus neque ipse neque ii, quos exhortatur, quidquam accurati sciunt, praesertim si exempla suae aetatis ac saeculi se proferre velle praefatus est? Haec enim profecto in medium adduci solent, quia audientibus notiora putantur. Aut si nescio, ob quam causam exemplum, de quo generatim tantum et quasi rumore ac fama compertum ipsi est, in medium adducit, quis non excuset et dolere se dicat, quod plura ea de re proferre non possit? Quodsi vero singula, quae Petri mortem tangebant, orbi christiano initio secundi saeculi nota erant, locus illius martyrii ignotus esse non poterat. Porro si illo tempore locus martyrii Petri notus erat christianis et Romanis et Corinthiacis, profecto oblivione deleta haec notitia 70 annis post ita esse non potuit, ut omnes tunc verum Petri mortis locum

[1] Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1876, 49.

[2] Jahrbücher für protest. Theol. 1876, 580.

[3] Id agnoscit etiam protestans Joh. Delitzsch (Theol. Studien und Kritiken 1874, 237) scribens: „Unter ‚diesen Männern‘ kann wohl niemand anders als Petrus und Paulus, von denen im vorausgehenden ausschließlich die Rede war, verstanden werden, und diejenigen, die ihnen zugesellt werden, können wie sie selbst nur Märtyrer sein. Steht aber dies fest, so scheint Kap. 5 und 6 auf *eine* Christenverfolgung zurückzuweisen (vgl. das *συνηθροίσθη*), und zwar auf die neronische.“

ignorarent falsoque loco eius martyrium annecterent. Anno autem ca 170 claram de Petri Romano martyrio haberi mox videbimus.

Obiciunt Rettberg, Zeller, Lipsius [1], alii, ipsum modum, quo de Petro mentio fiat, ostendere, Clementem de Petro nil nisi omnino incerta comperta habuisse. Modo enim prorsus alio Petrum, prorsus alio Paulum commemorari; de Paulo multis Clementem loqui, particularia de illo narrare, res eius magnis laudibus efferre, de Petro autem quae dicantur brevia, vaga, exilia, ieiuna esse omnia. Hoc discrimen unde oriri potuerit nisi ex eo, quod de Paulo omnino certa, de Petro nihil certi sciverit? At Petri et martyrium et locum martyrii nota fuisse Clementi iam ostendimus; ratio vero, cur de Pauli rebus uberius loquatur quam de Petro, non e longinquo quaerenda est. Ad Corinthios enim scribebat Clemens, Corinthii autem ii erant, quorum ecclesiam praecipue Paulus fundaverat, ad quos duas ex epistulis suis miserat, quique propter has epistulas apud omnes christianos noti ac insignes habebantur. Corinthios igitur ut ad detestandam invidiam moveret, aptissime monet, praecipuum ac dilectissimum eorum apostolum ob ipsam hanc invidiam gravissima perpessum esse. Atque eo aptius in perpessionibus Pauli describendis moratur, quod in ipsa ad Corinthios secunda epistula et ipse Paulus catalogum perpessionum suarum texuerat (2 Cor 11, 22). Accedit, quod et Clemens arcta necessitudine cum Paulo iungebatur. Eius enim comitem illum fuisse ex Phil 4, 3 non iniuria deducitur.

Negari igitur non potest, Petri Romanum martyrium triginta iam annis post Romae a Clemente Romano satis indicari. Praeterea eadem fere aetate id satis clare innuunt

β) verba, quibus S. Ignatius anno ca 107—114 christianos Romae degentes obsecrat, ne martyrium, quo erat Romae moriturus, impediant. „Ego omnibus ecclesiis scribo, inquit, omnibusque mando, quod lubens pro Deo moriar, siquidem vos me non impediatis. Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse. . . Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant. . . . Christum pro me supplicate, ut per haec instrumenta Deo hostia inveniar. *Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio* (*οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν*). Illi apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus. Sed si patiar, libertus fiam Iesu Christi et in ipso resurgam liber.“ [2] Quibus verbis Petrum et Paulum specialem illam habitudinem ad ecclesiam Romanam habuisse indicatur, qua res eorum praeceptis et iussionibus ordinabant, dum ipsi Ignatio talis potestas non sit, cui solis precibus Romanos fas sit adire. Petrus autem si Romae numquam fuit, praecepta Romanis nulla dedit; epistulas enim vel nuntios ad eos misisse prorsus arbitrarie fingeretur. Praeterea Paulum Romae fuisse ab omnibus admittitur, unde hunc apostolum ab Ignatio comme-

[1] „Die den Petrus betreffenden Worte . . . sind gegenüber den weit konkreteren Angaben über Paulus offenbar nur darum so unbestimmt gehalten, weil man über Petrus nichts Näheres mehr wußte“ (Lipsius, Chronologie 166 nota 2). „Warum wird dies alles nur von Paulus ausgesagt, bei Petrus dagegen mit keinem Wort angedeutet? . . . Man wird nur antworten können, daß er es deshalb nicht gesagt habe, weil er noch nichts davon wußte“ (Zeller, Vorträge II 245). Similiter Rettberg apud Ersch und Gruber, Enzyklopädie Sect. III, tom. XIX, p. 361.

[2] Ad Rom. c. 4 (Funk I 257).

morari, quia Romae exsistens Romanis revera praecepta dederit, obvius horum verborum sensus est. Sed si eo animo Paulum nominavit Ignatius, Petrum ob eandem rationem commemoravit. Quae conclusio confirmatur ex modo, quo aliis locis Ignatius ad auctoritatem apostolorum provocat. Si enim ad ecclesias illas scribit, quae ab insigniore aliquo apostolo fundatae non sunt, nullius apostoli nomen effert[1], sed loquitur de apostolica auctoritate generatim. Contra vero cum ad Ephesinam ecclesiam scribit, postquam primum generatim dixit: „non praecipio vobis, quasi sim aliquis", ac deinde Ephesios laudat, quod apostolis semper consensissent, denique exprimit, cuius auctoritatem sibi arrogare nolit, scil. Pauli, qui Ephesinam ecclesiam fundaverat[2]. Similiter Polycarpus ad Philippenses scribens[3]: „Haec, fratres, non quod mihi arrogem, scribo vobis de iustitia. ... Neque enim ego, neque alius mei similis beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi potest; qui cum esset apud vos, perfecte ac firmiter verbum veritatis docuit." Unde Windischmann[4]: „Vides igitur, ubi ad ecclesiam a magno apostolo fundatam sermo est, etiam apostoli illius mentionem inici. Plane eodem modo Ignatius, ubi ad Romanos scribit, non in universum dicit, sicuti ad Trallianos, se non quasi apostolum imperare, sed sanctissimum illud doctorum par nominat, qui Romanam ecclesiam suo sanguine condiderunt." Consentiunt denique hac in re multi etiam e protestantibus[5].

Opponunt quidam adversarii: 1. Ignatium Rom. 4 dicere: „Ego omnibus ecclesiis scribo", ergo ad Romanos speciatim de Petro et Paulo non loqui. Ita Mayerhoff. Sed haec obiectio responso vix digna est. Numquid enim omnibus ecclesiis Ignatius scribere potuit, quod l. c. dicit: „feris potius blandimini" etc.? — 2. Scribit Dressel[6], Ignatium Petri et Pauli idcirco meminisse, quod inter omnes Christi discipulos et sectatores ipsi evangelium praedicando et docendo eminerent, ideoque auctoritate quadam insigniti reliquis praestarent. Similiter R. A. Lipsius existimat, Petrum et Paulum ab Ignatio nominari, quia hi duo praecipua in ecclesia, quae erat ex gentibus, auctoritate fruerentur[7]. At quod Petrus et Paulus praedicatione eminebant, nihil explicat. Non enim agitur de auctoritate, quae eminentia

[1] Cf. Ad Trall. c. 3 (Funk I 244). [2] Cf. c. 3 11 12 (ib. 216 222).

[3] C. 3 (ib. 298). [4] Vindiciae Petrinae 69.

[5] Baratier (Disquisitio chronol. de successione ant. episc. Rom., Ultraiecti 1740, c. 1, n. 3, ap. Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 102) scribit: „Cur Petrum et Paulum una nominat, nisi quod uterque Romae fuerit? Cur Petrum, si cum Romanis nullum nexum habuerit? Si enim Romae non fuerit, cum Romanis non scripserit, nil magis cum iis commune habebat vel iis praeceperat, quam Iacobus vel Iudas vel Ioannes. Manifestum est, Ignatium Romanum Petri iter novisse." A. Hilgenfeld, Hist.-krit. Einleitung in das N. T., Leipzig 1875, 621: „Als die beiden Apostel der römischen Kirche setzt den Petrus und Paulus *offenbar* voraus Pseudo[!]-Ignatius, wenn er an die Römer (c. 4) schreibt: *οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος . . .*"

[6] Cf. Sanguineti, De Sede Rom. b. Petri 60.

[7] „Aus den betreffenden Worten läßt sich ein eigentümliches persönliches Verhältnis beider Apostel zur römischen Gemeinde nicht folgern. Beweisend sind dieselben nur für die Tatsache, daß beide Apostel als die Hauptautoritäten der Heidenkirche zusammengestellt werden". (Die apokr. Apostelgesch. II 1, 14).

praedicationis acquiritur, sed de ea auctoritate, qua praecipere ac oboedientiam exigere poterant apostoli, oboedientiamque praecipue a Romanis revera exegerant. Praeterea neque Dressel neque Lipsius explicant, quod in Ignatii verbis maxime explicandum est, cur scil. praecipue Romanis et solis Romanis peculiari modo auctoritas Petri et Pauli obiciatur. — 3. Obicitur, Paulum Romam venisse captivum, Ignatium autem loqui de apostolis libertate fruentibus, dicere enim illum: „illi *liberi*, ego usque nunc servus". De apostolis igitur Romae commorantibus Ignatium intelligi non debere. At primum valde dubium est, agatne Ignatius de libertate a vinculis corporis; videtur enim agere de libertate ab infirmitate humana spirituali, ita ut dicat: „illi liberi sunt", i. e. felici martyrio eo pervenerunt, ubi nullae sunt concupiscentiae, nullae tentationes ad malum allicientes, nullum periculum amittendae salutis, ego vero nondum ad statum adeo felicem perveni, sed fieri potest, ut martyrii adeo desiderati particeps non fiam. Quodsi opponis, sic aliquo modo aberrare Ignatium ab eo, quod probandum sibi proposuerat, concedendum illud quidem est, sed mirum id videri non debet in sancto martyre, qui in tota illa epistula nihil cogitare et spirare videtur nisi martyrium. Sed etiamsi Ignatium de libertate civili locutum esse contendas, animadvertas velim, non solum Paulum, sed etiam Petrum, eumque primum nominasse sanctum martyrem, Petrus autem captivus Romam non venit. Atque ipse Paulus Romam ductus non est, ut instar Ignatii damnaretur, sed ut iudicaretur; et in ipsa sua captivitate Romae sat liber fuit, cum in domo, in qua a milite custodiebatur, libere posset omnibus, qui ipsum invisebant, evangelium praedicare. Nec etiam semper in custodia Paulus Romae fuit, cum secundum communem sententiam ipse bis captivus Romae, ergo intermedio tempore etiam plane liber fuerit. Unde manet certum, S. Ignatium Petri Romae praesentiam affirmare.

γ) *Clarissime* autem ac definite id ipsum testatur alter saeculi secundi scriptor, Dionysius ca a. 160—170. Eusebius enim de Petro et Paulo haec refert[1]: „Porro ambos uno eodemque tempore martyrium subiisse *Dionysius Corinthiorum episcopus* ad Romanos scribens[2] testatur his verbis[3]: ‚Ita et vos per talem cohortationem plantationem Romanorum et Corinthiorum a Petro et Paulo factam miscuistis[4]; ambo enim et in nostra Corinthiorum urbe nos plantantes eodem modo docuerant, et eodem modo in Italia simul docentes mar-

---

[1] H. E. l. 2, c. 25.

[2] Putat Valesius in nota ad h. l., has literas esse responsum ad epistulam a Sotere et clero Romano acceptam.

[3] *Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοσαύτης νουθεσίας τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε· καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς, ὁμοίως ἐδίδαξαν· ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν.* Loco *φυτεύσαντες* Valesius legit *φοιτήσαντες*, uti habet Syncellus, dum h. l. historiae suae inserit; etiam Rufinus h. l. vertit: adventantes. Sed cum omnibus codicibus graecis etiam versio antiquissima syriaca legit *φυτεύσαντες* (Eusebius' Werke. II: Die Kirchengeschichte, herausg. von Ed. Schwartz I, Leipzig 1903, 178). Cf. Windischmann l. c. 83; Stenglein in Theol. Quartalschr., Tübingen 1840, 237. Valesius praeterea dicit in nota, eandem vocem *φοιτήσαντες* supplendam esse post *εἰς τὴν Ἰταλίαν*. Hinc, ait Windischmann, falsa illa narratio derivata est, Petrum una cum Paulo Corintho Romam venisse brevi ante martyrium tempore, de qua re ne verbum quidem Dionysius habet. Nihilominus in hac *falsa* narratione nititur argumentatio, qua tum Baur aliique illi testimonio omnem fidem probandique vim abiudicant.

[4] Id est, coniunxistis, caritatis scil. vinculo propter curam nobis exhibitam. Cf. 1 Cor. 12, 24: *ὁ θεὸς συνεκέρασεν τὸ σῶμα.*

tyrium passi sunt eodem tempore.'" Quibus verbis Dionysius sane modo quam maxime definito Petri in urbe Roma praesentiam tamquam factum refert tum ipsi tum Romanis certum et notum.

Sed permulta adversarii testimonio Dionysii adeo claro opponunt, praecipue vero hoc, quod adeo multa, quae falsa sint, his suis verbis tradat, ut sibi ipse omnem fidem adimat. Scil. Dionysium 1. tradere, Petrum et Paulum simul ac eodem tempore Corinthiacae ecclesiae fundatores esse, cum 1 Cor 3, 6 10 et 4, 15 Paulus declaret, *se* Corinthios per evangelium genuisse, sive primum apud ipsos Christi doctrinam praedicasse et ipsorum ecclesiam fundasse. — At voce ὁμοίως Dionysius profecto non affirmat, Petrum et Paulum *eodem tempore,* sed, ut quivis graece eruditus scit, tantum eodem modo sive similiter Corinthi docuisse. Potuit autem Petrus facillime, maxime in itinere suo Romano, Corinthum adire ibique post primam utique Pauli praedicationem Christi religionem magis propagare atque ita, secundario saltem sensu, plantator ecclesiae Corinthiorum fieri, eoque magis, quod Paulus ipse 1 Cor 1, 14 16 se paucos tantum Corinthios baptizasse affirmat. Num vero ex eo, quod Paulus primus plantavit, sequitur, Petrum omnino non plantasse, praesertim cum nulla ratio appareat, cur Petrus Corinthum venisse negetur? Silet utique de hoc Petri itinere Lucas in Actibus; sed si omnia negare velis, quae Lucas in Actibus apostolorum silentio tegit, multa neganda erunt, quae ipse Paulus in epistulis de se narrat; quae v. g. 2 Cor 11, 24 sqq de se refert, vix commemorantur apud Lucam. Neque ex eo, quod Paulus, tametsi 1 Cor 1, 12 Petrinos christianos commemorat et ib. 3, 6 tantum de se et Apollo, ut qui Corinthi praedicaverint, loquitur, non vero de Petro, efficitur, Petrum Corinthi non fuisse. Etsi enim Petrus iam tunc temporis Corinthi praedicaverit, potuit Paulus de eo silere, quia eum „aut plane abhorrere noverat a Petrinae sectae moliminibus (Apollo non tam irreprehensibilem fuisse satis clare, etsi clementer et bonae viri voluntati parcens, innuit), aut quod apostolum tantae auctoritatis laedere noluit" [1]. Nihil igitur obstat, quin Petrus Corinthum adierit ibique evangelium praedicaverit. — Petrum autem revera Corinthi Christi doctrinam annuntiasse videtur ex ipsa illa Pauli relatione sequi. Cum enim illi Corinthii, qui se Pauli vel Apollinis sectatores dicebant, hac sua loquendi ratione significare voluerint, se ab his non solum ad religionem christianam conversos, sed etiam baptizatos esse, sine dubio etiam illi alii, qui se Cephae esse gloriabantur, idem affirmare voluerunt, praesertim cum alia ratio isto modo loquendi vix verisimilis sit. Iam cum Dionysius, qui quae in ecclesia sua ante centum annos ab apostolis acta fuerint, optime profecto scire poterat, tum quia suae ecclesiae diptycha ipsi patebant, tum quia, cum iuvenis esset, multos certe novit, qui ipsos apostolos Corinthi viderant et audierant: cum, inquam, Dionysius episcopus ideoque vir gravis in epistula pariter gravi ad episcopum Romanum eiusque ecclesiam data diserte ac definite testetur, Petrum reapse Corinthi fuisse, id, nisi omnia facta pro lubitu reicienda dicantur, verum omnino habendum est.

Sed etiamsi daretur, id verum non esse, tamen non sequeretur, falsum esse, quod Dionysius de Petri in urbe Roma praedicatione et morte refert. Facile enim hoc scire potuit cum propter frequens tunc temporis Corinthiorum cum Romanis commercium, tum quod Petri, apostolorum prin-

[1] Windischmann, Vindiciae Petrinae 85.

cipis, Romae praesentia et martyrium res erat pro christianis scitu dignissima et magni prorsus momenti, ideoque late certo inter ipsos vulgata. Et qui ausus esset Dionysius de eo facto ut de re nota tam definite ad ipsos Romanos scribere, nisi ipsi de eius veritate plane persuasum fuisset?

Obiciunt praeterea, 2. Dionysium Petrum et Paulum eodem tempore una (ὁμόσε) Romam proficiscentes inducere, id quod falsum esse inter omnes constat[1]. At *primum* vox ὁμόσε nihil probat; si enim ea dicatur hoc loco secundum sensum suum ordinarium significare, *quo* (scil. εἰς τὴν Ἰταλίαν) Petrus et Paulus tetenderint, directionem itineris tantum denotat, minime vero itineris tempus; si vero ponatur hic exprimere idem quod σύν, ἅμα, quo sensu etiam quandoque adhibetur, minime dicit, Petrum et Paulum *simul Corintho Romam ivisse*, sed tantum, utrumque simul sive eodem tempore in Italia et speciatim Romae Christi doctrinam docuisse; non enim verbum φοιτήσαντες, sed solum διδάξαντες in Dionysii oratione eam vocem sequitur. Εἰς autem pro ἐν ab ipsis etiam optimis interdum, ac maxime a posterioribus scriptoribus poni notum est[2]. Neutiquam *deinde* demonstrari potest, possibile non fuisse, ut Petrus et Paulus aliquando, atque imprimis paulo ante ipsorum martyrium simul Romae fuerint Romanosque in Christi doctrina instituerint. *Tum* etiamsi definitio temporis, quo Petrus et Paulus martyrio coronati dicuntur κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν (quae tamen verba paucorum annorum interstitium non excludunt), non omnino accurata et vera esset, manifeste tamen veritas ipsius facti, quo illi duo apostoli Romae fuisse et martyrium subiisse asseruntur, nihil pateretur. Factum enim saepissime verum est, etsi non singula eius adiuncta, quae referuntur, plane vera sint. Ceterum nulla firma ratio est affirmandi, Dionysium in assignando tempore martyrii duorum apostolorum errasse.

Sed, opponit Rettberg[3], huius testimonii probandi vim valde imminui vel etiam tolli ex eo, quod Clemens Romanae ecclesiae episcopus ideoque de Romanis rebus optime instructus modo adeo incerto ac vago de Petri martyrio loquatur. Ex Clementis enim epistula cum initio saeculi secundi ignotum fuisse Romanum martyrium Petri constet, Dionysium posterioris temporis testem a limine reiciendum esse. Sed cum quae contra Clementis pro romana commoratione Petri testimonium proferantur iam refutaverimus, hanc obiectionem hic iterum tractare supersedemus.

---

[1] „Auch die gemeinsame Pflanzung der römischen Gemeinde durch Petrus und Paulus ist ein handgreiflicher Irrtum; mit dieser angeblichen Tatsache aber hängt bei Dionysios das gemeinsame Martyrium der beiden Apostel in Rom untrennbar zusammen. Nicht darin also liegt der Schwerpunkt der von Dionysios erwähnten Legende, daß auch Petrus ebensogut wie Paulus nach Rom gekommen ist, sondern daß beide Apostel *gemeinsam* sowohl die korinthische wie die römische Gemeinde gestiftet, *gemeinsam* daselbst das Evangelium gepredigt, gemeinsam den Märtyrertod in Rom erlitten haben“ (Lipsius, Die apokr. Apostelgesch. II 1, 15; cf. eiusdem Die Quellen der röm. Petrussage 3).

[2] Passow, Lexicon s. v. εἰς 6), s. v. ἐν 6). Heinichen ad Eus., H. E. 2, 25 haec exempla affert: Aelianus, Varia historia 7, 8: ὅτι Ἡφαιστίων εἰς Ἐκβάτανα ἀπέθανε (cf. ib. 9, 30; 4, 18); Lucian., Tim. § 50: εἰς Ὀλυμπίαν θεωρεῖν. Chrysostomus (Hom. 10 in illud „Messis quidem multa“ § 3: MG LXIII 520) apostolos facit dicentes Christo: *ἡμεῖς οὖν οἱ ἕνδεκα τοὺς εἰς τὴν οἰκουμένην ἅπαντας πῶς διορθώσομεν;*

[3] Apud Ersch und Gruber l. c. 361.

δ) Testes, quos hucusque nominavimus, excipiat S. Irenaeus, Polycarpi discipulus. Romae diutius ille commoratus est (ca a. 176) ideoque certe plures senes noscere poterat, qui Clementem, apostolorum discipulum, oculis viderant; praeterea traditionem ecclesiasticam maximi fecit, et in continuam episcoporum in ecclesiis apostolicis successionem diligenter inquisivit eorumque diptychis et catalogis usus est[1]. Hic igitur testis fide sane et scientia et probitate dignissimus, locutus de tempore, quo conscripta fuerint quatuor evangelia, haec inter alia scribit[2]: „Matthaeus inter Hebraeos propria ipsorum lingua edidit opus evangelii, *Petro et Paulo Romae evangelizantibus* et constituentibus ecclesiam." Ergo Petrum et Paulum Romae fuisse certum est ex Irenaeo et ex persuasione ipsorum Romanorum, quorum utique hac de re traditionem Irenaeus expressit.

Neque huius testimonii vis infirmatur vel eo, quod per occasionem tantum id datum est, vel eo, quod Paulus non possit dici primario ecclesiam Romanam fundasse, cum ea antea iam exstiterit. Si enim non primario, secundario saltem sensu Paulus ecclesiae Romanae fundator dici potuit, quemadmodum a Dionysio etiam Petrus ecclesiae Corinthiorum fundator dictus est. Hinc manifeste nullatenus incerta fiunt, quae Irenaeus de Petro hoc loco refert, quamquam Petrus in epistula ad Romanos ut Romanae ecclesiae fundator non memoratur; eoque minus incerta sunt, quod sat multis veterum testimoniis constet, S. Petrum omnium *primum* Christi religionem Romae *palam* praedicasse[3].

Nec maiore iure dicit Rettberg[4], Irenaeum, uti etiam Tertullianum aliosque posteriores scriptores, hac in re vix ullius auctoritatis per se esse, utpote qui haud facile a sententia discedere potuerint, quae ad primariae in occidente ecclesiae gloriam iamiam invaluerat. Quis enim dixerit, illos profecto non ignobiles scriptores aut tam ignaros fuisse, ut non propria inquisitione cognoverint, quid hac in re verum esset, aut tam mendaces et nescio qua ecclesiae Romanae reverentia captos, ut etsi id, quod affirmabant, falsum esse scirent, tamen ad illius ecclesiae gloriam falsum ut verum venditare voluerint? Neque etiam Tertullianus is fuit, qui Romanae ecclesiae contradicere ausus non esset, si Petri in urbe Roma commorationem aut

[1] Ipse R. A. Lipsius (Jahrbücher für protest. Theol. 1876, 596) de Irenaeo scribit: „Die Quelle, aus welcher er schöpfte, war die offizielle Tradition dieser [der römischen] Kirche, wie solche zur Zeit des damaligen Bischofs Eleutheros (174 oder 175—189) sich festgestellt hatte; insbesondere fand Irenäus einen Katalog der römischen Bischöfe vor, welcher bis auf den unmittelbar von Petrus und Paulus eingesetzten Bischof Linus zurückreichte. Vor ihm hat schon Hegesippos, als er unter Anicet (154 oder 155—166 oder 167) nach Rom kam, eine Bischofsliste vorgefunden, die er bis auf Anicets zweiten Nachfolger Eleutheros ergänzte (Eus., H. E. 4, 11, 22). Es bleibt möglich, daß dies dieselbe Liste ist, die auch Irenäus benutzte. In diesem Falle hätte die römische Kirche schon um 160 ihren Ursprung auf die gemeinsame Wirksamkeit beider Apostel zurückgeführt." Quasi ipsa id prius nondum fecisset, et ab initio quidem suae exsistentiae!

[2] Adv. haer. l. 3, c. 1, n. 1 (MG VII 344): *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν.*

[3] Cf. Foggin., De Rom. D. Petri itinere 87 sqq. [4] L. c.

omnino fictam aut dubiam putasset. Et nonne multi episcopi tum orientis tum Africae ecclesiae Romanae doctrinae, quantumvis rectae, v. g. de haereticorum baptismate ac partim de tempore Paschatis celebrandi, illo ipso tempore diutius contradixere? Num igitur, si Petrum Romae non fuisse scivissent, nihilominus eius Romanam praedicationem constanter affirmassent solius Romanae ecclesiae gratia?

Nec plus valet, quod Mayerhoffius dixit, Irenaeum sententiam illam suam e solo Papia hausisse, qui Babylonis nomen in epistula Petrina falso de Roma interpretatus Petrum Romae fuisse coniecerit [1]. Irenaeus enim ipse Romae versatus est nec opus habuit, ut scriptis libris de Petro Romae commorante instrueretur. Sed etiamsi ex Papia hausisse Irenaeum monstrari posset, tamen eius testimonium vi sua non destitueretur. Si enim Papias Babylonem 1 Petr 5, 13 Romam esse explicavit, recte hac in re egit (vide supra p. 533). Praeterea „nisi Papias aliunde scivisset, Petrum Romam venisse, profecto numquam illam de Roma sub mystico Babylonis nomine latente opinionem sibi fingere potuisset“ [2]. Ceterum quid Papias de Babylonis 1 Petr 5, 13 significatione senserit, cum probabilitate tantum ex iis, quae Eusebius H. E. 2, 15 narrat, eruere possumus.

Scil. Eusebius l. c. veterem traditionem esse narrat: 1. auditores Petri Marcum eius comitem rogasse, ut quae Petrus praedicasset, scripto consignaret, iisque Marcum morem gessisse; 2. Petrum Marci librum (evangelium) ex divina inspiratione approbasse; 3. hunc Marcum a Petro commemorari in epistula priore, quam *Romae* scripserit, ipsumque Petrum hoc significare, dum Romam nomine Babylonis nominet. Iam Eusebius inter sententiam 2 et 3 parenthesis in modum interserit, hanc historiam narrare Clementem Alexandrinum, et cum Clemente Papiam quoque eam testari. Iam si hac parenthesi Eusebius testes nominat, quorum auctoritati *omnia*, quae sub n. 1 2 3 narret, innitantur, patet Papiam testem tropicae significationis vocis Babylonis invocari, Clemens enim de ea nil habet. Iam Eusebium ita intelligendum esse probabile est. Nec obici debet, quid Papias de Marco narraverit, legi apud Eusebium (H. E. 3, 39, 15), ubi ipsius Papiae verba inveniantur exscripta; nihil autem ibi narrari de Babylone. Nam non omnia, quae apud Papiam de Marci evangelio legebantur, Eusebius H. E. 3, 39 exscripsit. Certe enim, Petrum Marci evangelium approbasse, Eusebius hoc loco non tradit, Papiam autem hoc testatum esse, ex H. E. 2, 15 concludi debet. Quo loco Papiae auctoritatem solummodo pro eo afferri, quod supra sub n. 1 posuimus [3], prorsus arbitrarie dicitur. Praeterea Papias apud Eus. 3, 39 clare dicit, se alio etiam loco, quem tamen Eusebius ad verbum non exscripsit, de Marco Petri comite egisse.

Opponunt denique contra hoc Irenaei testimonium, complura falsa et incredibilia eo proponi; ergo fortasse errasse Irenaeum etiam in eo, quod Petrum Romae praedicantem facit, unde fidem ei id affirmanti habendam non esse. Affirmare scil. dicunt Irenaeum, eo tempore Petrum et Paulum Romae fuisse, quo evangelium suum scripserit Matthaeus. Petrus vero *simul* cum Paulo certe non praedicavit Romae ante annum 61, quo Paulus Romam advenit; Matthaeus autem evangelium scripsit ex veterum sententia ante annum 41. Praeterea verbis illis, qui immediate apud Irenaeum sequuntur locum, quem ex eo exscripsimus, expresse affirmatur, Marci evangelium post Petri Paulique mortem scriptum esse, qua in re Clemens Alexandrinus Irenaeo prorsus contrarius est, qui ante Petri mortem Marcum scribentem facit. — At primum

[1] Cf. Windischmann, Vindiciae Petrinae 87. [2] Ibid. 72.
[3] Ita Harnack in Zeitschr. für die neutestam. Wissenschaft III (1902) 162.

si revera Irenaeus errasset, errasset ille quoad *tempus,* quo Petrus Romae fuerit. Ex tempore autem facti falso statuto non statim facti ipsius falsitas inferri debet. Nam si v. g. non consentiunt testes in anno, quo Matthaei evangelium scriptum sit, non sequitur, Matthaeum nullum evangelium scripsisse. Utique si unus Irenaeus hoc solo loco Petrum Romae commoratum esse traderet, error chronologicus suspicionem de testimonii illius vi movere posset. Sed neque solus Irenaeus, neque is uno loco factum illud refert. Deinde non desunt probabiles rationes, quibus Irenaeus ab utroque errore supra ipsi impacto defendi possit. Animadvertunt enim alii, licet in Irenaei versione latina legatur, Matthaeum *edidisse* evangelium, in graeco originali tamen legi ἐξήνεγκεν, i. e. *extulit* (evangelium), quae vox, cum immediate antea agatur de apostolis exeuntibus e Palaestinae finibus ad evangelium praedicandum, intelligenda videatur ita, ut Matthaeus evangelium suum in exitu illo apostolorum secum extulisse ad gentes interque eas illud propagasse dicatur eo tempore, quo Petrus et Paulus Romae erant. Contra hanc explicationem si obieceris, sic de propagatione evangelii agi, de cuius scriptione ne verbum quidem dictum sit, reponunt qui ita rem explicant, ante verba γραφὴν ἐξήνεγκεν positam esse particulam καί, quae quid sibi velit intelligi non possit, unde concludendum esse, textum Irenaei, quem habemus, mutilum esse hoc loco, ac excidisse ante illud καί verba fere haec: τὰ ὑπ' αὐτοῦ κηρυσσόμενα ἔγραψε. Quod eo probabilius sit, quia etiam sententia locum, de quo tractamus, praecedens mutila sit[1]. Alio modo ita res explicatur[2], ut Matthaei inter Hebraeos scriptio et Petri Paulique Romana praedicatio non hoc animo inter se comparentur, ut eodem tempore haec locum habuisse dicantur, sed ut loca, quibus apostoli semen verbi divini sparserunt, et modi diversi, quibus id fecerunt, indicentur. Scil. l. 3, c. 1, n. 1 Irenaeus dixerat, apostolos et in universam terram exiisse et evangelium propagasse praedicando et scribendo. Quod ut exemplo demonstret, ostendit, eos apostolicum munus obiisse et in Palaestina et Romae atque tradidisse evangelicam narrationem Petrum quidem Paulumque solo verbo, Matthaeum vero et verbo et scripto libro. Non igitur ex horum sententia genetivus Πέτρου καὶ Παύλου . . . εὐαγγελιζομένων relationem temporis explicat. Aliis praeplacet[3], Pauli nomen Petro ab Irenaeo quasi non advertente ideo tantum additum esse, quia in usum abierat nomina duorum principum apostolorum semper coniungendi. Iam vero si ad solius Petri nomen attenditur, verum est, quod Irenaeus dicit. — Quod autem de Marci evangelii scriptione Irenaeus et Clemens Alexandrinus tradunt, satis probabilem habet conciliationem. Verba enim illa μετὰ τῶν τούτων ἔξοδον significare possunt „exitum" apostolorum ex Palaestina, de quo brevi antea dictum erat. De morte igitur Petri et Pauli hic non fit mentio[4].

Accedit *alterum* eiusdem Irenaei testimonium sane clarissimum nullisque chronologiae difficultatibus obnoxium. Ubi enim Irenaeus docet, traditionem apostolorum in singulis ecclesiis ex continua episcoporum ab iis institutorum successione patere, ante omnia ad traditionem, fidem, successionem „maximae et antiquissimae et omnibus

[1] Cf. Cornely, Introductio in N. T. 76 sqq.
[2] Cf. Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 18.
[3] Cf. Kaulen, Einleitung III[5], Freiburg 1905, n. 467.
[4] Cf. Cornely l. c.

cognitae, *a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae ecclesiae*" provocat[1]. Ac brevi postea addit: „Fundantes igitur et instruentes beati apostoli [Petrus et Paulus] ecclesiam Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt." Quibus verbis Irenaeus evidenter et ex omnium consensu de ecclesia Romae constituta loquitur, eamque a Petro et Paulo fundatam et constitutam clarissime dicit: quod quidem testimonium eo maioris est momenti, quod est in opere polemico atque ita proponitur, ut Petri in Urbe praesentia ut ab omnibus admissa et ubique comperta ponatur.

ε) *Atque ex* Clemente Alex., qui ad finem saeculi II Alexandriae docuit, refert Eusebius[2], Marcum evangelium scripsisse Romae rogantibus Petri discipulis, ut doctrinae illius, quam auditu acceperint, scriptum aliquod monumentum apud ipsos relinqueret. Et alibi Eusebius ex Clemente idem refert[3], affirmans, eum insuper dixisse, Marci evangelium ideo scriptum esse, quod, „cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, . . . multi qui aderant, Marcum cohortati sunt . . ., ut quae ab apostolo praedicata erant, conscriberet"[4]. Clementis Alex. testimonium maximae est auctoritatis, utpote testimonium ecclesiae Alexandrinae ab ipso Marco fundatae[5].

b) *Sequantur iam* allatos saeculi secundi testes quatuor alii ex saeculo tertio non minus graves ac fide digni, quique omnes in prima fere huius saeculi parte hac de re scripserunt. Et

α) *primus quidem* testis Tertullianus sit, socius ecclesiae Africanae, quae cum Romana quam intime coniuncta erat et propter frequens inter Africam et Romam commercium res Romanas optime cognitas habuit, id quod ipsius Tertulliani libri clare demonstrant. Qui versus finem saeculi II diutius Romae versatus est et traditioni primitivae ecclesiarum apostolicarum quam maxime insistit. Tertullianus

---

[1] Adv. haer. l. 3, c. 3, n. 2. Vide totum locum brevi postea.

[2] H. E. l. 2, c. 15.

[3] Ibid. l. 6, c. 14. Cf. locum ex Hypotyposibus, quem p. 536 dedimus.

[4] Vel ipse Baur (Paulus, Stuttgart 1845, 217) scripsit: „Indes scheint der römische Ursprung des Markus-Evangeliums eine alte Tradition gewesen zu sein.... Nur als Begleiter des Petrus kam ja Markus nach Rom."

[5] Atque ex hactenus allatis secundi saeculi testimoniis etiam liquet, quid iudicandum sit de his, quae Lipsius (Chronologie der röm. Bischöfe 166) scribit: „Die Sage von dem römischen Aufenthalt des Petrus wird . . . etwa um den Anfang des 2. Jahrhunderts . . . entstanden sein." Utique ex initio saec. II, i. e. circa 30 annos post Neronis persecutionem, prima de ipsius praesentia in urbe Roma testimonia *scripta* ad nos pervenerunt, sed horum testimoniorum auctores istam praesentiam testantur non ut incerto ac dubio rumore vel vana fama cognitam, sed simpliciter tamquam factum certum ac notum. Insuper ipse Lipsius (l. c. 167) concedit, haud diu postea, probabiliter iam medio saeculo II sub Aniceto, sub quo Hegesippus Romam venit, compositos esse catalogos Romanorum Pontificum, in quibus Petrus quidem ut primus, ideoque omnes reliqui tamquam Petri *primatis* successores positi fuerint. Sed quomodo hoc fieri potuisset, si illi scriptores Petri Romae praesentiam non certo, sed vana tantum fama vagoque rumore cognitam habuissent, ipse utique explicare prudenter omisit.

igitur variis in locis Petri in urbe Roma commorationem ut certam omnino testatur. Scribit enim[1]: „Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane et quos Petrus in Tiberi tinxit", i. e. Romae. „Quae quidem comparatio, sedulo notanda videtur inter baptismum a Ioanne in Iordane et baptismum a Petro in Tiberi collatum; cum enim aliquid compertissimum omnibus comparatur cum alio ratione aequalitatis, hoc quoque aeque compertissimum supponitur. Quid porro notius, Ioannem baptismo homines in Iordane abluisse? At ex eo sequitur, Tertullianum aeque notum supposuisse, Petrum Romae baptismo fideles lustrasse." [2]

Deinde Tertullianus dicit[3], „Pontificem Romanorum Clementem a Petro ordinatum" fuisse, utique Romae. Denique accedit aliud eius testimonium magis etiam perspicuum. Etenim haeresis profanae novitati opponens antiquitatem apostolicae doctrinae, quae una cum legitima successione in ecclesiis ab apostolis constitutis servetur, haec de Romana ecclesia eloquitur[4]: „Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt; *ubi Petrus passioni dominicae adaequatur,* ubi Paulus Ioannis [Baptistae] exitu coronatur."

Dicunt quidem, Tertullianum hic continuo addere, apostolum Ioannem Romae „in oleum igneum" demersum et inde nihil passum esse; hoc autem narranti Tertulliano fidem habendam non esse, ergo etiam de Petro referenti credi non debere. At etiamsi quod de Ioanne refert Tertullianus, verum non esset, tamen ad id, quod de Petro dicit, concludi recte non posset. Inter scriptores enim primae antiquitatis solus Tertullianus de Ioanne illa refert, de Petri autem commoratione Romana Tertullianus non solus, sed cum multis aliis testatur. Ex hoc autem, quod scriptor aliquis errorem quendam solus referat, nullatenus sequitur, eum tunc fide dignum non esse, cum factum narret iam ante eum a quam plurimis aliis, nemine aequalium contradicente relatum; alioquin nulli fere historiarum scriptori credendum iam esset, cum vix ullus, quantumvis veritatis sit studiosus, hinc inde non aliquid falsi referat, si multa quidem scribat. Fac igitur illud, quod de Ioanne apostolo dicit, fidei historiae non inniti et a solo Tertulliano referri, minime tamen sequetur, Tertulliani de Petro Romae mortuo testimonium non esse verum ac certum. Sed quomodo adversarii probant, S. Ioanni ferventis olei supplicium subeundum non fuisse? Nulla prorsus ratione, cum ipsi affirment id quidem, demonstrare autem ne tentent quidem. Cuinam iam magis credendum est? Num hominibus saeculi XIX, an vero Tertulliano viro docto et gravi, versus finem saeculi II diutius Romae versato? Praeterea similia supplicia apud Romanos in usu fuisse negari non potest[5]. Ac sane de ea re doctissimus

[1] De bapt. c. 4 (ML I 1203). [2] Sanguineti, De Sede Rom. b. Petri 67.
[3] De praescr. c. 32 (ML II 45). [4] Ibid. c. 36 (ib. 49).
[5] Seneca (Ep. 86) dicit, olim aediles ipsos in balneis publicis exegisse „utilem et salutarem temperaturam, non hanc quae nuper inventa est similis incendio, adeo quidem ut convictum in aliquo scelere servum vivum lavari oporteat".

Hieronymus nihil dubitans scribit[1]: „Refert autem Tertullianus, quod [Ioannes] Romae missus in ferventis olei dolium purior et vegetior exiverit quam intraverit.“ Dicit quidem S. Augustinus[2] de Ioanne apostolo: „Qui passus non est“, sed intelligit procul dubio *mortem* martyrii, ut satis patet ex hoc, quod alibi[3] scribit: „Crucifixus est Christus, crucifixus est et Petrus. Expertus est clavos, expertus est cruciatus. Ioannes autem nihil *eorum* expertus est.“ — Nec etiam fingere licet, Tertullianum ista de S. Petro nimio ac temerario studio in ecclesiae Romanae gratiam scripsisse. Ut enim non dicam, eiusmodi fictionem per se iam apparere vanam, Tertullianus, ut postea monstrabimus, etiam *S. Petri* in urbe Roma mortem affirmavit, et in operibus quidem polemicis adversus Marcionem et in Scorpiace, et postquam quidem animo iam *montanista* evaserat ideoque Romanae ecclesiae infensus erat. Insuper Scorp. 15 fontes, e quibus hauserit, indigitat: scil. instrumenta imperii (vide infra).

β) *Alter testis* est vetustissimus auctor[4] operis, quod *Philosophumena* inscribitur. Qui de Simone Mago narrat[5]: „Verum vel usque ad Romam progressus incidit in apostolos, cui multum Petrus adversatus est, praestigiis seducenti multos.“ Petrus igitur ex huius scriptoris sententia Romae fuit. Nec ipsius testimonii ad Petri in urbe Roma commorationem demonstrandam vis inde infirmatur, quod etiam Simonem Magum, cuius exsistentia ex Act 8, 9—13 certa omnino est, Romae fuisse et a Petro oppugnatum refert.

Tantum enim abest, ut id per se incredibile videatur et Simonem Romae non fuisse probari ulla ratione possit, ut valde verisimile in antecessum iam sit, illum magiae atque errorum magistrum etiam Urbem, omnium superstitionum et sectarum tunc temporis sedem, ad superstitionem suam ibi quoque spargendam tetendisse et apostolis, qui ipsum prius Samariae represserant, Romae occurrere voluisse. Ceterum ratio, qua laudatus scriptor Simonis in Urbe commorationem refert, ea est, ut, etsi Simonem Romae fuisse ut certum

---

[1] Adv. Iovinian. l. 1, n. 26 (ML XXIII 247).

[2] De bono coniug. c. 21, n. 26 (ML XL 391).

[3] Serm. 253 c. 4, n. 5 (ML XXXVIII 1181).

[4] Huius loci non est ingredi in controversiam acriter quondam agitatam, cui liber iste auctori ascribendus sit. Sufficiat annotasse, a plerisque hodie illum tribui S. Hippolyto, qui, si liber ipsi revera ascribendus est, fuit aliquo tempore adversarius acerrimus S. Callisti Romani Pontificis et antipapa, postea autem teste Damaso et Prudentio ad catholicam unitatem rediit et sanguine pro fide effuso maculam schismatis eluit. Cf. de hac controversia Döllinger, Hippolytus und Kallistus, Regensburg 1853; De Smedt, Dissert. selectae in primam aetatem hist. eccl., Gandavi 1876, diss. 3, p. 142 sqq; Funk, Abhandlungen und Untersuchungen II, Paderborn 1899, 161 sqq; A. d'Alès, La théologie de S. Hippolyte, Paris 1906, xxiv sqq. Atque hi quidem omnes Hippolytum auctorem libri volunt. Aliter sentiunt: B. Jungmann, Dissert. selectae in hist. eccl. I, Ratisb. 1880, diss. 3, p. 232 sqq; Grisar in Zeitschr. für kath. Theol. II, Innsbr. 1878, 504 sqq 519 sqq. Certissimum autem est, librum Philosophumenon antiquissimum esse atque prioribus deceniis saeculi III compositum.

[5] L. 6, n. 20 (MG XVI 3226): *Ἕως καὶ τῆς Ῥώμης ἐπιδημήσας ἀντέπεσε τοῖς ἀποστόλοις· πρὸς ὃν πολλὰ Πέτρος ἀντικατέστη μαγείαις πλανῶντα πολλούς.*

non admittatur[1], ideo minime incertum fiat, utrum Petrus in eam urbem advenerit[2]. Ipse enim rem non ita narrat, ut, quemadmodum posteriores nonnulli tradiderunt, Petrus ad impugnandum Simonem Romam profectus sit, sed contra dicit, Simonem tunc tantum, cum Petrus iam Romae esset, eo quoque venisse; Petri igitur iter Romanum ita narrat, ut ratio, cur eo proficisceretur, nullatenus in eo sit, quod Simon ibi commoretur et ab apostolo inde exturbandus sit, sed instar aliorum huius rei testium, quos hactenus attulimus, simpliciter affirmat, Petrum Romae fuisse.

Ac generatim antiquos Ecclesiae romano-catholicae scriptores ac Patres suam de Petri in urbe Roma commoratione ac morte sententiam *solum* ex libris apocryphis hausisse nec Lipsius nec alius quisquam adhuc probavit vel probare potest: quod ex hactenus dictis manifestum est, quodque ipse Hilgenfeld agnoscit et testatur[3]. Ex eo enim, quod quidam Patres etiam quaedam ut vera referunt, quae in illis apocryphis libris narrantur, v. g. Petrum voluisse capite inverso cruci affigi, Christum ipsi fugienti occurrisse et ad reditum ac martyrium hortatum esse, Simonem Magum Romam venisse etc., nihil contra nos sequitur, cum et in apocryphis libris multa vera esse possint et insuper Patres illi ea ex aliis fontibus quam ex istis libris haurire potuerint. Si enim Petrus, apostolorum princeps, Romae fuit ac mortuus est, christianorum certe Romae degentium quam maxime intererat, quaecumque ad ipsum pertinebant, non solum scire, sed etiam posteris tradere ideoque literis consignare atque conservare. Quare ob hanc solam rationem, quod quaedam et in Patrum libris simul et in narratiunculis apocryphis inveniantur, non licet concludere, ex libris apocryphis Patres ea hausisse, ac propterea contemnenda ea esse.

γ) *Tertius testis* initio saeculi III est Caius, presbyter Romanus[4]. De hoc enim Eusebius de Petro et Paulo locutus haec refert[5]: „Sed et Caius quidam, vir catholicus (*ἐκκλησιαστικὸς ἀνήρ*), qui Zephyrini Romanae urbis episcopi temporibus [i. e. initio saec. III] floruit, in eo libro, quem scripsit adversus Proclum, patronum sectae cataphrygarum, de loco, in quo praedictorum apostolorum sacra corpora deposita sunt (*περὶ τῶν τόπων, ἔνθα τῶν εἰρημένων ἀποστόλων τὰ ἱερὰ σκηνώματα κατατέθειται*), ita loquitur: ego vero, inquit, apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui ecclesiam illam [Romanam] fundaverunt (*ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι. Ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βασικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν*)." Ex quo Caii testimonio liquet, *Petrum Romae fuisse.* Imprimis enim Caius non solum Paulum, sed etiam *Petrum* ecclesiam Romanam *fundasse* dicit, id quod verum esse non potest, nisi Petrus Romae evangelium praedicaverit,

[1] Cf. J. Schmid, Petrus in Rom 92 sqq. Dubitat de Romano Simonis Magi itinere Grisar, Gesch. Roms und der Päpste I, n. 161, p. 179.

[2] Cf. Hagemann, Die röm. Kirche 670.

[3] Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1872, 357 sq.

[4] De eius testimonio cf. Zisterer in Tüb. Theol. Quartalschr. 1892, 121—132.

[5] H. E. l. 2, c. 25, n. 7.

cum sane Paulus Romae ecclesiae fundator neutiquam diceretur, si numquam in ea urbe ut evangelii praeco commoratus esset, tametsi, id quod Petrus non fecit, longam epistulam ad christianos Romae degentes ante suum adventum iam scripserat. Haud igitur Caius istud scribere potuit, quin voluerit dicere, Petrum Romae Christi doctrinam praedicasse; et nisi haec Petri Romae praesentia certa omnino ipsi fuisset, profecto id nec contra haereticum Proclum, nec coram Romanis tamquam notissimum affirmare ausus esset, utpote qui alioquin facillime atque manifesto erroris vel mendacii convinci potuisset. Sed idem etiam ex nomine *τρόπαια* sequitur, quod de veris apostolorum sepulcris monumento ornatis intelligendum est.

Negat id quidem praeter alios quosdam protestantes praecipue R. A. Lipsius[1], ex cuius sententia vox *τρόπαια* de alio monumento intelligendum est, quo Romanae ecclesiae pietas locum illorum morti traditione assignatum ornaverit; vel, ut derelicta hac explicatione postea dixit[2], de extremi supplicii istorum apostolorum loco; vel etiam de duabus arboribus, scil. terebintho, prope quam Petrus, et pino, in cuius vicinia Paulus martyrio coronatus in apocryphis actis Petri et Pauli referatur. At istam quamcumque explicationem falsam esse monstrat Eusebii hac de re sententia. Ipse enim istud nomen de apostolorum sepulcro interpretatus est. Quod patet tum ex relatis iam eius verbis, quibus scribit, Petri et Pauli *ἱερὰ σκηνώματα* eo loco deposita esse; nomine enim *σκηνωμάτων*, tabernaculorum, manifesto secundum 2 Petr 1, 14 beatorum apostolorum corpora designat; tum ex his, quae eius verba iam allata proxime praecedunt: „Quam quidem narrationem [de apostolorum Romae martyrio] abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae *coemeteriis* etiamnum visuntur.“ Ita quidem Valesius reddidit haec graeca: *καὶ πιστοῦταί γε τὴν ἱστορίαν ἡ Πέτρου καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις.* In coemeteriis enim non aliis quam ibi sepultis monumenta a christianis collocari solent. Eusebius igitur adhibitum a Caio vocabulum *τρόπαια* de Petri et Pauli sepulcris interpretatus est. Hanc autem interpretationem veram esse suadet sane quam plurimum ipsa Eusebii ut historici auctoritas, necnon etiam haec ratio, quod, si Petrus Romae non fuisset, Romani non magis atque alii tunc temporis christiani Petri memoriam monumento consecrassent. — Vocabulum autem *τρόπαιον* significare hic locum, quo ex famae incerto relatu Petrus extremo supplicio affectus *dicatur*, absurde prorsus Lipsius affirmat, cum profecto istud nomen ad extremi supplicii locum ut talem simpliciter significandum nullibi umquam adhibitum legatur, et recte quidem, quia vi sua omnino aliud quam istiusmodi locum designat. Nec minus ridicula est altera eiusdem adversarii explicatio vocis *τρόπαιον* de terebintho, quasi vero arbor, quae iam dudum in loco, quo Petrus cruci affixus fuisse refertur, steterat, ideoque nullam plane relationem ad eius martyrium habebat, potuisset Petri *τρόπαιον* dici, etiamsi ipsa christianis signo fuisset, ubi apostoli martyrium locum habuisset. Profecto „ostendere“ se aliquid posse Proclo Caius promiserat, quod *demonstraret*, apostolos Romae passos esse pro Christo. Atqui nudus locus supplicii aut vetusta arbor si ostenditur adversario, nihil contra eum demonstratur, publico autem monumento inscriptione insignito locus ille persecutionum tempore profecto non distinguebatur. Quid igitur relinquitur, nisi ut sepulcra apostolorum omnium christianorum reverentia circumdata Caius ostendere voluerit?

---

[1] Chronol. der röm. Bischöfe 51; Die Quellen der röm. Petrussage 95; Die apokr. Apostelgesch. II 1, 391 sqq.

[2] Die Quellen der röm. Petrussage 95 106.

Robur praeterea novum nostrae interpretationi accrescit, si quid Caius ostensis apostolorum sepulcris contra Proclum efficere voluerit consideremus. Montanistarum enim erroris defensor Proclus in Caii libro inducitur, qui dum montanistarum doctrinam defendit, ad illud provocat, quod Hierapoli in Phrygia, prima illius haeresis patria, Philippi apostoli eiusque filiarum prophetissarum sepulcra exstarent. Quod Proclus fecisse videtur aut hoc animo, ut sectae suae apostolicam auctoritatem conciliaret, aut ut novam prophetiam montanisticam apostolicorum temporum exemplo defenderet. Notum enim est, montanistarum fundatores et doctores prophetas et prophetidas fuisse atque ex prophetia argumentatos esse pro sua secta. Ex quo intelligitur, apte omnino Proclo prophetissarum sepulcra iactanti Caium reposuisse: „Ego vero *apostolorum* [scil. duorum praecipuorum] tropaea ostendere possum." Si porro ipse istis tropaeis noluisset significare sepulcra monumentis ornata adeoque dicere, illos duos summos apostolos Romae mortuos et sepultos esse, adversarium sane non refutasset, sed prorsus inepte respondisset. Et si Proclus illa *τρόπαια*, ut Lipsius vult, de lapidibus vel locis vel arboribus Petri Romae praesentiam *tantum opinatam* testantibus aliqua saltem veritatis specie interpretari potuisset, Caius sane contra se suamque demonstrationem adversario tela dedisset. Tempore igitur Zephyrini christianis Romanis persuasum fuit, Petrum Romae prope Vaticanum, Paulum ad viam Ostiensem sepultum fuisse.

Obiciunt, Petri corpus ex aliorum veterum scriptorum sententia primum positum fuisse in loco, qui dicitur „ad catacumbas", in via Appia, tertio ab Urbe milliario, ubi postea aedificata est basilica S. Sebastiani. Qua re dubium reddi, quod referat Caius de Petro in Vaticano sepulto. Certe enim de Damaso Romano Pontifice legi in Libro Pontificali[1]: „Et in catacumbas [dedicavit platomam], ubi iacuerunt corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli; in quo loco platomam ipsam, ubi iacuerunt corpora sancta, versibus exornavit." Versus isti Damasi adhuc supersunt, quorum initium hoc est[2]: „*Hic* habitasse prius sanctos cognoscere debes, Nomina quisque Petri pariter Paulique requiris. Discipulos oriens misit, quod sponte fatemur ... Roma suos potius meruit defendere cives." In laterculo deinde, qui inscribitur „Depositio martyrum", qui continet festos dies Romae inter annos 336 ad 354 sollemniter agi consuetos, et in Calendario Philocaliano haec legimus[3]: „III Kal. Iul.: Petri in Catacumbas et Pauli Ostense, Tusco et Basso consulibus." — At licet ex his aliisque testimoniis certum sit, apostolorum corpora per aliquod tempus in „platonia" (vel platoma, ut mavult legere Duchesne) posita fuisse, nihil tamen inde contra Caii auctoritatem concludi potest. In „platoma" enim non ab initio sacra corpora posita erant, sed eo per aliquod tempus erant *translata*. Quae translatio *cur* et *quando* facta sit nescimus. Narrat Gregorius M.[4], cum quo consentiunt

[1] L. Duchesne, Le Liber Pontificalis I, Paris 1886, 212.

[2] Ibid. CIV.

[3] Ed. Mommsen in Mon. Germ. hist.: Auct. antiq. IX 71. Textus probabiliter est mutilus, nam a. 354 certe *etiam* in Vaticano festum S. Petri agebatur, et in Martyrologio Hieronymiano ad diem 29 Iunii legitur: „III Kal. Iul. Romae via Aurelia natale SS. apostolorum Petri et Pauli: Petri in Vaticano; Pauli vero in via Ostensi, utrumque in catacumbas; passi sub Nerone, Basso et Tusco consulibus" (Acta SS. Nov. II 1, [84]).

[4] Ep. l. 4, ep. 30 (ML LXXVII 703). Tischendorf, Acta apost. apocr, Lipsiae 1851, 38).

Damasus in versibus recitatis et narrationes variae apocryphae, orientales quosdam furto apostolorum exuvias rapere voluisse, sed a Romanis comprehensos fuisse in loco, qui dicitur ad catacumbas, quo dein e furum manibus erepta apostolorum corpora deposita fuissent. Qua narratione reiecta Duchesne, quia in depositione martyrum l. c. temporis definitio „Tusco et Basso consulibus" respondet a. Chr. 258, illo anno apostolorum corpora translata fuisse putat[1], ne in persecutione Valeriana tunc saeviente, in qua in coemeteria christianis ingredi lege imperatoris vetitum erat, corpora sacra indigne ab ethnicis tractarentur. Contra Peters[2], quia Lampridius Elagabalum imperatorem narrat „elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, *diruta sepulcris*, quae obsistebant", S. Petri corpus hoc Elagabali tempore metu profanationis remotum esse existimavit. Alii in re tam incerta nihil statuere malunt[3].

Certum igitur est, *τρόπαια* allato Caii loco sepulcra significare ideoque clare indicare, Petrum iam sub Nerone, et non tantum, ut Lipsius vult, post medium saeculum IV in Vaticano sepultum fuisse, ipsum non solum Romam venisse, sed eam etiam morte sua condecorasse. Quod inde insuper confirmatur, quod explicari non posset origo nec publicae opinionis de Petri et Pauli morte in urbe Roma ea aetate vigentis nec monumentorum, quibus illorum sepulcra ornata erant, si illorum apostolorum mors Romae revera non contigisset. Non multum enim ultra saeculum Caius a tempore mortis Petri et Pauli distabat, multique certe tum clerici tum fideles tunc temporis vivebant, qui ab illorum apostolorum discipulis religionem christianam edocti erant. Et cum in ecclesia Romana floruerit S. Iustini schola multique nobiles Romani christiani essent, et undique etiam christiani, et maxime quidem eruditi, Romam confluerent, summique momenti pro fidelibus esset, quidquid ad apostolos horumque omnium principem Petrum attinebat: ecclesia tunc temporis Romana profecto non inscitiae tenebris obvoluta et rerum christianarum ignara dici potest. Quomodo igitur nihilominus falsa traditio oriri et constans permanere ac publicis monumentis consecrari potuit?[4]

Neque ullo modo huius testimonii auctoritati obest, quod Caius dicit, Petrum et Paulum diversis in locis sepultos esse, hunc extra urbem ad viam Ostiensem, illum vero intra urbem in Vaticano. Petrum enim ethnici Romani ut iudaeum plebi addicebant, cum Paulo autem ut civi Romano honestiore ratione agebant, ideoque is non in circo ad vulgi delectationem, sed extra urbem in consueto extremi supplicii loco gladio percussus est. Et quia Paulus civis Romanus erat, verisimile quoque est, mortui corpus in vicinia prope alia sepulcra sepultum esse. Minime

---

[1] L. c. CVI. [2] Theol. Literaturblatt, Bonn 1871, 390 sqq.

[3] Non est nostrum in ea ingredi, quae de loco, ubi ad S. Sebastiani corpora apostolorum posita fuerint, diligenter ultimis his annis disputata sunt. In eo loco, qui *hodie* dicitur „Platoma", apostolorum sepulcra non exstitisse, post Ant. de Waal diligentem fossorum ope perfectam loci disquisitionem certum videtur. Quod si est, ubi hodie ecclesia S. Sebastiani est, illa fuisse necesse est (cf. A. de Waal, Die Apostelgruft ad catacumbas an der Via Appia: Ergänzungsheft zur Röm. Quartalschrift, Rom 1894; H. Grisar in La Civiltà catt. Ser. XVI, vol. II, Roma 1895, 460 sqq; Idem in Röm. Quartalschr. für christl. Altertumskunde und für Kirchengesch. IX, Rom 1895, 409—463).

[4] Cf. Olshausen in Studien und Kritiken 1838, 941.

pariter repugnat, quominus Petrus in Vaticano sepultus eiusque tumulus monumento ornatus fuerit a suis discipulis sive christianis Romanis; et probabiliter ipse gentilicii tumuli sepultura honoratus fuit.

δ) *Quartus testis* est Origenes de Petro scribens[1]: „Qui ad extremum *Romam veniens* (ἐν Ῥώμῃ γενόμενος) cruci suffixus est capite deorsum demisso; sic enim ut in cruce collocaretur oraverat." Quod tanti viri testimonium sane fide dignum est, etsi forte *modus,* quo Petrus propter suas preces cruci affixus refertur, non omnino certus ac verus esset, quamquam is per se nullatenus improbabilis est.

c) Atque ut his luculentis testibus unum alterumve etiam ex *saeculo quarto* addamus, α) *Petrus episcopus Alexandrinus* anno 306 occasione synodi Alexandriae ab ipso celebratae in epistula canonica de poenitentia canone 9, fortasse in ipso concilio sancito vel post concilium ad eius mentem a Petro ceu primate ad Aegypti ecclesias misso, scripsit[2]: „Ita *Petrus apostolorum primus* saepe comprehensus, et custodiae traditus ignominiaque affectus *postremo Romae crucifixus est* (ὕστερον ἐν Ῥώμῃ ἐσταυρώθη)." Quod testimonium probabiliter synodicum a secundae in tota Ecclesia sedis episcopo latum etiam propter orationem contextam ac ipsam loquendi rationem gravissimum est. Cum enim l. c. de eo agatur, ut christiani a nimio illo martyrii desiderio deterreantur, quo aliqui ultro persecutoribus se tradebant, exempla compertissima proponuntur eorum, qui inter apostolos primosque Christi discipulos praeclarissimi habiti summa quidem voluptate martyrium obierant, nec tamen ultro tortoribus mortem quaerentes sese tradiderunt. Proferuntur igitur primum Stephani protomartyris et Iacobi Zebedaei, deinde Petri et Pauli exempla.

Unusquisque vero „facile perspicit, tantorum virorum exempla ad auctoritatem praecepto lato conciliandam assumi, tum quod maxima, tum quod omnibus notissima haberentur. Accedit ratio loquendi, in qua eadem certitudine ac perspicuitate suus cuique martyrii locus ascribitur, Stephano et Iacobo urbs Hierosolymorum, Petro et Paulo urbs Romae. Atqui illud ipsum, quod haec omnia in eodem prorsus censu numerentur, ostendit, ea aeque omnibus fuisse plenissime cognita; cum autem de prioribus binis disertissime Acta apostolorum testentur, sequitur, duos reliquos eadem certitudine ex christiana antiquitate constasse." [3]

β) Ad saec. IV pertinent testimonia Eusebii et Damasi, quae iam vidimus (p. 557 et 558), item martyrologii Hieronymiani certe vetustissimi (p. 558). Permulti alii praeterea ex saec. IV testes exstant. Sic v. g. Chrysostomus de Roma dicit[4]: „Petrus ibi praedicavit (ἐκήρυξεν ἐκεῖ)"; et alibi[5] Romam miris laudibus effert, eo quod Petrum et Paulum habeat in se conditos. Nilus etiam monachus interpretatus Io 21, 22

[1] Comment. in Gen. tom. 3 (MG XII 91). [2] MG XVIII 484.
[3] Sanguineti, De Sede Rom. b. Petri 70.
[4] Hom. 2 in ep. ad Rom. n. 1 (MG LX 402).
[5] Hom. 32 in ep. ad Rom. n. 2 (ib. 678).

Christum dicentem facit[1]: „Tu vero, o Petre, sequere me eodem mortis genere in regina urbium Roma cohonestandus. Quemadmodum ego cruci affixus sum, ita et tu omnino patibulo suffigendus es." Sed cum saecula posteriora saeculo IV quid in hac re senserint dubium non sit, plura hic afferre ex scriptoribus graecis et latinis opus non est.

d) Sed iuvat ex *traditione ecclesiarum orientis* quaedam hic addere, ut Roma Petri sedes demonstretur eorum etiam testimonio. Atque ut

α) ab *ecclesia Syriaca* incipiamus, eius praecipuum lumen, S. Ephraem, sic ait[2]: „Ingens erat vox praeconum [i. e. apostolorum] et sonitu tubarum fortior, quando coram regibus proclamabant, regem regum ipsis datum esse. Divus praeco Simon ex urbe Roma alta voce praedicabat: Dominus meus, Deus meus et magister meus ille est, qui reges subvertit." Sepulcrum Petri in occidente haberi dicit[3]: „In occidente duo astra immerguntur, et duo apostoli sepulti iacent; illic perpetuo refulgent radii, qui numquam immersi fuerunt. Simon quippe solem devicit et apostolus lunam operuit." Cyrillonas vero[4]: „O Domine, ne respexeris eos, qui te ad iracundiam provocant, sed eos qui te placare possint. . . . Ecce in Persia doctrina tua propagata est, et in Assyria evangelium tuum auctum et multiplicatum est. Ecce in India docet Thomas, et Romae praedicat Petrus." In martyrologio Syriaco anni 412 Petrus et Paulus urbi Romae attribuuntur[5].

Narses († 496) nestorianus, fundator scholae Nisibenae, in sermone de evangelistis: „Simeon, inquit[6], praedicavit in regione Romanorum evangelium novum.... Piscator piscium exiit primo ad piscandas gentes, et proiecit rete, et piscatus est metropolim civitatum. Princeps discipulorum venatus est urbem principatus et introduxit illam et detinuit intra propugnacula fidei." Et alibi[7]: „Simon resonare fecit strepitum novum in terra Romae. . . . Princeps discipulorum in sortem habuit matrem urbium et ceu in capite plantavit in illa oculos fidei." Georgius Arbelae et Mossuli metropolita nestorianus, ordinatus a. Chr. 945, cur Petrus et Paulus prae ceteris apostolis speciali commemoratione honorentur in officio ecclesiastico, sic rationem reddit[8]: „Beatus Iesuiabus ea mente, ut adiceret maiorem honorem iis, qui inter apostolos sunt insignes [id fecit]; quemadmodum Roma celebrabat Petrum et Paulum, qui in ipsa dormiunt, voluit eos qui ibi sunt imitari." In libro antiquissimo, qui inscribitur „Doctrina (syriaca) apostolorum", ubi a quonam quaevis regio terrae acceperit manus impositionem sive sacerdotium ostenditur, sic legitur: „Accepit manum sacerdotii apostolorum Antiochia et Syria et Cilicia et Galatia usque ad Pontum a Simone Kepha, qui posuit fundamentum ecclesiae, quae est ibi, et functus fuit sacerdotio et ministerio ibidem usque ad tempus, quo inde ascendit

---

[1] Ep. l. 2, ep. 306 (MG LXXIX 349).

[2] Sermo ad vesperas feriae 2 magnae hebd.: Hymni, ed. Lamy I 342.

[3] Ibid. 712. Cf. Evangelii concordantis expositio, ed. Moesinger 286.

[4] In hymno supplicatorio scripto anno 396 pro festo omnium sanctorum v. 570 610 sqq (Zeitschr. der deutschen Morgenländ. Gesellschaft XXVII, Leipzig 1873, 590. Ausgewählte Gedichte der syr. Kirchenväter Cyrillonas, Baläus, Isaak von Antiochien und Jakob von Sarug, übersetzt von G. Bickell, Kempten 1872, 25).

[5] Acta SS. Nov. II 1, p. [LII]. [6] Khayyath 7. [7] Ibid. 8.

[8] Ibid. 19.

Romam causa Simonis Magi. . . . Accepit manum sacerdotii apostolorum Roma urbs et tota Italia et Hispania et Britannia et Gallia cum ceteris aliis regionibus circumdantibus ab eodem Simone Kepha, qui illuc profectus erat Antiochiae et factus moderator et dux in ecclesia ab ipso ibidem aedificata."[1] „Paulum . . . occidit Nero gladio, qui et Simonem Kepham."[2] Salomon, Bassorae metropolita nestorianus ab a. Chr. 1222, ubi agit de apostolorum vitis, de Petro: „Hic, inquit[3], praedicavit primum Antiochiae, ubi et ecclesiam aedificavit omnibus ecclesiis antiquiorem, . . . in qua unum annum commoratus est. Ibi discipuli dicti sunt christiani. Inde petiit Romam, ubi mansit 27 annos; et Nero affixit eum cruci, capite inverso." Atqui haec de nestorianis. Iacobitarum quaenam in nostra re sententia sit, iam vidimus.

Etiam liturgiae Syrorum non minus clare loquuntur. Teste enim J. David[4] ecclesia antiqua *Chaldaica* in 2. nocturno officii SS. Petri et Pauli haec canit: „Exornemus, fratres, nosmetipsos laudabilibus ac eminentibus actibus in commemoratione apostolorum et doctorum, qui doctrina sua mundum illuminarunt; *Petri electi apostolorum capitis, qui Romae complevit suum ministerium. Syriaca* vero in 1. nocturno eiusdem officii haec dicit: „Per Neronem impium coronati sunt magnates apostolorum, Petrus et Paulus."

β) Ecclesia Armeniaca quoque Romam propriam Petri sedem agnoscit. In homilia enim de praedicatione apostolorum, quae habetur inter homilias Elisaeo solitario ascriptas, sic habetur[5]: „Contenderunt [apostoli] omnes, ut festinarent in suam quisque regionem, Petrus ipse in magnam Romam." Et alibi in eadem homilia: „Sicut Petrus Romae ecclesiam fundavit, ita etiam reliqui apostoli unusquisque in ea regione, quae singulis obvenerat et ubi evangelium Christi propagare iussus erat." Moyses Khorenensis, quem saeculo VIII putant floruisse, dum describit iter, quod ipse perfecisse se dicit, sic loquitur[6]: „Dum navigamus ad Graeciam, ventis adversis pulsi sumus in Italiam. Ibi salutavimus terram, ubi quiescunt sancti Petrus et Paulus, non autem nimium morati sumus in urbe Romanorum." Alia testimonia dabimus, ubi agetur de Petro Romae mortuo.

---

[1] Apud W. Cureton, Ancient Syriac Documents, London 1864, 33 sq. Cf. MG XXIV 677 nota.

[2] Cureton l. c. 35.

[3] Khayyath 24. E. A. Wallis Budge (The book of the bee: Anecdota Oxoniensia. Semitic Series I 2, Oxford 1886, 104) totum locum sic vertit: „Simon the chief of the apostles, was from Bethsaida, of the tribe of Naphtali. He first preached in Antioch, and built there the first of all churches, which was in the house of Cassianus, whose son he restored to life. He remained there one year, and there de disciples were called christians. From thence he went to Rome, where he remained for twenty-seven years; and in the three hundred seventy-sixth year of the greeks, the wicked Nero crucified him head downwards." Ubi licet totum Petri vitam Salomon sibi proposuerit breviter comprehendere, nulla tamen mentio Babylonicae commorationis occurrit.

[4] Ant. ecclesiae syr.-chald. traditio 41.

[5] Vertit germanice hos locos P. Vetter, apud J. Nirschl, Lehrbuch der Patrologie und Patristik III, Mainz 1885, 261.

[6] Historia Armeniae l. 3, c. 62. V. Langlois, Collect. des historiens anciens et modernes de l'Arménie II, Paris 1869, 169: „En navigant du côté de la Grèce, nous avons été poussé par des vents contraires en Italie. Là nous avons salué la terre où reposent les saints Pierre et Paul, sans trop nous arrêter dans la ville des Romains."

e) *Confirmatur,* Petrum Romae fuisse, etiam ex testimonio *monumentorum Romanorum.* Romae enim, et in nulla alia praeter Romam urbe, iam primis saeculis christianis ostendebantur loca, quae propter Petri vel praesentiam vel gesta venerabilia esse testimonio traditionis nixi Romani putabant. Sic ostendebant Romae locum „ad Nymphas S. Petri, ubi baptizabat" iam saeculo VI ineunte; tempore Gregorii Magni ex lampadibus, quae venerationis causa accendebantur coram reliquiis martyrum, abbas Ioannes olea sumpsit et reginae Theodolindae obtulit, inter quae olea memoratur „oleum de sede, ubi prius sedit S. Petrus". Deinde cathedra episcopalis Romae hodie adhuc habetur, ab Alexandro VII pretioso monumento inclusa, qua ipsum Petrum usum esse iam Ennodius putabat. Praeterea ecclesiam, quae dicitur S. Pudentianae, in loco exstructam esse arbitrabantur, ubi senator Pudens S. Petrum hospitio exceperit. Romae praeterea, et in sola Roma, inventa sunt numismata cum imaginibus Petri et Pauli, quibus eorum vultus eodem fere semper constanti modo repraesentantur. Inter quae numismata unum saeculi secundi exeuntis vel tertii ineuntis esse putatur. Denique, ut alia omittamus, praeter sepulcra apostolorum etiam ostenditur locus, quo ossa Petri et Pauli per aliquod tempus translata requievisse dicebatur, et notus erat locus, ubi cruci affixus fuerat [1].

Obiciunt adversarii I: S. Lucam in Actibus apostolorum, S. Paulum in epistulis de Romana Petri commoratione altum silentium observare, immo quaedam etiam eos affirmare, quae cum Petri in Urbe praesentia componi non possint. Ergo Petri iter Romanum admitti non posse [2]. Addunt quidam Flavii Iosephi de Petro silentium.

At primum, ut iam diximus, nostra plane nihil in hac quaestione refert, quandonam Petrus ante suam mortem Romam adierit; etiamsi enim post apostolorum Actus ac plerasque Pauli epistulas scriptas ibi fuerit, sufficit nobis. *Deinde* si Petrus iam antea Romam adierit, non sequitur, eum *omni tempore* Romae remansisse; potuit enim interdum per longius vel brevius tempus in alias regiones proficisci, ita ut Roma afuerit, cum Paulus Romae epistulas scriberet. *Tum* nullo modo demonstrari potest, Pauli vel Lucae silentium cum Petri Romana commoratione pugnare. Ad id enim demonstrandum non sufficit ostendere, Petri ut Romae degentis mentionem in illorum scriptis fieri potuisse, sed monstrandum esset, eam fieri *aut necessariam fuisse,* aut ita decuisse, ut alioquin aliquid *maxime dedecens* sequeretur. Iam vero nec unum nec alterum ab adversariis probari potest, cum illius silentii probabilis ratio multiplex ab aliis atque aliis reddatur. — Speciatim autem

1. Actuum apostolorum a) *silentium* nihil contra nos probat. Scil. putant alii [3], ideo Lucam in Actibus de Petro Romam veniente ibique commorante non esse locutum, ne ubi Petrus esset iudaeis proderet et ita Petrum in periculum adduceret. Valde enim iratos fuisse iudaeos in Petrum constat, et ipsis praeterea Romanis placere non poterat, ecclesiam Romanam conditam esse ab homine, quem Agrippa capitis damnaverat, quique sola fuga mortem vitaverat. Qui ita Lucae silentium explicant, in suae sententiae confirmationem provocare possunt ad Act 12, 17, ubi S. Lucas quae de Petro

[1] Cf. H. Grisar, Gesch. Roms und der Päpste im Mittelalter I, Freiburg 1901, 228; Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 121 sqq.

[2] Ita v. g. Lipsius, Chronologie der röm. Bischöfe 165; Die apokr. Apostelgeschichten II 1, 1—4; Hase l. c. 126 sqq.

[3] V. g. P. Gams, Die Kirchengesch. von Spanien I 39; Das Jahr des Märtyrertodes der Apostel Petrus und Paulus 23.

e carcere liberato narravit, hac sententia concludit: „et egressus ibat in alium locum“, post quam sententiam, quamquam usque ad illum locum 12, 17 de solo fere Petro locutus erat, de ulterioribus eius gestis nihil additur, nisi praesentem fuisse eum in conventu apostolorum. Cur enim Lucas hoc loco utitur verbis adeo aenigmaticis, cur non diserte dicit, quo Petrus profectus sit, nisi quia timere potuit, ne Actuum liber in iudaeorum vel Romanorum manus incideret illique scientia inde hausta in Petri perniciem uterentur? Cui sententiae licet sua probabilitas abiudicari non possit, aliis tamen praeplacet[1], ex Lucae in conscribendis Actibus proposito ac consilio, cur de Petro Romae commorante tacuerit, deducere. Cum enim Actus proxime scripti sunt pro Theophilo, nobili Romano, omitti in narratione ea potuere, quae aliunde certa et nota erant urbis Romae incolis. Notissima autem illis erant, quando et quomodo Petrus Romae venerit quaeque post adventum egerit. Simili modo quae Paulo Romae acciderint, quidque ibi effecerit, Lucas non refert, sed postquam Romam eum advenisse ibique biennio praedicasse narravit, nihil addit, sed subito finem imponit libro suo.

Diligenter praeterea animadvertendum est, non id sibi proposuisse S. Lucam in Actibus apostolorum conscribendis, ut omnia narraret, quae ad primordia Ecclesiae nascentis et paulatim progredientis pertinerent, nihilque omitteret, quod maioris momenti et per se commemoratione dignum esset. Nam accuratius in Actuum libro de solis Petro et Paulo agit, ceteri apostoli quid egerint, vix obiter tangit. Immo ex ipsius Pauli vita permulta, quae per se hominum memoria dignissima erant, alto silentio tegit, v. g. quae ipse Paulus de aerumnis et periculis a se toleratis refert 1 Cor 15, 32; 2 Cor 11, 23 sqq, quae de commoratione sua in Arabia et de contentione cum Cepha narrat Gal 1, 17 sqq; 2, 11 sqq. In Illyrico Paulum fuisse solummodo ex Rom 15, 19 scimus. Unde non illud in conscribendis Actibus Lucam spectasse concludendum est, ut plenam ac perfectam primitivae Ecclesiae quasi imaginem delinearet, in qua nihil, quod ad eius res intelligendas iuvare posset, desideraretur, sed *selegisse* eum ex multis quae noverat apostolorum factis et gestis ea, quae magis ostenderent illud, quod ostendere sibi proposuerat. Quod quid fuerit, exegetarum est inquirere et definire. Breviter dicere possumus, cum pro ecclesiis a Paulo fundatis et ex iudaeis et gentibus compositis Lucas praecipue scripserit, illud eum ante omnia spectasse, ut salutem per Iesum omnibus hominibus, iudaeis et graecis, allatam esse omnimoda cum certitudine ecclesiae illae ex ipsa propagatae religionis historia cognoscerent[2].

Ex Actuum igitur silentio Petrum Romae non fuisse non sequitur.

b) At sequitur id, inquiunt, ex loco Act 28, 22, ubi ad Paulum recens Romam advectum primores iudaeorum dicunt: „Rogamus autem a te audire, quae sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur“; hoc enim modo iudaei loqui non poterant, si Petrus Romae praedicaverat Christoque multos aggregaverat. Praeterea „plurimi“ ad Paulum concionantem accesserunt, ac si numquam de Christo quidquam audissent.

At respondemus α) nimium argumento hoc probari. Si enim vera esset haec adversariorum ratio, sequeretur, neque a Petro neque a quoquam alio

[1] Cf. J. Felten, Die Apostelgeschichte, Freiburg 1892, 7.
[2] Cf. Cornely, Introductio III 327; Felten l. c. 3 sqq.

Romae praedicatum evangelium fuisse; hoc autem falsum esse, ac Romanorum christianorum fidem in universo mundo annuntiari, docemur Pauli epistula ad Romanos data. β) Unde sequitur, iudaeos illos non omnia, quae de christianis sciebant, candide fassos esse. Cur cum tanta cautione locuti sint nescimus, probabili autem coniectura id assequi possumus. Cum enim Suetonius historicus, iudaeorum et christianorum res commiscens, de Claudio imperatore (Claud. c. 25) dicat: „Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit", sequi videtur, christianae praedicationis occasione perturbationes Romae inter iudaeos exstitisse ac iudaeorum contra christianos zelum id effecisse, ut Claudius omnes Roma exsulare iuberet. Quae res facile iudaeos inducere potuit, ut in posterum caute ac prudenter a christianis rebus tangendis se retraherent ac earum inscitiam affectarent[1]. Adverte etiam, non dicere primores illos iudaeorum, *nihil aliud* se scire de christianis, quam quod ubique iis contradicatur. Contemptum christianae praedicationis videntur velle prae se ferre. Quod autem frequentes ad Paulum disputantem accurrunt, facilem explicationem habet: nam „facile fieri potuit, ut primores iudaeorum pro superbia sua Petrum praedicantem aspernati fuerint, Paulum autem, quem in lege eruditum admodum esse norant, cuperent audire de religione christiana deque eius concordia cum mosaica disserentem"[2]. γ) Praeterea ex loco illo Actuum concludi posse videtur, Romanam ecclesiam maximam partem tunc ex ethnico-christianis graecae originis compositam fuisse, quod suadetur etiam eo, quod c. 16 nomina eorum fere omnia graeca sunt. Separatos conventus etiam videntur celebrasse in privatis domibus (Rom 16, 5 10 11 14 15). Quare quod in urbe multorum milium incolarum iudaei Christum recusantes non multum curarunt christianos nec de eorum doctrina multum cognoverunt, mirum non est.

2. Ex Pauli apostoli silentio sic fere contra Romanum Petri iter argumentantur. a) Si Petrus Romae fuisset, epistula ad Romanos data Petro inscribenda fuit, vel saltem Petrus in illa salutandus erat, ad plurimos enim fratres Romae tunc commoratos in fine epistulae salutationes transmittuntur. Praeterea in epistula hac Romanos graviter monet, divisiones inter eos ortas sedare studet, capita gravissima christianae doctrinae eos edocet. Atqui hoc modo agendo, si Petrus Romae fuisset, in eius ministerium ac apostolatum se ingessisset et super alienum fundamentum aedificasset, quod numquam

---

[1] Ex iudaeorum illo loquendi modo argumentati sunt etiam Neotubingenses, ut hunc conciliari non posse cum epistula ad Romanos data affirmarent, atque Actibus auctoritatem detraherent. Contra quos ita J. B. Lightfoot (S. Paul's epistle to the Philippians, London and Cambridge 1869, 15): „On the contrary, this language seems to me to be quite natural under the circumstances, as it was certainly most politic. It is not very likely that the leading Jews would frankly recognise the facts of the case. They had been taught caution by the troubles which the messianic feuds had brought on their more impetuous fellow-countryman; and they would do wisely to shield themselves under a prudent reserve. Their best policy was to ignore christianity; to enquire as little as possible about it, and, when questioned, to understate their knowledge" etc.

[2] De Smedt, Dissert. selectae in primam aetatem historiae eccl., Gandavi 1876, 20.

se facere Paulus Rom 15, 20 expresse dicit. — b) In epistulis, quas S. Paulus Romae ex captivitate scripsit, scil. in epistulis ad Colossenses, Ephesios, Philippenses, ad Philemonem, Timotheum, numquam Petri meminit neque eius nomine salutationes mittit. Quod facere non potuit, si Petrus fuit Romae. Immo in epistulis his quaedam habet, quae, si Petrus Romae moraretur, probrosa valde ipsi fuissent, v. g. Phil 2, 21: „Omnes quae sua sunt quaerunt"; cf. Col 4, 10 sq; 2 Tim 4, 16. — At haec infirma sunt. Nam

α) *argumentis ex epistula ad Romanos petitis* non demonstratur, Petrum Romam venisse *numquam,* sed summum illud ostenditur, Petrum tempore, quo epistula illa scriberetur, Romam nondum profectum esse, vel si illo tempore sedem suam Romae iam fixerit, tunc Roma afuisse. Sed etiamsi Romae Petrus morabatur, cum Paulus ad Romanos scriberet, tamen Petri nominis in illa epistula praetermissio cum eius Romana commoratione componi potest. Primum enim quas ad ecclesias literas dat, numquam Paulus eorum praepositis inscribit. Apud Colossenses v. g. praepositus ecclesiae erat Archippus (Col 4, 17), qui tamen in inscriptione epistulae non nominatur. Similiter epistula ad Hebraeos nec inscribitur S. Iacobo nec nomen eius commemorat. Quae nominum omissio cur sollemnis sit S. Paulo nescimus, probabiles tamen huius rei rationes variae a variis afferuntur. Alii enim animadvertunt, epistulas ad ecclesias directas iisque inscriptas earum episcopis et praepositis tradendas fuisse: cui enim alii praeter episcopum traderentur? Alii existimant, praeter epistulas ecclesiae alicui in communi destinatas, alias ad earum praepositos tabellario perferendas Paulum tradere consuevisse, quod ex ipsa illa re concludunt, quod praepositi ecclesiarum in epistulis ad Corinthios, Galatas, Ephesios etc. datis neque salutantur neque commemorantur. Praeterea literas Paulinas ab ipsis episcopis in fidelium congregationibus publice lectas esse verisimillimum est, mirum autem videri poterat, si in lectione salutationem sui ipsius episcopus pronuntiare debebat. Vix etiam decebat, ut in salutationibus in fine epistulae ad Romanos positae nomen principis apostolorum cum aliorum multis nominibus poneretur. — Quod autem dicunt, si Petrus Romae fuerit, Paulum Romanorum adhortatorem agentem in Petri munus se ingessisse, nihil est. Non enim se gerit Paulus, ac si proprius Romanorum pastor esset, sed expresse id muneris a se amolitur (Rom 1, 11 sq). Et quomodo demonstrabunt, qui ita obiciunt, Paulum id non fecisse ab ipso Petro rogatum? Haudquaquam enim „repugnat, S. Petrum iudicavisse, epistulam a Paulo acceptam ecclesiae Romanae maxime profuturam esse. Ob suam veteris legis scientiam et apostolicos labores maximam auctoritatem Paulus sibi conciliaverat; erat ethnico-christianis admodum gratus, sed et iudaeo-christianis Romanis, quorum plures ob edictum Claudii exsules probabiliter in oriente obvios habuerat, bene notus et acceptus. Hinc ut dissensiones, quae saepe ob legalium quaestionem in aliis ecclesiis oriebantur, Romae etiam pertimescendas praeoccuparet, S. Petrus prudentia duce epistulam a S. Paulo forsan impetravit." [1] — Neque Paulus adhortando et docendo Romanos sub Petro constitutos contra ea egit, quae Rom 15, 20 enuntiat. Nihil aliud enim hoc loco apostolus dicit quam se, cum vocatus sit ut gentium apostolus, hanc

[1] Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 156.

legem sibi posuisse, ut ecclesiarum ubique fundamenta poneret, cui alii superaedificarent, ne scil. „super fundamentum ab alio apostolo iam positum superaedificans non tam apostoli proprie dicti quam evangelistae vel doctoris munere fungi videretur“ [1]. Sed hac lege sibi praescripta neque ut occasione data, per civitatem v. g. aliquam transiens, fideles doceret sibi interdixit, neque ut epistulam apostolicam ad ecclesiam a se non fundatam mitteret, praesertim cum apostoli munus viva voce magis quam calamo et atramento exercendum esset. Quodsi vero aliqui legem Rom 15, 20 enuntiatam non ad tempus restringendam putant, quo Paulus gentium apostolus iam constitutus erat, multo minus ex eo loco contra nos argumentari possunt. Constat enim Paulum initio praedicationis cum inter iudaeos laboraret, praedicasse in ecclesiis a se non fundatis Damasci, Hierosolymis, Antiochiae; unde legem Rom 15, 20 commemoratam non ita rigide servatam esse a Paulo constaret, ut nulla exceptio admitteretur.

Praeterea autem tantum abest, ut Pauli de qua agimus epistula Romanum S. Petri iter dubium reddat, ut illud non obscure confirmet. Immo ipse qui nobis obicitur locus Rom 15, 20 in hanc rem converti potest, modo debita ratio contextus (v. 22—24) habeatur. Dicit enim ibi apostolus, se quominus Romam pergeret, propterea impeditum fuisse, quod in locis, in quibus Christus nondum nominatus fuisset, praedicare debuerit; nunc vero, cum „in his regionibus“ locum haud amplius habeat, sperare se fore, ut in Hispaniam tendens etiam Romam *praeteriens* invisere et ipsis Romanis ex parte *frui* sibi liceat. His enim verbis Paulus indicat clara et aperta ratione, Romae Christum iam nominatum esse, et ita quidem, ut satis multi iique ferventes christiani ibi sint. Et vero secundum ipsum S. Paulum ad Romanos scribentem horum fides iam tunc laudabatur in universo mundo (1, 8), ipsique pleni erant dilectione ac repleti omni scientia (15, 14) atque ecclesiasticis praepositis adeo oboedientes, ut ipsorum „oboedientia in omnem locum divulgata“ esset (16, 19). Quinimmo tamquam ita perfectos christianos Paulus Romanos laudat, ut dicat, (1, 11 12): „Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandum vos: *id est, simul* consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam“; et rursus se quasi excusans ait (15, 15): „*Audacius* autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam reducens.“ Insuper Romanos Paulus obsecrat (16, 17), ut declinent ab illis, qui dissensiones et offendicula faciant praeter doctrinam (παρὰ τὴν διδαχήν), quam ipsi didicerint; quibus verbis sane dicit, eos veram fidem habere. Romae igitur iam tunc temporis egregii et perfecti christiani erant, et sat multi quidem, quod patet vel ex ipsis salutationibus Pauli c. 16. Iam vero quisnam tot tamque perfectos discipulos Christo Romae aggregavit? Num forte discipuli Petri et Pauli, et speciatim quidem Aquila et Priscilla, qui tantum in familiis praedicabant? Quis hoc credat? Estne insuper credibile, Romam, tunc temporis orbis terrarum caput, ab apostolis adeo fuisse neglectam, ut ipsorum nullus christianae religionis praedicatione eam excoleret, sed hoc negotium discipulis, viris et feminis, relinquerent, ipsi vero civitates multo inferioris dignitatis atque momenti evangelii luce illustrarent? Annon multo verisimilius per se est, id quod historia testatur, hanc principem urbem etiam principem apostolorum excolendam sibi sumpsisse? Idque eo magis verisi-

[1] Cornely in h. l. 757.

mile est, quod, si non apostolorum princeps, sed homines Paulo ut tanto apostolo longe inferiores et *infallibilitatis dono non ditati* Romae fidem christianam praedicassent ecclesiamque instituissent, magnus ille apostolus procul dubio nec Romanorum fidem ut certo veram et ubique celebratam adeo laudasset, nec tam demissa ratione de praedicatione sua inter ipsos futura locutus esset.

3) *Non magis contra Petri in Urbe praesentiam* ex aliarum Pauli epistularum Romae scriptarum silentio argumentum duci potest. In quibus cur Petri nomen non occurrat, positivam rationem reddere non possumus; quis enim post tot saecula, cur Paulus socios et coadiutores suos modo nominet, modo non nominet, certo se invenisse sibi persuadeat? Neque etiam certo illam scire necesse est, adversariis enim id incumbit, ut Paulum de Petro Romae praesente loqui *debuisse* demonstrent. Quod ostendere non possunt; Paulum enim, etsi Romae aderat Petrus, de eo silere potuisse iisdem rationibus ostenditur quoad epistulas Roma ex captivitate a Paulo scriptas, quibus id monstratur quoad epistulam Romam missam. Loci autem illi, quibus aliqui Romanam Petri commorationem excludi putant, nullius momenti sunt.

Neque enim adversarios quidquam iuvat, quod Paulus Phil 2, 21 queritur: „*Omnes* enim, quae sua sunt, quaerunt, non quae sunt Iesu Christi." Nam plurimi exegetae, non solum catholici, sed etiam protestantes, hic πάντες pro πολλοῖς dictum existimant, alii autem ita hunc locum interpretantur, ut Paulum loqui de iis dicant, quibus ipse carere possit aut qui Philippensibus cogniti sint et ad ipsos mitti possint. Sed etiamsi hae interpretationes non admittantur et vocem πάντες revera de omnibus intelligendam esse dicatur, iis nimirum, qui tunc cum Paulo erant, manifesto nihil contra Petri in urbe Roma praesentiam inde effici potest. Necessario enim tunc dicendum est, eos qui non „propter invidiam et contentionem", sed „propter bonam voluntatem Christum" praedicarunt (1, 15), tunc a Paulo afuisse; quod insuper patet ex eo, quod Paulus Philippenses non ut Colossenses (4, 11 sqq) nomine vel Lucae vel alterius adiutoris salutat. Quis iam contendat, Petrum a Paulo inter eos numeratum esse, qui propter invidiam et contentionem Christi evangelium praedicaverint? Praeterea loquitur Paulus de iis, quos ad Philippenses mittere possit, et Timotheum ad hoc optimum dicit (v. 19—22); num vero Petrus, totius Ecclesiae primas, inter eos fuit, quos Paulus vel mittere potuerit, vel qui non tam bonus fuerit quam Timotheus? Quare temere omnino S. Paulus illa sua querela etiam Petrum intelligere diceretur.

Non magis ex his aliis Pauli verbis 2 Tim 4, 16: „In prima mea defensione *nemo* mihi affuit (οὐδείς μοι παρεγένετο), sed omnes me dereliquerunt", contra Petri commorationem Romanam quidquam colligi potest, etiamsi tunc Petrus Romae fuisse admittatur. Non enim Paulus dicit, nullum sibi fidelem remansisse ex christianis, sed illos vituperat, qui „cum tamquam testes coram tribunali Neronis ipsi auxilium praestare potuissent, imperatoris crudelitatem pertimescentes non pro viribus ei affuerunt" [1]. Ecquis vero sibi persuadeat, „Petrum, etsi Romae fuisset, adiumento eidem esse potuisse, ut his veluti reprehensionibus perstringi dicatur? Petrus scil. iudaeus et ipse, christianaeque religionis invidia prae ceteris appetitus. Atqui haec ad eos pertinent Romanos, qui ceteris fratribus potentiores Paulo praesidium ferre potuissent." [2] Denique etiam ex eo, quod Paulus in epistula ad Colossenses inter ceteros

[1] Lecler 160. [2] Sanguineti 137.

suos adiutores (συνεργούς) Petrum non memorat, nihil contra Romanum Petri episcopatum concludere licet. Nonnihil enim mirum esset, si Paulus praeconibus, qui ne apostoli quidem erant, etiam Petrum ipsorum apostolorum principem annumerasset et in eodem cum iis ordine posuisset. Atque idem dicendum est de hoc, quod Paulus in epistula ad Philemonem inter salutantes Petrum non nominat vel generatim eius mentionem in istis literis non facit.

Insuper quod Petri in istis epistulis nulla mentio fit, est argumentum pure negativum, quod sane positivo ex historia a nobis allato atque adeo firmo praevalere nequit, eoque minus, quod fortasse Petrus tunc temporis Romae non fuit, vel quod propter Ecclesiae bonum Paulus Petrum noluit nominare, ne scil. eum periculo exponeret. „Ceterum si ex silentio Pauli de Petro in epistulis, quas Roma scripsit, inferre liceret, Petrum tunc Romae non fuisse, eodem iure inferre liceret, nec ipsum tunc ibi affuisse Paulum: nam in illis epistulis nulla de Urbe vel de Romana ecclesia habetur mentio.“ [1] Nec enim „sancti de domo Caesaris“ (Phil 4, 22) sicut nec ipse Caesar Romae semper versabantur.

Quod porro ipse Petrus in epistulis suis nullibi *clare* et *diserte* (sub nomine Babylonis enim ipsum suae commorationis locum Romam indicasse supra iam vidimus) de Romano suo episcopatu loquitur, minime mirum est, cum cur de eo dicere debuerit non intelligatur.

3. Nec quidquam etiam obest, quod Flavius Iosephus in historia de bello iudaico de Neronis crudelitate loquens S. Petrum non commemorat. Iosephus enim scribit quidem, „a Nerone matrem et Octaviam uxorem multosque viros illustres fuisse occisos, sed eius scelera silentio se praeterire voluisse, quod de illis dicere molestum fore arbitraretur, multique iam e Graecis et Romanis ea scripto tradidissent; ac tandem quod admodum breviter ea, quae ab opere suo aliena erant, attingere constituerit. Et re ipsa nihil habet de incendio Urbis, de nece Senecae et multis aliis, quae narrant Suetonius et Tacitus.“ [2]

Obiciunt II: Ut expresse dicit S. Paulus Gal 2, 7, apostoli ita inter se labores apostolicos partiti erant, ut Paulus cum Barnaba operam daret gentium conversioni, reliqui apostoli cum Petro ad iudaeos curam suam restringerent, nam „creditum est mihi [Paulo] evangelium praeputii sicut et Petro circumcisionis“. Ergo Petrus non debuit ire Romam, in urbem gentium, sed in Asiam minorem, Mesopotamiam, Babyloniam.

At respondemus: 1. Etsi illa partitio laborum apostolicorum ita intelligenda esset, ut adversarii dicunt, tamen Petrus Romam proficisci potuit; Romae enim erant multa milia iudaeorum. Iam Cicero in oratione pro Flacco c. 28: „Cum aurum, inquit, iudaeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.“ Cum autem Flaccus anno 62—61 ante Chr. in Asia procurator fuerit, iam ante hoc tempus in Italia multos iudaeos fuisse sequitur. Multo plures post Hierosolyma a Pompeio capta eo captivi deportabantur [3], ac tanta eorum potentia erat Romae, ut Cicero l. c. dicat: „Scis, quanta [iudaeorum] sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. Submissa voce agam, tantum ut iudices audiant. . . . Multitudinem iudaeorum,

---

[1] De Smedt l. c. 17. [2] Ibid.
[3] Philo, De legatione ad Caium § 23.

flagrantem nonnumquam in concionibus, pro republica contemnere gravitatis summae fuit." De iudaeorum legatis, qui anno 4 ante Chr. „Romam veniebant ad postulandam suis legibus vivendi libertatem", Flavius Iosephus: „Et legati quidem, inquit [1], . . . quinquaginta erant: illis vero Romae sese adiunxerunt supra octo iudaeorum milia." [2] — 2. Sed falso interpretantur adversarii, quae Paulus dicit Gal 2, 7—9. Non enim haec ita intelligi possunt, ut Paulus ad solas gentes, Petrus ad solos iudaeos missum se intellexerit. Nam omnes apostoli ad omnes gentes missos se esse sciebant (Mt 20, 28. Mc 16, 16), Petro cura totius ovilis concredita erat (Io 21, 15 sqq), illi ante omnes alios Deus praedicandae gentibus fidei mandatum dederat (Act 10, 1 sqq), ac ipse in concilio apostolorum dixerat: „Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii" (ib. 15, 7). Pariter Paulus electus erat a Christo, ut eius nomen portaret „coram gentibus et regibus et filiis Israel" (ib. 9, 15); et revera, sicut Rom 1, 16 proclamat, salutem messianam esse „iudaeo primum et graeco", ita praedicat ubique primum iudaeis (ib. 13, 5 14 43; 14, 1; 17, 1 2 17; 18, 4 19; 19, 8; 28, 23), usquedum propter pervicaciam iudaeorum credere nolentium ut se convertat ad gentes cogitur (ib. 13, 5). Ergo verba illa Gal 2, 7 sqq non ita intelligi possunt, ac si Petrus ex Dei voluntate semper ad iudaeos labores suos apostolicos restringere debeat, sed ita ut enuntient, quod de facto usque ad illud tempus locum habuerat [3].

III. *Miram obiectionem* aliquis conficere studuit ex his Christi verbis Mt 23, 34: „Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis et *crucifigetis*" etc. Quae verba cum ad iudaeos dicta sint, is ex iis conclusit, saltem unum apostolum fuisse a iudaeis crucifigendum. Iam vero cum ex apostolis duo tantum cruci affixi fuissent, Andreas et Petrus, Andreas autem a gentilibus morti traditus fuerit, Petrum a iudaeis occidi debuisse; quodsi vero Romae mortem occubuisset, ab ethnicis cruci affixum eum esse. Ergo sequi, ut extra Romam, in Babylonia exitum vitae habuerit, ubi iudaei potentes erant et ex regis Parthorum concessione lex mosaica vigeret. Ad haec brevissime ita: 1. Unde adversarius scit, de solis duodecim apostolis Mt 23, 34 Christum loqui, excludere vero eorum successores, v. g. Simeonem cognatum Christi et episcopum Hierosolymorum, cruci affixum sub Hadriano? Unde scit, ex duodecim apostolis solos Petrum et Andream in cruce mortem occubuisse? De plurimorum enim apostolorum exitu documenta certa non suppetunt, eae autem, quae ad nos pervenerunt, de eorum morte narrationes etiam Philippum, Bartholomaeum, Simonem Chananaeum in cruce mortem oppetiisse tradunt. 2. Christum occisum esse a iudaeis cum S. Scriptura (Act 2, 23; 4, 10) recte dicimus, licet a Romano iudice damnatus Romanorum manu interfectus sit; occiderunt enim, ut Augustinus dicit [4], Christum iudaei „gladio linguae". Ergo ex eo, quod Romae Petrus cruci affixus sit, non efficitur, iudaeis eius mortem ascribi non posse. Certe Clemens Romanus Petri et Pauli interitum ascribit ζῆλῳ, i. e. zelotypiae et invidiae. Quorum autem invidiae nisi iudaeorum? Ea enim est longe probabilior Clementis verborum interpretatio.

[1] Antiq. iud. 19, 11, 1; Bell. iud. 2, 6, 1.

[2] Plura de iudaeis Romae degentibus apud P. Allard, Hist. des persécutions pendant les deux premiers siècles, Paris 1885, 1 sqq; Schürer, Gesch. des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Christi III [3], Leipzig 1898, 28 sqq.

[3] Cornely ad h. l. 438.

[4] Enarr. in Ps. 63 n. 4 (ML XXXVI 763).

IV. *Addunt aliqui,* Petrum capite deorsum ad terram verso cruci affixum tradi ab Origene[1] et ex eo ab Eusebio, talem autem supplicii modum magis apud barbaros quaerendum esse quam apud Romanorum humanitatem. Sed ut omittamus, Petrum ipsum talis supplicii modus ut sibi concedatur rogasse, reputans „se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus“[2], quid de Romanorum sub Nerone humanitate sentiendum sit, accipe ex Seneca, qui ut huius vitae mala exaggeret mortemque liberatorem praedicet[3]: „Video, inquit, istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite conversos in terram suspendere, alii per obscaena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt. Video fidiculas, video verbera, et membris et singulis articulis singula machinamenta, sed video et mortem.“ Eusebius etiam de martyribus Aegyptiis sub Diocletiano a militibus Romanis peremptis: „Alii denique, inquit[4], in crucem acti: pars eo modo, quo malefici vulgo suffigi solent, pars atrocius capite deorsum verso: *οἱ δὲ καὶ χειρόνως ἀνάπαλιν κατώκαρα προσηλωθέντες.*“ Ceterum Origenes l. c. de Petro referens, quid de Romanorum humanitate sentiendum esset, melius ac nos sciebat.

V. Restat, ut de *Neotubingensium obiectionibus* pauca addamus. Hi quid de christianae religionis et catholicae Ecclesiae primordiis sentiant, iam supra p. 28 sqq diximus, ex eorum scil. placito initio Petro Pauloque duce christianos quam maxime inter se discordes fuisse, pace deinde inter litigantes composita catholicae Ecclesiae homines summo studio in id incubuisse, ut concordiam et consensum cum inter omnes christianos tum inter apostolorum principes semper fuisse fingerent. Omnium igitur huiusmodi figmentorum ac fabularum Petri Paulique unanimem consensum ante oculos ponentium quasi sigillum quoddam ac coronam hoc excogitatum fuisse, ut Petrum et Paulum una Romam tetendisse unaque ibidem mortem obiisse fingeretur[5]. Praecipue autem haec Tubingensium de Petri Romano itinere placita excoluit et magna tenacitate ad mortem usque defendit Lipsius, qui hoc modo argumentatur[6]. 1. Primum affirmat, de Petri extremo vitae tempore *nihil notum esse nisi fabulas.* De eo enim in S. Scriptura et apud Clementem Romanum nihil prorsus inveniri; quae autem apud Irenaeum, Dionysium et posteriores inveniantur, omnia fluxisse ex apocryphis narratiunculis, quae antiquissimis Ecclesiae temporibus ortae sint. Traditionem autem ecclesiasticam his narrationibus contentam iam ab initio in diversas partes abiisse. Exsistere enim de Petro et „legendam Ponticam“, qua narretur, Petrum in regionibus Ponto Euxino adiacentibus praedicasse, et exsistere de eo „legendam Romanam“, quae iterum bifariam dividatur. Legendam enim Romanam illam,

---

[1] In Gen. tom. 3 (MG XII 91): *Ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν.* Servavit locum Eus., H. E. 3, 1.

[2] Gaudent. Brix., Serm. 20 (ML XX 994). Ambr., De interpell. Iob et David l. 1, c. 1, n. 2 (MG XIV 798).

[3] Consolatio ad Marciam c. 20; cf. Ep. 14.

[4] H. E. 8, 8.

[5] „Da mit gutem Grunde sogar bezweifelt werden muß, ob Petrus jemals auch nur nach Rom gekommen ist, so hat die Sage ihre geschichtliche Bedeutung eben nur in ihrer Ungeschichtlichkeit, da eine so wenig auf einem geschichtlichen Grunde beruhende Tradition nur aus einem besondern Interesse entstanden sein kann. Welcher Art dieses Interesse war, bedarf nach allem, wovon schon die Rede war, keiner weiteren Erörterung. Man wollte die beiden Apostel so nahe als möglich zusammenbringen, jeder von beiden sollte das Verdienst und den Ruhm des andern teilen, und wie sie im Leben harmonisch zusammen gewirkt hatten, so sollte auch ihr Tod das brüderlich Gemeinsame ihres apostolischen Laufes bezeugen und versiegeln“ (F. Chr. Baur, Das Christentum und die christl. Kirche der drei ersten Jahrhunderte[2], Tübingen 1860, 142—143).

[6] Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden II 1, Braunschweig 1887, 1 sqq.

quam vocat Lipsius „Petro-Paulinam", una cum Paulo Petrum facere Romam venientem, cum ex „legendae antipaulinae" narratione Petrus Romam adducatur, ut Paulum sub persona Simonis Magi latentem insectetur. Quae antipaulina traditio continetur libro illo deperdito, cuius rudera habentur in libris Pseudo-Clementinis et in actis catholicis Petri et Pauli. — Postquam igitur fabulosa esse omnia, quae de Petri exitu narrentur, demonstrasse sibi videtur Lipsius, 2. *ita* omnia haec fabulas esse ostendere conatur, *ut nihil veri in iis insit* praeter solum *Pauli* in Urbem adventum. Non enim fieri posse, ut in his fabellis distinguantur ea, quae exornandi gratia addita sint, ab ipsa historica veritate exornata, i. e. non posse Romanum Petri iter certum existimari, in incerto autem relinqui, utrum Petrus eo venerit Pauli inimicus an amicus, simul cum eo an diverso tempore. Non enim eum, qui has fabulas finxerit, illud spectasse, ut quomodocumque Romam Petrum adducat, sed hoc eum sibi proposuisse, ut Petri Paulique concordiam Romanis eorum fatis extremis illustraret. — 3. Unde nihil iam relinquitur, nisi ut historice, *quomodo fabellae illae ortae sint*, inquiramus. Qua in re cum antipaulina aeque ac petropaulina fabula fundentur in Petri ad Paulum relatione et circa hanc gravitentur, certum est, alteram ex altera ortam esse. Antipaulinam autem priorem et antiquiorem esse, ex qua petropaulina derivanda sit, sequi ex Neotubingensis systematis de christianae religionis initiis veritate. Sed et ipsam antipaulinam fabulam veram censeri non posse, sed nihil esse nisi iudaeo-christianorum mendacium ex odio in S. Paulum ortum. Utraque igitur fabulae forma cum prorsus historico fundamento destituatur, totam Romanae commorationis Petri narrationem nihil esse nisi inane commentum.

Ad haec ut quam brevissime respondeamus, 1. errat Lipsius, si S. Scriptura nihil de Petri Romano itinere tradi putat (cf. supra p. 533 sqq). Errat pariter, si Dionysii Corinthii, Irenaei, Caii (supra p. 541) testimonia fabulis inniti affirmat, si Clementis verba in alium sensum posse trahi putat, si Ignatii epistulas anno 180 scriptas esse existimat. Ignatium enim initio saeculi II scripsisse ex Polycarpi et Irenaei testimoniis deducitur, Clemens autem, etiamsi *Romanum* apostolorum martyrium non testaretur, concordiam tamen Petri Paulique testatur, quod ad Neotubingensium placita evertenda sufficit (cf. supra p. 30). Ceterum fabulas narrationesque poetarum more exornatas de Petro Pauloque exsistere libenter concedimus, sed haec cum gravissimorum scriptorum ecclesiasticorum testimoniis commiscere, quasi eiusdem furfuris ac farinae haec essent omnia, non minus iniustum et absurdum est, ac si quis fictas illas narratiunculas de Friderico Barbarossa in monte Kyffhäuser adhuc vivo vel de Carolo Magno cum Palatinis suis in terram Palaestinam navigante cum vera istorum imperatorum historia commisceret ac utraque in eodem gradu poneret. Errat praeterea Lipsius, cum dissensum traditionis ecclesiasticae statuere studet. Non enim adest dissensus. Imprimis scil. si in Ponto Petrum praedicasse ab aliquibus affirmatur, nullatenus Romanum eius iter negatur. Quod et per se patet, et ipsis illis monumentis, quibus Lipsius Ponticam legendam contineri dicit[1], confirmatur. Sunt enim monumenta illa praeter Patrum quosdam locos[2] acta Petri et Andreae, acta Andreae quae exstant apud Epiphanium monachum, anonymum quendam encomiasten, in Pseudo-Metaphrastis hypomnemate in S. Andream, quod tamen excerptum tantum est ex encomiaste, praeterea fragmentum Pseudo-Sophronii et hypomnema in S. Petrum. Atqui a Pseudo-Sophronio et in Petrino illo hypomnemate Petrum Romam venisse diserte affirmatur[3], Epiphanius monachus et anonymus ille encomiastes post Ponticam praedicationem Petrum in

[1] L. c. 4 sqq.

[2] Scil. Origenis, Epiphanii, Ephraemi, quos Petrum Romam adducere constat.

[3] Concedit id Lipsius l. c. 7. Quo loco nescio cur veri Sophronii homiliam in S. Petrum et Paulum numquam se vidisse dicat. Edita est enim illa homilia, quae incipit *Πάλιν ἡμῖν δυὰς ἀδιάλυτος ἔλαμψεν*, iam dudum ab Aug. Maio et invenitur MG LXXXVIII 3355 sqq.

„occidentem" profectum esse dicunt, acta Petri et Andreae integra non habentur[1]. Quid igitur extundes ex his actis contra Petri Romanum iter? Deinde antipaulina et petropaulina legenda saltem in eo consentiunt, quod Petrum Romam adducunt, quod in hac re prorsus sufficit.

2. Quodsi deinde Lipsius ex legendae petropaulinae et antipaulinae comparatione demonstrari dicit, numquam Petrum Romae fuisse nihilque veri in illis legendis inesse, aperte contra legitimam concludendi rationem peccat. Recte enim in hanc rem Lecler[2]: „Etiamsi Lipsio concederemus, ex una parte systema historicum Baurii circa exordia christianismi esse fundatum, et ex alia parte originarium fontem literaturae pseudo-clementinae fuisse acta Petri ebionitica, ante medium saeculum II scripta, in quibus per fictionem Ebionitarum S. Paulus sub mytho Simonis Magi fuerit a S. Petro in Syria et Romae impugnatus ut falsus apostolus, nondum sane sequeretur, substratum eiusmodi fictionis esse falsum, immo illud verum esse valde suaderetur. Nullatenus enim verisimile videtur, scriptorem ebionitam illorum actorum exarando suum opus tempore tam remoto et facti propinquo, eiusmodi eventui tantum momentum tribuisse, nisi Romanum beati Petri iter eiusque cum Simone-Paulo concursus aliquid realitatis continerent." Argumentum autem, quo Lipsius probat, non posse ex variis legendis illud ut certum retineri, quod Petrus Romam venerit, adeo male cohaeret et adeo coactum est, ut intelligi non possit[3].

---

[1] *Οἱ δύο ἀδελφοὶ ἐμερίσαντο τὸν κόσμον ὅλον· καὶ τὸν μὲν Πέτρον λαχόντα τῆς δύσεως τὰ κλίματα φωτίσαι* etc. (Epiph.: MG CXX 224). *Καὶ ὁ μὲν Πέτρος . . . πρὸς τὰ τῆς δύσεως ὑπέστρεψεν κλίματα, ὁ δὲ μακάριος Ἀνδρέας* etc. (Acta Andreae apost. cum laudatione contexta, ed. Bonnet in Analecta Bollandiana XIII, Bruxelles 1894, 318; cf. Lipsius l. c. I 572 nota 1). — De actis Petri et Andreae ipse Lipsius: „Wohin Petrus und Andreas nach den Taten in der Barbarenstadt wandern, ist aus den jetzt erhaltenen Texten nicht zu ersehen" (l. c. I 557). Saepius dicit Lipsius, in originario textu (deperdito) horum actorum nihil fuisse de Petro Romam proficiscente. Sed haec affirmat, non demonstrat.

[2] L. c. 214. — Consentit Hilgenfeld (Zeitschrift für wissenschaftl. Theol. 1877, 507): „Aber selbst gesetzt, er [Lipsius] hätte es bewiesen, daß schon eine alte ebionitische Schrift immerhin noch aus dem Ende des 1. Jahrhunderts mit der Reise Simons (d. h. des Paulus) nach Rom und der Nachfolge des Petrus schloß: würde daraus folgen, daß ‚Petrus in Rom' eine judenchristliche, von der rechtgläubigen Christenheit allmählich umgebildete Erdichtung gewesen ist? Wir hätten dann nur auch ein altes judenchristliches Zeugnis für ‚Petrus in Rom'." Similiter E. Renan, L'Antichrist, App. p. 556.

[3] En eius verba (l. c. II 1, 63): „Gerade hierzu hat man aber kein Recht [scil. ut fundamentum illarum legendarum retineamus reiectis reliquis]. Denn eine römische Petrustradition hat es ursprünglich nur in der einen oder in der andern Gestalt gegeben: *entweder* wird Petrus mit dem Apostel Paulus, *oder* er wird mit dem Magier Simon in Beziehung gesetzt, hinter welchem sich in der römischen Legende wiederum Paulus verbirgt. Kurz, die Romreise des Paulus ist die geschichtliche Grundlage, auf welcher sich die zwiespältige Tradition von einer sei es freundlichen, sei es feindlichen Berührung der beiden Apostel in der Welthauptstadt aufgebaut hat. Dann aber bleibt nur übrig, die eine Sagengestalt aus der andern abzuleiten. Das Verhältnis des Petrus zu Paulus ist der entscheidende Punkt, um welchen sich die Sagenbildung beidemale bewegt; von diesem darf man also auch nicht absehen, wenn man die angebliche Reise des Petrus nach Rom auf ihre geschichtliche Glaubwürdigkeit hin untersuchen will. Nicht darum ist es der Sage zu tun, den Petrus nur überhaupt nach Rom zu bringen und daselbst sterben zu lassen, sondern darum, durch die Erzählung von seinem Auftreten in Rom sein Verhältnis zu Paulus ins Licht zu stellen. Ist dieses aber das Gemeinsame, was beide Sagengestalten verbindet, so folgt unmittelbar [?], daß dieselben nicht unabhängig von

3. Legendam antipaulinam antiquiorem esse petropaulina, Lipsius ex nulla alia re concludit nisi ex veritate systematis Neotubingensis. At de hac cf. p. 27 sqq [1].

PROBATUR PROPOSITIO MAIOR QUOAD SECUNDUM: PETRUS ROMAE EPISCOPUS FUIT, i. e. non solum Romae ut apostolus per aliquod tempus commoratus est, sed ecclesiam Romanam ut gregem peculiarem assumpsit, ita ut praeter eam curam, quam ut primas Ecclesiae omnibus christianis debebat, fideles Romanos peculiari modo constanter dirigeret et custodiret [2]. Hoc autem sensu Petrum Romae episcopum fuisse

1. ex saeculo IV ineunte christiani scriptores unanimiter ut rem de qua nemo dubitet, affirmant. Quod ut ostendamus, a) *eorum testimonia proponimus,* qui temporis spatium, quo Romae Petrus commoratus sit, aut solum aut simul cum eius episcopatu commemorant.

Quorum praecipuus est Eusebius in chronico suo. Cuius libri etsi textum graecum originarium non habemus, consensus tamen variarum versionum adhuc exstantium Eusebii sententiam extra dubium ponit. Sic igitur in chronici versione armena legitur ad annum Abrahae 2055, Caii 3 (= 39 aerae vulgaris): „Petrus apostolus cum primum Antiochenam ecclesiam fundasset, Romanorum urbem proficiscitur ibique evangelium praedicat et commoratur illic *antistes ecclesiae* annis XX." [3] In versione latina Eusebiani chronici, quam adornavit S. Hieronymus, ad annum Abrahae 2058, Claudii 2 (= 42 aerae vulg.) habetur: „Petrus apostolus cum primus Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi evangelium praedicans XXV annis eiusdem urbis *episcopus* perseverat." [4] Syriaca autem epitome, quam edidit Roediger, ita interpretatur: „Petrus apostolus primus posuit fundamenta ecclesiae Antiochenae et in urbem Romam profectus est ibique praedicavit evangelium et *praefuit* ecclesiae illi annis XXV.... Petrus apostolus moderator ecclesiae Romanae factus est." [5] Textum graecum Eusebii ex parte saltem Syncellus chronographus videtur servasse, qui dicit: Πέτρος ὁ κορυφαῖος τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν, εἰς Ῥώμην ἄπεισι κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον· ὁ δ᾽αὐτὸς μετὰ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας καὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ πρῶτος προέστη ἕως τελειώσεως αὐτοῦ [6]. Nihil autem differre, sive dicas per annos 25 Petrum „praefuisse" Romanae ecclesiae, sive eum Romae episcopum fuisse, clarum est. In historia ecclesiastica Eusebius Romam advenisse Petrum scribit sub Claudio imperatore, ibique cum Philone consuetudinem iniisse; cum autem sub Claudio anno eius imperatoris secundo (= 42 aeraevulg.) Philo Romae fuerit (H. E. 2, 18), eodem anno Romae aderat Petrus. Mortem autem apostoli Eusebius assignat anno 67 vel 68; successor enim Petri Linus H. E. 3, 13 post XII annos administrationis mortuus dicitur secundo anno Titi, i. e. 80 aerae vulgaris; et in chronico ex versione armena mors Petri incidit in annum Abrahae 2083,

---

einander entstanden sein können. Vielmehr muß man entweder die ebionitische Legende aus der petropaulinischen, oder die petropaulinische aus der ebionitischen ableiten" etc. Vides eandem rationem iterum iterumque aliis verbis repeti, maiorem vero inde probandi vim ei non accrescere.

[1] Cf. etiam Joh. Schmid, Petrus in Rom, Luzern 1892, 92—144.

[2] Cf. Zeitschrift für kath. Theologie XXVI, Oeniponte 1902, 33—69 225—246.

[3] Eusebii Chronicon, ed. Schöne I 150. [4] Ibid. 153. [5] Ibid. 211.

[6] Ed. Bonnae 626. — Rufinus (Apol. l. 2, n. 33: ML XXI 612) S. Petrum per 24 annos facit Romae commorantem.

Neronis 13 (= 67 aerae vulg.), ex latina Hieronymi versione assignanda est anno Abrahae 2084, Neronis 14. Alibi Hieronymus de Seneca philosopho[1]: „Hic, inquit, ante biennium, quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est." Seneca autem cum mortem obierit a. 65, iterum Petri mors affigitur anno 67.

In occidente 25 annos Petrum Romae episcopatum gessisse testatur chronographus anni 354, qui inter alia catalogum Romanorum episcoporum tradens, sic incipit: „Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Iesus Christus duobus Geminis cons. VIII Kal. Apr., et post ascensum eius beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum quis episcopus quot annis praefuit vel quo imperante." Sequitur deinde horum *episcoporum* catalogus: „Petrus ann. XXV mens. uno d. IX... Linus ann. XII m. IV d. XII... Clemens ann. VIII" etc.[2] Falsa computatione seductus licet auctor vel compilator huius catalogi illum 25 annorum episcopatum incipiat ab anno 30, ita ut mors apostoli contra certissima alia testimonia historica incidat in annum 55, nihilominus 25 annorum testis sine dubio advocari potest.

Deinde b) *Patres si numerant episcopos Romanos*, saepe *ita* eos *numerant*, ut Petrum in eorum numero comprehendant et appareat, hunc successionis ordinem eos ante oculos habuisse: 1. Petrus, 2. Linus, 3. Anacletus, 4. Clemens, 5. Evaristus, 6. Alexander, 7. Sixtus I., 8. Telesphorus, 9. Hyginus, 10. Pius I., 11. Anicetus, 12. Soter, 13. Eleutherus, 14. Victor I. etc.

Chrysostomus enim de Lino dicit[3]: „Hunc Linum narrant quidam secundum post Petrum Romanae ecclesiae episcopum fuisse (δεύτερον μετὰ τὸν Πέτρον ἐπίσκοπον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας)." Theodoretus: „Ferunt autem, inquit[4], Linum magno Petro successisse et Romanorum ecclesiae post illum sedem tenuisse (Λῖνον ... τὸν μέγαν διαδέξασθαι Πέτρον καὶ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετ' ἐκεῖνον διακοσμῆσαι τὸν θρόνον)." Auctor libri qui inscribitur *Praedestinatus* de haeresi menandrianorum[5]: „Hos S. Linus episcopus, secundus apostoli Petri... multavit." Epiphanius de Marcione: „Romam post Hygini papae obitum se contulit. Hic autem a Petro Pauloque apostolis nonus erat (οὗτος δὲ ἔνατος ἦν ἀπὸ Πέτρου...)."[6] De Cerdone vero[7]: „Hygini episcopi temporibus fuit, qui nonam sortem administrabat a successione eorum apostolorum, qui erant cum Iacobo, Petro, Paulo." Hieronymus de Clemente[8]: „Clemens ... quartus post Petrum Romae episcopus; siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem."

---

[1] De vir. ill. c. 12 (ML XXIII 629).

[2] Catalogum illum, qui dicitur Liberianus, vel Philocalianus, vel Boucherianus, novissime ediderunt L. Duchesne, Le Liber Pontificalis I, Paris 1886, 2—9; Th. Mommsen in Monum. Germ. hist. Auct. antiquiss. IX. Chron. min. saec. IV V VI, vol. I, Berol. 1892, 72 sqq.

[3] In ep. 2 ad Tim. hom. 10, § 3 (MG LXII 659).

[4] In ep. 2 ad Tim. (MG LXXVII 856).

[5] N. 2 (ML LIII 588).

[6] Adv. haer. 42, n. 1 (MG XLI 696). Miro errore ib. n. 12, p. 797 Anicetus nonus ab apostolis dicitur.

[7] Adv. haer. 41, n. 1 (MG XLI 692).

[8] De vir. ill. c. 15 (ML XXIII 631).

Praeterea c) *tota series Romanorum Pontificum a Patribus ita proponitur, ut Petrum inter episcopos illos numerari appareat.*

Ita ab Epiphanio, qui „Romae, inquit[1], primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter atque episcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus, post hunc Clemens.... Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Evaristus, Hyginus, Pius, Anicetus." Ubi post Telesphorum errore scripturae Evaristi nomen repetitur. Auctor vero carminis adversus Marcionem, quem aliqui III, alii IV saeculi putant, licet a Lino incipiat numerare episcopos Romanos. tamen dicit[2]: „Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum, Maxima Roma Linum primum considere iussit. Post quem Cletus.... Constabat pietate vigens Ecclesia Romae Composita a Petro, cuius successor et ipse Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus." Ubi nihil quidem probat, quod Hyginus nonus dicitur; nam per errorem Cletum et Anacletum duos diversos homines computans nonum dicit, quem octavum dicere debuit. Sed si Linus in eadem cathedra sedere dicitur cum Petro, si Hyginus Petri successor nominatur, Petrum in numero episcoporum poni patet. Optatus deinde, a Petro usque ad Siricium enumerans Pontifices Romanos, Petrum aperte inter eos recenset, cum dicit[3]: „Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens...." Augustinus vero, enarrans „ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet", ita praefatur[4]: „Si enim ordo episcoporum sibi succedentium enumerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram ... (Mt 16, 18). Petro enim successit Linus, Lino Clemens" etc.

d) *Exsistunt etiam multi catalogi Pontificum Romanorum* ex saeculis V, VI, VII, qui eorum nomina serie deducunt usque ad tempus, quo floruit auctor catalogi.

Exscriptos invenies apud Duchesne[5] horum catalogorum 9 latinos, 3 graecos, 1 syriacum, qui omnes, excepto uno Corbeiensi saeculi VIII, qui incipit a Lino, Petrum primo loco inter episcopos Romanos ponunt, et saepe etiam in inscriptione catalogo praemissa eius episcopalem dignitatem testantur. Sic v. g. alius catalogus inscriptus est: „Brebe [= breve] nominum episcoporum urbis Romae, qui fuerunt a S. Petro, quis quantum sedit"; alius: „Incipiunt nomina apostolicorum"; alius: „Incipiunt nomina episcoporum, qui in urbe Romae fuerunt", post quas inscriptiones series episcoporum incipit a Petro. Ceterum omnes hi catalogi fluxerunt ex textu latino, qui confectus est Romae medio saeculo V.

e) *Addimus quaedam testimonia,* quibus Petro episcopatus Romanus aut ascribitur diserte, aut ascribitur implicite, eo scil. quod Pontifices Romani nominantur *Petri successores* aut cathedra Romana dicitur

---

[1] Adv. haer. 27, n. 6 (MG XLI 372 sq).

[2] L. 3, c. 9 (ML II 1077). De tempore, quo scriptum est hoc carmen, cf. Duchesne l. c. I XI.

[3] De schism. Donat. l. 2, c. 3 (ML XI 948).

[4] Ep. 53 c. 1, n. 2 (ML XXXIII 196). [5] Duchesne l. c. I 13—41.

cathedra Petri, aut Petrus *eodem modo* Romanae ecclesiae *praefuisse* dicitur *ac Antiochenae.*

Itaque Chrysostomus, postquam Flavianum episcopum adeptum esse dixit Petri cathedram Antiochenam, pergit[1]: „Haec enim est una etiam nostrae civitatis praerogativa dignitatis, quod principem apostolorum ab initio doctorem acceperit. Aequum enim erat, ut ea, quae nomine christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum apostolorum pastorem acciperet. Sed cum eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed regiae civitati Romae concessimus." Eusebius commemorat[2] S. Ignatium, „qui in successione Petri Antiochena, inquit, secundus episcopatum nactus erat (τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος)"; quibus verbis innuit, etiam successionem Petri, quae non est Antiochena, exsistere. Sozomenus ne Liberius et Felix simul episcopos Romanos se gererent, a divina providentia impeditum esse scribit[3]: „ne sedes Petri dehonestaretur (ταύτῃ πῃ τοῦ θεοῦ διοικήσαντος ὥστε τὸν Πέτρου θρόνον μὴ ἀδοξεῖν)". Patres *concilii Sardicensis* anno 343 „sancti Petri apostoli memoriam honorare" se dicunt[4], cum Iulium R. Pontificem honorant, Iulium igitur Petri successorem agnoscunt.

Auctor explanationis symboli ad initiandos, qui si non est ipse S. Ambrosius, certe eius temporis proximus est, postquam dixit[5]: „symbolo . . . nihil debemus detrahere, nihil adiungere", addit: „Hoc autem est symbolum, quod Romana ecclesia tenet, ubi primus apostolorum sedit, et communem sententiam eo detulit." Alibi S. Ambrosius de novatianis[6]: „Non habent Petri hereditatem [i. e. potestatem peccata dimittendi], qui Petri sedem non habent." Hic quin loquatur de Romana sede, dubium non est.

In Africa Optatus Milevitanus diserte episcopum Romanum vocat S. Petrum, cum Parmenianum schismaticum sic compellat[7]: „Negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus." Et alibi ait[8]: „Denique si Macrobio [qui Optati tempore episcopus donatistarum Romae fuit] dicatur, ubi illic [Romae] sedeat, numquid potest dicere in cathedra Petri? Quam nescio si vel oculis novit, et ad cuius memoriam [i. e. sepulcrum] non accedit quasi schismaticus. . . . Ecce praesentes sunt ibi duorum memoriae apostolorum. Dicite, si ad has ingredi potuit aut obtulit illic, ubi sanctorum memorias esse constat." Augustinus vero[9]: „Verumtamen si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris, cathedra quid tibi fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius sedet?" Animadvertatur autem, quod Optatus et Augustinus in libellis

---

[1] In inscriptionem actorum n. 6 (MG LI 86). Successor Petri Antiochenus etiam Ignatius vocatur in eius laudatione n. 4 (MG L 591).

[2] H. E. 3, 36. Antiochenam ecclesiam a Petro constitutam esse Eusebius dicit etiam in Theophania fragm. 5 (MG XXIV 628).

[3] H. E. 4, 15. [4] C. 3. Vide locum postea.

[5] Explanatio symb. (ML XVII 1158 d).

[6] De poenit. l. 1, c. 7, n. 33 (ML XVI 476). In aliquibus deterioris notae codicibus legitur: „Petri fidem non habent."

[7] De schism. Donat. l. 2, c. 2 (ML XI 947). [8] Ibid. c. 4 (ib. 951).

[9] C. lit. Petil. l. 2, c. 51, n. 118 (ML XLIII 300).

nominatis contra adversarios pugnant, quapropter ut ab omnibus communiter admissa non poterant ea tradere, quae in dubium ab adversariis trahi poterant.

Graecis, Italicis, Africanis his testibus adiungimus Sulpitium Severum et Prosperum Gallos, quorum prior de Nerone agens scribit [1]: „Eo tempore divina apud urbem Romam religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente." Prosper vero de Pelagiana haeresi ab Innocentio I damnata [2]: „Pestem subeuntem prima recidit sedes Roma Petri." Cassianus diu in Palaestina, Aegypto, Constantinopoli moratus et Massiliae denique considens „Romanae ecclesiae gubernaculum" rexisse Petrum scribit [3]. Consentit qui et ipse multas orbis totius plagas visitaverat Hieronymus, cum dicit [4]: „Primum episcopum Antiochenae ecclesiae Petrum fuisse accepimus et Romam exinde translatum." Damasum autem Rom. Pontificem „successorem piscatoris" alloquitur sic [5]: „Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri communione consocior." Episcopi Tarraconenses in Hispania ad Hilarum R. Pontificem scribunt [6]: „Erit profecto vester triumphus, si apostolatus vestri temporibus, quod S. Petri cathedra obtinet, catholica audiat Ecclesia." Prudentius etiam Hippolytum martyrem inducit profitentem [7]: „Una fides vigeat, . . . quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri." Mochta quoque monachus Hibernus, qui per errorem dicitur Bachiarius, Romae ponit „cathedram Petri, h. e. sedem fidei" [8].

Concludimus *Chalcedonensis synodi* anni 451 testimonio, in qua lecta epistula synodica Leonis Pontificis Romani Patres illi 680, qui fere omnes orientales erant, exclamarunt [9]: „Petrus per Leonem ita locutus est (Πέτρος διὰ Λέοντος ταῦτα ἐξεφώνησεν)." Iam antea (a. 431) in *concilio Ephesino* Philippus legatus pontificius [10] „nulli dubium, immo omnibus saeculis notum" esse professus est, quod S. Petrus „ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet". Successorem autem Petri tunc temporis esse dicit Coelestinum R. Pontificem.

2. Quod de Petri Romano episcopatu docent Patres IV et V saeculi, etiam testimoniis saeculorum II et III constat. Nam

a) *ipsos Romanos Pontifices* iam tunc successores Petri se exhibuisse et ut Petri successores oboedientiam sibi praestandam postulasse, historicis argumentis ostendi potest.

Primum huius rei probabile vestigium invenitur saeculo II exeunte in documentis, quae ex controversia de paschate celebrando acta ad nos pervenerunt. Polycrates enim, Ephesiorum episcopus, in epistula ad Victorem I Pontificem Romanum data, in qua oboedire Victori circa paschatis diem celebrandum detrectat, hanc inoboedientiae suae rationem affert [11]: „Nam etiam in Asia magna quaedam luminaria defuncta sunt", inter quae nominat Ioannem evangelistam, filias Philippi etc. Quod cur ratio esse possit inoboedientiae

[1] Hist. sacra l. 2, n. 28 (ML XX 145).
[2] Carm. de ingratis v. 39 sq (ML LI 97).
[3] Vide supra p. 174, n. 9.
[4] In ep. ad Gal. l. 1, c. 2, v. 11 (ML XXVI 341).
[5] Ep. 15, n. 2 (ML XXII 355). Vide locum postea.
[6] Ep. 13, n. 3 (Thiel 157).
[7] Peristeph. 11, 32 (ML LX 535).
[8] Professio fidei (ML XX 1023).
[9] Harduin II 306 E; Mansi VI 971 A.
[10] Harduin I 1471 E; Mansi IV 1290 C.
[11] Euseb., H. E. 5, 24, 2.

si quaeris, nulla alia videtur proferri posse quam haec: Victorem in epistula ad Polycratem data, quae hodie non iam exstat, de „luminibus“ sermonem fecisse, quae Romae exstincta ibique sepulta sint, de Petro scilicet et Paulo, eorumque nomine ut eorum successorem Polycrati praecepta dedisse. Ad quae Polycratem respondere, non solum Romam, sed etiam Asiam magnorum hominum sepulcra ostendere posse. Eodem modo Caius sub Zephyrino Pontifice († 217) ad sepulcra apostolorum Romana provocasse videtur[1], ut adversus montanistas Romanae ecclesiae auctoritatem ostenderet. Certum denique est, Callistum († 222) successorem Petri se gessisse; *sibi* enim, ut ex Tertulliani[2] verbis concluditur, potestatem vindicat, quam Mt 16, 18 Christus tribuit *Petro*. De Stephano (253—257) denique testatur Firmilianus[3], quod „de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit“ et „per successionem cathedram Petri habere se praedicat“.

b) *Iure Romanos Pontifices* Petri sibi successionem tribuere, etiam saeculi II et III scriptores fatentur.

Atque Firmilianus quidem l. c. tacite id agnovit. Provocans enim ad auctoritatem, quae sibi tamquam Petri successori competat, ediderat Stephanus decretum, quo baptismum ab haereticis collatum agnoscebat legitimum. Cui decreto cum acerrime repugnet Firmilianus, si ullo modo dubitasset de Petri Romano episcopatu et Stephani legitima in eo successione, certissime hoc se dubitare significasset, cum sic fundamentum decreti Romani evertisset. Sed non ita aggreditur illud decretum, sed nihil dicit nisi Stephanum non sibi constare ac modum, quo se adversus haereticos gerat, contrarium esse iis, quae de successione Petri et unico Ecclesiae fundamento Romano praedicasset.

Cyprianus aperte Romae concedit esse „cathedram Petri“, et Fabiani episcopi Romani locum (i. e. sedem) esse locum Petri[4]. Praeterea dicit[5]: „Cerdon sub Hygino episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit“, quo loquendi modo aperte Petrus inter episcopos Romanos ponitur (cf. p. 575). Similiter iam Irenaeus[6]: „Cerdon . . . cum venisset Romam sub Hygino, qui *nonum* (ἔνατον) locum episcopatus per successionem ab apostolis habuit.“[7]

[1] Ibid. 2, 25.

[2] De pudicit. 21 (ed. Reifferscheid et Wissowa 270).

[3] Inter ep. Cypriani ep. 75, n. 17 (Hartel 821).

[4] Ep. 59, n. 14; ep. 55, n. 8 (Hartel 683 629).

[5] Ep. 74, n. 2 (Hartel 801). [6] Adv. haer. 1, 27, 1 (MG VII 687).

[7] Obici quidem potest, quod alibi (3, 4, 3: MG VII 856), cum iterum de Cerdone agit Irenaeus, lectio „sub Hygino, qui fuit *octavus* episcopus“ probanda videtur; eo enim loco omnes veteres latinae versionis Irenaei codices eam habent, licet Eusebius, qui H. E. 4, 11 hunc locum recitat, in suo Irenaei codice legerit *ἔνατος ἐπίσκοπος*. Obicit praeterea Massuetus, quod etiam priore loco 1, 27, 1 saltem unus „Cod. Pass.“ legat: „qui *octavum* locum . . . habuit“, licet Eusebius, hunc quoque locum afferens (4, 11) etiam hic habeat: *Ὑγίνου ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπικῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἔχοντος*. Sed contendimus, licet 3, 4, 3 legendus sit numerus octavus, tamen numerum nonum altero loco 1, 27, 1 retinendum esse. Nam 1. non est mirum, diversis locis diverso modo Irenaeum numerare. Utraque enim numeratio recte institui potest (cf. infra p. 584). 2. Cum Eusebio omnes quotquot exstant latini Irenaei codices nullo excepto H. E. 1, 27 nono loco ponunt Hyginum. Neque difficultatem movet unicus ille qui dicitur „Cod. Pass.“ Hoc enim compendio Massuetus non insignit codicem, quem ipse inspexerit, sed variantes lectiones, quas Passeratius margini exemplaris Erasmianae editionis Irenaei ascripsit (cf. Massueti

Quae lectio „*nonum* locum“ hic omnino retinenda est. Auctor etiam, qui ineunte saeculo III scripsit contra artemonitas, qui a Photio putatur esse Caius presbyter Romanus, a recentioribus plerumque Hippolytus († 235) habetur, artemonitas dicentes inducit[1]: „Veritatem [i. e. doctrinam suam] esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanae urbis episcopus fuit (τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος).“ Si Victor est tertius decimus, ergo primus post Petrum est Linus; qui primus „post Petrum“ nominari non potest, nisi in Petri locum successerit. Non autem successit in eius locum, in quantum apostolus est Petrus, ergo in eius locum successit, in quantum Petrus etiam erat episcopus. Certe si diceretur: post Hegelium Schelling erat primus professor philosophiae Berolinensis, etiam Hegel diceretur professor philosophiae; si legimus, post Habsburgicos primum Hispanorum regem fuisse Philippum V, etiam Habsburgicos reges fuisse significatur.

c) *Deinde etiamsi ante saeculum IV* in monumentis quae adhuc supersunt, Petro 25 annorum episcopatus Romanus non attribuatur, certum tamen est, Eusebium et catalogum Liberianum (supra p. 575) non primos tot annos Petro tribuisse, sed secutos esse hac in re monumenta longe antiquiora[2].

---

praefationem MG VII 14 405). Quas annotationes ut generatim ex bono Irenaei codice haustas esse Massueto credimus, ita earum nullam mera Passerati coniectura niti res est saltem incertissima. Quinimmo is qui unicam quae exstat de Irenaei codicibus latinis commentationem scripsit, F. Loofs (invenitur in Kirchengeschichtl. Studien. Hermann Reuter zum 70. Geburtstag gewidmet, Leipzig 1888, 1—93), l. c. 84—88 probabilissimis argumentis („mit ziemlicher Sicherheit“: p. 84; „so zweifle ich nicht daran, daß der Cod. Pass. kein anderer ist als der Voss.“: p. 88) demonstrari posse putat, codicem illum Passeratii nullum alium esse ac codicem Vossianum, qui adhuc superest. Ad locum vero 1, 27, ex quo difficultas moveri potest contra identitatem dictorum codicum, respondet Loofs, „octavum“ non lectionem codicis originariam esse, sed viri docti correctione eam in codicem irrepsisse („105[1] [scil. ed. Massueti = p. 687[b] editionis Migne] Pass. ‚octavum‘, alle Handschriften ‚nonum‘; offenbar Korrektur“: l. c. 87). 3. Qui consideraverit, quam raro antiquissimi Romani episcopi numero successionis addito nominentur, solum Hyginum toties cum numero suo commemorari ac semper, cum ita commemoretur, nomini eius Cerdonis nomen adiungi, iure mirabitur. Quae res commodam explicationem non habet, nisi ponas, Cyprianum, (Hippolytum), Epiphanium haec in libros suos transcripsisse ex Irenaeo. Unde iam ab Irenaeo Hyginum nonum nominatum esse efficitur.

[1] Apud Eus., H. E. 5, 28, 3.

[2] Catalogum quidem Liberianum in priore sua parte fluxisse ex Hippolyti († 235) Chronico primum ostendit Mommsen, cui consenserunt doctissimi historici, ut v. g. Duchesne et J. B. de Rossi (Th. Mommsen, Über den Chronographen vom Jahre 354: Abhandl. der Kgl. Sächs. Gesellschaft der Wissensch., philol.-hist. Klasse I, Leipzig 1850, 582 sqq; cf. Idem in Mon. Germ. hist. l. c. [supra p. 575]; Duchesne, Le Liber Pontif. I VIII sqq; de Rossi, La Roma sotterranea cristiana I, Roma 1864, 117 sqq, II [1867] III). — Negat tamen A. Bauer (Die Chronik des Hippolytus, Leipzig 1905), catalogum SS. Pontificum in Chronico Hippolyti affuisse. Eusebium vero eum quem dat catalogum episcoporum Romanorum, ex Iulii Africani Chronica initio saec. III hausisse demonstrare studet Harnack, Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius, Leipzig 1897, 119 sqq.

Obiciunt adversarii, 1. munera apostolatus et episcopatus inter se esse contraria, ita ut qui sit apostolus, episcopus esse non possit. Episcopi enim esse, fixam sedem habere et curas suas restringere ad certum gregem certumque territorium, contra apostolos mitti universaliter ad omnes omnino gentes. 2. Obicit Harnack[1], inspectis testimoniis historicis haud obscure deprehendi posse ipsam viam ac rationem, qua paulatim illa de Romano Petri episcopatu sententia orta sit.

Aliam enim ea de re opinionem vigere tempore antiquissimo, aliam tempore magis progrediente. Scil. Patrum antiquissimos, Dionysium Corinthium (apud Eus., H. E. 2, 25), Irenaeum (Adv. haer. 3, 3, 1 2), Tertullianum (De praescr. 36; cf. etiam Clem. Rom., 1 Cor. 1, 5; Ignat., Ad Rom. 4), apostolis semper duobus, Petro *et* Paulo, eodem modo fundationem Romanae ecclesiae ascribere. Initio vero saeculi III Petrum *solum* fundatorem Romanae sedis haberi. Calixtum enim Romanum Pontificem *Petri* successorem se gerere (apud Tert., De pudic. 21), Hippolytum (apud Eus., H. E. 5, 28) Victorem nominare episcopum tertium decimum *a Petro*, tempore denique Cypriani cathedram Romanam solius Petri cathedram habitam esse. Concludendum igitur esse putat Harnack, sub Victore vel Zephyrino mutationem illam maximi momenti locum habuisse, qua remoto Paulo soli Petro Romanae urbis administratio attributa sit[2]. — Ex altera parte iam ante Calixtum Romani episcopatus originem a solo Petro repetitam esse constare ex Romanorum episcoporum catalogo illo, quem tradit Iulius Africanus, quemque ex urbe Roma accepisse censendus sit. Quo ex catalogo ulterius effici, tum quod iam Iulius Africanus Petro ascripserit 25 annos commorationis Romanae, tum quod primum Romanum episcopum nondum existimaverit Petrum, sed Linum. Africanus autem cum eodem fere tempore vixerit cum Zephyrino, haec concludi posse: inter annos 190 et 217 Romae publice etiam attributos fuisse Petro 25 annos Romanae commorationis. Quo facto Paulum ab episcopatu Romano remotum esse, qua ex re ulterius evenisse ut paulatim Petrus episcopus Romanus existimaretur[3].

Quae ex his contra nos argumenta confici possint, clarius Lightfoot[4], quem hac in re fere sequitur Harnack, enuntiat. Sunt autem

---

[1] L. c. 703 sq.

[2] „Man muß also folgern, daß in der Zeit des Viktor oder Zephyrin jene folgenreiche Umbildung der Überlieferung in Rom stattgefunden hat, kraft welcher Paulus in Beziehung auf das römische Bistum eliminiert und das Amt an Petrus geheftet worden ist. Immerhin aber wurde Petrus noch nicht als der erste Bischof bezeichnet und gezählt, sondern es blieb bei der alten Zählung. . . . Doch kündigt sich die notwendige Folgerung, Petrus sei der erste Bischof gewesen, bereits bei Kalixt und Stephanus an . . .“ (Harnack l. c.).

[3] „Zwischen c. 190 und 217 ist in Rom die Annahme einer 25jährigen Wirksamkeit des Petrus daselbst offiziell geworden und wurde dementsprechend das römische Bistum ausschließlich an Petrus geknüpft. Infolge davon ist — indem sich die Vorstellungen von der Gewalt des Episkopats steigerten — naturgemäß Petrus allmählich als der erste Bischof betrachtet worden“ (Harnack 704).

[4] „Was S. Peter bishop of Rome at all? He might have been founder or joint-founder of the Church there, without having been regarded as its bishop. No one reckons S. Paul as first bishop of Thessalonica or Philippi . . ., though these churches owe their first evangelisation to him. — Now I cannot find, that any writers for the first two centuries and more speak of S. Peter as bishop of Rome. Indeed their language is inconsistent with the assignment of this position to him. When Dionysius of Corinth speaks of the apostles S. Peter and S. Paul as jointly planting the two churches of Corinth and of Rome, he obviously cannot mean this; for

fere haec: a) Patrum antiquissimos apostolos solummodo fundatores ecclesiae Romanae vocare, fundare autem ecclesiam non esse idem atque eius esse episcopum, secus etiam S. Paulum Athenarum vel Ephesi episcopum nominandum esse, cum in illis urbibus fundaverit ecclesias. b) Cum tempore antiquissimo Petro *et* Paulo origo Romanae ecclesiae attribuatur, si fundare sit idem ac episcopum esse, utrumque apostolum Romanum episcopum habendum esse. c) Patres primorum saeculorum si numerent episcopos Romanos, semper incipere numerationem a Lino, numquam a Petro. Ergo cum Linus primus episcopus dicatur, negari Petri episcopatum. Etiam Irenaeum eum excludere e numero episcoporum, cum 3, 3, 3 dicat: „*Fundantes* igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt." Quarum rationum nulla quidquam probat. Nam

1. apostolatum et episcopatum in uno eodemque subiecto simul esse posse et simul fuisse a) antiquitatis christianae constans sententia est.

Certe iam Clemens Alex. dicit[1], „post servatoris ascensum Petrum, Iacobum, Ioannem, quamvis Dominus ipsos ceteris praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Iacobum cognomine Iustum Hierosolymorum episcopum elegisse". Unde ex Clementis sententia vel primarium aliquem apostolum sedem Hierosolymitanam occupare non dedecuisset. Petrum Antiochiae primum sedem fixisse communis Patrum est sententia (cf. p. 581), Iacobum Hierosolymorum episcopum eundem esse ac Iacobum Alphaei apostolum, non solum ex epistula ad Galatas certe eruitur — omni enim vi destitueretur S. Pauli argumentatio, si Iacobus ille, de quo Gal 1, 19, non esset unus ex duodecim —, sed communior Patrum est sententia[2]. Concedendum quidem est, Eusebium et cum ipso Epiphanium Iacobum illum, qui fuit episcopus Hierosolymis, in numero duodecim apostolorum non ponere; sed illi ipsi eum ut apostolum tamen habent. Eusebius enim quatuordecim apostolos nosse sibi videtur, „ex quorum numero, inquit[3], duodecim quidem primos apostolos esse dicas, et illis non virtute minorem Paulum, qui et ipse vocatus apostolus est, et Iacobum fratrem Domini, qui primus Hierosolymitanae ecclesiae episcopus ab ipso Salvatore constitutus memoratur".

b) Apostoli non hoc sensu missi sunt ad omnes gentes, ut singuli continuo itinerantes et nusquam considentes ad omnes orbis terrarum gentes accedere deberent, sed hoc sensu, ut ad quam quisque accedere vellet, in ipsius arbitrio relinqueretur, et ita totum collegium

---

otherwise he would point to a divided episcopate. The language of Irenaeus 3, 3, 3 again is still more explicit. He describes the church of Rome as founded by the apostles S. Peter and S. Paul who appointed Linus bishop. After him came Linus; after Linus Anencletus, after Anencletus ‚in the *third* place from the apostles Clement is elected to the bishopric' and the others, when any numbers are given, are numbered accordingly . . ." (Lightfoot, The Apostolic Fathers. Part I: Clement of Rome II, London 1890, 501 sqq; cf. ib. I 204 207).

[1] Apud Eus., H. E. 2, 1, 3.

[2] Chrysost. in 1 Cor. hom. 38, n. 4 (MG LXI 327); Cyrill. Hier., Catech. 14, 21 (ib. XXXIII 852); Aug., C. Cresc. l. 2, c. 37, n. 46 (ML XLIII 494); C. lit. Petil. l. 2, c. 51, n. 118 (ib. 300). Cf. Cornely, Introductio III 592 sq; M. Meinertz, Der Jakobusbrief und sein Verfasser: Bibl. Studien X 1, Freiburg 1905.

[3] In Is. 17, 5 (MG XXIV 209).

apostolorum eorumque successorum paulatim totum orbem evangelizaret. Quanto autem tempore singuli apostoli in singulis regionibus commorari deberent, praescriptum illis non erat, neque vetitum illis, ut certo loco, si ad Dei gloriam utilius id putarent, sedem figerent eiusque episcopatum susciperent. Ergo apostolatus certam sedem non excludit. Pariter, ut ait Palmieri[1], „episcopatus ratio non postulat, ut quis ita alicui loco affixus sit, ut ab eo numquam recedat, si praesertim fungentes vice sua relinquere ibi possit, sed postulat, ut episcopus iure principe et ordinaria iurisdictione potiatur in certum gregem, qui ipsi tamquam capiti et pastori adhaerens una exsistat ecclesia. Cum hoc vero conciliatur excursio et digressio ad alia loca etiam longinqua, etiam per longum tempus."

c) Specialis erat ratio, cur prae ceteris apostolis Petrus certam sedem sibi eligeret. Nam, ut ait Palmieri l. c., „apostolis reliquis non erat succedendum in ipsa potestate apostolatus, quae extraordinaria erat, succedendum autem erat Petro in apostolico primatu". Nullo autem commodiore modo haec in primatu successio ordinari potuit, quam si Petrus primatum certae episcopali sedi annecteret.

2. Ut ad secundam obiectionem respondeamus, consideranda iam sunt testimonia historica, quibus opinionem de Romano Petri episcopatu paulatim esse ortam demonstrari dicitur. Atque a) ad argumentum, quod priore loco ponitur, respondemus, fundatoris nomen nec includere episcopale munus nec excludere. Unde si Dionysius ecclesiam Romanam vocat „sementem a Petro et Paulo sparsam" nihil ex his verbis contra nos ostendi potest. Ab Irenaeo vero implicite Petrum primum episcopum vocari supra vidimus (p. 579); qui cum sit Dionysii coaetaneus, evolutionis a Dionysio ad Irenaeum progredientis tempus deficit.

b) Pariter evolutionis vestigium non habetur, si priora testimonia in Petrum *et* Paulum reducant origines Romanas, posteriora solum Petrum nominent. Nam

α) eodem modo etiam *posteriore* tempore et usque ad hunc diem Petrus *et* Paulus Romae parentes praedicantur. Quod mirum non est; licet enim tota Pontificis Romani auctoritas a solo Petro originem ducat, nihil tamen deperit auctoritati ab eo solo derivatae, si cum Petro honoris causa simul nominetur altera urbis Romae gloria Paulus, quo fit, ut Patres duos apostolorum coryphaeos coniunctim nominent, ubi per se solius Petri necessaria fuerat mentio. Ita v. g. S. Leo Petrum et Paulum vocat Romanae urbis „sanctos Patres verosque pastores"[3]; S. Gregorius dicit[4]: „Paulus apostolus Petro apostolorum primo in principatu apostolico frater"; Cyrillus Hieros. ambos vocat[5] „capita Ecclesiae (οἱ τῆς Ἐκκλησίας προστάται)"; Epiphanius illos dicit[6] „apostolos pariter et episcopos" fuisse. Immo ipse

---

[1] De Rom. Pont. 393. [2] Ibid. 402.
[3] Serm. 82, n. 1 (ML LIV 422). [4] Dial. l. 1, c. 12 (ML LXXVII 213).
[5] Catech. 6, n. 15 (MG XXXIII 562).
[6] Vide p. 586, n. 9.

Paulus III convocat concilium Tridentinum nixus „ipsius Dei omnipotentis... ac beatorum eius apostolorum Petri et Pauli auctoritate“ [1], ac eadem formula R. Pontifices hodie etiam in definitionibus sollemnibus utuntur. β) Sive Petrus cum Paulo sive solus Petrus dicatur fundator ecclesiae Romanae, discrimen solum in verbis habetur, non vero in re significata. Nam Paulum sensu proprio non fundasse ecclesiam Romanam Irenaeus sine dubio sciebat, cum ex ipsius Pauli in epistula ad Romanos verbis clare id conficiatur. Solum igitur Petrum intellexit fundatorem sensu proprio, cum utrumque fundatorem nominavit. Etiam Firmilianus, quamquam Stephanum se Petri successorem dicere testatur (supra p. 579), alio loco ita loquitur, ac si ab utroque apostolo auctoritatem suam Stephanus derivet. Dicit enim Stephanum argumentantem pro legitimitate baptismi haereticorum infamare „Petrum et Paulum beatos apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint“ [2]. Eusebius H. E. 3, 4, 8 se „supra“ dixisse refert, Linum primum „post Petrum“ Romae episcopum fuisse, sed supra, scil. H. E. 3, 2 dixerat, Linum primum „post Pauli Petrique martyrium“ suscepisse episcopatum.

c) Ex modo autem, quo numerant Patres Petri successores, nihil contra nos concludi posse patet α) ex eo, quod iidem Patres, qui numerare incipiunt a Petri successore, Linumque primum episcopum dicunt, aliis locis vel ita numerant, ut Petrum includant in numeratione, vel alio modo Petrum fuisse episcopum significant.

Sic Irenaeus 3, 3, 3, ubi agit de *episcopis,* apostolorum successoribus, per quos veritas ab *apostolis* praedicata propagetur, tertium dicit Clementem, Sixtum sextum, Eleutherium duodecimum, quod dum facit a Lino incipit numerare. Alio autem loco numerat a Petro, ut vidimus p. 579. Eusebius etiam, licet clare testetur 25 annorum episcopatum Petri (supra p. 574), tamen si singulos episcopos Romanos nominat, addito successionis numero semper numerum init a Lino. Ubi tamen animadvertendum est, quod non simpliciter vocat v. g. Linum „primum“ episcopum Romanum, vel Clementem tertium, sed semper, nisi res pateat ex verborum contextu, ad numerum, ut eum magis determinet, aliquid addit; sic v. g. H. E. 3, 2 dicit: „*Post Pauli Petrique martyrium* primus ecclesiae Romanae episcopatum suscepit Linus“; 3, 4, 8: Linus „primus *post Petrum* . . . ecclesiae Romanae episcopatum adeptus est“; 3, 21: Clemens, „qui tertium gradum obtinebat ex iis, qui ibidem [Romae] post Paulum et Petrum episcopi erant. Linus vero primus erat, et post illum Anencletus“; 4, 1: „Alexander, quintum a Petro et Paulo successionis obtinens locum“ [3]. 4, 5, 5 et l. 5 prooem. Telesphorus septimus, Eleutherius duodecimus „ab apostolis“ dicuntur. Similiter cum Alexandriae post Marcum sederint Anianus, Abilius, Cerdon, hic ultimus 3, 21 non dicitur *tertius* simpliciter, sed „tertius post primum, qui fuit Anianus“. Contra

---

[1] Bulla convocationis. — Multos similes textus collegerunt Natalis Alex., H. E. tom. 4, diss. 4, § 3, n. 10, Bingii 1786, 229; Mamachi, Origines et antiquitates V 372 sqq.

[2] Inter ep. Cypr. ep. 75, c. 9 (Hartel 813).

[3] *Ἀλέξανδρος . . . πέμπτην ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου κατάγων διαδοχήν.* Unde sequitur, *primam* diadochen esse a Petro (et Paulo) ad Linum, ita ut Petrus hic in numero episcoporum comprehendatur.

H. E. 3, 4, 5 Timotheum Eusebius dicit primum Ephesi episcopum, et 3, 4, 10 et 4, 23, 3 Dionysium Areopagitam primum Athenarum episcopum, non addens primum „ab apostolis“. Unde haec diversitas, et cur, cum loquitur de Alexandrinis et Romanis episcopis et numeris eos insignit, addit Eusebius, quemnam in eorum serie primum habeat, nisi quia id ex se evidens non esse sibi conscius est, atque eodem iure apostolum fundatorem, eodem eius immediatum successorem primum nominari posse concedit? Sed haec satis de Eusebio. Hieronymus etiam, qui sine dubio Petrum episcopum fuisse existimat (supra p. 574), nihilominus dicit de Hegesippo (De vir. ill. c. 22): „Asserit se venisse sub Aniceto Romam, qui *decimus* post Petrum episcopus fuit“; quo in effato Linum primum numeravit. Eodem modo Theophilus modo sextus [1], modo septimus [2] Antiochiae episcopus apud ipsum nominatur. Prosper Tiro in Chronico, quod primo edidit anno 433, postquam dixit [3]: „Petrus ... Romam mittitur, ubi evangelium praedicans XXV annis eiusdem episcopus perseverat“, nihilominus postea: „Post Petrum, inquit, primum Romanam ecclesiam tenuit Linus annis XII“; „Tertius Romanae ecclesiae praefuit episcopus Clemens annis VIII“ etc. Vel ipsi Bedae († 735), qui in Chronico dicit [4]: „Petrus ... Romam pergit ibique XXV annis cathedram tenet episcopalem“, Victor est „XIII Romae episcopus“ [5]. Gregorius Turonensis († 594) quoque Clementem „tertium“ episcopum Romanum dicit [6].

β) Cur vero scriptores modo adeo diverso numerent, facile explicatur. Interdum enim Patres non id agunt, ut omnes episcopos Romanos enumerent, sed ut indicent successores apostolorum, per quorum seriem apostolica doctrina propagata sit. Quod si faciunt, ipse apostolus in numeratione comprehendendus non est. Praeterea Petrus non est solummodo episcopus, sed etiam apostolus, quae dignitas longe sublimior est. Quapropter etiam ex hac parte mirum non est, si apostolus, quamquam, in quantum et ipse episcopus est, *potest* in eodem ordine poni cum aliis episcopis, tamen extra numerum ponatur [7].

---

[1] De vir. ill. c. 25 (ML XXIII 643). [2] Ep. 121, c. 6 (ML XXII 1020).
[3] Mon. Germ. hist. Auct. ant. IX 412 414 418. [4] Ibid. XIII 283.
[5] Ibid. 288.
[6] Hist. Franc. I 27 (Mon. Germ. hist. Script. rer. Merov. I 46).
[7] Simili modo v. g. Georg. Syncellus (Chronographia I, Bonnae 1829, 513) dicit, post Alexandrum Magnum primum Macedonum regem fuisse Philippum Aridaeum, vel ib. 515 post Alexandrum Magnum primum regem Aegypti fuisse Ptolemaeum Lagi. Ubi non negatur, Alexandrum Macedoniae vel Aegypti regem fuisse. Etiam posteriore tempore S. Bonaventura vocatur octavus generalis minister ordinis S. Francisci in Chronico XXIV generalium (Anal. Francisc. III, Ad Claras Aquas 1897, 323). Ipse autem Bonaventura dicit: „Post transitum S. Francisci septimus in generali fratrum ministerio per omnia indignus succedo“ (Itinerarium mentis in Deum Prol. n. 2: Opera omnia V, Ad Claras Aquas 1891, 295). Priore loco S. Franciscus in numero generalium includitur, posteriore non includitur. Similiter Gregorius Nyssenus (Oratio in S. Basilium: MG XLVI 790) cum agit de ordine dierum festorum, qui celebrantur post Nativitatem Domini, ipsum festum Nativitatis non numerat cum aliis: „Primam celebritatem una cum aliis non numero. Nam ea non simpliciter sancta celebritas est, sed sancta sanctarum et celebritas celebritatum. Igitur eas, quae hanc consequuntur, numeremus.“

Petrum episcopum Romanum non fuisse probare student aliqui ex his Rufini verbis: „Linus et Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro, videlicet, ut illi episcopatus curam gererent, ipse vero apostolatus impleret officium.“ [1]

At quod hic Rufinus ut certum et iam ante ipsum aliqui ut dubium protulerant, etiam recentiore aetate nonnulli docti catholici, Petri episcopatu Romano nullatenus negato, contenderunt, uti Hefele [2] et prius iam Papebrochius [3], qui quidem ait [4], a S. Petro Linum et Cletum (Anacletum) ideo ordinatos esse episcopos, „ut *vicaria* opera intra extraque civitatem sublevarent ipsum, ordinandis per varia loca episcopis et per ipsam Romanam dioecesim omnis gradus clericis; deinde ut sua, cum res exigeret, absentis vice exhiberent ministerium omne sacerdotale, i. e. episcopale: tertio ut se mortuo non haberet opus Romana ecclesia, ei quem Pontificem sibi elegisset, ordinatores peregrinos quaerere: quod quanti esset periculi, post Marcellini papae excessum praecipue apparuit, quando propter persecutionis immanitatem non potuit successor ordinari, nisi post annos quatuor sedis vacantis.“ [5] Quod si verum est, fuerunt Linus et Anacletus Petri episcopi *vicarii*, qualem urbis Romae episcopum vicarium etiamnum habent R. Pontifices, sive ut nostra aetate vocantur, fuerunt coadiutores. Tantum autem abest, ut eiusmodi episcopus adiutor Romano Petri episcopatui tot tantisque testibus affirmato repugnet, ut eum evidenter confirmet. Ceterum notum est, plurimos magnae auctoritatis scriptores Rufini de successoribus Petri opinionem reicere.

In Constitutionibus apostolicis dicitur [6], Romanorum ecclesiae primum quidem episcopum fuisse Linum a Paulo ordinatum (*κεχειροτόνηται*). Sed eum a Paulo ordinatum esse, ut ait Cotelerius [7], „dicit alius nemo, si bene memini; quinimmo qui Librum Pontificalem composuit, et Nicephorus aliique, sed parvae fidei scriptores. Lini ... consecratorem faciunt Petrum. At Irenaeus (Adv. haer. 3, 3) scribit, Petrum et Paulum apostolos Lino episcopatus officium tradidisse; Zonaras autem et Balsamon ad canones Carthaginenses, Linum a Petro Pontificem fuisse constitutum.“ Insuper cum secundum antiquissimam iam catholicorum doctrinam aliquem episcopum consecrare et eum constituere non sit unum idemque, ex eo, quod Linus dicitur a Paulo episcopus consecratus, minime sequitur, eum ut talem etiam proprie ac vere et a solo quidem Paulo, nec consulto vel etiam resistente Petro fuisse institutum. Ceterum Paulum una cum Petro Romae episcopum fuisse praeter alios [8] Epiphanius diserte hisce verbis testatur [9]: „Romae primi omnium Petrus et Paulus apostoli pariter atque episcopi fuerunt.“ Nec tamen Paulus, etiamsi post Petri adventum Romae per aliquod tempus [10] episcopus fuerit, censeri potest fuisse supremus, sed utique Petro, utpote primati, subiectus.

---

[1] Praef. in Clementis recognitiones (MG I 1207).

[2] Wetzer u. Weltes Kirchenlex. II, Freiburg 1848, 581.

[3] Conatus chronico-hist. ad catalog. Rom. Pontif. P. 1, diss. 3, p. 14 sqq.

[4] Ibid. n. 5, p. 15.

[5] De hac sedis vacatione cf. Duchesne, Le Liber Pontif. CCXLIX.

[6] L. 7, c. 46 (MG I 1052). [7] Ibid. in nota.

[8] Cf. Papebroch, Paralip. ad Conat. 32 sqq (Acta Sanct., Maii VII).

[9] Haer. 27, n. 6 (MG XLI 371): *Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ ἐπίσκοποι.*

[10] Eum enim Roma in Hispaniam profectum esse ibique evangelium praedicasse satis ostendit Gams, Die Kirchengeschichte von Spanien I, Regensburg 1862, 1—49.

PROBATUR PROPOSITIONIS MAIORIS PARS TERTIA: PETRUS ROMAE UT EIUS EPISCOPUS MORTUUS EST. Id constat

1. iam satis ex eo, quod Petrus nullibi legitur susceptum semel episcopatum Romanum dimisisse et cum alio commutasse, ita ut alteri ecclesiae particulari ceu episcopus praeesset; ergo dicendus omnino est episcopatum Romanum etiam ad obitum usque retinuisse. — Ulterius id sequitur

2. ex diserto antiquitatis christianae testimonio. Ut enim iam retulimus, id testantur primum quidem ipse apostolorum aequalis Clemens Rom. (supra p. 541), ac deinde Caius (p. 556), Origenes (p. 560), Petrus Alexandrinus (ibid.), Tertullianus loco ex eius Praescriptionibus laudato. Sed Tertullianus idem alibi, et in operibus quidem polemicis iterum iterumque ut plane certum affirmat. Ita ait[1]: „Orientem fidem Romae primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur." Et alibi scribit[2]: „Quibus [Romanis] evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt."

Quibus testibus ut ex multis aliis quosdam adiungamus, Lactantius scribit[3]: „Cum [Nero] animadverteret, non modo Romae, sed ubique cotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum et ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum coeleste templum delendamque iustitiam, et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit et Paulum interfecit." Eusebius autem ait[4]: „Ac Paulus quidem Romae capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse eodem [Nerone] regnante traduntur." Et Athanasius[5]: „Petrus vero ... et Paulus ... his auditis verbis: oportet vos *Romae* martyrium subire (εἰς Ῥώμην δεῖ ὑμᾶς μαρτυρῆσαι), profectum non distulere suum"; testatur igitur Petrum et Paulum Romae martyrium subiisse. Hieronymus item refert de Petro[6]: „A quo [Nerone] et affixus cruci martyrio coronatus est." Gaudentius Brix.: „Petrus et Paulus, inquit[7], quorum passionis natalem hodie per universum mundum omnes ecclesiae debito honore concelebrant. In hoc enim die *apud urbem Romam* ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit, Domini iustitia coronavit." Gregorius Naz. cecinit[8]: „Ῥώμῃ δὲ Παῦλος καὶ Πέτρος νικηφόροι, i. e. Romae Paulus et Petrus victoriam ut martyres reportarunt." Paulinus Nolanus quoque de Roma cecinit[9]: „Quae prius imperio tantum et victricibus armis, Nunc et *apostolicis terrarum est prima sepulcris*." Prudentius vero integro hymno mortem Petri et Pauli *Romae obitam* celebravit, eorumque festum diem maximo plausu et frequentia a populo Romano celebratum esse testatur[10]. Augustinus etiam

---

[1] Scorp. c. 15 (ML II 151). [2] Adv. Marcion. l. 4, c. 5 (ML II 366).

[3] De morte persecut. c. 2 (ML VII 196).

[4] H. E. 2, 25, 5: *Παῦλος δὴ οὖν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι κατ' αὐτὸν ἱστοροῦνται*, i. e. non incerta fama, sed historiae testimonio traduntur.

[5] Apol. de fuga sua n. 18 (MG XXV 668).

[6] De vir. ill. c. 1 (ML XXIII 607). [7] Serm. 20, de Petro et Paulo (ML XX 994).

[8] Poem. l. 2, poema 14, de se ipso v. 64 (MG XXXVII 1250).

[9] Poem. 13, v. 29—30 (ML LXI 464).

[10] Peristeph. hymn. 12 (MG LX 556 sqq).

ait[1]: „Merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius sollemniter Roma commendat.“ Atque iis, qui Romae vastationem tunc temporis a barbaris effectam obiciebant, Augustinus respondet[2]: „Debuit ergo apostolorum memoria, per quam tibi praeparatur coelum, servare tibi in terra theatra insanorum? Plane verum est: ideo mortuus est Petrus et *Romae positus,* ut lapides de theatro non caderent? Excutit Deus delicias puerorum de manibus indisciplinatorum. Fratres, peccata minuamus et murmura.“ Ipse poeta Claudianus „a Christi nomine alienus“[3], quinimmo „paganus pervicacissimus“[4], quique in aula imperatoris Honorii diu versatus est, appellat saeculo IV ad Petri sepulcrum et cineres Pauli, per ironiam ut patet canens[5]: „Per cineres Pauli, per cani limina Petri Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.“ Patres etiam concilii Arelatensis anni 316 ad Silvestrum R. Pontificem scribunt, Romae „et apostoli cotidie sedent, et cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur“[6].

Petrum morte clarificasse Deum Io 21, 19 ita dicitur, ut qua ratione Petrus obierit et clarificaverit Deum, omnibus christianis notum fuisse ipso narrandi modo appareat. Sed si illa mors notissima erat, profecto locus eius ignotus non erat; locus autem tunc temporis notissimus brevi postea ex christianorum memoria non exciderat. Quare Romam illum locum fuisse patet. Iterum S. Ioannes Apc 18, 20 apostolos ut exsultent invitat, quia Deus vindicaturus est eos de persecuta eos Roma. Ubi ex contextu (cf. 17, 6; 19, 2) de illis apostolis agitur, qui sanguinem Romae fuderunt. Sed inter apostolos, qui martyres Romae occubuerunt, cum Paulo primo loco Petrus nominandus est; Ioannis enim Romanum ferventis olei martyrium nec morte apostoli coronatum nec ita certum est ac Petri martyrium.

Ex saeculo II testes Romani Petri martyrii nominari possunt Fragmentum Muratorianum, et fortasse apocryphum vetustissimum, quod inscribitur Ascensio Isaiae[7]; praeterea ex saec. III Acta apocrypha Petri.

3. Idem certum est ex hoc, quod Romae Petri Paulique sepulcra visuntur et magna reverentia celebrantur.

Eorum ibi sepulcra haberi iam saeculo II exeunte testantur Caius Romanus, cui consentit Eusebius (supra p. 556). Praeterea alio loco Eusebius dicit[8]: „Promissionem suam re confirmavit Servator, nempe hunc ipsum Simonem cognomine Cepham . . . in universo orbe cognitum iri usque ad occidentis regiones. Eius certe memoria usque ad hodiernum tempus apud Romanos celebrior est quam heroum veterum: adeo ut dignus quoque existimatus fuerit sepulcro insigni ante ipsam illorum urbem, ad quod populorum ex omni Romana ditione tamquam ad asylum templumque Dei accurrit multitudo. Pari modo Pauli mors martyrica datumque ei sepulcrum magnopere usque ad hunc

---

[1] De consensu evang. l. 1, c. 10, n. 16 (ML XXXIV 1049).

[2] Serm. 296, c. 9, n. 10 (ML XXXVIII 1357 sq).

[3] Aug., De civ. Dei l. 5, c. 26 (ML XLI 172).

[4] Orosius, Hist. l. 7, c. 35 (ML XXXI 1154). Cf. Histor. Jahrbuch XVII München 1896, 1 sqq; A. Baumgartner, Gesch. der Weltliteratur IV[3], Freiburg 1905, 188.

[5] Epigramma in Iacobum magistrum equitum (Carm. min. 50 [al. 77]: Mon. Germ. hist. Auct. ant. X 340).

[6] Harduin I 262 D; Mansi II 469 C.

[7] De his cf. Lecler, De Rom. S. Petri episcopatu 70 93 sqq; Zeitschr. für kath. Theol. XXV (1901) 565.

[8] Theophania l. 4, c. 7, ed. H. Gressmann, Leipzig 1904, 175*. Cf. MG XXIV 538. Locus recitatus syriace tantum servatus est.

diem in Romana urbe honorantur." Ipse imperator Iulianus apostata antiquissimum illorum sepulcrorum cultum esse testatur[1], tempori enim apostoli Ioannis eum ascribere non dubitat. Christianos scil. primi temporis dum Christo divinos honores non reddidisse demonstrare studet, S. Ioannem id primum ausum esse blasphemat, „cum sensisset, magnam multitudinem in plerisque urbibus Graecis et Italicis iam tum eo morbo captam esse, audiretque, opinor, monumenta (μνήματα) quoque Petri et Pauli clam quidem, sed tamen audiret ea coli (ἀκούων δὲ ὅμως αὐτὰ θεραπευόμενα)". Petri sepulcrum Romae in veneratione fuisse testatur etiam Athanasius. Cum enim a Constantio eunuchus, ut Liberium Pontificem corrumperet, cum donis Romam missus esset, sed repulsam a Liberio tulisset, quid tunc evenerit, sic memoriae tradit Athanasius[2]: „At eunuchus ... cum donis abit, nefariamque rem aggreditur.... Saulis quippe praevaricationem imitatus, profectusque ad martyrium Petri apostoli (ἀπελθὼν εἰς τὸ μαρτύριον Πέτρου τοῦ ἀποστόλου) illi dona illa apposuit." Ambrosius[3] narrat, sororem suam „ad apostolum Petrum" virginitatis professionem emisisse, Liberio Romano episcopo sermonem habente. Porro Optatus quid de sepulcris apostolorum Romanis tradat, iam vidimus supra p. 577. Hieronymus, qui diu Romae versatus est, de Petro: „Sepultus, inquit[4], Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur"; Vigilantium vero reliquiarum venerationis inimicum sic increpat[5]: „Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia et tumulos eorum Christi arbitratur altaria?" Augustinus scribit[6]: „Ostendatur mihi Romae in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam [sepulcrum] Petri", et videri ait[7] „imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare". Roma autem ab Alarico vastata mirabundos refert christianos quosdam exclamare[8]: „Iacet Petri corpus Romae, dicunt homines, iacet Pauli corpus Romae, ... et misera est Roma, et vastatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur.... Tanta mala Roma patitur, ubi sunt memoriae apostolorum?" Paulinus Nolanus de divina providentia apostolorum sacras exuvias per totum orbem spargente agens non solum dicit[9]: „Inde Petrum et Paulum Romana fixit in urbe, Principibus quoniam medicis caput orbis egebat", sed „sollemni consuetudine ad beatorum apostolorum natalem"[10] quotannis[11] „pro apostolorum et martyrum veneratione"[12] Romam veniebat; ubi cum moraretur, „ipsum temporis ante meridiem in votis nostris, quorum cura veneramus, per apostolorum et martyrum sacras memorias" consumebat[13]. Habuit autem „sollemnem consuetudinem" peregrinationis Romanae Paulinus iam eo tempore, quo Anastasius in Romana ca-

[1] Cyrill. Alex., C. Iulian. l. 10 (MG LXXVI 1004). C. I. Neumann, Iuliani imp. librorum contra christianos quae supersunt, Lipsiae 1880, 223.
[2] Hist. arianorum ad monachos n. 37 (MG XXV 736).
[3] De virg. 3, 1 (ML XVI 219). [4] De vir. ill. c. 1 (ML XXIII 609).
[5] C. Vigilantium n. 8 (ML XXIII 346); cf. Ep. 46, n. 8 (ML XXII 488).
[6] Enarr. in Ps. 44, n. 23 (ML XXXVI 509).
[7] Ep. 232, n. 3 (ML XXXIII 1028).
[8] Serm. 296, c. 5, n. 6 (ML XXXVIII 1355).
[9] Poema 19, v. 54 (ML LXI 512); cf. poema 31, v. 3 (ib. 674).
[10] Ep. 20, n. 2 (ML LXI 247). [11] Ep. 43, n. 1 (ib. 382).
[12] Ep. 45, n. 1 (ib. 392). [13] Ep. 17, n. 2 (ib. 235).

thedra poneretur, i. e. anno 398 [1]. Quod unum hominis literis et religione nobilissimi testimonium sufficere potest, ut Petrum et Paulum Romae mortuos et sepultos esse concedatur. Fraus enim ulla si rei suffuisset, non tanta talis vir fiducia ei fidem haberet [2].

Non modica confirmatio accedet huic argumento, si consideraveris, quo loco quomodo exstructa sit Romae ecclesia S. Petri, in qua apostolorum principis sepulcrum veneratur [3]. Quam ecclesiam, postquam circum eam variis occasionibus solum effossum est, constat aedificatam esse supra ipsam veterem viam Corneliam, ita ut haec via publica exstructa ecclesia penitus tegeretur. Eodem modo constat, hanc viam ex utroque latere cinctam fuisse monumentis sepulcralibus plerumque paganis, quorum multa praecipue saec. XVII inventa sunt. Anno autem 1626, cum foderetur humus in ipsa ecclesia circa altare, ut fundamenta poni possent pro columnis illis, quibus superstructio altaris portatur, inventa sunt etiam corpora, quae christianorum esse certis signis constabat; haec autem, quamquam in diversis partibus circa altare collocata, ita omnia posita erant, ut eorum capita respicerent altare. Ulterius ecclesia illa partim aedificata est supra ipsum circum Neronianum, quem destrui necesse erat, ut ecclesiae locus pararetur. Atque cum venientibus ab Urbe in sinistra (meridionali) parte viae Corneliae esset circus, in dextera collis quidam, locum pro ecclesia exstruenda ita nacti sunt, ut partem collis fossorum ope excavarent, quo facto ecclesiam ita posuerunt, ut pars septentrionalis circi tegeretur parte meridionali ecclesiae. Atque Constantinum imperatorem veterem basilicam S. Petri aedificasse ipsi lateres, qui adhibebantur ad ecclesiam exstruendam, ostendunt, signati enim sunt nomine imperatoris.

Iam vero haec facta facile explicantur, si cum catholicis admittis, iam ante ecclesiam exstructam eodem loco fuisse sepulcrum S. Petri atque ad honorandum sepulcrum ecclesiam esse aedificatam. Nullam autem rationabilem explicationem habent, si ecclesiam ex rationibus ignotis illo loco positam fuisse dixeris, et post positam ecclesiam tunc tantum sepulcrum, quod Petri dicebant, ibi excavatum fuisse. Hoc enim si esset, cur ecclesiae faciendae eum locum elegerunt, ubi necesse erat collem removere, destruere viam publicam et monumenta sepulcralia, quorum tanta religio erat apud Romanos? Et cur corpora christianorum circa altare sepulta, quae ante ecclesiam aedificatam ibi posita fuisse patet, omnia altare respiciunt?

4. Ecclesia Romana semper ita potuit gloriari de Petri Paulique martyrio eorumque sepulcris, ut nulla umquam alia ecclesia catholica particularis hanc gloriam sibi vindicare ausa sit, quamquam singulae illae ecclesiae suos primos episcopos cognoscunt, nominant atque venerantur; atqui hoc prorsus incredibile esset, nisi omnino certo omnibus constitisset, Petrum et Paulum Romae glorioso martyrio obiise ibique sepultos esse, Petrumque nullo umquam tempore Romanum episcopatum cum alio commutasse. Si enim alia aliqua ecclesia vel probabiliter tantum existimare et probare potuisset, Petrum apud se esse sepultum sedemque suam episcopalem post Romanam occupasse, profecto hac de re non siluisset.

---

[1] Ep. 20, n. 2 (ML LXI 247).

[2] Referuntur etiam aliqui martyres sepulcra apostolorum Romae visitasse, ut Paternus sub Decio (Acta Sanctorum, Aug. IV 402. Ughelli, Italia sacra I, Venetiis 1717, 719), Maurus sub Numeriano (Baronius ad a. 284 n. 8), Zoe sub Diocletiano (Acta S. Sebastiani c. 20, inter Opera S. Ambrosii: ML XVII 1051; Acta Sanctorum, Ian. II 276). Sed haec incerta sunt.

[3] H. Grisar, Gesch. Roms und der Päpste I, Freiburg 1901, 218 sqq.

5. Accedit denique argumentum ex consensu sectarum orientalium. Nulla enim antiquior secta orientalis vel haeretica, ne illae quidem, quae habitabant Babyloniam vel Aegyptum, ubi secundum adversarios nostros Petrus evangelium praedicaverit, Petri sepulcrum umquam sibi vel alteri orientis urbi vindicare ausae sunt, sed omnes unanimi et constanti consensu, etiamsi R. Pontificis in universam Ecclesiam primatum negarent, diserte semper docuerunt, S. Petrum apostolum Romae evangelium praedicasse ibique mortuum ac sepultum esse. Id affirmare licet de *nestorianis*[1] *iacobitis, monophysitis* in toto oriente ac speciatim in Arabia, Aegypto et Aethiopia exsistentibus[2], *melchitis*[3] atque *armenis*[4], nullusque umquam orientalis legitur negasse, S. Petrum Romae mortuum esse, atque immo, ut

---

[1] Ita ipsi in Syria, Mesopotamia, Perside habitantes, teste Martin, S. Pierre et S. Paul dans l'église Nestorienne, Amiens 1875, 54, in Vesperis Officii de SS. Petro et Paulo, quod ut alia plura officia maxima ex parte originem ex saeculo saltem IV trahit, de istis duobus apostolis dicunt: „Qui ont terminé le cours de leurs travaux au sein *de la grande Rome,* Pierre en mourant sur la croix, Paul en étant couronné par l'épée. C'est la main de l'impie Néron, qui a versé le sang de ces saints." Et in eiusdem Officii Completorio nestoriani dicunt (l. c. 57 sq): „Bienheureuse es-tu, *ô Rome* célèbre, cité des rois, servante de l'époux céleste, car voici que *reposent en toi* les deux prédicateurs véritables, *Pierre,* le chef des apôtres, sur la fermeté duquel notre Sauveur a bâti son église fidèle, et Paul, l'élu, l'apôtre et architecte des églises du Christ" (cf. supra p. 155). Atque in eodem Officio haec leguntur (l. c. 69): „Simon Kepha s'est transporté *à Rome* pour extirper l'erreur et semer dans cette ville la doctrine de vie." Rursus l. c. 74: Pierre et Paul „sont entrés dans l'opulente *Rome,* en portant l'étendard de la croix. Dans la plus parfaite concorde ils ont semé la vie sur cette terre." Atque multa alia similia testimonia nestorianorum vide l. c. 71 sq 75 77 85 92 96 sqq 100 114 120 132 sq 141 144. Plures alios scriptores tum nestorianos tum posteriores *iacobitas* idem testantes Martin refert l. c. 71 sqq et in Revue des questions historiques XIII (1873) 32 sqq.

[2] Ut enim Martin (S. Pierre et S. Paul dans l'église Syrienne monophysite) refert (p. 49), monophysitae in Officio suo de S. Petro et S. Paulo dicunt de S. Petro: „Il a jeté son filet dans *Rome* et il l'a ramené; il a lié la lionne comme une brebis; il l'a fait entrer dans l'église." Et rursus de S. Petro leguntur l. c. 61 haec: „Parce qu'il était le chef et le premier de ses frères, tu [Christ] l'as envoyé *à Rome,* la capitale et la première des villes." Ac paulo post ibidem haec adduntur: „Pierre étant crucifié la tête en bas afin de pouvoir baiser les talons de son maître, et Paul perdant par l'épée sa tête précieuse." Praeterea monophysitae dicunt (l. c. 63): „Pierre et Paul, grappes éloquentes, que l'impie empereur Néron a pressées." — Alia similia monophysitarum testimonia referuntur l. c. 52 60 70 76 81. Atque idem traditur etiam in vitis SS. Petri et Pauli, quae apud monophysitas habentur (cf. Martin in Revue des quest. hist. XIII 77 sqq).

[3] Certe melchitae schismatici, teste Martin l. c. 69, in Officio diei 29 Iunii dicunt: „O Pierre, rocher de la foi, ô Paul, gloire de la terre, *venez ensemble de Rome* et donnez-nous la fermeté."

[4] Armeni schismatici, utut primatum Romani Pontificis diserte negantes, saeculo XIII etiam docuerunt, S. Petrum ecclesiam Romanam fundasse ibique mortuum esse. Ita, ut refert Martin l. c. 84 sq, Vardan Bartsbertzi († 1260), ab armenis multum celebratus scriptor, in tractatu suo contra primatum Romani Pontificis haec scripsit: „Quant à ce qui regard Pierre lui-même, il fonda d'abord l'église de

Martin refert[1], ipsi historici muhammetani, ut Masudi, testantur instar christianorum, Petri mortem Romae locum habuisse. Iam vero si isti haeretici et schismatici, Romanae ecclesiae omnino adversantes, vel *minimam rationem* habuissent negandi, S. Petrum Romae fuisse ibique mortuum et sepultum esse, contra vero affirmandi, eum Babylone aut alibi, vel in Mesopotamia vel in Aegypto, evangelium praedicasse et mortem obiisse, profecto id magno clamore fecissent.

Paene piget refutare ea, quae afferuntur, ut Petrum in Palaestina vel Aegypto sepultum fuisse ostendatur. Sic occasione expeditionis a Napoleone I in Aegyptum susceptae centurio aliquis prope Joppen lapidem sepulcralem invenisse fertur, hac inscriptione instructum: „Simon Petrus discipulus Iesu hic requiescit." At totam narratiunculam fictam esse evidens est. Nemo enim post illum centurionem inscriptionem eam vidit, et si exstitit, a male morato eam fictam esse probant omnia, quae hucusque de Petri sepulcro ex veris documentis vidimus[2]. Deinde A. Dressel[3] sibi visus est invenisse, apostolum Petrum Alexandriae in Aegypto sepultum esse. Secundum Coptarum enim traditionem Petrum ibi sepultum esse affirmat, idque etiam Epiphanium monachum (Hagiopolitam, qui floruit initio saec. IX) testari dicit. In descriptione scil. sua Palaestinae et regionum adiacentium Epiphanius loquitur etiam de urbe Alexandria[4], „ubi iacent b. Marcus apostolus et evangelista, et Athanasius Magnus, et venerabilis Troilus, et S. Ioannes Eleemon, et *beatus Petrus martyrum terminus* (*καὶ ὁ ἅγιος Πέτρος τὸ τέλος τῶν μαρτύρων*), et Apollinarius orthodoxus et confessor Vitalius". At si adverteris, l. c. agi de Petro termino martyrum, statim hallucinari Dresselium perspicies. Termini enim martyrum cognomen sollemne est non Petri apostoli, sed Petri patriarchae Alexandrini († 311)[5]. Quem, cum ad mortem pro Christo subeundam duceretur, sic Christo supplicasse acta eius passionis narrant[6]: „Exaudi me tuam interpellantem clementiam, pacifica quaeso

---

Césarée, ensuite celle d'Antioche, enfin *celle de Rome*. Pourquoi Rome serait-elle la première? Est-ce parce que (ses habitants ou ses rois) ont tué Pierre? Mais Jérusalem a crucifié le Dieu de Pierre." — Alter Romani Pontificis primatum pariter impugnans armenus Mikhitar a Datchiadz eodem saeculo item scripsit (l. c. 86): „Mais comme *Pierre reçut des Romains la couronne du martyre*, il est maintenant appelé à just titre *l'apôtre des Romains*."

[1] L. c. 41. [2] Cf. Roskovány XVI 51.

[3] Augsburger Allgem. Zeitung 1872, 3373: „Als ich vor einigen Jahren mit einem orientreisenden deutschen Gelehrten hier [zu Rom] darüber sprach, versicherte er, daß alle Kopten fest an dem Glauben hingen, Simon Petrus sei in Alexandria gestorben und bestattet.... Ich glaube, daß die Anwesenheit des Apostels Petrus in Rom nur die Überlieferung, nicht die Geschichte für sich hat." In eodem periodico (p. 3406) eum refutavit Döllinger.

[4] Epiphanii monachi et presbyteri edita et inedita, cura Alb. Dressel, Parisiis et Lipsiae 1843, 5 (MG CXX 266). Per errorem hunc Epiphanium confundit Dressel cum alio Epiphanio (cf. K. Krumbacher, Gesch. der byzant. Literatur[2], München 1897, 420).

[5] N. Nilles, Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis I[2], Oeniponte 1896, 335.

[6] MG XVIII 462. Idem narratur in synaxario Coptarum ad diem 29 mensis Hatur sic: „In seinem Gebete hatte er gesagt: O Herr Jesus Christus! Möge durch mein Blut der Götzendienst ein Ende erreichen! Da kam eine Stimme vom Himmel: Amen, dir wird geschehen, wie du gewollt hast! Diese Stimme hörte eine heilige Jungfrau, welche in der Nähe war" (Synaxarium, d. i. Heiligenkalender der koptischen Christen. Aus dem Arabischen übersetzt von F. Wüstenfeld, Gotha 1879, 144).

tempestatem Ecclesiae tuae, effusione sanguinis mei servi tui conclude persecutionem populi tui.“ Addunt acta: „Tunc quaedam virgo Deo dicata, . . . pernoctans in oratione audivit vocem de coelo dicentem: ‚Petrus initium apostolorum, *Petrus finis martyrum* episcoporum Alexandriae.‘“ Scil. Petrus ultimus fuit martyr Alexandriae, cum brevi post eius mortem promulgatum est 30 aprilis 311 edictum Maximini, quo finis imponebatur persecutioni. Unde cur τέλος μαρτύρων vel σφραγὶς καὶ τέλος τοῦ διωγμοῦ soleat dici clarum est. — Deinde opinione Coptarum recentiore, etsi Petrum apostolum Alexandriae mortuum et sepultum esse narraretur, nihil certe ea demonstraretur contra totius antiquitatis christianae unanime testimonium ac ipsius Alexandrinae ecclesiae veterem traditionem. Origenes enim, Petrus Alexandrinus, Athanasius, ecclesiae Alexandrinae lumina, Petri sepulcrum Romae posuerunt.

Quinimmo ipse Eutychius, patriarcha Alexandrinus schismaticus 933—937, narrat[1]: „Prehensum vero Petrum Nero Caesar cruci affigit, corpore scil. inverso, atque ita eum morte affecit. . . . Erat vero post Petrum Linus patriarcha Romae.“ Alexandrinae vero ecclesiae fundator constanter Marcus evangelista traditur. Atque in Coptarum synaxario, i. e. calendario, discrte Petrum apostolum Romae mortuum esse significatur. Praecipuum in hanc rem testimonium iam supra (p. 174) posuimus. Praeterea eodem die, quo Petrus „terminus martyrum“ colitur apud Coptas, etiam Clemens Romanus in eorum synaxario positus est, cuius vita cum breviter recensetur, inter alia traditur[2]: „Cum apostolus Petrus Romae praedicaret, et hic sanctus [Clemens] de eius historia et de magnis miraculis, quae patrarat, audisset, eum in domum suam invitavit. . . .“ De S. Silvestro ibidem narratur[3]: „Eius [ad patriarchalem sedem Romanam] nominatio locum habuit XI anno imperii Constantini Magni. Qui cum *in Petri sedem* ascendisset, baptizavit imperatorem Constantinum.“ Rursus ibidem in vita S. Lucae evangelistae[4]: „Erat inter septuaginta illos, quorum memoria est in evangelio; comes erat Petri et Pauli, eorumque historiam conscripsit. Post horum duorum apostolorum mortem Lucas praedicare *perrexit in regionibus Romae*.“ In vita abbatis monophysitici Schnudi vel Sinuthios († 451), quae saec. VII coptice conscripta, hodie in versione arabica exstat, haec leguntur[5]: „Deinde composuit [Schnudi] etiam orationem plenam verborum vituperii et tristitiae et contritionis de tempore mortis et excessionis hominis. Ex qua multi quidem homines utilitatem perceperunt, infideles vero dubitabant nec cognoscebant Deum. Quod cum nuntio allatum esset ad eos qui sunt Alexandriae, orationem illam in manus sumpserunt, verba scil. Patris nostri sancti, et profecti sunt cum ea ad corpora apostolorum Petri et Pauli Romam; nam Dominus Christus [ad Petrum] dixerat: Amen dico tibi, quod oculus tuus non claudetur in aeternum adversus lumen huius mundi. Atque sicuti Dominus noster Iesus Christus promiserat, ita revera res evenit. Propter quod corpus eius totum velaverant excepta eius facie, et sic res permansit, ut Dominus noster dixerat. Itaque cum librum admovissent ad corpus mundi ac puri apostoli, manum apostolus ex linteis sepulcralibus protendit, illum sumpsit, ter osculatus est et dixit: ‚Ave in hoc adventu tuo hodie, o amice noster, qui magister es et mundus apostolus. Paulus discipulus tertius decimus apostolus factus est, tu igitur eris quartus decimus. . . .‘ Quod cum audissent homines et benedixissent Deum propter ea, quae purus apostolus locutus erat de Patris nostri doctrina, ecce multi ex orthodoxis glorificaverunt Deum et sanctum eius propter ea, quae praesentes

---

[1] MG CXI 983. [2] Wüstenfeld l. c.

[3] Ad diem 7 mensis Tubeh (Wüstenfeld 221 sq).

[4] Ad 22. Babeh (Wüstenfeld 81). Priores tantum 6 menses synaxarii Coptici germanice transtulit Wüstenfeld, in quibus festum S. Petri non habetur.

[5] L. E. Iselin und A. Heusler, Eine bisher unbekannte Version des ersten Teiles der Apostellehre: Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristl. Literatur, herausgeg. von O. v. Gebhardt und A. Harnack, XIII 1, Leipzig 1895, 25.

viderant, et quae facta erant in magna urbe Roma." Fabulosa haec esse non est cur dicamus, sed nihilominus ubi Coptae Petri apostoli sepulcrum exstare putaverint, ex hac fabula etiam elucet [1].

Petrum apostolum Romae fuisse, Romae episcopatum urbis administrasse, Romae mortuum esse, etiam si abstrahimus a testimoniis historicis particularibus, *praescriptionis argumento confirmari* potest [2]. Admittenda enim sunt facta, scil. Petri Romanum iter, Romanus episcopatus, Romanum martyrium, si probentur haec: 1. facta praedicta si vera fuerunt, debuerunt referri et transmitti tali testimonio constanti et universali, quali revera semper relata et transmissa sunt; 2. testimonium quod per undeviginti saecula de factis istis viguit, et fides, qua constanter ea credita sunt, non aliam causam habere potuerunt quam ipsam horum factorum veritatem. Atqui

1. facta haec si vera fuerint, transmitti debuisse universali et constanti quale exstitit testimonio probatur

a) *ratione generali:* nam factum omne sensibile, diuturnum, omnibus conspicuum, publicum, gravissimi momenti et gravissima trahens consectaria, neque ignorari potest a coaevis et sequentibus, quae a prima illud acceperunt, generationibus, neque tamquam indifferens ex hominum memoria excidere; sed est cum innumerorum hominum commodis aut incommodis connexum, et dat ortum aliis factis, quae et ipsa narrantur et multorum hominum ore celebrantur, et quorum memoria non retinetur nisi cum memoria facti principalis. Atqui talia fuerunt facta, de quibus agimus. Fuerunt enim

α) per se *maxime publica et conspicua* tum christianis iam Romae conversis, qui S. Petrum summa veneratione prosequi debuerunt, tum infidelibus, quorum praeiudicia, errores, idololatria etc. impugnabantur et praedicatione S. Petri et nova religione, cuius diffundendae ipse erat praecipuus minister [3]. Nec tantum Romae civibus innotescere debuerunt haec facta, sed etiam omnibus gentibus, quae audiebant evangelii praedicationem et ipsum Christi nomen, quaeque doctrinam Christi accipientes, ignorare nequibant sortem principis apostolorum a Christo missorum, nec circa ipsum remanere indifferentes et incuriosi; sed contra eae debebant missionem et dignitatem S. Petri venerari et

---

[1] Petrum Hierosolymis mortem oppetiisse probare studuit C. Erbes in Zeitschrift für Kirchengesch. XXII (1901) 1 sqq 161 sqq, sed argumentis nulli valoris. Cf. Zeitschr. für kath. Theol. XXVI (1902) 351 sqq. In ipsa Realenzyklopädie für prot. Theol. XV [3] 201 haec eius opinio reicitur.

[2] Sequimur hic J. P. Martin, apud Bouix I 57 sqq.

[3] Petrum nec ipsis gentilibus ignotum fuisse elucet ex eo, quod Phlegon ethnicus scriptor Petrum per errorem loco ipsius Christi nominat (Orig., Contra Cels. 2, 14: MG XI 826). Narrabant gentiles, ut christiana religio adeo floreret, *Petrum* effecisse maleficiis, sed post 365 annos eam finem sumpturam esse (Aug., De civ. Dei l. 18, c. 53, n. 2: ML XLI 617). Quem locum Petro Porphyrius tribuat cf. supra p. 156.

ipsi subici, et ipsius principalem auctoritatem inter prima capita fidei, quam amplexae fuerant, profiteri. Item facta haec

β) gravissimi momenti fuerunt tum christianis, qui iam Petrum ut pastorem primum et ducem agnoscebant, tum infidelibus, quibus praedicabatur religio christiana et summa necessitas eam amplectendi, et Ecclesiam, cui Petrus praeerat, ineundi. Tandem facta haec

γ) ortum dabant aliis factis aeque conspicuis, nempe miraculis, quibus Petrus et doctrinam, quam praedicabat, et missionem suam ac dignitatem specialem, quam a Christo acceperat, probabat ac confirmabat; tum multis conversionibus, quae Romae, ipso praedicante, publice fiebant; tum novae societati religiosae, quae media in urbe Roma ex ipsius incolis ad Christum conversis coalescebat et a gentilibus in his omnibus, quae ad religionem pertinent, maxime distincta atque divisa erat et Petrum ut caput et ducem agnoscebat et reverebatur.

Ergo facta ista non potuerunt a coaevis ignorari, nec taceri, nec subsequentibus generationibus (remanentibus semper iisdem causis, conditioni factorum istorum propriis, eademque ipsorum gravitate, et eadem cognoscendi necessitate) non transmitti. Ergo non potuerunt ista facta non constanter referri testimonio patenti et publico, quale semper revera exstitit et exsistit.

b) *Idem probatur* ratione *speciali.* Etenim quod Petrus Romam venit et ibi sedem suam fixit et Romae episcopus mortuus est, fuerunt facta, quae ad religionis christianae fundamenta pertinebant. Nam si facta haec vera fuerunt, sedes episcopalis Romana facta est sedes summi pontificatus Ecclesiae catholicae, et urbs ipsa Roma caput totius orbis catholici, et ecclesia Romana omnium aliarum ecclesiarum princeps et magistra; praeterea facta est omnibus Christi doctrinam et fidem amplectentibus et profitentibus necessitas inter fidei dogmata credendi ac profitendi, episcopum Romanorum esse ducem et principem totius Ecclesiae, principem episcoporum, doctrinae Christi magistrum primarium, totius fidelium societatis supremum rectorem et pastorem, communionis et unitatis catholicae centrum et principium, eum denique esse illum, cui omnes undique fideles subesse tenerentur. Atqui huiusmodi facta non potuerunt ignorari nec constanti testimonio non transmitti; ad ipsam enim Ecclesiae catholicae constitutionem pertinebant, inter religionis dogmata ab omnibus christianis reponebantur semper credenda et memoranda; porro ortum illa dabant gravissimis consectariis, nempe necessitati fidem Romani episcopi profitendi, ipsi ut capiti cohaerendi, ipsius leges accipiendi et servandi; pariter ortum dabant aliis factis conspicuis, nempe institutioni novarum ecclesiarum ab ipso dependentium, communioni omnium cum ipso episcoporum et fidelium, legibus quibus Ecclesiam informabat, missioni ministrorum ab ipso deputatorum ad gentes convertendas etc. Ergo facta haec semper debebant esse maxime conspicua et ubique cognita, atque constanti et universali testimonio debebant servari et transmitti

ad sequentes generationes. Ergo si vera fuerint, procreare debuerunt testimonium, quale semper exstitit et exsistit.

2. Testimonium, quale ab undeviginti saeculis exstitit et etiamnunc exsistit de factis istis, non aliam habere potuit causam quam factorum istorum veritatem. Quod demonstratur

a) *ratione generali.* Etenim testimonium istud est constans, universale, maxime fixum atque determinatum; scriptis innumeris consignatum, orali traditione servatum; monumentis etiam maxime publicis et sollemnibus celebratum, v. g. festo cathedrae S. Petri Romanae; festo mortis, quam per martyrium S. Petrus sub Nerone subiit; reliquiarum ipsius corporis Romae exstantium perpetua veneratione, necnon templorum Romae erectorum in memoriam S. Petri Romae episcopi; confluxu fidelium undique Romam venientium, ut venerentur ipsius corporis sacras reliquias et invisant urbem, quam cathedra sua et morte illustravit et sanctificavit; praeeminentia sedis Romanae et sollemni atque constanti professione tum Summorum Pontificum, qui publice se gerunt sedis et auctoritatis Petri Romae mortui successores, tum omnium catholicorum; et insuper testimonium istud est de facto per se maxime sensibili, obvio, publico et innumeris testibus patente, gravissimique momenti. Atqui testimonium de tali facto non aliam habere potuit causam quam facti veritatem. Etenim testes ipsius facti tam multi et adeo omnibus rationibus diversi, nempe ingenio, moribus, conditione, indole, studiis etc., nec decipi aut errare potuerunt, nec decipere voluerunt nec etiam potuerunt; nec etiam tot scriptores gravissimi, quorum multi fuerunt facto propinqui, in errorem induci potuerunt neque errorem transmittere; nec tot et tam sollemnia monumenta orta fuissent, si facta haec non exstitissent, et si eorum veritas perspecta non fuisset. Unde omnia media, quibus factorum historicorum veritas ad generationes remotissimas certo pervenit, factis istis tota cum efficacia applicantur, cum paucissima sint facta, quae tot veritatis indiciis et signis illustria sunt.

b) *Probatur etiam ratione speciali.* Nam facta haec non fuerunt, sicut pleraque facta historiae profanae, indifferentia, sed fuerunt facta religiosa, nempe pertinentia ad ipsam fundamentalem constitutionem societatis christianae et Ecclesiae catholicae, quaeque admitti debebant vel tamquam religionis dogmata vel tamquam conditiones necessariae certorum dogmatum, eorum scil., quae exprimunt Ecclesiae constitutionem et apostolicam successionem a Christo ipso expressam et determinatam; unde ex veritate factorum istorum pendebat (in ordine historico) tota ratio successionis Romanorum Pontificum in dignitatem et auctoritatem S. Petri; ac proinde etiam ex veritate factorum istorum pendere debebat regimen ecclesiasticum, forma ipsius atque vis tota, ipsius Ecclesiae ratio socialis, unitas, catholicitas, apostolicitas.

Atqui tale de talibus factis testimonium oriri non potuit nisi a factorum veritate. Etenim omnes, qui primum amplexi sunt fidem christianam, quique erant adeo multi adeoque veritatis amantes, salutis cupidi, quorum multi praeterea erant sanctitate, sagacitate, doctrina insignes, quique etiam fidem suam martyrio fortiter tolerato signabant, non potuerunt decipi circa facta, quae pertinebant ad fidei fundamenta; nec potuerunt sine sufficienti examine et absoluta certitudine facta haec admittere; nec voluerunt aut potuerunt generationes sequentes decipere; nec fidei christianae praedicatores potuerunt infidelibus, quos ad Christum adducere conabantur et quos re ipsa ubique tam multos adduxerunt, veritatem eiusmodi factorum persuadere, nisi fuissent certissima; neque tam multi christiani, posthabitis omnibus terrenis commodis, sortem ac salutem suam alligassent Ecclesiae Christi, nisi maxime perspecta habuissent facta, ex quorum veritate pendebat istius Ecclesiae constitutio et veritas. Ergo facta haec nisi fuissent veritate conspicua, numquam credi coepissent; et falsitas, si quae fuisset, statim detecta fuisset. Ergo neque incipere potuit, et multo quidem minus per totum orbem diffundi, atque deinceps permanere testimonium, quale exsistit, de factis istis.

Insuper testimonium istud saepissime saeculorum decursu debuit ad examen revocari ab haereticis, schismaticis et iis omnibus, qui iugum Summi Pontificis excutere volebant. Unde vel vi veritatis convicti facta haec et ipsi admiserunt, vel si quid contra veritatem istam aliqui excogitaverunt, fuit omnino imbecille ac caducum, ita ut testimonium universale nullatenus potuerit debilitari nec ullum supersit vestigium istarum impugnationum, et merito negari possit, eas antiquitus aliquando exstitisse, praesertim iis saeculis, quibus factorum istorum memoria recens erat et facilius potuit testimonii istius, si falsum fuisset, vis infringi. Ergo consensio istorum hominum in admittendis factis istis est invictum veritatis argumentum.

Praeterea fides universalis, qua nunc creduntur facta praedicta, ascendit per generationum praecedentium seriem usque ad tempus, quo facta haec locum habuerunt; nec potest assignari aliud tempus, quo fides ista coeperit, neque auctor illius; neque memorari possunt ullae reclamationes contra mendacium istud, si fuit, exortae. Atqui tamen si quis inducere voluisset hanc fidem, qua crederentur facta haec, quae falsa fuissent, et de quibus nihil umquam auditum fuisset, retineri debuerunt populorum memoria, historia, monumentis praedictae circumstantiae istius mutationis. Nam facta adeo gravia, quae fuissent omnino inaudita et ignota, non admissa fuissent; nec sine vehementibus reclamationibus, impugnationibus, contradictionibus audita fuissent, praesertim cum facta ista mutassent totam societatis ecclesiasticae constitutionem et omnes relationes variorum Ecclesiae membrorum cum episcopo Romano, cui supposuissent et concessissent iura, quae non accepisset a Christo, et creassent nova populorum et episco-

porum erga ipsum officia. Ergo non magis potuit fides factorum istorum falsorum induci sine huiusmodi contradictionibus, quam mutari nullo reclamante ipsa Ecclesiae constitutio aut dogma ullum fundamentale. Porro istae contradictiones efficaciter impedivissent, ne fictionibus istis fides haberetur, nec latuissent aut coaevos aut subsequentes generationes. Ergo numquam incipere ac stabiliri potuisset fides factorum istorum, nisi ab omnibus vera agnita fuissent.

Et vero vel factorum istorum fides inducta fuisset subita mutatione, vel sensim sine sensu seu mutatione insensibili. Atqui neutrum dici potest: non prius, ex modo allatis rationibus. Sed neque posterius: etenim in Ecclesia semper exsistunt multi fideles et fidei suae et Ecclesiae a Christo constitutae addictissimi, et zelo puritatis et integritatis fidei ferventes, quique proinde numquam sine reclamationibus et contradictionibus passi fuissent, hanc novam fidem factorum istorum induci; et semper vigilant ubique pastores seu episcopi dogmatum et constitutionis Ecclesiae custodes fidelissimi et officiorum suorum observantissimi, qui ea omnia, quae possunt gregis sibi commissi fidem turbare aut adulterare, detegunt et arcent; semper etiam viri docti exsistunt, qui omnes novitates a fide alienas signant atque refellunt et populos in veritate confirmant. Atqui cum istis omnibus mediis errores detegendi semper in Ecclesia praesentibus impossibile fuisset, ut sensim sine sensu serperet et obtineret falsitas. Debuit quippe tandem falsitas ista diffundi, ut in fidem communem transiret; unde et statim fraus detecta fuisset atque signata, dictisque ac scriptis ac pastorum documentis confutata et repulsa. Ergo nec potuit fraus ista, si fuisset, sensim sine sensu obtinere.

Insuper ista facta non servata sunt traditione tantum historica et huic simili, qua transmittitur memoria factorum historiae profanae, sed traduntur populis ab auctoritate, quae subiectionem et fidem omnimodam requirit et praecipit, quaeque ius suum repetit ex veritate factorum istorum, nempe a Romano Pontifice, cui coniuncti sunt omnes episcopi, quique auctoritatem suam, quam omnes revereri tenentur, se habere profitetur ex eo, quod sit successor principis apostolorum Romae mortui ipsiusque sedem occupet et auctoritatem huic sedi annexam hereditaverit et exerceat. Atqui traditio haec tali auctoritate servata non incipere potuit nisi ab ipsa factorum veritate. Si enim S. Petrus sedem Romanam non occupasset, nec ipsi primatum pontificalem alligasset, nec eam tenens mortuus esset, repulsus fuisset, quicumque S. Petri successorem sese et auctoritatis heredem ingerere tentasset eo praetextu, quod occuparet sedem Romanam tamquam sedem Petri; nec titulus illius successionis agnitus fuisset, nec auctoritatem illam impune et pacifice usurpare potuisset; nec proinde eam obtinere et exercere obtinendo omnium fidelium et episcoporum obsequium et venerationem. Ergo traditio haec numquam incipere et stabiliri potuit. Ergo facta haec vera sunt et omnino certa.

Vera igitur est huius nostrae argumentationis propositio maior, qua S. Petrum ad mortem usque Romae episcopum fuisse affirmavimus.

PROBATUR PROPOSITIO MINOR: SUCCEDENDO IN HUNC PETRI EPISCOPATUM ROMANOS PONTIFICES SUCCEDERE IURE DIVINO IN EIUSDEM PRIMATUM. Nam

A. id sequitur ex iure successionis. Ille enim Petri primatum in perpetuum a Christo institutum post Petri mortem accepit semperque habet, qui fuit semperque est verus ac legitimus Petri in primatu successor. Atqui Romanus Pontifex est hic verus ac legitimus Petri successor. Nam secundum naturalem successionis legem omnis societatis legibus bene constitutae et ordinatae ibi successor quaerendus est, ubi qui primus vel antea magistratum habuit, mortem obiit, nisi saltem de alia successionis ratione definite ac clare constituta certo constet. Petrum porro et Romae ut episcopum Urbis atque, id quod per se patet, simul ut totius Ecclesiae primatem ad mortem usque fuisse, et nec sedem suam episcopalem Roma alio transtulisse, nec alterius ecclesiae episcopum vel socium successorem suum in primatus munere nominasse certum omnino est. Si enim ex voluntate Christi aut Petri alii quam Romanae sedis praesules succedere debuerunt in Petri primatum, id certe effectum esse Ecclesiae historia aliquo modo referret. Atqui ne minimum quidem indicium alterius quam Romani Pontificis in Petri primatu successoris in tota historia ecclesiastica habetur. Ergo Christus eo ipso, quod pro libera sua voluntate nihil hac de re peculiare disposuisse legitur, legem illam naturalem servari omnino voluisse necessario censendus est; eumque iure ita egisse adeo patet, ut probatione non indigeat. Ergo Romanus Pontifex in Romanum Petri episcopatum succedendo eo ipso etiam in eius primatum succedit, et iure quidem divino, saltem quatenus hoc *obiective* spectatur.

Nec licet opponere, factum esse mere humanum, quod Petrus Romae potius quam alibi sedem fixerit; quod autem a facto humano pendeat, non posse esse iuris divini[1]. Nam etiamsi, in quod hic nondum inquirimus, illud factum, quod Romae Petrus sedem constituit, esset mere humanum, tamen minime sequeretur, R. Pontificis primatum non esse iuris divini. Licet enim non possit esse iuris divini, quod a facto humano tamquam *a causa* pendet, nihilominus tamen iuris divini esse potest, quod factum humanum ut *praeviam conditionem* tantum requirit, qua posita Deus effectum producat. Ita miraculum resuscitationis mortui ut patretur, requirit ut conditionem praeviam hominem vere mortuum; nihilominus tamen, si resuscitetur, ea ad vitam revocatio est opus divinum. Simili modo primatus, ut R. Pontificibus tamquam Petri successoribus competat, factum humanum, quod Petrus Romae sedem suam constituit, in ordine saltem historico tamquam praeviam con-

[1] Ita etiam Schulte (Die Stellung der Konzilien 294): „Von Christi institutio kann man in dem Sinne nicht reden, weil Christus *nirgends* von einem Nachfolger Petri zu Rom gesprochen hat, indem weder die Schrift noch die alten Väter solches berichten."

ditionem requirit; cum autem illud factum reapse contigerit, transit iam primatus in R. Pontifices efficiente voluntate Christi, qui primatum Petro dedit et in Ecclesia sua perpetuum esse voluit. Unde R. Pontificis primatus recte iuris divini esse dicitur.

Opponit Calvinus[1], primatum privilegium esse vel reale sive locale, vel personale, vel mixtum; si primum sit, ergo cum semel fuerit concessum Antiochiae, non posse ab ea urbe tolli, etiamsi inde Petrus recesserit et alibi mortuus sit; si secundum, ergo nihil pertinere ad locum, neutiquam igitur plus iuris habere Romam in pontificatum quam aliam quamcumque civitatem; si tertium obtineat, ergo non sufficere esse Romanum episcopum, ut habeat aliquis primatum. Nam si sit privilegium partim locale partim personale, non dari ait Calvinus loco nisi pro tempore, quo in eo est homo, cui datus est, scil. Petrus. — Sed ad haec recte respondet Bellarminus[2], ex prima quidem Christi institutione primatus dignitatem fuisse personalem, cum a Christo non fuerit annexa ulli certo loco, sed simpliciter Petro collata; sic tamen fuisse personalem, ut publica, non privata fuerit. Privilegia enim personalia privata dicuntur, quae dantur alicui personae pro ipsa tantum; publica vero, quae dantur ei et pro ipsa et pro ipsius successoribus. Quia tamen postea Petrus Romae ut eius episcopus sedem suam constituit nec alio eam transtulit, factum est hoc privilegium etiam locale, et proinde mixtum. Nam est alligatum Romanae urbi, quamdiu Petri successores Romae sedem suam retinent. Si enim divino iussu sedes ipsorum alio transferretur, haud amplius essent Romani praesules totius Ecclesiae episcopi; si transferretur, inquam, ipsa sedes, ita ut qui nunc sunt Romani totius Ecclesiae Pontifices, alicuius alterius loci episcopi dicerentur. Non enim sola absentia Pontificum ab Urbe sedes transferri diceretur. Atque haec ex hypothesi dicta sunt; non enim credimus umquam futurum, ut Petri sedes alio transferatur.

Petrum Romanam ecclesiam saltem non ut centrum unitatis Ecclesiae, ergo non ut primatem totius Ecclesiae rexisse, Wieseler[3] demonstrare conatur ex 1 Petr 1, 1. Quo loco Petrum ait brevi ante martyrium suum ecclesiam Hierosolymitanam tamquam centrum totius Ecclesiae, exteras vero ecclesias, inter quas etiam Romana fuerit, tamquam in dispersione (διασπορᾷ) constitutas considerasse. — At facile ad haec respondetur. Petrus enim enumerat ibi earum ecclesiarum, quae in dispersione sint, nomina, nec tamen Romanam ullatenus commemorat. Et licet Romanam ecclesiam dici potuerit in dispersione esse, quatenus extra Palaestinam et inter gentiles posita erat et quatenus Hierosolymitana *origine* omnium prima fuit ex eaque omnes aliae ortae sunt, manifesto tamen non sequitur, ecclesiam Romanam non primam *auctoritate* atque *iurisdictionis primatu* fuisse aut a Petro habitam esse.

B. Et Romanae et totius Ecclesiae historia idem demonstrat. Nam iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum

1. Pontifices Romani semper sibi adiudicaverunt;
2. universa Ecclesia semper iis ascripsit et in iis agnovit;
3. iure divino nitebatur haec adiudicatio, ascriptio, agnitio.

---

[1] Instit. l. 4, c. 6, n. 12. [2] De Rom. Pontif. l. 2, c. 12.
[3] Chronologie des apostolischen Zeitalters 593.

Atqui triplex hoc factum nullo modo locum habere potuisset, nisi Romanus Pontifex reapse iure divino, saltem obiective spectato, Petri in primatu successor esset; ergo is reapse est.

I. PROBATUR IAM TRIPLEX ILLUD FACTUM.

1. PONTIFICES ROMANI SIBI SEMPER PETRI PRIMATUM IURISDICTIONIS IN UNIVERSAM ECCLESIAM VINDICARUNT[1]. Sane Romani Pontifices ita iam primis temporibus de se suaque totius Ecclesiae cura loquuntur, eamque supremam in totam Ecclesiam iurisdictionis potestatem legiferam, iudicialem et coactivam sibi attribuunt et vero etiam exercent, ut se tamquam veros ac legitimos in Petri primatu successores et habuisse et gessisse omnino dicendi sint.

Cuius rei argumentum etsi non omnino certum, probabile tamen praebet Clementis Romani illa epistula, quam inter annos 93 et 96 ecclesiae Romanae nomine ad Corinthios dedit. Corinthi enim cum aliquot iuvenes superbi insurrexissent adversus presbyteros eosque loco deiecissent, harum turbarum fama Romam perlata Clemens Corinthios graviter reprehendit, auctoresque seditionis ad poenitentiam adhortatur. Sic v. g. versus finem epistulae: „Accipite, inquit[2], consilium nostrum, nec poenitebit vos. . . . Sin autem quidam non obtemperaverint iis, quae ille [*Deus* scil.] *per nos* dixit, cognoscant, offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse, nos autem innocentes erimus ab hoc peccato." Ac porro[3]: „Aequum igitur est . . . nos cervicem supponere et oboedientiae locum implere, ut quiescentes a vana seditione ad scopum in veritate nobis propositum sine ulla vituperatione perveniamus. Gaudium enim et laetitiam nobis praestabitis, si *oboedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum Sanctum,* resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistula." Praeterea legatos Corinthum misit, qui, ut scribit[4], „et testes erunt inter vos et nos. Hoc vero fecimus, ut sciatis, omnem curam nostram id et spectasse et spectare, ut vos brevi ad pacem perveniatis." Quae omnia probabile indicium primatus Romani praebere manifestum est. Primum enim apparet, Romanam ecclesiam suum esse putasse, ut curam aliarum ecclesiarum gereret, quod etiam initio epistulae confirmatur, quo Romani *excusant,* quod non citius scripserint. Nam „propter subitas, inquiunt[5], ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos, qui nobis acciderunt [persecutionem scil. Domitiani] *tardius* fratres nosmetipsos convertisse existimamus ad res, quae desiderantur apud vos". Utrum rogaverint Corinthii Romanorum sententiam necne, non constat; sed sive rogati sive non rogati se immiscuerunt Corinthiorum rebus, utrumque facit

[1] Patet, hic afferri non posse ea Romanorum Pontificum acta, quae ab iis ut metropolitis vel occidentis patriarchis edita sunt vel edita esse videntur. Qua in re peccent v. g. Roskovány (I 104 sqq) et Bouix (I 105).

[2] C. 58 (Funk I² 173). [3] C. 63 (ib. 181).

[4] C. 63 (ib. 183). [5] C. 1 (ib. 99).

pro Romano primatu. Deinde Clemens ad Corinthios scribit eo modo, qui decet iudicem cum magna quidem benevolentia et caritate, sed non minore etiam auctoritate loquentem. Quam verborum in hac epistula gravitatem etiam agnoscunt ii, qui Romani primatus adversarii sunt. Corinthii autem Romanorum de se curam non modo graviter non tulerunt, sed tanta reverentia epistulam acceperunt, ut anno 170 Dionysius eorum episcopus testetur [1], ad illud usque tempus eam publice Corinthi in ecclesia legi. Qui mos etiam aliis in ecclesiis viguit [2]. Neque aliis Patribus Romanorum loquendi modus offensioni erat. Certe Ignatius inter Romanorum ornamenta ponit, quod alios docuerint [3]. Polycarpus in epistulam suam multa ex Clemente transscripsit [4], Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Origenes Clementis epistulam laudibus ornant [5].

SAECULO SECUNDO ad finem vergente (ca a. 196) Victor, Pontifex Romanus, a Polycrate, episcopo Ephesi, postulavit, ut convocaret in concilium alios Asiae minoris episcopos, ac literas suas et sententiam Romani concilii de celebratione festi paschalis ipsis recitaret: *minatus,* se ipsorum omnium ecclesias a communione ecclesiae non solum Romanae, sed *totius reliquae* segregaturum esse, nisi decretis suis obtemperarent. Et cum illi in concilium quidem convenissent, sed sententiam de die paschatis celebrando mutare nollent, Victor reapse in eos excommunicationis poena eatenus animadvertit, quatenus asianos illos anathematis quidem sententia non proprie ferierit, sed tamen communione sua privaverit aliisque episcopis iniunxerit, ne cum iis communicarent [6]. Insuper Victor probabiliter etiam auctor fuit, cur propter eandem controversiam in plerisque ecclesiarum particularium provinciis concilia illa celebrarentur, cum certe non tot synodi eodem tempore in omni ferme Ecclesiae regione propter eandem rem celebratae fuissent, nisi Victor supremos illarum provinciarum episcopos ad id impulisset. Tametsi enim Polycrates dixit [7], se concilium convocasse, ut petiit (ἠξιώσατε) Victor, dici tamen nequit, ipsos obtemperasse suasioni, non mandato. Nam „licet Victor non imperii, sed petitionis forma hanc synodorum convocationem indixisse credi possit, tamen ista consensio episcoporum in parendo ipsi plus quam auctoritatem suadentis in eo manifestat; neque enim de alio aliquo episcopo id legimus, quod tantam auctoritatem in universa Ecclesia habuerit, ut, ipso rogante, toto orbe ceteri episcopi statim convenerint et sententias suas ad eum miserint“ [8]. Atque ex his omnibus satis apparet, Victorem totius Ecclesiae curam munusque primatus iurisdictionis in universos Christi fideles sibi commissum credidisse.

---

[1] Apud Eus., H. E. 4, 23, 11. [2] Ibid. 3, 16.
[3] Ἄλλους ἐδιδάξατε (Ad Rom. 3, p. 255). [4] Funk I² XLI sq.
[5] Ibid. XLIII sq.
[6] Cf. hac de re De Smedt, Dissertationes 77 sqq.
[7] Apud Eus., H. E. 5, 24, 8. [8] De Smedt 81.

SAECULI TERTII initio eiusdem rei testimonium praebet Tertullianus, cum iamiam sectae montanistarum aggregatus per ironiam manifeste de Romano Pontifice Callisto scribat[1]: „Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium: Pontifex scil. Maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit" etc. Nisi enim Callistus se summum totius Ecclesiae pontificem primatu iurisdictionis dotatum habuisset, Tertullianus profecto ista ratione de eo loqui eique illum primatum tamquam fictitium obicere minime potuisset[2].

Atque Tertullianus idem comprobat, eundem Callistum, quem ironice „apostolicum" vocat, hisce appellans[3]: „De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius [remittendi peccata gravia] Ecclesiae[4] usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus: super hanc petram etc. (Mt 16, 18 19), idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem Ecclesiam Petri propinquam?[5] Qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem?" Ex his enim patet, Callistum se Petri successorem in primatu existimasse. Callisti enim argumentatio haec est: quia Dominus Petro dedit potestatem peccata remittendi, propterea ego, eius successor, hac potestate fruor. Porro quia ego, Callistus, hanc potestatem habeo, propterea ea derivatur ad omnem ecclesiam, quae Petro propinqua, i. e. cum Petro coniuncta est[6].

Medio fere saeculo tertio Stephanus Romanus Pontifex sui officii esse arbitratus est, ut errorem evelleret, qui respectu baptismi ab haereticis collati non solum in Africa, sed etiam in nonnullis Asiae minoris provinciis serpebat, eique strenue omnino atque ita fortiter sese opposuit, ut episcopis illum errorem defendentibus excommunicationem minitaretur[7], itaque etiam se ut Ecclesiae primatem professus est. Insuper, teste Firmiliano[8], Stephanus literis ad orientales datis „per successionem cathedram Petri habere se" praedicavit.

Et haud diu post Stephanum cum Dionysius, celeberrimus antistes Alexandrinus, in haeresis suspicionem venisset et ad Dionysium,

---

[1] De pudic. c. 1.

[2] Hagemann (Die römische Kirche 70) scribit de Tertulliano: „Von seinen Gegnern sagt er, daß sie mit dem Ansehen Petri zu handeln glauben (De ieiun. c. 10: se putant ex *persona* Petri agere)"; quae si vera essent, forent etiam huius nostrae rei, de qua agimus, comprobatio. At loco „persona" est in editione tum ab Oehler tum a Reifferscheid et Wissowa adornata nomen „forma", nec ulla lectio varians annotatur. Atque etiam orationi contextae illud nomen formae plane congruit, cum Tertullianus velit ostendere, Callistum et qui cum eo sint, non eadem ratione qua Petrus ieiunium servare.

[3] L. c. c. 21. [4] i. e. pro Ecclesia. „Ecclesiae" est casus dativus.

[5] G. Esser hoc incisum probabilius ita explicandum putat: „Ad omnem ecclesiam ecclesiae Petri (= Romanae) propinquam" (Katholik 1902, I 214 sq). Consentit Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Literatur II 575.

[6] Cf. Esser l. c. 192—220. — „Propinquitas" ecclesiarum ad Petrum non potest esse aliud nisi quod hodierno modo loquendi vocaremus filiationem.

[7] Eus., H. E. 7, 5, 4. [8] Inter ep. Cypr. ep. 75, c. 17 (Hartel 821).

Romanum Pontificem delatus esset, hic eum statim admonuit[1]. Cui Dionysius Alexandrinus, ut scribit Coustant[2], „satisfacere primum brevibus, moxque prolixioribus literis quam primum, ut Athanasius notat, studuit". Quo sane facto constat, et christianos Alexandrinos et ipsum eorum praesulem agnovisse Romanum Pontificem tamquam supremum fidei iudicem, primatu donatum non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis. Cur enim Alexandrini praesulem suum ad Dionysium Romanum Pontificem suspectae doctrinae causa detulissent, nisi iure sperassent, ipsum *efficaci* modo posse huic malo mederi, ideoque non tantum suasione amica, sed si opus esset, etiam iudicium exercendo et poenas infligendo Alexandrinum episcopum ab haeretica doctrina avertere? Quare quod S. Marcus ipsorum ecclesiae auctor discipulus Petri fuit, sola huius spei illiusque delationis causa esse non potuit. Et Romanus Pontifex Dionysius eiusdem sententiae fuisse videtur, cum alioquin Alexandrinum praesulem non tam graviter monuisset.

SAECULO QUARTO Iulius I Pontifex Romanus ante concilium Sardicense a. 341 vel 342 ad episcopos Eusebianos scripsit, Athanasium, Alexandrinum antistitem, se inscio iudicari non debuisse. Cuius verba sunt haec[3]: „Oportuit omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur; episcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae, quae vexabantur, sed quas ipsi apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse *consuetudinem* (ἔθος), ut primum nobis scribatur, et hinc (ἔνθεν) quod iustum est decernatur (*ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια*)? Sane si qua huiusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam [Romanam] scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libuit egere, nos, quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec Patres tradiderunt. . . . Obsecro, bono animo ferte; quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo; non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt, nos conturbassent." Affirmat igitur Iulius, ad se pertinere officium diiudicandi causas etiam orientalis patriarchae Alexandrini, et hoc ius a S. Petro se accepisse, atque id omnibus notum esse. Qua sane ratione Iulius locutus non esset, nisi ipsi persuasum fuisset, se esse Petri in primatu successorem.

Nec obstat, quod Iulius ad iudicium ferendum occidentalium episcoporum synodum convocaverat, ut ipse una cum iis causam diiudicaret. Manifestum enim ac certum est, occidentalibus episcopis illis per se nullam potestatem in orientales competivisse; unde si nec Iulius talem potestatem per se solum habuisset, eam nec ab illis episcopis accepisset. Eiusmodi autem potestatem

---

[1] Athan., De sententia Dionysii n. 13 (MG XXV 499).
[2] Epist. Pontif. Rom. 279.
[3] Ep. 1, n. 22 (Coustant 386 sq).

nec ipse Iulius sibi ascribere potuit nisi ratione successionis in Petri primatum; ergo si se non Petri successorem totiusque Ecclesiae primatem reputasset, profecto ista ratione locutus non esset.

Eodem saeculo Siricius, anno 384 Romanus Pontifex creatus, in epistula ad Himerium, episcopum Tarraconensem, saepius iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam sibi attribuit. Scribit enim primum[1]: „Quia officii nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quinimmo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur heredes." Quibus verbis cum dicat *administrationis* sive *regiminis Petri* apostoli *heredem,* portantem *omnium onera,* et eum, qui *debeat maiore* quam reliqui omnes religionis christianae studio esse animatus, Siricius certe summae in totam Ecclesiam iurisdictionis primatum sibi tribuit.

Porro dicit[2]: „Praefatam regulam [quam modo tradiderat de administratione baptismi] omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicae petrae, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli." De quibus verbis recte annotat Bouix[3]: „Is sane sibi iurisdictionis primatum ascribit, qui *regulam* ab *omnibus sacerdotibus* (i. e. episcopis) tenendam iniungit, et addit, non posse quemquam hocce mandatum transgredi, quin hoc ipso sese ab Ecclesia catholica divellat. Item primatum asserit, dum dicit universalem Ecclesiam a Christo constructam fuisse *super apostolicam petram,* nam ex contextu patet, ibi per apostolicam petram intelligi sedem Romanam, seu Romani episcopi, quatenus successoris Petri, potestatem."

Tum de iis, qui ad dignitates ecclesiasticas promovendi sint, locutus Siricius addit[4]: „Quae omnia ita a vestrarum regionum despiciuntur episcopis, quasi in eo contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de huiusmodi usurpationibus negligendum . . ., quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus." Profecto nisi Siricio persuasum fuisset, se universalis iurisdictionis primatu pollere, atque nisi id ab omnibus etiam Ecclesiae sociis certum et extra omnem dubitationem positum habitum fuisset, ipse ausus non esset generali decreto definire, quid *universae ecclesiae* in posterum sequi aut vitare deberent. — Locis igitur huius epistulae allatis Siricius ut totius Ecclesiae Pontifex Summus, non tantum ut occidentis patriarcha loquitur.

At, inquit Schulte[5], Siricius declaravit, R. Pontificem de causa, de qua synodus iam egerit, quamque constituto iudici iudicandam delegaverit, non posse iudicare, ipsi igitur iurisdictionis universalis iura non competere. Ad Anysium scil. Thessalonicensem aliosque Illirici episcopos Siricius haec

---

[1] C. 1 (Coustant 624). [2] C. 2, n. 3 (ib. 627 sq). [3] L. c. 101.
[4] C. 8, n. 12 (Coustant 632 sq). [5] Die Stellung der Konzilien 164.

scripsit[1]: „Accepi literas vestras de Bonoso episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum huiusmodi fuerit concilii Capuensis iudicium, ut finitimi Bonoso atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, et praecipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de eius factis vel cognoscerent: advertimus, quod nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, recte de iis quae comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. . . . Ideo primum est, ut ii iudicent, quibus iudicandi facultas est data: vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis, nos quasi ex synodi auctoritate iudicare non convenit." At his verbis Siricius non dicit, quod adversarius eum dicentem facit. Sibi ex quo Capuana synodus Bonoso *ipsum Anysium* aliosque adiutores iudices delegerit, non competere Siricius dicit, ut *ex illius synodi auctoritate* causam iudicet, sibi *absolute* hoc ius non competere nullatenus dicit. Contra diserte affirmat futurum fuisse, ut, si synodus certos iudices nondum constituisset, ipse ab Anysio rogatus eam causam iudicaret. Noluit nimirum Siricius quidquam agere contra Capuanae synodi decretum recte et secundum ecclesiasticam disciplinam factum. Bonosus enim erat Sardicensis episcopus, Daciae provinciae metropolita, ita tamen, ut Thessalonicensis episcopus ipsius superior esset et hinc Bonosi causae cognitio ad hunc pertineret. „Hoc igitur Anysii ius", scribit recte Coustant[2], „integrum servavit Capuana synodus, cum Bonosi causam ad eum detulit. Simul et eadem synodus canonibus, qui episcoporum iudices non e remota provincia, sed e vicina eligi volunt, nominatimque 14. Antiocheno et 7. Sardicensi gessit morem, cum ‚praecipue Macedones' Anysio iudices adiungi voluit." Num igitur ex hoc, quod Siricius noluit rectum et consuetum iudiciorum ordinem turbare, contra ipsius aliorumque R. Pontificum potestatem iurisdictionis quidquam consequitur? Sane si rex legitimis iudicibus ut aliquam causam ipse cognoscere dignaretur petentibus hoc suum non esse responderet, sed causam ab ipsis ordinariis iudicibus secundum constitutam iudiciorum formam et ordinem iudicari debere, num inde effici posset, ipsum suprema in regno iurisdictionis potestate instructum non esse? Accedit, quod ipsi R. Pontifices, Siricius aliique, Thessalonicensem episcopum omnium Illyrici supremum constituerant. Scribit enim Innocentius I ad eundem Anysium[3]: „Cui etiam anteriores tanti ac tales viri praedecessores mei episcopi, i. e. sanctae memoriae Damasus, *Siricius* atque supra memoratus vir [Anastasius] ita detulerunt, *ut omnia, quae in illis partibus gererentur, sanctitati tuae*, quae plena iustitiae est, *traderent cognoscenda*, meam quoque parvitatem hoc tenere iudicium eandemque habere voluntatem te decet recognoscere." Atque eandem potestatem idem Innocentius etiam Anysii successori Rufo dedit[4]. Siricius igitur Anysium pro illis provinciis *sui vicarium* constituerat, adeo ut iudicium de Bonoso, eius subdito, primum ad Anysium secundum regulam iuris ecclesiastici pertineret; et cum insuper Capuana synodus hoc idem iudicaret, Siricius, regulas iuris observans, rectissime voluit, ut ipse Anysius illam causam iudicaret. Insuper omnes illae provinciae

[1] Ep. 9, n. 1 2 (Coustant 679 sq). [2] In ep. 9 monitum n. 8 (ib. 679).
[3] Ep. 1 (ib. 739). [4] Ep. 13, n. 2 (ib. 816).

R. Pontifici subiectae erant etiam ut *occidentis patriarchae*. Probari igitur nequit, Siricium illa scribentem non ut occidentis patriarcham tantum, sed ut totius Ecclesiae primatem locutum esse. Nam etiam ut patriarcha tantum, utpote Bonosi atque synodi Capuanae superior, potuit sane absolute illam causam ipse iudicare[1].

SAECULO QUINTO (anno 417) Innocentius I Carthaginiensi concilio rescripsit[2]: „Antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium; scientes, quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid praecipere, quos abluere, quos veluti coeno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret. Gratulor igitur, carissimi fratres, quod per fratrem et coepiscopum nostrum Iulium literas ad nos destinatis: et cum illis curam geritis, quibus praesidetis, ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis: et per cunctas totius orbis ecclesias omnibus una, quod prosit, decernendum esse deposcitis: ut suis constabilita regulis Ecclesia“ etc. Bene ad haec Bouix annotat[3]: „Haec ergo est S. Innocentii doctrina, etiamsi agatur de disiunctis et remotis provinciis, definitivum esse nequit iudicium episcoporum, nisi ‚sedis apostolicae auctoritate firmatum fuerit‘. Et haec est ‚antiqua traditio et ecclesiastica disciplina‘. Et hoc ‚debetur sedi apostolicae‘. Et ita Patres statuerunt non ‚humana sententia‘ seu tamquam *ecclesiastici* dumtaxat iuris dispositionem, sed ‚sententia divina‘, i. e. quatenus ab ipso Christo Domino constitutum. Et ex iudiciis sic a sede Romana firmatis sumunt ‚ceterae ecclesiae, quid praecipere‘, quos in poenitentiam et communionem recipere, quos tamquam indignos a communione reicere debeant.“ Sane qui de sede Romana hac ratione loquitur, ei primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam ascribit.

---

[1] Addere iuvat, ne certum quidem *omnino* esse, hanc epistulam a Siricio scriptam esse. Invenitur scil. inter epistulas Ambrosii (ML XVI 1172; cf. XIII 1176) sine certa inscriptione fide digna, atque ex probabili coniectura post Holstein et Tillemont ascribitur Siricio. Cf. Rauschen, Jahrbücher der christl. Kirche 342.

[2] Ep. 29, n. 1 (ib. 888 sq). [3] L. c. 103.

Idem Innocentius I Milevitanae synodi Patribus haec rescripsit[1]: „Diligenter et congrue apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem praeter illa, quae sunt extrinsecus, *sollicitudo manet omnium ecclesiarum*) super anxiis rebus, quae sit tenenda sententia: antiquae scil. regulae formam secuti, *quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* Verum haec missa facio: neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmastis, nisi scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa super emanent? Praesertim *quoties fidei ratio ventilatur,* arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi *ad Petrum,* i. e. sui nominis et honoris auctorem *referre debere,* velut nunc retulit vestra dilectio, quod per *totum* mundum possit *ecclesiis omnibus* in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem synodi, sententiae nostrae statutis viderint ab ecclesiastica communione seiunctos. Gemino igitur bono caritas vestra fungetur. Nam et canonum potiemini gratia servatorum, et beneficio vestro totus orbis utetur."

Porro cum haeretici homines in dioecesi Hierosolymitana monasteria ad S. Hieronymi curam pertinentia caede atque incendio vastassent, Innocentius I ea de re certior factus, sed nesciens, quinam tanti facinoris essent auctores, Hieronymo haec scripsit[2]: „Itaque excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicae ad omne comprimendum nefas festinavimus; sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut iudices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime." Et in alia epistula ad Ioannem, patriarcham Hierosolymitanum data ait[3], ipsum prospicere debuisse, ne tot ac tantis malis, quibus afflictae sint Paula et Eustochium, opprimerentur, ac nisi deinceps aut corrigantur aut retundantur, ipsum rationem reddere debere. — Innocentius igitur ius se habere iudicavit *dandi iudices,* vel alia ratione etiam magis efficaci vindicandi crimen, quod in dioecesi *orientali* et *alteri patriarchae subdita* commissum erat, et *ipsi huic patriarchae* minatus est, se eum in iudicium vocaturum, si aut facinora commissa non corrigeret, aut similia in posterum, quantum valeret, non impediret. Num vero sic orientalis patriarchae rebus sese immiscere eumque redarguere potuit, si de suprema Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictione persuasum ei non fuit?

In responso porro ad literas episcoporum Macedoniae vocat Innocentius I[4] sedem apostolicam *caput ecclesiarum,* et se generatim ut ipsorum omnium superiorem gerit.

---

[1] Ep. 30, n. 2 (Coustant 896). [2] Ep. 34 (ib. 908). [3] Ep. 35 (ibid.). [4] Ep. 17, n. 1 (ib. 830 sqq).

Obiciunt Innocentii I epistulam ad Alexandrum patriarcham Antiochenum[1], ex qua logica necessitate sequatur, R. Pontifici ius nullatenus competere in alieno patriarchatu metropolitanos ordinandi, quod ius si iurisdictionem universalem haberet, necessario ei competeret. Ad Alexandrum enim illum Innocentium scripsisse haec[2]: „Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tuae gratiae statuas pervenire. Quorum enim te maxima exspectat cura, praecipue tuum debent mereri iudicium." Verum quomodo quod ex istis verbis adversarius deducit, logica necessitate sequatur, equidem prorsus non video. Dum enim Innocentius dicit, ceteros non sine permissu Alexandri Antiocheni ordinandos esse, se ipsum neutiquam comprehendit, cum sane R. Pontificis non sit, in omnes orbis catholici partes iter faciendi, ut ibi episcopos ipse ordinet; aliis enim gravioris momenti negotiis iam satis superque occupatus est. Nec etiam Innocentius dicit se, etsi vellet, in Antiocheno patriarchatu episcopos ordinare *absolute* non posse; contra se Antiocheno patriarcha Alexandro *superiorem* esse manifesto pluribus declarat. Nec enim Innocentius Alexandrum prius ad Ecclesiae romano-catholicae communionem admisit pacemque cum ipso firmavit, quam Alexandri legati pacis conditiones ab ipso propositas iniverant; quod patet ex ipsius epistula ad Bonifatium scripta[3]. In qua epistula Innocentius etiam addit, se illos libenter recepisse, „ne diu *membra,* quae requisiverant sanitatem, ab unitate corporis haberentur aliena". Et in ipsa epistula ad Alexandrum Antioch. data nonne Innocentius loquitur ut *illo superior,* dicitque diserte, sedem Antiochenam *urbis Romae sedi cedere,* quia Petrus apostolorum primus Romae mortuus sit tamquam eius episcopus? Cum autem Innocentius se patriarcha Antiocheno superiorem reputaverit, nonne exinde logica utique necessitate consequitur, potuisse ipsum, si voluisset, etiam in Antiocheno patriarchatu episcopos et presbyteros ordinare? Denique, id quod ex infra dicendis constabit, alii R. Pontifices vel patriarcham Antiochenum loco movendo, vel eius electionem per se illegitimam sua ratihabitione legitimam efficiendo evidenter demonstrarunt, se etiam in illam iurisdictionem sibi vindicasse.

Patet igitur, Innocentium I primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam divinitus sibi commissum existimasse[4].

Eadem in persuasione fuit Innocentii I successor Zosimus (417 ad 418). Certe in epistula ad omnes episcopos Africae, Galliae et Hispaniae data de Tuentio et Urso episcopis illicite ordinatis ait[5]: „Qua de re ad sanctitatem vestram et *per totum orbem,* ubicumque et in quacumque terrarum (parte) sonus catholicae religionis exiit, scripta

---

[1] Schulte, Die Stellung der Konzilien 164.

[2] Ep. 24, n. 1 (Coustant 851 sq). [3] Ep. 23 (ib. 849 sqq).

[4] Bouix (De Papa I 108 sqq) affert pro hac re etiam epistulam Innocentio I ascriptam ad imperatorem Arcadium; eam autem minime genuinam, sed probabiliter olim modo saeculo VI confictam esse, probat Coustant l. c. Append. p. 102 sqq.

[5] Ep. 4, n. 4 (Coustant 958).

direximus, fratres carissimi, ne Tuentium et Ursum in communione Ecclesiae, in quocumque ecclesiastico gradu, a qua in totum anathemati sunt, suscipiendos esse ducatis." Eo ipso enim, quod per totum terrarum orbem catholicum scripsit, ne isti in communionem reciperentur, in totam Ecclesiam iurisdictionis primatum exercuit.

In literis autem ad episcopos Africanos datis Zosimus initio haec dicit[1]: „Quamvis Patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat: tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret et soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui sedis hereditatem, ipso [Petro] annuente, meruissent: habet enim ipse cum omnium ecclesiarum tum huius maxime ubi sederat curam; nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiae, cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine suo periculo temere nullus incessat: cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana ecclesia, cuius locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut *nullus de nostra possit retractare sententia,* nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro literis referremus."

Quibus verbis haec Zosimus docet: „De sedis apostolicae iudicio nullus disceptare audet", quod firmat „Patrum traditio"; Petrus habet „omnium ecclesiarum curam", et eam habet „ex Christi promissione"; „par potestatis conditio" data est ipsius *in sede Romana successoribus,* quae potestas tam „divinis legibus" quam humanis firmetur. Unde ipsi Zosimo, cum Petri sit successor, tantum esse auctoritatis efficitur, ut nullus possit de ipsius sententia retractare. Iurisdictionis autem primatum universalem haec includunt.

Similiter Bonifatius I (418—422) literis ad universos Thessaliae episcopos anno 422 datis R. Pontificibus primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam vindicavit, dum scriberet[2]: „Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius et summa consistit. Ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias religionis iam crescente cultura fonte manavit. Nicaenae synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic [sedi scil. Romanae]

[1] Ep. 12, n. 1 (Coustant 974 sq). [2] Ep. 14 (ib. 1037).

noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo *ecclesiis toto orbe diffusis* velut *caput* suorum certum est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit, fit christianae religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage."

Insuper in eadem epistula Bonifatius dicit[1]: „Ideo *tenet sedes apostolica* principatum, ut querelas omnium licentes acceptet"; et rursus paulo post: *„Ordinationi nostrae pareat, quisquis se episcopum recognoscit."* In literis vero ad Rufum omnesque per Illyricum episcopos Bonifatius ipso initio ait[2]: „Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiae ab hoc sollicitudo suscepta, quippe quam evangelio teste in se noverit esse fundatam. Nec umquam eius honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit, summam rerum ex eius deliberatione pendere. Quae res animum meum usque ad orientis loca, quae per ipsam sollicitudinem quodammodo videmus, extendunt." Quo loco patet, Bonifatium nomine Petri se ipsum ut eius sedem tenentem designare, cumque dicat, „universalis" Ecclesiae „curam" sibi incumbere „summamque rerum ex ipsius deliberatione pendere", summum iurisdictionis in totam Ecclesiam primatum sibi attribuit.

Coelestinus I (422—432) in literis ad episcopos Viennensis ac Narbonensis provinciae scripsit[3]: „Ad nostram laetitiam et bene facta perveniunt, et moeroris aculeis nos, quae fuerint male facta, compungunt. Nec silere possumus, cum hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu, in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes, et quae coercenda sunt, resecemus, et quae observanda sunt, sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficit, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendit." Ascripsit igitur sibi Coelestinus *officium* et *curam resecandi,* quae coercenda sint, et sanciendi, quae sint observanda, et *ubique* quidem, ubi nomen veri Dei praedicetur, per *totum* ergo *orbem christianum.*

Idem Pontifex in epistula ad Cyrillum Alex. data huic mandat[4], ut Nestorium, *Constantinopolitanum antistitem,* si perversam suam doctrinam non damnet, sedis Romanae auctoritate atque ipsius Coelestini vice excommunicet et in eius locum alium episcopum constituat, dicitque, se idem etiam aliis nonnullis episcopis scripsisse, „ut nota sit de eo *nostra, immo Christi nostri divina sententia*". In epistula autem, qua Nestorio, nisi intra decem dies resipiscat, excommunicationem comminatur, ait[5]: „Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Deo Christo nostro ea praedices, quae . . . et universalis Ecclesia catholica tenet, et hanc perfidam novitatem . . . damna-

[1] Ep. 14, n. 4 (Coustant 1038). [2] Ep. 15, n. 1 (ib. 1039).
[3] Ep. 4, n. 1 (ib. 1066). [4] Ep. 11, n. 4 (ib. 1106 sq).
[5] Ep. 13, n. 11 (ib. 1130).

veris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione deiectum [scias]."[1]

Praeterea in commonitorio, quod episcopis et presbyteris ab ipso ad Ephesinum concilium oecumenicum missis dedit, praescribit[2], ut „ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum [praesentium episcoporum] sententiis *iudicare debeatis, non vero subire certamen*"; noluit igitur agnoscere etiam tanti concilii auctoritatem ut certo definitivam, nisi quatenus concilium id iudicaret, quod suae sententiae esset conforme, quodque partim saltem iam ipse statuerat, quemadmodum in epistula ad synodum Ephesinam missa declarat, legatorum, quos miserit, esse, ut et iis quae agantur, intersint, et quae ab ipso antea iam statuta sint, exsequantur. Supremam igitur in definienda fide potestatem Coelestinus sibi vindicat, nec patitur sententiam suam iam antea prolatam a synodo ita iudicari, ut reici possit, sed vult eam *exsecutioni mandari*. Manifesto igitur Coelestinus supremam in Ecclesia auctoritatem sive iurisdictionis primatum sibi vindicavit.

Succedat iam alius gravissimus testis, S. Leo M. (440—461)[3]. Hic ad Dioscorum, patriarcham Alexandrinum, scribit[4]: „Quod a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque *volumus custodiri*." Quae imperatoria loquendi ratio certe demonstrat, Leonem se patriarchae totius Aegypti et Libyae superiorem existimasse, ita ut ei posset praecepta dare. Quod existimare non potuit, nisi totius Ecclesiae primatem suprema iurisdictione instructum se putaverit. — In literis autem ad Anastasium episcopum Thessalonicensem datis Leo ait[5]: „Sicut praecessores mei praecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuae, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostrae mansuetudinis [effectus] adiuvares, et longinquis a nobis provinciis praesentiam quodammodo nostrae visitationis impenderes." Quibus addit[6]: „Vices enim nostras ita tuae credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis." Denique de episcopis subicit[7]: „Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis; quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum

[1] Graece: *ἀπὸ πάσης κοινωνίας τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐκβέβλησαι:* ab omni Ecclesiae catholicae communione excidisti.

[2] Ep. 17 (Coustant 1152).

[3] Cf. H. Grisar, Analecta Romana I, Roma 1899, 307—333: Il Primato Romano nel sec. V secondo i detti di San Leone Magno e dei suoi contemporanei.

[4] Ep. 9, c. 1 (ML LIV 625).

[5] Ep. 14, c. 1 (ib. 668). [6] Ibid. 671. [7] Ibid. c. 11 (ib. 676).

inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesia cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret." Romano igitur Pontifici ex Leonis doctrina competit universarum ecclesiarum principalis sive summa cura et potestatis plenitudo, idque ex institutione divina.

Ad Anatolium porro Constantinopolitanum antistitem Leo scripsit[1]: „Cum residentibus vobis, *quibus exsecutionem nostrae dispositionis iniunxerimus,* ea possent agi" etc. *Iniunxit* igitur Leo antistiti Constantinopolitano, qui sibi ut patriarchae obnoxius non erat, suarum dispositionum exsecutionem, manifeste ut totius Ecclesiae primas. — Ad Africanos episcopos item Leo scribit[2]: „Ratio pietatis exegit, ut *pro sollicitudine, quam universae Ecclesiae ex divina institutione dependimus,* rerum fidem studeremus agnoscere." Ad Pulcheriam vero Augustam de concilii Chalcedonensis oecumenici canone 28, quo Constantinopolitano antistiti primus in Ecclesia post R. Pontificem locus concedebatur, haec dicit[3]: „Consensiones vero episcoporum [150 anno 381 Constantinopoli congregatorum] sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestrae fidei pietate, in irritum mittimus et *per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus.*" Rescindendo autem haec acta synodalia tot orientalium episcoporum adiudicavit sibi Leo sane evidentissimo modo primatum iurisdictionis in ecclesiam etiam orientalem.

Quibus clarissimis Leonis de R. Pontificis primatu testimoniis denique haec ex eius Sermonibus petita adiungere liceat. Certe in anniversario ordinationis suae die: „Manet ergo, inquit[4], dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, *suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.* . . . Si quid *itaque a nobis* recte geritur recteque discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, *cuius in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas.*" Et paulo post ait[5]: „His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut *in persona humilitatis meae ille* intelligatur, ille honoretur, in quo et *omnium pastorum sollicitudo* cum commendatarum sibi ovium *custodia perseverat,* et cuius dignitas etiam in indigno *herede non deficit.*" In natali vero apostolorum Petri et Pauli Romam hisce allocutus est Leo[6]: „Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut . . . per sacram beati *Petri sedem caput orbis effecta latius praesideres* religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana sub-

---

[1] Ep. 85, c. 1 (ib. 923). [2] Ep. 12, c. 1 (ib. 646).
[3] Ep. 105, c. 3 (ib. 1000). [4] Serm. 3, c. 3 (ib. 146).
[5] Ibid. c. 4 (ib. 147). [6] Serm. 82, c. 1 (ib. 422).

iecit." Quae sane Leo vere non dixisset, nisi arbitratus esset, Romanos Pontifices primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam potiri[1].

Attamen obicitur[2], Leonem M. docuisse, R. Pontifici non licere ab agnitis oecumenicorum conciliorum decretis decedere, ideoque primatum non sibi attribuisse, qualem medii aevi et recentioris aetatis Pontifices Romani sibi ascripserint. Ad quae respondemus *primum:* etiamsi Leo I sibi istud ius non attribuisset, minime sequi, eum verae et universalis iurisdictionis primatum et verbis et agendi ratione sibi non vindicasse. Quod quidem ad propositum nobis finem in hac primatus R. Pontificis demonstratione iam sufficeret, cum in singula eiusdem iura inquirere nostrum hoc loco non sit.

Deinde ut istam difficultatem expediamus, a) fatemur et concedimus ultro, nec R. Pontificem nec concilium oecumenicum abrogare posse doctrinam fidei a concilio universali alio priore a R. Pontifice approbato definitam. Quae enim doctrina semel ab infallibili magisterio tamquam ab omnibus Ecclesiae sociis tenenda definita est, est manetque semper talis, nec ab ullo, qui ad Christi Ecclesiam pertinere velit, iam addubitari vel reici potest: quod quidem omnes romano-catholici profitentur et ex se prorsus evidens est. Quod autem b) *disciplinae* decreta attinet, Leo I utique decreta concilii Nicaeni I, et maxime quidem canonem 6 de patriarchis, nullatenus mutanda esse saepius dixit.

Certe ad Marcianum scripsit[3]: „Privilegia ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta et venerabilis Nicaenae synodi fixa decretis, *nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.*" Idem ad Pulcheriam scripsit[4] et ad ipsum Anatolium, dicens[5]: „Cum tanto divinitus privilegio Nicaena sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum." Idem ferme repetit ad ipsum concilium Chalcedonense his verbis[6]: „De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quae in synodo Nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut iura ecclesiarum, sicut ab illis 318 Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quaerat argumentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum aestimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid a praedictorum Patrum canonibus discreparit. Quorum regulis apostolica sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere et me, auxiliante Domino, catholicae fidei et paternarum constitutionum esse custodem." Atque ad Maximum, Antiochenum patriarcham, Leo eadem de re ita[7]: „Nunc autem ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quod si quid a quoquam contra Nicaenorum canonum statuta in quacumque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil praeiudicii potest inviolabilibus inferre decretis: et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam praedictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. . . . Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, praeter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apostolica sunt sede directi,

---

[1] Nihilominus Schulte (Die Stellung der Konzilien 32 nota) dicit: *Leo* weiß *nichts* von dem römischen Bischof als alleinigem Haupt der ganzen Kirche."

[2] Schulte 164. [3] Ep. 104, c. 3 (ML LIV 995). [4] Ep. 105 (ib. 997).

[5] Ep. 106, c. 2 (ib. 1003). [6] Ep. 114, c. 2 (ib. 1029).

[7] Ep. 119, c. 4 5 (ib. 1043 sq).

ut excisis haeresibus catholicae essent fidei defensores. Quicquid enim praeter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicaeam definitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicae Sedis numquam poterit obtinere consensum."

Nullo porro horum locorum Leo dicit, *sibi aut generatim R. Pontifici non licere ex iusta causa* illum sextum vel alios canones disciplinae immutare, sed affirmat, *nulli concilio,* nimirum nec Constantinopolitano I, in quo pauciores fuerant episcopi quam in Nicaeno, nec etiam Chalcedonensi, quod a multo pluribus Patribus quam Nicaenum erat frequentatum, ius et facultatem competivisse, illum canonem 6 in gratiam ambitiosi Constantinopolitani praesulis immutandi *sine sedis apostolicae consensu:* quod rectissime dictum esse nemo sane catholicus infitiari potest. Ipse autem Leo nec Constantinopolitani nec Chalcedonensis concilii voluntati ista in re consensit, sed eorum decretum, quo canon concilii Nicaeni sextus immutabatur, diserte multoties reiecit, ob hanc maxime rationem, quod illa mutatio fieret et propter solum ambitum antistitis Constantinopolitani et in aliorum patriarcharum detrimentum.

Quod ita ipse exponit epistula ad Pulcheriam data[1]: „Constantinopolitanae praesul ecclesiae quid amplius, quam assecutus est, concupiscit? Aut quid illi satisfaciet, si tantae urbis magnificentia et claritudo non sufficit? Superbum nimis est et immoderatum, ultra proprios terminos tendere et antiquitate calcata alienum ius velle praeripere; atque ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis et olim sanctae synodi Nicaenae moderatione dispositis bellum novae perturbationis inferre; atque ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorundam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum."

Ideo igitur solum, quod ratio Leoni videbatur *iniusta,* eam immutationem prorsus irritam declaravit; posse enim legis etiam a concilio Nicaeno de re disciplinari latae veniam interdum dari, et ab ipso quidem Pontifice Romano etiam *solo,* alio tempore et alia in causa ipse Leo declaravit. Cum enim in Mauritania contra varias ecclesiasticas leges episcoporum electiones factae essent, earum alias reiecit, alias „secundum sedis apostolicae pietatem toleravit". De quibus scribit[2]:

„Ceteros vero [qui non sunt bigami], quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episcopale [immediate] delecti sunt, neque ex hoc, quod uxores habent, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non praeiudicantes apostolicae sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est, ne primum aut secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis suffultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc utcumque *patimur* esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus, usurparit: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi, neque *quod potuit aliqua ratione concedi,* fas erit amplius impune committi. ... Quae enim nunc certarum *remisimus* consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod *ad tempus pia lenitate concessimus,* iusta posthac ultione plectamus, in eos specialius et propensius commovendi, qui in episcopis ordinandis sanctorum Patrum statuta neglexerint."

Statuta porro et regulas sanctorum Patrum hac de re intelligit Leo canonem 10 concilii Sardicensis; Sardicenses autem canones, cum aliis multis,

---

[1] Ep. 105, c. 2 (ib. 999). [2] Ep. 12, c. 5 (ib. 652).

ascripsit concilio Nicaeno, ut inde patet, quod alibi[1] canonem 4 synodi Sardicensis de episcoporum appellationibus ut Nicaeni concilii canonem laudat.

Confirmant haec, non infirmant primatum iurisdictionis R. Pontificis, cum Leo non solum dispensaverit in lege, quam putabat Nicaenam, sed etiam canonem 28 concilii Chalcedonensis, quantumvis numerosi, reiecerit.

Simplicius porro, Pontifex Romanus ab a. 468 usque ad a. 483, non licere declaravit a decretis etiam disciplinae tantum ecclesiasticae conciliorum oecumenicorum *sine R. Pontificis permissione* deflectere. Cum enim ad turbas ecclesiae Antiochenae sedandas contra concilii Nicaeni I decretum Constantinopoli novus illius ecclesiae patriarcha ordinatus, simul tamen orientali synodo electio Antiocheni praesulis reservata esset, Simplicius ad imperatorem Zenonem ea de re haec scripsit[2]: „Et quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi praeter praeiudicium venerandi illius concilii Nicaeni apud Constantinopolim iisdem petentibus ordinaretur antistes; quod in eius tantummodo persona sic memorastis assumptum, ut deinceps secundum definitiones Patrum orientali synodo creatio Antiocheni pontificis reservetur, nec haberi loco vultis iniuriae quod dissensionis gratia factum est auferendae: tenet hanc pietatis vestrae *beatus Petrus apostolus* sponsionem, et christianissimi fidelissimique principis mentem in haec verba iurasse, quod posthac in Antiochena urbe veteri more servato a comprovincialibus suis episcopus ordinetur, ne quod nunc frater et coepiscopus meus Acacius vobis est iubentibus exsecutus, *in usum posteritatis veniat et statuta Patrum,* quae praecipue praestatis *illaesa, confundat.* Unde quae a vobis amore quietis sancte et religiose sunt ordinata, *reprobare non possumus,* ne status Antiochenae ecclesiae sub nostra dubitatione videatur ambiguus, praecipue cum is, qui legitur ordinatus, testimonio clementiae vestrae et tanta sit praedicatione subnixus, ut in eo praeter horum vulnerum dolorem posito possimus et ecclesiae, quae illum meruit, gloriari.“ Quibus verbis Simplicius Rom. Pontifici, beati Petri apostoli in primatu successori, iurisdictionem etiam in orientales ascribit.

Eandem supremam in Ecclesia auctoritatem vindicavit sibi clare etiam Felix II (III) (483—492), ad Acacium Constantinopolitanum scribens[3]: „Postquam sanctae memoriae decessore meo papa Simplicio de huius vitae cursu superna praeceptione migrante ministerii, quod regebat, ad meae humilitatis officium gubernacula pervenerunt, inter diversas *generalis Ecclesiae curas, quas ubique terrarum* cunctis populis christianis, *summi pastoris voce delegante,* beatissimus Petrus apostolus pervigili moderatione dispensat, continuo me sollicitudo maxima, quae et praedecessorem meum incessanter angebat, tam *Alexandrinae* urbis, quam qui status fidei *totius orientalis regionis* esset, excepit.“

---

[1] Ep. 43, c. 3; ep. 44, c. 3 (ML LIV 826 831).
[2] Ep. 15, n. 3 (Thiel 203 sq).
[3] Ep. 2, n. 1 (ib. 232 sq).

Gelasius I porro, R. Pontifex 492—496, haec ad Anastasium Augustum scripsit[1]: „Si cunctis generaliter sacerdotibus, recte divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto potius *sedis illius praesuli* consensus est adhibendus, *quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeeminere,* et subsequens Ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit. Ubi pietas tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse *illius privilegio vel confessioni,* quem Christi vox *praetulit universis,* quem Ecclesia veneranda *confessa semper est* et *habet devota primatem.... Apostolicae* vero *sedis auctoritas,* quod cunctis saeculis christianis *Ecclesiae praelata sit* universae, et canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur." — Ad episcopos autem Dardaniae Gelasius scripsit[2]: „Quae [sedes *prima,* scil. Romana] et unamquamque synodum *sua auctoritate confirmat* . . . pro suo scil. principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et *tenuit semper et retinet.*" Et paulo post insuper haec addit[3]: „Quoniam sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, ita quod illa censuit iudicandum Ecclesia tota suscepit."

At, inquit Schulte[4], Gelasius haec dicit non de ipso Pontifice Romano, sed de prima sede; sedes autem aliud est quam antistes sedis, quemadmodum vel ipse Bonifatius VIII accurate inter utrosque distinxit[5]. Sed ut hoc loco nondum fusius refutem distinctionem inter sedem et sedentem, quae prorsus vana ac falsa tunc usurpatur, cum, ut hoc Gelasii loco, agitur de sedis *potestate et iuribus*[6], hoc tantum notaverim, Bonifatii VIII locum a Schulte allatum ipsius opinioni nullo modo favere. Verba enim Bonifatii VIII sunt haec: „Si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quae tempore tuae promotionis obtinebas, posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere: huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino exstinguitur, eo ipso exspirat. Secus autem, si usque ad apostolicae sedis beneplacitum gratia concedatur praedicta. Tunc enim, quia sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata." Dicit igitur Bonifatius, si R. Pontificis literis concedatur sacerdoti amoto retentio beneficiorum, quae prius habuerat, ad R. Pontificis beneplacitum, eo mortuo istam gratiam haud amplius valere; valere autem eam etiam tunc, si data sit hisce verbis: „usque ad beneplacitum sedis". Licet igitur hoc loco Bonifatius distinxerit inter sedem et sedentem, minime tamen respectu iurium et potestatis ita distinxit, sed respectu durationis singulorum sedentium, plerumque non valde longae, et sedis ipsius perpetuae. Quid igitur Bonifatii verba obsunt argumento e Gelasio petito?

At dicit idem adversarius, nomine sedis secundum loquendi modum illius temporis ecclesiam atque ipsum territorium patriarchae intelligendum esse. Nomen ecclesiae Romanae utique nonnumquam pro sede Romana sive pro

---

[1] Ep. 12, n. 2 3 9 (ib. 351 sqq). [2] Ep. 26, n. 3 (ib. 395). [3] Ibid. n. 5.
[4] Die Stellung der Konzilien 107 nota.
[5] C. 5: „Si gratiose", de rescriptis (1, 3) in VI^to.
[6] Infra tom. III, thesis VII, stat. quaest. 3, b.

Pontifice Romano adhibetur, sed nomine sedis Romanae simpliciter et sine ullo additamento vel explicatione posito etiam totum occidentem, territorium scil. patriarchatus Romani, comprehendi falsissimum est nec ab adversario ullo testimonio roboratur.

Quod denique Schulte addit, Gelasium illa scribentem nullo modo actionem confirmationis mere personalem R. Pontificis significare potuisse, quia tunc temporis omnia in synodis peracta sint, pariter probationis vi destituitur, cum, ut postea fusius dicemus, R. Pontifices in tractandis magni momenti negotiis prudenter adhibuerint synodos, cum auctoritatem suam respectu adversariorum magis etiam roborandi causa, tum maxime consilii capiendi gratia, neutiquam vero propterea, quod suam ipsorum potestatem per se non sufficientem crediderint.

Manet ergo, Gelasium isto loco Romanae sedi sive Pontifici primatum iurisdictionis vindicasse. Quod etiam atque etiam confirmatur eo, quod Gelasius in eadem epistula addit[1]: „Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resolvendi, utpote quae de omni ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.“ Et haec quidem utriusque loci verba eadem in breviore eiusdem epistulae forma etiam habentur[2]; quare nullatenus dubia dici possunt.

Gelasius insuper ad episcopos Dardaniae et Illyrici scribens de se ait[3]: „Quoniam pro sedis apostolicae *principatu, cuius sollicitudo delegata divinitus cunctis debetur ecclesiis,* nos vivimus.“ Rursus idem in concilio Romano: „Sedes apostolica quidem, inquit[4], quae *Christo Domino delegante totius Ecclesiae retinet principatum,* pro dispensatione curaque generali, quam vel pro fide catholica vel pro paternis canonibus regulisque maiorum necessaria semper circumspectione dependit, Misenum atque Vitalem . . . communione pariter et honore merito iureque submovit.“ Et in commonitorio ad Faustum legationis officio Constantinopoli fungentem, a Graecis obiecta refellens et sedis apostolicae supremam vindicans iurisdictionem Gelasius inter alia dicit[5]: „Si quantum ad religionem pertinet, *non nisi apostolicae sedi* iuxta canones debetur summa iudicii totius; si quantum ad saeculi potestatem, illa a pontificibus et praecipue *a beati Petri vicario* debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem iudicare. Nec sibi hoc quisquam potentissimus saeculi, qui tamen christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non cartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant potius cogitantes, Christi vocem non esse superfluam, quae confessioni beati Petri apostoli *inferni portas numquam praevalituras*

[1] N. 5 (Thiel 399). [2] N. 3 5 (ib. 415 416).
[3] Ep. 18, n. 1 (ib. 383). [4] Ep. 30, n. 7 (ib. 441).
[5] Ep. 10, n. 9 10 (ib. 347 sq).

asseruit. Quapropter non veremur, ne *apostolica sententia resolvatur,* quam et vox Christi et *maiorum traditio et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa diiudicet.*" Atque in eadem epistula iudicium supremum ac definitivum his verbis R. Pontifici vindicat[1]: „Ipsi sunt canones, qui appellationes *totius Ecclesiae* ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam *de tota Ecclesia* iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius umquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius sequenda decreta mandarunt." Gelasium autem istis verbis non voluisse hoc R. Pontificum ius dicere ecclesiasticum, ostendunt eius verba, quae antea ex commonitorio ad Faustum attulimus; atque ipsos canones Sardicenses, ad quos tacite hic provocat, ius illud non tamquam proprie ac mere ecclesiasticum, sed in Petri primatu situm diserte declarare postea monstrabimus. Denique in decreto de apocryphis scripturis, sive ut alii dicunt, de recipiendis et non recipiendis libris, quod respectu substantiae saltem hucusque communiter Gelasio adiudicabatur, haec leguntur[2]: „Quamvis universae per orbem catholicae diffusae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana ecclesia nullis *synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit: tu es Petrus,* inquiens, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Est ergo *prima* Petri apostoli sedes Romana ecclesia . . ., *secunda* autem sedes apud Alexandriam." Clarissime igitur Gelasius Romanae ecclesiae Pontificibus primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam vindicat.

Item Gelasii successor, Anastasius II (496—498), in literis ad imperatorem Anastasium haec dicit[3]: „Ut per ministerium humilitatis meae, sicut semper est, sedes beatissimi Petri *in universali Ecclesia assignatum sibi a Domino Deo teneat principatum.*"

SAECULI SEXTI aliqua R. Pontificum effata ut addamus, Symmachus (498—514) haec ad Anastasium imperatorem ab ipso excommunicatum scripsit[4]: „Me quidem ista non sauciant, sed te palam aperteque demonstrant. Meum cogitasti honorem repellere, quem interventu suo beatus Petrus imposuit. An quia imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum *apostolum Petrum in suo qualicumque vicario calcare contendis?*" Et paulo post addit[5]: „Catholici principes quidem semper apostolicos praesules institutos suis literis praevenerunt, et illam confessionem

---

[1] N. 5 (Thiel 344).

[2] Ep. 42, c. 1 (ib. 455). Thiel hanc decreti partem Damaso ascribit. Cf. Grisar, Gesch. Roms und der Päpste I 264.

[3] Ep. 1, n. 1 (Thiel 616).

[4] Ep. 10 (Apolog. adv. Anastas.) n. 7 (Thiel 703).

[5] N. 11 (ib. 705).

sedemque praecipuam tamquam boni filii quaesierunt debitae pietatis affectu, *cui noscis ipsius Domini salvatoris ore curam totius Ecclesiae delegatam.*"

Hormisdas (514—523) primum a. 515 ac deinceps saepius in orientem misit fidei formulam ab omnibus episcopis subscribendam, in qua haec verba inter alia leguntur[1]: „Sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes *eius omnia constituta,* spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas. Promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est, non consentientes sedi apostolicae eorum nomina inter sacra non esse recipienda mysteria." Declaravit igitur Hormisdas eos omnes ab universa Ecclesia catholica extorres, qui R. Pontificis decretis sese non subicerent. Ita autem loqui non potuit, si iurisdictionis primatum sibi competere arbitratus non esset.

Formulam illam a. 515 Hormisdas adiunxit indiculo, quem dedit legatis suis Constantinopolim pro unione ecclesiarum profecturis[2]. Adeo autem saepe deinceps ad orientales subscribendam eam misit, ut 517 de ea ad Hispanos scribat: „Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti, secundum quem et de Thraciae et Scythiae Illyricique partibus vel Epiri veteris sed et secundae Syriae multos iam constat esse susceptos."[3] Subscripserunt ei formulae in rebus minoribus immutatae a. 519 Ioannes episcopus Constantinopolitanus, a. 536 imperator Iustinianus et Mennas patriarcha Constantinopoleos[4]. Rusticus autem diaconus saeculo sexto medio dicit, Chalcedonensem synodum confirmatam esse „per libellos sacerdotum forsan duorum milium et quingentorum imperante Iustino post schisma Petri Alexandrini et Acacii Constantinopolitani"[5]. Etiam in concilio oecumenico VIII huic formulae compluribus additamentis auctae subscribitur[6].

Item Ioannes II, qui anno 532 Pontifex Romanus creatus est, haec in literis ad imperatorem Iustinianum datis[7]: „Inter claras sapientiae ac mansuetudinis vestrae laudes, christianissime principum, puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod ... Romanae sedis reverentiam conservatis, et ei *cuncta subicitis, et ad eius deducitis unitatem,* ad cuius auctorem, hoc est, apostolorum primum, Domino loquente praeceptum est: *pasce oves meas;* quam esse *vere omnium ecclesiarum caput* et Patrum regulae et principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverendissimi testantur affatus." Quibus verbis sane aperte decla-

---

[1] Ep. 7, n. 9 [II] (Thiel 755); Guenther 520 800.
[2] Thiel l. c.; Guenther l. c. [3] Thiel 794. [4] Guenther 800.
[5] ML LXVII 1251. [6] Harduin V 773 sq; Mansi XVI 27 sq.
[7] Corpus iuris civilis: Cod. Iust. l. 1, tit. 1, c. 8. Respicit Ioannes haec ex Iustiniani epistula verba: „Reddentes honorem apostolicae sedi et vestrae Sanctitati ... honorantes vestram beatitudinem, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent festinamus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestrae apostolicae sedis et statum sanctarum ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet ... Ideoque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subicere et unire sedi vestrae Sanctitatis properavimus" (ibid.). Cf. etiam Harduin II 1146 sqq; Mansi VIII 795 sqq.

ratur R. Pontificis primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam, institutus a Domino et agnitus a Patribus et civilibus principibus.

Gregorius M. (590—604) literis ad Alexandrinum et Antiochenum patriarcham ait[1]: „Frater et coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem quaerens synodum fecit, in qua se universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus [Pelagius II] ut agnovit, directis literis *ex auctoritate sancti Petri apostoli eiusdem synodi acta cassavit*. . . . Cuius ego quoque sententiam sequens similia praedicto consacerdoti nostro scripta transmisi." Et ad Eusebium Thessal. de synodo Constantinop. scripsit[2]: „Quamvis *sine apostolicae sedis auctoritate* et *consensu nullas*, quaeque acta fuerint, *vires* habeant . . .; ne de hac re quacumque surreptione synodum patiamini, quae neque *legitima* quidem nec *synodus* dicenda est, celebrari." Gregorius igitur et Pelagius II, cum sibi eandem quam Leo M. ascribunt potestatem acta synodalia episcoporum orientalium rescindendi, manifeste iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum sibi vindicant.

Ad Ioannem, Syracusanum episcopum, Gregorius de ecclesia Constantinopolitana scribit[3]: „Quis eam dubitet *sedi apostolicae esse subiectam?* quod et piissimus domnus imperator et frater noster *eiusdem civitatis episcopus assidue profitentur*. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego et *minores* meos, quos *ab illicitis prohibeo*, in bono imitari paratus sum." Quibus verbis sane clare Gregorius ab omnibus et vel ipso imperatore et Constantinopolitano antistite assidue agnitum esse pronuntiat, istam ecclesiam, quae tunc temporis super omnes alias orientales ecclesias sese extulit, sedi apostolicae vere subiectam ac minorem esse, idque ita, ut R. Pontifex eam non aliter ac ceteras ab illicitis prohibere valeat. Ergo Gregorius primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam adiudicat sibi.

Nec sane Gregorius, id quod Langen[4] et Schulte[5] fingunt, primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam sibi aut decessoribus suis abiudicasse censendus est ad Mauritium Augustum haec scribendo[6]: „Sed absit a cordibus christianis nomen istud blasphemiae, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. . . . Certe pro beati Petri apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est [nomen episcopi oecumenici]. Sed nullus eorum umquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo, quod nos huius vocabuli gloriam et oblatum non quaerimus, et alter sibi hanc *arripere* et non oblatam praesumit? . . . Ego enim cunctorum sacerdotum servus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt." In ista enim epistula

---

[1] Ep. l. 5, ep. 43 (ML LXXVII 771). — Cf. Grisar in Zeitschr. für kathol. Theol. III, Oeniponte 1879, 655—693; IV (1880) 468—523.

[2] Ep. l. 9, ep. 68 (ML LXXVII 1005). [3] Ep. l. 9, ep. 12 (ib. 957).

[4] Das Vatik. Dogma I 92 sq.

[5] Die Stellung der Konzilien 159 sq. [6] Ep. l. 5, ep. 20 (ML LXXVII 746).

Gregorius fastum Ioannis, qui Ieiunator est dictus, episcopi Constantinopolitani, nomen episcopi oecumenici temere sibi arrogantis reprehendit atque reprimere studet, suum aliorumque R. Pontificum atque ipsius S. Petri apostoli exemplum laudando, qui, utut totius Ecclesiae principes, *nomen* episcopi universalis recusarunt. Sane de Petro ait[1]: „Ecce claves regni coelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, *cura ei totius Ecclesiae et principatus* committitur, et tamen universalis apostolus non vocatur, et vir sanctissimus, consacerdos meus Ioannes, vocari universalis episcopus conatur." Itaque secundum Christi praeceptum (Lc 22, 26): „Qui maior est inter vos, fiat sicut minor", maluit Gregorius sacerdotum, si tamen sacerdotaliter viverent, servum se appellare; quorum, si minus sacerdotaliter viverent, superiorem se reprehendendo et puniendo ostendere Gregorius non renuit. Atque ad Romanos scribens[2] humilitatis causa se *servum servorum Dei* vocat; qua appellatione deinceps etiam alii Pontifices Romani usi sunt; minime tamen ideo Gregorius, Romanorum episcopus ac princeps, ipsis se subiectum et inferiorem habuit.

Ceterum Gregorius titulum episcopi oecumenici tum in ista epistula, tum in alia ad Eulogium, patriarcham Alexandrinum[3], a se reiecit eo sensu, quo is titulus reapse non iustus et etiam pro R. Pontifice falsus foret. Eccui enim, docet fere Thomassinus[4], dubium esse potest, quin appellatio: *patriarcha vel papa est episcopus universalis* hoc sensu accipi possit, ut exclusis aliis is unicus proprie episcopus intelligatur, qui solus omnibus praesit et omnia curare omnesque causas ad se trahere aliosque muneribus suis privare velit, utque ceteri episcopi eius tantum essent delegati et vicarii? Certe nomen universalis Ecclesiae significat, Ecclesiam illam omnes partes verae Christi Ecclesiae complecti, nullamque aliam Christi Ecclesiam praeter ipsam superesse. Et pariter cum concilium vere universale sive oecumenicum celebrari dicitur, alia praeterea concilia eodem simul tempore esse posse negantur. Potuit ergo Gregorius in hanc sententiam istud nomen accipere, et ipsum illud reapse ita intellexisse manifestum est ex utraque illa epistula laudata, cum in iis dicat: si iste titulus uni episcopo daretur, ceteros debito ipsis honore privari, quia si unus patriarcha universalis dicatur, patriarcharum nomen ceteris derogetur, et si vel ipse episcopus universalis dicatur, alii haud amplius veri episcopi essent. — Non solum autem Gregorius potuit, sed in ista controversia cum Ioanne patriarcha Constantinopolitano etiam debuit istud nomen ambitioso illo sensu interpretari, *primum* ne res nova et invidiosa impune invalesceret, utque inde eruptura aliquando mala anteverterentur. Id vero perfici non poterat, nisi insidiosus et pravus istius nominis sensus detegeretur, et quae inde fraudes cladesque emergere possent, palam fieret; *deinde* quia Ioannes Constantinopolitanus, id quod certe suum non erat, non solum illud nomen, sed etiam ius sibi universale in omnes usurpabat, ita ut sine assensu R. Pontificis et convocaret concilium et in eo, ne vocatis quidem ceteris patriarchis, de Antiocheno patriarcha Gregorio solus iudicaret. Non alienum ergo erat a ratione, ut existimaret Gregorius M., cum ambitioso nomine coniungi usurpationem illegitimae potestatis, alterumque prodire ex altero, nec minus in animo et nomine quam in opere esse perversae cupi-

[1] Ep. l. 5, ep. 20 (ML LXXVII 746). [2] Ep. l. 13, ep. 1 (ib. 1253).
[3] Ep. l. 8, ep. 30 (ibid.).
[4] Vetus et nova Ecclesiae disciplina P. 1, l. 1, c. 11, n. 14.

ditatis. Quod enim, addit Thomassinus[1], „Ioannes coegerat concilium, id inter generalia numerandum erat, cum iudicium ibi de patriarchae causa ferendum esset. Concilium autem generale sine auctoritate Pontificis nec convocari debuit nec haberi. Nec sine primae eiusdem sedis assensu vel damnari patriarcha poterat vel absolvi. Quae enim ad universalis Ecclesiae dispositionem pertinent causae, non possunt eae sine capitis interventione finiri. Non poterat patriarcha Constantinopolitanus extra patriarchatum iuris sibi quidquam arrogare: multo minus in eum patriarcham, cuius erat sine controversia et iustior et antiquior potestas. Cum ergo vir ambitionis oestro percitus studiose sibi nomen indueret, quod universalem in totam Ecclesiam potestatem innuebat, et ea ipsa tunc in patriarcham Antiochenum uteretur potestate, nonne tunc iustae erant suspicandae causae, illam ambiri ab eo auctoritatem, qua supra patriarchas ceteros ceterasque Ecclesiae sedes eveheretur?“ *Tum* ideo quoque debuit Gregorius illud episcopi universalis nomen ambitioso illo sensu accipere, quod Ioannes iisdem insistebat vestigiis, quibus eius decessores olim in concilio tum Constantinopolitano tum Chalcedonensi supra ceteros patriarchas efferre se studuerant, et usurpata semel iura regiae auctoritatis patrocinio sibi usque asseruerant. *Denique* non ignorabat Gregorius, quot et quantas, favente principum potestate, excitassent iam in Ecclesia tempestates episcopi Constantinopolitani, novorum in dies errorum vel auctores ipsi, vel certe patroni; multumque timendum erat, ne futuri novae Romae episcopi pro plurimorum orientalium ad schisma et defectionem a R. Pontifice animo valde propenso tandem reapse ab obsequio apostolicae sedi debito penitus desciscerent et ceteros orientis episcopos, in quos sub titulo patriarchae oecumenici imperatoriam aliquatenus potestatem exercebant, secum in perniciem traherent. Quem tanti mali timorem inanem non fuisse postea demonstravit eventus. Atque haec praecipua ratio erat, cur Gregorius, ut ambitiosa aliorum consilia everteret, ipse quoque ab assumendo episcopi universalis nomine abstineret, quamvis illud legitimo sensu intellectum ipse totius Ecclesiae primas ac pastor sibi assumere iure sane potuit[2].

Item „S. Gregorius in epistula ad Eulogium episcopum Alexandrinum *iussionis* nomen effugiens scripsit[3]: ‚Verbum iussionis, peto, a meo auditu removete, quia scio, qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quae utilia sunt, indicare curavi.‘ Quis tanti Pontificis humilitatem, quae potestatem non extenuat, sed exornat, non admiretur? Hinc quoque in iisdem literis ‚universalis episcopi‘ titulum ‚superbae appellationis verbum‘ noluit usurpare, nec ius coactivum in episcopos exercendum censuit, nisi cum coercitione opus esset: ac propterea in epistula ad Ioannem Syracusanum scripsit[4]: ‚Si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis ei [sedi apostolicae] subiectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sumus.‘ Haec ex humilitate et caritate expressa trahi nequeunt ad negandam summam et plenam

---

[1] Ibid. n. 7.

[2] Cf. etiam Salmeron, Doctrina de iurisdictionis episcopalis origine ac ratione, ed. Andries, Mogunt. 1871, 196 sq; H. Grisar, San Gregorio Magno, Roma 1904, 218 sqq.

[3] Ep. l. 8, ep. 30 (ML LXXVII 933). [4] Ep. l. 9, ep. 59 (ib. 996).

potestatem primatui competentem, quatenus in Ecclesiae aedificationem conferat, quin simul negetur ipse primatus in unitatis bonum et aedificationem institutus. Potestas vero primatui competens in universam Ecclesiam, coercita intra limites eius, quod in eiusdem Ecclesiae bonum et aedificationem refertur, quam aliena est a dominatu monarchico potentiae saecularis, quae pro arbitrio et libitu quaelibet sibi vindicaret?" [1] Praeter Gregorium M. etiam S. Leo IX, utut primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam sibi vindicans, simili modo illud episcopi universalis nomen reiecit, scribens [2] ad Michaelem Caerularium, qui pariter illud sibi usurpaverat.

Ceterum Gregorium M. sibi ac generatim R. Pontificibus iurisdictionis primatum ascripsisse non solum ex iam allatis, sed ex aliis insuper locis manifestum est. Certe presbyterum Chalcedonensis ecclesiae perperam damnatum a iudicibus a Ioanne Constantinopolitano constitutis, causa cognita, absolvit, iussitque eundem episcopum Constantinopolitanum bene illum suscipere [3]; quod sane sine auctoritate episcopi universalis facere non potuit. Necnon Ioannem episcopum primae Iustinianae (quae erat urbs Macedoniae, patria imperatoris Iustiniani) reprehendit et punivit [4] „ex b. Petri principis apostolorum auctoritate", eo quod in Adrianum episcopum Thebanae civitatis in Thessalia sitae et metropolitae Larissaeo subditae, qui a metropolita suo male habitus Romam appellaverat, sententiam tulerat post interpositam appellationem, et sententiam quidem iniquam. Qui Gregorii actus fuit profecto pariter supremae iurisdictionis in universam Ecclesiam. Item alibi [5] Gregorius testatur, quod „*cunctarum ecclesiarum* iniuncta nos sollicitudinis cura" constringit. Et ad imperatorem Mauritium scribens significat clare, S. Petro licuisse nomen sibi vindicare *apostoli universalis.* Dicit enim [6]: „Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolo totius Ecclesiae cura commissa est (idque probat locis Mt 16, Lc 22, Io 21). Ecce . . . *cura ei totius Ecclesiae* et principatus *committitur,* et tamen universalis apostolus non vocatur: et vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari universalis episcopus conatur!" Necnon de sede apostolica ait [7]: „Quae *omnium ecclesiarum caput* est." Et rursus de eadem dicit [8]: „*Deo auctore cunctis praelata* constat ecclesiis." Atque ad Eulogium Alexandrinum haec scripsit [9]: „Sanctitas vestra multa in epistulis suis de sancti Petri apostolorum principis cathedra locuta est, dicens, quod *ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat.* . . . Quis enim nesciat *sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam,* qui firmi-

---

[1] Ballerini, Vindiciae auctoritatis pontificiae contra opus Febronii c. 3, n. 11.
[2] Ep. 100, n. 9; ep. 102 (ML CXLIII 750 774).
[3] Ep. l. 6, ep. 15 (ML LXXVII 807).
[4] Ep. l. 3, ep. 6 (ib. 608).
[5] Ep. l. 7, ep. 19 (ib. 873).
[6] Ep. l. 5, ep. 20 (ib. 745).
[7] Ep. l. 13, ep. 45 (ib. 1298).
[8] Ep. l. 3, ep. 30 (ib. 627).
[9] Ep. l. 7, ep. 40 (ib. 898).

tatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: ‚Tibi dabo claves regni coelorum.' Cui rursus dicitur: ‚Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.' Iterumque: ‚Simon Ioannis, amas me? Pasce oves meas.' Itaque cum multi sint apostoli, *pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit*", scil. prae omnibus aliis, ita ut ipsa primatum habeat. Dicit quidem Gregorius ibidem etiam, sedem Romanam et Alexandrinam et Antiochenam esse unam; sed cuivis legenti manifestum est, ipsum haec non sensu proprio de aequalitate potestatis trium istarum sedium dicere, sed tantum sensu latiore et improprio. Et ad Leontiam imperatricem Gregorius scripsit[1]: „Rogare forsan debui, ut ecclesiam beati Petri apostoli, quae nunc usque gravibus insidiis laboravit, haberet vestra tranquillitas specialiter commendatam. Sed qui scio, quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere, quod sponte ex benignitate vestrae pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis conditorem omnium, tanto amplius eius potestis Ecclesiam amare, cui dictum est: ‚Tu es Petrus' etc. Mt 16, 18." Docuit igitur, ecclesiam Petri primatis esse Romanam, huius ergo ecclesiae episcopo competere perennem Petri primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam.

Cur autem ex tribus primis Ecclesiae saeculis non *tot* R. Pontificum testimonia et gesta illorum primatum clare ac certo testantia suppetant, ratio facile reddi potest. Ut enim alias plus minusve probabiles rationes omittam, certum est *primum,* et multa illius aetatis scripta atque acta publica periisse, et exercitationem potestatis R. Pontificum tot tantisque persecutionibus Ecclesiae totius et speciatim Romanae multum impeditam fuisse, cum R. Pontifices a S. Petro usque ad Silvestrum propter persecutiones in ipsa sua dioecesi Romana regenda vix umquam palam et expedite auctoritate sua uti potuerint, et saepius in cryptis et coemeteriis atque in variis piorum christianorum aedibus sacra facere compulsi essent. Multo minus igitur R. Pontifices tunc temporis universam Ecclesiam omni modo ipsorum primatui competenti regere ac curare potuerunt. Qui enim v. g. concilium oecumenicum congregare eique publice praesidere potuerunt?

Deinde certum pariter est, omnem summi legitimi atque in longissimum vel etiam perpetuum tempus instituti imperii vim non ipso sui initio adeo plene, ut postea, sese exserere, praesertim si, ut reapse in Ecclesia contigit, societas ipsa illi imperio subiecta nondum sit adulta, sed modo instituta ac paulatim crescens suaeque diffusionis magis quam perfectae et accuratae omnino singularum partium formationis studiosa. Obtinet enim etiam in ordine supernaturali fere eadem illa lex, quae in rebus ordinis naturalis a Deo in his terris instituti ubique se prodit. Quemadmodum nimirum tum corpora sensim sine sensu crescunt, tum mens humana insitam suam vim longiore solum tempore plene evolvit, ita etiam opera divina ordinis supernaturalis, quae, ut interna ipsorum virtus perfecte se prodat atque appareat, humano etiam adiumento opus habent, non ipso primo tempore,

[1] Ep. l. 13, ep. 39 (ib. 1289).

sed paulatim tantum debito suo splendore quaqua versus fulgent, totaque ipsorum efficacia paulatim sese evolvit atque manifestatur. Certe id Christus ipse de Ecclesia sua diserte dixit (Mc 4, 26—32). Quod autem de toto corpore Ecclesiae valet, ut tota ipsius evolutio recta et apta sit, simili modo etiam de eius partibus, et maxime de capite valere debet.

Tum Christus cum Petro primatum iurisdictionis promitteret atque conferret, nullatenus legitur singula eius iura eorumque usum nominatim explicasse, cum ipsa primatus natura postulet, ut pro varia temporum ratione plus minusve ipsius vis se manifestet iuriumque, quae ei competunt, fiat usus.

Denique „creatum est munus primatiale, non ut Pontifices se negotiis particularium dioecesium quotidianis immiscerent, nisi specialibus rerum adiunctis postulantibus, vel nisi negotium esset, quo universa tangeretur Ecclesia, qualis esset nova exorta haeresis. Hoc manifestum est: ex una enim parte divino iure statutum est, ut semper in Ecclesia essent episcopi, qui suos greges seu ecclesias particulares regerent; ex altera vero Summus Pontifex constitutus est, qui universam Ecclesiam, non particulares, *ut sic*, regeret.“ [1] Quod porro attinet ad ipsa „particularia et extraordinaria rerum adiuncta, ut sunt scandala gravissima ab aliquo episcopo data, violenta eiectio episcopi e sede sua etc., haec regulariter multo opportunius a patriarchis et conciliis finitimorum episcoporum inspecta et composita sunt, *tum* quia per ista saecula adeo difficilis erat a tot longinquis regionibus ad R. Pontificem aditus; *tum* quia adeo plerumque difficile erat, R. Pontificem idoneos testes et documenta habere, quibus auditis et inspectis ius recte diceret; *tum* quia adhuc non adeo percrebuerunt, nec adeo in oculos omnium incurrerunt mala, quae ex non consulto centro unitatis, lapsu temporis orta sunt. Cum post persecutiones sopitas et pacem Ecclesiae redditam . . . sedes patriarchales et alias, in oriente praesertim, occupare inciperent episcopi pravi, ambitiosi, iniqui, et etiam haeretici et haereticorum fautores, et cum alia plura grassarentur mala . . . , factum est, ut in dies magis magisque desiderarentur supremi pastoris vigilantia et cura.“

2. PROBATUR SECUNDUM FACTUM: QUEM IURISDICTIONIS IN UNIVERSAM ECCLESIAM PRIMATUM R. PONTIFICES SIBI ADIUDICARUNT, EUM IPSA ECCLESIA SEMPER AGNOVIT. Quod demonstratur

a) singulorum Patrum aliorumque dictis. Certe iam SAECULO SECUNDO verba, quibus S. Ignatius de Romana ecclesia loquitur, illius agnitionis indicium haud leve praebent. Ita enim epistulam quam ad Romanos dat, inscribit [2]:

„Ignatius, qui et Theophorus, ecclesiae misericordiam consecutae in magnificentia Patris altissimi et Iesu Christi Filii eius unici; ecclesiae dilectae et illuminatae voluntate eius, qui vult omnia, quae sunt secundum caritatem Iesu Christi, Dei nostri; quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum, digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta et universo caritatis coetui praesidens, Christi legem habens, Patris nomine insignita, quam et saluto in nomine Iesu Christi Filii Patris . . . “

---

[1] Murray III 616 sq. [2] Funk I² 253.

Quae verba si comparas cum aliarum epistularum inscriptionibus, statim in oculos incurrit, laudes prorsus peculiares in Romanam ecclesiam ab Ignatio congeri, ita ut saltem honoris aliquem primatum Romae ascribi prorsus pateat. Sed Ignatium *cur* dicamus adeo veneratum esse urbem Romam? An propterea, quia illa caput orbis erat omni splendore ornatum? At vir ille a saeculi pompa abhorrebat et solum martyrium spirans flocci faciebat, quae apud mundanos homines illi urbi admirationem conciliabant. An propter Romanorum amicitiam Christo et eius asseclis ostensam? At certe Roma caput erat inimicorum Christi, cui Ignatii magister S. Ioannes iram Dei et vindictam minitatus erat (Apc 17 sqq). Ergo alia ratio subesse debet huic venerationi, quam ceteroquin non difficile coniecturari poteris. Scil. verum etiam iurisdictionis primatum Romanae ecclesiae Ignatius satis clare videtur innuere. Nam

1. ex Ignatii sententia Roma ea est, „quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum (*ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων*)." Ubi cum verbum „praesidet" absolute ponatur, nec cui praesideatur addatur, de praesidio in omnes ecclesias vel totam Ecclesiam haec vox intelligatur necesse est.

Obiciunt, revera non absolute hic poni vocem praesidendi, sed verbis „in loco regionis Romanorum" significari ab Ignatio territorium, in quod Romana ecclesia iurisdictionem exerceat; tantummodo igitur in paucas urbes vicinas Romanae ecclesiae potestatem ac ius quoddam ascribi. Sed a) verbis illis non significari territorium, *in quod,* sed *in quo* iurisdictio exerceatur, patet, si comparare volueris inscriptiones aliarum Ignatii epistularum. Hunc enim morem constanter Ignatius servat, ut primum nomen urbis ad quam scribat nominet, addatque nomen provinciae, in qua singulae urbes positae sunt. Inscribit igitur literas suas ecclesiae, „quae est Ephesi in Asia", „quae Magnesiae est ad Maeandrum", „quae est Trallibus (Philadelphiae, Smyrnae) Asiae". Ergo pariter in epistula ad Romanos data hunc morem, quantum fieri poterat, servasse Ignatius existimandus est, atque adeo illa circumlocutio: „quae praesidet in loco regionis Romanorum" magnificentiore modo explicat idem ac simplicia verba: „quae est Romae". Provinciam, ubi sita sit Roma, ubi agitur de capite imperii, addere non potuit, sed dicendum erat: quae est Romae, in ipso capite Romanae ditionis. Et revera verba aliquo modo contorta: „in loco regionis Romanorum" nihil aliud significare videntur quam locum, qui maxime est proprius Romanorum. Praeterea b) si verba de quibus agimus, non exhibent locum, ad quem mittebatur epistula, aliquam urbis Romae laudem iis contineri dicendum est. Sed laus inter tot magnificentissima praeconia satis frigida ac ridicula esset, quod Roma praesideat paucis quibusdam civitatibus vicinis[1].

---

[1] Etiam Lightfoot (The Apostolic Fathers. II: Ignatius II, London 1885, 190) explicat: *προκάθηται*, „has the chief seat, presides, takes the precedence", et locos parallelos affert: Dio Chrys., Or. 35 (p. 68): *τῆς τε Φρυγίας προκάθησθε καὶ Λυδίας* (of the town of Celaenae); Galen. 19 (Kühn 22): *ἠξίωσάν τινες τῶν ἀξιολόγων ἰατρῶν ἐν προεδρείᾳ καθεζόμενοι;* Basil. Seleuc., Vita S. Theclae l. 1

Obicit Harnack[1]: 1. vocem προκάθηται absolute positam esse non posse, nam initio secundi saeculi nullum praesidem totius Ecclesiae agnitum fuisse; 2. ad προκάθηται supplendum esse ἀγάπης. Si enim, ita argumentatur, Ignatius scripsisset: ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, προκαθημένη τῆς ἀγάπης, quis dubitaret, verbo προκαθῆσθαι bis posito utroque loco eandem vim inesse ac repeti idem verbum ab Ignatio, ut cogitationem, quam dicendo προκάθηται coeperat efferre ac inchoatam reliquerat, resumpto eodem verbo ac necessario complemento addito, demum perficeret. Sed eundem verborum nexum ac constructionem etiam in textu ut nunc est inveniri, obscurari tantum rem ex eo, quod sex illa epitheta ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπής, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιοεπίτευκτος, ἀξιάγνος interposita sint. In voce προκαθημένη τῆς ἀγάπης vero nil inesse, quod iurisdictionem sapiat. — At respondendum est 1. ad primum, manifestam eam esse petitionem principii; 2. alterum autem illud quod attinet, omnino admittimus, προκάθηται et προκαθημένη eodem sensu ab Ignatio usurpari. Sed non ex participio postea posito diiudicandum est, quid eadem vox praecedens sibi velit, sed contrario modo res se habet. Cum enim προκαθῆσθαι saepe absolute ponatur ac sensum plane definitum ac perfectum fundat, quicumque apud Ignatium legit: ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, necessario debet eundem sensum verbo προκάθηται subicere, quem etiam alias ea vox habet. Atque Ignatius ita, ut intelligi non posset, locutus esset, si voluisset, ut qui legeret in suspenso maneret, nec definitam notionem illi voci subiceret, usquedum post plurima interposita tandem disceret, quid sibi vellet illud προκάθηται. Unde etiam factum est, ut per tot saecula nulli in mentem veniret Harnackii explicandi modus.

2. Iterum in eadem inscriptione praeses vocatur Romana ecclesia, dum *προκαθημένη τῆς ἀγάπης* dicitur. Quo in titulo explicando illud ante omnia certum esse debet, hic vocem *προκαθῆσθαι* non alio sensu poni ac paulo ante, ubi eadem vox occurrerat. Quod si tenemus, alia vox *ἀγάπη* commode ita explicatur, ut significet fraternitatem christianam vel coetum christiana caritate unitum. Nam verbum *προκάθημαι* „ubicumque legitur, ad locum vel societatem aliquam refertur. Apud Ioannem Malalam e. g. (ed. Oxon. 1691, p. 278) Antiochia *προκαθημένη τῆς ἀνατολῆς* vocatur, et apud Chrysostomum in Matth. hom. 7, c. 7 (ed. Bened. VII 116) *προκαθημένην τῆς οἰκουμένης πάσης;* apud Gregorium Naz., Or. 43 c. 14 (ed. Migne II 514) Constantinopolis *προκαθεζομένην τῆς ἑῴας πόλις*.... Cf. etiam Stephanus, Thesaurus s. h. v. Eiusmodi interpretationi Ignatii saltem modum dicendi non obstare patet e Trall. 13, 1 [*ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη Σμυρναίων καὶ Ἐφεσίων*]; Rom. 9, 3 [*ἀσπάζεται ὑμᾶς τὸ ἐμὸν πνεῦμα καὶ ἡ ἀγάπη τῶν ἐκκλησιῶν*]; Philad. 11, 2 [*ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐν Τρωάδι*]; Smyrn. 12, 1 [ubi eadem phrasis].“[2] Si enim locis recitatis ecclesiae

(MG LXXXV 556): *πόλις δέ ἐστιν ... προεδρεύουσα δὲ καὶ προκαθεζομένη πάσης Ἰσαύριδος πόλεως* (Seleucia); Leo M., Serm. 82, c. 1 (ML LIV 423) etc.

[1] Sitzungsberichte der Kgl. Preuß. Akademie der Wissensch. 1896, 111—131. Cf. Funk, Kirchengeschichtl. Abhandl. und Untersuch. I, Paderborn 1897, 2—12; Chapman in Revue Bénédictine XIII, Maredsous 1896, 385—400.

[2] Funk ad h. l. I² 252.

particulares *ἀγάπαι* videntur nominari, cur hanc vocem ad universalem Ecclesiam referre non liceat? — Ceterum, si *ἀγάπην* hic intelligas beneficentiam, Roma ex Ignatii sententia ea erit, quae gubernet ac regat beneficentiam *omnium* christianorum, id quod iurisdictionis primatum includit. Si vero *ἀγάπην* putas esse eam christianorum coniunctionem, quae oritur ex eo, quod ex Christi voluntate in unum gregem congregantur, multo magis iurisdictionis primatum Romae tribues.

Obiciunt 1. verba προκαθημένη τῆς ἀγάπης vertenda esse: quae prima est vel excellit caritate, et putant significare voluisse Ignatium Romanorum erga alias ecclesias beneficentiam, cui iam Dionysius Corinthius [1] testimonium reddit. Sed προκαθημένη non significat excellere, et nullus umquam ullius scriptoris locus allatus est, ubi id significet. — 2. Obicit Harnack [2], verba de quibus agimus, vertenda esse: quae est „patrona (vel procuratrix) caritatis", nam a) προκαθῆσθαι etiam significare „protegere"; b) etiam Pseudo-Clementem (Epist. ad Iacobum c. 2 et 17) simili modo episcopum vocare προκαθεζόμενον ἀληθείας, i. e. defensorem, protectorem veritatis, eum qui veritatis curam habet. At rationes quas affert rem non evincunt. Nam a) προκαθῆσθαι ita vim protegendi habet, ut originariam suam significationem, qua idem est ac „ante aliquam rem sedere", numquam plene exuat, ac proinde de ea protectione tantum usurpetur, quae exercitibus ac armis fiat. Praeterea vero vox illa hoc loco eodem modo intelligenda est ac illud προκάθηται, quod paululum antea eam praecedit. Sed antea praesidendi sensu usurpatur. Ergo etiam hic. Deinde προκαθεζόμενος ἀληθείας non est defensor veritatis, sed praepositus (ecclesiae), qui veram fidem docet. Scil. cathedra, in qua praepositus ille sedet, vocatur a Pseudo-Clemente cathedra doctrinae (καθέδρα τῶν λόγων, c. 2) vel cathedra doctoris (τοῦ διδάσκοντος, c. 19), et traditio verae doctrinae inter praecipua munera praepositi est (c. 19) [3]. Ceterum capite praecedente προκαθέσθητι sensu absoluto usurpatur, significat enim: esto praepositus.

3. Propter ecclesiae Romanae primatum Ignatius ad Romanos scribens non solum in inscriptione epistulae, sed in ea tota genere dicendi prorsus alio utitur atque in reliquis epistulis. In his enim adhortatur christianos tamquam pater filios vel magister discipulos ac illos de christiana vita praeceptis instruit. In epistula ad Romanos autem utitur verbis reverentiae plenis nec ad vitam bene gerendam eos adhortatur. Et versus finem epistulae (c. 9) ecclesiam Romanam dicit se mortuo ecclesiae *Syriae* una cum Christo episcopali cura provisuram esse. Scribit enim: „Solus Iesus Christus illam *vice episcopi reget* atque vestra caritas (*μόνος αὐτὴν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐπισκοπήσει, καὶ ἡ ὑμῶν ἀγάπη*)." Quae locutio notatu sane digna est; ad alias enim ecclesias dum scribit, *rogat*, ut pro se et ecclesia Syriae Deum *precentur* [4], de sola Romana, non rogans quidem, verum simpliciter affirmans, illo verbo usus est, quod curam episcopi designat. Cura

---

[1] Eus., H. E. 4, 23, 10. [2] L. c. 119 123. [3] Chapman l. c. 392.

[4] Rogat preces: Ad Eph. 21, 2 (Funk I² 231); Ad Magn. 14 (ib. 241); Ad Trall. 13, 1 (ib. 251); sedatam esse in Syria persecutionem his precibus ascribit: Ad Phil. 10, 1 (ib. 273); Ad Smyrn. 11, 1 (ib. 285); Ad Polyc. 7, 1 (ib. 293).

autem episcopali ecclesia Romana Syriae ecclesiae providere non potuit, nisi iurisdictionis primatum in totam Ecclesiam habuit; quare nisi Ignatius hunc illi primatum ascripsisse dicatur, vix concipitur, quo iure ea ratione de ecclesia Romana eaque sola locutus sit. — Neque obstat, quod Ignatius eo loco primum Christi mentionem faciat; intelligit enim Christi Dei auxilium invisibile, quod sane curam episcopalem a visibili capite exhibendam minime excludit. Nec magis contra valet, quod Ignatius illud dicens non solum Romae episcopum, sed Romanos christianos alloquatur; intelligendum est enim illud Ignatii dictum de illo inter Romanos, de quo solo intelligere licet; ergo non de omnibus Romae christianis, mulieribus et pueris aeque ac viris, sed de ecclesiae capite, episcopo, cui etiam procul dubio haec Ignatii epistula primo reddita est. Unde laudata Ignatii dicta satis demonstrant, ipsum iurisdictionis primatum R. Pontifici adiudicasse.

Sed longe clarius ac certius Romanae ecclesiae ideoque R. Pontificum primatum testatus est, et in libro quidem polemico ante annum 180 conscripto, S. Irenaeus, Polycarpi aliorumque apostolicorum virorum discipulus, ac tum scientia tum vitae probitate, atque in hac quaestione etiam ratione episcopatus sui Lugdunensis, testis gravissimus. Qui cum haereticorum commentis opponens doctrinam ab apostolis traditam, eam in tota Ecclesia esse eandem, puram atque illibatam ex eo probari posse dixisset, quod et in singulis ecclesiis apostolicis continua semper perseveraverit episcoporum ab apostolis doctorum successio, omnesque illae ecclesiae in eandem sententiam conspirent, ut hanc ecclesiarum conspirationem demonstret, ita scribit[1]: „Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibiplacentiam vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem*[2] *principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam,* hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio."

---

[1] Adv. haer. 3, 3, 2. Damus lectionem editionis a Stieren curatae.

[2] Massuetus legit *potiorem* propter auctoritatem codicis Claromontani; recte autem dicit diss. 3 in S. Irenaei libros art. 4, n. 33 (MG VII 280): „Alterutra [lectio] retineatur, perinde esse ad sensum existimo." *Potentiorem* tamen legendum esse Stieren recte iudicavit, cum omnes alii codices aliaeque editiones istam lectionem habeant. In cod. Claromont. autem librarius *pontiorem* scripserat; antiqua tamen manu *n* expunctum est, ut legatur *potiorem*. Ideo minime dubitamus, quin in ipso quoque archetypo, unde cod. Claromont. descriptus est, librarius *potentiorem* invenerit, sed oscitantia literas *te* omiserit.

Quibus verbis Irenaeus dicit, omnes ecclesias particulares, sive omnes ubique terrarum christianos ad consentiendum cum ecclesia Romana propter maiorem huius potestatem sive primatum obligari.

Quod quidem protestantes negare solent, variaque ad infringendam huius loci vim protulerunt. Et alii quidem, praecipue Grabius et nostra aetate F. Brandes[1], „potentiorem principalitatem" nihil aliud esse ex Irenaei sententia dixerunt nisi potestatem civilem urbis Romae eiusque imperatorum; verbum vero „convenire" non de consensu animorum in eandem sententiam, sed de corporum in eundem locum conventu explicarunt; conventum igitur omnis ecclesiae ad Romanam ecclesiam intelligendum dixerunt „confluxum eorum, qui ab omni ecclesia Romam missi sint, ut causam christianorum agerent apud imperatores, quorum potentior erat principalitas, i. e. suprema potestas"; fidem autem apostolicam in ecclesia Romana ab eius sociis et *omnibus, qui undique ad eam confluebant, hospitibus* fidelibus plane intactam conservatam esse. Horum sententiam a Massueto iam egregie refutatam tempore concilii Vaticani Döllinger[2], Janus[3], Friedrich[4], Schulte[5], Gratry[6], postea Langen[7], contra explicationem a se ipsis antea datam[8]

---

[1] Gött. Gelehrte Anzeigen 1870, II 1586.

[2] Erwägungen für die Bischöfe des Konziliums über die Frage der päpstl. Unfehlbarkeit[3], München 1869, 8 sqq. Hunc enim libellum, tametsi auctoris nomine suppresso vulgatum, a Döllinger conscriptum esse constat inde vel maxime, quod, ut Augsb. Allgem. Zeitung die 27 novembris 1869 retulit, rex Bavariae Ludovicus II isto opusculo a Döllinger dono accepto huic tamquam eius auctori literis gratulatus est. Postea F. H. Reusch commentationem illam tamquam a Döllinger amico suo profectam iterum typis edidit in libello: Briefe und Erklärungen von I. v. Döllinger über die Vatikanischen Dekrete 1869—1887, München 1890, 1—29.

[3] Der Papst und das Konzil, Leipzig 1869, 92 sqq. Primarius libri auctor est Döllinger. Nova libri editio hoc titulo insignita prodiit: Das Papsttum. Von I. v. Döllinger. Neubearbeitung von Janus: „Der Papst und das Konzil", im Auftrage des inzwischen heimgegangenen Verfassers von I. Friedrich, München 1892.

[4] Theol. Literaturblatt 1876, 369 sqq, ubi inter alia consuetam catholicam interpretationem prorsus falsam (eine total falsche Übersetzung) dicit.

[5] Die Stellung der Konzilien, Anhang p. 219.

[6] Deuxième lettre a Msgr. Dechamps[2], Paris 1870, 38, ubi verbum „convenire" per „se réunir" redditur.

[7] Geschichte der röm. Kirche bis zum Pontifikate Leos I., Bonn 1881, 170.

[8] Certe Döllinger (Gesch. der christl. Kirche I 356 sqq) de istis Irenaei verbis scribit: „Man begreift, daß es seit 300 Jahren nicht an Bemühungen gefehlt hat, sich der schlagenden Kraft dieser Worte durch Verdrehung ihres natürlichen Sinnes zu entziehen." Dicit deinde, priora eiusmodi tentamina Salmasii, Grabii etc. a Massueto, Valsecchi, Katerkamp esse debito modo confutata, ipseque tum fusius refutata sententia a Gieseler proposita concludit: „Wenn Irenäus zuletzt noch beifügt: in qua semper ab his, qui sunt undique etc., so will er damit die Wirkung angeben, welche sich aus der principalitas der römischen Kirche und der daraus folgenden Übereinstimmung aller andern mit derselben ergebe, daß nämlich von allen Gläubigen allenthalben in ihr, d. h. in ihrem Schoße, in der Gemeinschaft mit ihr als dem Mittelpunkte der Einheit, die apostolische Überlieferung stets bewahrt werde; conservata est wird also die Übersetzung von *διαφυλάττεσθαι* oder *συντηρεῖσθαι* sein." Atque eandem interpretationem Döllinger brevius tradiderat in Lehrbuch der Kirchengeschichte I 53. — Friedrich autem (Kirchengesch. Deutschlands I, Bamberg 1867, 409) haec scripserat: „Wir erwähnen die berühmte Stelle

ita secuti sunt, ut Irenaeum loqui affirmarent de christianis, qui cum propter varia negotia civilia, urbis amplitudinem etc. Romam saepe adire cogerentur, necessario etiam cum ecclesia Romana communicaverint. Cum enim omnes illi suae quisque patriae fidem constanter Romae testarentur et ab aliis quid crederent audirent, mutua hac comparatione id illos effecisse, ut etiam Romanae ecclesiae fidem atque doctrinam usque puram et rectam conservaverint. Quam sententiam eo probare student, quod a latino Irenaei interprete dicatur: „convenire *ad* ecclesiam", et non: *cum* ecclesia, quodque verba: „*in* qua *ab* his, qui sunt undique, conservata est", aliter intelligi non possint.

Neander[1] et Richter[2] illud „convenire" explicarunt quidem et ipsi de singulorum christianorum ex omnibus aliis ecclesiis itinere Romano, aliam tamen huius itineris causam praecipuam proferunt. Illos enim christianos Romam profectos esse dicunt, quia ecclesia Romana, utpote in sede ac domicilio imperii orbis terrarum constituta et in occidente sola immediate apostolica et omnium fere aliarum in occidente ecclesiarum parens, respectu harum fuerit instar centri. Quare multorum illorum negotiorum causa, quae aliae omnes ecclesiae Romae gerenda habuerint, quam plurimos christianos eo profectos esse, qui traditam ab apostolis Romae doctrinam suaeque fidei cum ea consensionem quam facillime cognoscere potuerint. Quid autem Irenaeus verbis *propter potentiorem principalitatem* dicere voluerit, non explicant[3].

Alii quibus allatae interpretationes nimis contortae videntur, concedunt, Irenaeum de aliarum ecclesiarum cum Romana ecclesia consensione loqui, sed explicant verba „necesse est" de necessitate naturali, non de morali sive de obligatione; „propter potentiorem principalitatem" vero explicant non de maiore potestate, sed de nobiliore et antiquiore origine, quatenus ecclesia Romana immediate ab apostolis et a duobus quidem gloriosissimis ac praecipuis constituta sit. Qua explicatione vim huius loci ad primatum R. Pontificis e sententia Irenaei probandum se satis fregisse opinari videntur. Et hac quidem ratione Irenaei locum explicant Griesbach[4], Stieren[5],

---

des Irenäus über die römische Kirche, dieses Kreuz der protestantischen Theologen, welche trotz aller Interpretationsversuche aus der Stelle nie den klar und bestimmt ausgesprochenen Vorrang der römischen Kirche hinwegzuschaffen vermögen. Irenäus bezeugt das Faktum des Vorranges der römischen Kirche in seiner Zeit, mag man propter potentiorem principalitatem erklären wie man will; denn dieser spricht sich in der Stelle auch ohne den eben erwähnten Beisatz aus, indem sie erklärt, daß *jede* Kirche unbedingt notwendig (necesse est — ἀνάγκη) mit der römischen übereinstimmen, an ihr also ihre Orthodoxie bemessen muß, denn sie sei die Bewahrerin der apostolischen Tradition."

[1] Allgem. Gesch. der christl. Religion und Kirche I 318 sq.

[2] Lehrbuch des kathol. und evang. Kirchenrechts[6], Leipzig 1867, 40.

[3] Addit Neander l. c. 319: „Statt conservare muß man dann nur mit Grabe observare lesen." — Etiam aliqui catholici Irenaeum de christianis, ut in fide docerentur Romam confluentibus verbum conveniendi usurpasse arbitrati sunt. Contra quos non est cur dicamus, praecipue quia eorum sententia multos asseclas nacta non est. Cf. Funk, Abhandlungen und Untersuchungen I 17.

[4] Brevis commentatio de pot. eccl. rom. principalitate: in eiusdem Opusculis academicis, ed. Gabler II 163 sqq.

[5] In editione Operum S. Irenaei in nota ad h. l.

Gieseler[1], Schulte[2]. Quibus fere accedit A. Harnack[3], qui vocem conveniendi atque conveniendi necessitatem eodem ac illi modo interpretatus potentiore principalitate Romanam ecclesiam ex Irenaei sententia ita prae aliis eminere putat, ut prima sit inter pares. Scil. omnibus ecclesiis immediate apostolicis Irenaeum „principalitatem" quandam ascribere putat, quae in hoc consistat, ut earum unaquaeque sola et per se sumpta certa sit apostolicae traditionis custos, et earum uniuscuiusque testimonio per se sumpto, quid doctrina apostolica sit, certo cognoscatur et discernatur. Potentiore autem principalitate, quae Romanae ecclesiae ascribatur, non id effici, ut alia atque altior auctoritas prae aliis ecclesiis apostolicis ei attribuatur. Accidentaliter enim ac extrinsecus tantum Romanam praeeminere inter alias ecclesias eo, quod sit maxima, antiquissima etc., unde fiat, ut eius testimonium doctrinae alicuius apostolicitati exhibitum, licet in se eiusdem valoris sit ac aliarum ecclesiarum testimonium, maiorem tamen habeat ad animos christianorum movendos ac vincendos vim. R. Sohm[4] denique et ipse concedit, ex Irenaei sententia omnem totius mundi ecclesiam cum Romana consentire debere, hancque esse ecclesiam matricem. Addit, ad literam verum esse quod Irenaeus edicat, nam omnes totius orbis ecclesias revera id procurasse, ut cum Romana fide consentirent, huiusque ecclesiae hierarchicam constitutionem apud se imitarentur. Romae enim primum episcopos monarchicos constitui coeptum esse, ac ex Romana ecclesia hoc institutum, quod evangelio adversari putat Sohm, in reliquum orbem propagatum esse.

Etiam inter catholicos H. Hagemann potiore principalitate nihil aliud nisi apostolicam originem significari putat[5], unde fit, ut primatum R. Pontificis evincere studeat non immediate ex ipsis Irenaei verbis, sed mediate ex eo, quod, cum Petrus Romanae ecclesiae auctor apostolorum primas fuerit et fundamentum Ecclesiae, etiam ecclesia Romana caput et centrum reliquarum ecclesiarum sit.

Contra has sententias eam quam indicavimus Irenaei interpretationem veram esse hac ratione monstrabimus, ut sensum verborum *convenire, necesse est, potentioris principalitatis* definiamus[6]. Itaque

1. primo loco dicimus, verbum convenire non de itinere Romano, sed de consensione cum ecclesia Romana intelligendum esse. *Primum* enim *convenire* saepe idem significare ac concordare, concinere, notum

---

[1] Lehrbuch der Kirchengesch. I 1[4], 214, ubi scribit: „Necesse est (*ἀνάγκη*) darf nicht mit oportet (*δεῖ*) verwechselt werden: jenes drückt eine natürliche Notwendigkeit, dieses eine Verbindlichkeit, Pflicht aus"; cui Stieren aliique assentiuntur.

[2] Stellung der Konzilien 219: „‚Höhere Vorzüglichkeit' hat die römische Kirche, weil sie, das geht ja *vorher*, von den Aposteln Petrus *und* Paulus gegründet *und* eingerichtet ist, weil er sie *deshalb* statt aller nennt. Wer das nicht aus dem einfachen Zusammenhange liest, *will* etwas anderes lesen. Daß die *Stadt* ebenfalls beitrug, bedarf keines Wortes für die Zeit des Irenäus."

[3] Das Zeugnis des Irenäus über das Ansehen der römischen Kirche: Sitzungsberichte der Kgl. Preuß. Akad. der Wissenschaften, Berlin 1893, 939—955.

[4] Kirchenrecht, Leipzig 1900, 380. [5] Die römische Kirche 614 sqq.

[6] Cf. Schneemann in Der Katholik 1867, I 419 sqq et Coll. Lac. IV, App.: S. Irenaei de ecclesiae Rom. principatu testimonium; Chapman in Rev. Bénéd. 1895, 49 sqq; Savio in La Civiltà catt. 1908, II 219 sqq; III 33 sqq.

est. Quod hoc sensu etiam ab Irenaei interprete adhibitum esse patet v. g. ex hoc loco[1]: „Ex variis et differentibus gentibus in unam cohortem fidei convenientes fiunt homines." Cur autem interpres verbum *convenire* hoc sensu adhibitum coniunxerit cum praepositione *ad,* ratio haec reddi potest, quod, ut teste Massueto[2] ipse Salmasius fassus est atque concedunt Thiersch et Stieren[3], Irenaeus usus est verbo vel *συμφωνεῖν* vel *συμβαίνειν* cum praepositione *πρός*, quae cum istis verbis illo sensu adhibitis recte coniungitur, quodque interpres hic, ut saepe alibi, e verbo transtulit.

Deinde ut adversarii suam sententiam tenere possint, potentiorem principalitatem ad urbem Romam vel potius ad Romanorum imperatores referunt. Id vero omnino repugnat.

Nam secundum grammatices regulas illa verba referenda sunt ad „hanc (Romanam) *ecclesiam*", tum quia haec verba proxime praecedunt, tum quia toto loco solum de ecclesia Romana agitur, Romae autem urbis ut talis et imperatorum ne verbo quidem mentio fit. — *Insuper* verba illa rationem, cur cum ecclesia Romana necessario conveniendum sit, exprimunt; quae ratio manifeste in ipsa, quacum conveniendum esse dicitur, ecclesia quaerenda est. Idem etiam ex eo confirmatur, quia procul dubio Irenaeus graeco articulo usus est, scribens: Διὰ τὴν ἱκανωτέραν αὐθεντίαν (ἀρχήν, ἡγεμονίαν, πρωτείαν); hic autem articulus potitur vi pronominis possessivi; quare aliud quidquam neutiquam addendum fuit, si Irenaeus potentiorem principalitatem ad ecclesiam Romanam retulit. Contra non potuit obscurius loqui, si urbi de qua nullus lector cogitabat, principalitatem attribuere istis verbis voluisset. Significant igitur illa verba, quisquis tandem ipsorum est sensus, proprietatem ipsius ecclesiae Romanae. — *Praeterea* adversariorum ista sententia toti Irenaei argumentationi repugnat. Ut enim supra diximus et ex oratione contexta praecedente evidenter patet, Irenaeus illud sibi ostendendum proposuit, omnes omnino ecclesias particulares in eadem doctrina et fide concordare, eo quod cum doctrina et fide ecclesiae Romanae necessario conveniant. Quod secundum adversarios Irenaeus ex hoc demonstraret, quod singulae ecclesiae Romam legatos mittere debuerunt, ut apud gentiles imperatores christianorum causam agerent. Mira sane argumentatio, et eo magis quidem mira, quod Irenaeus nullibi Romanae ecclesiae praecipuam dignitatem apostolicam auctoritatemque, nec unitatem fidei inter christianos ex eo repetit, quod Roma sedes imperii civilis erat. Et hoc ipso loco cur aliae ecclesiae cum Romana consentire debeant, non ex Romae ut urbis excellentia deducit, sed ex eo quod ecclesia Romana originem et potentiorem principalitatem habeat a Petro et Paulo, quemadmodum generatim ecclesias ab apostolis ipsis fundatas ideo, quod sunt *apostolicae,* in quacumque tandem urbe, sive magna sive parva, constitutae sunt, principales habet. Itaque „ludunt qui potentioris principalitatis nomine urbis amplitudinem designari putant. Agit enim Irenaeus non de urbe, quam propter imperium frequentari [oporteat], sed de ecclesia fundata ab apostolis."[4] — *Accedit,* quod adversariorum hypothesis de christianorum ad imperatores Ro-

[1] Adv. haer. 4, 21, 3 (MG VII 1045). [2] L. c. n. 31 (ib. 278).
[3] Vide Opera S. Irenaei, ed. Stieren ad hunc locum.
[4] Bossuet, Defensio declar. cleri Gallic. l. 10, c. 6.

manos legatione historiae adeo contradicit, ut ex aetate Irenaeo *priore* ne uno quidem facto probari possit. „Plures quidem christianorum apologias oblatas imperatoribus, a Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora et Iustino legimus: sed eos ab ecclesiis Romam missos fuisse, ut causam christianorum agerent apud imperatores, falsissimum; immo plerosque, ipsum etiam Athenagoram, cuius apologiae titulo, quod inscribatur *Legatio,* abutitur Grabius, e patria pedem extulisse, ut apologias suas offerrent, nullibi legimus; si qui vero, ut Iustinus, Romae obtulerint, dudum antea ibi degebant, nec huc eo fine venerant.“ [1] Adversarii „neque ab *omnibus ecclesiis* Romam legatos missos esse ostendere, neque cur *necesse* id fuerit, docere possunt“ [2]. Quapropter ista Grabii sententia hodie fere derelicta est.

Sed nec minus mira est ratio, qua Neander et Richter illud *convenire* de itinere Romano explicant. Neuter enim distincte dicit, utrum nomine illorum negotiorum, quorum causa e singulis ecclesiis christiani Romam adierint, intelligant sola ecclesiastica, an vero simul etiam profana mercaturae, militiae aliaque mere civilia. Si etiam haec intelligenda esse ipsi velint, nescio, quomodo probent, et eiusmodi profanarum rerum causa christianos ex omnibus tunc temporis ecclesiis Romam profectos esse, eosque ibi non solum negotia sua curasse, sed simul tantam operam navasse tum cognoscendae doctrinae a Petro et Paulo Romae traditae, tum post reditum suum universis suarum ecclesiarum sociis ea ita imbuendis, ut ideo Irenaeus tam asseveranter affirmare voluerit atque potuerit, illas ecclesias omnes eandem cum Romana ecclesia habuisse fidem atque doctrinam. Et quomodo secundum istam sumptionem Irenaeus dicere potuit, omnem *ecclesiam* ad ecclesiam Romanam venire debere, cum profecto ideo quod aliqui fideles alicuius ecclesiae propter negotia civilia Romam irent, ipsa illa ecclesia minime dici possit ad Romanam ecclesiam tetendisse. Nec enim illi fideles illius suae ecclesiae partes Romae egissent, nec ab ea missi fuissent.

Alii adversarii propter officia solum ecclesiastica ecclesias Romam convenisse volunt. Sed si R. Pontificum primatum iurisdictionis non admittant, quomodo hanc suam sententiam velint firmare atque evincere non intelligitur.

Richter quidem imprimis provocat tamquam ad locum omnino similem ad concilii Antiocheni a. 341 celebrati can. 9, in quo dicitur [3], singularum regionum episcopos nosse debere, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciae habere, quia ad metropolim omnes, qui negotia habeant, undique concurrant (διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας) [4]. At nulla apparet huius loci cum Irenaei verbis

[1] Massuet l. c. n. 34 (MG VII 281). [2] Griesbach, Opuscula II 163.
[3] Harduin I 595 E; Mansi II 1312 C.
[4] Addit praeterea Langen (Gesch. der röm. Kirche I 171), episcopos Galliae propterea ut Arelatum fiat metropolis Galliae optare, quia „ad hanc ex omnibus civitatibus multarum utilitatum causa concurritur. Ep. 65 inter Leonis M. epist.“ Idem (l. c.) ex scriptoribus medii aevi affert quosdam, qui dicunt, ex omnibus gentibus Romam concurri. Similes locos, etiam ex ethnicis scriptoribus collegerat Gothofredus ad Cod. Theodos. l. 16, tit. 1, l. 2 (VI 6), v. g. hoc Symmachi (ep. l. 4, ep. 26: Mon. Germ. Auct. ant. VI 107): „In commune imperii caput undique gentium convenitur.“ Sed de talibus recte Harnack l. c. 945: „Die Stellen, die Herr Langen für seine Erklärung angeführt hat, entscheiden schlechterdings nicht;

similitudo. Nam canone illo 9 concilii Antiocheni agitur de concursu omnium, qui *negotia habeant* in urbem provinciae ecclesiasticae primariam; ab Irenaeo autem asseveratur, omnes *ecclesias* ad *ecclesiam Romanam* convenire debere; ipse dum utitur voce „*undique*“ dicit, fideles ubique esse; in illo canone autem adverbium istud coniunctum est cum verbo concurrere. In canone dicitur, metropolitanum episcopum totius provinciae curam gerere, ideoque ex tota provincia omnes, qui maiora negotia ecclesiastica habeant, in metropoli ipsum adire debere; Irenaeus contra affirmat, necessarium non esse ad omnium ecclesiarum doctrinam cognoscendam episcoporum earum singularum successiones cognoscere, sed sufficere, eam de sola ecclesia Romana monstrare. Quaenam igitur est illa quam Richter iactat unius cum altero loco similitudo? Si quidquam ille canon secundum adversarii sententiam in hac quaestione probet, nihil aliud nisi ecclesiae Romanae primatum probat. Ideo enim ex tota provincia ad metropolitanum graviora negotia ecclesiastica deferenda dicuntur, quod is in eam totam habet iurisdictionis primatum; unde si Irenaeus affirmat, ex omnibus ecclesiis fideles pariter propter negotia ecclesiastica Romam pergere debere, sequitur, id necessarium esse, quia ecclesia Romana itidem iurisdictionis primatu, eoque in universam Ecclesiam polleat.

Quae porro alia illius itineris Romani causa ab adversariis ex hoc petitur, quod ecclesia Romana fuit constituta in principe urbe totius imperii Romani, et in occidente fuit sola immediate apostolica ac plurimarum ecclesiarum matrix, pariter rem non evincit, nisi simul Romanae ecclesiae iurisdictionis primatus in universam Ecclesiam tribuatur.

Hoc enim primatu non concesso haud intelligitur, cur cum Romana ecclesia adeo multa ex *omnibus* ecclesiis negotia *ecclesiastica* gerenda fuerint ideo, quod Roma caput imperii civilis erat. Quid enim ecclesiis respectu rerum ecclesiasticarum erat, praesertim tunc temporis, commune cum civili Romae imperio? Et quis fingat, dignitatem mere civilem et politicam urbis Romae causam fuisse maioris dignitatis et potestatis ecclesiae Romanae? Num vero postquam imperii sedes Byzantium erat delata, ab eo tempore omnes christianae totius orbis ecclesiae negotiorum ecclesiasticorum causa eo legatos miserunt? Gregorius quidem Nazianzenus ecclesiae Constantinopolitanae supremum valedicens et coram synodo muneris a se gesti rationem reddens inter alia nobilitatem Constantinopolis. quam urbem salutari doctrina ipse confirmaverat, suaeque administrationis amplitudinem his extulit verbis [1]: „Si civitatem, orbis oculum, terra marique potentissimam, orientalis atque occiduae orae velut nodum et vinculum, ad quam extremi totius terrae fines concurrunt, et a qua, velut a communi fidei emporio, incipiunt: si hanc,

denn so gewiß es ist, daß die Provinzialstädte und Rom selbst oftmals als Städte bezeichnet worden sind, wo man zusammenkommt, so gewiß ist erst zu beweisen, daß an diese Tatsache hier [bei Irenäus l. c.] gedacht ist.“ Et idem l. c. 946: „Wir übersetzen also: ‚Mit dieser Kirche stimmt notwendigerweise jede Kirche überein.‘“

[1] Or. 42, n. 10 (MG XXXVI 470): *Εἰ τὸ πόλιν τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμὸν, γῆς καὶ θαλάσσης ὅτι κράτιστον, ἑῴας τε καὶ ἑσπερίου λήξεως οἷον σύνδεσμον εἰς ἣν τὰ πανταχόθεν ἄκρα συντρέχει, καὶ ὅθεν ἄρχεται, ὡς ἀπὸ ἐμπορίου κοινοῦ τῆς πίστεως· εἰ τὸ ταύτην στηρίξαι τε καὶ σθενῶσαι τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις, τῶν οὐ μεγάλων, καὶ ταῦτα, τοσαύταις δονουμένην γλώσσαις, καὶ οὕτω πανταχόθεν, σχολῇ γ' ἂν ἄλλο τι φανείη μέγα καὶ σπουδῆς ἄξιον.*

inquam, civitatem salutifera doctrina fulcisse ac firmasse haud magnum atque amplum censeri debet, idque cum tot linguis omni ex parte agitaretur, vix certe aliud quidquam magnum ac studio dignum videri poterit." Sed haec cum Irenaei verbis commune nihil habent, quo adversarii interpretationem suam confirmare et illustrare possint. Irenaeus enim „loquitur de *ecclesia*, ad quam conveniri necesse est: Gregorius de excellentia civitatis, quam salutifera doctrina firmasse magnum videri debeat. Irenaeus dicit, ceteras *ecclesias* ad Romanam convenire necesse esse: nihil tale Gregorius. Irenaeus, si adversariis credimus, ceteras ecclesias cum Romana necessario convenire, atque in ea omnium ecclesiarum fidem audiri ex eo efficere vult, quod propter peregrinorum concursum ab his fides Romanae ecclesiae intemerata servaretur. Atqui nihil fingi potest sententiae Nazianzeni magis contrarium. Si enim religio propter hominum concursum quasi sponte sua servaretur, quid tandem magnum atque praeclarum fuisset, episcopum operam suam ad idem contulisse? Immo vero Gregorius muneris sui difficultatem inde potissimum demonstrat, quod civitatem ‚tot linguis undique exagitatam' salutari doctrina firmaverit. Et vero S. Praesulis sententiam longe aliam fuisse, atque adversarii fingunt, ex prima orationis parte manifestissimum est, ubi ille miserrimam conditionem, ad quam haeresis ecclesiam orientalem et praecipue Constantinopolitanam redegerat, ita deploravit, ut plane alienum esset ab hoc loco, huiusmodi ecclesiam veluti verae religionis praesidium ac firmamentum celebrare. — At Constantinopolim *commune fidei emporium* vocat. — Ita vero. Et quid mirum, quaeso, si urbem nobilissimam, imperii sedem, in ipso Asiae et Europae confinio sitam, quam idcirco orientalis atque occidentalis orae nodum et vinculum esse dicit, pari modo velut commune fidei emporium appellavit, scil. ut ingentem eius vim ad veram fidem in provincias propagandam hac oratoria et paene poetica imagine designaret? Parumne ad laudem episcopatus Gregorii pertinebat, quod talem civitatem, paulo ante haeresi miserum in modum vexatam exitio ipse eripuit, salutiferaque doctrina confirmavit? Id igitur cum eo, quod S. Gregorio propositum fuit, optime congruebat, neque tamen simile quidquam S. Irenaeus intendit." [1]

Quod autem ecclesia Romana fuit ab ipsis apostolis Petro et Paulo constituta, ratio certe fuit, cur eam aliae ecclesiae summopere venerarentur, nullatenus autem, cur eae omnes ecclesiastica maioris momenti negotia Romam deferrent, nisi simul R. Pontificum primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam admittatur.

Multae enim aliae ecclesiae erant a Paulo vel Petro vel alio praecipuo apostolo Ioanne institutae, neque tamen ideo aliae ecclesiae omnes ad eas negotia sua ecclesiastica detulisse leguntur. Et tametsi multae occidentis ecclesiae a Romana sunt fundatae, haecque ipsa origo sola maioris earum cum ecclesia Romana tamquam cum matre necessitudinis ratio dici potest, ea tamen ratio nullatenus valebat pro ecclesiis orientis. Irenaeus autem loquitur non solum de Italiae vel totius occidentis, sed de omnibus omnino ecclesiis. Nam „in eo est Irenaeus, ut indicata traditione in *unica* illa ecclesia Romana conservata, supersedeat commonstrare, quae sit in *reliquis singulis* ecclesiis traditio" [2], quia *omnem* ecclesiam sive, ut explicationis

[1] Schneemann l. c. XVII.
[2] Thiersch apud Stieren, Opera Iren. I 430.

causa addit Irenaeus, „eos qui sunt undique fideles“ cum Romana ecclesia convenire necesse sit. Manifeste enim *undique* hoc loco idem quod *ubique* significat. Apud Graecos enim, maxime posterioris aetatis, adverbia quae locum denotant, saepe commutantur, illa nimirum, quae motum exprimunt, cum illis, quae quietem designant, v. g. ἐκεῖσε cum ἐκεῖ[1].

Ceterum concedimus ultro, etiam ex orientis aliisque ecclesiis, quae non ab episcopis Romanis fundatae fuerant, commercium cum ecclesia Romana iam propter *literas communicatorias* haud infrequens fuisse. Mos enim in antiqua Ecclesia fuit, ut quivis novus episcopus electionem et consecrationem suam aliis episcopis literis indicaret, suaeque et ecclesiae suae fidei professionem mitteret ab iisque pariter responsum acciperet. Idque praesertim erga R. Pontificem observandum erat, a quo agnosci necessaria erat conditio communionis cum Ecclesia catholica ideoque etiam cum huius Ecclesiae episcopis. Quod infra fusius probabimus.

Adversariorum sententia etiam propterea admitti nequit, quia Irenaeum absurde argumentantem facit.

Monstraturus enim omnium ecclesiarum eandem esse fidem, dixisset, ad id necesse non esse, singularum ecclesiarum traditionem recensere, sed sufficere, solius Romanae ecclesiae doctrinam cognoscere, *vel* eo quod aliae ecclesiae, quarum fideles Romam peregrinentur suamque fidem ibidem profiteantur, eandem omnino quam Romana ecclesia doctrinam et traditionem habeant, *vel* ut Döllinger et Friedrich volunt, eo quod Romanae ecclesiae, utut principatum habentis, fides pura atque integra conservetur praecipue a christianis, qui ex aliis ecclesiis Romam veniant. Iam secundum *priorem* istam explicationem Irenaeus argumentatione sua *plane nihil probasset*, sed tantum

---

[1] Eodem modo ab Irenaeo etiam alibi adverbium *undique* adhibetur. Ita vocat Adv. haer. 3, 24, 1 „praedicationem Ecclesiae *undique* constantem“, cum tamen de eadem praedicatione alibi (1, 10, 2) dicat: „Sicut sol in universo mundo unus et idem est, sic et ... praedicatio veritatis *ubique* lucet (*πανταχῆ φαίνει*).“ Et rursus 3, 11, 8 memorata Ecclesiae extensione per totum terrarum orbem, evangelia comparat cum universalibus spiritibus (*καθολικὰ πνεύματα*), et appellat hos *πανταχόθεν πνέοντας τὴν ἀφθαρσίαν*, *undique* flantes incorruptibilitatem. Sed *undique* hic manifeste non exprimit, unde illi spiritus veniant, sed potius id, super quod ipsi sese diffundentes immortalem vitam tribuant, scil. homines terram ubicumque inhabitantes: quemadmodum Irenaeus paulo post de evangelio Marci loquens dicit Spiritum Sanctum e coelo missum esse in omnem terram (*εἰς πᾶσαν τὴν γῆν*). Atque ab ipsis classicis Graeciae scriptoribus adverbia dicta ratione commutantur, si ipsa quidem quietem exprimunt, sed simul etiam aliquem praevium motum significant, uti v. g. dicit Thucydides (Hist. 3, 71): *οἱ ἐκεῖ καταπεφευγότες*, qui eo confugerant, i. e. proprie, qui ibi asylum invenerant. Iam vero haec motus notio in notione *Ecclesiae et fidelium* simul continetur, cum *ἐκκλησία* per se significet convocatam concionem, et ipsa reapse ex variis omnino gentibus collecta et formata sit, praecedente evangelii praedicatione per eas omnes diffusa. Fideles (*πιστοί*) autem potuerunt ab Irenaeo cogitari, ut ipse l. c. 4, 36, 5 ait, tamquam „ex universis gentibus“ convocati vel tamquam „undique“ vocati, qui tamen, utpote spirituali tantum modo vocati et congregati, simul *ubique* in omnibus regionibus sint. Itaque „qui sunt undique fideles“ christiani omnium omnino regionum, in quibus degebant, intelligendi sunt; quare *undique* hic idem valet quod *ubique*, ideoque de *tota* Ecclesia agi monstrat; unde etiam sequitur, eo adverbio hic nullatenus significari loca, e quibus christiani Romam profecti sint. Commutatio igitur adverbii *undique* cum *ubique* hoc loco neutiquam arbitraria est.

affirmasset, eandem ubique esse fidem, ideoque argumentationem ex Romanae ecclesiae principalitate petitam, utpote superfluam atque nullam prorsus omittere debuit. Adeo stultus autem Irenaeus non fuit, ut tam insipida ratione scriberet. Quare miror, etiam Griesbach hanc interpretationem eatenus suam fecisse, quatenus contendit[1], ecclesias ceteras a Romana respectu fidei dissidere non posse, „propterea quod hi qui sunt undique, seu omnes quacumque in regione ecclesiae, traditionem apostolicam [pariter ac Romana] intemeratam conservarunt".

Secundum *aliam* autem interpretationem Romanae ecclesiae fides fidei aliarum ecclesiarum obnoxia fuisset ab eaque regi debuit, atque ita *primum* pariter haud amplius intelligeretur, cur Irenaeus et Romanae ecclesiae prae ceteris principalitatem nominarit ac non potius omnes ecclesias ratione saltem fidei aequales praedicaverit et praeterea addiderit, propter potiorem illam principalitatem omnes christianos cum Romana ecclesia necessario concordare debere, cum secundum adversariorum sententiam ipsa potius debuit cum aliis ecclesiis concordare, eas usque de recta fide interrogare suamque doctrinam ipsarum iudicio submittere, ut cognosceret, utrum ipsa cum vera apostolorum traditione conveniret. Ita autem Irenaeus secunda suae sententiae parte destruxisset, quod priore tam clare affirmaverat. Cui autem sanae mentis homini hoc verisimile videatur? — *Deinde* quis sibi persuadeat, novellos aliarum ecclesiarum christianos, qui Romam petierunt, in religionis christianae rebus ita instructos et doctos fuisse, ut multo melius quam R. Pontifex ipsiusque adiutores et fideles ecclesiae Romanae ab ipsis duobus praecipuis apostolis instructi, christianam doctrinam sciverint et recta fide eiusque conservandae studio ita praestiterint, ut ne fides Romana a vera Christi religione deficeret, et potuerint et voluerint praecavere? Et si illi peregre venientes christiani Romanae ecclesiae fidem a sua diversam invenissent, num istius ecclesiae „maximae et antiquissimae" fidem suae postposuissent? Num ecclesia Romana, quae de tempore celebrandi paschatis et de haereticorum baptismo aliisque doctrinis traditionem suam contra ipsum S. Polycarpum, et postea contra Tertullianum et Cyprianum multosque episcopos Africanos et orientales tanta constantia defendit atque retinuit, quaeque doctrinam suam ab apostolorum principibus acceperat, tam facile advenarum, qui Romam venerant, diversis doctrinis cessisset vel cedere debuisset? Et si non cessisset ideoque ab aliis ecclesiis sese separasset — de qua tamen separatione nihil ullibi legitur —, tum certe Romae haud amplius omnium ecclesiarum doctrina praedicata esset, planeque falsum fuisset illud dictum, quo Irenaeus totam istam suam argumentationem conclusit, istam ecclesiae Romanae traditionem et veritatis praedicationem „plenissimam" ostensionem esse unius eiusdemque in universa Ecclesia fidei atque doctrinae. Ceterum ubinam legitur, vel ecclesiam Romanam ante Irenaei tempora umquam in periculo fuisse a vera fide deficiendi, vel exteras ecclesias studuisse eam in recta fide conservare? — *Denique* nonne inter illorum temporum advenas multos haeresum auctores fuisse historia docet, quos R. Pontifex damnando Ecclesiam a falsa doctrina liberam conservavit? Cogita Theodotum Coriarium, Valentinum, Cerdonem, Marcionem, Praxeam, christianos iudaizantes. Et hac tot haeresum aetate solum christiani Romam e longinquo venientes rectam ecclesiae Romanae

[1] Brevis commentatio etc., ed. Gabler II 165.

fidem et traditionem doctrina et opera sua conservaverint, cum tamen reliquarum ecclesiarum rectam fidem ab ecclesia Romana condemnatione illarum haeresum et rectae fidei praedicatione conservatam esse tota illorum temporum historia clamet! Atque ipse etiam S. Polycarpus Romam ad Pontificem Anicetum tetendisse refertur, non eum docendi, sed consulendi gratia. Nec, ut supra iam diximus, S. Ignatius martyr ad ecclesiam Romanam scribens, eam ut alias, quibus scripserat, in doctrina christiana ullatenus instruere ausus est. — *Postremo* purioris doctrinae conservationem Irenaeus semper attribuit episcoporum in ecclesiis apostolicis *successioni* non interruptae, numquam *peregrinorum* hominum vigilantiae. Sic hoc ipso de quo agimus capite, postquam Romanorum episcoporum seriem descripsit, ita perorat: „*Hac ordinatione et successione* ea quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos" etc. [1]

2. Secundo loco indagandum est, vocibus necesse est quaenam necessitas exprimatur, utrum naturalis sive physica, an vero moralis.

Qui naturalem tantum necessitatem affirmant, contendunt *primum*, Irenaeum graece scripsisse ἀνάγκη ἐστί, non vero δεῖ, solo autem verbo δεῖ moralem necessitatem sive obligationem exprimi [2]. *Deinde* contendunt, hoc incisum relativum: „in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est . . . traditio", non referendum esse ad Romanam ecclesiam („ad hanc ecclesiam"), sed ad singulas particulares ecclesias („omnem ecclesiam"). quae cum Romana consentiant, ita ut tota Irenaei sententia haec evadat: ecclesia Romana cum propter principalitatem suam nobiliorem et maxime apostolicam doctrinam quam apostoli tradiderunt puram et integram servaverit, necessario sequitur, reliquas singulas ecclesias [3], in quibus traditio apostolica servata est, cum Romana concordare. Qua explicatione utique moralis necessitas cum ecclesia Romana consentiendi penitus tollitur. *Probare* autem istam interpretationem adversarii student hac duplici ratione, quod incisum illud multo magis prope „omnem ecclesiam" quam prope „hanc ecclesiam" est, quodque alioquin puritatem apostolicae traditionis in Romana ecclesia efficientia *singularum* ecclesiarum conservari dicendum esset, id quod Irenaeus, cum doctrinae in ecclesia Romana conservationem maxime e continua episcoporum successione repetat, dicere certe noluit.

At haec vocis „necesse est" explicatio probata non est. Ac *primum* quidem adversarii falso explicant relationem illius incisi: „in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est . . . traditio".

---

[1] Griesbach l. c. 164. Quare ipse Griesbach dicit, tam contortam sibi hanc Irenaei interpretandi rationem videri, ut ei assensum nullo modo praebere possit. — Recte Hergenröther, Kathol. Kirche und christl. Staat, Freiburg 1872, 951: „Das konservierende Element *besitzt* die römische Kirche, sie empfängt es nicht von außen."

[2] Scripsisse Irenaeum *ἀνάγκη ἐστί* ex eo probant, quod voci „necesse est" apud Irenaei interpretem latinum semper in textu graeco originali respondeat *ἀνάγκη ἐστί*, cum vocem *δεῖ* interpres reddat voce „oportet".

[3] Singulas ecclesias (*πᾶσαν ἐκκλησίαν*) et non *totam* (*πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν*, ut Gieseler voluit) intelligendas esse patet ex eo, quod Irenaeus solum commonstrare vult, quae sit unius Romanae ecclesiae, non vero, quae aliarum *singularium* ecclesiarum traditio.

Id enim patet *primum* indirecte. Adversariorum enim interpretatio non probatur vera, eo quod incisum illud multo magis prope „omnem ecclesiam" quam prope „hanc ecclesiam" est. Nam linguae graecae non repugnat, quominus incisum relativum ad remotius nomen referatur, si id maioris momenti sit. Atque apud ipsum Irenaeum alibi eiusmodi exempla habentur. Ita ait[1]: „Haec prophetice significabant prophetae, sed non quemadmodum quidam dicunt, invisibili Patre omnium exsistente, alterum esse eum, qui a prophetis videretur; qui in totum, quid sit prophetia, nesciunt." Hic manifeste hoc membrum relativum: „qui in totum nesciunt" non refertur ad proxime praecedens nomen „prophetis", sed ad multo remotius „quidam". Quare in nonnullis codicibus et editionibus post: „quia prophetis" claritatis gratia adiecta erant haec verba: *hoc autem dicunt;* sed Stieren cum cod. Clarom., Voss. et Mass. ea omisit, ratus procul dubio, illam relationem illius membri: „qui . . . nesciunt" ad „quosdam" esse per se claram atque apertam. Grammatica igitur non obstat, quominus etiam eo de quo hic agimus Irenaei loco incisum illud relativum ad remotius membrum: „hanc ecclesiam" referatur. Quod cum ante Thiersch omnes et protestantes et catholici semper fecerint, hinc iam pronum est concludere, hanc relationem solam veram et naturalem esse.

Incisum „in qua" etc. ad Romanam ecclesiam referendum esse suadetur praeterea contextu totius loci. Irenaeus enim manifeste toto hoc loco vult Romanae ecclesiae praecellentiam celebrare atque imprimis puritatem eius doctrinae extollere, ita ut Romana ecclesia unum illud sit, quod toto loco quasi dominetur. Quapropter ad eam ecclesiam fere sua sponte hoc incisum refertur, praesertim cum in eo de conservatione apostolicae doctrinae agatur. — Quod insuper verbis quae illud incisum proxime sequuntur, clarius fit. Irenaeus enim de Romana ecclesia subiungit: θεμελιώσαντες . . . οἱ ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, ubi articulo ante ἐκκλησίαν posito eam ecclesiam, de qua antea locutus est, scil. aperte Romanam demonstrat. Ut autem articulum τήν hoc loco ad ecclesiam referamus, de qua proxime sermo fuit, scil. ad incisum: „In qua . . . conservata est (apostolica) traditio", ideoque isto inciso de Romana ecclesia agi, praesertim Irenaei hic de Romana ecclesia loquendi consilium postulare videtur. — Accedit quod secundum adversariorum explicationem Irenaeus temere bis idem in illa eadem sententia dixit. Nam in hoc membro: „omnem ecclesiam, hoc est eos, *qui sunt undique* fideles, in qua semper ab his *qui sunt undique,* conservata est . . . traditio", secunda vice verbis: „qui sunt undique" idem omnino dicitur, quod proxime per hoc: „qui sunt undique fideles". Nomen quidem „fideles" illic haud amplius repetitur, quia id minime necessarium fuit, cum per se pateat, eos fideles esse, qui apostolicam traditionem conservant. Atque hac sane tautologia constructio dura et difficilis intellectu redditur[2]. — Adversarios non recte referre incisum illud, praeterea ex oratione contexta patet; illud enim

[1] Adv. haer. 4, 20, 5.

[2] Tautologiam evitare sive potius tegere vult Thierschius, dum hunc locum latinum in graecum sermonem hac ratione transfert, ut verba „qui sunt undique" prima vice reddat *οἱ πανταχόθεν*, secunda vero *οἱ ὁπουδήποτε*. At propter magnam antiquae versionis latinae fidem ista Thierschii conversio plane arbitraria censenda est, cum et probabile non sit, loco eiusdem vocis latinae versionis in eadem sententia bis positae in graeco sermone duos diversos fuisse; insuper non *undique,* sed *ubicumque* respondet *ὁπουδήποτε*.

„omnem ecclesiam“ significat singulas ecclesias, haec vero: „qui sunt undique fideles“ idem quod „qui sunt undique“ exprimunt, scil. omnium regionum fideles. Si iam illud incisum ad „omnem ecclesiam“ pertineret, sensus hic foret: in *singulis* ecclesiis traditam doctrinam a fidelibus *omnium* locorum conservatam esse. Id autem Irenaeus certissime dicere noluit.

Deinde vero *directe* nostram sententiam probamus hoc argumento: ecclesia, *in qua traditio inter fideles omnium locorum conservata est*, necesse est sit ecclesia, quae ad omnium regionum fideles ea ratione se habeat, ut ipsi magna vis et efficientia in illorum omnium fidem competat. Nam praepositio „in“ hoc Irenaei loco quamvis absolute denotare possit: in gremio vel communicatione cum ecclesia Romana, procul dubio tamen eam habet significationem, qua graecum ἐν ab Irenaeo hic scriptum aliquatenus ab ipsis optimis scriptoribus, maxime autem in S. Scriptura passim adhibetur de *instrumento* sive subsidio, quo aliquid efficitur.

Ita Mt 7, 6 legitur: *μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν*, ne forte conculcent eas (margaritas) pedibus suis; Lc 22, 49: *εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρῃ*, si percutimus in gladio; Apc 6, 8: *ἀποκτεῖναι ἐν ῥομφαίᾳ*, interficere gladio; et ib. 14, 15: *κράζων ἐν φωνῇ μεγάλῃ*, clamans voce magna. Act 4, 12 de Christo dicitur: *καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία*, non est in alio aliquo salus. Similia sunt haec S. Scripturae et SS. Patrum dicta saepe repetita: *ἐν κυρίῳ, ἐν θεῷ. ἐν τούτῳ κρατύνεται*, uti etiam illud celebre: *ἐν τούτῳ νίκα*. Ipse quoque Irenaei interpres saepius particulam „in“ loco „per“ adhibet. Ita laudat[1] Col 1, 14: „In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.“ Item dicit[2]: „Salutem in eo [Iesu] dedit [Deus] hominibus“; atque rursus[3]: „Ut quod perdideramus in Adam, ... hoc in Christo Iesu reciperemus“; necnon[4]: „In Christo universa benedictio.“ Atque eodem prorsus sensu postea Optatus Milev. de cathedra a S. Petro Romae collocata haec scripsit[5]: „*In* qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur“; hic enim praepositio „in“ manifesto vim notionemque causae rationisve habet. Quod idem Hormisdas expressit scribens[6]: „Quia *in* sede apostolica immaculata est semper catholica servata religio.“

Unde si non plane certum, verisimillimum tamen est, Irenaeum nostro loco praepositionem ἐν eodem sensu usurpasse, ideoque dicere, illius ecclesiae vi et efficacia inter omnium regionum fideles apostolicam doctrinam conservatam esse. Atque id ex iis, quae mox de ecclesia Romana trademus, moraliter certum reddetur[7].

---

[1] Adv. haer. 5, 2, 2. [2] Ibid. 3, 12, 4. [3] Ibid. 3, 18, 1.

[4] Ibid. 4, 21, 3. [5] De schism. Donat. l. 2, c. 2 (ML XI 947).

[6] Ep. 7, n. 9 (Thiel 755).

[7] Putant aliqui, huius incisi lectionem librariorum culpa depravatam esse. Ita Nolte in Revue des sciences ecclésiastiques 1879, 457 negat praepositionem „in“ h. l. genuinam esse: „Le saint docteur (s. Jérôme) se plaint que les ‚librarii scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt‘: s'attribue donc volontiers aux copistes la présence de ‚in‘ dans notre texte. Pensant trouver une relation entre *Ecclesiam* et *qua*, ils auront ajouté ‚in‘ pour la préciser; ce ‚qua‘ est l' ‚ἥ‘ des Grecs. La pensée de s. Irénée est celle-ci. Toute église particulière doit avoir des traditions conformes à celles de l'église romaine: s'il en est autrement, c'est que la tradition apostolique ne s'est pas conservée intacte dans son sein.“ Hinc ipse textum graecum huius loci originalem hisce reddit: *Πρὸς ταύτην γὰρ τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τὴν κυριωτέραν αὐθεντίαν ἀνάγκη ἐστὶ πᾶσαν συμβαίνειν ἐκκλησίαν τουτέστιν τοὺς ὁπουδήποτε* (sive *πανταχόθεν*) *πιστοὺς ἢ ἀεὶ* (sive *διὰ παντὸς*) *ὑπὸ τῶν ὁπουδήποτε συντετήρηται ἡ παρὰ τῶν ἀποστόλων παράδοσις*. Alio modo textum restituit G. Morin

Iam vero talis ecclesia manifesto non est quaevis particularis, omnino vero est Romana. Nam per ecclesiam Romanam potest traditio apostolica verissime dici ubique inter fideles conservata, si, qua de re hic nondum disputamus, ea fuit revera in illa conservata: hac scil. ratione, ut ceterae ecclesiae cum Romana in fide concordare studerent ideoque eius doctrinam respicerent, in dubiis et controversiis eius sententiam expeterent atque ad sua decreta et definitiones eius assensum rogarent, verbo, si cum ea non solum communionem servarent, sed etiam frequens commercium haberent.

Atque hunc incisi de quo agimus sensum esse, tum ex aliis Irenaei dictis, tum tota illius aetatis historia ecclesiastica confirmatur. Irenaeus certe paulo post exemplo monstrat, qua ratione ecclesia Romana apostolicam traditionem in *aliis* ecclesiis puram conservaverit. Refert enim[1], quomodo ecclesia Romana dissensione non modica inter Corinthios exorta „potentis-

---

in Revue Bénéd. XXV (1908) 515—520. Putat enim delendum esse h. l. secundum illud „qui sunt undique", quippe quod librarii oscitantia irrepserit, ita ut legatur: „in qua semper ab his conservata est ... traditio". Sed voculae „ab his" sic non habent commodam explicationem, cum quod aliqui dicunt, ex loco Irenaei Adv. haer. 2, 32, 2 elucere, „ab his" idem esse ac „postea" vel „deinceps", verum non sit. Alius in eodem periodico XXVII (1910) 103—108 putat legendum esse: „ab his qui sunt undecim", scil. undecim Pontifices Romani a Lino usque ad antecessorem tunc regnantis Eleutherii. Alius in Zeitschrift für die neutestamentl. Wissenschaft 1906, 193 sqq hanc lectionem proponit: „ab his qui successionem habent ab apostolis". Ceterum iam Griesbach putabat, voces „in qua" errore librarii ortas esse, Irenaeum enim scripsisse: „in quo (ἐν ᾧ)" eo sensu quo illud legitur Hebr 2, 18. — In ipsum illum, qui Irenaei librum e graeco latinum fecit, culpam depravati textus confert J. Mausbach in Theol. Revue VIII (1909) 126. Putat scil. scripsisse Irenaeum ὑπὲρ τῶν πανταχόθεν, *pro* his qui undique sunt, i. e. in eorum commodum servatam esse Romae traditionem. Irenaei autem interpretem h. l. pro ὑπέρ legisse ὑπό, et propterea in versione posuisse „ab his" loco „pro his". Gieseler (Kirchengesch. I 1[4], 214) coniecit, Irenaeum scripsisse: ἐν ᾗ ἀεὶ τοῖς πανταχόθεν συντετήρηται, quod intelligendum esse vult: Romae semper in consensione cum omnibus christianis servata est traditio. — Alii denique culpari non posse dicunt textum latinum h. l., sed a viris doctis hucusque illum intellectum non esse. Atque H. Goussen in Theol. Revue l. c. 190 „ab his" per semitismum explicare vult, ut scil. praepositio „ab" hic significet „magis quam", qui usus vocis „ab" saepe invenitur in Vulgata latina, v. g. 2 Cor 12, 2: „nihil minus fui ab iis", i. e. quam ii; Eccli 24, 39: „a mari abundavit cogitatio eius" (cf. Kaulen, Sprachl. Handbuch zur bibl. Vulgata, Freiburg 1904, 236). J. Stiglmayr (Der Katholik 1909, I 401—405) vero graecum textum fuisse hunc arbitratur: εἰς ἣν (i. e. Romanam ecclesiam) ἀεὶ ὑπὸ τῶν πανταχόθεν ἡ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τετήρηται παράδοσις, i. e. *in hanc* conservata est traditio, i. e. ita ut cum ea (Romana ecclesia) consentiret. More enim suo ubi in graeco erat εἰς cum accusativo, eum qui vertit Irenaeum latine posuisse *in* cum ablativo, porro τηρεῖν εἴς τι posse significare ita conservare seu conservare ad mensuram vel modum alicuius rei, ut concordia cum aliqua re oriatur.

De his coniecturis ut conemur aliquod iudicium ferre, sane ipsa multitudine sua illae diffidentiam movent. Simplicitate sua se commendat illa, quam proposuit Mausbach, sed incerta et ipsa est. Ex reliquis multae satis coactae nobis videntur, ita ut ea incisi illius explicatio, quam in textu dedimus, longe praeferenda videatur. Ceterum aliquo modo impeditam esse lectionem illius incisi concedimus, quod ex eo etiam elucet, quod ex antiquioris temporis theologis, dum textum illum Irenaei recitant, multi incisi illius nullam rationem habent.

[1] Adv. haer. 3, 3, 3.

simas literas (ἱκανωτάτην γραφήν)“ mittens *fidem* christianam reparaverit et annuntiaverit doctrinam, quam recens ab apostolis acceperat; additque, haereticos ex ea epistula posse apostolicam Ecclesiae traditionem cognoscere. Atque ecclesiam Romanam apostolicam doctrinam non solum quasi per exceptionem Corinthios docuisse, sed universim eam praedicasse, probant ea, quae Irenaeus paulo ante generatim dicit[1], annuntiari scil. Romanae ecclesiae fidem hominibus. Certe si quae hic Irenaeus dicit: „eam quam habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem“, comparentur cum hisce, quae de Romana ecclesia Corinthiis scribente refert: „Corinthiis annuntians, quam ab apostolis acceperat traditionem“, dubium vix esse potest, quin sententia secunda ad priorem se habeat ut singularis ad universalem. Maxime autem clare et vero *invicte* nostram sententiam, secundum quam Irenaeus docet, non exteras ecclesias particulares rectam fidem ecclesiae Romanae conservasse, verum contra huius Romanae ecclesiae, i. e. Romanorum Pontificum ope veram fidem in tota ecclesia viguisse, probant verba, quae ipse relata Romanorum Pontificum qui usque ad ipsum vixerant serie, continuo addit[2]: „Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos.“ Num, quaeso, evidentius id quod nos contendimus, Irenaeus affirmare potuit?

Sed etiam illius aetatis historia explicationi nostrae favet. Irenaeus certe rerum ecclesiasticarum causa a Lugdunensi ecclesia ad R. Pontificem Eleutherum missus est[3], et ipse refert[4], etiam Polycarpum propter modicas controversias de rebus ecclesiasticis Romam ad Anicetum Pontificem venisse, nec certe ignorabat, quam acriter ecclesia Romana Cerdonem, Valentinum, Marcionem aliosque haereticos iamiam depugnaverat, provocando utique semper ad acceptam ab apostolis doctrinam atque ita adversarios vincendo. Quem vincendi modum ipse Irenaeus testatur dum dicit, *Romanae ecclesiae* traditione ab apostolis accepta et fide hominibus praedicata *omnes* haereticos *confundi*.

Nec sententiae nostrae obest, quod Irenaeus, teste Eusebio[5], R. Pontificem Victorem in causa de paschatis die celebrando *decenter*, ut Eusebius diserte annotat, rogavit, ne integras ecclesias a communione totius reliquae Ecclesiae rescinderet. Quantumvis enim Irenaeus consensionem cum Romanae ecclesiae *doctrina fidei* necessariam praedicaret, recte tamen existimavit, discrimen in *re disciplinari* admitti posse, et eo magis quidem, quod asiani suam de paschatis die celebrando sententiam ab apostolo Ioanne repeterent quodque a Victoris decessoribus ea tolerata fuerit. Ceterum Victoris ius exercendi iurisdictionem suam etiam in asiaticos episcopos, et ita quidem, ut eos etiam a Christi Ecclesia excludere posset, Irenaeus nullatenus negavit vel in dubitationem vocavit. Et tamen si ipse credidisset, Victorem potestatis suae limites excedere, huius rei monere ipsum debuit ac dicere, illos Romano episcopo non esse subiectos. Existimavit igitur Irenaeus, Victorem quidem fecisse, quod potuerit, sed non quod debuerit. Unde tantum abest, ut eius hac in re agendi ratio R. Pontificis primatui adversa sit, ut manifesto signo sit, eum ab Irenaeo agnitum esse.

[1] Adv. haer. 3, 3, 2.

[2] Ibid. 3, 3, 3: *Τῇ αὐτῇ τάξει καὶ τῇ αὐτῇ διδαχῇ ἥτε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παράδοσις καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς.* Quae quidem verba etiam Eusebius (H. E. 5, 6, 4) referens sua fecit.

[3] Cf. Massueti Dissert. II, a. 1, n. 10—16 (MG VII 182).

[4] Adv. haer. 3, 3, 4 et inter fragm. (MG VII 1230).

[5] H. E. 5, 24, 11.

Accedit praeterea *alterum directum argumentum* ex ipso argumentandi modo Irenaei petendum. Nam ut saepe alibi, ita etiam hoc de quo agimus capite Irenaeus provocat ad apostolorum traditionem in universa Ecclesia manifestatam, et ex totius Ecclesiae in eandem fidem consensione vult ostendere, quaenam sit vere apostolica doctrina. Ait autem, ad id necesse non esse, singularum ecclesiarum traditionem recensere, quia sufficiat solius ecclesiae Romanae doctrinam cognoscere. Quomodo iam quod affirmat verum esse demonstrat? Secundum nos ita: cum Romanae ecclesiae doctrina reliquae singulae ecclesiae propter illius principalitatem consentiant oportet, et reapse etiam semper consenserunt; doctrina autem ecclesiae Romanae est omnino apostolica, utpote a gloriosissimis apostolis Petro et Paulo ipsi tradita; ergo totius Ecclesiae doctrina est vere apostolica ideoque sola vera. Quae quidem argumentatio certe logica est et omnino apta ad ostendendum, quare sufficiat solius Romanae ecclesiae traditionem cognoscere, nec quidquam habet non congruum. Secundum adversarios autem Irenaeus ita argumentatus esset: cum Romana ecclesia propter suam principalitatem apostolicam traditionem ad nostram usque aetatem conservaverit, necessario consequitur, *singulas* eas ecclesias, *in quibus* traditio apostolica pariter hucusque semper conservata est, cum Romana ecclesia consentire. Ex hac autem argumentandi ratione, ut non dicam, eam satis puerilem videri, cum per se pateat, ecclesias, quae doctrinam apostolicam puram et integram conservaverint, respectu fidei cum ecclesia Romana consentire, si haec pariter doctrinam apostolicam habeat: ex hac, inquam, argumentandi ratione necessario sequitur, id quod Hagemann fatetur[1], Irenaeum existimasse, *posse* exsistere *ecclesiam*, in qua traditio sive doctrina apostolica non conservata sit, quae igitur cum ecclesia Romana non consentiat et a vera fide apostolica defecerit. Haec autem conclusio Irenaeo prorsus repugnat. Tantum enim abest, ut ullibi haereticorum sectas umquam ecclesias vocet, ut iis semper *unam universalem* Ecclesiam opponat, et eos qui ab huius unitate desciscant, appellet fures et latrones devitandos[2], Spiritus Sancti et operationum eius minime participes, vera vita privatos, alienatos a veritate[3], atque inanes, non habentes Dei dilectionem et extra veritatem positos, cum sint „*extra Ecclesiam*“[4]. Ex quibus profecto manifestum est, Irenaeo nihil minus in mentem venisse, quam ut sectam sive coetum christianorum, qui doctrinam apostolicam non haberent, appellaret ecclesiam. Quare etsi nulla alia ratio a nobis allata esset, haec sola sufficeret, ut certo concluderemus, illud incisum ad ecclesiam Romanam, non vero ad singulas particulares ecclesias referendum esse.

Neque altera adversariorum ratio ex voce *ἀνάγκη* petita probandi vi pollet; verba enim „necesse est“ hoc loco de *morali necessitate* intelligenda sunt.

Concedendum quidem est, et Irenaeum hoc loco verbis *ἀνάγκη ἐστί* usum esse, et haec verba, uti etiam latina „necesse est“, ad significandam necessitatem in rerum natura sitam sive naturalem saepissime adhiberi. At dicimus, *ἀνάγκη* etiam saepe a scriptoribus tum classicis, id quod quaevis lexica graecae linguae demonstrant, tum ecclesiasticis de morali necessitate usurpari, ideoque contendimus, Irenaeum nostro loco de necessitate loqui, quam legi-

[1] Gesch. der röm. Kirche 616.
[2] Adv. haer. 3, 4, 1. [3] Ibid. 24, 1 sqq. [4] Ibid. 4, 33, 7.

tima auctoritas imponat. Et vero ita S. Lucas (23, 17) de Pilato: „Necesse (ἀνάγκην) autem habebat dimittere iis per diem festum unum", quae necessitas sane non naturalis, sed moralis erat. Et ipse Irenaeus affert[1] Act 15, 18: „Placuit enim Sancto Spiritui et nobis, nullum amplius vobis pondus imponere quam haec, quae sunt *necessaria* (ἐπάναγκες), ut abstineatis ab idolothytis" etc. Abstinentia autem ab idolothytis et sanguine non naturalis, sed moralis necessitatis erat. Et alibi haereticos refert[2] dixisse, ne „necessarium" quidem esse martyrium; cuius necessitas, quatenus ex positiva revelatione provenit, utique non naturalis, sed moralis est. Rursus scribit[3]: „Iesus . . . *praecepit* unum vocari Patrem, imponens iis [apostolis] *necessitatem*, Demiurgum confiteri suum Patrem." Necessitas vero praecepto imposita est moralis. Quinimmo Irenaeus referens, quae secundum gnosticos ad salutem aeternam consequendam ab ipsis et quae a romano-catholicis requirantur, necessitatem *moralem* necessitati naturali opponit dicens[4]: „Nobis quidem necessariam esse (ἀναγκαῖον εἶναι) bonam conversationem respondent: aliter enim impossibile esse salvari. Semetipsos autem non per operationem, sed eo quod sint naturaliter (φύσει) spiritales, omnino salvari dicunt." — Nihil igitur obstat, quominus etiam sententiam: „Ad hanc ecclesiam necesse est omnem convenire ecclesiam" de necessitate *morali* explicemus.

Sed moralis necessitas hoc loco non tantum intelligi potest, sed reapse intelligenda est, cum certe mere naturali necessitate ecclesiae ad consentiendum cum ecclesia Romana non impellantur. Utique si constructio a Thierschio inventa vera foret, necessitate logica inde sequeretur, omnes ecclesias, in quibus apostolica traditio conservata esset, cum ecclesia Romana consentire. At ista constructio, ut modo vidimus, falsa est, et ideo non de logica sive naturali necessitate loquitur Irenaeus. Si vero haec necessitas dicatur oriri ex ipsa Ecclesiae natura et conditione, supernaturalis est; quae si nihilominus aliquo sensu naturalis, i. e. logica dicatur, concedendum etiam est, ex ea necessario et sua sponte sequi moralem, scil. obligationem, qua christiani omnes ad consentiendum cum ecclesiae Romanae doctrina teneantur. Omnis enim christiani officium est id agendi, quod Ecclesiae Christi ipsa natura et finis requirunt.

γ) Tertio loco inquirendum est, quid „potentior principalitas" significet. Quod iam satis liquet ex iis quae diximus. Cum enim moralis necessitas consentiendi cum Romana ecclesia intelligenda sit, eaque ex potentiore illa principalitate dicatur oriri, haec alia esse nequit nisi superior auctoritas, et talis quidem, ut quaevis ecclesia ex officio ei se debeat subicere. Sed amplius id patet ex aliis omnibus locis, quibus Irenaei interpres principalitatis nomen adhibuit, scilicet:

1.—2. „Cerinthus autem . . . non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea *principalitate*, quae est super universa, et ignorante eum, qui est super omnia, Deum. . . . Et post baptismum descendisse in eum [Iesum] ab ea *principalitate*, quae est super omnia, Christum figura columbae."[5] Graecum huius loci textum auctor Philosophumenum in librum

[1] Adv. haer. 3, 12, 14. [2] Ibid. 4, 33, 9.
[3] Ibid. 4, 1, 2. [4] Ibid. 1, 6, 2. [5] Ibid. 1, 26, 1.

suum ita transcribit [1]: *Κήρινθος δὲ . . . οὐχ ὑπὸ τοῦ πρώτου θεοῦ τὸν κόσμον γεγονέναι ἠθέλησεν, ἀλλ' ὑπὸ δυνάμεώς τινος ἀγγελικῆς πολὺ κεχωρισμένης καὶ διεστώσης τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα αὐθεντίας καὶ ἀγνοούσης τὸν ὑπὲρ πάντα θεόν . . . καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα κατελθεῖν εἰς αὐτὸν [Ἰησοῦν] ἐκ τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα αὐθεντίας τὸν Χριστὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς* etc. Principalitas igitur sive *αὐθεντία* significat auctoritatem sive imperium singulare ac summum, id quod hic etiam ex eo patet, quod de supremo Dei ipsius imperio agitur [2]. — 3. „Alii autem rursus Cain a superiore *principalitate* [liberatum] dicunt; et Esau, et Core et Sodomitas, et omnes tales cognatos suos confiteutur." [3] Graecum Irenaei textum servavit Theodoretus [4]: *Ἄλλοι δὲ, οὓς Καϊνοὺς ὀνομάζουσι, καὶ τὸν Κάϊν φασὶν ἐκ τῆς ἄνωθεν αὐθεντίας λελυτρῶσθαι* etc. Epiphanius vero de iisdem haec scribit [5]: *Οὗτοί φασι τὸν Κάϊν ἐκ τῆς ἰσχυροτέρας δυνάμεως ὑπάρχειν καὶ τῆς ἄνωθεν αὐθεντίας.* — 4. Loco Irenaei modo allato adverbium „rursus" indicat, capite priore pariter de creaturis sermonem fuisse, quarum origo illa gnosticorum „principalitas" sit. Et reapse ibi de ophitarum doctrina loquens eodem nomine utitur. Ait enim [6]: „Is, qui esset a *principalitate* Spiritus." — 5. Postquam Irenaeus libro primo varias haereses exposuit, continuo eas refutans statuit [7], Deum unum esse, qui non possit, ut haeretici docebant, esse „a foris circumdatus ab altera *principalitate,* quam necesse est maiorem esse", igitur a superiore potestate. — 6.—8. Gnosticos impugnans dicit Irenaeus [8]: „Si quidem de *principalitate* Spiritus fuit secundum regulam ipsorum, Spiritus lucis et Spiritus veritatis" etc. Et ibidem [9] insuper bis idem supremum gnosticorum principium principalitas vocatur, et ultimo quidem loco hac ratione, ut dicatur: „Adhuc etiam super haec dicunt quidem a principalitate quaedam dicta. . . . Si quis enim . . . separatim interroget de aliquo sermone eos, qui excellentes sint apud eos, inveniet alium quidem dicentem de propatore . . ., alium vero de initio omnium" etc. — 9. Alibi Irenaeus de Deo ait [10]: „Hic, qui est super omnem principalitatem et potestatem et dominationem et virtutem." Videtur autem Irenaeus haec assumpsisse ex Eph 1, 21, ubi Christus dicitur constitutus *ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος.* Itaque hoc loco probabiliter *ἀρχή* nomine principalitatis reddita est, quod hoc loco potestatem exprimit. — 10. *Καὶ οὕτω πρωτεύει μὲν ἐν πᾶσιν ὁ θεός . . ., τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἐν ὑποταγῇ μένει τοῦ θεοῦ* [11]. Quae interpres sic reddit: „Et sic principalitatem quidem habebit in omnibus Deus . . ., reliqua vero omnia in subiectione manent Dei." Quo loco verbum *πρωτεύειν* redditum est per: principalitatem habere; sed sensus idem est atque prioribus locis. Irenaeus enim, ut ex particula *δέ* in secundo membro patet, de dominatione Dei loquitur, cui utpote „infecto" et primae causae omnia *subiecta* sint.

Atque ex dictis concludendum est, quoties nomen principalitatis in versione adhibeatur, id semper exprimere veri nominis *auctoritatem* ac *potestatem,* eamque plerumque *summam* (Dei sive supremi principii) [12]. Quae conclusio *primum* constanti, quam nomen principatus in Irenaei versione habet, significatione confirmatur. Huic enim voci „eandem vel similem notionem subici, Forcellini et Du Cange in

---

[1] L. 10, c. 21 (MG XVI 3438). Etiam l. 7, c. 33 (ib. 3342) idem locus manifesto ex Irenaeo sumptus minus accurate repetitur, ubi pro voce principalitatis primo *ἐξουσία*, deinde *αὐθεντία* ponitur.

[2] Torq. Armellini, De prisca refutatione haereseon Origenis nomine ac Philosophumenon titulo recens vulgata commentarius, Romae 1862, 24.

[3] Adv. haer. 1, 31, 1.

[4] Haeret. fabul. compend. l. 1, c. 15 (MG LXXXIII 368).

[5] Haer. 38, n. 1 (MG XLI 653). [6] Adv. haer. 1, 30, 8.

[7] Ibid. 2, 1, 2. [8] Ibid. 4, 35, 2. [9] N. 2 et 4.

[10] Ibid. 2, 30, 9. [11] Ibid. 4, 38, 3.

[12] Vocabulum graecum, quod latinus interpres voce principalitatis reddidit, probabilissime fuit *αὐθεντία.*

lexicis suis annotant, quod et apud interpretem nostrum usuvenit. Promiscue enim pro choro angelorum, quem S. Scriptura ἀρχήν vocat, ‚principalitatem' et ‚principatum' usurpat", et hunc quidem semper ad auctoritatem et potestatem significandam. Certe qui spirituum coelestium chorus a Paulo Eph 1, 21 ἀρχή dicitur, a nostro interprete semel loco supra allato principalitas, alibi vero ab eodem saepius principatus[1] vocatur. Atque ex eo, quod e Scripturis constet, „principatum tenere super omnia Deum", colligit Irenaeus, eum omnium creatorem esse[2]. Christum item dicit, sicut in supercoelestibus et spiritualibus et invisibilibus princeps sit ut Deus, ita ut hominem in visibilibus et corporalibus principatum habere ideoque caput Ecclesiae esse[3], et omnium regem[4]. Quinimmo ubique fere a nostro interprete nomen principatus sensu dominationis vel imperii supremi adhibetur; ita cum ipse vel refert, Simonem Magum docuisse, male moderatos esse angelos mundum, „quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum"[5], secundum ophitas vero Ialdabaoth cum filiis suis „de principatu" litigare[6]; Medos porro et Persas Babylone obtinuisse principatum[7], vel dicit imperatorem Romanorum eum, qui maximam potestatem habeat principatus[8]. Itaque ab interprete nostro decem locis principalitas, et decem aliis nomen cognatum principatus ad significandam potestatem et imperium summum adhibetur; nec ullibi principalitas aliam vim habet[9].

Atque ex dictis iure colligitur, Irenaei interpretem principalitate potentiore auctoritatem singularem ac summam exprimere voluisse, sive in graeco, ut in latino, fuit comparativus, sive, ut ipse Stieren concedit[10], *forsitan* superlativus; alioquin illa potentior principalitas vera et firma ratio non foret, cur *omnes* omnino ecclesiae particulares cum Romana in doctrina ac fide consentire debeant. Huius porro versionis testimonium gravissimi per se est momenti, cum antiquissima sit et facta a viro, qui, ut Stieren l. c. ait, „plerumque non solum ad verba anxie vertere amat, sed etiam in formandis latinis vocibus graecum imitatur Irenaeum".

Neque ulla probabilitate ornata est eorum sententia, qui principalitatem potentiorem de insigni origine ecclesiae Romanae explicant. Griesbach existimavit[11], Irenaeum scripsisse ἀρχήν, ubi eius interpres posuit principalitatem, et accipi hoc nomen voluit de primordiis Romanae ecclesiae, utpote quae a duobus apostolis, iisque *gloriosissimis* originem duxerit; Gieseler vero ἀρχήν reddidit lingua germana per Ursprünglichkeit, i. e. si ita fas est loqui, originalitatem. Est quidem probabile, *uno* loco, quo principalitas ab interprete scripta est, ab Irenaeo nomen ἀρχῆς adhibitum fuisse; insuper verum est, istam vocem, tametsi id quod germanice Ursprünglichkeit dicimus, graeco uno verbo abstracto vix dici potest, tamen adhiberi posse et reapse ab Irenaeo adhibitam esse de initiis Ecclesiae. Scribit enim[12]: Αὗται φωναὶ τῆς ἐκκλησίας, ἐξ ἧς πᾶσα ἔσχηκεν ἐκκλησία τὴν ἀρχήν. Quae verba interpres recte ita reddit: „Hae voces ecclesiae [Hiero-

[1] Adv. haer. 2, 6, 2; 2, 30, 6; 4, 24, 2.
[2] Ibid. 2, 28, 7. [3] Ibid. 3, 16, 6. [4] Ibid. 4, 20, 2.
[5] Ibid. 1, 23, 3. [6] Ibid. 1, 30, 5. [7] Ibid. 3, 21, 1.
[8] Ibid. 2, 6, 2. [9] Schneemann: Coll. Lac. IV App. XXII.
[10] Opera S. Iren. I 429 sq. ubi in nota dicit et exemplis probat, se in graeco Irenaei sermone invenisse etiam comparativos sensu superlativi praeditos, et addit p. 430: „Quae cum ita sint, largior Romanae ecclesiae propugnatoribus, quod ipsis postulare nondum venit in mentem, nostro quoque loco *fortassis superlativum* nescio quem fuisse in originali textu."
[11] Opuscula II 166. [12] Adv. haer. 3, 12, 5.

solymitanae], ex qua habuit omnis ecclesia initium." At vero etiamsi ab Irenaeo reapse loco 3, 3, 3 illa vox scripta esset, nullatenus tamen eam ad ecclesiae Romanae initia significanda adhibitam esse patet ex ipsis modo allatis Irenaei verbis de ecclesia Hierosolymitana. Nam si nostro loco de ecclesiae Romanae origine ageretur, necesse foret, istam antiquiorem ac nobiliorem esse primordiis omnium aliarum ecclesiarum, cum alioquin potentior principalitas vera ratio nullatenus esset, cur *omnes* illae aliae ecclesiae cum Romanae ecclesiae doctrina consentire deberent. Iam vero falsum esse, ecclesiae Romanae originem omnium antiquissimam et nobilissimam esse, ex historia evidens est, et ipse Irenaeus manifeste allatis verbis negat. Hierosolymitanam enim ecclesiam recte dicit omnium antiquissimam, ita ut omnes aliae ex ipsa ortae sint; et huius ecclesiae fundatores erant praeter Petrum simul omnes ferme alii apostoli atque ipse Christus. Idem fere, ratione *solius* originis, dicendum est de ecclesia Antiochena, utpote post Hierosolymitanam secunda et in qua praeter alios Christi discipulos Petrus et Paulus pariter laborarunt, et quidem ante suum Romae adventum. Quod vero caput est, sane Irenaeus non ignoravit, ex sola maiore originis antiquitate nullam vel naturalem vel moralem necessitatem oriri potuisse, ut omnes totius terrarum orbis ecclesiae cum Romana concordare deberent.

Contra si hoc loco de maiore veri nominis auctoritate ac potestate Irenaeus loquitur, moralis utique necessitas oritur, ut omnes ecclesiae in fide cum Romana ecclesia, omnium capite, consentiant. et optime intelligitur, qua ratione in tota Ecclesia, utut immensa, fidei unitas semper locum habere et possit et debeat. Etiamsi igitur hoc loco vox ἀρχή scripta esset ab Irenaeo, ea vox dicenda foret hic non tam ecclesiae Romanae originem antiquam quam auctoritatem et potestatem designare. — At dicit Hagemann[1], Irenaeo, et Tertulliano illum secuto, notam veritatis doctrinae christianae esse *apostolicam originem* Ecclesiae, a qua illa praedicatur, ideoque ad apostolicas ecclesias in quaestione de veritate doctrinae recurrendum esse; *ergo* de *apostolica* et nobilissima quidem origine ecclesiae Romanae pariter *hoc* loco sermonem inferri. At licet alibi Irenaeus et Tertullianus ad apostolicitatem traditionis Ecclesiae provocent, ut *posteriore* tempore prolatas gnosticorum doctrinas refellant, hoc tamen loco Irenaeus potissimum argumentatur contra haereticos ex alio capite, scil. ex *consensione* omnium ecclesiarum in una eademque fide, sive ex nota *unitatis in fide:* quod non solum ex ipsis verbis huius loci patet, sed etiam ex iis, quae Irenaeus capite proximo tum priore tum posteriore dicit. In priore enim refert, singulos haeresum auctores semper variare in doctrina et inter sese numquam consentire, atque insuper apostolorum traditionem spernere, putantes se apostolis ipsis sapientiores esse; quapropter undique, sive non uno tantum argumentorum genere illis resistendum sit. In capite iam hoc tertio argumentatur Irenaeus primum maxime ex necessitate et facto consensionis omnium ecclesiarum in unam eandemque cum ecclesia Romana fidem; capite autem sequente quarto docet, obortis controversiis antiquissimarum ecclesiarum consulendam ac sequendam esse traditionem; *hic* igitur *proprie* ex *apostolicitate* doctrinae veritatem, et ex illius defectu falsitatem demonstrat.

Porro rationem, cur illa consensio in fide et necessaria sit et reapse locum habeat, dicit Irenaeus esse potentiorem Romanae ecclesiae principali-

[1] Gesch. der röm. Kirche 620 sqq.

tatem: ratio autem vera atque sufficiens pro *omnibus* omnino ecclesiis *sola origo* apostolica ecclesiae Romanae profecto nullatenus esse potuit, ut patet per se et etiam ex hac ratione, quod alioquin de multis aliis ecclesiis et maxime quidem de Hierosolymitana et Antiochena idem omnino dicendum fuit, cum tamen nomine omnium ecclesiarum, quae cum Romana consentire debent, etiam hae duae comprehenduntur. — Nec valet, quod Gieseler dicit, Romanam ecclesiam saltem in occidente antiquissimam et solam apostolicam fuisse, quare Irenaeum potuisse solum vel saltem praesertim consensionem omnium *occidentalium* ecclesiarum cum illa tamquam necessariam affirmare. Recte enim respondit Döllinger[1], Irenaeum fuisse orientalem, qui Smyrnae cum discipulo ipsius Ioannis apostoli conversatus sit; scripsisse eum graece et contra haereticas sectas, quae in oriente et exortae erant et sedes primarias et asseclarum maximum numerum habebant; ipsum igitur hic loqui de tota Ecclesia, et tantum abesse, ut orientalem ab occidentali discernat, ut nominata ecclesia Romana continuo ad traditionem ecclesiae Smyrnensis et Ephesinae provocet; potentiore igitur principalitate velle ipsum ecclesiae Romanae primatum ratione non solum occidentis, sed etiam orientis vindicare. Et vero si Irenaeus verbis „*omnem ecclesiam*“ ecclesias solum occidentales intellexisset, cur hoc non diserte et clare dixit?

Atque ex his etiam patet, neque nomen *ἀρχαιότητος*, quod, ut sententiam sustineret, secundum quam de ecclesiae Romanae primordiis hic agatur, Stieren hic scriptum fuisse contendit, admitti posse. Dicit quidem[2]: „Interpres plerumque non solum ad verba anxie vertere amat, sed etiam in formandis latinis vocibus graecum imitatur Irenaeum. Vocem *ἀρχή* vertit initium (3, 12, 5) seu principium (1, 8, 5); adiectivum *ἀρχαῖος* reddit principalis, ursprünglich (5, 14, 12 ‚principalem plasmationem‘; 5, 21, 1 ‚principalem hominem‘, ubi etiam Massuetus in archetypo *ἀρχαῖος* scriptum fuisse conicit). Tertullianus, cuius scribendi ratio simillima est stilo interpretis Irenaei, adv. Valent. c. 5 duces et conditores sectae vocat ‚principales magistros‘. Ex his mihi certum est, voci ‚principalitatis‘ respondere graecum *ἀρχαιότης*.“ At si quid haec argumentatio valeret, valeret etiam pro omnibus aliis totius operis Irenaei locis, quibus „principalitas“ scripta legitur; iam vero nullo eorum habetur *ἀρχαιότης*, tametsi saltem decies illud nomen invenitur. Quinimmo quod interpres ad verba Irenaei sermonem graecum in latinum convertere studuit, sententiae quam impugnamus non favet. Qui enim interpres adeo anxie archetypum vertit, nomen, quod in duabus proxime coniunctis sententiis bis positum est, vix duobus diversis nominibus reddit. Et tamen interpres hoc fecisse dicendus esset, cum 3, 3, 3 primum adiectivum *ἀρχαιοτάτης* „antiquissimae“, deinde vero nomen *ἀρχαιότητος* voce principalitatis reddidisset. Tametsi igitur adiectivum „principalis“ locis supra allatis significat primum, antiquissimum, tamen minime sequitur, principalitatem, quae nullo alio loco ab Irenaei interprete ad denotandum initium adhibetur, solo hoc loco significare primordia ecclesiae Romanae. — Praeterea adiectivum „principalis“ significat non solum id, quod primum fuit, sed etiam, quod praecipuum est; et hac certe sententia adhibetur a Tertulliano ipso illo loco, quem Stieren attulit: „Mihi autem cum archetypis erit limes principalium magistrorum, non cum affectatis ducibus passivorum discipulorum.“ Archetypos autem intelligit Tertullianus vetustiores sive principes magistros, scil. ipsos haeresum auctores, ideoque ipsius huius sententiae vis est haec: se velle disputare non cum quibuscumque, famosis licet, ducibus passivorum, i. e. vulgarium discipulorum, sed tantum cum primis ideoque omnium praecipuis magistris, scil. cum ipsis haeresiarchis. Porro quid principalitas intelligenda sit, ipse Tertullianus his verbis declarat[3]:

[1] Gesch. der christl. Kirche I 357. [2] Opera S. Irenaei I 429 in nota.
[3] De anima c. 13.

„Ad hoc dispicere superest, principalitas ubi sit, i. e. *quid* [al.: qui] *cui praeest.*“ Hic Tertullianus nomen principalitatis non de tempore, sed de eo intelligit, quod in homine sit ἡγεμονικόν. Non solum enim principalitas explicatur per: „quid (qui) cui praeest“, sed tota etiam argumentatio eo tendit, ut demonstret, hominis summam constitui anima, et insuper additur, animam praestare, quia animus sit tantum eius instrumentum, non vero patrocinium. Concluditur enim argumentatio hisce: „Habes animae principalitatem, habes in illa et substantiae unionem, cuius intelligas instrumentum esse animum, non patrocinium.“ Insuper paulo post Tertullianus quid sit *principale,* explicat[1] per ἡγεμονικόν, et rursus addit[2]: „Summus in anima gradus vitalis et sapientialis, quod ἡγεμονικόν appellant, i. e. *principale.*“ Denique de Deo loquens idem scriptor quid principale intelligat, sic definit[3]: „Quid *principale,* nisi quod *super omnia,* nisi quod ante omnia, et ex quo omnia?“ Evidens igitur ac certissimum est, principalitatis et principalis nomen a Tertulliano de eo intelligi, quod primatum verum ac summum habeat. Alibi utique principalitatem intelligit semel *praecipue* de tempore, scribens[4]: „Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritatis et posteritatem mendacitatis.“ Sed dum Tertullianus, brevitatis studiosus et praegnantium dictionum amans, hoc loco temporalem primatum veritatis principalitatem dicit, excludere minime vult eiusdem primatum moralem, cuius vi nimirum veritas hominibus cogitandi et credendi norma est atque assensum absolute postulare potest. Accedit quod, ut Döllinger ait[5], etiam Macrobius in Somn. Scip. 1, 3 nomen principalitatis de eo quod praecipuum est, adhibet, eodemque sensu tum in libello precum Marcellini et Faustini ad Valentinianum ac Theodosium dicitur: „Vestrae principalitatis imperium“, tum Cyprianus Romanam ecclesiam principalem vocat.

Errant denique, qui cum Brandes[6] et Harnack[7] putant, Irenaeum ecclesiae Romanae non aliam, si essentialia spectes, ascripsisse auctoritatem ac singulis aliis ecclesiis apostolicis[8].

Praecellit enim ecclesia Romana ex Irenaei sententia prae aliis ecclesiis apostolicis eo, quod ecclesia Romana etiam *sola* et seorsum sumpta omnino certus testis veritatis est, aliae ecclesiae apostolicae *singulae* seorsum sumptae certum veritatis criterium non sunt. Nam a) Irenaeus ubi provocat ad auctoritatem ecclesiarum, „diserte loquitur de ecclesiis et de iis, qui ab apostolis episcopi instituti sunt, non de singulis ecclesiis seorsim sumptis. b) Quia labor inquirendi in omnium ecclesiarum successionem et doctrinam nimius foret, propterea ad ecclesiam Romanam solam, certis privilegiis insignitam, attentionem convertit. c) Affert ipse exemplum ecclesiae apostolicae, videl. Corinthiorum, cuius fides per Clementem reparanda et cui traditio ab apostolis accepta iterum nuntianda erat. d) Sententiam suam confirmat magisque explicat c. 4 scribens: ‚Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab iis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est?‘ De pluribus agit ecclesiis apostolicis, quarum consensus sit veritatis argumentum. — Pro hac Irenaei doctrina confirmanda merito ad Tertullianum provocatur, qui pariter in ecclesiarum, utut apostolicarum consensu, non in singularis cuiuslibet ecclesiae doctrina

[1] De anima c. 14. [2] Ibid. c. 15.
[3] Adv. Hermog. c. 4. [4] De praescript. c. 31. [5] L. c. 358.
[6] Götting. Gel. Anzeigen 1870, II 1586.
[7] Sitzungsberichte der Kgl. Akad. d. Wiss., Berlin 1893, 939.
[8] Stimmen aus Maria-Laach LXXVI (1909) 402 sqq.

certam fidei regulam deprehendit. ‚Quid autem praedicaverint [apostoli], et hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt. . . . Constat perinde, omnem doctrinam. quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, . . . omnem vero doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum . . . (De praescr. c. 21). Plane agnoscit, etiam ecclesiam aliquam apostolicam posse deficere. Haereticos ita alloquitur: ‚Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem' (De praescript. c. 32). — Dici igitur nequit, sive Irenaeo sive Tertulliano ecclesias apostolicas . . . singulas esse certam veritatis regulam." [1]

Nec obici potest, quod Irenaeus dicit l. c. n. 4: „Sed et ea, quae est Ephesi ecclesia . . . testis est verus apostolorum traditionis." Ex quo textu quidam argumentantur: si Ephesina ecclesia est testis verus traditionis, cum Ephesina ecclesia necesse est consentire. Ergo nihil ex Irenaei sententia Romana ecclesia praestat prae Ephesina. At Irenaeus nihil aliud dicit, nisi Ephesinam ecclesiam *de facto* usque ad sua tempora traditionem servasse ac proinde necesse esse cum ea sentire tamdiu, quamdiu in communione reliquae ecclesiae ac in recta fide permaneat. Cum Romana ecclesia autem consentire cum generatim necesse esse affirmet, implicite affirmat, eam semper hucusque rectam fidem servasse ac semper servaturam esse.

Itaque cum Irenaeus hoc loco Romanae ecclesiae tantam in omnes omnino ecclesias particulares auctoritatem ac potestatem ascripserit, ut omnes illae ecclesiae necessario cum ea in fide ac doctrina consentire debeant, certo prorsus constat, eum ecclesiae Romanae attribuisse primatum non tantum honoris et ordinis, sed verae iurisdictionis, cum alioquin nulla talis necessitas exstitisset. Hic porro primatus non ipsis ecclesiae Romanae fidelibus, sed soli episcopo convenit, hocque sane Irenaeus dicere voluit, cum optime sciret, episcopos divinitus ecclesiarum rectores constitutos esse; ergo ecclesiae Romanae primatum agnoscendo et extollendo Irenaeus agnovit et praedicavit R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam.

Nec obstat, quod F. Brandes scribit[2], Irenaei tempore sententiam, secundum quam R. Pontifici prae ceteris apostolicis sedibus principatus competat, nusquam prolatam fuisse, sed tantum post Irenaei aetatem reperiri; itaque si Irenaeus R. Pontificis primatum hic docuisset, dicendum ipsum esse solum, qui eo tempore protulisset istam doctrinam historiae nondum ullatenus innixam. *Primum* enim si Irenaeus, vir probus et gravis, primus istam veritatem in scientifico opere diserte professus esset, num ideo hoc ipsius testimonium vanum et falsum habendum esset, praesertim cum subsequens aetas idem tradat? Sane si ita esset, etiam secundi omniumque subsequentium testium dicta nihil umquam valerent, atque omnium pro quacumque re testimoniorum auctoritas penitus periret. Quis autem sanae mentis hoc approbet? — *Deinde* istud adversarii dictum falsum esse patet non solum ex iis, quae iam de Romanis Pontificibus Clemente, Victore, Stephano, necnon de martyre S. Ignatio retulimus, sed etiam ex iis, quae de ipsa primatus institutione divina diximus, cum Brandes, utique temere, sumat, nullum

[1] Wilmers 219 sq.

[2] Götting. Gel. Anzeigen 1870, II 1584.

verum primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam a Christo esse institutum. — *Denique* idem etiam ex eo patet, quod vix credibile videtur, Irenaeum hoc loco quidquam docere voluisse, quod universali christianorum tunc temporis de re nota persuasioni contrarium fuisset; id autem fecisset, si a christianis suae aetatis orthodoxis, sive ab omnibus illis ecclesiis particularibus R. Pontificis primatus iurisdictionis non pariter agnitus fuisset, et modo quidem ita certo ac claro, ut Irenaeus etiam in opere contra audacissimos haereticos nullatenus dubitarit, hunc R. Pontificis primatum tamquam factum plane indubium et ab omnibus Christi Ecclesiae sociis admissum quam maxime asseveranter affirmare. Quare hic locus non solius Irenaei, sed totius etiam illius aetatis luculentissimum testimonium est, quo constat, R. Pontificis primatum iurisdictionis ab universa Ecclesia agnitum esse.

Nec obstat, quod Tertullianus Romanum episcopum Callistum nominavit irridens Pontificem Maximum et episcopum episcoporum, eiusque decretum peremptorium. Scripsit enim haec Tertullianus iamiam, animo saltem, haereticus, et primatus iurisdictionis, nisi non solum ab ipsis R. Pontificibus iis vindicatus, sed simul etiam ab illis christianis, qui montanistae vel alii haeretici non erant, agnitus fuisset, certe ipsi homini haeretico et a communione cum R. Pontifice separato opus videri non potuit, illum primatum episcopo Romanae ecclesiae obicere eiusque decretum peremptorium dicere. Ceterum ipse Tertullianus iam montanista R. Pontificis primatum iurisdictionis satis testatur, tum, ut supra iam retulimus, de ecclesia Romana dicens: *unde* nobis *auctoritas* praesto est, tum haec de Praxea scribens[1]: „Nam idem tunc episcopum Romanum, agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem[2] . . . coegit et literas pacis revocare iam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.“ Nam quomodo Pontifex Romanus ex agnitione illa pacem ecclesiis *Asiae* et *Phrygiae* dare potuit, nisi eius auctoritas suprema etiam ab illis ecclesiis certo agnita fuit? Hic igitur Tertullianus ipse R. Pontificis primatum admisit, et ab aliis agnitum esse monstravit.

SAECULO TERTIO S. Cyprianus, anno 248 vel 249 Carthagine episcopus constitutus, variis locis R. Pontificis primatum iurisdictionis testatur. Quos antequam explicandos aggredimur

A. praemittenda videtur loci ex Cypriani libro De unitate Ecclesiae consideratio[3].

Quem librum Cyprianus composuit, ut doceret rationem *brevissimam* et *facilem* ad dignoscendas vitandasque grassantes tunc temporis haereses atque schismata. Declarans enim, quomodo oriantur ac facile dignosci valeant haereses et schismata, haec scribit[4]: „Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magisterii

[1] Adv. Prax. c. 1.

[2] Quod si verum est, R. Pontifex, probabiliter Zephyrinus, falsis montanistarum et maxime ipsius Tertulliani declarationibus doctrinae Montani deceptus est, vera autem Praxeae eiusdem doctrinae expositione postea melius edoctus, priorem suam ea de re sententiam, nullatenus ex cathedra datam, et nec, ut videtur, promulgatam, sed tantum scripto conceptam iure mutavit et retractavit.

[3] De hac re ex parte iam egimus supra p. 187 sqq. Quia tamen recentissimo tempore ex Cypriani doctrina denuo contra Romanum primatum obiectiones petitae sunt (J. Turmel, Hist. du dogme de la papauté, Paris s. a. [1908], 103—177. H. Koch, Cyprian u. der röm. Primat, Leipzig 1910), necessarium videtur diligentius rem exponere. Locus enim De unit. Eccl. 4 instar fundamenti est, ex quo tota Cypriani hac de re doctrina procedat.

[4] De unit. Eccl. c. 4 (Hartel 212).

coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet. tractatu *longo* atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem *facilis* compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: ‚Ego tibi dico', inquit, ‚quia tu es Petrus et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Dabo tibi claves regni coelorum: et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis: et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.' Super unum aedificat Ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: ‚Sicut misit me Pater' etc. (Io 20, 21—23), tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur. . . . Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit?" — Quod si

1. brevi compendio colligere vis, quae hoc loco Cyprianus dicit, a) ratio propter quam hanc argumentationem proponit in eo est, ut qua nota vera doctrina ab haeresi, legitimus episcopus ab illegitimo dignosci possit, indicet. Praecipue tamen Cypriano cordi est, ut quomodo legitimus episcopus inveniri possit doceat. Cum enim uno textu Mt 16, 18 notam tradi existimet, quo simul vera doctrina simulque verus episcopus cognoscatur, patet, vero episcopo invento ex Cypriani sententia etiam veram doctrinam inventam esse, quippe quae apud solos legitimos episcopos esse possit. b) Notam hanc ut describat, primum proposito textu Mt 16, 18 sq dicit, super *unum* Ecclesiam aedificatam esse; deinde postquam sibi obiecit locum Io 20, 21 sq, in quo scil. textu omnibus apostolis, nulla Petri habita praecipua mentione, eadem potestas tribuitur, bis repetit: quamvis apostoli omnes honore et potestate pares fuerint, a solo tamen Petro unitatem Ecclesiae proficisci. c) His expositis denique sequitur conclusio, in qua totius argumentationis culmen ac summa consistit: ergo qui hanc unitatem non tenuerit, eum nec veram fidem habere nec in Ecclesia esse posse.

2. Iam vero „hanc" unitatem Cyprianus dum dicit, quamnam unitatem intelligit? Sine dubio eam, quae in Ecclesia oritur ex hoc, quod omnes ecclesiae particulares cum episcopis suis super *unum* (Petrum) aedificatae sunt. Quomodo autem ecclesiae cum episcopis suis super Petrum aedificentur, alibi[1] Cyprianus dicit, ubi recitato toto textu Mt 16, 18 sq ex eo ita concludit: „Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur." Unde duo habes; primum: plebem christianam, cum super episcopos constituatur, in Petro et ipsam aedificatam esse, si eorum episcopi super Petrum aedificentur. Deinde cum a Petro incipiant et tamquam ab exordio egrediantur episcoporum series et successiones, ille episcopus super Petrum fundatus est, qui antecessori legitimo legitime electus succedit; nam sic per legitimorum antecessorum seriem originem potestatis suae ab ipso Petro repetit.

3. Unde iam patet, cur Cyprianus hac argumentatione schismaticos profligatos ac victos existimare possit. Defendebant schismatici se veram

[1] Ep. 33, n. 1 (Hartel 566).

Christi Ecclesiam esse rationibus valde speciosis et ad decipiendos incautos christianos aptis. Dicebant v. g. novatiani, veram Christi Ecclesiam esse societatem sanctorum; iam vero partem Cornelii recipere peccatores et communicare cum his, qui in persecutione lapsi fuerant, se vero communicare cum multis, qui in praeterita persecutione pro fide tormenta passi sint. et quam maxime se invigilare, ne communicatione peccatorum commaculentur. Ergo se esse veram Ecclesiam, Novatianumque legitimum episcopum. Respondet Cyprianus, his rationibus veram Christi Ecclesiam non demonstrari, sed legitimum episcopum esse ex Christi institutione eum, qui per legitimos antecessores usque ad Petrum pertingat et in Petro fundatus sit. Novatianum autem, cum legitimum antecessorem non habeat, sed propria auctoritate episcopum se constituerit, nec legitimum episcopum nec in Ecclesia esse.

Quo argumento etiam alibi Cyprianus novatianos refellit. „Novatianus", sic ait [1], „in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta nemini succedens a se ipso ortus est." Et brevi post Cyprianus: „Pastor, inquit [2], haberi quomodo potest, qui manente vero pastore et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea praesidente, nemini succedens et a se ipso incipiens alienus fit et profanus?" Et in ipso libro De unitate Ecclesiae haec habet [3]: „Hinc sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante episcopi sibi nomen assumunt." Et iterum [4]: „Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt, et cum haereses et schismata *postmodum* nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt." Scil. ii christiani, qui in Petro fundantur, priores et antiquiores sunt schismaticis, postea ortis. Rursus dicit [5]: „An esse sibi cum Christo videtur, qui adversum sacerdotes Christi facit, quia se a cleri eius et plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat."

Verbo Cyprianus l. c. dicit, regimen legitimum Ecclesiae debere esse originis apostolicae, atque hac origine quasi quadam nota legitimum ab illegitimo episcopum discerni.

4. Non modicum lumen his, quae dicuntur c. 4 libri De unitate Ecclesiae, affunditur imaginibus, quas exhibet Cyprianus eiusdem libri c. 5, quo sic dicit:

„Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidem veritatis perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo *solis* multi radii sed lumen unum, et rami *arboris* multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de *fonte* uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit: unum tamen caput est et origo una et una *mater* fecunditatis successibus copiosa: illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur."

---

[1] Ep. 69, n. 3 (Hartel 752).
[2] Ibid. n. 5 (ib. 753). [3] C. 10 (ib. 218). [4] C. 12 (ib. 220).
[5] C. 17 (ib. 226).

Qua expositione, quod antea contra schismaticos docuit, iterum inculcat, novam ecclesiam particularem oriri non posse nec divisione ab Ecclesia, nec extrinseca ad eam accessione, sed tantum ita, ut nova illa ecclesia ex alia procreetur; item novum episcopum ita tantum fieri posse, ut in locum legitimi successoris succedat. Ecclesiam enim se habere ad modum arboris, quae ab uno initio profecta se evolvat ita, ut ex radice robur, ex robore rami, ex ramis alii rami procedant, nullus vero ramus nec alio modo quam procreatione ex alio ramo oriri, nec post separationem a ramo vivere ac frondescere possit. Idem similitudine fontis ac solis Cyprianus explicat, ita ut concludere possit, Ecclesiam universalem ad particulares ecclesias et singulos christianos se habere instar matris ad filios suos. Sicut enim nemo humanam naturam habere potest, nisi eam accipiat a matre sua, sic neque vitam supernaturalem quisquam habere potest, nisi ab Ecclesia eam accipiat.

5. Iam unde oritur ex Cypriani sententia illa inter partes Ecclesiae connexio, ut instar arboris, fluvii, luminis solaris cohaereat? Unde scit et demonstrat, Ecclesiae alumnos et Ecclesiae episcopos hac ratione inter se connecti? Manifeste ex eo, quod Ecclesia ab uno Petro exordium sumpsit. Id enim priore c. 4 dixerat; ergo si sequente capite Ecclesiam comparat cum iis rebus, quae ex uno exordio profectae se diffundunt, ac quorum partes ad unitatem connectuntur, communi ex uno capite vel fonte procedente origine, respicere eum ad illud Ecclesiae exordium, quod brevi antea exposuerat, manifestum est.

Obiciunt, Cyprianum haec tantum dicere loco illo: omnes apostolos, postquam Christus verba Io 20, 21 ad eos dixisset, pares fuisse; Petrum ex hoc solo capite ceteris praestitisse, quod *tempore prius* verbis Mt 16, 18 idem accepisset, quod postea per verba Io 20, 21 cum omnibus apostolis communicandum esset. Cur autem Petrus per aliquod tempus solus potestatem clavium haberet, rationem hanc fuisse, ut numerica Petri unitas totam ecclesiasticam potestatem possidentis quasi imagine quadam repraesentaret unitatem animorum, quae deberet esse in tota Ecclesia. Argumenta autem quibus fulciunt hanc Cypriani interpretandi rationem, haec sunt: primo Cyprianum diserte dicere, omnes apostolos pares fuisse honore et potestate, deinde Christum, cum institueret unitatem Ecclesiae a Petro incipientem, ex Cypriani sententia id sibi propositum habuisse, ut unitatem „manifestaret", ut Ecclesia una „monstretur"; ergo nihil aliud voluisse Christum, nisi ut in Petro per imaginem quandam unitatem animorum repraesentaret.

At haec interpretatio reicienda est 1. iam ex eo, quod valde mira Cyprianum dicentem facit. Petro enim iam ante resurrectionem potestatem v. g. peccata remittendi collatam fuisse, et verbis ipsis Mt 16, 18, quae futuram collationem promittunt, et toti evangelio et totius Ecclesiae persuasioni constanti repugnat. Quare aegre tibi persuaseris, solum Cyprianum in mira hac opinione fuisse. — 2. Cyprianum, cum dicit: „*Hanc* Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?", quamnam unitatem, si adversarii recte eum interpretantur, significasse putabimus? Certe nullam aliam nisi christianorum inter se concordiam, quam unicitate Petri repraesentari dicunt. Sed certe ante hanc sententiam Cyprianus unitatis verbo non intelligit concordiam. Ergo si subito hanc intelligi voluisset, debuit id diserte dicere; nullo autem id verbulo innuit. Quare prorsus arbitrarie hanc cogitationem in textum intrudunt, cum ex interpretatione, quam dedimus, nihil in textum

ingerendum est. — 3. Efficiendo ut unitas ab uno inciperet, Cyprianus dicit Christum exercuisse actum auctoritatis. Nullo autem modo per Petrum vel alium unitatem repraesentare, est res auctoritatis. — 4. Unitatem episcoporum a Petro procedere, eo quod episcopi omnes in eo revera fundentur, demonstratur c. 5 libri De unitate Ecclesiae; ubi imaginibus quas commemoravimus, id clare dicitur (cf. supra p. 655). Nec iuvat adversarios, si obiciunt, illis imaginibus Cyprianum repraesentare, qua ratione sive singuli fideles sive singulae ecclesiae particulares ad totam Ecclesiam se habeant. Id iis similitudinibus significari verum quidem est, sed si ipsa Ecclesia imagine arboris repraesentatur, cuius altera pars ex altera procedit, eo ipso esse in hac arbore radicem necesse est, i. e. partem, ex qua aliae partes ita germinant, ut ipsa ex alia non proficiscatur. Hoc si negaveris, iam nihil demonstrat argumentum, quod similitudine arboris illustrat Cyprianus. Argumentum enim totum in eo est, quod ecclesia nulla particularis alio modo oriri potest, quam ex alia ecclesia; hoc autem si verum est, in illa serie ecclesiarum nascentium et gignentium unam aliquam esse necesse est, quae ex alia non procedat. — 5. Promiserat Cyprianus ostensurum se, esse *facilem* modum discernendi legitimum episcopum ab illegitimo. Atqui hoc promisso certissime non stetit, si adversarii eum recte interpretantur. Si vera enim illi dicunt, Cyprianus hoc loco eo signo episcopum legitimum discernendum esse docuit, quod eum universalis Ecclesia legitimum agnoscat; aliud enim legitimitatis signum ex unitate Ecclesiae morali sive ex christianorum concordia et consensu deduci non potest. Sed tempore schismatis huius signi applicatio saepe non solum difficillima est, sed plerumque ne fieri quidem potest.

Argumenta deinde, quae adversarii afferunt, ut Cypriani mentem assecutos se esse persuadeant, rem certe non evincunt. Quod enim 1. dicunt, e Cypriani sententia omnes apostolos fuisse pares honore et potestate, verum est; sed ita pares eos existimat, ut tamen a *solo* Petro proficiscatur potestas episcoporum. Neve obieceris, sic nos facere Cyprianum contra se ipsum dicentem. Quomodo enim inter se conciliari possint apostolorum paritas et Petri praerogativa, dogmaticis discutiendum relinquere possumus; sufficit nobis, Cyprianum nullam inter ea repugnantiam vidisse, cum clare utrumque affirmet: et pares fuisse apostolos, et a solo Petro unitatem Ecclesiae procedere. Deinde etiam revera non magis illa inter se pugnare videntur, quam si dicas, duos reges pares fuisse dotibus animi et potestate, sed alterum tantum ex iis patrem fuisse aliorum regum, quibus potestatem suam hereditate reliquerit. Praeterea etiam alios Patres docuisse paritatem apostolorum, qui tamen primatum Petri certissime non negarunt, sed agnoverunt, vide supra p. 186 sqq, ubi breviter de hac re egimus.

2. Deinde quod dicunt, symbolum et imaginem unitatis a Cypriano considerari, quod in uno Petro Christus Ecclesiam aedificat, verum est; sed ita Petrus repraesentat unitatem, ut simul revera in eo Ecclesia tota aedificata sit et per Petrum fundamentum suum illa uniatur. Nullo enim modo inter se haec duo pugnant, ut persona vel actio vere exsistens simul sit imago et repraesentatio alterius personae vel alterius rei gerendae. Cum v. g. Sara et Agar ex S. Scripturae doctrina sunt imagines Ecclesiae et synagogae, non sequitur, Sarae et Agar personam vel eas res gestas, per quas symbola sunt, in rerum natura non exstitisse; neque cum ipse Cyprianus in libro De unitate Ecclesiae c. 7 tunicam Christi indivisam imaginem fuisse inseparabilis unitatis

Ecclesiae dicit, tunicam revera indivisam mansisse negat. Immo nullo efficaciore et meliore modo per Petrum unitas Ecclesiae repraesentari potuit, quam cum ex eo ipsa unitas Ecclesiae *revera* oritur et per eum *revera* efficitur. Ita etiam efficacissimo quo potuit modo Deus unitatem generis humani ea ratione significavit et repraesentavit, quod ex Adami corporis parte Evam produxit matrem viventium, et ex uno Adamo totum genus humanum propagavit. Quod autem procreatio Evae ex costa Adami simul vim repraesentandi habuit, nullo modo probat, revera eam ex Adamo procreatam non esse.

B. Iam difficultatibus his expeditis videamus, quid Cyprianus de primatu R. Pontificis doceat.

1. Primum itaque ad Cornelium R. Pontificem de Felicissimo et sociis schismaticis Romam profectis haec scribit[1]: „Navigare audent, et ad *Petri cathedram* atque ad ecclesiam *principalem, unde unitas sacerdotalis exorta* est, ab schismaticis et profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum."

Quae ut recte intelligas, a) quaerendum non est, qua ratione protestantes, si ad protestantes Cyprianus ea scripsisset, haec intellecturi fuissent, sed *quomodo R. Pontifex Cornelius ea intellexerit,* ad eum enim et pro eo haec dicta sunt. Unde cum Cyprianus non ignarus, qua ratione Cornelius ea verba intellecturus sit, nihilominus ea scripserit, Cornelii ea interpretandi modum aperte approbat et ut Cornelii modo intelligantur vult. Iam vero Romanam Petri cathedram tenere quid ex R. Pontificum sententia sibi velit, luculenter Victoris, Callisti, Stephani historia testatur, scil. iurisdictionis primatum illi sibi in totam Ecclesiam vindicabant. Ergo cathedram Petri et Ecclesiam principalem Romae collocando assensit Cyprianus illi R. Pontificum sententiae. Idem sequitur, si consideraveris, cur tandem Felicissimus schismaticus Romanam ecclesiam adierit: ut enim mox dicemus, Romanam ecclesiam adiit, quia eam putabat principalem *iurisdictione.* Iam si Cyprianus eam Felicissimi persuasionem improbasset, num poterat verbis ita magnificis Romanam ecclesiam extollere? — „Unitas sacerdotalis" autem, ut modo vidimus, per se a solo *Petro* ex Cypriani sententia orta est. Ergo etiam a *Petri ecclesia* eam ortam esse dici non potuit, nisi Petrus iura sua ecclesiae Petri alligavit et cum ea communicavit. Petri autem ecclesia, ex quo Petrus Romam concessit, Romae collocata est. Ergo Petri iura Romanae ecclesiae sunt iura, ergo illa ecclesia primatus iurisdictione in universam Ecclesiam ornata est. — Praeterea autem his verbis Cyprianus sedi Romanae manifeste primatum ascribit, eo quod b) Romanam ecclesiam vocat *principalem.* Hoc enim adiectivo Cyprianus noluit dicere, Romanam ecclesiam *origine* esse primam, tum quia id verum non esse sciebat, tum quia si „principalis" hic ad originem ecclesiae Romanae spectaret, nulla ratio Cypriano fuisset, hoc loco hanc vocem usurpandi. Non enim Felicissimus R. Pontificem adiit, quod ecclesia Romana esset omnium prima origine, cum propter solam eius antiquitatem nullum ab ea auxilium efficax sibi posset promittere, sed ideo Romam profectus est, ut illi ecclesiae tamquam auctoritate aliis potentiori causam suam probaret eiusque opem eamque efficacem pro Fortunato, electo episcopo schismatico,

[1] Ep. 59, n. 14 (Hartel 683).

scil. huius electionis confirmationem peteret. Nec a Cypriano ecclesia Romana dicitur principalis, quia multum valebat, sed contra multum valebat, quia erat principalis, et ex institutione quidem divina, ut satis Cyprianus indicat dicendo, in ipsa esse cathedram Petri, ideoque etiam Petri primatum iurisdictionis. — c) Et vero Cyprianum ecclesiam Romanam principalem appellando non intellexisse primatum mere honoris, liquet insuper ex eius verbis: *unde unitas sacerdotalis exorta est.* Agitur enim de unitate sacerdotum, i. e. episcoporum, quae in eo consistit, ut excludantur haereses per unitatem fidei, et schismata per debitam superioribus oboedientiam. Asserit autem Cyprianus, unitatem illam ex ecclesia Romana *esse ortam.* Porro nisi ceteri episcopi teneantur Romano episcopo oboedire, unitas episcoporum non potuit oriri ex ecclesia Romana. Sic enim ecclesia Romana unitatem inter episcopos producere ac perenniter retinere non potuit. Nec etiam de ulla alia ecclesia umquam affirmatur, ex ea tamquam ex radice et centro unitatem sacerdotalem exortam esse; de Romana autem adeo simpliciter et absolute id dicitur, ut radicem omnium omnino ecclesiarum non solum finitimarum eam intelligi admitti debeat.

Cum Cyprianus in laudata epistula 59 paulo post ea quae attulimus verba affirmat iustum esse, „ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, ... ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint", hisque conqueritur, quod illi schismatici iam ab episcopis Africae damnati Romam profecti ad Cornelium appellarunt, nequaquam vult Cornelii vel iurisdictionem in Africanos exercendam reicere, vel ius appellationes recipiendi negare, sed tantum monstrare, appellantes propter plura gravissima crimina iam esse iure damnatos, et summe quidem ac manifesto dignos, quibus non solum omnis appellatio, sed etiam Ecclesiae communio interdicatur[1].

2. Cyprianus iterum ad eundem Cornelium scribit[2], se singulos Romam navigantes hortatum esse, „ut Ecclesiae catholicae *matricem* et *radicem* agnoscerent ac tenerent". Ita autem ecclesiam Romanam nominare non potuit, nisi eius primatum in universam Ecclesiam agnovisset; origine certe Romana ecclesia non fuit omnium aliarum radix et matrix. Insuper paulo post Cyprianus addit: „Placuit, ut ... per omnes omnino istic [in Africana provincia, Mauritania, Numidia] positos [episcopos] literae fierent, sicuti fiunt, ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, i. e. catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent."

[1] Carol. de la Tour d'Auvergne-Lauraguais, Archiep. Bituriensis (La tradition catholique sur l'infallibilité pontificale I, Paris 1875, 129), ex hac eadem Cypriani epistula (n. 5: p. 671 sq) in gratiam supremae auctoritatis R. Pontificis etiam hunc locum attulit: „Neque enim aliunde haereses abortae sunt aut nata sunt schismata quam quando sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quicquam moveret, nemo post divinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se non iam episcopis sed Deo faceret, nemo discidio unitatis Christi ecclesiam scinderet." At Cyprianus hic non de R. Pontifice, sed de quovis legitimo episcopo agit.

[2] Ep. 48, n. 3 (Hartel 607).

Scil. schismate Romae exorto, Novatiano legitimum se episcopum contra Cornelium iactante, cum Africanis episcopis Cornelii electio nondum ut legitima certa esset, Cyprianus et Liberalis Adrumetinis clericis auctores fuerunt, ut literas, quas Romam mittere volebant, presbyteris et diaconis Romanis, non ipsi Cornelio inscriberent. Qua de re Cornelius literis expostulavit apud Cyprianum, qui, cum electionis illius recte factae nullum iam dubium superesset, illi expostulationi satisfaciens Cornelio respondebat, se procurasse, ut ab omnibus Africae praesulibus communionis literae ipsi mitterentur, atque tunc inter alia ea quae a nobis allata sunt protulit verba. Quibus Cyprianus R. Pontificis primatum clare docet. Nam si tenere R. Pontificis communionem idem est ac *tenere catholicae,* i. e. *totius Ecclesiae unitatem,* sequitur necesse esse, singulos totius terrarum orbis episcopos atque fideles in communione Romani episcopi permanere, nisi velint ab Ecclesiae catholicae unitate rescindi. Sed hoc ipso obligantur omnes christiani R. Pontificis decretis obtemperare; quia nisi oboedierint, potest communionem suam iis denegare, et sic eos ab *Ecclesiae catholicae unitate* segregare. Haec autem potestas idem est ac iurisdictionis primatus in universam Ecclesiam. — Idem valet de aliis Cypriani verbis, quibus de matrice et radice Ecclesiae tenenda Romam navigantes monuit. Quae eo tempore Cyprianus adhortabatur, quo etsi ipse Cornelium esse legitimum episcopum vix dubitabat, cum tamen de eius legitimitate lis adhuc penderet, clare eam pronuntiare nolebat. Quare illis navigantibus notam quandam indicavit, qua usi ipsi quis legitimus episcopus esset, Romae cognoscerent. Cuius notae ductu Cornelium illos agnoscere debere legitimum, Cyprianus non dubitabat. Nam si radicem totius Ecclesiae catholicae tenere iubebantur, certe communicare non poterant cum Novatiano, cuius ecclesia noviter exorta cum esset, antiqua illa Romana ecclesia, radix totius Ecclesiae, esse non poterat.

Obiciunt aliqui, Ecclesiae catholicae matricem et radicem Cyprianum non intelligere ecclesiam Romanam, sed Ecclesiam universalem. Uti enim hic Cyprianum genitivo, qui a grammaticis dicitur explicativus, ita ut tenere Ecclesiae catholicae matricem et radicem idem sit ac tenere Ecclesiam catholicam, quae est matrix et radix. Quod ita probant: primum posse illa verba sic intelligi, haberi enim etiam alia talis genitivi exempla, v. g. virtus patientiae, nomen regis. Deinde multis aliis Cypriani locis Ecclesiam universalem vocari radicem vel matrem, ergo etiam hoc loco idem hac locutione exprimi. Qua ratione si ea verba intelliguntur, haec illis dicit Cyprianus: cum teneatis universalem Ecclesiam, quae instar matricis et radicis est, illum Romanum episcopum legitimum habere debetis, cum quo communicat universalis Ecclesia.

Ad haec ut respondeamus, omittimus quaerere, utrum ex grammaticae legibus ea verba per genitivum exegeticum explicari possint. Certe valde coacte ita explicantur. Sed dicimus

1. licet complures apud Cyprianum loci habeantur, quibus imagines radicis vel matris ad Ecclesiam applicentur, eorum tamen nullus huic de quo agimus loco ita similis est, ut eum cogamur ad illorum normam interpretari.

Ad quatuor scil. ordines ea Cypriani dicta revocari possunt.

a) Ac primum quidem dicit[1]: „Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit.“ Quorum verborum sententia haec est: sicut foetus imma-

[1] De unit. Eccl. c. 23 (Hartel 231).

turus extra matricem vivere non potest, ita christianus vita supernaturali vivere non potest extra Ecclesiam. — Nulla fere huius loci cum aliis omnibus, quibus vox matricis occurrit, similitudo, cum eo solo agatur de foetu *in* matrice exsistente, reliquis de iis, qui ex matrice progressi sunt. Ratio igitur imaginis longe alia est.

b) Alibi Cyprianus Novatianum quidem scribit, quamquam „in Ecclesia non sit", sibi solo legitimum baptismum vindicare; „nos autem, qui Ecclesiae unius *caput et radicem* tenemus, pro certo scimus . . . nihil illi extra Ecclesiam licere" [1]. Ubi caput (i. e. fontem) et radicem tenere idem est ac heredes et successores legitimos illius antiquae esse Ecclesiae, quae usque ad apostolos et institutionem Ecclesiae a Christo in Petro factam ascendit. — Nullo modo hic agitur de radice, *quae* est eadem cum Ecclesia catholica, sed de radice, *ex qua* Ecclesia tota processit. Quare mirum est, ad hunc locum quemquam ex adversariis provocare.

c) Alibi Cyprianus de haereticis quibusdam Carthaginiensibus, qui olim Ecclesiae catholicae filii in eaque baptizati erant, eos iam *„ad veritatem et matricem"* [2] redire dicit. Ubi matrix saltem proxime est ecclesia particularis Carthaginiensis, quae eos baptismo regeneraverat. Unde cur vox matricis ponatur, facile explicatur; praeterea agitur hic de *Carthaginiensium* reditu ad *Carthaginiensem* ecclesiam. Quare nulla paritas est cum eo loco, de quo quaerimus, quippe in quo Carthaginienses ut *Romae* matricem teneant admoneantur, neque vox matricis ad baptismum referri possit.

d) Reliquis omnibus locis de Romana ecclesia agitur. Monet scil. Cyprianus confessores Romanos, qui a parte Novatiani stabant: „Ad *matrem* revertamini, unde prodistis" [3]; vel „ut vos magis ad *ecclesiam matrem* et ad vestram fraternitatem revertamini . . . petimus" [4]. Et ad Cornelium postea dicit, se confessores „ut ad matrem suam, i. e. Ecclesiam catholicam revertantur", adhortatum esse [5]. Romanos vero schismaticos scribit *„radicis et matris* sinum atque complexum recusare" [6]. Quibus omnibus locis *Romani* ut *Romae* ad Ecclesiam redeant monentur, quare neque hi cum eo de quo agimus loco comparari debent, quippe quo *Carthaginienses* matricem *Romae* tenere iubeantur. Ceterum dubium est, utrum his textibus Romana ecclesia consideretur a Cypriano tamquam ecclesia, quae instar sit omnium aliarum particularium ecclesiarum. Certe ultimo ex allatis locis vix dubium est, quin Romana ecclesia caput totius Ecclesiae dicatur. Cf. infra p. 663.

2. Secundo dicimus, si matrix et radix hic sit Ecclesia universalis, quid Cyprianus sibi velit intelligi non posse. Nam quod dicunt, tenere Ecclesiam catholicam hic idem esse ac eum episcopum legitimum habere, quem universa Ecclesia legitimum habeat, nihil est. Nam illi, qui Romam tunc petebant, brevi postquam in urbem advenerunt, uter episcopus legitimus esset comperire debebant. Nam Romae *aut* apud Cornelium *aut* apud Novatianum sacramenta sumere et rei divinae interesse debebant, nullo enim modo Cyprianus, cum matricem et radicem Ecclesiae iis tenendam suaderet, ut apud *neutrum* sacramenta sumerent auctor fuit. Iam vero si Romae brevi post adventum suum de legitimitate alterutrius episcopi certitudinem habere volebant, exspectare non poterant, usquedum universa Ecclesia de legitimitate illa pronuntiasset. Praeterea Cyprianus absone egisset, si communicatione et agnitione universae Ecclesiae legitimum episcopum cognoscendum esse suasisset. Agnitio enim illa legitimum episcopum non facit, sed iam ante agnitionem legitimus ille sit necesse est. Ergo alia nota esse debet, ex qua antequam ecclesiae eum agnoscant, legitimum eum esse sciant; atque hanc notam

---

[1] Ep. 73, n. 2 (ib. 779). [2] Ep. 71, n. 2 (ib. 772).
[3] Ep. 46, n. 1 (ib. 604). [4] Ibid. 605. [5] Ep. 47 (ib. 605).
[6] Ep. 45, n. 1 (ib. 600).

tam facilem cognitu esse oportet, ut in unum eundemque omnes necessario consentiant. Iam vero si tali nota facili legitimitas episcopi cognosci potest, cur non ea facili nota Cyprianus eum discernendum esse suadet, sed hac omissa difficillimum cognitu consensum Ecclesiae inquirendum esse iniungit? Porro singulae ecclesiae *Romae* inquisitionem instituendo legitimitatem episcopi cognoscunt. Iam cum et illi ipsi, quos Cyprianus instruit, Romam petant, cur non et ipsos Romae inquirere iubet, sed eos exspectare vult, usquedum de consensu totius mundi nuntios accipiant?

3. Tertio denique l. c. Ecclesiae catholicae matricem et radicem esse ipsam ecclesiam Romanam, facili argumento ostendimus. Certum scil. imprimis esse debet, Cornelium, ad quem Cyprianus literas dabat, illa verba de Romana ecclesia intellexisse. Nam Romanos Romanam ecclesiam existimasse totius Ecclesiae matricem et radicem, patet ex eo, quod separari excommunicatione a Romana ecclesia idem iis erat ac separari ab Ecclesia universa, id quod ex controversia de paschate celebrando tempore Victoris R. Pontificis exorta, et ex ipsa inter Stephanum et Cyprianum de baptismate haereticorum controversia notum est. Idem elucet ex eo, quod Irenaeus consensum cum Romana ecclesia idem esse statuit ac consensum cum tota Ecclesia, qua in re sine dubio R. Pontifices ei assentiebantur. Iam vero si res ita se habebat, qui fieri potuit, ut Cornelius lecta Cypriani epistula catholicae Ecclesiae matricem et radicem aliam esse putaret ac Ecclesiam cui praesidebat? Porro si in eadem Cypriani epistula literas factas esse in Africa legebat, ut communicationem R. Pontificis, *id est* catholicae Ecclesiae unitatem tenerent, quomodo haec aliter intellexit, quam communicationem cum Romana ecclesia esse ipsam communicationem cum tota Ecclesia? Sed si Cornelius rem ita intelligebat, eo ipso certum est, etiam ipsum Cyprianum eam ita intellexisse. Nam scribit ea verba ad Cornelium, vult, ut ea a Cornelio recte intelligantur, scit, qua ratione Cornelius ea intellecturus sit. Quomodo iam dices, ea ratione eum se intelligi noluisse, qua optime sciebat futurum esse ut intelligatur?

Cum vero duae Cypriani tempore Romae factiones fuerint, restat dicendum, cur ex Cypriani sententia legitimum episcopum ii qui Romam navigant secuturi sunt, si Ecclesiae matricem et radicem teneant. Quod facile perspicitur. Cum enim matrix et radix sit ecclesia Romana ideo tantum, quia Petri est ecclesia eiusque episcopi Petri sunt successores, ille episcopus est legitimus, qui Petro legitime succedit, i. e. ille est episcopus legitimus, qui legitime prior electus est. Contra novatianos igitur, qui ex sanctitate suae partis eius legitimitatem deducere studebant, Cyprianus Romam petentes monet, ne talibus verbis decipi se patiantur; non enim ex sanctitate sectae de legitimitate episcopi iudicandum esse, sed ex legitima successione.

3. Communicare cum R. Pontifice idem esse ac communicare cum universa Ecclesia, Cyprianus dicit etiam in epistula ad Antonianum his verbis[1]: „Scripsisti etiam, ut exemplum earundem [tuarum] literarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni sollicitudine iam sciret, *te secum,* hoc est, *cum catholica Ecclesia* communicare."

[1] Ep. 55, n. 1 (ib. 624).

nullumque ullibi indicium habetur, quod ea aetate alia iura R. Pontifices in Eodem modo haec intelligenda esse ac similia prorsus illa verba, quae eodem fere tempore Romam Cyprianus scripsit, nemo negabit. Ostendunt autem haec, non modo Romae et ab Africanis Romam scribentibus Romanam communicationem tesseram unitatis catholicae praedicatam esse, sed etiam dum inter se, Romano episcopo ignaro, literas dant, eandem persuasionem expressisse.

4. In aliis ad Cornelium literis haec Cyprianus scribit[1]: „Miseramus nuper collegas nostros . . ., ut ad catholicae Ecclesiae unitatem scissi corporis membra componerent et christianae caritatis vinculum copularent. Sed quoniam diversae partis obstinata et inflexibilis pertinacia non tantum radicis et matricis sinum atque complexum recusavit, sed etiam . . . adulterum et contrarium caput extra Ecclesiam fecit, . . . literas nostras ad te direximus." Ubi loquitur Cyprianus de novatianis, quorum schismaticorum ut reditum ad *Ecclesiae catholicae unitatem* procuraret Cyprianus, Romam miserat duos episcopos Africanos, qui in ea re operam pro viribus impenderent. Sed novatiani recusarunt, ut ait Cyprianus, *radicis* et *matricis* sinum atque complexum, quinimmo constituerunt *caput* adulterum extra Ecclesiam, Novatianum. Porro haec verba pariter R. Pontificis primatum iurisdictionis exprimunt.

Dicit enim Cyprianus, novatianos ideo ad *Ecclesiae catholicae* unitatem non rediisse, quod et recusaverint sinum *radicis* et *matricis,* et sibi constituerint *caput* huic radici et matrici *contrarium.* Nomine autem radicis et matricis saltem proxime intelligit ecclesiam Romanam, et tacite admittit, *caput* legitimum, contra quod novatianos aliud *adulterum* sibi constituisse dicit, esse ipsummet Cornelium Pontificem Romanum, cui sese subicere iidem novatiani renuerant. Cyprianus igitur ecclesiam Romanam radicem et matricem universalis Ecclesiae iudicabat; quod iudicium, ut supra diximus, continet agnitionem primatus ecclesiae Romanae; et sicut Novatianus fuit *caput extra Ecclesiam,* ita censebat ipse Romanum episcopum esse *caput Ecclesiae;* et eos, qui adhaererent radici et matrici, scil. Romanae ecclesiae necnon legitimo *capiti,* Romano episcopo, existimabat esse *in unitate Ecclesiae catholicae;* eos vero qui ei non adhaererent, esse extra Ecclesiam catholicam. Proinde agnoscebat Cyprianus episcopi Romani ius exigendi ab omnibus christianis, ut sibi tamquam *capiti* adhaererent. Ius autem illud esse nequit sine iurisdictionis primatu.

5. In literis, quas ad Stephanum Pontificem Romanum dederat de Marciano Arelatensi episcopo, qui Novatiano haeretico adhaeserat, Cyprianus scribit[2]: „Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te literae, quibus abstento Marciano alius in loco eius substituatur." Persuasum igitur Cypriano fuit, ius R. Pontifici competere episcopos etiam extra Italiam excommunicandi eosque invitos a munere suo amovendi.

Quod eo maioris momenti est, quod Cypriani temporibus ecclesiastica patriarcharum institutio nondum ullibi memoratur vel ut cognita perhibetur,

[1] Ep. 45, n. 1 (ib. 599 sq). [2] Ep. 68, n. 3 (ib. 745).

orientem sibi adiudicabant, alia in occidentem ut eius patriarchae exercebant. Cypriano proinde indubius erat eiusdem R. Pontificis primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam. Atque procul dubio ideo etiam tum mittendas a Stephano hac in causa literas „plenissimas" appellat, tum adeo certum de optato illarum literarum effectu sese ostendit, ut a Stephano tantum certior fieri cupiat, „quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus".

Videtur quidem Gieseler[1] noxium Romano primatui putare, quod paulo post Cyprianus addit: „Idcirco enim, frater carissime, copiosum corpus est sacerdotum, concordiae mutuae glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro haeresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, *subveniant ceteri* et quasi pastores utiles et misericordes oves dominicas in gregem colligant." At haec nihil contra nos probant. Vario enim modo, rogando, monendo, hortando, puniendo a variis subveniri in eiusmodi causa potest. Iam vero Cyprianus non ipse Marcianum punire sibi sumpsit, sed Stephanum R. Pontificem hortatur, ut eum puniat. Cur autem ita egit, si eandem cum Stephano potestatem se habere arbitratus sit?

6. Breviter annotasse sufficiat alia quaedam, quae Cypriani erga Romanae sedis auctoritatem reverentiam certe ostendunt. V. g. suum esse putavit, de rebus ecclesiasticis gravioris momenti ad R. Pontificem referre, ut patet et ex multis ad eum datis ab ipso literis et ex testimonio Romanorum presbyterorum istum *„suum morem"* laudantium[2], et ex verbis, quibus ipse apud Cornelium excusat[3], cur de Fortunato ad Cornelium R. Pontificem non prius scripserit. Duos porro Hispaniae episcopos Basilidem et Martialem libellis idololatriae et variis aliis delictis maculatos episcopali munere fungi iam non posse affirmat[4] cum propter crimina, tum maxime ideo, quod cum Africanis et „cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius" id de talibus hominibus iam pridem decreverit. Dum autem dicit: *„etiam Cornelius cum omnibus episcopis decrevit"*, satis indicare videtur, Cornelii potissimum auctoritate hanc legem et latam esse et vim suam obtinuisse[5].

7. Denique R. Pontificis primatus implicite agnoscitur illo loco ex libro De unitate Ecclesiae, quo episcopalem potestatem a Christo in Petro fundatam esse Cyprianus ex loco Mt 16, 18 demonstrat (supra p. 653).

---

[1] Lehrbuch der Kirchengesch. I 1[4], 366. [2] Ep. 36, n. 4 (ib. 575).
[3] Ep. 59, n. 9 (ib. 676). [4] Ep. 67, n. 6 (ib. 741(.

[5] Nec huic sententiae, ut Gieseler opinatur (l. c. 367), repugnat, quod Cyprianus paulo ante (n. 5: p. 739) scribit: „Nec rescindere ordinationem [Sabini, qui Basilidem a munere suo amovere studuerat] iure perfectam potest, quod Basilides... Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum et *gestae rei ac veritatis ignarum* fefellit, ut exambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerat iure depositus", quodque Cyprianus postea (n. 9: p. 742) addit: „Quare etsi aliqui de collegis nostris exstiterunt [Stephanus], fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant et cum Basilide et Martiale temere communicent, conturbare fidem nostram res ista non debet" etc. Nam Cyprianus minime istud Stephani decretum irritum dicit, quod potestatem non habuerit Basilidi munus suum restituendi, sed ideo quod deceptus et criminum Basilidis sive depositionis causae ignarus illud tulerit; irritum ergo non propter defectum potestatis, sed propter obreptionis vitium, ideoque addit (n. 5: p. 740): „Neque tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit." Fecit ergo Stephanus decretum, quod re cognita non modo non fecisset, sed ipse primus rescidisset.

Qua ex demonstratione ante omnia evidens est, ex Cypriani persuasione potestatem ecclesiasticam illo loco institutam non cum Petro desituram esse, sed in Ecclesia permanere debere. Sed qua ratione illam potestatem propagandam esse putat? Numquid hoc modo, ut tota et plena potestas Petro tradita in episcopos singulos propagetur ita, ut eorum unusquisque eandem potestatem quam Petrus habeat, et Petrus apostolus nulla re prae episcopo quovis praeemineat? Certissime non hoc modo, episcopis enim singulis *portio* gregis est ascripta, Petro totus grex traditus. Iam si minus potestas Petri plena cum episcopis communicetur et nihilominus ex auctoritate Petro tributa Cyprianus eorum potestatem derivet, sequitur, *participare* eos Petri potestatem. Ac revera adiutores Petri eius potestate participata instructos exsistere debere legitime ex Mt 16, 18 deducitur. Nam Petrus per se solus non potest plurimos illos homines solvere, qui quotidie solutione per eius claves indigent quam maxime, ut salvi esse possint. Ergo patet ex Christi voluntate. Petrum debuisse sibi adiutores asciscere cum iisque partem potestatis suae communicare, ut hominum indigentiae occurratur. Hi autem adiutores imprimis episcopi sunt, quos semper in Ecclesia futuros esse Cypriano propter Christi verba Mt 16, 18 certum est.

Sed si adiutorum Petri participata potestas semper est permansura, Cyprianus, ut sibi constet, multo magis Petri plenam potestatem semper exstituram esse admittere debet. Mirum enim esset, si interiret illa potestas, quam disertis verbis Christus instituit, permaneret illa, quae conclusione tantum ex iis deducitur; mirum, si interiret potestas, quam per se Christus fundavit ut fontem, permaneret illa, quae ex natura sua tantum est participata.

Ceterum permansuram esse ex Cypriani sententia cathedram Petri, i. e. eius docendi potestatem, ex eo patet, quod R. Pontificis cathedram Petri cathedram, R. Pontificis Fabiani locum Petri locum nominet.

Nec Cyprianus primatum R. Pontificis negat, cum De unit. Eccl. c. 5 dicit: „Episcopatus unus est, cuius a singulis [episcopis] in solidum pars tenetur.“ Nam episcopatus, sive potestas regendi et pascendi Christi fideles, ita revera divinitus constitutus est, ut, id quod vel ex solo loco Act 20, 28 patet, debeant esse *multi* episcopi, non unicus. Atque verum est etiam, episcopatus huius, qui multis episcopis constat, ex divina voluntate a singulis *partem* teneri, ita ut etiam ipse episcopus Romanus ceu talis partem episcopatus et non totum episcopatum habeat. Verum denique est, a singulis episcopis singulas episcopatus partes teneri *in solidum*, ita scil. ut suam particularem ecclesiam, iure semel accepto unicuique proprio, regendo singuli pro sua quisque parte ad totius Ecclesiae regimen conferant. „A singulis“ (episcopis), inquit Mamachius[1], „‚pars tenetur‘, propterea quod suum quisque gregem singularem regat; ‚in solidum‘ vero, quod christiani singuli imprimisque episcopi id agant atque enitantur necesse est, ut Ecclesiae primo moderatori atque principi iuncti, non ex coetu modo singulari, cui ipsi praesunt, sed etiam ex universa christiana republica, quod ad ipsos attinet, utque vires eorum ferunt, errores depellant, prospiciantque saluti coetuum christianorum. Quare si antistes alicuius ecclesiae in haeresim incidat, eius gregi a quocumque episcopo opem atque auxilium esse Cyprianus ferendum statuit. Si enim episcopus ut imprudens navarchus in discrimen se coniecerit perieritque, periculumque sit, ne christiani illius fidei curaeque crediti naufragium faciant, tunc dandam esse cuique praesuli christiano operam dicit, ut tam saeva tempestas sedetur, iactarique fluctibus miseri desinant, inque portum devehi verae doctrinae et

[1] Orig. et antiq. christ. V, ed. Romae 1755, 75 sq.

salutis possint." Itaque istud Cypriani dictum nequaquam impedit, quominus ex Christi voluntate unus episcopus iurisdictionem in alios omnes habere possit ita, ut huic uni subesse omnes omnino debeant. Nam quemadmodum ex eo, quod Petro apostolo et Ecclesiae primati reliqui omnes apostoli subiecti erant, nullatenus sequitur, eos non fuisse veros apostolos, ita ex hoc, quod Romanus episcopus ceteris omnibus superior sit, neutiquam colligere licet. eos non esse veros episcopos, aut posse a Romano episcopo ipsos omnes ita amoveri ac supprimi, ut ipse solus in universa Ecclesia sit episcopus. Nec dicimus Romanum praesulem *solum* totius Ecclesiae episcopum, sed docemus, ipsum solum iurisdictionem habere in ceteros omnes.

Et hic sensus, secundum quem episcopi omnes unum corpus morale regens et docens constituunt, videtur omnino hoc loco Cypriani sensus esse. Hic enim Cyprianus totus in eo est, ut Ecclesiae unitatem tamquam maximam et certissimam exhibeat. Centrum quidem et originem unitatis in Petro eiusque successoribus ponit, et ab ipsis eam per episcopos maxime in universam Ecclesiam derivat. „Quam unitatem [Ecclesiae], inquit[1], tenere firmiter et vindicare debemus, *maxime episcopi* qui in Ecclesia praesidemus, ut *episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum* probemus"; quam unitatem deinde illustrat imaginibus solis, arboris, fluvii propositis (supra p. 655). Quibus similitudinibus Cyprianus interpretationem nostram manifesto comprobat. Quod ut de una ex iis paucis explicemus, arbor certe multis partibus constat, quibus aliquo modo in solidum constare dici potest. Sed tametsi radix est etiam pars arboris, ipsi tamen soli, et non aliis partibus proprium est, ut totam arborem sustentet eique sucum immittat. Eadem ratione in Ecclesia Christi uni ex multis episcopis, Petri nimirum in primatu successori, proprium est, ut ceteros omnes regat. Episcopatus ergo, recte ait Bellarminus[2], „unus est eo modo, quo Ecclesia una est: Ecclesia autem est una eo modo, quo multi arboris rami sunt una arbor, multi rivi una aqua et multi radii una lux. . . . Sicut ergo in ramis, rivis et radiis unitas est ratione unius capitis, i. e. radicis, fontis, solis, licet rami ipsi, rivi et radii multiplicentur: ita etiam Ecclesia est una et episcopatus unus in radice et capite, quamvis multae sint particulares ecclesiae multique particulares episcopatus. Unius igitur magni episcopatus ab episcopis singulis in solidum pars tenetur, sed non aequalis, neque eodem modo. Nam Petrus et eius successores tenent eam partem, quae est veluti caput et radix et fons; ceteri tenent alias partes, quae sunt veluti rami et rivi. Est enim iste unus episcopatus ... similis corpori heterogeneo, non homogeneo; ex quo sequitur, ut non eodem modo teneant episcopi singuli partem huius episcopatus. Nam sicut radix, licet sit pars, ut etiam est ramus, tamen sustentat et regit ramos, et omnia, quae sunt in ramis, sunt etiam virtualiter in radice, non e contrario: ita etiam licet ecclesia Romana et episcopatus Romanus sit pars Ecclesiae universae, sicut est ecclesia Tusculana et eius episcopatus, tamen ecclesia Romana regit Tusculanam, non contra. Itaque ex sententia Cypriani recte colligitur, non esse papam Romanum solum episcopum omnium ecclesiarum: sunt enim et alii veri episcopi, qui partem suam regendam susceperunt Ecclesiae universalis. Non tamen recte colligitur, non esse Romanum Pontificem caput et pastorem episcoporum omnium, et proinde etiam Ecclesiae universae, quandoquidem pars, quae ipsi regenda commissa est, eum locum habet in Ecclesia, quem habet radix in arbore, caput in corpore et fons in aquarum rivulis." Unde locutione illa „in solidum" minime una et aequalis omnium episcoporum potestas intelligenda est, sed unitas, quae sita est in episcoporum omnium coniunctione cum eo episcopo, in quo Christus unitatis principium constituit, et a quo hanc descendere voluit, scil. cum Petro eiusque legitimis successoribus.

Obiciunt etiam, Cyprianum iam propterea adversarium pontificii primatus habendum esse, quod ex loco Mt 16, 18 episcopalem auctoritatem derivet. Textus enim ille si R. Pontifici ereptus episcopis tribuatur, quonam in fun-

[1] C. 5 (Hartel 213 sq). [2] De Rom. Pontif. l. 2, c. 16.

damento R. Pontifex auctoritatem exstructurus sit?[1] Sed 1. iam ostendimus, Cypriani pro episcopali auctoritate ex Mt 16, 18 argumentum includere R. Pontificis primatum, non excludere. 2. Praeterea non solus Cyprianns, sed multi alii Patres Mt 16, 18 episcopalem auctoritatem promitti censent, qui tamen primatus adversarii non sunt (vide eorum testimonia supra p. 170 174 190). Etiam ipsi R. Pontifices a Petro episcopatum sumpsisse exordium docuerunt (cf. supra p. 607 sq).

Neque horum testimoniorum vis infirmatur iis, quae Cyprianus ipse et Firmilianus in causa de haereticis rursus baptizandis errantes contra R. Pontificem Stephanum scripserunt, quamquam, id quod cum plerisque scriptoribus hic facimus, omnia quae ab iis hac de re scripta referuntur, genuina et fide digna admittuntur[2]. Ex quorum epistulis haec fere nobis opponuntur:

1. Primum sumunt adversarii, Stephanum tum Firmilianum aliosque orientales episcopos, qui haereticos rursus baptizandos dicebant, tum Cyprianum et Africanos episcopos idem sentientes reapse excommunicasse, hac tamen excommunicatione effectum non esse, ut illi ab Ecclesiae communione separati existimarentur, sed potius illud, ut Stephanus ipse ab Ecclesia se separarit. Id quod dicit Firmilianus, dum ita Stephanum alloquatur[3]: „Excidisti te ipsum. . . . Dum enim putas, omnes abs te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti.“ Ergo concludunt, ut aliquis Ecclesiae socius sit, ex istorum veterum sententia necessarium non esse, ut communionem cum R. Pontifice

[1] Ita Turmel, Hist. du dogme de la papauté 134.

[2] Notum est, S. Augustinum referre ep. 83, c. 10, n. 38; ep. 108, c. 3, n. 9 et C. Crescon. l. 2, c. 33, n. 42, iam sua aetate nonnullos iudicasse, scriptas hac de re a Cypriano epistulas non esse genuinas, sed a mendacibus confictas; hanc tamen opinionem ipse suam non fecit, ut patet ex ep. 93, n. 39, ubi dicit: „Nos tamen duas ob res non negamus, illud sensisse Cyprianum: quod et stilus eius habet quandam propriam faciem, qua possit agnosci, et quod ibi magis contra vos [donatistas] nostra causa demonstratur invictior.“ Veritatem istius controversiae inter Cyprianum et Stephanum et authentiam monumentorum ad eam pertinentium negarunt deinde saeculo XVIII et XIX plures alii catholici. Ita: Raym. Missori O. S. Fr., In duas epist. Firmil. et Cypriani disputationes criticae, Venet. 1733; Tournemine S. J. in Memoires de Trevoux an. 1734, p. 2246; M. Molkenbuhr O. S. Fr., Binae dissertat. de Firmiliano, Monast. 1790; Wolfg. Froelich O. S. B., Inquisit. critica in Hist. eccl. Eusebii, Posonii 1808; Io. Nep. Alber O. M. D. Scholar. piarum, Dissert. in selecta argum. Hist. eccl. I, Pest. 1820, dissert. 5, § 5 6, p. 160 sqq; Vinc. Tizzani, archiep. Nisib., La celebre contesa fra S. Stefano e S. Cipriano, Roma 1862, huncque secutus Bouix, De Papa II 366 sqq. Quos refutarunt iam saeculo XVIII plures et recentiore aetate I. B. Palma, Praelect. Hist. eccl. I, P. 1, Roma 1838, c. 28; Freppel, St. Cyprien et l'église d'Afrique au IIIe siècle, Paris 1865, 429 sqq; C. de Smedt, Dissert. selectae in primam aetatem Hist. eccl., Gandavi 1876, 221 sqq, et maxime J. B. Lefebre in Revue catholique II, Lovanii 1869, 174. Qui plures cognoscere velit, qui pro illa sententia et contra eam scripserunt, consulat Haine, Principia dogmatico-moralia universae theologiae sacramentalis, Lovanii 1875, 307 nota 5. — Ex protestantibus O. Ritschl (Cyprian von Karthago, Göttingen 1885, 126—134) probare conatus est, Firmiliani epistulam (inter ep. Cypr. ep. 75) esse interpolatam. De qua re vide Joh. Ernst in Zeitschrift für kathol. Theol. XVIII (1894) 209—259.

[3] Inter ep. Cypr. ep. 75, n. 24 (Hartel 825).

servet eique obtemperet, ideoque tunc temporis eum nondum Ecclesiae primatem habitum esse. 2. Deinde obiciunt, quod Cyprianus Stephani decreto peremptorio non obtemperarit, et affirmant 3. post hoc decretum Africanos episcopos concilium congregasse, ut unitis viribus Summo Pontifici resisterent et rem ab eo decisam rursus examini subicerent. 4. Porro afferunt verba, quae Cyprianus in eo quod modo memoravimus concilio, quod est septimum Carthaginiense, tertium vero de haereticis baptizandis, post acceptum Stephani peremptorium responsum dixisse legitur[1]: „Superest, ut de hac ipsa re [haereticorum baptismo] singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse possit alterum iudicare. Sed exspectemus universi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi.“ Quibus addunt 5. Cyprianum lecto Stephani responso ei exprobrare obstinationem, praesumptionem, animi caecitatem, pravitatem et alia similia[2]; Firmilianum vero suo aliorumque Asiae episcoporum nomine inter alia multa scripsisse[3]: „Haec interim, quae a Stephano gesta sunt, praetereantur, ne dum audaciae et insolentiae eius meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem moestitiam nobis inferamus.“ Et rursus[4]: „Atque ego in hac parte iuste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. . . . Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur.“ Accedit 6. quod Cyprianus R. Pontificem semper fratrem vel collegam appellat, quodque Stephanum tecte reprehendens ad Quintum episcopum haec scripsit[5]: „Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit Ecclesiam suam, . . . vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere.“ – Iam ex his adversarii concludunt, Cyprianum et Firmilianum R. Pontificem esse totius Ecclesiae primatem non credidisse. Nam alioquin, aiunt, Cyprianus nec affirmasset, nullum esse episcopum episcoporum, nec singulos episcopos sui iuris esse et a nemine nisi a Deo iudicari posse; nec R. Pontificis mandatum tam aperte respuendo ei obtemperare recusasset; nec eum fratrem et collegam appellasset, multo minus ambo verbis adeo acerbis et contumeliosis de eo locuti essent.

Respondemus porro 1. *ad primum,* Stephanum *propria* excommunicationis poena nec Firmilianum eique adhaerentes episcopos orientales, nec Cyprianum eiusque sententiae fautores inter Africanos episcopos affecisse[6].

[1] Opera S. Cypr., ed. Hartel 435 sq. [2] Ep. 74, n. 3 4 (ib. 801 sq).
[3] Ep. 75, n. 3 (ib. 811). [4] Ibid. n. 17 (ib. 821).
[5] Ep. 71, n. 3 (ib. 773). Totum locum vide supra p. 189.
[6] Ernst l. c. 473—499. De Smedt l. c. diss. 5.

Antiquitus enim *tria* excommunicandi episcopos genera habebantur.

Et *prima* quidem excommunicatio (quae minima dici potest) fuit ea, qua, ut De Smedt tradit[1], „episcopus iubebatur *suae ecclesiae communione esse contentus*[2]. Tria capita, ut videtur, huiusmodi excommunicationis genus complectebatur, scil. a) cum episcopo sic excommunicato et eius ecclesia alii episcopi neque civiliter per visitationis officia accepta vel reddita, neque ecclesiastice sive per literas communicatorias communicabant. b) Clerici aut fideles ab eo commendati non suscipiebantur, neque ad sua officia exercenda admittebantur. c) Privabatur iure suffragii et consessus in conciliis[3]. — Illi tamen in ecclesiam propriam auctoritas sua et dignitas, et cum clericis et plebe sua communio integra servabatur.

„*Altera excommunicatio*, priore gravior, illa erat, qua episcopi et ecclesiae mutuam communionem abrumpebant. Dum scil. ecclesia aut episcopus quidam in alterius ecclesiae aut episcopi doctrina vel disciplina perversi aliquid se perspicere arbitrabatur et is monitus non acquiescebat, a communione eius se subtrahebant, negando ei literas communionis aut etiam ipsius literas respuendo, itemque a sacrorum participatione repellendo fideles illius ecclesiae, tametsi literis commendatitiis sui episcopi instructi essent. — Itaque haec excommunicatio non erat proprie et per se aliqua censura vel poena ecclesiastica, qua unus episcopus (vel ecclesia) alium potestate clavium ligaret, sed mera communionis subtractio seu denegatio, quae non supponebat ullam in episcopum (vel ecclesiam), cui subtrahebatur, auctoritatem[4], quamquam gravi illum afficiebat contumelia et in suspicionem perversae doctrinae vel disciplinae adducebat. Attamen ii, qui primitiali aliquo iure in alios episcopos gaudebant, non solum poterant ita communionem suam alicui denegare, et alios adhortando et suadendo adducere ad eam eidem subtrahendam, sed et episcopos sibi subiectos prohibere imperio, ne et ipsi cum eo, a quo se ita separavissent, communicarent. Ac proinde Summus Pontifex, qui primatum in universas ecclesias particulares habet, poterat hac ratione ecclesiam vel episcopum quemvis omnium aliarum ecclesiarum communione privare seu a communione totius Ecclesiae separare.

---

[1] Dissertationes 70 sqq.

[2] Exempla vide apud Gratian. dist. 18, c. 10 12 13 14 (ML CLXXXVII 101 sqq).

[3] Cf. Morinus, Exercitat. eccl. et bibl. l. 2, exerc. 17 18.

[4] Quinimmo nonnumquam ipsa plebs christiana vel clerici se separabant a communione sui pastoris, vel episcopi a suo primate, ubi is a sana doctrina vel disciplina aberrare ipsis videbatur. Ita scribit S. Cyrillus Alex. ep. 11, n. 3 (MG LXXVII 82): „Erat Constantinopoli episcopus nomine Dorotheus, eadem quae ille [Nestorius] sentiens. . . . Is in publico conventu, reverendissimo Nestorio in cathedra Constantinopolitanae ecclesiae sedente, surgens, magna voce inclamare ausus est: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit. Tunc ingens universi populi clamor et discessio consecuta est. *Nolebant enim cum iis amplius communionem habere*, qui talia sentirent (*οὐ γὰρ ἤθελον ἔτι κοινωνεῖν αὐτοῖς τοιαῦτα φρονοῦσιν*), adeo ut etiamnum plebs Constantinopolitana, paucis levioribus et qui illi adulantur exceptis, synaxi abstineat. Sed neque eo conveniunt monasteria paene omnia eorumque archimandritae et senatorum multi, verentes, ne aliquod in fide detrimentum accipiant“ etc. Et immo adeo frequenter id contigit, ut concilium oecumenicum VIII, quia id saepe sine legitima causa factum erat, huiusmodi separationem prohibendam duxerit (Act. X, can. 10: Harduin V 903 C; Mansi XVI 166 B), haec statuens: „Nullus laicorum vel monachorum aut aliquis ex catalogo clericorum ante diligentem examinationem et synodicam sententiam a communione se separet proprii patriarchae, licet criminalem quamlibet causam eius se nosse praetendat: sed neque recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria vel officia. Similiter autem episcopos et presbyteros, qui in exterioribus civitatibus et regionibus sunt, erga proprios metropolitas affectare mandamus: quae etiam circa patriarcham suum facere metropolitas oportet.“

„*Denique anathematis etiam poena* feriebantur episcopi, qui haeresi vel schismati pertinaciter inhaererent. Haec autem et depositionem importabat.“ [1]

Tertium solum hunc pacis abrumpendi modum anathema veri nominis esse manifestum est. Quod vel Cypriano vel Firmiliano inflictum umquam fuisse probari non potest. Cyprianus enim pacem inter ipsum et Stephanum ruptam esse uno solo loco significat, qui sic se habet[2]: „Dat honorem Deo, qui haereticorum amicus et inimicus christianorum sacerdotes Dei veritatem Christi et ecclesiae unitatem tuentes abstinendos putat?“ Romanum Pontificem hic significari dubium non est. At licet Stephanum *minatum* esse excommunicationem iure ex his verbis concludas, latam ac inflictam eam esse inde non extundes. Firmiliani autem verba, quae supra (p. 667) dedimus, pacem scissam esse significant, eam formali anathemate scissam esse non significant. Nec plus concludes ex eo, quod Stephanus, ut narrat Firmilianus[3], legatos quos Cyprianus Romam miserat, neque admisit ad „sermonem saltem colloquii communis“, sed praecepit „fraternitati universae, ne quis eos in domum suam reciperet“. Nec aliud significat Firmilianus, si Stephanum describit[4]: „pacem cum singulis vario discordiae genere rumpentem, modo cum orientalibus . . ., modo vobiscum, qui in meridie estis“, vel dicit[5], rem numquam antea exauditam Stephanum ausum esse facere, „rumpens adversus vos [Africanos] pacem“. Dionysius autem Alexandrinus dum scribit[6] Romam ad Xystum de eius antecessore Stephano: „Antea quidem literas scripserat de Heleno et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam neque cum illis communionem habiturum (ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων), quod haereticos rebaptizarent“, incertum relinquit, num Stephanus ultra minas processerit. — Praeter Cyprianum vero, Firmilianum, Dionysium auctores ipsi de rebaptismate controversiae coaevos non habemus, ex quibus de pace rupta discamus. Scriptores posteriores si consulimus, Eusebius[7] ipse de anathemate a Stephano lato silet. Augustinus vero de Stephano et Cypriano dicit[8]: „Quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.“ Praeterea Patres concilii Antiocheni III versus finem a. 268 celebrati, ad quod etiam Firmilianus profectus in itinere mortuus est, in epistula synodica ad R. Pontificem Dionysium, Maximum Alex. omnesque orbis catholici episcopos data scribunt[9]: „Et ad Dionysium Alex. et ad Firmilianum Cappadociae antistitem, beatae recordationis viros (μακαρίτας), literas dedimus.“ Mirum autem esset, quod antistitem anathemate percussum et ut talem defunctum illi epi-

[1] Simili modo Bossue (De S. Firmiliano n. 66: Acta Sanct. Oct. XII, Paris. 1884, 496) sic dicit: „Duplex distingui potest abstentio sive communionis privatio. Altera veram constituit excommunicationem et ab ecclesiae corpore rescissionem; altera solum interrumpit mutuum inter ecclesias vel etiam personas commercium neque anathemati est aequiparanda.“ Quod confirmat ex S. Epiphanio, qui de paschatis celebratione multas controversias exstitisse scribit „praesertim Polycarpi ac Victoris aetate, cum orientales ab occidentalibus divulsi pacificas a se invicem literas nullas acciperent“ (Haer. 70, n. 9: MG XLII 356).

[2] Ep. 74, n. 8 (Hartel 805). [3] Inter ep. Cypr. ep. 75, n. 25 (ib. 826).
[4] Ibid. [5] Ibid. n. 6 (ib. 812). [6] Apud Eus., H. E. 7, 5, 4.
[7] H. E. 7, 3 sqq. [8] De bapt. c. Donat. 5, 25 (ML XLIII 194).
[9] Eus. H. E. 7, 30, 3.

scopi ad Stephani successorem scribentes *beatae recordationis* virum nuncupassent.

Summum igitur admitti potest, Stephanum communionem suam Firmiliano et Cypriano subtraxisse; quod, si fidem habemus Firmiliano, negari non potest [1]. Neutiquam etiam constat, Stephanum aliis episcopis iniunxisse, ne cum rebaptizantibus communicarent. Et cum Stephanus mox vita decessisset, eius successor Xystus II mansuetudine potius quam severitate cum rebaptizantibus agendum esse censuit; unde communio inter illos episcopos et R. Pontificem ad brevissimum modo tempus abrupta mansit. Accedit, quod formali iudiciali sententia minorem illam excommunicationem Cypriano inflictam esse probari non potest [2]. Aliqui etiam, Firmiliani exasperati et irati verbis fidem plenam non habentes, excommunicationem Stephanum minatum esse concedunt, communionem tamen umquam eum cum Cypriano rupisse negant [3]. — Ex controversia igitur Stephanum inter et Cyprianum ac Firmilianum nullatenus sequitur, posse christianos esse verae et universalis Ecclesiae Christi socios, etiamsi R. Pontifex eos anathematis sententia ab Ecclesia penitus separet.

2. Quod autem Cyprianus Stephani praecepto non oboedivit, atque rem a Stephano iudicio peremptorio decretam ac decisam iterum concilio discutiendam proposuisse dicitur, non evertit eius de Romano primatu testimonium.

Contra principia quidem a se ipso prius de Romana sede statuta Cyprianum hac ratione egisse ac contrarium sibi ipsum exstitisse patet. Sed inde quid contra R. Pontificis primatum? Num, ut ait Petrus Ballerini [4], „credendum est iis quae pro errore et ex erroris praeiudicio [addamus, nimia animi commotione et ardore abreptus] scripsit contra decretum Stephani, an potius iis quae nullo erroris praeiudicio abreptus in literis ad Cornelium professus fuerat, cum aliis itidem a sese alibi scriptis cohaerens? . . . Hac in re Tertulliani exemplum mihi venit in mentem, qui postquam montanistarum haeresi fuit irretitus, apostolicarum ecclesiarum communionem ac traditionem, quam antea tantopere praedicaverat, posthabuit. Num quis hinc contra apostolicas traditiones argumentum ducet?“ [5]

---

[1] D'autant qu'une sentence d'excommunication, au sens canonique attaché à ce mot par l'usage postérieur, constituerait, au milieu du IIIe siècle, un anachronisme: il ne saurait être question, à cette date, que d'une rupture officielle de relations, et il demeure douteux qu'après les menaces que nous avons rapportées, cette rupture ait été notifiée derechef“ (A. d'Alès in Rev. des quest. hist. 1907, I 388).

[2] Cf. Ernst in Zeitschrift für kath. Theologie XVIII (1894) 473—499.

[3] Natalis Alex., Hist. eccl. saec. III, diss. 12, a. 1, prop. 1.

[4] De vi ac ratione primatus R. Pontificum c. 13, § 3 (Westhoff 118).

[5] Hoc etiam protestantes concedunt. Sic v. g. Ritschl l. c. 140: „Wenn Cyprian aber nach seiner Exkommunikation [?] für sich und die Bischöfe, welche zu ihm standen, noch die Einheit der Kirche zu halten versuchte, so fehlte ihm jetzt der Boden unter den Füßen, und seine Behauptung schwebte in der Luft. Nach seinem Kirchenbegriff mußte die Einheit der Kirche folgerecht da sein, wo der Bischof von Rom war.“ Item dicit Harnack (Lehrbuch der Dogmengeschichte I, Freiburg 1909, 421): „Cyprian hat sich unzweifelhaft bei seinem Konflikt mit Stephanus in Widerspruch zu seinen früheren Ansichten über die Bedeutung des römischen Stuhles für die Kirche gesetzt.“ Etiam H. v. Soden (Quellen und Forschungen,

Sed etiamsi ratio qua egerit Cyprianus in controversia cum Stephano, consistere non possit cum eius de Romano primatu principiis, non tamen sequitur, Cyprianum hanc contrarietatem perspexisse ita, ut sciens ac volens R. Pontificis primatum contempserit. Vario ac interdum contrario modo a variis explicatur et excusatur Cyprianus. Quarum explicationum cum unaquaeque certis sancti episcopi sententiis fulciatur ac firmetur, etiam hinc patet, Cyprianum in rebaptismate defendendo nec mente nec verbis sibi constare nec verbis claris uti. Praecipuas sententias adumbrasse sufficiat.

Dicunt igitur multi, Cyprianum existimasse, istam controversiam versari de re pertinente ad disciplinam, atque ad eam partem disciplinae, quae variis in locis varia esse possit. Tales autem res cum Pontifex Romanus non soleat definire modo dogmatico ac qui errorem excludat, Cyprianum licitam putasse unicuique episcopo alterius sententiae defensionem. Quae fautorum Cypriani opinio fundamentum habet in ipsius sancti viri verbis. Sic enim scribit ad Stephanum, dum cum eo communicat, quae Africanorum synodus constituerit de rebaptismate[1]: „Ceterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo quaedam propria, quae apud se semel sunt usurpata, retinere. Qua in re *nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus,* quando habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus sui Domino redditurus.“ Idem repetit Cyprianus ad Iubaianum scribens[2]: „Haec tibi brevibus pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, *nemini praescribentes aut praeiudicantes,* quominus unusquisque episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter haereticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus.“ Necnon ad Magnum, de eadem quaestione scribit Cyprianus[3]: „Ostendi, quid nos, quantum in nobis est, sentiamus, *nemini praescribentes, quominus statuat, quod putat unusquisque praepositus,* actus sui rationem Domino redditurus.“ Sane si Cyprianus illam de rebaptizandis haereticis quaestionem ut rem fidei divinae et non merae ac variabilis disciplinae spectasset, ita non videtur loqui potuisse, ipse haereticorum fidemque catholicam impugnantium adversarius acerrimus. Idem ex iis patet, quae in concilio Carthaginiensi VII protulit (supra p. 668) aliisque argumentis[4]. Certe illam praxim ad fidem pertinere non iudicavit Cyprianus, cuius originem non *a Christo* vel *ab apostolo,* sed *ab Agrippino* decessore suo repetit; atqui Cyprianus id reapse fecit, ad Iubaianum scribens[5]: „Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab haereticis ad Ecclesiam veniunt, quando anni sunt iam multi et longa aetas, ex quo *sub Agrippino* bonae memoriae viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint.“ — Idem sensisse Firmilianus videtur, cum scribat[6]: „Eos

---

hrsg. vom Kgl. Preuß. hist. Institut in Rom, XII [1909] 2) non consonare putat, quae Cyprianus scripsit ep. 73, 26; 69, 17; Sent. praef., cum iis quae in literis ad Cornelium datis de Romano primatu tradit.

[1] Ep. 72, n. 3 (Hartel 778).

[2] Ep. 73, n. 26 (ib. 798).

[3] Ep. 69, n. 17 (ib. 765).

[4] Cf. Anonymi dissert. hist.-dogm. P. 2 (ML III 1323 sqq).

[5] Ep. 73, n. 3 (Hartel 780).

[6] Inter ep. Cypr. ep. 75, n. 6 (ib. 813).

autem, qui Romae sunt, non ea in omnibus observare, quae sint ab origine tradita, et frustra apostolorum auctoritatem praetendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies paschae et circa multa alia divinae rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia aequaliter, quae Hierosolymis observantur, secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et hominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiae catholicae pace atque unitate aliquando discessum est." Quibus verbis Firmilianus rem tractat ut talem, quae variis locis varia esse possit, ideoque dumtaxat disciplinaris sit [1].

Nihilominus, id quod bene notandum est, uterque, tum Cyprianus tum Firmilianus in probanda istius suae de baptismo sententiae veritate usi sunt fere semper argumentis dogmaticis, sive ex fidei campo petitis. Concedendum etiam est, quod Cyprianus iis coloribus causam suam adumbrat, qui nonnisi ad fidem referri possunt. Sic v. g. adversarios suos Africanos vocat „praevaricatores fidei atque ecclesiae proditores", ac merito in dies haereses crescere exclamat, „dum fides, dum veritas proditur" [2]. At respondent ad haec et his similia, „huiusmodi exaggeratas loquendi formulas ab exacerbati animi impetu ad tuendam, quam praepostere amabat, causam propriam protrusas ac supra genuinam mentis sententiam (quod in acri adversariis conflictu etiam timoratis quandoque evenit) elatas fuisse" [3]. Favorem haereticis praestari putat Cyprianus, si eorum baptismus agnoscatur, favere autem illis idem ipsi est ac fidem prodere. Atque hoc sensu praevaricatores fidei adversarios vocat, non ita tamen, tamquam ipsum usum non rebaptizandi haeresim putaverit.

Alii autem Cyprianum totam rebaptismatis causam habuisse ut rem mere disciplinarem nolunt admittere ac alio modo sancti episcopi defensionem aggrediuntur. Quamquam enim, aiunt, auctoritas Romanae sedis explicite agnoscebatur tempore Cypriani, quousque se extenderet ille primatus, quaeque iura in eo continerentur, theoretice adeo discussum non erat; magis enim primatus Romanus illis temporibus practice exercebatur et agnoscebatur, quam theoretice a theologis discutiebatur et excolebatur. Quapropter, aiunt, facilius fieri potuit, ut si contra opinionem, quam alte quis mente imbiberat fervideque coram toto fere orbe terrarum defenderat, R. Pontificis decretum fieret, non quidem theoretice negaret eius primatum, sed ita ageret, ac si omnium, quae ipse de Romana sede docuerat, prorsus oblitus esset [4].

3. Concilium porro septimum Carthaginiense eo animo Cyprianum congregasse, ut contra Stephani decretum se opponeret, ac resistentiae suae contra R. Pontificem maximo episcoporum undique accitorum numero pondus quam maximum conciliaret, prorsus temerarie dicitur.

Omnia scil. episcoporum in concilio praesentium suffragia ad verbum exstant. In hisce vero omnibus ne commemoratur quidem Stephani decretum, nulla fit mentio excommunicationis, quam Stephani epistula intentaverat defensoribus rebaptismatis, nullum verbum auditur, quo excusent episcopi illi,

---

[1] Etiam S. Basilius quaestionem de rebaptizandis haereticis ut disciplinarem habuisse videtur ep. 188, c. 1 (MG XXXII 666 sqq).

[2] Ep. 69, n. 10 (Hartel 759); ep. 74, n. 8 (ib. 806).

[3] Alex. Herdt, Discordia concors, Moguntiae 1755, 27.

[4] Cf. De Smedt l, c. 273.

qui certe antea cum Cypriano agnoscebant Romanum primatum, quod nunc insurgant contra eius auctoritatem. Ergo si illud concilium post Stephani decretum habitum fuit, certe eius mens non erat, ut R. Pontifici se opponeret, sed dicendum est, Africanos episcopos nihil omittendum statuisse, „quo et sententiam suam tenerent, et indignantis Pontificis minas, servata unitate et communione, evaderent. In hunc finem sanctus metropolita tertium de hac causa concilium ... indixit, ad quod omnes quotquot potuit Africae, Numidiae et Mauritaniae episcopos convocavit, eo haud dubie animo eaque spe, ut si isti omnes sibi consentirent, tantus florentissimae ecclesiae episcoporum numerus atque auctoritas R. Pontificem, si minus ad suas partes pertraheret, saltem a ferenda intentatae excommunicationis sententia cohiberet....“ [1]

Sed iure, ut videtur, Grisar[2] et Ernst[3] ex ipsa ea re, quod nullo modo agitur in concilio de Stephani decreto, ex aliisque indiciis concludunt, *ante* Romani Pontificis sententiam decretoriam illud concilium convenisse. Certe si Cyprianus Stephano se opponere voluisset, eum nominare et acriter carpere non omisisset. Id quod legenti eius epistulam ad Pompeium datam manifestum est.

Sed esto, illud concilium post Stephani decretum habitum esse. Quid tunc? Num contra primatum Romanum ex eo argumentum duci poterit? Minime, sed contrarium obtinet. Modus enim ille, quo episcopi contra Stephanum egissent, manifeste eius primatum eos agnovisse probaret. Nam si non agnoverunt eum, qui factum est, ut nullum istorum conciliorum Carthaginiensium ac nominatim septimum illud Stephani decretum tamquam iniquum et nullum aperte reiecerit et reprobaverit, praesertim cum istius concilii Patres Stephanum et in exitiali errore versari crediderint, et haud parum adversus eum ira incensi fuerint? Certe quo gravius Cyprianus Stephani in ista controversia agendi rationem tulit, quoque firmius credebat, eum errore captum esse, eo clarius ac fortius debuit illam, si eam veram usurpationem esse putabat, ut iniustam repellere et errorem opinata ista usurpatione significatum repudiare atque damnare. Atque haec reclamatio quo faciliore et feliciore successu secundum adversariorum sententiam isto tempore fieri *potuit*, eo gravior etiam et clarior fieri *debuit;* secundum adversarios enim primatus ille, quo, ut ipsi dicunt, R. Pontifices postea tantum et ex causis quidem mere humanis aucti sunt, Cypriani aetate nondum exstitit. Dicendum igitur est, Cyprianum et episcopos, qui ipsi favebant, aut admisisse R. Pontificis primatum iurisdictionis, aut, id quod prorsus incredibile est, singulos et universos, licet Stephano illum primatum minime adiudicarent eumque insuper in ista sua controversia graviter errantem crederent animisque plus minusve singuli ab eo alienatis essent, sine ulla tamen reclamatione opinatam eius usurpationem maxime iniquam tolerasse. In omnium enim istorum episco-

---

[1] Suyskens, De S. Cypr. n. 685 (Acta Sanct. Sept. IV, Paris. 1868, 300).

[2] Cf. Zeitschrift für kathol. Theologie V (1881) 193—221. Iam antea Mattes (Tüb. Theol. Quartalschr. 1849, 587) hanc sententiam probabiliorem, Hefele (Konziliengesch. I, Freiburg 1873, 120) probabilem existimaverat. Consentit O. Ritschl (Cyprian von Karthago 113—118), qui putat, non a secundo concilio, sed a tertio de quo agimus epistulam illam scriptam esse, quae est 72. inter Cypriani epistulas, et in qua Africani quid de rebaptismo statuerint ad Stephanum scribunt. Ita etiam v. Soden l. c. 16.

[3] Papst Stephan I. und der Ketzertaufstreit, Mainz 1905, 39—63.

porum sententiis ne verbum quidem habetur, quod eiusmodi reclamationem ullo modo significet, sed tantum affirmatur, haereticos iterum baptizandos esse. Itaque ne quid maxime absurdum ponatur, concedendum omnino est, illos episcopos R. Pontificis primatum iurisdictionis agnovisse. Eos autem tam numerosos in ista controversia Cypriano suffragatos esse, adeo mirandum non est, cum Cyprianus et ipsorum primas esset, et paulo antea in certamine cum schismatico Novatiano eorum dux et defensor rei catholicae acerrimus fuisset. Praeterea rationes, quibus Cyprianus aliquatenus saltem excusari potest, etiam pro illis episcopis valent. Ceterum notandum est, contumelias a Cypriano et Firmiliano de Stephano prolatas non *ad ipsum*, sed *ad alios* semper scriptas esse [1].

4. Quod attinet ad illa verba, quibus Cyprianus concilio de rebaptismate tertio initium dedit, nullatenus certum est, „episcopi episcoporum" nomine ab eo Stephanum significari.

Multo probabilius his verbis Cyprianus significavit se ipsum, et a se ipso nulli vim fieri, quin libere quod sentiret enuntiet. Volebat scil. Cyprianus „congregatos episcopos de sua quemque sententia libere dicenda admonere. Hunc in finem, quod ad libertatem illam maxime conducere rebatur, observavit, omnes inter se collegas esse, et licet ipse primatum Africae teneret, nec se tamen, nec quemquam aliorum, qui aderant, episcopum episcoporum esse, aut eam potestatem sibi tyrannice arrogare, ut ceteros terrore suo ad sua sensa adigat" [2]. Atque ita hunc Cypriani locum etiam a S. Augustino intellectum esse notum est [3]. Prudenter autem Cyprianus timere poterat, ne sibi laesae libertatis concilii crimen obiceretur. Nam ex eius adversariis Africanis quidam ei videntur obiecisse, quod propter ipsum solum et magnam eius in Africa auctoritatem tota controversia excitata sit [4]. Propterea etiam antea pluries enuntiasse videtur, unumquemque episcopum plenam libertatem in tota de rebaptismate re habiturum [5]. Notandum est etiam iam antea Cyprianum aliquem sui vituperatorem „episcopum episcopi" nominasse [6], ita ut nullo modo verum sit, illud nomen semper debere episcopum Romanum significare.

---

[1] Murray III 655 sq.

[2] Acta Sanct. Sept. IV, de S. Cypriano n. 693.

[3] De baptismo 2, 1, 2 (ML XLIII 126).

[4] Cf. De rebaptismate c. 1 Hartel III 70), ubi ignotus aliquis S. Cypriani aequalis „nullus alius fructus", inquit, totius controversiae de rebaptismate reperitur, „nisi hic solus, ut unus homo, quicumque ille est, magnae prudentiae et constantiae esse apud quosdam leves homines inani gloria praedicetur, et ... errores et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur".

[5] Vide hos locos supra p. 672. Etiam ep. 55, 21 (Hartel 639) ante exortam de rebaptismate controversiam agens de re aliqua disciplinari, quae varia erat variis locis: *„Manente concordiae vinculo et perseverante catholicae ecclesiae sacramento* actum suum disponit et dirigit unusquisque praepositus rationem propositi sui domino redditurus." Ubi vides conditionem aliquam apponere Cyprianum nec absolutam prorsus ac independentem putare episcopi auctoritatem.

[6] „Quis autem nostrum longe est ab humilitate, utrumne ego ... an tu, qu te episcopum episcopi et iudicem iudicis ad tempus a Deo dati constituis?" (Ep. 66 n. 3: p. 728.) — Alio sensu Sidonius Apollinaris (l. 6, ep. 1: ML LVIII 551) vocat Lupum, episcopum Tricassinum, patrem patrum et episcopum episcoporum, i. e. optimum episcoporum.

Cum autem Cyprianus dicebat, episcopos ab alio quam a solo Deo iudicari et constitui non posse, nisi sibi contradixisse affirmetur, certe pronuntiare noluit, nullam esse in Ecclesia auctoritatem, qua episcopi constituantur eorumque causae iudicentur. Ipsemet enim cum coepiscopis suis multos diiudicavit, uti v. g. causam Basilidis et Martialis; ipse etiam rogaverat Stephanum, ut Marcianum, Arelatensem episcopum, suo loco moveret eique alium sufficeret.

5. Acerbus denique Cypriani et Firmiliani loquendi modus non includit negationem primatus.

Immoderatius Cyprianum in Stephanum invectum esse nemo negat. Sed nihilominus neque in acerbissima epistula ad Pompeium data ullatenus R. Pontifici denegatur aut ius interveniendi in ista controversia, aut generatim iurisdictionis primatus. Quem si non admisisset Cyprianus, cur id clare non dixit, cum hac negatione efficacissime Stephanum retudisset? — Firmilianus porro iis quae supra afferuntur verbis clarissime affirmat, Stephanum se Petri primatis successorem praedicasse et ut talem in ista controversia egisse suamque sententiam Petri auctoritate protulisse. Iam si Firmilianus vel hanc successionem vel auctoritatem inde derivatam non agnovisset, profecto ante alia omnia primo loco clare ac diserte id dixisset. Sublata enim ratione, qua auctoritatem sententiae suae firmaverat Stephanus, ipsa illa auctoritas sublata erat, nullaque alia responsione opus fuisset. Insuper Stephani auctoritatem in adversariorum suppositione Firmilianus diserte negare debuit, „tum quia rationem istius dominationis (ex hypothesi) novam esse per se haeresim credidisset, tum quia sic respondendo non solum auctoritatem Stephani *superiorem,* sed *omnem* ei auctoritatem eripuisset, vel saltem multum depressisset. Dicere enim potuit, Stephanum non solum errare in materia de rebaptizandis (ut sentiebat Firmilianus), sed etiam alium errorem pestiferum inducere velle, sibi tamquam successori S. Petri, et ergo iure divino, arrogando auctoritatem in alios episcopos, quam nullo modo habet. Num ergo successionem vel auctoritatem illam negavit Firmilianus? Nequaquam; sed e contrario abusum auctoritatis intemperantem et perniciosum tantum insectando, ipsam auctoritatem tacite sed vere concedit.“ [1] Non enim ipsam illam Stephani successionem et auctoritatem, sed Stephanum irridet, quod cum glorietur, se Petri successorem esse et petram Ecclesiae, istam petram non defendat, sed dissipet et confringat, errores inducendo et haereticis favendo.

6. Quod denique Cyprianus R. Pontificem semper fratrem et collegam vocat, quamquam ostendit, R. Pontifices ea aetate ut totius Ecclesiae primates nondum nomine singulari et proprio insignitos fuisse, minime profecto ostendit, eos e sententia Cypriani iurisdictionis primatum non habuisse. *Potestatem* enim primatus, ut monstravimus, Cyprianus R. Pontifici clare ascripsit; titulos ac nomina christiani tot persecutionibus pressi parum curabant [2]. — Postremo quomodo verba supra ex Cypriani epistula ad Quintum

[1] Murray III 657.

[2] Schulte (Die Stellung der Konzilien 143 sqq) ut demonstret, Romanos episcopos primis saeculis primos tantum inter alios ipsis aequales episcopos fuisse, *nihil aliud* affert, quam R. Pontifices alios episcopos vocasse „fratres“, „pontifices“, „episcopos“, „archiepiscopos“, „comministros“, se vero „episcopos“ et „archiepiscopos“ urbis Romae, atque etiam in episcoporum, conciliorum et imperatorum

allata R. Pontificis primatui repugnent[1], plane non video. Petrus enim illis laudatur, quod Paulo ipsum monenti non obiecit suum primatum sive auctoritatem supremam, quam ut Ecclesiae primas habuit. Hac autem laude Cyprianus Petri primatum minime negare voluit, cum ipsi sane laudi vertere non potuerit, quod auctoritatem, qua numquam auctus fuisset, non praetendebat. Laudatur igitur Petrus, quod non ut Stephanus, quem hic tacite significare videtur, insolenti et arroganti modo auctoritate propter primatum ipsi competenti usus sit. Tantum autem abest, ut Cyprianus hac ratione, qua modum quo Stephanus suprema sua auctoritate perperam ipsi visus est uti, graviter reprehendit, R. Pontificis primatum iurisdictionis negaverit, ut eum, id quod ex comparatione cum Petro primate instituta patet, etiam ut certum tacitus ponat. Manet ergo certum, Cyprianum R. Pontificis primatum iurisdictionis agnovisse et professum esse.

Eodem saeculo, anno 272, ipse gentilis imperator Aurelianus, cum in expeditione contra Zenobiam Antiochiam venisset, R. Pontificis primatum haud obscure testatus est. Eusebius enim refert[2], eum, cum Paulus Samosatenus a duabus synodis iam damnatus e domo episcopali nullatenus excedere vellet, a christianis interpellatum hoc negotium „rectissime“ (*αἰσιώτατα*) diiudicasse, iis domum illam tradi praecipiens, quibus italici christianae religionis antistites et *Romanus episcopus* (*οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι*) scriberent, literis scil. communionis.

---

epistulis eos non aliis quam simplicis episcopi titulis honorari. At R. Pontifices hac adhuc aetate constanter episcopos vocant *fratres* et *venerabiles* quidem, uti legere est in epistulis v. g. Benedicti XIV, Pii VII, Pii VIII, Gregorii XVI, Pii IX. Et cur R. Pontifices etiamnum coepiscopos et comministros ita non appellent, cum ii et ipsi episcopi sint tametsi non pari potestate instructi? Et cur se ipsos episcopos nominare non debent urbis Romae? Utique *ut* archiepiscopus Pontifex Romanus gubernat tantum aliquam provinciam, sicut ceu episcopus Romae eam urbem, et ut patriarcha occidentem regit; sed cur hoc impedit, quominus etiam totius Ecclesiae rector ac primas summa iurisdictione instructus sit? Hoc si esse non possit, nec ullus episcopus potest simul esse archiepiscopus vel patriarcha, nec dux Austriae simul rex Hungariae vel imperator totius imperii Austriaci. — Nec ullatenus obest, quod clerus Romanus in epistulae (inter ep. Cypr. ep. 30: Hartel 549) inscriptione Cyprianum papam vocat et in eiusdem fine eum alloquitur: „beatissime ac gloriosissime papa“. Hoc enim nomen significat patrem, ideoque cuivis Romano catholicae Ecclesiae episcopo per se optime convenit; et cum Cypriani tempore nondum R. Pontifex hoc nomine per excellentiam ut totius Ecclesiae pater designaretur ipsique soli hoc nomen tribueretur, reapse nihil obstabat, quominus S. Cyprianus eo nomine honoraretur. Etiam Hieronymus epistulas ad Augustinum datas inscripsit (ep. 39 68 72 75 81 172 195): „Domino vere sancto et *beatissimo papae* Augustino.“ Quis dixerit, S. Hieronymum habuisse S. Augustinum ut Summum Pontificem, vel aequalem R. Pontifici Damaso? Insuper Ruggierius (Dissert. de Portuensi S. Hippolyti sede P. 2, c. 8: MG X 494) dicit: „*Papae* ... nomen omnibus christiani orbis episcopis ante XI saec. commune fuit, ut notant eruditi viri Ruinartius, Lud. Thomassinus, atque ... Bollandi continuatores in erudita dissertatione, quam de *papae* nomine vitae S. Heraclae, patriarchae Alexandrini, subiecerunt. [Acta SS. Iun. V (al. VII) 25 sqq]. Primus illud nomen soli R. Pontifici reservasse videtur Gregorius VII.“

[1] Cf. supra p. 189. [2] H. E. 7, 30, 19.

Ex qua loquendi forma manifestum est, ab Aureliano episcopum Romae ab aliis Italiae episcopis ita distingui, ut ipse non parem cum iis, sed multo eminentiorem habuerit, et non solum italicis, sed etiam aliis omnibus, cum alioquin eius communionem christianis non maxime necessariam existimasset. Undenam autem venit, ut Aurelianus ita de R. Pontifice sentiret, nisi ex communi tunc temporis et notissima christianorum sententia atque doctrina?

Saeculo quarto etiam alius gentilis, Ammianus Marcellinus, R. Pontificis primatum testatur. Narrans enim, Liberium R. Pontificem noluisse consentire arianorum iudicio, quo Athanasius a sede sua pulsus erat, de imperatore Constantio addit[1]: „Id enim [Athanasii damnationem] ille Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua *potiores aeternae urbis episcopi* [sunt], firmari desiderio nitebatur ardenti." Ex quibus sane concludendum est, R. Pontificis primatum fuisse tunc temporis factum ubique notum et agnitum a christianis: quomodo enim alioquin vir gentilis ita scribere potuit?

Ex christianis porro huius quarti saeculi luculentissimus primatus R. Pontificis testis est Optatus Milevitanus, qui inter annos 372—375 scripsit. Dicit enim ad Parmenianum[2]: „Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus [Ecclesiae] sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens... [enumerationem persequitur usque ad Siricium], qui [Siricius] noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat." Et rursus ait[3]: „Igitur de dotibus supradictis *cathedra* est (ut diximus) *prima*, quam probavimus *per Petrum nostram esse*", i. e. per communionem, quam habemus cum R. Pontifice.

Ex Optati igitur sententia 1. servanda est communicatio cum sede Romana ex institutione Christi; 2. servatur unitas cum sede Romana, si servatur unitas cum R. Pontifice; probat enim Optatus, totius orbis ecclesias esse in communione cum sede Romana, ex eo quod communionem habeant cum Siricio papa; 3. schismaticus et peccator est, qui a Romanae sedis unitate recedit. Ergo agnoscit Optatus R. Pontificis primatum. Si enim communicatio cum R. Pontifice necessaria est, omnes eius legibus pareant necesse est, quia secus eos a sua communione resecare potest.

Insuper Optatus addit[4]: „Probatum est, nos esse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis est, et per cathedram

---

[1] Rer. gest. 5, 7.

[2] De schism. Donat. 2, 2 3 (ML XI 947 sqq) Siricii nomen Optatus in *secunda* sui libri editione addidit.

[3] Ibid. c. 6 (ib. 958). [4] Ibid. c. 9 (ib. 962).

Petri, quae nostra est, *per ipsam* et ceteras dotes apud nos esse", i. e. per communionem, quam habebat Optatus cum S. Petro et cum Siricio huius successore, probat, apud se ceteras esse Ecclesiae dotes, et ita quidem, ut qui cum R. Pontifice non communicet, nullam secundum ipsum possit habere Ecclesiae dotem.

Ante Optatum S. Hilarius refert concilii Sardicensis epistulam, in qua legitur[1]: „Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad *caput,* i. e. Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes." Dicit igitur, relationes e *singulis quibusque* provinciis Ecclesiae fieri debere ad R. Pontificem, non propter excellentiam urbis Romae, vel ex lege aliqua ecclesiastica, sed quia ille sit *caput,* sive quia Petri primatis sedem teneat, i. e. in eius primatu successor sit.

Gregorius Naz. R. Pontificis primatum testatur[2], dum Romam veterem cum nova Roma (Constantinopoli) ita comparat: „Quod spectat ad illorum fidem, vetus quidem [Roma] iam dudum atque etiam nunc recte currit, occidentem totum devinciens salutari doctrina, quemadmodum par est, ut *quae universis praesidet* totam colat Dei concordiam. Nova autem [Roma] antea stabat rectis pedibus, nunc vero nequaquam ..." Loquitur Gregorius de potestate *religiosa,* qua Roma toti orbi praesidebat. Eius enim aetate imperii sede Constantinopolim translata, imperio Romano a pluribus Caesaribus administrato atque occidentis imperatoribus plerumque extra Romam versantibus *civili* potestate Roma toti orbi iam non praesidebat.

Ambrosius saepius de Romano primatu loquitur[3]. Cum inter Flavianum et Evagrium, uter legitimus Antiochiae episcopus esset, anno 391 synodus Capuana Flaviano non comparente iudicare non potuisset, rem Theophilo Alexandriae patriarchae cum Aegypti episcopis dirimendam tradiderat. Cui litem aegre ad optatum exitum perduci posse respondenti Ambrosius epistula missa animum addit ac in fine epistulae dicit[4]: „Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanae sacerdotem ecclesiae, quoniam praesumimus, ea te iudicaturum, quae etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiae, ita pacis et quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostrae dissensionem non afferat;

---

[1] Fragm. 2, n. 9 (ML X 639).

[2] Carm. l. 2, sect. 1, carm. 11: de vita sua v. 568—573 (MG XXXVII 1068):

Τούτων δὲ πίστις, ἡ μὲν ἦν ἐκ πλειόνος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἔστιν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡ δ' ἦν τὸ πρόσθεν ὀρθόπους, νῦν δ' οὐκέτι ...

[3] Cf. Balkenhol in Der Katholik 1888, I 130—140.

[4] Ep. 56, § 7 (ML XVI 1172).

ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, laeti fructum huiusmodi examinis adipiscamur." Sententia igitur synodica, a patriarcha Alexandrino pronuntianda, subicienda est ex Ambrosii sententia R. Pontifici et vim non habet, nisi eam ecclesia Romana haud dubie comprobaverit. — Satyrum autem fratrem suum, qui postquam e naufragio ereptus est, baptismo ablui quam maxime cupiebat, sic laudat Ambrosius[1]: „Non ita avidus fuit [recipiendi baptismi], ut esset incautus. . . . Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est, utrumnam cum episcopis catholicis, *hoc est,* cum Romana ecclesia conveniret? Et forte ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat: Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat." Itaque Satyro uti etiam laudanti Ambrosio idem erat convenire cum ecclesia Romana ac convenire cum Ecclesia catholica, atque uterque reiectos a communione sedis Romanae hoc ipso ab Ecclesia catholica expulsos iudicabat. Quod sane existimare non potuerunt, nisi Romanae sedi iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum *iure* competere putassent. Non enim dici potest, Satyrum tantum significasse, Romanam ecclesiam tunc temporis revera sive facto, minime vero iure catholicam fuisse[2]. Si enim ita Satyrus sensisset, cur prae omnibus aliis ecclesiis delegit Romanam, et quare non v. g. Mediolanensem, cui tunc praefuit frater suus Ambrosius? Et cur eo modo locutus esset, ut utrum cum catholicis episcopis, *hoc est,* cum Romana ecclesia convenirent, interrogaverit?

Marcellus Ancyrensis episcopus anno 342 ad Iulium R. Pontificem haec scripsit[3]: „Cum nonnulli ex iis qui, quod non recte crederent, antea condemnati sunt, quique a me in Nicaena synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte neque secundum Ecclesiae doctrinam sentire crimen suum in me nitentes transferre, propterea necessario (*ἀναγκαῖον*) mihi Romam veniendum et te commonendum putavi, quo eos, qui contra me scripserunt, accerseres." Tribuit ergo Marcellus Iulio *supremam* in Ecclesia alios iudicandi potestatem, ideoque primatum.

S. Hieronymus[4] dum tres episcopi Meletius, Vitalis, Paulinus inter se de episcopatu Antiocheno disceptant, ut cum quonam ex his communicandum sibi sit, cognoscat, sic versus annum 376—377 scribit ad Damasum R. Pontificem[5]: „Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A sacerdote victimae salutem,

[1] De excessu fratris sui Satyri 1, 47 (ML XVI 1306).
[2] Ita v. g. J. Langen, Gesch. der röm. Kirche I, Bonn 1881, 852.
[3] Coustant 390. Epiphanius, Haer. 72, n. 2 (MG XLII 383).
[4] J. Chapman in Dublin Review CXXII (1898) 42—74.
[5] Ep. 15, n. 2 (ML XXII 355).

a pastore praesidium ovis flagito. Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit." Et rursus ad eundem in eadem causa ait[1]: „In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. . . . Ego interim clamito: si quis cathedrae Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini . . ., ut qui apostolos honore sequeris, sequaris et merito; ita in solio cum duodecim iudicaturus sedeas,... ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes." Itaque Hieronymus iudicium R. Pontificis efflagitat ut omnino decretorium atque supremum, idque minime propter dotes aliquas Damasi proprias sive personales, nec propter dignitatem urbis Romae — hanc enim causam diserte et ferme contemptim respuit —, sed nominatim et unice, quia Damasus esset successor Petri eiusque cathedram teneret, cui ut centro unitatis et tamquam ipsi Christo omnes, qui Christi Ecclesiae socii esse velint, adhaerere debeant. Quibus sane luculentissime iurisdictionis primatum R. Pontificis testatur. Insuper ex eius verbis simul etiam patet, adeo ubique etiam in *ipso oriente* necessariam habitam esse istam cum R. Pontifice communionem, ut tres illi, quos in utraque epistula nominat et qui Antiochiae episcopi esse voluerunt, singuli affirmarent, se R. Pontifici adhaerere.

Obiciunt aliqui, haec Hieronymum scripsisse iuvenem, postea eum haec tacite retractasse; nam 1. post annum 385 incipere eum animum a Romana ecclesia abalienatum ostendere ac clerum Romanae urbis arrogantiae ac fastus incusare. 2. In epistula 146 ad Evangelum vero postponi ab eo iudicium Romanae ecclesiae totius orbis iudicio ac diserte affirmari, Romanum episcopum maioris meriti non esse ac episcopum Eugubii. At

1. aliud est plebem ac clerum ad Romanam ecclesiam pertinentes vituperare, aliud huius ecclesiae auctoritatem religiosam negare. Verum est, Hieronymum, ut generatim acerbe in vitia invehitur, ita etiam urbis Romae hominibus minime parcere[2]. Verum pariter est, aliquoties eum Romanum clerum invidiae ac superbiae incusare, v. g. si contendit, Romae clericos contra Origenem concilium habuisse, „quia gloriam eloquentiae eius et scientiae ferre non poterant", ac tecte se Origeni comparans adversarios suos „Epicuros et Aristippos" nominat[3]. At haec et his similia nihil aliud efficiunt, quam ut testimonium, quod constanter usque ad vitae exitum Hieronymus reddidit Romanae auctoritati ac fidei, eo maioris

[1] Ep. 16, n. 2 (ib. 359).
[2] Ep. 22, ad Eustoch. n. 28 32; ep. 45, ad Asellam (ib. 413 418 480).
[3] Ep. 33, ad Paulam n. 4 5 (ib. 447).

sit momenti. Certe animum ab ipsa ecclesia Romana aversum non prodit, cum a. 387 scribit: „Vultis scire, o Paula et Eustochium, quomodo apostolus [Paulus] unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit? Usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum. Romanae plebis laudatur fides (Rom 1, 8). Ubi alibi tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulcra concurritur? Ubi ad similitudinem coelestis tonitrui Amen reboat (Apc 19, 4 6) et vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem nisi hanc quam omnes Christi ecclesiae, sed quod devotio in iis maior sit et simplicitas ad credendum. Rursum facilitatis et superbiae arguuntur (Rom 16, 17; 2, 20 25)“ etc.[1] In Iovinianum, qui primus latinorum haeresim invenerat, ita a. 393 invehitur[2]: „Nullane fuit alia in toto orbe provincia, quae reciperet praeconium voluptatis, in quam coluber tortuosus irreperet, nisi quam Petri doctrina super petram fundaverat Christum?... Urbs potens, urbs orbis domina, urbs apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Graecos, aut sublimitatis iuxta Hebraeos. Serva quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi salvator in apocalypsi (c. 17 18) comminatus est, potes effugere per poenitentiam.“ Ad Theophilum Alexandriae patriarcham a. 397: „Scito, ait, nobis nihil esse antiquius quam Christi iura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem, apostolico ore laudatam, *cuius se esse participem Alexandrina ecclesia gloriatur.*“[3] Anno circiter 400 sic scribit[4]: „Quisquis es assertor novorum dogmatum, quaeso te, ut parcas Romanis auribus: parcas fidei, quae apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt?... Illam senex tenebo fidem, in qua puer renatus sum.“ Romae autem Hieronymus baptismo erat renatus, Romanam igitur fidem tenet, quam catholicam fidem esse clare in apologia contra Rufinum a. 401 edicit. Allatis enim Rufini verbis: „Nihil in illis [quae Hieronymus ex Origene in latinam linguam vertit], quod a fide nostra discrepet, latinus lector inveniet“, statim sic pergit[5]: „Fidem ‚suam‘ quam vocat? Eamne, qua Romana pollet ecclesia, an illam, quae in Origenis voluminibus continetur? *Si ‚Romanam‘ responderit, ergo catholici sumus,* qui nihil de Origenis errore transtulimus.“ Iterum contra Rufinum[6]: „Miror, inquit, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempsit, episcopi susceperint, quod sedes apostolica condemnavit.“ Rursus „Romanae fidei purissimum fontem“, „fidem apostolico ore laudatam“ Rufinum conatum esse turbare scribit a. 412[7], ac duobus annis post Demetriadem virginem sic admonet[8]: „Dum esses parvula, et sanctae ac beatae memoriae Anastasius episcopus Romanam regeret ecclesiam, de orientis partibus haereticorum saeva tempestas simplicitatem fidei, quae apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimae paupertatis et apostolicae sollicitudinis

[1] In Gal. l. 2 (ML XXVI 355).
[2] Adv. Iovinianum l. 2, n. 37 38 (ML XXIII 335 337).
[3] Ep. 63, ad Theophilum n. 2 (ML XXII 607).
[4] Ep. 84, ad Pammachium et Oceanum n. 8 (ib. 750).
[5] Adv. libr. Rufini l. 1, n. 4 (ML XXIII 400).
[6] Ibid. l. 3, n. 15 (ib. 468).
[7] Ep. 127, ad Principiam n. 9 (ML XXII 1092sq).
[8] Ep. 130, ad Demetriadem n. 16 (ib. 1120).

statim noxium perculit caput, et sibilantia hydrae ora compescuit. Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere et pullulare venenata plantaria, illud te pio caritatis affectu praemonendam puto, *ut sancti Innocentii, qui apostolicae cathedrae et supradicti viri successor et filius est, teneas fidem*, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias."

2. Quod deinde attinet ad epistulam Evangelo (al. Euagrio) inscriptam, inprimis dicendum est, si obscuriora ibi inveniantur, non everti, quae alibi Hieronymus clare pronuntiet. Deinde certum est, agi in ea epistula non de rebus dogmaticis ac de auctoritate R. Pontificis in iis definiendis, sed de rebus disciplinae. Audiverat scil. Hieronymus anonymum quendam „in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris ... anteferret", et hunc errorem suum, id quod ex ipsa epistula ad Evangelum elucet, defendere consuetudine urbis Romae, in qua, quia diaconi immediate semper adhaerebant R. Pontificis lateri atque ex diaconis R. Pontifex saepissime creabatur, maximo in honore erant [1].

Hunc ut refutet Hieronymus: „Nec altera, inquit [2], Romanae urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliae et Britanniae et Africa et Persis et Oriens et India et omnes barbarae nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe." Quorum verborum si finem et scopum consideras, facile patet, nihil aliud iis efferri quam particulares consuetudines urbis Romae in rebus eius generis, de quo quaerebatur inter ipsum et anonymum, legem non imponere toti orbi, id quod verum est. — Immediate post allata verba Hieronymus pergit: „Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae sive Eugubii, sive Constantinopoli sive Rhegii, sive Alexandriae sive Tanis eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Ceterum omnes apostolorum successores sunt." Quibus verbis Hieronymus contendit, omnes episcopos atque ipsum etiam episcopum Romanum inter se pares esse quoad episcopalem *ordinationem* et in quantum sunt episcopi, nullo vero modo affirmat, omnes inter se pares esse quoad iurisdictionem, ita ut episcopus Romanus nullam habeat potestatem in ceteros episcopos. Nam a) non loquitur nisi de paritate „meriti" et „sacerdotii", quae verba maiorem iurisdictionem non excludunt; b) non potuit negare Hieronymus, episcopum Alexandriae habere maiorem iurisdictionem quam episcopum Taneos, nam iura patriarcharum in episcopos sibi subiectos ipsius tempore ab omnibus agnoscebantur. c) Alibi vitio vertit Ioanni Hierosolymitano episcopo, quod spreverit iura sui metropo-

[1] Similiter alius saeculi V scriptor: „Quidam, inquit, qui nomen habet Falcidii, duce stultitia et civitatis Romanae iactantia levitas sacerdotibus et diaconos presbyteris coaequare contendit" (Quaestiones ex utroque mixtim 101, inter opera S. Augustini: ML XXXV 2301). Cf. ipsum Hieronymum in Ezech. l. 14, in c. 48, v. 17 (ML XXV 484), ubi sic exagitat „superbiam ministrorum, qui ignorantes humilitatem status sui ultra sacerdotes, hoc est presbyteros intumescunt, et dignitatem non merito, sed divitiis existimant. Certe qui primus fuerit ministrorum, quia per singula concionatur in populos et a Pontificis latere non recedit, iniuriam putat, si presbyter ordinetur". — De nomine Falcidii cf. Revue Bénédictine XIV, Maredsous 1897, 97.

[2] ML XXII 1194.

litae, ad Alexandrinum patriarcham causam suam deferendo. „Tu qui regulas quaeris ecclesiasticas et Nicaeni concilii canonibus uteris, et alienos clericos et cum suis episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, ad Alexandrinum episcopum Palaestina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palaestinae metropolis Caesarea sit, et totius orientis Antiochia.“ [1] d) In eadem epistula Hieronymus dicit: „Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?“ Quae verba ostendunt, de sola *ordinis* potestate eum agere. Nam potestate *iurisdictionis* utique multo plura facit episcopus quam presbyter.

Non magis Hieronymi testimonio de R. Pontificis primatu obest, quod in eadem epistula reprehendit [2] diaconos Romanos, qui solebant sedere inter presbyteros vel etiam se iis praeponebant. Dicendum enim est, „Hieronymum eo loco reprehendere malam quandam consuetudinem, quae Romae erat, non in tota ecclesia Romana vel in Summo Pontifice, sed in diaconis tantum Romanis. Quoniam enim diaconi pauci erant et curam habebant thesauri ecclesiastici, paulatim incipiebant se praeponere presbyteris et inter eos sedere, cum antiqua consuetudo sit, ut presbyteris cum episcopo sedentibus diaconi stent, non sedeant. De his ergo dicit: ‚Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem [diaconorum] de qua ortum est supercilium?‘“ R. Pontificem autem non probasse illam consuetudinem, Hieronymus ipse videtur indicare dum dicit, solum absente episcopo ausos esse diaconos inter presbyteros sedere. Sed etiamsi Hieronymus eam consuetudinem reprehendendo voluisset, id quod tamen non necessario sequitur, ipsum episcopum reprehendere, nihil nobis officeret. Nam „abolitio illius consuetudinis ad R. Pontificem pertinebat, non ut [ad] caput totius Ecclesiae, sed ut [ad] episcopum dioecesis Romanae: non ergo reprehensus est nisi ut episcopus huius dioecesis. Insuper num qui indirecte tantum et implicite reprehendit aliquem ob consuetudinem pravam ab eo toleratam, a paucis inductam, in materia eiusmodi de ordine sedendi, et id in epistula familiari ad alium data, eo ipso significat..., illum hac vel illa auctoritate non potiri?“ [3]

Saeculo quinto S. Augustinus [4] Romanae ecclesiae primatum multoties testatur. Scribit enim [5]: „Erat Carthago civitas ampla et illustris . . . , unde non mediocris utique auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et *Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus,* et ceteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum.“ Romana igitur ecclesia ex Augustini sententia semper habet apostolicae, scil. Petri cathedrae principatum, i. e. Petri primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam. Quod tunc potuisse etiam de ecclesiis Antiochiae, Hierosolymis, Alexandriae constitutis dici frustra obicitur, cum nec Augustinus nec alii Patres de illis ecclesiis eadem illa ratione locuti sint.

---

[1] Liber c. Ioannem Hierosolymitanum n. 37 (ML XXIII 389).

[2] Bellarm., De Rom. Pontif. l. 2, c. 16. [3] Murray III 669.

[4] Cf. Th. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin, Paderborn 1892, 154—186.

[5] Ep. 43, c. 3, n. 7 (ML XXXIII 163).

Ceterum Augustinus non hoc uno loco R. Pontifici iurisdictionis primatum vindicat. Cyprianum ratione martyrii cum Petro comparans, de Petri cathedra dicit[1]: „Quis nescit, illum apostolatus *principatum cuilibet* episcopatui praeferendum? Sed et si distat cathedrarum gratia, una tamen est martyrum gloria." Non autem cathedrae Romanae principatus cuilibet episcopatui, cui vera iurisdictio in certam fidelium multitudinem competit, praeferendus esset, si esset principatus honoris tantum, non potestatis. Clarius etiam Augustinus idem ita affirmat[2]: „Dubitabimus nos eius ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum . . . *culmen auctoritatis* obtinuit. *Cui* nolle *primas* dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae." Contra donatistas autem psalmum a plebe catholica cantandum scribens ait[3]: „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: et in ordine illo patrum quis cui successit videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae." Quibus verbis Augustinus ad ostendendum, ubi sit vera fides et Ecclesia Christi, affert successionem R. Pontificum in Petri sede; ascribit ergo his eundem primatum, quem Petrus habuit, scil. iurisdictionis in universam Ecclesiam.

Neque cum Langen[4] obici potest, nomen sedis hoc loco significare sessionem. Ait quidem Augustinus paulo antea[5] de Donato: „Ausus est et appellare et post collegarum sedem audire ab imperatore"; sed de sessione nomen sedis hic adhiberi, ex ipsa re subiecta manifestissimum est, in nostro autem versu contrarium tam evidenti ratione obtinet, ut ridiculum esset, id non agnoscere. A quanam enim *sessione* Petri sacerdotes illi, sive R. Pontifices numerandi essent, et videndum „quis cui successerit?" Ubi illa sessio locum habuit? Adde, nomen vi sua per se neutiquam sessionem significare, et insuper post illud: „Ausus est" etc. sequi continuo: „Superbia vos ligavit in *cathedra* pestilentiae", et paulo ante[6] Augustinum haec scripsisse: „Invenerunt Caecilianum iam ordinatum in sua *sede*", ubi manifeste nec cathedrae nec sedis nomen de sessione intelligitur.

In eandem sententiam contra presbyterum donatistam Augustinus scripsit[7]: „Si ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens" etc. Et rursus ait[8]: „In illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc *eandem cathedram* sedet" etc.[9]

---

[1] De bapt. c. Donat. 2, 1, 2 (ML XLIII 127).
[2] De utilit. cred. c. 17, n. 35 (ML XLII 91).
[3] Ps. c. part. Donati, sub lit. S (ML XLIII 30).
[4] Theol. Literaturblatt 1873, 366. In libro suo Gesch. der röm. Kirche I 868 haec repetere Langen ausus non est.
[5] L. c. sub lit. H (ML XLIII 27). [6] L. c. sub lit. D (ib. 26).
[7] Ep. 53, c. 1, n. 2 (ML XXXIII 196). [8] Ibid. n. 3 (ib. 197).
[9] Recitatur ab aliquibus tamquam S. Augustini sententia etiam haec: „Non crederis veram fidem tenere catholicae, qui fidem non doces esse servandam Ro-

Anno circiter 434 R. Pontificis primatum clarissime testatus est etiam Vincentius Lirinensis scribens[1]: „Cum ergo undique ad novitatem rei [erroris rebaptizantium] cuncti reclamarent, atque omnes quaqua versum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatae memoriae papa Stephanus, *apostolicae sedis antistes,* cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si *reliquos omnes* tantum fidei devotione vinceret, quantum *loci auctoritate superabat.*“ De concilio vero Ephesino Vincentius ait[2]: „Lectae ibidem quaedam ad quosdam epistulae S. Felicis martyris et sancti Iulii, urbis Romae episcoporum. Et ut non solum *caput orbis,* verum etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus, a septentrione sanctus Ambrosius“ etc.

Pariter S. Prosper eandem persuasionem expressit his versibus[3]: „Sedes Roma Petri, quae *pastoralis honoris Facta caput mundo,* quidquid non possidet armis, Relligione tenet.“

In opere vero de vocatione gentium idem de Roma ait[4]: „Quae per *apostolici* sacerdotii *principatum* amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis“ (civilis). Quod sane verum non esset, si Pontifex Romanus non totius Ecclesiae primas esset.

Et medio ferme eodem saeculo V S. Petrus Chrysologus ad Eutychen Constantinopolim scripsit[5]: „In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa Romanae civitatis scripta sunt, *oboedienter* attendas, quoniam *beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet,* praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae civitatis episcopi, causas fidei audire non possumus.“

Theodoretus, Cyri episcopus, ad Pauli verba: „Salutant vos omnes ecclesiae Christi“ (Rom 16, 16) haec annotat: „Totius quasi terrarum orbis nomine eam salutavit, quae universo terrarum orbi praesidebet (*ἀπὸ πάσης ὡς εἰπεῖν τῆς οἰκουμένης προσεῖπε τὴν τῆς οἰκουμένης προκαθημένην*).“[6] Quod quomodo intellexerit, explicat, dum ad Renatum Romanae ecclesiae presbyterum scripsit[7]: „Habet enim

---

manam.“ Quae sententia legitur in sermone 120 inter eos, quos Card. Aug. Mai edidit et S. Augustino attribuit (Nova Patrum Bibliotheca I 273). Auctor vero huius sermonis est ignotus aliquis episcopus Africanus saeculi quinti (cf. Revue Bénédictine XIII, Maredsous 1896, 341).

[1] Commonit. 1, c. 6 (ML L 645 sqq; ubi tamen pro „reniterentur“ per errorem legitur „retinerentur“).

[2] Ibid. 2, c. 30 (ib. 681).

[3] Lib. de ingrat. v. 40—43 (ML LI 97).

[4] L. 2, c. 16 (ib. 704).

[5] Inter ep. Leonis M. ep. 25, c. 2 (ML LIV 743).

[6] Interpretatio in ep. ad Rom. (MG LXXXII 221).

[7] Ep. 116 (MG LXXXIII 1324): *Ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν τὴν ἡγεμονίαν διὰ πολλά.* — In homilia quaedam inter homilias S. Cyrilli Alex. (hom. 11 ex hom. div.: MG LXXVII 1039) nominatur R. Pontifex Coelestinus „archiepiscopus totius orbis“: *ἀρχιεπίσκοπος πάσης τῆς οἰ-*

sanctissima illa sedes [Romana] ecclesiarum, quae *in toto sunt orbe, principatum* multis nominibus."

Romani Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam professus quoque est Leontius Arelatensis episcopus in literis ad S. Hilarum datis. Scribit enim[1]: „Cum ecclesia Romana sit *omnium mater,* fuit nobis gaudendum, quod ... super eam te [Dominus] erexerit, ut *iudices populos in aequitate et gentes in terra dirigas*" (Ps 66, 5). Certe si Romanae ecclesiae primatum Leontius non agnovisset, nec potuisset eam omnium matrem dicere, nec ei potestatem iudicandi populos et gentes dirigendi attribuere, cum manifeste utrumque absolute de omnibus, non tantum de occidentis christianis dixerit.

Saeculo sexto fidei formulae a R. Pontifice Hormisda orientalibus cui subscriberent missae, in qua, ut prius diximus, Pontifex ille sibi primatum iurisdictionis vindicavit, teste Rustico[2] circiter 2500 episcopi subscripserunt, itaque R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam palam agnoverunt et professi sunt.

Item S. Fulgentius episcopus Ruspensis in Africa († 533) cum aliis 15 episcopis Africanis circa initium huius saeculi scripsit[3]: „Quod duorum magnorum luminarium, Petri scil. Paulique, verbis tamquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus *Romana, quae mundi cacumen est,* tenet et docet ecclesia" etc.

Et versus finem anni 516 S. Avitus, Viennensis episcopus, ad R. Pontificem Hormisdam haec scripsit[4]: „Dum religionis statui et plenis catholicae fidei regulis perspicitis convenire, ut *gregem per tota vobis universalis Ecclesiae membra commissum* pervigil cura vestrae adhortationis informet" etc.

Atque ad eundem Pontificem Hormisdam archimandritae et ceteri monachi *secundae Syriae* a. 517, ipsum appellantes in epistulae inscriptione *„universalis orbis terrae patriarcham",* haec scripserunt[5]: „Gratia Salvatoris omnium nostrum Christi immisit nobis, ad vestram beatitudinem refugere, velut de hieme et tempestate ad portum tranquillitatis. ... Quoniam vero Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum animarum constituit, nos vestro sancto Angelo [secundum Apc 2, 1 sqq] dignum est passiones, quae nobis contigerunt, exponere, et immisericordes ostendere lupos, qui dissipant gregem Christi: ut *auctoritatis baculo* eos expellat de medio ovium,

---

χουμένης. At homilia illa non est S. Cyrilli, sed posteriore tempore orta amplificatio quaedam homiliae Cyrillianae quartae (MG LXXVII 991 sqq). Cf. O. Bardenhewer, Patrol.[2], Freiburg 1901, 321.

[1] Ep. 5 inter ep. Rom. Pontif. Hilari (Thiel 138).

[2] Disput. contra Acephal. (ML LXVII 1251).

[3] Ep. 17, c. 11, n. 21 (ML LXV 465).

[4] Ep. 21 inter ep. Hormisdae (Thiel 781; Guenther 558). Cf. Ep. 34 (Mon. Germ. Auct. ant. VI 2, 64; ML LIX 248).

[5] Ep. 39, n. 1 4 (Thiel. 814 sq; Guenther 565).

verbo autem doctrinae animam sanet et orationis medicamentis mitiget. . . . Deprecamur ergo, beatissimi, supplicantes et rogantes, ut exsurgatis cum fervore et zelo, et condoleatis iuste pro corpore laniato, nam *caput estis omnium,* et vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, patres blasphematos. . . . Vobis a Deo data est potestas et auctoritas ligare et solvere. . . . Imitatores estote Domini Christi, qui de coelis super terram advenit, quaerere errantem ovem: Petrum illum principem apostolorum, *cuius sedem ornatis.*"

Atque ad eundem R. Pontificem Hormisdam etiam imperator Iustinus anno 520 scribens haec dixit[1]: „Omni intentione ordinavimus, ut venerabilis ecclesia Constantinopolitana, necnon complures aliae *vota suscipiant vestra* . . . in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quae removenda *maxime postulastis.* Verum nonnullae fuerunt urbes et ecclesiae . . ., quarum clerici vel populi . . . nequaquam flexi sunt, ut tollant antistitum et repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit. . . . Quid igitur faciamus huiusmodi pertinaciae? . . . *Veniam itaque nominum postulamus.*" Cuius facultatis servandorum in diptychis nominum, quae Hormisdas expungi iusserat, petitione Iustinus eiusdem primatum iurisdictionis manifeste agnovit.

Item Iustinianus imperator R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam diserte professus est. Qui antequam imperator erat, ad Hormisdam, petens ut pro ecclesiarum concordia laboraret et ad ea, quae per legatos nuntiaverat, responderet, haec scripsit[2]: „Sanctitas vestra, quae sibi commissa sunt, efficaciae tradi deproperet, ut intelligant cuncti recte, *vos apostolicae sedis esse primatum sortitos.*" In alia vero epistula[3]: „Ostendat tuus apostolatus, quod Petro successit apostolo; quoniam Dominus a vobis utpote summis pastoribus exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia." Cum autem Iustinianus esset imperator, in epistula ad R. Pontificem Ioannem II (533—535) data haec: „Omnia, inquit[4], quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrae sanctitatis. . . . Nec enim patimur quidquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati, quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum." In hac nimirum epistula rogat Iustinianus, ut Ioannes rescribat, utrum recte dicatur, Iesum Christum esse unum de Trinitate, prout tenent, inquit, omnes „sequentes sanctitatem vestram, et custodientes statum et *unitatem* sanctarum Dei ecclesiarum, quam habent ad apostolicam vestrae sanctitatis sedem". Quibus paulo post Iustinianus addit: „Manifestum nobis faciatis, quod

---

[1] Ep. 129 inter ep. Hormisdae n. 1—3 (Thiel 941 sq; Guenther 701).
[2] Ep. 127 (Thiel 939 sq; Guenther 659).
[3] Ep. 132 (Thiel 955; Guenther 716).
[4] Harduin II 1146 sq; Guenther 322 sq.

omnes, qui praedicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, et eorum, qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita et circa vos omnium amor et vestrae sedis crescit auctoritas, et quae *ad vos est unitas sanctarum ecclesiarum* inturbata servabitur." Persuasum igitur Iustiniano fuit, unitatem Ecclesiae a consensione cum R. Pontifice, utpote *omnium* particularium *ecclesiarum* supremo *capite* totam pendere. Et in professione fidei, quam idem imperator misit R. Pontifici Agapeto I (535—536), haec habentur[1]: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: tu es Petrus etc. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes et Patrum sequentes in omnibus constituta . . . omnem haereticum anathematizamus. . . . Quapropter . . . sequentes in omnibus sedem apostolicam, quae ab ea statuta sunt praedicamus, et profitemur ista inconcusse servari et compellere, ut iuxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi quidem patriarchae ad vestram faciant sanctitatem, metropolitani vero patriarchis et alii ut suis faciant metropolitanis" etc.

Neque opponere licet, Iustinianum multa edidisse decreta de fide et de rebus ecclesiasticis, ideoque non agnovisse R. Pontificis primatum universalem iurisdictionis. Decretum certe, quod antea de fide tulerat, edidit *cum consensu episcoporum ac sedis Romanae,* ergo non ex sua propria, sed ex ecclesiastica potestate, quemadmodum ipse Ioannes II in epistula, quam Iustiniano rescripsit, diserte testatur[2]: „Fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei, pro submovenda haereticorum intentione, secundum apostolicam doctrinam, *fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu:* quod quia apostolicae doctrinae convenit, nostra auctoritate confirmamus." Quod vero postea Iustinianus plus aequo rebus ecclesiasticis sese immiscuit, nihil demonstrat nisi eum non semper ita egisse, sicuti agendum erat.

Orientis populos, postquam in haereses lapsi sunt, oboedientiam R. Pontificis detrectasse et ita re et facto practice eius primatum non agnovisse evidens est. Nihilominus in eorum libris iuridicis vestigia quaedam insunt, quibus theoretice superioritatem R. Pontificis supra omnes patriarchas reliquos profitentur. Quae canonum collectiones cum post separationem ab occidentis ecclesia perfectam ortum videntur habuisse, ea primatus Romani agnitio explicationem non habet, nisi concedas, iam ab initio orientalibus christianis adeo firmiter de R. Pontificis superioritate persuasum fuisse, ut etiam post separationem factam plene deleri ea persuasio non potuerit.

Orientalium autem populorum quae sit de Romano primatu sententia, praecipue ostendi potest ex canonibus illis, qui communiter

---

[1] Guenther 338 sq. Est celebris formula Hormisdae.

[2] Guenther 321.

vocantur „canones concilii Nicaeni arabici“ [1]. Qui licet iniuria ab orientalibus Nicaeno concilio ascribantur, magnae tamen apud eos auctoritatis sunt, quapropter quominus ex iis argumentemur nihil prohibet.

Exstant autem illi canones lingua syriaca, arabica, aethiopica, atque agnoscebantur a Syris nestorianis in Persia, a Coptis in Aegypto, ab Abessynis, in quorum codice iúris, qui dicitur Fetha nagast, saltem multi horum canonum inveniuntur. Duplex autem horum canonum forma vel recensio videtur exstare. Altera, quam novissime detexit O. Braun, est syriaca nestorianorum, quae complectitur 73 canones, et invenitur in historia concilii Nicaeni a Marutha episcopo urbis Maipherkat conscripta; ex hac autem recensione epitomen lingua arabica confecit Abu'l-Faradsch ibn at-Tayyib († 1043). Multi horum canonum inveniuntur etiam in Nomocanone Ebedjesu (Abdisho) Sobensis [2]. Altera recensio vocari potest aegyptiaca. Haec duplici forma exstat; alteram complectentem 80 canones edidit F. Turrianus [3], alteram constantem 84 canonibus Abraham Ecchellensis [4]; utraque arabica lingua est conscripta et ex syriaca recensione videtur fluxisse. Aethiopica recensio Abessyniorum [5] ex aegyptiaca recensione ortum ducit.

Pro Romano igitur primatu ex his canonibus facit ille, qui numero est apud Marutham 8, apud Turrianum 39, apud Ecchellensem 44, apud Ebedjesum IX, 5, in Fetha nagast IV (44), et sic se habet:

„Quod patriarcha potestatem habet de omnibus rebus. Voluntas est synodi oecumenicae, ut ratione omnium earum rerum, quae non sunt peractae modo legitimo a metropolita aliquo vel episcopo alio, patriarcha ea potestate potiatur, ut de iis sua auctoritate decernat. Nam supra universos positus est et omnes episcopi filii hereditatis eius sunt. Honor metropolitae est sicut fratris maioris natu, qui iubet inter fratres, honor vero patriarchae sicut patris, qui potestatem habet in filios. Et sicut patriarcha potestatem habet, omnia quaecumque vult, faciendi modo legitimo in omnibus, quae sunt sub eius potestate, ita ille qui est Romae, potestatem habeat supra omnes patriarchas sicuti beatus Petrus supra totam communitatem. Nam et Petri locum tenet in tota ecclesia Romae. Haec qui transgreditur, synodus eum anathematizat. [6]

Ultima verba valde varia sunt in variis recensionibus. At-Tayyib vertit: „Ille locum Petri habet in ecclesia Romana.“ Recensio aegyptiaca ex codice Vaticano Macarii (cod. arab. vat. 149) teste O. Braun ita vertenda est: „...ita

---

[1] De his cf. O. Braun, De sancta Nicaena synodo. Syrische Texte des Marutha von Maipherkat: Kirchengeschichtl. Studien IV 3, Münster 1898, 18—25; H. Denzinger in Tüb. Theol. Quartalschr. XXXII (1850) 366 sqq; W. Riedel, Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien, Leipzig 1900, 187.

[2] Ex versione Aloysii Assemani eos edidit A. Mai, Scriptorum veterum nova collectio X 1, Romae 1838, 23 sqq.

[3] Harduin I 952 sqq; Mansi II 947 sqq.

[4] Harduin I 477 sqq; Mansi II 982 sqq.

[5] Cf. Seb. Euringer in Theol. Quartalschr., Tübingen 1910, 339 sqq.

[6] Braun l. c. 68.

Dominus Romae potestatem habeat supra reliquos patriarchas. Nam primus est sicuti Petrus, cum potestatem habeat supra omnia capita christianitatis et universitatem populi eorum. Nam vicarius [chalifah] Christi Domini nostri est supra populum eius et omnes eius ecclesias." Fetha nagast vertit[1]: „Cum sit natu maximus sicuti Petrus, qui potestatem habebat supra omnes natu maximos christianorum [vel apostolorum, ut alii codices habent] et universitatem hominum [vel discipulorum ex aliorum codicum lectione], cum sit loco Christi Domini nostri supra populum et ecclesias eius." Ecchellensis vertit[2]: „Et quemadmodum patriarcha potestatem habet super subditos suos, ita quoque potestatem habet Romanus Pontifex super universos patriarchas, quemadmodum habebat Petrus super universos christianitatis principes et concilia ipsorum: quoniam Christi vicarius est super redemptionem, ecclesias et curatos populos eius. Quicumque autem" etc.

Praeterea ex arabicis Nicaeni canonibus huc pertinet ille, qui apud Marutham est numero 2, apud Ecchellensem 37, apud Ebedjesu IX, 1, in Fetha nagast invenitur eodem cap. IV[3]. Qui canon apud Marutham his verbis concipitur:

„Voluntas est in synodo oecumenica, ut quatuor [tantum] patriarchae sint in toto mundo ad instar quatuor evangelistarum, quatuor, [fluminum paradisi], quatuor orbis partium, quemadmodum et sapientes dicunt, quatuor esse elementa, quae sint parentes mundi. Caput sit ille qui est Romae, sicuti iusserunt apostoli, qui decreverunt illud in canonibus suis."

Reliquae recensiones quoad sensum non differunt. Sic v. g. habet Ecchellensis: „Et sint patriarchae in universo mundo quatuor tantum, quemadmodum sunt scriptores evangelii quatuor, et flumina quatuor, et elementa mundi quatuor, et anguli quatuor, et venti quatuor, et compositio hominis quatuor, quoniam hisce quatuor universus constituitur orbis. Et sit princeps ac praepositus ipsis dominus sedis divi Petri Romae, sicut praeceperunt apostoli. Post illum vero dominus magnae Alexandriae" etc.

A pluribus canonistis nestorianis hic canon recitatur. Sic Elias metropolita Damascenus ordinatus a. Chr. 893, ut ait Khayyath[4], „in suo Nomocanone arabico, in canone 2 inter eos, quos post 29 Nicaenos recenset, quosque ait esse regulam inviolabilem, quam superiores et rectores observant tum orientales tum occidentales, in eo inquam canone sic habet: ‚Praeceperunt (Patres) et dixerunt: sint patriarchae in toto orbe quatuor, non amplius, sicut quatuor evangelistae . . ., et sit superior ille, cui Roma est, quemadmodum mandaverunt apostoli. . . .'"

Copti quid sentiant de Romano primatu, ex parte iam vidimus. Sicut enim ex eorum sententia supra Petrum extollere nemo se debet, ita neque contra eius thronum insurgere vel irreverenter eum habere,

[1] Cf. Euringer l. c. 386. [2] Mansi II 995.

[3] Cf. Braun l. c. 63; Mansi II 992 (cf. Khayyath 50); Euringer l. c. 378 sqq. — In recensione arabicorum canonum, quam sequitur Turrianus, deest hic canon.

[4] Syri orientales 44.

si Dei amicitiam amet, audere potest (supra p. 173). Petri autem thronus quin Romae exstet, in dubium non vocant (supra p. 592 sq). Quae porro in Aegypti metropoli Alexandria a Coptorum summo archiepiscopo discerni et definiri non valeant, ea Romam, ubi Petri oculus numquam clauditur, esse referenda fatentur (supra p. 593). In synaxario autem Coptico[1] R. Pontificem patriarchas Alexandrinum et Constantinopolitanum loco motos restituisse ita narratur, ut iure ac legitime id factum esse supponatur. Die enim 5 mensis Babeh, postquam Paulum Constantinopolitanum cum Athanasio Alexandrino patriarcha ab imperatore Constantio ariano sede sua pulsum esse narratum est, sic pergitur[2]: „Qui ambo una Romam ad Iulium papam venerunt, qui optime eos suscepit epistulamque ad imperatorem conscripsit, in qua virtutes eorum et fidem describebat, eique *imperavit*, ut eos in sedes suas restitueret. Qui cum Constantinopolim venissent epistulamque imperator recepisset, ex reverentia papae eos restituit." Similiter 21 die mensis Amschir de Petro II Alexandrino patriarcha ab arianis multa passo[3]: „In carcerem eum detruserant; deinde evasit Romam et in qua conditione esset apud episcopum qui ibi erat Eunomium [sic!] conquestus est. Qui pro eo operam suam interposuit eumque in locum suum reduxit."

Armeni in rituali suo in formula consecrandi episcopi haec habent[4]: „Interrogat patriarcha oblatum ad episcopatum: ‚Visne tu beato Petro, cui potestas a Deo tributa fuit ligandi et solvendi, necnon sancto Illuminatori nostro Gregorio eorumque successoribus pro tempore sedentibus oboedientiam et fidelitatem praestare?' Respondet oblatus: ‚Volo.'" Post consecrationem autem patriarcha novum episcopum ita admonet[5]: „Frater dilecte, cum ad ordines promoveris alios, fac ut iuxta canonum decreta et tempore ab iis definito ordinationem perficias, prout rectae constitutiones ecclesiae Romanae definiunt." Praeterea in Armenorum nomocanone praeter canonem supra p. 690 positum leguntur etiam canones Sardicensis concilii de primatu R. Pontificis[6].

---

[1] Ed. Wüstenfeld (cf. supra p. 592).

[2] Wüstenfeld 57: „. . . welcher [Iulius papa] sie aufs beste aufnahm und ihnen einen Brief an den Kaiser schrieb, worin er ihm eine Beschreibung von ihren Tugenden und ihrem Glauben machte und ihm befahl, sie wieder einzusetzen. . . ."

[3] Ibid. 311: „. . . dann entkam er nach Rom und klagte seine Lage dem dortigen Papste Eunomius, welcher zu seinen Gunsten einschritt und ihn in seine Stelle wieder zurückbrachte."

[4] Azarian 35 et H. Denzinger, Ritus orientalium, Coptorum, Syrorum et Armenorum in administrandis sacramentis II, Wirceburgi 1864, 359.

[5] Azarian 35.

[6] Ibid. 43. — Cf. Goussen in Theol. Revue III, Münster 1904, 261 qui annotat, „daß die armenische Kirche wie alle altorientalischen Kirchen diese [sardicens.] Kanones seit alter Zeit besitzt und anerkennt. . . . Zuerst hat der Orient, wie auch Rom, diese Kanones als Appendix bzw. Fortsetzung der nicänischen be-

Ex posterioribus saeculis ut allatis testimoniis pauca quaedam annectamus, apud Graecos saeculo VIII Tarasius patriarcha Constantinopolitanus Hadriano R. Pontifici scripsit[1]: „Petro divino apostolo, *cuius cathedram sortita est fraterna sanctitas vestra*.... Igitur fraterna et *summo sacerdotio* decorata sanctitas vestra iure ac secundum Dei voluntatem sacrum *hierarchicum gubernans ordinem*, opinatissimam habet gloriam."

Initio autem saeculi IX, scil. circa a. 817 alius patriarcha Constantinopolitanus, S. Nicephorus, de synodo oecumenica Nicaena II (a. 787) dixit[2]: „Celebrata fuit aequissime et in primis *legitime: nam* secundum *edita antiquitus divina decreta praeeminebat in ea praesidebatque* ex occidentali fastigio, i. e. ex vetere Roma, pars non modica: sine quibus [Romanis] *ullum dogma*, quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetudine fuerit antea ratum, numquam tamen *probatum habebitur, neque in praxim* deducetur: quia illi *sacerdotii principatum* sortiti sunt, eamque dignitatem a duobus coryphaeis apostolis traditam habent." Dicit igitur Nicephorus idem, quod, ut retulimus, Gelasius I Pontifex Romanus affirmavit; concilii etiam ceteroquin oecumenici decreta et definitiones fidei nullam vim habere et in Ecclesia rata haberi non posse, nisi R. Pontificis consensu sint approbata; huiusque rei rationem reddit primatum Petri R. Pontificibus traditum.

Eodem saeculo IX S. Ignatius, patriarcha Constantinopolitanus, postquam sub Basilio imperatore sedem suam recuperavit, epistulam Romam ad Nicolaum I misit, in qua tota R. Pontificis primatum agnoscit et defendit. Initium eius hoc est[3]: „Eorum vulnerum atque livorum, qui in membris hominis consistunt, multos medicos protulit ars; hanc quidem passionem alio accipiente, et alteram altero.... Eorum vero, quae in membris sunt Christi et Dei Salvatoris, omnium nostrum capitis, et sponsae catholicae et apostolicae Ecclesiae *unum* et *singularem* praecellentem atque catholicissimum medicum ipse princeps

handelt und verbreitet, so insbesondere die Nestorianer, während die andern Morgenländer, Jakobiten, Armenier, Kopten usw. daneben schon frühe die bei Griechen und Lateinern heute gebräuchliche und bekannte Sonderrezension angenommen haben."

[1] Ep. 3 (MG XCVIII 1441 sq): *Πέτρου τοῦ θείου ἀποστόλου, οὗ καὶ τὴν καθέδραν ἐκληρώσατο ἡ ἀδελφικὴ ὑμῶν ἁγιότης.... Ἡ οὖν ἀδελφικὴ ὑμῶν ἀρχιεροπρεπὴς ἁγιωσύνη ἐνθέσμως καὶ κατὰ θεοῦ βούλησιν πρυτανεύουσα τὴν ἱεραρχικὴν ἁγιστείαν διαβόητον ἔχει τὴν δόξαν.*

[2] Apologet. pro sacr. imag. c. 25 (MG C 597): *Συγκεκρότητο τοῦτο μάλιστα ἐνδίκως καὶ ἐννομώτατα· ἐπείπερ ἦδη, κατὰ τοὺς ἀρχῆθεν τετυπωμένους θείους θεσμοὺς προῆγε κατ' αὐτὴν καὶ προήδρευεν, ὅσον τε τῆς ἑσπερίας λήξεως, ἤτοι τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης, μέρος οὐκ ἄσημον· ὧν ἄνευ δόγμα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν κινούμενον θεσμοῖς κανονικοῖς καὶ ἱερατικοῖς ἔθεσι νενομισμένον ἄνωθεν, τὴν δοκιμασίαν οὐ σχοίη, ἢ δέξαιτ' ἄν ποτε τὴν περαίωσιν, ὡς δὴ λαχόντων κατὰ τὴν ἱεροσύνην ἐξάρχειν, καὶ τῶν κορυφαίων ἐν ἀποστόλοις ἐγκεχειρισμένων τὸ ἀξίωμα.*

[3] Harduin V 791 C; Mansi XVI 47 D.

summus, et fortissimus sermo, et ordinator et curator et solus ex toto magister Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem et paternam almitatem. Propter quae dixit Petro, magno et summo apostolorum: tu es Petrus etc. Tales enim beatas voces, non secundum quandam utique sortem apostolorum principi solum circumscripsit et definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant *summi pastores* et divinissimi sacrique Pontifices senioris Romae transmisit." Laudat deinde Nicolaum, quod Photium e sede sua deiecit. Ex quibus sane manifestum est, Ignatium primatum iurisdictionis R. Pontificis, eumque ut iuris quidem divini agnovisse.

Theodorus Studita († 826) contra iconoclastas imagines esse venerandas inter alia ex eo probat, quod Romae clavium invisibilium Petro a Christo datarum imagines venerentur: „Sed et coli Romae apostolorum principis Petri claves accipio: quamquam Dominus non est largitus ei claves sensibiles, sed intelligibiles ad ligandum et solvendum. At illi argento fabrefactas adorandas proponunt: tanta est eorum religio. Et ibi quidem inconcussa fidei petra fundata ex Domini sententia est; hic vero, ut apparet, cumulata infidelitas improbitasque." [1]

Apud Syros Theodorus Abucara vel rectius Abu-Kurra, discipulus S. Ioannis Damasceni, saeculo IX episcopus Haranensis et apud suos maximi semper aestimatus, in tractatu polemico arabice scripto, quo veritatem christianae religionis contra iudaeos, veritatem Ecclesiae catholicae contra haereticos demonstrat, sic scribit[2]:

„Verbis Domini: ‚Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua...' non significantur nec persona ipsius Petri neque ipsi apostoli, sed Christus his verbis significare voluit eos, *qui tenebunt et locum S. Petri Romae* et locos apostolorum. Sicuti, cum dixit apostolis: ‚Ego vobiscum ero omnibus diebus usque ad finem saeculi', noluit significare personas solorum apostolorum, sed etiam eos qui occupabunt locum ipsorum et totum eorum gregem, ita per verba ad Petrum dicta: ‚Converte te statim et confirma fratres tuos, et ne fides tua pereat', voluit significare eius successores. Nam Petrus solus inter apostolos amisit fidem et negavit Dominum; Christus scil. ob hanc rationem eum deseruit, ut nobis monstraret, eius personam se noluisse significare; praeterea nullum apostolum cadere vidimus, ita ut a Petro confirmaretur. — Scil. si dicas, Christum voluisse significare ipsum Petrum et ipsos apostolos,

---

[1] *Κἀκεῖ ἡ ἀρραγὴς πέτρα τῆς πίστεως τεθεμελιωμένη κατὰ τὸν λόγον τοῦ κυρίου· ἐνταῦθα δὲ, ὡς ἔοικε, πλεονάζει ἡ ἀπιστία καὶ ἀνομία.* S. Patris nostri et confessoris Theodori Studitis praepositi parva catechesis, ed. E. Auvray, Paris. 1891, 55 sqq. Theodori doctrinam de primatu R. Pontificis describit Richter in Der Katholik 1874, II 385—414.

[2] Un traîté des œuvres arabes de Theodore Abou-Kurra évêque de Haran publié et traduit en français pour la première fois. Par le P. Const. Bacha. Tripoli-Rome-Paris s. a., 34 sq. Cf. Zeitschr. für kath. Theol. XXXIV (1910) 419 sqq. Quoad agnitionem primatus R. Pontificis in universam Ecclesiam ab orientalibus ecclesiis professam cf. etiam Martin, St. Pierre et le rationalisme devant les églises orientales, Amiens 1876, 9 sqq.

privabis Ecclesiam ea re, quae eam post mortem Petri confirmet. hoc autem quomodo potest esse? Diabolus enim cum videret, post apostolorum mortem futurum esse ut Ecclesia cribraretur, non eos voluisse Christum significare patet. Nam scimus profecto omnes, post mortem tandem apostolorum ortos esse haeresiarchas, qui concusserunt Ecclesiam. . . . Ergo si haec sacri textus verba tantummodo significant ipsas Petri et apostolorum personas, Ecclesiae erepta fuisset consolatio neque quemquam illa habuisset, qui salvaret eam ab haeresiarchis et eorum doctrinis, qui [vel quae] sunt portae inferi, quas tamen numquam triumphum acturas esse de Ecclesia Christus praedixit. Omnino igitur clarum est, his verbis significari *S. Petri successores, qui revera non cessant confortare fratres suos, et non cessabunt usque ad consummationem saeculorum.*"

Ex Latinis vero S. Isidorus Hispalensis († 636) haec scripsit[1]: „Sic nos scimus praeesse Ecclesiae Christi, quatenus R. Pontifici reverenter, humiliter et devote tamquam *Dei vicario* prae ceteris Ecclesiae praelatis specialius nos fatemur debitam in omnibus oboedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem tamquam *haereticum* a consortio fidelium omnino decernimus alienum. Hoc vero non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritus Sancti habemus firmum, ratumque credimus et tenemus." Dicit ergo Isidorus, R. Pontifici non tantum honorem, sed etiam oboedientiam, eamque in omnibus deberi, ex voluntate quidem divina, ita ut qui eam detrectet, haereticus habendus sit. Loquitur autem hic de R. Pontifice ut totius Ecclesiae primate et non ut occidentis tantum patriarcha, cum patriarchatus non sit institutionis divinae, sed modo ecclesiasticae[2].

Atque Beda de Gregorio M. scripsit[3]: „Cum primum in toto orbe pontificatum gereret, et conversis iamdudum ad fidem veritatis esset *praelatus* ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit ecclesiam." — Saeculo autem IX Ratramnus, Corbeiensis monachus: „Cernimus omnino, inquit[4], Romani Pontificis auctoritatem super cunctas ecclesias Christi praeeminere, ut omnes episcopi illum habeant caput, et ad eius iudicium pendeat, quidquid in ecclesiasticis negotiis disponitur, ut ex eius arbitrio vel maneat constitutum, vel corrigatur erratum, vel sanciatur quodcumque fuerit innovandum."

[1] Ep. 6, n. 2 (ML LXXXIII 903).

[2] Iniuria igitur Langen (Vatik. Dogma I 86 nota) opponit haec Isidori (Etymol. l. 7, c. 12, n. 5: ML LXXXII 291): „Patriarcha ... summus Patrum, quia primum, i. e. apostolicum retinet locum, et ideo quia summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus et Alexandrinus." Agit enim Isidorus hic de Romano Pontifice tantum ut patriarcha, et hunc summum Patrum dicit non propter primatum iurisdictionis, sed propter nominis vim. Dicit dein n. 4 utique, ordinem episcoporum quadripartitum esse in patriarchas, archiepiscopos, metropolitas et episcopos, sed, id quod Langen tacuit, subiungit etiam n. 13: „Pontifex princeps sacerdotum est, quasi via sequentium, ipse et summus sacerdos, ipse et pontifex *maximus* nuncupatur." Romanus autem episcopus semper Pontifex Summus appellatus est.

[3] Hist. eccl. gentis anglic. l. 2, c. 1 (ML XCV 75).

[4] C. graecor. opposita l. 4, c. 8 (ML CXXI 336).

Eodem saeculo imperator Carolus M. haec dicit[1]: „Sicut igitur ceteris discipulis apostoli, et apostolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum ceteris sedibus apostolicae, et apostolicis Romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . (Mt 16)."

Et in concilio Romano sub Leone III Pontifice Romano de eius causa habito episcopi itali et galli dixerunt[2]: „Nos sedem apostolicam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipso nos omnes et vicario suo iudicamur, ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit."

Concludamus hoc argumentum S. Bernardi († 1153) praeclaro testimonio. Qui ita alloquitur R. Pontificem Eugenium III[3]: „Age, indagemus adhuc diligentius, quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, *potestate Petrus,* unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi *universi crediti,* uni unus. Nec modo ovium, sed et *pastorum tu unus omnium pastor.* . . . Ergo iuxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa exstiterit, tu episcopo coelum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere satanae potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi, tam in datis clavibus, quam ovibus commendatis."

S. Bernardus paulo ante ad Eugenium III dixerat[4]: „Nec enim tibi ille [Petrus] dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum: non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis (1 Petr 5, 3). Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio: reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert: vos autem non sic (Lc 22, 25 26). Planum est: apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu et tibi usurpare aude aut dominans apostolatum aut apostolicus dominatum." Quibus verbis Bernardus docet, Summi Pontificis et generatim cuiusvis praelati ecclesiastici non esse vel dominari, sed ministrare, i. e. non superbo et duro, sed humili et mansueto modo Ecclesiam regere, vel vi apostolici muneris opes appetere. Immediate enim ante allata verba Bernardus postquam Petri verba (Act 3, 6): „Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do" laudaverat, haec dicit: „Esto, ut alia quacumque

[1] De imag. l. 1, c. 6 (ML XCVIII 1020).
[2] Harduin IV 936 D; Mansi XIII 1044 B.
[3] De consider. l. 2, c. 8, n. 15 16 (ML CLXXXII 751).
[4] Ibid. c. 6, n. 10 sqq (ib. 748).

ratione haec tibi vindices: sed non apostolico iure. Nec enim tibi ille dare" etc. Unde evidens est, S. Bernardum illis verbis neutiquam iurisdictionis potestatem in universam Ecclesiam R. Pontifici ullatenus denegare.

Atque allata singulorum Patrum testimonia sane clarissime iam manifestant, iurisdictionis in universam Ecclesiam exercendae primatum, quem R. Pontifices sibi adiudicabant, ab Ecclesia ubique et libenter agnitum fuisse.

b) Agnitum fuisse primatum R. Pontificis, probatur ex conciliis maxime iis, quae generatim ut oecumenica admittuntur[1]. Qua in re

Primus testis sit *concilium Ephesinum* anno 431 celebratum. In hoc enim concilio unus ex legatis R. Pontificis, presbyter Philippus, haec dixit[2]: „Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a D. N. Iesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit; solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor et locum tenens sanctus beatissimusque papa noster Coelestinus episcopus nos, ipsius praesentiam supplentes, ad hanc sanctam synodum misit." Quibus verbis clarissime sane primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam R. Pontifici adiudicatur, ut res quidem omnibus certa et omnibus aerae christianae saeculis nota. Et vero tantum afuit, ut concilii Patres, utut orientales, his contradicerent, id quod tamen, si istam Philippi sententiam falsam haberent facere debuerant, ut eam diserte approbarent his verbis[3]: „Cum Arcadius et Proiectus, reverendissimi religiosissimique episcopi et legati, et Philippus presbyter et apostolicae sedis legatus *consentanee* sint locuti (*ἀκολούθως διαλαλησάντων*)." — Atque in eodem concilio ab eodem Philippo, sedis apostolicae legato, haec dicta et a synodo approbata sunt[4]: „Gratias agimus sanctae venerandaeque synodo, quod literis sancti beatique papae nostri vobis recitatis, sancta *membra* sanctis vestris vocibus, sancto *capiti* sanctis etiam vestris exclama-

[1] *Janus* quidem (p. 20) indolem concilii oecumenici denegat omnibus conciliis post octo prima oecumenica habitis, excepto tamen Constantiensi et Basileensi, propterea maxime, quod in iis debita episcopis libertas dicendi concessa non fuerit; sed hanc aliasque nonnullas eiusdem criminationes refutare nostrum in hac tractatione non est, eoque minus, quod et seria refutatione vix dignae sunt et satis iam dissoluta sunt a Hergenröther (Anti-Janus 126 sqq et Die „Irrtümer" von mehr als 400 Bischöfen und ihr theologischer Zensor, Freiburg 1870, 31 sqq), necnon iam a Natali Alex. (Hist. eccl. saec. XV et XVI diss. 10: XVIII 604 sqq); Allatio (De eccl. occid. et orient. consens. l. 3, c. 1 2); Cupero (Acta Sanct. Aug. I, Hist. Patr. Const. Parerg. X, 186* sqq); Hefele (Konziliengesch. I² 59 sqq).

[2] Act. III (Harduin I 1478 B; Mansi IV 1295 B).

[3] Harduin 1479 E; Mansi 1299 C.

[4] Harduin 1472 E; Mansi 1290 C.

tionibus vos adiunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum *caput* esse beatum apostolum Petrum." Agnovit insuper hoc concilium, R. Pontificem summam iudicialem potestatem habere. Exauctorarunt enim huius synodi Patres Nestorium „coacti (*ἀναγκαίως κατεπειχθέντες*)", ut ipsi dicunt[1], „per sacros canones *et epistulam* sanctissimi patris nostri et comministri Coelestini, Romanae ecclesiae episcopi". Ioannem vero Antiochenum, qui ab Ephesina synodo se separaverat, Ephesina synodus non ipsa excommunicavit, sed sententiam de eo ferendam R. Pontificis iudicio reservavit[2].

Secundus testis est *concilium Chalcedonense* anno 451 a sexcentis circiter episcopis celebratum. Quod concilium quid de R. Pontificis in totam Ecclesiam primatu iurisdictionis senserit, manifestum est ex ipso eius exordio. Ab initio enim ferme Actionis I haec leguntur[3]: „Paschasinus reverentissimus episcopus et vicarius sedis apostolicae, cum in medio una cum his viris reverentissimis collegis suis stetisset, dixit: beatissimi atque apostolici viri papae urbis Romae, *qui est caput omnium ecclesiarum* (*ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων πόλεως, κεφαλῆς ὑπάρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν*) *praecepta* habemus prae manibus, in quibus censuit interloquendum, ut Dioscorus [Alex. patriarcha] non sedeat in concilio."[4] Certe nisi huius concilii Patribus persuasum fuisset, R. Pontifici competere supremam regiminis ecclesiastici auctoritatem, nec Paschasinus ausus esset ab ipso synodi exordio Romani episcopi primatum ita proclamare eiusque *praecepta* sic urgere, nec Patres illi ea verba sine ulla reclamatione excepissent. Non enim contradixerunt illi, sed tantum a legatis R. Pontificis quaesierunt, propter quod crimen Dioscorum a concilio exclusum vellent. Ad quam postulationem cum unus ex illis legatis, Lucentius, respondisset: „*Synodum ausus est facere* [scil. concilium illud oecumenicum, quod latrocinium evasit et vocari solet] *sine auctoritate sedis apostolicae, quod numquam factum est nec fieri licuit* (*σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι*)", nullus Patrum contradixit; quo satis demonstrarunt, quid de R. Pontificis universali iurisdictione persuasum illis esset. Si enim hoc ius ipsi ita competat, ut nulli alii, ne patriarchae quidem liceat concilium generale contra R. Pontificis voluntatem convocare illique praesidere, clarum

[1] Harduin I 1422 E; Mansi IV 1211 C.

[2] Harduin 1510 C; Mansi 1338 A. Cf. Verba Iuvenalis (Harduin 1490 E; Mansi 1311 D), quibus Romanae sedi ius iudicandi de sede Antiochena videtur ascribi, sed textus corruptus videtur.

[3] Harduin II 68 A; Mansi VI 579 D.

[4] Ex hoc solo loco manifestum est, quam falso Schulte (p. 162) contendat, posteriore tantum tempore, medio scil. aevo, quo antiqua patriarchatuum significatio et auctoritas iam evanuisset, R. Pontificem *omnium ecclesiarum caput* dictum esse, cum antiquitus hoc nomine insignita fuerit ipsa utique ecclesia vel sedes Romana, non vero ipse Pontifex. Quasi vero ecclesia Romana sine Pontifice esset totius Ecclesiae caput!

est, ipsum in omnes ecclesias iurisdictione potiri. Nec opponere licet, hoc ius R. Pontifici a ceteris episcopis sponte fuisse datum, ita ut sit ius tantum ecclesiasticum, ideoque illi rursus eripi possit. Legatus enim, nullo contradicente, affirmavit, id *numquam* licuisse; licuisset autem, antequam illius iuris, si fuisset modo ecclesiasticum, concessio facta fuisset.

In epistula porro synodica ad R. Pontificem Leonem I missa concilii Patres dicunt de doctrina Christi per sedem apostolicam servata ac transmissa haec[1]: „Quam . . . praecepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres." Et paulo post subiungunt: „Quibus [episcopis in concilio congregatis] tu quidem sicut membris caput praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem (ex graeco: tuas vices gerebant: *ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι*)." Iam vero „qui agnoscunt Romanum Pontificem *tamquam constitutum omnibus vocis Petri interpretem* quoad praedicandam veram doctrinam, et tamquam *caput* ceteris episcopis *praesidens,* cui ipsi tamquam membra subiaceant, hoc ipso ei tribuunt primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam. Nam qui est *omnibus* constitutus vocis S. Petri interpres, ius habet, ut ipsi vocem seu doctrinam Petri interpretanti ac definienti omnes obsequantur. Nec vere dici posset *caput* ceteris episcopis tamquam *membris* praesidens, si haberet merum honoris primatum. Ad caput enim pertinet non tantum, ut ceteris membris superemineat, sed etiam ac potissimum, ut ipsa regat."[2]

In eadem epistula Patres insuper Leoni dicunt[3]: „Rogamus igitur et tuis decretis nostrum honora iudicium; et sicut nos *capiti* in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua *filiis,* quod decet, adimpleat." Denique in fine eiusdem epistulae haec addunt: „Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostrae sinceritatis et ad eorum, quae a nobis gesta sunt, *firmitatem* et *consonantiam* (*εἰς βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν*)."

Postremo cum de damnando Dioscoro ageretur ac R. Pontificis legati hac de re Patrum congregatorum sententiam rogassent, et post alios quosdam Maximus patriarcha Antiochenus respondisset[4]: „Quod videtur sanctitati vestrae, et nos concordes efficimur", legati illi dixerunt[5]: „Unde sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo *per nos* et per praesentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato *Petro* apostolo, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum [Dioscorum] tam episcopatus dignitate quam

[1] Harduin II 656 B; Mansi VI 147 B.
[2] Bouix 88. [3] Harduin 659 A; Mansi 154 C.
[4] Harduin 344 D; Mansi 1046 B.
[5] Harduin 346 C; Mansi 1047 B.

etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio." Cui sententiae tota synodus assentiens agnovit et ipsa, supremam potestatem iudiciariam R. Pontifici in totam Ecclesiam competere.

Tertius testis est *concilium Constantinopolitanum III, generale VI,* anno 680 habitum. Nam act. 18 in sermone, qui vocatur prosphoneticus, appellatur[1] R. Pontifex Agatho „apostolicae summitatis pontificalissimus antistes (*ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος πρόεδρος*)". Postea vero in eodem sermone Patres de Agathonis literis, quae lectae erant, haec dicunt[2]: „Summus autem nobiscum concertabat apostolorum princeps: illius enim imitatorem et *sedis successorem* (*τῆς καθέδρας διάδοχον*) habuimus fautorem et divini sacramenti mysterium illustrantem per literas. . . . Per Agathonem Petrus (*δι' Ἀγάθωνος ὁ Πέτρος*) loquebatur." In ipsis autem literis ad Agathonem datis haec oecumenica synodus dicit[3]: „*Tibi ut primae sedis antistiti universalis Ecclesiae* (*ὡς πρωτοθρόνῳ σοι τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας*) quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram libenter, acquiescentes verae confessionis literis a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a *summo apostolorum vertice* divine perscriptas agnoscimus." Profecto huius concilii Patres primatum iurisdictionis R. Pontificis plenissime agnovisse dicendi sunt.

Quartus testis est *concilium Nicaenum II, generale VII,* anno 787 habitum. In actione 2 enim huius synodi lecta est Hadriani R. Pontificis epistula ad Tarasium patriarcham Constantinopolitanum, in qua Hadrianus haec scribit[4]: „Omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, et Domini nostri Iesu Christi sermo compleatur, quia portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et rursus: tu es Petrus etc. (Mt 16, 18, 19). Cuius sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus apostolus Domini praecepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper et retinet principatum. Cui si adhaerere cupit vestra sanctitas, et nostrae apostolicae sedis, quae est caput omnium ecclesiarum Dei" etc. Dixit ergo Hadrianus, S. Petri primatum exerceri constanter per sedem Pontificis Romani, et proinde huic sedi competere primatum in universam Ecclesiam. Hanc porro Hadriani epistulam non solum Tarasius, sed universa synodus ita recepit[5]: „Tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat (*πᾶσα ἡ ἱερὰ σύνοδος οὕτως δογματίζει*)."

Quintus testis est *concilium Constantinopolitanum IV, generale VIII,* anno 869 celebratum. Hoc enim in act. 3 approbavit epistulam

---

[1] Harduin III 1417 C; Mansi XI 659 C.
[2] Harduin 1421 E; Mansi 665 C.
[3] Harduin 1438 C; Mansi 683 C.
[4] Harduin IV 102 B; Mansi XII 1081 D.
[5] Harduin 103 C; Mansi 1085 C.

Ignatii, patriarchae Constantinopolitani ad R. Pontificem Nicolaum scriptam, in qua haec leguntur[1]: „Petro supremo sanctissimoque apostolorum vertici dixit [Christus]: tu es Petrus etc.; huiusmodi enim beatas voces non soli apostolorum principi privata quadam sorte transcripsit et assignavit, sed per ipsum ad omnes post illum Pontifices veteris Romae transmisit (*δι' αὐτοῦ καὶ πρὸς πάντας τοὺς κατ' ἐκεῖνον ἱεράρχας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης παρέπεμψε*)."

Atque eadem synodus ex praecepto Hadriani II approbavit in act. 1 et rursus omnibus subscribendum proposuit libellum sive formulam fidei Hormisdae, cui orientales episcopi iam prius subscribere debuerant, in qua inter alia haec leguntur[2]: „Sequentes in omnibus apostolicam sedem, et observantes eius omnia constituta, speramus, ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria." Huic igitur concilio persuasum erat, Petri primatum iurisdictionis ex Christi voluntate etiam omnibus Petri successoribus, Romanis episcopis, competere.

Sextus testis est *concilium Lateranense IV, generale XII,* anno 1215 celebratum. In cuius actis (c. 5) haec leguntur[3]: „Sancimus, ut post Romanam ecclesiam, quae, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra" etc. Sane clarius exprimi vix poterat iurisdictionis primatus.

Septimus testis est *concilium Lugdunense II, generale XIV,* anno 1274 habitum. Ad hoc enim concilium imperator Michael Palaeologus fidei professionem a R. Pontifice acceptam misit, in qua praeter alia haec sunt[4]: „Ipsa quoque sancta Romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, *cum potestatis plenitudine* recepisse veraciter et humiliter recognoscit." Hanc porro clarissimam R. Pontificis primatus professionem concilii Patres tum graeci tum latini omnes suam fecerunt[5].

---

[1] Harduin V 1040 A; Mansi XVI 325 B. Cf. supra p. 693.

[2] Harduin 774 D; Mansi 28 D, ubi legenda simul est nota Anastasii (Harduin 775; Mansi 29).

[3] Harduin VII 23 A; Mansi XXII 990 E.

[4] Harduin VII 695 E; Mansi XXIV 71 D: *Αὐτὴ ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν κατέχει· ἣν ἐν αὐτῇ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τῷ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι, ἢ τῇ κορυφῇ, οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος, μετὰ πλήρους ἐξουσίας παραδέξασθαι ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἀναγνωρίζει.*

[5] Harduin 697 sqq; Mansi 74 sqq.

Atque ut praeteream, plures Wicleffi et Husii articulos, quibus primatus ecclesiae Romanae eiusque Pontificis negatur, a *synodo Constantiensi* damnatas esse[1], definitio sollemnis *concilii oecumenici Florentini* anno 1438 non solum a latinis, sed etiam graecis celebrati summi omnino momenti est et in sessione 25 haec de R. Pontifice continet[2]: „Item diffinimus, sanctam apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.“ Quae definitio R. Pontifici iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam clarissime et omnino definite adiudicat[3].

---

[1] Articuli Wikleffi 37 41; Art. Husii 7 13 20 (Denzinger-Bannwart n. 617 621 633 639 646).

[2] Harduin IX 424 A: *Ἔτι ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν, καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλήν, καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τοῦ ποιμαίνειν καὶ διυθύνειν καὶ κυβερνᾶν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι, καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.*

[3] Notum est, a nonnullis Gallicanis, ut v. g. Launoio (Ep. l. 5, ep. 9, c. 8: Opera V 2, 163), motam fuisse controversiam de lectione et sensu ultimae sententiae definitionis modo recitatae, de verbis scil.: „quemadmodum *etiam*“, utrum nimirum ista lectio an vero haec alia: „quemadmodum *et*“, vera et genuina sit necne.

Et lectionem quidem: quemadmodum *et*, primus commendavit De Marca (De concord. sacerd. et imp. l. 3, c. 8, n. 5) cum eam et magis verbis graecis illius decreti respondere putaret et graecos a R. Pontifice obtinuisse existimaret, quod voluerant, ut privilegia scil. papae secundum canonum praescriptum essent interpretanda; ideoque contendit, Barthol. Abrahamum Cretensem in versione sua a. 1526 edita lectionis: quemadmodum *etiam*, auctorem fuisse. Insuper De Marca loco laudato ait: „Sententia huius decreti haec est, summam et plenam administrandae Ecclesiae potestatem a Christo fuisse Pontifici traditam ea lege, ut ea utatur iuxta modum, qui et in actis conciliorum et in canonibus continetur“; contra „e contextus latini depravata lectione eruitur, plenam esse papae potestatem, idque probari actis conciliorum et canonibus. . . . Verba autem graeca in sincero sensu accepta modum exercitio potestatis pontificiae imponunt ei similem, quem ecclesia Gallicana tuetur.“ Postea tamen De Marca in opere adversus Satyras n. 10 (l. c V 56) re, ut ait, melius perpensa, errasse se agnovit. — Eandem lectionem, quam De Marca primum praetulerat, defendit deinde praeter alios Launoius, loco supra laudato inter alia scribens: „Sic refert Flavius Blondus, Eugenii papae scriba, in libro 10, decadis 3. Editionem hanc confirmant Marcus Vigerius cardinalis in Decachordo chorda 10, Ioannes Roffensis in art. 25 contra Lutheranas assertiones, Ioannes Eckius in libro 2 de Petri primatu c. 25 [est c. 23], Albertus Pighius in libri 4 de ecclesiastica hierarchia capite ultimo“ [i. e. c. 14]. Febronius quoque eandem lectionem suam fecit (De statu Ecclesiae c. 5, § 4, n. 5). — Quamvis

Porro *concilium oecumenicum Tridentinum* nominat R. Pontificem Dei in terris vicarium, qui in metropolitanos et episcopos

autem ista lectio iamdudum a variis scriptoribus et maxime quidem ab Em. Schelstrate, Mamachio, Zaccaria esset penitus refutata, Döllinger eandem rursus praetulit, addens in Einige Worte über die Unfehlbarkeitsadresse: Allg. Zeitung 1870, Nr 21 (exscriptam eam habes in Acta et decreta s. conciliorum recentiorum. Col lectio Lacensis VII, Friburgi 1890, 1473 sqq), omissionem illius ultimae sententiae esse mutilationem, quae adulterationem adaequet, et si loco „*et*" ponatur (id quod in conciliorum editionibus legitur) „*etiam*", locum manifesto depravari. Atque eandem prorsus opinionem defendit Janus p. 347, ubi inter alia dicit in nota: „Im Griechischen heißt es: *καθ' ὃν τρόπον* etc. Dies ist redlich in dem ursprünglich lateinischen Text wiedergegeben: ‚quemadmodum (besser: iuxta eum modum, qui) et in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur'. Und so führt es auch Biondo in seinem Geschichtswerk (l. 10, dec. 3) an."

Porro quamquam ista Gallicanorum et Döllingeri explicatio nostrae sententiae de Romano Pontificatu, prout eam *hoc loco* defendimus, vere ac proprie non obest, cum licet primatum iurisdictionis R. Pontifici vindicemus, tamen de eius amplitudine non inquiramus atque etiam illi ipsi Gallicani primatum generatim spectatum ista sua interpretatione non negent, haud tamen abs re fuerit breviter monstrare, quam falsa ista ipsorum opinio sit. Itaque primum quod ad *ipsam huius loci lectionem* spectat, teste E. Cecconi (in Armonia 1870, Nr 25; germanicam huius epistulae versionem vide in Collectione Lacensi l. c. 1480) ex quinque quae scripta fuerunt Decreti Unionis *archetypis* unum restat, quod Florentiae in bibliotheca Laurentiana religiose, sed omnium tamen, qui ipsum visendi causa eo veniunt, oculis expositum, asservatur, quodque signatum est autographa subscriptione et sigillo tum R. Pontificis Eugenii IV, tum imperatoris Palaeologi, uti etiam autographis subscriptionibus omnium concilii Patrum graecorum et latinorum, atque ipsius quoque Flavii Blondi R. Pontificis scribae, ad cuius auctoritatem Döllinger cum Launoio provocavit; legitur autem in eo „quemadmodum *etiam*". Atque eandem lectionem exhibere addit Cecconi etiam sex apographa authentica illius decreti Florentiae pariter conservata et Patrum plurium vel pauciorum subscriptionibus ornata, prout vel paucioribus vel pluribus nomina apponendi facultas fuit. Item scriptores ephemeridis La Civiltà cattolica, Ser. 7, IX 397 testantur, non solum in quatuor authenticis apographis illius decreti in bibliotheca Vaticana asservatis, sed etiam in alio exemplari, quod probabiliter etiam archetypum Decreti Unionis est, quodque in tabulario basilicae Vaticanae reperitur habetque pariter subscriptionem autographam Pontificis Romani et nonnullorum cardinalium, necnon Palaeologi, et insuper Eugenii sigillum ac bullam plumbeam, se clare et integre scripta vidisse verba „quemadmodum *etiam*". Atqui de hoc exemplari, sicut etiam de quatuor Florentinis, idem affirmat protestans Frommann (Zur Kritik des Florentiner Unionsdekrets, Leipzig 1870, 50) tamquam testis oculatus. Eadem verba esse etiam in illo authentico eiusdem decreti exemplari, quod est in tabulario templi principis Bononiae et pariter iisdem subscriptionibus, quibus Romanum, quod modo nominavimus, signatum est, refert Schelstrate, Tract. de sensu et auctorit. decret. Constant. concilii Praef. p. x. Necnon in simili exemplari, quod Lutetiae Parisiorum in publica nationis bibliotheca invenitur et easdem omnino quas Florentinum archetypum subscriptiones habet, illa lectio „quemadmodum etiam" pariter reperitur, teste Maret, Du Concile général et de la paix religieuse I, Paris 1869, 489 in nota, et ipso iam Baluzio in editione Operum de Marca V, Praef. n. 25, p. x. — Itaque latina lectio „quemadmodum *etiam*" est sola vera, et approbata dicenda est etiam a Patribus graecis illius concilii tamquam authentica et ut recta interpretatio verborum *καθ' ὃν τρόπον καὶ ...*; illa autem alia, quae loco „etiam" habet „et", plane respuenda est: quod quidem vel ipse Döllinger postea confessus est, non prius tamen, quam pro-

a sede sua absentes „suae supremae sedis auctoritate animadvertere et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere“ potestatem

testans Frommann ipsum quoque refutaverat (in Allg. Zeitung 1870, 27. et 28. Febr.). Ceterum Blondus in codice suarum Decadum, quae in lucem editae sunt primum a. 1483, ergo 44 annis post authentica archetypa et apographa Decreti Unionis ad finem ipsius concilii conscripta, procul dubio scripserat *etiam*, utpote quam particulam ipse optime scivit positam fuisse in ipsis decreti archetypis ab ipso quoque subscriptis; sed pro veterum scriptorum more non integre scripserat, verum instar „et“ addito parvulo signo; quod cum librarius vel typotheta negligentia facile excusanda non animadvertisset, loco „etiam“ prima vice typis editum ac deinceps usque repetitum est „et“, dum contra alii, qui authentica decreti exemplaria sequebantur, semper „etiam“ typis mandari curarunt.

Deinde si iam quaeritur, quid illud additamentum „quemadmodum etiam“ proprie significet, respondendum est, concilii Florentini Patres R. Pontificis potestatem eo nullatenus restringere atque limitare voluisse. Nam, ut recte dicunt scriptores ephemeridis La Civiltà cattolica l. c. 396, secundum rectae interpretationis regulas sententia posterior aliquatenus ambigua haud ita explicanda est, ut sententiae priori clarae eadem in re contradicat. Iam vero prioribus illius definitionis verbis manifesto „plena“ potestas in totam Ecclesiam R. Pontifici ab ipso Christo per Petrum concessa tam clare attribuitur, ut clarius vindicari vix possit. Nec enim obest, quod in *quatuor* codicibus graecis haec verba: *εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ πρωτεῖον κατέχειν* deesse referuntur; ea enim in istis codicibus excidere potuerunt vel mera negligentia, vel etiam voluntaria culpa librariorum graecorum. Sed quidquid hac de re est, constat omnino, exemplaria Decreti Unionis *latina omnia*, atque etiam duo graeca maximae auctoritatis, Florentinum scil. et Parisiense archetypum, ea verba habere (cf. de hac re Hergenröther, Die „Irrtümer“ etc. 43). Ceterum etiamsi ea verba plane deessent, subsequentia sane idem dicunt et clarius tantum explicant, ita ut iis iurisdictionis in universam Ecclesiam primatus R. Pontifici clarissime vindicetur. Quod autem Frommann l. c. 54 opponit, Graecos verba additamenti nostri de R. Pontificis primatu non ut Latinos, sed sensu limitato intellexisse, tantum abest, ut certo ac clare probari possit, ut contrarium planum sit eo ipso, quod decreto, quale est, assensum dederunt. Est enim ipsum clarissimis verbis conceptum, et ita, ut summam iurisdictionis potestatem R. Pontifici in totam Ecclesiam aperte tribuat. Non ergo potuerunt Graeci illud non eodem quo Latini sensu intelligere, nisi falso illud intelligere vellent. „Sane“, inquit Hurter (De Rom. Pontif. infallibilitate, Oeniponte 1874, 10 in nota), „a) in praecedentibus *plenitudo* potestatis asseritur R. Pontifici: nequeunt ergo verba immediate sequentia huius potestatis *limitationem* significare, quin contextus minus apte cohaereat: praesertim b) cum concilium hanc potestatis plenitudinem *iure divino* inesse R. Pontifici declaret; sed profecto ius divinum circumscribi nequit iure *ecclesiastico* seu conciliorum canonibus; nequeunt ergo sequentia primatus limitationem ex canonibus obortam significare. Et revera c) nulla assignari potest limitatio primatus per legitimos canones: quare verba illa non significant limitationem, *quae non exstat*, sed confirmationem primatus, quem revera iam antea synodi practice et theoretice agnoverunt“, ut ex hactenus dictis evidens est. Ceterum cf. hac de re Hergenröther l. c. 37 sqq. Patres concilii Florentini igitur non censendi sunt sententia sua illa consequente voluisse potestatem illam „plenam“ reddere non plenam, ac *supremam* ab ipso Christo datam efficere pendentem a legibus ecclesiasticis, quasi hae umquam clarae Christi voluntati derogare eiusque opus immutare valerent. Illud igitur additamentum nullatenus ita intelligere licet, quasi R. Pontificis potestas eo limitanda dicatur, sed summum posset absolute sic explicari, ut diceretur R. Pontifex subiectus legibus ecclesiasticae dis-

habeat[1], cui suprema potestas in Ecclesia universa sit tradita[2], cuique patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi „veram oboedientiam" spondere et profiteri debeant[3], et quo inconsulto in concilio provinciali nihil novum aut in Ecclesia eousque inusitatum de sanctorum cultu decernatur[4].

Concilium universale Vaticanum denique doctrinam de perpetuitate primatus beati Petri in R. Pontificibus hac sanctione concludit[5]: „Si quis igitur dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut R. Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem: anathema sit."

---

ciplinae, non, ut iurisperiti loquuntur, quoad vim *coactivam*, verum tantum quoad *directivam*.

Verum enimvero neque haec est sententia illius additamenti, sed cum lectio „quemadmodum *etiam*" certo vera sit, ex ea, ut De Marca loco supra laudato ultra fassus est, et Döllinger quoque affirmat, atque Janus magis etiam diserte dicit p. 348, hoc solum concludendum est, Patres voluisse dicere, plenam potestatem a Christo R. Pontifici concessam esse, *confirmari* etiam conciliorum oecumenicorum actis aliisque legibus ecclesiasticis, quod plane verum est; hancque reapse fuisse Patrum istorum mentem in subiungendo illo additamento, diserte testati sunt, ut Civiltà cattolica l. c. 400 dicit, duo e praecipuis illius concilii sociis, S. Antoninus, archiepiscopus Florentinus, et Turrecremata. Nec opponere licet, verba graeca *καθ' ὃν τρόπον καί* hanc interpretationem non pati. Nam cum Patres non solum latini, sed etiam graeci latinam lectionem „quemadmodum etiam" subscriptione archetypi approbarint, dicendi sunt iudicasse, sententiam lectionis graecae eandem omnino esse atque latinae. Quinimmo cum saltem prima illius decreti formula sive adumbratio fuerit latine scripta, illud *καθ' ὃν τρόπον καί* tamquam *versio* verborum „quemadmodum etiam" habenda est, et talis quidem, de qua, teste Frommann l. c. 52, nulla controversia inter Graecos et Latinos fuit, ita ut ratione huius rei, teste eodem scriptore, Latinis ne minima quidem voluntaria adulteratio crimini verti possit, et *καθ' ὃν τρόπον* hic, etiam secundum ipsum Frommann l. c. 53, idem significet quod *καθώς*. Accedit quod, ut Cecconi et Maret locis supra laudatis et Frommann quoque l. c. 52 testantur, in tribus praecipuis exemplaribus, scil. tum in primario, quod Florentiae est, tum in Parisiensi et illo quod basilicae Vaticanae est, praepositio *ἐν* ante haec verba: *τοῖς ἱεροῖς κανόσι* deest, ita ut primum *καί* omnino *etiam* transferendum sit. Et cum, ut diximus, verba *καθ' ὃν τρόπον καί* sint tantum *versio* latinorum „quemadmodum etiam", ista utique lectio, secundum quam *ἐν* in ultimo additamenti membro haud amplius repetitur, censenda est prorsus vera. Sed etiamsi verba *καθ' ὃν τρόπον* non essent versio latinae lectionis, et *ἐν* repetitum fuisse admitti posset, nihil tamen contra nos sequeretur. Cum enim *ὅν* manifesto ad ea, quae prius de R. Pontificis potestate dicta sunt, referendum sit, iure optimo ex mente Patrum concilii Florentini illud additamentum ita transfertur: quemadmodum, vel secundum quem, vel ad quem, i. e. *ante dictum* modum et in conciliis . . . et in canonibus declaratur. — Cf. hac de re etiam Hefele, Konziliengeschichte VII 753 sqq; Bottalla, De la souveraine infaillible autorité du Pape dans l'Église II, Poitiers 1877, 67; Granderath-Kirch, Gesch. des Vatik. Konzils II, Freiburg 1903, 619 sqq.

[1] Sess. VI de ref. c. 1. [2] Sess. XIV de paenit. c. 7.
[3] Sess. XXV de ref. c. 2. [4] Sess. XXV de invoc. etc.
[5] Constitutio dogm. I, de Christi Ecclesia c. 2.

Non solum igitur a singulis Patribus, sed etiam a pluribus conciliis oecumenicis tum in occidente tum in oriente celebratis R. Pontificis primatus iurisdictionis in totam Ecclesiam diserte agnitus est.

Nec huius argumenti vi obest, ut putat adhuc recens Russorum episcopus Macarius[1], concilii generalis Nicaeni I canon 6, qui secundum consuetam lectionem hic est: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις etc. Quem canonem Hervetus ita in latinum convertit: „Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et episcopo Romae hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia ac suae dignitates et auctoritates ecclesiis serventur."

Hic, inquam, canon nobis non repugnat; non enim ex eo concludi potest, R. Pontifici non maiorem et ampliorem auctoritatem a concilio adiudicatam esse quam Antiochiae et Alexandriae praesulibus. Id patet *primum* iam exinde, quod hoc canone nullum ius novum statutum est, sed tantum vetus firmata consuetudo, ut evidens est ex ipso eius exordio; multo autem ante hoc concilium R. Pontificis primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam ab ea iam agnitus erat. Leo I, qui certo se Petri in primatu successorem habuit iuriumque suae sedis acerrimus propugnator fuit, hunc canonem omnino probavit, ut constat ex ipsius epistula ad Patres concilii Chalcedonensis data, in qua de concilio Nicaeno dixit[2]: „Admoneo, ut iura ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem et octo Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant." Exinde enim manifestum est, Leonem non putasse, suum iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum isto canone ullatenus laedi. — *Deinde* secundum probabiliorem eamque ferme communem sententiam in canone hoc agitur tantum de potestate patriarcharum, ideoque de R. Pontifice non ut totius Ecclesiae primate, sed tantum ut patriarcha[3].

---

[1] Introduction à la théologie orthodoxe, traduite par un Russe, Paris 1857, 590.

[2] Ep. 94, c. 2 (ML LIV 1029).

[3] Ita explicant praeter alios multos Natalis Alex., Hist. eccl. saec. IV, diss. 20 (VII 520 sqq); Phillips, Kirchenrecht II 347 sqq; Hefele, Konziliengesch. I² 388 sqq. E sententia, quam praeter alios olim Bellarminus (De Rom. Pontif. l. 2, c. 13) tuitus est, tantum abest, ut noster canon R. Pontificis primatui obsit, ut eum diserte et directo affirmet. Dicit enim, canonem nostrum, ut eum retulimus, nonnihil mutilum esse; integrum autem ita habere: *Ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. Ἔχει τοιγαροῦν καὶ ἡ Αἴγυπτος, ὥστε τὸν ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν* etc. Ecclesia Romae semper obtinuit primatum. Habet igitur etiam Aegyptus, ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam Romae episcopo id consuetum est." Et certe antiquissima nostri canonis versio, quae vocatur prisca, habet: „Antiqui moris est, ut urbis Romae episcopus habeat *principatum*"; necnon aliae quaedam antiquae versiones legunt: *„Ecclesia Romana semper habuit primatum"* (ML LVI 761 819, cf. 392; Ecclesiae occidentalis monumenta iuris antiquissimi, ed. C. Hamilton Turner, Fasc. 1, P. 2, Oxonii 1904, 121); quinimmo R. Pontificis legatus Paschasinus in concilio Chalcedonensi eum canonem praelegit, ut eum modo dedimus. Paschasinum autem fallere voluisse iam ex eo dici nequit, quod Graeci eum facile refutare et ingenti pudore afficere potuissent; unde

Neque, si illa explicatio vera est, concludi debet mirum esse, cur concilium Nicaenum, si ille primatus tunc temporis iam agnitus fuisset, in canone 6 de eo nihil locutum sit. Non solum enim id opus non fuit, cum iamdudum is agnitus esset cumque de R. Pontificis primatu nulla eousque controversia orta fuisse legatur, sed nec opportunum id erat. Nam occasio vel causa huius canonis condendi fuerunt molimina Meletii episcopi Lycopolitani in Thebaide, qui, utut episcopo Alexandriae subiectus, eius tamen ut patriarchae iura laeserat. Quare concilium Nicaenum dicendo: „puandoquidem et episcopo Romae hoc est consuetum", argumentatur non ut ab antecedente, ut nempe incumbat cura Aegypti, Libyae et Pentapolis episcopo Alexandrino, quia Romano episcopo incumbat cura occidentis, cum ita argumentum futile foret, utpote quod logica consequentia destitueretur, sed ut „ab exemplo seu a simili, ut scil. si ipsemet episcopus Romanus non invadit iura aliorum patriarcharum, sed suo contentus est in occidente, quantum minus permittendum sit, ut patriarchatus orientales ab aliis episcopis invadantur" [1]. Loquitur igitur concilium in canone 6 de R. Pontifice tantum ut patriarcha considerato, ideoque, cum patriarchatus non sit divinae, sed ecclesiasticae institutionis, agitur tantum de antiquo more sive consuetudine, non de traditione divina; unde R. Pontificis primatus memorandi causa opportuna nulla fuit [2].

---

iudicandus est bona fide canonem isto modo recitasse, ideoque ex tabulis publicis Romae asservatis eum habuisse. Nec etiam Graeci, qui praesentes aderant, ullatenus contradixerunt, sed tantum, si tamen hoc loco acta sint vera (cf. Opera Leonis M., ed. Ballerini III xxxvii sqq [ML LVI 48], ubi Ballerinii satis fidem faciunt coniecturae, Nicaenum canonem a solo Paschasino legato lectum esse), alium protulerunt ac legerunt, et deinde haec dixisse traduntur: „Gloriosissimi iudices dixerunt: ex his quae gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus, *prae omnibus quidem* primatum et honorem praecipuum (*πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμήν*), secundum canones, antiquae Romae Dei amantissimo archiepiscopo conservari" (Harduin II 641 E; Mansi VII 451 B). Afferunt huius interpretationis defensores in eius confirmationem plures alias rationes, quae tamen non omnes sunt firmae. Sic v. g. minime certum esse, *plures* quam 20 canones a Nicaena synodo fuisse constitutos, meo iudicio invicte probat Natalis Alex., Hist. eccl. saec. IV, diss. 18 (VII 459 sqq), et maxime Hefele, Konziliengesch. I[2] 356 sqq.

Utra iam harum duarum interpretationum certo vera habeatur et vero habenda sit, nostra hoc loco nihil refert; sive enim illa verba de Romanae ecclesiae primatu fuerunt primitus in canone graeco ipsius concilii Nicaeni, sive postea versioni argumenti latinae Romae addita sunt, evidens est, argumentum ex conciliis oecumenicis pro R. Pontificis primatu petitum inde non destrui.

[1] Cercia 184.

[2] Opponit Friedrich (Zur ältesten Geschichte des Primats I 155) insuper hunc 7. canonem concilii Nicaeni I: *Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μετροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος*: „Quoniam mos antiquus et vetus traditio est, ut Aeliae (i. e. Hierosolymorum) episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem uum, manente tamen metropolitanae civitati propria dignitate." Quo ex canone concludit, respectu honoris episcopum Hierosolymorum propter successionem S. Iacobi, utpote Ecclesiae primatis, et propter apostolicitatem soli ecclesiae Hierosolymitanae competentem primum inter omnes episcopos habitum esse, tametsi respectu iurisdictionis metropolitae Caesareae erat subiectus. — At cum nec S. Iacobus fuerit totius Ecclesiae primas (cf. supra p. 198 sqq), nec ecclesia Hierosolymitana sola apostolica, ipsum obiectionis fundamentum concidit. Ut canon ille explicetur, ante

Particularium conciliorum porro pauca testimonia ut addamus, *concilium Romanum* a. 378 (380) habitum in literis ad imperatores Gratianum et Valentinianum (n. 2) ait[1]: „Namque a principio, divino repleti spiritu et sanctorum apostolorum . . . servantes in dominica religione praeceptum, statuistis . . ., ut . . . de reliquis ecclesiarum sacerdotibus episcopus Romanus haberet examen, ut et de religione religionis Pontifex cum consortibus iudicaret, nec ulla fieri videretur iniuria sacerdotio, si sacerdos nulli usquam profani iudicis . . . arbitrio facile subiaceret." Hoc ipso autem, quod R. Pontifici tribuitur potestas iudicandi de reliquis ecclesiarum sacerdotibus sive episcopis, idque dicitur sanctorum apostolorum praeceptum, ipsi vindicatur primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam.

Anno 381 *concilium Aquileiense,* ad quod episcopi ex Italia, Gallia, Pannonia, Africa convenerant, et in quo S. Ambrosius praecipuas partes agebat, in epistula ad imperatorem Gratianum data dicit[2]: „Totius orbis Romani caput ecclesiam Romanam atque illam sacrosanctam apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim et in omnes venerandae communionis iura dimanant." Iam vero „ius communionis dimanare nequit ex ecclesia Romana in omnes alias, nisi eo sensu, quod unaquaeque teneatur convenire cum Romana, non autem teneatur convenire cum ulla alia, nisi pariter haec cum Romana conveniat. Inde autem exsurgit iurisdictionis primatus. Praecipienti siquidem Romanae sedi, ut suis definitionibus ac legibus omnes obtemperent, si suam velint servare communionem, omnes ei obsequi tenentur, quia tenentur in eius communione permanere."[3] Vocatur praeterea ecclesia Romana *caput* totius orbis Romani, i. e. *totius Ecclesiae,* cum extra Romani imperii fines adeo multae ecclesiae particulares communione cum reliqua Ecclesia coniunctae tunc temporis non exsisterent. Metaphora autem *capitis* obvio et recepto vocis sensu primatus iurisdictionis exprimi solet.

Aliud *concilium Romanum* anno 484 celebratum in epistula ad orientales clericos et monachos haec scribit[4]: „Quotiens intra Italiam

---

oculos haberi debet, urbem Hierosolymorum tempore Hadriani anno 135 penitus destructam et eius loco novam urbem Aeliam Capitolinam aedificatam fuisse. Tempore igitur concilii Nicaeni, cum ipsum nomen Hierosolymorum evanuisset et nova urbs Aeliae prorsus diversa ab antiqua illa urbe Hierosolymorum censeretur, facile intelligitur, cur eius episcopus haud amplius ea iurisdictione polleret, qua olim primi S. Iacobi successores instructi erant, sed subiceretur metropolitae Caesareae. Cum tamen illius urbis locus vita et morte Christi sanctificatus esset, cumque primus eius ecclesiae episcopus S. Iacobus apostolus et martyr fuisset, dignum erat, ut propter horum memoriam concilium Nicaenum urbi illi specialem honorem deferret, ita tamen, ut metropolitae Caesareae respectu potestatis subiectus maneret.

[1] Coustant 524.

[2] Ambrosii ep. 11, n. 4 (ML XVI 946). Veteres quaedam editiones loco „communionis iura" falso habent „commonitionis iura".

[3] Bouix I 95. [4] Thiel 255; Harduin II 856 A; Mansi VII 1140 D.

propter ecclesiasticas causas, praecipue fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor praesulum sedis apostolicae, ex persona cunctorum totius Italiae sacerdotum *iuxta sollicitudinem sibi ecclesiarum omnium competentem* cuncta constituat, *qui caput est omnium,* Domino ad beatum Petrum apostolum dicente: tu es Petrus" etc.

Ad Theodorum Pontificem Romanum (642 — 649) tria concilia Africana miserunt epistulam, quae postmodum lecta fuit in *concilio Lateranensi* anno 649 sub Martino I. Quae sic incipit[1]: „Domino beatissimo apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Theodoro papae, et summo omnium praesulum Pontifici. . . . Magnum et indeficientem, omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit; de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum; cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus; quae omnino et sollicite debent, maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum; ut huius auctoritate iusta quae fuisset pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae, velut de natali suo fonte, praedicationis exordium et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis." Quibus verbis certe tribuitur R. Pontifici potestas in universam Ecclesiam ea, quae primatum iurisdictionis aequet. — Porro R. Pontificis primatum agnitum fuisse ex eo demonstratur, quod

c) Ecclesia non contradicente Romani Pontifices ab antiquissimo tempore semper primatus iurisdictionem in Ecclesiam universalem exercuerunt. Id quod patet

α) ex agnita R. Pontificum in concilia etiam generalia potestate[2]. Historia enim teste ea prioribus saeculis R. Pontificibus in concilia etiam generalia tribuebatur auctoritas, ut nulla conciliorum decreta valida et universalem Ecclesiam obligantia putarentur, si iis defuisset R. Pontificum assensus. Ac necessarium quidem esse eius assensum

α') primo multoties *disertis verbis* et in conciliis ipsis et extra illa Ecclesia non contradicente affirmatur. Qua in re imprimis memoranda ea sunt, quae leguntur in concilio Chalcedonensi. In quo cum Dioscorus patriarcha Alexandrinus iudicaretur propter mala, quae in latrocinio Ephesino eius iussu ac coactione perpetrata

---

[1] Harduin III 734 A; Mansi X 919 A.

[2] Cf. Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 1 sqq 391 sqq; XXVIII (1904) 58 sqq 519 sqq 699 sqq.

erant, R. Pontificis legati Paschasinus et Lucentius rogati sunt a Patribus concilii, ut certis verbis comprehenderent, quae Dioscoro obicerentur[1]. Tunc „Lucentius reverendissimus episcopus et vicarius sedis apostolicae dixit: iudicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam iudicandi non haberet, praesumpsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod numquam factum est nec fieri licuit (*σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι*)." Contemptis scil. legatis Romanis, quos in latrocinio affuisse notum est, ex suo omnia arbitrio ibi Dioscorus gesserat. Porro in 7. oecumenico concilio anni 787 cum synodus contra cultum sacrarum imaginum a. 754 habita reiceretur, de ea haec dicta sunt[2]: „Quomodo autem magna et universalis [illa synodus], quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum praesules ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adiutorem illius temporis Romanorum papam, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per vicarios eius, neque per encyclicam epistulam, quemadmodum lex dictat conciliorum (*οὐκ ἔσχε συνεργὸν τὸν τηνικαῦτα τῆς Ῥωμαίων πάπαν . . ., καθὼς νόμος ἐστὶ ταῖς συνόδοις*)."

Eadem „lex conciliorum" compluries alibi memoratur. Scripserat Iulius R. Pontifex ad eos, qui a. 340 (339) Antiochiae habito concilio S. Athanasium ab episcopatu Alexandrino excluserant, iudicium illud peractum non fuisse „secundum ecclesiasticum canonem". Nam „oportuit, inquit[3], omnibus nobis [i. e. R. Pontifici et episcopis qui cum eo Romae congregati erant] scripsisse,

[1] Conc. Chalced. P. 2, act. 1 (Harduin II 68 A; Mansi VI 579 D). Totum contextum huius loci placet exscribere. Postquam igitur in initio actorum concilii relatum est, quomodo patriarchae et inter hos Dioscorus, patriarcha Alexandrinus, locis eminentioribus in concilio consedissent, sic acta pergunt: „Paschasinus reverentissimus episcopus et vicarius sedis apostolicae cum in medio una cum aliis viris reverentissimis collegis suis stetisset, dixit: beatissimi atque apostolici viri papae urbis Romae, qui est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, in quibus censuit interloquendum, ut Dioscorus non sedeat in concilio; sin autem hoc facere aggrediatur, eiciatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo praecipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus. . . . Gloriosissimi iudices et amplissimus senatus dixerunt: quid enim specialiter ingeritur Dioscoro reverentissimo episcopo? Paschasinus reverentissimus episcopus et vicarius sedis apostolicae dixit: cum intromissus fuerit [scil. tamquam accusatus, nam aderat in concilio], necesse est, ut illi obiciatur. Gloriosissimi iudices et amplissimus senatus dixerunt: ut iam interfati sumus, causa quae obiciatur, specialiter manifestetur." Sequuntur verba supra recitata: „Lucentius" etc. Quo in loco duo sunt notanda: modo prorsus imperatorio legatos Romanos loqui, iudices vero, i. e. officiales ab imperatore missos, et concilium, quamvis aegre patiantur se trahi ad iudicandum Dioscorum, tamen non audere legatis Romanis aut resistere aut eorum auctoritatem negare. Vide de hoc loco C. v(an) E(verbroek S. J.) in Archiv für kath. Kirchenrecht II, Innsbr. 1857, 556 sqq (qua in commentatione tamen deleas locos ex Pelagio II et Gregorio II recitatos, quippe spurios, licet Pelagii verba ut genuina etiam referantur a Jaffé n. 954); Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 1 sqq.

[2] Act. 6 (Harduin IV 327 E; Mansi XIII 207 E).

[3] Ep. ad Antiochenos n. 22 (ML VIII 906).

ut ita ab omnibus quod iustum esset decerneretur.... An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur et hinc (ἔνθεν, i. e. ab urbe Romae) quod iustum est decernatur?" De qua Iulii epistula agens Socrates, memorata Iulii verba sic reddit[1]: „Iulius... graviter conquestus est,... quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam R. Pontificis quidquam ab ecclesiis decernatur." Iam antea de Antiochena illa synodo agens, in ea neque Iulium neque eius legatum affuisse dicit[2]: „cum tamen ecclesiastica regula vetet, ne absque consensu R. Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur (καίτοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν)". Haec ille non iam aliena verba referens, sed de suo locutus. Synodo Arimini habitae numerum maximum episcoporum ibi congregatum nullum robur addere potuisse dicit in synodo Romana Damasus R. Pontifex[3], „quando constat, neque Romanum episcopum, cuius ante omnia exspectanda erat sententia (οὗ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι), neque Vincentium, qui tot annorum episcopatum integre gesserat, neque alios talibus praebuisse consensum". Quae verba Sozomenus referens scribit[4], infirmata esse Romae, quae Arimini decreta essent: „eo quod nec R. Pontifex nec alii gestis illius consensissent".

Porro in Ennodii apologia pro synodo haec leguntur[5]: „Post haec versis in fugam ordinibus lymphatici more sermonis addidistis: ‚ergo concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia praesentiam papae non habent, valitudinem perdiderunt?' Legite, insanissimi, aliquando in illis praeter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de maioribus negotiis, ad collationem si quid occurrit, praefatae sedis arbitrio fuisse servatum." Validitatem igitur synodi illius, cui Symmachus papa a. 501 non praesidebat, sed iudicandum se permiserat, adversarii eo studebant demonstrare, quod quotannis multae synodi sine papa fierent. Respondet Ennodius, nullam istarum synodorum praeter papae sanctionem esse, maiores vero causas papae omnino reservari. Episcopi vero quidam Italiae ad synodum illam a Theodorico rege convocati, cum regem invisissent, ei „suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus [i. e. Symmachus R. Pontifex] debuisse synodum convocare"[6]. Quodsi vero ne synodus Italiae episcoporum sine R. Pontifice convocari potest, multo minus synodus universalis totius Ecclesiae.

A decretis concilii Chalcedonensis appellari non posse, sic probat Fulgentius Ferrandus[7] contra eum, qui vellet synodum illam accusare: „Ubi maiores, inquit. reperiret in Ecclesia iudices? Ante se habens in legatis suis apostolicam sedem, qua consentiente quidquid illa definivit synodus, accepit robur invictum." Et paulo post: „Universalia concilia, praecipue illa quibus ecclesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent." Sufficere ad „plenam confirmationem" conciliorum

---

[1] H. E. 2, 17. [2] Ibid. c. 8.
[3] Apud Theodoret., H. E. 2, 17 (al. 22) (MG LXXXII 1053).
[4] H. E. 6, 23.
[5] Ed. Hartel, Vindobonae 1882, 312. ML LXIII 198.
[6] Synodus palmaris (Mon. Germ. Auct. ant. XII 426).
[7] Ep. 6, ad Pelag. et Anatol. n. 6 7 (ML LXVII 925 sq).

dicit[1], „si perducta in notitiam totius Ecclesiae nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus, sed apostolicae fidei convenire firmentur, apostolicae sedis roborata consensu".

Accedunt ad haec Graecorum aliqua effata. Nam S. Theodorus Studita († 826) contra synodum a. 809 celebratam a Leone III auxilium petiturus, sic ad eum scribit[2]: „Si enim isti, arrogata sibi auctoritate (ἑαυτοῖς ἐξουθενήσαντες), haereticam synodum cogere veriti non sunt, qui ne orthodoxam quidem absque cognitione vestra, ut antiquus mos obtinet, cogere potuerunt (καίπερ εἰ καὶ ὀρθόδοξον οὐκ ἄνευ τῆς ὑμῶν συνειδήσεως ἐξουσιάζοντες, ὡς τὸ ἄνωθεν κεκρατηκὸς ἔθος): quanto magis aequum atque adeo necessarium fuerit (cum timore suggerimus), a divino tuo principatu legitimam synodum convocari, ut orthodoxum Ecclesiae dogma haereticum extrudat." Alibi[3] patriarchae Romano „et potestas, ait, summa defertur synodi oecumenicae (ᾧ καὶ τὸ κράτος ἀναφέρεται τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου)." Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus, strenuus cum Theodoro imaginum defensor († 828), fere eodem modo de Summi Pontificis in concilia potestate loquitur[4]. In vita vero S. Stephani iunioris, qui martyr pro sacris imaginibus mortuus est anno 767, vir ille sanctissimus haec de pseudo-synodo anno 754 sine Summo Pontifice et patriarchis orientis celebrata dicens inducitur: „Quanam etiam ratione vestram synodum oecumenicam dicitis, quam neque approbavit R. Pontifex (quamquam canone praescribitur res ecclesiasticas absque papa Romae constitui non debere), neque Alexandrinus" etc.[5]

β') Sine Summi Pontificis consensu invalida fuisse decreta conciliorum, elucet *ex historia can. 28 concilii Chalcedonensis.* Solis Summi Pontificis legatis dissentientibus, ceteris concilii Patribus fere universis acclamantibus, canone illo sedi Constantinopolitanae primus honoris locus post Romanam sedem attributus erat, ita ut Alexandrina et Antiochena sedes dignitatibus exciderent ac Constantinopolitano episcopo postponerentur. Ob solum vero Romanorum legatorum dissensum invalidus putatus fuit canon ille.

Quod *primo* patet ex eo, quod eius confirmationem Graeci a Leone R. Pontifice petierunt, et ex modo quo petierunt. Scribunt enim ad Leonem concilii Chalcedonensis Patres[6], in concilio canone 28 honorem illum Constantinopolitano episcopo se adiudicasse, „confidentes, quia lucente apud vos apostolico radio, ... hunc saepius expandistis, eo quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.... Qui locum vestrae sanctitatis obtinent [in concilio]... his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia incohari et hoc bonum volentes:

---

[1] Ibid. n. 9 (ib. 927).

[2] Ep. I, 33 (MG XCIX 1020). De synodo a. 809 celebrata cf. Hergenröther, Handbuch der allgem. Kirchengesch. II[4]. Freiburg 1904, 33 sq.

[3] Ep. II, 129 (MG XCIX 1420). [4] Supra p. 693.

[5] *Πῶς δὲ καὶ οἰκουμενική, πρὸς ἣν οὐδὲ ὁ Ῥώμης εὐδόκησεν, καίπερ κανόνος προκειμένου, μὴ δεῖν τὰ ἐκκλησιαστικὰ δίχα τοῦ Πάπα Ῥώμης κανονίζεσθαι, οὐδὲ ὁ Ἀλεξανδρείας ἵν' εἴπω, οὔτε ὁ Ἀντιοχείας ἢ ὁ Ἱεροσολύμων; Ποῖ οἱ αὐτῶν λίβελλοι, ἵνα ἡ ψευδοσύλλογος ὑμῶν σύνοδος οἰκουμενικὴ κηρυχθῇ;* (Stephanus Diac., Vita S. Stephani iunioris: MG C 1144 b.)

[6] Inter ep. Leonis ep. 94, c. 4 (ML LIV 958).

ut sicut fidei, sic bonae ordinationis vobis deputetur effectus. . . . Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium: et sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam [scil. in concilio assentiendo epistulae ad Flavianum], sic et Summitas tua filiis quod decet adimpleat (οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισὶν ἀναπληρώσοι τὸ πρέπον)." Supposito igitur tantum Leonis consensu decernere se potuisse Patres concilii concedunt, Leonis tantum consensu rem perfici ac Constantinopolitano episcopo dignitatem desideratam vere conferri fatentur. Eadem de re praeter concilii Patres ad Leonem literas dederunt tum imperator Marcianus, tum Anatolius Constantinopolitanus archiepiscopus [1].

Deinde Summi Pontificis quae fuerit illis temporibus in acta conciliorum potestas, inde elucet, quod fidenter et verbis auctoritatis plenis Leo concilii illum canonem reicit. Sic v. g. scribit ad sanctam imperatricem Pulcheriam [2]: „Consensiones vero episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestrae fidei pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem b. Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus." Ad Iulianum vero Coënsem episcopum [3]: „Anatolius si divina beneficia et mei favoris assensum sapienter intelligit, satis illi sufficit obtinuisse, quod summus antistes de honore episcopatus sui gratias Deo referat, et se ab illicitorum cupiditate contineat; et quicumque illum specialiter diligunt, tali eum debent confirmare consilio, ut impossibilia omnino non quaerat, et sibi talia concupiscendo non noceat: *quia* nullis apud me patrociniis ita poterit adiuvari, ut his quae postulat, calcata Patrum constitutione consentiam." In epistula ad episcopos orientis data [4] loquitur de scriptis suis, „quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli (παρωσάμην)". Huic autem Summi Pontificis „coercitioni" tandem etiam ipse Anatolius morem gessit [5], nullam culpam in se esse scribens, „sed Constantinopolitanae ecclesiae reverentissimus clerus est, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adiutores, cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuerit reservata" [6]. Imperator iam antea Leonis voluntati consenserat [7].

Praeterea Leonis dissensu id effectum est, ut *apud ipsos Graecos* canon ille 28 in canonum collectiones antiquiores non reciperetur. Ac receptum eum non esse, ut aiunt fratres Ballerini [8], „manifestum fit non solum ex Dionysio Exiguo aliisque tribus antiquis interpretibus, qui ex graecis collectionibus Chalcedonenses canones latine reddentes, istum non transtulerunt, verum etiam ex Theodoro Lectore ac Ioanne Scholastico graecis sexti saeculi auctoribus, qui 27 tantum Chalcedonenses canones memorant".

Revera 27 canones tantum exhibent versio Dionysii [9], versio „prisca", quae v. g. continetur collectione Quesnelli [10] et collectione a Iustelo publici iuris facta [11], versio „Isidoriana" [12], versio collectionis Theodosii diaconi [13]. Quibus

---

[1] L. c. ep. 100 101 (ib. 970 sqq 975 sqq). [2] Ep. 105, c. 3 (ib. 1000).
[3] Ep. 107 (ib. 1010). [4] Ep. 114, c. 2 (ib. 1031).
[5] Ep. 134 135 (ib. 1094 1096). [6] Ep. 132, c. 4 (ib. 1084).
[7] Ep. 115 (ib. 1032 b).
[8] Adnotatio in Quesnelli dissertationem I de vita et rebus gestis S. Leonis M. (ML LV 269).
[9] ML LXVII 171—176. [10] ML LVI 536—547.
[11] Ibid. 801—803. [12] ML LXXXIV 166—171.
[13] ML LVI 856—862.

adde quintam horum canonum versionem a F. Maassen editam [1], in qua quia can. 21 et 22 in unum confunduntur, 26 tantum canones numerantur. Animadverte tamen, collectionem Iusteli postquam 27 canones retulit hisque nomina Patrum Chalcedonensium acta subscriptione sua firmantium addidit, deinceps afferre canones 4 concilii Constantinopolitani anni 381, hisque annectere canonem 28 Chalcedonensem appendicis loco. Quibus dein subiunguntur legatorum Romanorum, qui Chalcedone praeerant concilio, subscriptiones; additur autem concilio anni 381 praefatio, quae ad Chalcedonense pertinet [2].

Collectiones canonum *graeca lingua* exaratae iam non exsistunt ante Ioannis Scholastici collectionem 50 titulorum, quae ortum habuit inter annos 540 et 560. Haec tit. 1, quo agitur de honore patriarchis ex canonum praescripto debito, affert canones Nicaenos 7 et 6, Constantinopolitanos 2 et 3, Ephesinum 6 [3], silet autem de canone Chalcedonensi 28, licet ad alios canones illius concilii frequenter provocet. Unde omnes concedunt, 27 tantum canones Chalcedonenses Ioannem agnovisse [4]. Quod praeterea confirmatur a Theodoro Lectore, qui haec de concilio Chalcedonensi: „In hac synodo multa necessaria dogmata ac negotia constituta sunt, . . . expositi sunt etiam canones viginti septem (ἐν ᾗ πολλὰ καὶ ἀναγκαῖα διετυπώθη δόγματα . . . καὶ κζ' κανόνων ἡ ἔκθεσις)." [5] Posteriore tempore canon 28 in collectiones graecas receptus est, sed interdum adhuc cernuntur vestigia, quibus eiusdem iuris cum ceteris eum habitum non esse clare perspicitur. Sic in codice graeco a fratribus Balleriniis [6] inspecto, qui partem actorum Chalcedonensium continet, „descripti leguntur canones 27 eiusdem concilii, affixo cuique canoni numero 1, 2, 3 etc. usque ad 27. . . . Tum vero post ultimum canonem ducta linea, quae canonum finem indicat, post intervallum quoddam subiciuntur sine ulla numerali nota tres alii adititii canones", quorum primus est canon ille 28. In quodam collectionis Ioannis Scholasti exemplari ac in eiusdem versione *slavica* legitur articulus additicius, in quo habentur canones Chalcedonenses 9. 17, 28. sed in versione illa slavica, quam a S. Methodio, slavorum apostolo, profectam putant, additur scholion, quo canon 28 evertitur. Ibi enim imprimis statuitur, dignitatem ecclesiasticam et hierarchicam sedium episcopalium non sequi dignitatem politicam urbium in qua habentur, dein, inferiorem esse episcopum Constantinopolitanum Romano, cuius dignitas derivetur non a magnitudine imperiali urbis Romae, sed a S. Petro apostolo, ecclesiae Romanae conditoris, cuius praerogativae transfundantur in eius successores [7].

---

[1] Gesch. der Quellen und der Literatur des kanon. Rechts im Abendlande, Graz 1870, 945—949.

[2] Ballerini, Opera Leonis M. App. p. 555 (ML LVI 808—810). Cf. tamen Maassen l. c. 506.

[3] Pitra, Spicil. Solesmense IV, Paris. 1858, 558; Id., Iuris eccl. Graecorum hist. et monum. II, Romae 1868, 375.

[4] G. W. E. Heimbach in Ersch und Gruber, Allgem. Enzyklopädie der Wissenschaften und Künste LXXXVI 121. Hergenröther, Photius I, Regensburg 1867, 87; III (1869) 95.

[5] Excerpta ex eccl. hist. Theodori Lectoris (MG LXXXVI 167). — Etiam versio syriaca canonum Chalcedonensium habet hanc inscriptionem: „Concile des évêques qui se réunirent à Chalcédoine, qui est le douzième (concile). Ils établirent vingt-sept canons" (J.-B. Chabot, Synodicon orientale, Paris. 1902, 6).

[6] Cf. Opera S. Leonis M. P. 2, App. I: admonitio in ep. 9, n. 3 (ML LIV 1249).

[7] Byzant. Zeitschrift VI, Leipzig 1897, 644—645.

γ') Confidenter tamquam principium ab omnibus admissum proclamant R. Pontifices, concilia in tantum valida esse, in quantum iis accesserit Romana approbatio, secus ea validitate destitui.

Ita adversus eos, qui dicebant synodum Chalcedonensem aut totam repudiari debere aut totam admitti, nec posse ex parte repudiari, ex parte admitti, ita Gelasius I R. Pontifex[1]: „Cognoscant igitur, inquit, illud, secundum scripturas sanctas traditionemque maiorum, secundum canones regulasque Ecclesiae, pro fide, communione et veritate catholica et apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti. Alia autem, quae per incompetentem praesumptionem illic prolata sunt vel potius ventilata, quae sedes apostolica gerenda nullatenus delegavit, quae mox a vicariis sedis apostolicae contradicta manifestum est, quae sedes apostolica, etiam petente Marciano principe, nullatenus approbavit, quae praesul ecclesiae Constantinopolitanae tunc Anatolius nec se praesumpsisse professus est, et in apostolicae sedis antistitis non negavit posita potestate: quae ideo, sicut dictum est, sedes apostolica non recepit, quia quae privilegiis universalis Ecclesiae contraria probantur, nulla ratione subsistunt."

Pelagius II R. Pontifex contra adversarios quinti concilii generalis anni 553 demonstraturus, Chalcedonense concilium solum in iis, quae ad fidem pertinent, auctoritatem habere, id ita ostendit[2]: „Sed cur de his extensa ratione agimus, qui tanta praedecessoris nostri beati Leonis auctoritate fulcimur? Ipse namque, sicut multa superius epistularum eius attestatione docuimus, gesta multiplicia causarum specialium reprobando, auctoritatem synodi in sola fidei definitione constrinxit. . . . Quia vero et apud eosdem episcopos, qui in Chalcedone resederunt, in veneratione synodus nonnisi usque ad fidei definitionem fuit, per hoc aperte ostenditur, quod plerique graeci antiquiores codices continere synodum nonnisi in sex actionibus subiunctis canonibus demonstrantur, ut omnino cetera quae privato studio fuerant mota non habeant."

Romani Pontificis in concilia auctoritas inde etiam patet, quod, ut ait Gelasius I[3], „apostolica sedes frequenter . . . more maiorum etiam sine ulla synodo praecedente et absolvendi, quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla exsistente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae memoriae quippe Athanasium synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. S. m. nihilominus Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque s. m. Flavianum pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis praesulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit. In qua pontificibus innumeris,

---

[1] De anathematis vinculo n. 1 (Thiel 558; ML LIX 102). Cf. Gelasii ad episcopos Dardaniae ep. 26, n. 6 (Thiel 400; ML LIX 67), ubi quid sit synodus bene gesta, quid male gesta exponitur.

[2] Ad episcopos Istriae ep. 3, n. 18 (ML LXXII 733 734; Mon. Germ. Ep. II, App. p. 463 sq). Epistulae huius conscriptor dicitur esse Gregorius Magnus.

[3] Ad episcopos Dardaniae ep. 26, n. 5 (Thiel 400; ML LIX 67). Haec etiam inveniuntur in breviore epistulae huius forma (Thiel 416).

qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, et in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritae prostravit. Quam congregationem, quae illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta: quoniam sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit."

Nicolaus I R. Pontifex postquam se mirari dixit, quod Photius concilium Sardicense a se ignorari asserat, sic pergit[1]: „Decretalia autem, quae a sanctis Pontificibus primae sedis Romanae ecclesiae sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis?" Alibi Constantinopolim scribit[2]: neque „in universalibus synodis quid ratum vel quid prorsus acceptum nisi quod sedes beati Petri probavit (ut ipsi scitis), habetur". Et rursus[3]: „Non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis Romanae ecclesiae, quae collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit [sunt Gelasii verba ex epist. 26 ad episc. Dardaniae n. 3: Thiel I 395]. Unde quaedam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt."

Si R. Pontificis consensus synodis auctoritatem tribuit et absque eius voluntate synodus legitima universalis fieri non potest,

1. *R. Pontifici debere ascribi ius convocandi oecumenica concilia,* sequitur logica necessitate. Evidenter enim illi hoc ius per se competit, qui omne concilium ab alio convocatum suo dissensu impedire potest, et ex cuius voluntate concilium omne legitimitatem suam derivet necesse est.

Quod ius R. Pontifices in omnia concilia universalia *occidentalia* exercuisse extra omnem controversiam est. Nec impugnari hoc ius ex eo potest, quod orientalia concilia oecumenica usque ad concilium VIII anni 869 de facto omnia ab imperatoribus indicta et convocata sint. Quia enim ex locis supra allatis constat, etiam in antiquitate christiana ius atque auctoritatem R. Pontificum in concilia agnita fuisse, sequitur imperatores, si concilia convocabant, hoc non fecisse ex auctoritate sibi ut imperatoribus propria, sed vel ex tacito consensu R. Pontificis, vel ex eius ratihibitione subsecuta. Consensisse autem hoc modo R. Pontificem certum iam ex eo fit, quod legatos ad concilium misit.

Rationes autem, cur imperatoribus tunc temporis indictio conciliorum permitteretur, hae fere sunt. *Primo* Ecclesia tunc temporis temporale dominium nullum habebat, adeo ut nisi in aliqua imperiali urbe concilium haberi non posset. Ratio autem non sinit, ut ait Bellarminus[4], „ut in aliquo loco sine licentia domini illius loci ex toto orbe conventus fiat, sicut etiam modo, si concilium non fieret in terris [Romani] Pontificis, sed in Gallia, Hispania vel Germania, sine dubio peteretur consensus eius, cuius est illa civitas vel provincia." Sane

[1] Ep. 12, ad Photium (ML CXIX 788).
[2] Ep. 46, ad Michaelem imp. (ib. 858).
[3] Ep. 86, ad Michaelem imp. (ib. 947).
[4] De conc. l. 1, c. 13.

principes etiam catholici, qui a coetibus admodum numerosis propriae dignitati sinistrum aliquid facile metuebant, episcopos, quorum magna erat in plebem potestas, sine assensu suo ex universo orbe catholico convenire aegre permisissent. Et tametsi R. Pontifex, utpote etiam ab illis imperatoribus habitus ipsorum in rebus spiritualibus superior et omnium christianorum caput, absolute iure mandare poterat imperatori, ut permitteret synodum suumque auxilium ad eam celebrandam conferret, id tamen facere non solebat, sed permittebat, ut ipse imperator iuberet convocari synodum, tum quia ipsum dominum suum in rebus mere temporalibus agnoscebat, tum quia sciebat, imperatorem fidei atque doctrinae, quam ipse profitebatur, defensorem esse omnino studiosum atque ferventem. Et reapse omnes illi imperatores, a quibus concilia oecumenica ut talia ab Ecclesia agnita indicta sunt, erant quam maxime religiosi et veram fidem qua poterant ope protegebant, ideoque ipsi celebrationem concilii oecumenici quam maxime et aliquoties primi fere desiderabant. — *Deinde* illo tempore concilia celebrabantur fere sumptibus publicis, praesertim ratione itineris episcoporum ad locum concilii, et inde rursus in suas dioeceses. Vehebantur enim vel navibus, vel equis et curribus reipublicae sine ullo ecclesiarum dispendio. Id certe testatur de concilio Nicaeno I Eusebius[1], idque promisit pro concilio oecumenico VI Constantinus Pogonatus in epistula ad Donum, Pontificem Romanum[2]. In concilio Nicaeno I insuper Constantinus M. episcopos toto tempore alebat[3]; quod vere regiae munificentiae exemplum probabiliter plus minusve alii illi imperatores religiosi, qui concilia illa convocabant, imitati sunt. Et sane propter ecclesiarum paupertatem quam plurimi episcopi suis sumptibus non potuerunt longa itinera ad concilium oecumenicum frequentandum facere ac diutius in dissito loco commorari. — *Tum* imperatores non tam facile sua auctoritate ad compescendos haereticos et schismaticos usi essent, nisi negotia ecclesiastica in synodis ab ipsis convocatis tractata fuissent. — *Denique* posteriores imperatores Constantini M. exemplum laudabiliter se imitari posse credebant[4].

Praeterea imperatores non solum literis et legatis missis R. Pontificem, ut nullum alium episcopum, ad concilium honorificentissime invitabant[5], sed etiam nonnumquam in literis, quibus de concilio habendo

[1] De vita Constantini 3, 6. Cf. etiam H. E. 10, 5: Ep. ad Chrestum.

[2] Harduin III 1047 E; Mansi XI 202 A. [3] Eus., De vita Const. 3, 9.

[4] Cf. A. Charlas, Tract. de libert. Gallic. eccl. 8, 4, 13 (Opera II[3], Romae 1770, 71 sq).

[5] Scribit R. Pontifex Nicolaus I ad imperatorem Michaelem, ut attendat ad piorum antecessorum suorum studium et amorem erga sedem apostolicam, qualiter illi „pro colligendis conciliis . . . non imperaverint, sed precati et hortati solum exstiterint“ (Ep. 86: ML CXIX 959). Quod vere dixit Nicolaus. Exstant enim hodie adhuc epistulae, quibus invitantur R. Pontifices ad concilium quartum, sextum, septimum, in quibus omnibus imperatores non praecepto, sed precibus agunt. Ita

agebant, ipsius primatum directo agnovisse leguntur. Ita Valentinianus III literis ad imperatorem orientis Theodosium II datis, quibus Leonis I R. Pontificis de concilio oecumenico celebrando precibus accedebat, inter alia scripsit[1]: „Debemus... dignitatem propriae venerationis beato apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, quatenus beatissimus Romanae civitatis episcopus, *cui principatum sacerdotii super omnes* antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem *de fide et sacerdotibus iudicare.*" Atque idem Valentinianus una cum imperatore Marciano in alia epistula Leonem I vocat[2] „principatum in episcopatu divinae fidei possidentem". Item imperatrix Irene eiusque filius imperator Constantinus in literis, quibus Hadrianum I enixe rogabant, ut in concilio futuro interesse vellet, dicunt[3], eum a Christo „principalis sacerdotii dignitatem suscepisse", ipsumque praeterea vocant eum, qui sit vere „sacerdos primus" et qui „in loco et sede sancti et superlaudabilis apostoli Petri praesidet".

Ex iis quae dicta sunt, ulterius sponte sua illud fluit,

2. *R. Pontifici competere ius episcoporum in concilio congregatorum decreta confirmandi vel reprobandi.* Ubi tamen illud animadvertendum est, licet ex hodierno iure haec confirmatio fieri soleat speciali R. Pontificis decreto, tamen id necessario eo modo fieri non requiri ex natura rei et per se. Si enim legati mittuntur cum instructione aliqua, qua R. Pontifex iis, quibus rebus debeant consentire in concilio, quibus non debeant praescribit, atque si ulterius legati in concilio arcte sequantur hanc instructionem, ita ut nihil in concilio definiatur, quod contra hanc instructionem sit vel praeter eam, ex optimorum theologorum sententia expressa confirmatio subsequens non requiritur. Instructio enim legatis data est antecedens quaedam approbatio[4]. Unde

---

v. g. in epistula, qua Hadrianus I ad concilium VII vocatur, imperatores dicunt: „Rogamus vestram paternam beatitudinem, immo vero Dominus Deus rogat, ... ut det se ipsam et nullam tarditatem faciat et ascendat huc" (Harduin IV 22 B; Mansi XII 985 B). Quare iniuria Funk (Abhandlungen und Untersuchungen I, Paderborn 1897, 39—86) existimat, ius concilia convocandi imperatores existimasse ex imperatoria potestate fluere et independenter ab Ecclesiae concessione ei inhaerere. Hoc enim si esset, etiam praecepto se cogere posse R. Pontificem ad comparendum in concilio iudicare debuerunt illi; nam ius quod imperatoriae auctoritati per se competit, praecepto et coactione exerceri solet, et nisi ipsum R. Pontificem praecepto ad comparendum in concilio imperator adigere potuit, eo ipso concilii convocandi proprio iure caruit. Cum enim sine R. Pontifice concilium esse non possit, qui eum praecepto vocare non potest, concilium praecipere non potest. Cf. Zeitschrift für kathol. Theol. XXX (1906) 413 sqq.

[1] Inter ep. S. Leonis ep. 55 (ML LIV 859): *Ὀφείλομεν ... τῆς ἰδίας εὐλαβείας τὴν ἀξίαν τῷ μακαρίῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἄτρωτον καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις χρόνοις διαφυλάττειν, ἵνα ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως, ᾧ τὴν ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέσχε, χώραν καὶ εὐπορίαν ἔχειν περί τε πίστεως καὶ ἱερέων κρίνειν.*

[2] Ibid. ep. 73 (ib. 899). [3] Harduin IV 22 A; Mansi XII 984 E.

[4] Vide Bellarm., De conc. l. 2, c. 11.

mirum videri non debet, si conciliorum oecumenicorum v. g. III, IV, VII specialis approbatio subsequens non videatur locum habuisse; tali enim approbatione stabilienda solummodo ea erant, quae synodi illae legatis Romanis aut reclamantibus aut contra instructionem suam consentientibus statuerant. Quod si factum erat, confirmatio R. Pontificis revera petebatur a synodis. Sic concilium Chalcedonense petiisse confirmationem canonis 28 a Leone vidimus. Simile aliquid de Ephesino concilio anni 431 affirmari potest. Nonnullos enim Nestorii fautores non solum haec synodus damnaverat, sed etiam sedibus suis privaverat, eodemque modo etiam contra Ioannem episcopum Antiochenum procedere volebat. Hanc voluntatem suam Coelestino R. Pontifici nuntians, ita dicit[1]: „Ut autem illius temeritatem patientia vinceret, licet iuste hoc pateretur et legitime, servavimus iudicio Reverentiae tuae hoc (*τῇ κρίσει τῆς σῆς θεοσεβείας καὶ τοῦτο*)." Coelestinus autem in mitiorem partem reformavit illud decretum[2]. Ergo pro hac re, a Coelestino antea non praevisa, synodus confirmationem videtur petiisse[3]. Ultra instructionem suam progressi esse videntur etiam legati Romani in concilio VI oecumenico, cum non repugnarent damnationi Honorii R. Pontificis. Sed rursus illud concilium petiit actorum suorum confirmationem, cum ad Agathonem R. Pontificem sic scribit[4]: „Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus. Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis (*διὰ τιμίων ὑμῶν ἀντιγράφων ἐπισφραγίσαι*), vestram oramus paternam Sanctitatem."

Nec difficultatem movet, quod in II ac V synodo oecumenica legati R. Pontificis nulli praesentes aderant; his enim conciliis saltem postea consensus capitis Ecclesiae accessit. Secundum concilium anni 381 quoad partem dogmaticam agnoscit Gregorius Magnus[5]; quintum synodus Romana anni 649[6] et synodus oecumenica anni 680, quae act. 18 in prooemio definitionis diserte quintum concilium quatuor prioribus adiunxit[7]. Etiam Leo II R. Pontifex synodum illam suscepit[8]. Adverte, etiam concilium anni 381 priore tempore ne ab ipsis Graecis cum Nicaeno et Ephesino I eiusdem ordinis habitum esse[9].

3. *Praeterea conciliorum oecumenicorum praesidium* R. Pontifici ab omnibus tribuebatur[10]. Qua in re a nullo negatur, eiusmodi conciliis omnibus, quae in occidente habita sint, praesedisse R. Pontificem vel ipsum vel saltem per legatos. Quapropter illud tantum quaeri potest, utrum ipsius legati etiam prioribus octo generalibus conciliis in oriente celebratis vere praesederint necne. Cui quaestioni ut respondeamus,

---

[1] Inter ep. Coelestini ep. 20, n. 4 (Coustant 1174).
[2] Ep. 22, n. 8 (ib. 1201).
[3] Cf. Bianchi, Della potestà e della politia della Chiesa IV 568 sqq. Pagi ad a. 432, n. 2 3.
[4] Harduin III 1439 E; Mansi XI 687 B. [5] Ep. 7, 34 (ML LXXVII 893).
[6] Secr. 4 (Harduin III 838; Mansi X 1046).
[7] Harduin III 1396 C; Mansi XI 632 E.
[8] Ep. 3 (ML XCVI 405). [9] Hefele, Konziliengesch. II² 31.
[10] Cf. ib. I² 30 sqq.

incipiemus a conciliis tempore posterioribus, atque retrogradiendo ad primum ascendemus.

Concilio VIII anni 869 legatos suos praesidere debere Hadrianus II R. Pontifex literis, quas iis ad imperatorem Basilium deferendas dedit, directe declarabat. Scripsit enim[1]: „Volumus ergo, per vestrae pietatis industriam, illic numerosum celebrari concilium, cui nostri quoque missi praesidentes, et culparum personarumque differentias liquido cognoscentes, iuxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant." Quas literas cum legati Romani synodo praelegerent, concilii Patres non solum contra eam nihil dixerunt, sed legatorum nomina in actorum commentariis primo semper loco posuerunt, atque concesserunt, ut ab iis singularum sessionum tempus definiretur, orationes habendi actaque praelegendi novosque advenas admittendi facultas daretur, Patrum placitum et suffragia exquirerentur, verbo, omnia agerentur quae praesidi conveniunt[2]. Immo concilii Patres legatis interrogantibus, utrum consentirent, responderunt[3]: „Et nos adoramus vos et suscipimus vos *iudices,* et *iudicium vestrum tamquam ex persona Filii Dei habemus.*" — In sessione VI autem et reliquis cum etiam imperator Basilius cum filiis Constantino et Leone interesset, ipse dicitur *praesedisse*[4]. At in iisdem actorum locis imperator cum filiis ab ipsa synodo accurate secernitur, cum ipsis nominatis haec ubique subiungantur: *„conveniente sancta ac universali synodo"*. Imperator igitur non ut verus ipsius synodi socius habitus est; inter ipsos autem eius Patres R. Pontificis legati semper primo loco nominantur. Ipsi etiam quae in posterioribus sessionibus agerentur, definierunt[5], et actis primi ac nominatim ut „synodo praesidentes" subscripserunt, cum contra imperator ultimo loco post omnes episcopos subscribere primum voluerit, argumento sane evidenti, ipsum proprium concilii praesidem se non existimasse. Cum autem R. Pontificis legati ipsum rogarent, ut primo loco nomen subscribere dignaretur, respondit[6]: „Nostra serenitas imitata maiores nostros Constantinum M., Theodosium, Marcianum et ceteros, vult illa quidem post omnes episcopos subscribere; sed quoniam nos vestra sanctitas tali honore dignatur, secundum omnes demum sanctissimos vicarios subscribemus." Insuper imperatorem concilio non vere ac proprie praesidere voluisse patet etiam ex Hadriani II epistula ad imperatores postea data. In ea enim eos multum laudat, quod, ut ait[7], „non *iudicum* vel *assertorum,* sed *consciorum* tantum et *obsecundatorum* persona usi fuisse dignoscimini".

[1] Harduin V 768 E 1030 A; Mansi XVI 22 C 314 B.
[2] Cf. Harduin 781 C 782 sqq; Mansi 36 C 37 E.
[3] Harduin 785 D; Mansi 41 C.
[4] Harduin 823 D 838 A 896 C 1098 C; Mansi 81 C 96 C 157 D 398 D.
[5] Harduin 898 D 912 C; Mansi 159 E 178 E.
[6] Harduin 1106 B; Mansi 407 E. [7] Harduin 939 A; Mansi 206 B.

Atque multo etiam minus quam imperator eius procuratores ei praesidebant, cum in actorum commentariis semper post R. Pontificis legatos et vicarios orientalium patriarcharum, licet ante alios episcopos, ut „praesentes et audientes" nominentur[1] atque insuper actis non subscripserint. Contra Ignatius archiepiscopus Constantinopolitanus et vicarii patriarcharum aliquatenus praesidii participes fuisse dici possunt, cum una cum legatis Romanis, et semper ab aliis episcopis accurate distincti, atque ante imperatoris procuratores nominentur, et rerum gerendarum ordinem constituant[2], et decernant, qui ad synodi sessiones admittendi sint, et ante imperatorem actis subscribant. Nihilominus R. Pontificis legati manifeste principem locum tenent, quia primi et semper nominantur et subscribunt, et quod notatu dignum est, hac quidem ratione: „Huic sanctae et universali synodo *praesidens*", dum contra Ignatius et singuli vicarii aliorum patriarcharum subscribunt his verbis: „Sanctam hanc et universalem synodum suscipiens, et omnibus, quae ab ea iudicata et scripta sunt, concordans et definiens subscripsi." Negari igitur nullo modo potest, ultimi in oriente habiti concilii oecumenici praesides R. Pontificis legatos vere fuisse.

Idem constat de *concilio generali VII* (a. 787). Nam R. Pontificis legati *primi* et in singulis eius sessionibus inter eos qui adsunt nominantur[3] et actis subscribunt; contra imperatoris procuratores tantum post Tarasium archiepiscopum Constantinopolitanum et patriarcharum vicarios ut „praesentes et audientes" nominantur, nec etiam actis subscripsisse leguntur[4]. Ultimae sessioni, octavae, quae Constantinopoli in palatio Magnaura locum habuit, interfuerunt quidem et ipsa imperatrix Irene eiusque filius tamquam praesides *honoris causa,* et concilii decretis prioribus, quibus episcopi iam subscripserant, etiam ipsi subscripserunt. Ceterum videntur R. Pontificis legati, tametsi concilii praesides, rerum tamen maximam partem, ut ex actorum commentariis clare patet, commisisse Tarasio, utpote primo concilii auctori et R. Pontifici quam maxime amico.

In concilio oecumenico VI (a. 680) interfuit quidem etiam imperator Constantinus Pogonatus cum pluribus magistratibus, et non solum in actorum commentariis *praeses* dicitur, sed etiam tum ipse tum eius procuratores saepius rerum in synodo gerendarum modum curabant[5]; verum ab initio singulorum consessuum nominatis imperatore eiusque magistratibus dicitur: „conveniente quoque sancta et universali synodo (*συνελθούσης δὲ καὶ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου*)", et primi synodi ipsius, a qua imperator eiusque magistratus illa loquendi

[1] Harduin V 764 D 788 C; Mansi XVI 18 B 44 C, et alibi.
[2] Harduin 898 D 912 C; Mansi 159 E 178 E.
[3] Harduin IV 28 D; Mansi XII 992 E.
[4] Harduin IV 455 D 748 C; Mansi XIII 379 C 730 E.
[5] Harduin III 1059 A 1063 D 1067 D; Mansi XI 214 D 219 D 226 A, et alibi.

ratione evidenter distinguuntur, socii recensentur R. Pontificis legati[1]. Ipsi etiam perhibentur primi concilii actis subscripsisse, dum imperator *post* omnes episcopos subscripsit, et his quidem verbis: „Legimus et *consensimus*“[2], quibus discrevit atque distinxit se ipse a synodo proprie dicta. R. Pontificis legati igitur synodo huic proprie praesedisse dicendi sunt.

Nec obstat, quod Eutychius, schismaticus patriarcha Alex. (933—937), in Annalibus de ipso huius concilii initio loquens, scribit[3]: „Reiectis tribus diaconis, qui ab Agabio patriarcha Romano missi fuerant . . ., fuitque huius concilii sexti praeses Georgius patriarcha Constantinopoleos et Theophanes patriarcha Antiochenus.“ Nam *primum* nullus alius scriptor antiquus ulla ratione indicat, Agathonis legatos ad hoc concilium admissos non esse. *Deinde* si quae Eutychius affirmat vera essent, concilii huius acta ab initio usque ad finem penitus depravata et corrupta esse admittere deberemus, cum in singulis huius concilii publicis sessionibus legati illi ut praesentes et praesidentes referantur. Iam cum opinio, secundum quam huius concilii acta respectu solius quaestionis de Honorio depravata a nonnullis olim dicebantur, hodie universim fere reiciatur, quanto magis vane diceretur, *omnia* huius concilii acta depravata esse ac corrupta! *Tum* si Eutychius vera referret, prorsus non intelligeretur, cur et Agatho contra hanc legatorum repudiationem numquam reclamasset et Leo II huius concilii decreta primum confirmarit. *Denique* Eutychii auctoritas adeo magna non est, nam omnes concedunt, multa fabulosa eum proferre, licet in praefatione libri sui diligentiam accuratam promittat, ac alibi[4] etiam „disquisitionem longam et laborem multum“ suum commendet. Ipso de quo loquimur loco Agathonem R. Pontificem nominat Agabionem et tres eius legatos dicit omnes diaconos, quorum duo erant sacerdotes.

In concilio V oecumenico (a. 553) uti nec imperator Iustinianus, ita nec Pontifex Romanus Vigilius vel ullus eius legatus interfuit, quia contra Vigilii voluntatem huius synodi exordium non differebatur, usquedum multi etiam latini episcopi advenissent. Huic igitur concilio praefuit Eutychius, archiepiscopus Constantinopolitanus[5].

Quod porro ad *concilium oecumenicum IV* sive Chalcedonense (a. 451) spectat, Leo I post concilii indictionem imperatori Marciano scribens, se episcopum Paschasinum tamquam legatum suum missurum, haec subiunxit[6]: „Praedictum fratrem et coepiscopum meum vice mea synodo convenit *praesidere.*“ Atque ad ipsos concilii Patres haec Leo[7]: „Tamen in his fratribus, hoc est, Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifatio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, *me synodo* vestra fraternitas existimet *praesidere.*“ Et Paschasinus suo atque aliorum collegarum, quos ipsi Leo adiunxerat, nomine in tertia sessione concilii de Leone dixit[8]: „Nostram parvitatem huic sancto concilio pro se *praesidere praecepit.*“ Haud multo post rursus Leo ad

[1] Harduin III 1055 C 1061 E 1065 D; Mansi XI 210 C 218 C 223 A.

[2] Harduin 1402 C 1414 B 1435 B; Mansi 639 C 655 A 682 A.

[3] MG CXI 1114. [4] Ibid. 910.

[5] Harduin III 202 C; Mansi IX 388 D.

[6] Ep. 89 (ML LIV 931). Leonem istis verbis *ius* praesidii sibi vindicasse, et non tantum illud rogasse, monstrat Petrus de Marca, De concord. sacerd. et imp. l. 5, c. 6, n. 2 3. Cf. etiam notam Ballerini ad illa verba l. c.

[7] Ep. 93, c. 1 (ML LIV 937). [8] Harduin II 310 E; Mansi VI 986 A.

episcopos Galliae idem testatus est, cum de legatis suis scribit[1]: „fratres mei, qui vice mea orientali synodo *praesederunt*". Atque idem postea R. Pontifex Vigilius his verbis affirmavit[2] in epistula ad universam Ecclesiam data: „Cui [synodo scil. Chalcedonensi] sanctae recordationis decessor noster papa Leo per legatos suos vicariosque *praesedit.*" Ipsi vero Chalcedonensis concilii Patres in epistula synodica ad Leonem, ut iam supra retulimus, de se loquentes idem dixerunt[3]: „Quibus tu quidem, sicut membris caput, *praeeras* in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam praeferens." Quae testimonia tanti sane momenti ac ponderis sunt, ut nullum dubium superesse possit, quin R. Pontificis legati isti concilio praesederint.

Nihilominus etiam illud certum est, imperatoris procuratores sedem honoris in medio templo ante altaris cancellos habuisse[4], item ipsos in commentariis semper primo loco nominatos esse[5], rerum gerendarum ordinem constituisse, Patres congregatos in suffragium misisse ac consessibus finem imposuisse: ea omnia igitur egisse, quae conventus praesidi conveniunt[6]. Insuper in actione 12, in qua episcoporum Ephesinae ecclesiae Bassiani Stephanique causa iudicata est, Anatolius ante R. Pontificis legatos sententiam dixit, procul dubio id ipsi deferentibus apostolicae sedis legatis; de causa enim singulari et solam disciplinam spectante et Anatolio maxime nota agebatur, ideoque huic sessioni Anatolius sensu latiore et improprio praefuisse dici potest. Quare cum Sardiana synodus in epistula ad Leonem imperatorem de concilio Chalcedonensi dicit[7]: „cui regulariter praesederunt et maximae Romae sanctissimus et beatissimus archiepiscopus Leo per venerabiles episcopos directos et clericos, necnon et regiae Constantinopolis sanctissimus et venerabilis archiepiscopus Anatolius, et summi sacerdotes, qui ei concordes fuerunt, et similia decreverunt", manifesto praesidendi vocabulum de Anatolio aliisque eius sociis latiore quadam significatione usurpavit, prout id adhibetur de omnibus, qui in aliquo coetu dignitate eminent et primi sententiam dicunt, quamvis etiam inter eos aliquis sit maioris dignitatis, cui proinde primus locus et suffragii praerogativa debeatur.

Verumtamen certum manet, quod concilii Chaldonensis Patres in laudata ad Leonem I epistula dixerunt, ipsum per legatos synodo *proprie* praefuisse. Continuo enim post illa verba haec addiderunt: „Imperatores vero fideles *ad ornandum* decentissime praesidebant (*βασιλεῖς δὲ πιστοὶ πρὸς εὐκοσμίαν ἐξῆρχον*)." Imperatoris igitur procuratorum praesidium spectabat tantum ad ea, quae concilio externa erant, ad rerum scil. gerendarum ordinem, minime vero ad res internas ac concilio proprias, uti sunt controversiae de doctrina christiana et fidei definitiones. In his enim rebus ipsi sententiam nullatenus

[1] Ep. 103 (ML LIV 988). [2] Harduin III 5 C; Mansi IX 53 B.
[3] Inter ep. Leonis ep. 98 (ML LIV 951).
[4] Harduin II 66 D; Mansi VI 579 B.
[5] Harduin 54 B 274 D; Mansi 563 B 938 D.
[6] Harduin 67 B 70 E 90 A 114 A 271 D 307 C; Mansi 582 A 586 B 615 C 655 D 935 A 974 B.
[7] Cod. encycl. 22 (Harduin II 729 D; Mansi VII 571 D).

tulerunt; quinimmo se a concilio rectam fidem docendos esse diserte dixerunt[1], atque ita clare a concilio ipso sese distinguebant. Atque eandem hanc distinctionem etiam ipsum concilium fecit, cum in sui ipsius commentariis, postquam imperatoris procuratores primo loco nominati essent, haec addiderit[2]: „*Concilio* autem totius orbis conveniente . . . *id est, Paschasino*“ etc. Accedit insuper, quod nec imperator nec eius procuratores huius concilii actis subscripserunt, contra vero R. Pontificis legatus primus Paschasinus semper primo loco subscripsit, et saepius quidem ac praesente ipso imperatore diserte his verbis[3]: „synodo *praesidens*“. Itaque duplicis generis praesides huic concilio praefuerunt: secundum sententiam Constantini M. ad Patres concilii Nicaeni I dicentis[4]: „Vos quidem in iis, quae intra Ecclesiam sunt (*τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας*), episcopi estis. Ego vero in iis, quae extra geruntur, episcopus a Deo sum constitutus (*ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος*)“, imperatoris procuratores sedem honoris curamque rerum concilii externarum (*τῶν ἔξω*) habebant; R. Pontificis legati vero praesidebant *κατὰ τὰ εἴσω*, episcoporum scil. congregationi proprie dictae rebusque fidei ab ea gerendis, et absentibus imperatoris procuratoribus etiam negotiorum ordinem curabant, uti in sessione III[5].

Pro *concilio oecumenico III Ephesino* (a. 431) imperator Theodosius II procuratorem suum elegit comitem Candidianum, sed ut in epistula ad concilii huius Patres missa dicit[6], „ea lege et conditione, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas est enim, qui sanctissimorum episcoporum catalogo ascriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere (*ἀθέμιτον γὰρ, τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι*)“. Proxime deinde Theodosius Candidiani officium hoc esse statuit, ut homines Ephesum venientes supervacaneos inde expelleret, urbem tranquillam ac synodum tutam atque securam redderet, curaret etiam, ne in concilio ipso vehementes disceptationes orirentur, sed ut singuli episcopi sententiam libere proferrent, et res tranquillo modo perpensae et iudicatae communi concilio decernerentur; ut denique impediret, quominus synodi socii sua solum sponte eam derelinquerent aut de aliis doctrinis, quam quarum causa synodus convocata fuerat,

[1] Harduin II 386 B; Mansi VII 7 D.

[2] Harduin II 53 D; Mansi VI 566 B.

[3] Harduin 365 E; Mansi 1081 A.

[4] Eus., De vita Const. 4, 24.

[5] Harduin II 310 sqq; Mansi VI 938 sqq. Isto igitur latissimo et improprio sensu intelligenda sunt verba Gelasii I (Ep. 42, c. 2: Thiel 456), de conciliorum praesidio scribentis: „sanctam synodum Chalcedonensem *mediante* Marciano Aug. et Anatolio Constantinop. episcopo“. Secundum contextam enim orationem verbo „mediante“ significatur hic praesidium.

[6] Harduin I 1346 C; Mansi IV 1119 A.

controversiae theologicae agitarentur, vel de rebus privatis ageretur. Candidiano igitur res concilii maxime externae curae esse debuerunt, nullatenus vero eius potissimum propriae atque internae, negotia scil. ipsa ecclesiastica.

Romanus Pontifex vero Coelestinus I legatos suos nominavit duos episcopos Arcadium et Proiectum una cum presbytero Philippo[1], ita tamen, ut his diceret[2]: „Ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio, facietis. Et auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus.“ Coelestinus enim Cyrillum primarium sui vicarium pro concilio Ephesino constituit, ut patet tum ex his verbis, quae ei scripsit[3]: „Auctoritate tecum nostrae sedis adscita, vice nostra usus, hanc exsequeris [in causa Nestorii scil.] districto vigore sententiam“ etc.; tum ex eo, quod ipse non solum in catalogo episcoporum, qui in concilio aderant, primus ponitur, sed etiam dicitur[4] Coelestini locum obtinuisse. Cyrillus porro rerum in synodo gerendarum modum moderabatur partim ipse[5], partim per dioeceseos suae presbyterum Petrum, quem primicerium notariorum nominavit[6]; ipse quoque primus ante omnes alios episcopos subscripsit tum actis sessionis I, tum sententiae in Nestorium latae. In sessione II Cyrillus pariter praefuit concilio, diciturque locum Coelestini tenere[7]. In hac secunda sessione aderant etiam alii R. Pontificis legati et una cum Cyrillo deinceps synodo praesidebant, ita tamen, ut ipse etiam postea habitis singulis sessionibus Coelestini vicarius diceretur[8], et in subscriptionibus ipsius nomen primo semper loco positum sit[9]. Insuper Cyrillum Coelestini vicarium in hoc concilio fuisse testatur Evagrius Scholasticus[10]; praesidem autem huius concilii eum diserte dicunt R. Pontifex Vigilius in fidei professione[11], et Mansuetus episcopus Mediolanensis in epistula ad imperatorem Constantinum Pogonatum data[12]. Ab aliis veteribus ambo, Coelestinus et Cyrillus, praesides synodi Ephesinae dicuntur; ita certe saepius in commentariis concilii Chalcedonensis[13], necnon ab imperatore Marciano[14], et ab episcopis Armeniae primae in epistula ad imperatorem Leonem[15].

[1] Harduin I 1473 E; Mansi IV 1291 D.
[2] Harduin 1347 E; Mansi 556 B.
[3] Harduin 1323 C; Mansi 1019 E.
[4] Harduin 1353 B; Mansi 1123 B.
[5] Harduin 1358 B 1422 C; Mansi 1130 D 1211 B.
[6] Harduin 1355 C 1362 A 1419 B; Mansi 1127 D 1135 B 1207 C.
[7] Harduin 1466 B; Mansi 1279 E.
[8] Harduin 1486 B 1510 E; Mansi 1306 B 1342 C.
[9] Harduin 1527 A; Mansi 1303 C. [10] H. E. 1, 4.
[11] Harduin III 10 E; Mansi IX 62 B.
[12] Harduin III 1052 A; Mansi XI 204 E.
[13] Harduin II 402 A 451 E; Mansi VII 30 D 110 B.
[14] Harduin 671 D; Mansi 494 B.
[15] Harduin 742 C; Mansi 588 C.

Quae cum ita sint, manifesto nihil obest, quod in relatione synodi Ephesinae ad imperatorem pro restitutione Cyrilli et Memnonis *uterque* vocatur[1] synodi princeps (ἔξαρχος τῆς ... συνόδου). Certum enim est, Memnonem locum praesidis in concilio Ephesino numquam tenuisse; potuit ipse tamen ἔξαρχος eiusdem vocari propter fervorem, quem in profligenda nestoriana haeresi tum ante concilium, tum in eo ipso exhibuit, et maxime quidem in istis literis, quae totae sunt commendatitiae. — Multo minus praesidio legatorum R. Pontificis repugnat, quod ipsi in actis saepius dicuntur συνεδρεύειν, considere cum episcopis, ubi non agitur de eo, utrum concilio ipsi praesideant necne, sed ubi Patres tantum significare volunt amplitudinem concilii et miram consensionem sententiarum, uti v. g. cum in alia ad imperatorem relatione dicunt[2]: „Ad serenitatem vestram referimus, oecumenicam synodum, quae universum occidentem cum magna vestra Roma et apostolica sede, totam item Africam et totum Illyricum in consensu suo habet etc. (ἡ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ πᾶσαν μὲν τὴν δύσιν μετὰ τῆς μεγάλης ὑμῶν Ῥώμης καὶ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου συνεδρεύουσαν ἔχουσα, πᾶσαν δὲ τὴν Ἀφρικὴν καὶ πᾶν τὸ Ἰλλυρικὸν etc.)." Ex occidente tamen solus R. Pontifex per legatos interfuit. Insuper si praeses consilii regii cum ceteris eiusdem sociis, vel episcopus cum suo collegio ad deliberandum considet, num ideo ipse praeses esse cessat?

Concilio oecumenico II nec R. Pontifex Damasus ipse nec eius legatus praefuit, cum hoc concilium per se non fuit oecumenicum.

Quaeritur denique, quis *concilio Nicaeno I,* omnium oecumenicorum primo, praefuerit[3]. Ac primum quidem constat, eius praesidem non fuisse imperatorem Constantinum.

Auspicatus quidem est Constantinus sollemni oratione concilium, atque honoris sedem in singulis eius consessibus tenuit; verum Eusebius, qui et huius rei testis oculatus et simul Constantini admirator fuit, diserte dicit[4], Constantinum, postquam episcopos oratione salutasset, deinceps *concilii praesidibus* sermonem concessisse. Non igitur ipse praeses erat Constantinus. Praeterea catalogi adhuc exstant, in quibus enumerantur ii, qui actis concilii subscripserunt; in his autem Constantini nomen hodie non legitur. Et si vere imperator Basilius Macedo in concilio oecumenico VIII (a. 869) affirmavit[5], Constantinum M. *post* omnes episcopos Nicaeni concilii actis subscripsisse, id ipsum tamen monstraret, Constantinum se ut proprium concilii praesidem non gessisse. Deinde non videtur ipse iam ab initio synodi affuisse, cum allata Eusebii verba: παρεδίδου ... τοῖς προέδροις significent, Constantinum concilii praesidibus, *qui iam aderant et omnibus noti erant,* loquendi facultatem dedisse. Tum traditos ipsi plures libellos, quibus sacerdotes alii alios accusabant, combussit ac dixit[6], nefas sibi esse de *sacerdotum*

---

[1] Harduin I 1599 A; Mansi IV 1443 B.

[2] Harduin 1591 C; Mansi 1434 C.

[3] Stimmen aus Maria-Laach LXXVII (1909) 503—522.

[4] De vita Const. 3, 13: *Παρεδίδου τὸν λόγον τοῖς τῆς συνόδου προέδροις.*

[5] Harduin V 921 E 1106 B; Mansi XVI 188 E 407 E. Iam Gelasius Cyzicenus (Hist. conc. Nic. 2, 29: MG LXXXV 1313) dicit: „Postquam [Nicaeae] decisio de fide ... subscriptionibus confirmata a synodo *et imperatore* erat" ...

[6] Sozom., H. E. 1, 17.

causis iudicare. Denique Constantini verba, quibus se rerum Ecclesiae externarum tantum episcopum esse affirmavit, conveniunt solum cum nostra sententia, secundum quam ipse non proprius concilii Nicaeni praeses fuit. — Quodsi vero in decreto de recipiendis et non recipiendis libris, quod Gelasio plerumque ascribitur, recipiendas esse legimus[1]: „S. synodum Nicaenam 318 Patrum, mediante maximo Constantino Augusto, s. synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Coelestini papae, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio episcopo ab Italia destinato", non sequitur, ut Constantinus eodem modo se habuerit ad concilium I, quo Cyrillus ad II. Addit enim Gelasius ea nomina, ut quam clarissime de quibus conciliis agatur constet, non ut qui iis praesederit enuntiet. Eusebius[2] vero cum de Constantino in concilio Nicaeno praesente dicit: βασιλέως μέσου τῆς ἁγίας συνόδου προκαθεζομένου, intelligendus est de sede honoraria, quam medio in concilio habebat.

Neque probari potest, huic concilio praefuisse illum episcopum, qui ad Constantini dexteram proximus sedisse refertur, quique illum in concilium venientem oratione salutavit[3].

Eusebius enim *plures* praesides fuisse testatur, et certo monstrari nequit, quis ille episcopus fuerit. Secundum Sozomenum[4] et secundum inscriptionem capitis illius de vita Constantini 3, 11 is fuit Eusebius Caesareensis ipse, idque inde confirmatur, quod Eusebius illius episcopi nomen ideo fortasse tacuit, quia se ipsum nominare noluit. At cum Caesareensis sedes non esset apostolica ideoque Eusebius non esset ex numero primorum archiepiscoporum, qui postea patriarchae appellati sunt, ipse non potuit concilii praeses esse. Quod autem ille episcopus ad imperatoris dexteram primo loco sedebat, nihil probat. Praesidis enim sedes in medio, non in aliqua parte fuit; atque insuper valde verisimile est, illos archiepiscopos, qui postea patriarchae declarati sunt, vel eorum vicarios iuxta imperatorem, Eusebium vero in serie metropolitarum ad eius dexteram primo loco sedisse. — Ceterum Theodoretus illam orationem ab Eustathio, Antiochense antistite, habitam esse affirmat[5], qui utpote patriarcha et vir magnae famae et unus ex praecipuis Nicaeni concilii Patribus, potiore iure eligi potuisset praeses. Nihilominus quominus asseratur, ipsum eumque solum fuisse huius synodi praesidem, obstat tum pluralis numerus nominis ab Eusebio adhibiti προέδροις, tum etiam quod patriarcha Alexandrinus Antiochensem ordine antecedebat.

Nec una cum Eustathio Alexandrum praesulem Alexandrinum praesidem fuisse teneri potest, licet a pluribus[6] id defendatur hac ratione, quod Eustathius a synodo in epistula ad ecclesiam Alexandrinam data vocetur κύριος καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων in concilio. Verum si Patres hic dicere voluissent, patriarcham Alexandrinum etiam synodo praefuisse, adhibuissent procul dubio nomen πρόεδρος vel προστάς, quod utrumque praesidem significat, non vero κύριος, cum praeses concilii eius dominus vere ac proprie dici non possit; ideo hoc nomine Alexandrinorum episcopum potius honoris causa nomi-

---

[1] Ep. 42, c. 2 (Thiel 456). [2] De sollemn. pasch. n. 8 (MG XXIV 701).
[3] Eus., De vita Const. 3, 11. [4] H. E. 1, 19.
[5] H. E. 1, 6. Cf. Nic. Chon., Thes. l. 5, c. 7 (MG CXXXIX 1367).
[6] Schröckh, Kirchengesch. P. 5, p. 354. Friedrich, Zur ältesten Gesch. des Primats § 13, p. 141 sqq.

narunt hoc sensu, quod ipse maximae fuerit in concilio auctoritatis, tum propter sedis suae ordinem, tum quia statum suae ecclesiae et pericula ac mala ab arianis et meletianis ipsi imminentia optime cognita habens, arianos iam prius damnaverat nihilque non egit et ante concilium et sine dubio in eo ipso, ut ecclesiae suae pax redderetur, ideoque suggessit, quid ad eam procurandam decernendum esset. Quare haud temere Sirmondus illam synodi locutionem reddidit: „gestorum auctor et particeps“ [1].

Communior igitur sententia probanda est, Hosium Cordubae in Hispania episcopum *ut R. Pontificis vicarium* una cum duobus presbyteris Vito et Vincentio a Silvestro Roma missis concilio Nicaeno I praesedisse [2].

Certe id indicat iam satis S. Athanasius de eo dicens [3]: „Quae synodus, cui ille non praefuerit (*ποίας γὰρ οὐ καθηγήσατο συνόδου*)?“ Idemque de eo repetit Athanasius scribens [4]: *Ποίας γὰρ οὐχ ἡγήσατο συνόδου?* Nulli enim alteri synodo priori Hosius ut praeses praefuisse legitur; in actorum commentariis enim synodi Illiberitanae (a. 300 aut 306) ipsius nomen inter episcopos, qui in ea interfuerunt, positum est secundo loco [5]. Et licet concilio Alexandrino a. 324 habito Hosius etiam interfuerit, procul dubio tamen Alexander patriarcha Alexandrinus, totius Aegypti praesul, ei praefuit. Unde allata Athanasii verba tantummodo ad concilium Nicaenum referri possunt; nec enim adversarii probare valent, verbum *καθηγήσατο* latiore solum sensu de praesidio intelligenda esse, eo scil., quo Hosius intelligentia et famae celebritate ceteris praestiterit. — Ad Hosii praesidium videtur etiam facere, quod ariani de eo dixerunt [6]: „Hic Nicaenam fidem edidit (*οὗτος ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο*)“, id quod vix dixissent de eo qui utcumque concilii socius fuisset. Atque idem sat clare etiam Gelasius Cyzicenus saeculo V testatur. Scribit enim primum [7]: „Ipse etiam Hosius ex Hispaniis, nominis et famae celebritate insignis, *qui Silvestri episcopi maximae Romae locum obtinebat,* una cum Romanis presbyteris Bitone et Vincentio cum aliis multis in consessu illo affuit.“

---

[1] Stimmen aus Maria-Laach LXXVII (1909) 508 sqq.

[2] Hagemann (Die römische Kirche 565 sqq) vult, cum illis tribus simul et Alexandrum Alex. et Eustathium praesedisse, ita tamen, ut legati R. Pontificis principem locum tenuerint. Vult autem ipse hoc tum ideo, quod Hosius cum duobus presbyteris Romanis *unus* moraliter praeses fuerit, cum tamen Eusebius de *pluribus* loquatur, tum quia probabile non sit, simplices presbyteros etiam a R. Pontifice missos in eo concilio, in quo eminentissimi orientis episcopi affuerunt, ita praesides fuisse, ut absente Hosio aliquando ipsi soli concilio praesiderent. Quae sententia licet ut probabilis admittatur, nobis vere adversa non est.

[3] Apol. de fuga sua c. 5 (MG XXV 650).

[4] Hist. arianor. ad monachos c. 42 (ib. 743); cf. Theodoret., H. E. 2, 12.

[5] Harduin I 249B; Mansi II 5C.

[6] Apud Athanas. l. c.

[7] Hist. conc. Nic. l. 2, c. 5 (MG LXXXV 1230).

Neque hoc testimonium, quod Gelasius inseruit loco, quem ceteroquin ex Eusebio transcripsit, nullius auctoritatis dici potest, eo quod Gelasius haec verba tamquam ex Eusebio, apud quem non reperiantur [1], sumpta referat. Ex Eusebio enim se haec quae inserit verba transcripsisse Gelasius nullatenus indicat, atque etiam alias hinc inde nonnulla Eusebii narrationi addidit, quae aliunde ipsi nota erant. Ita continuo post allata de Hosio verba etiam aliquid de episcopo Byzantino inseruit, et paulo post in eodem capite episcoporum Nicaeni concilii numerum 250 ab Eusebio indicatum in numerum „trecentorum et amplius“ commutavit. Etiam Photius hoc Gelasii opus dicit [2] historiam minima quaeque in synodo Nicaena gesta narrantem. Ceterum Gelasius deinde scribit [3]: „Sancta et magna et generalis synodus sanctorum Patrum Nicaeae congregatorum per beatum et sanctum Hosium, episcopum civitatis Cordubae in Hispania, tenentem locum episcopi Romani, cum praedictis eiusdem sedis presbyteris, altero ipsum interpretante, dixit“ etc.

Quibus locis satis Gelasius testatur, Hosium ut R. Pontificis vicarium una cum duobus aliis eiusdem legatis Nicaeno concilio praefuisse. Cum enim ipse huius concilii historiam circa a. 475—477 scripserit, probe certe novit, etiam synodo Ephesinae a. 431 celebratae praeter legatos ex Italia missos alium magnae famae episcopum, Cyrillum Alexandrinum, R. Pontificis locum tenentem una cum illis primo loco praesedisse; unde concludendum est, ipsum modo omnino simili narrantem Hosium una cum et prae ceteris R. Pontificis legatis eius locum tenuisse, eo ipso etiam tamquam per se clarum et universim admissum referre voluisse, Hosium cum aliis duobus presbyteris Romanis concilio Nicaeno praefuisse. Praeterea si hoc dicere voluit, optime intelligitur, cur altero loco scribat, synodum per Hosium locutam esse, neutiquam vero id intelligitur, si Hosium concilii *praesidem* fuisse non existimasset. Hoc porro duplex Gelasii testimonium haud levis profecto momenti est; ac certe Photius Gelasii de Hosii praesidio dictum referens [4] eius veritatem nullatenus addubitavit. Et vero quamvis non singula, quae propria auctoritate nixus dixit, fide digna habeantur, ut v. g. relatio de disputatione cum philosopho in concilio Nicaeno habita, ideo tamen non ea omnia reicere et falsa declarare licet, ac minime id tunc licet, cum, quod ipse affirmat, cum aliis veterum dictis concordat. Consentiunt autem in re de qua agimus cum Gelasio alii veteres, ut patet ex iis quae diximus.

Hosium concilio Nicaeno praesedisse colligitur etiam ex eo, quod Socrates aut ille quem is recitat catalogus subscriptionum, praecipuos illius socios recensens, eos hoc ordine nominat [5]: „Hosius, episcopus Cordubae Hispaniae; . . . Vitus et Vincentius presbyteri urbis

---

[1] Morinus (Exercitationes eccl. et bibl., Paris. 1669, l. 1, exercit. 20, p. 53) dicit quidem: „Verum in Eusebii textu foedam esse lacunam, quae sit ex Gelasio Cyziceno explenda et restituenda . . . multis argumentis facile esset evincere.“

[2] Biblioth. cod. 15 (MG CIII 56).

[3] L. 2, c. 12 (MG LXXXV 1250): *Ἡ ἁγία καὶ μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος τῶν ἐν Νικαίᾳ συναχθέντων ἁγίων Πατέρων ἡμῶν διὰ τοῦ μακαρίου καὶ ἁγίου ἐπισκόπου Ὁσίου πόλεως Κουρδούβης τῆς τῶν Σπάνων ἐπαρχίας, ἐπέχοντος καὶ τὸν τύπον τοῦ τῶν Ῥωμαίων ἐπισκόπου σὺν τοῖς ἐκ τοῦ αὐτοῦ θρόνου προαναφωνηθεῖσι πρεσβυτέροις ἑρμηνεύοντος αὐτὸν ἑτέρου, εἶπεν...*

[4] Cod. 88 (MG CIII 292). [5] H. E. 1, 13.

Romae; Aegypti Alexander episcopus; Magnae Antiochiae Eustathius; Hierosolymorum Macarius; Harpocratio Cynopoleos, et reliqui.“ Manifesto enim Socrates vel catalogus ille concilii socios secundum dignitatis ordinem, quem in eo habebant, enumerat; numquam vero Socrates Graecus Hosium una cum presbyteris Romanis magnis illis orientalium patriarchis praeposuisset, si eum R. Pontificis vicarium et concili praesidem non habuisset. Nec obest, quod Socrates post Macarium etiam Cynopoleos episcopum nominat, qui nec per se nec propter praestantiam sedis praecipuam eiusmodi mentionem exigebat. Ut enim observarunt Fratres Ballerini[1], is „ea tantum de causa nominatus dici potest, quod Socrates inter ceteros episcopos unum aliquem nuncupaturus eum primum in suo catalogo invenit, uti primus sane post. Alexandrum Alexandrinum notatur in catalogo versionum Priscae et Isidorianae“.

Insuper Hosium R. Pontificis vicarium et concilii praesidem fuisse declarant sufficienter huius synodi subscriptiones.

Patrum scil. Nicaenorum, qui nomina sua subscripserunt actis concilii, varii variis linguis conscripti exstant catalogi[2]. Graecum laterculum solummodo tradunt Theodorus Lector (saec. VI) in compendio adhuc inedito historiae ecclesiasticae, et codex aliquis Vaticanus. Contra latina lingua catalogi exarati in multis libris manu scriptis servati sunt. Syriacum laterculum habent Ebedjesu Sobensis († 1318) et codex Nitriensis, qui servatur Londinii in museo Britannico. Armeniacae versionis indices ex syriaca vel graeca lingua translati sunt, arabica versio probabilius fluxit ex syriaca[3]. Etiam coptica versio exstat.

Qui indices inter se plus minus differunt et partim manci, partim vitiati sunt. Latinorum v. g. indicum quatuor quasi familiae distingui possunt, quarum duae priores 217, tertia 220, quarta 195 nomina exhibent; graeci catalogi numerant 212 et 165, syriaci 218 et 221, armeniacus 211, copticus, qui in fine mutilus est, 165 episcopos. Nullus igitur laterculus continet 318 nomina, excepto arabico, qui tamen solummodo variis artificiis adhibitis ad hunc numerum pervenit. Optimae auctoritatis sunt indices latini primae et secundae familiae et syriacus Nitriensis, pessimae graecus Vaticanus et arabicus, qui etiam in hoc ab omnibus aliis catalogis Nicaenis differunt, quod soli nomina secundum ordinem provinciarum non habent disposita.

---

[1] De graec. can. collect. P. 1, c. 3, § 1, n. 2, apud Gallandi, De vetustis canon. collect., Venetiis 1778, 103; etiam apud MG LVI 26. Ubi annotant Ballerinii, in catalogo, quem habuit ante oculos Socrates, sicuti etiam in catalogis adhuc exstantibus, post Macarium scriptum fuisse: „Harpocration Alphocranon; Adamantius Cynon“, lapsu autem oculi factum esse, ut cum prioris nomine episcopi posterioris sedes coniungeretur.

[2] Post Ballerinios fratres, Maassen, cardinales Pitra et Mai, aliosque de his agit liber qui inscribitur: Patrum Nicaenorum nomina latine, graece, coptice, syriace, arabice, armeniace sociata opera ediderunt H. Gelzer, H. Hilgenfeld, O. Cuntz, Lipsiae 1898. — Praeter collectiones conciliorum (Harduin I 311 sq) catalogi Patrum Nicaenorum etiam inveniuntur apud Ballerinios l. c., MG LVI 374 766 et apud C. Hamilton Turner, Ecclesiae occidentalis monumenta iuris antiquissimi Fasc. 1, P. 2, Oxonii 1904, 35—96.

[3] Anno 1908 ex codice Sinaitico publici iuris factus est index aliquis graecus, qui prototypon arabici indicis esse videtur. Cf. Byzant. Zeitschr. XVII, Leipzig 1908, 624.

Iam vero, ut ait Gelzer[1], „omnes indices, Athanasii synodicon secuti, in eo conveniunt, quod primo loco Hosium Cordubensem et Romanos legatos ponunt, dein episcopos secundum provincias dispositos enumerantes, initium cum Aegypto faciunt".

Duplex horum initiorum forma distingui potest. Altera forma, quam praebent latinorum laterculorum familiae prima et secunda, Theodorus Lector, Ebedjesu, Armenus, sic se habet: „Osius episcopus civitatis Cordubensis provinciae Spaniae dixit: ita credo sicut superius scriptum est. Victor et Vincentius presbyteri urbis Romae subscripserunt." Sequuntur deinceps nomina episcoporum sola addita urbe episcopali: „Alexander Alexandriae Magnae. Alphocration Alphocranon" etc. Forma altera, quam sequuntur latinorum catalogorum familiae tertia et quarta, Syrus Nitriensis, Coptus, hoc modo fere se habet: Hosius episcopus Cordovae: sic credo. Victor et Vincentius presbyteri *pro venerabili viro papa episcopo Silvestro subscripsimus,* sicut supra scriptum est. — Soli ii indices, qui pessimae auctoritatis sunt, arabicus scil. atque graecus et Vaticanus et Sinaiticus, Hosium et presbyteros Romanos longe ab initio catalogi removent, sed eorum loco ambo illi catalogi substituunt Silvestrum Pontificem Romanum, ita ut hic primo loco ponatur. Hodierna forma indicis Sinaitici Silvestrum loco 160 habet, primitus tamen eum primo loco positum fuisse manifestum est[2].

Quod autem Hosius cum presbyteris ante omnes etiam honoratissimos orientis episcopos subscripsit, commode explicari non potest, nisi admittamus, Hosium cum presbyteris Romanis concilio Nicaeno praesedisse tamquam R. Pontificis legatum. Sic rem iam intellexit Gelasius Cyzicenus, cum Hosium subscribentem facit[3]: „Osius episcopus Cordubae sanctis Dei ecclesiis, quae Romae sunt et in Italia et in Hispania tota ... per eos qui cum ipso erant, Romanos presbyteros Vitonem et Vincentium." Ubi Hosius inducitur tamquam vices gerens Romae et totius occidentis. Nec in hac sententia mirum est, quod solum presbyteri nomine R. Pontificis subscripsisse dicuntur, de Hosio vero id non additur. Presbyteri enim cum ius subscribendi per se non habuerint, cur subscripserint significandum erat; de Hosio episcopo id annotare opus non erat. Ac certe neque Cyrillus, cum in concilio Ephesino primo loco subscriberet[4], locum R. Pontificis se tenere addidit, licet eius vicarius fuerit. Deinde Hosium R. Pontificis vices Nicaeae gessisse suadetur analogia reliquorum conciliorum generalium, in quibus, dummodo in concilio affuerint, semper primo loco subscribunt Romani legati. Praeterea Hosium nisi admittamus ut R. Pontificis legatum, cur primo loco ponatur non explicatur.

Nec enim admitti potest, Hosium ideo primum subscripsisse, quod apud imperatorem gratia et auctoritate multum valebat. In nullius enim alterius synodi actis subscriptionum ordo legitur respondisse auctoritati et gratiae, qua singuli episcopi apud imperatores valebant, sed solis dignitatum ecclesi-

---

[1] L. c. LI sq. [2] Byzant. Zeitschr. XVII 624.
[3] Hist. conc. Nicaeni 2, 27, 36 (MG LXXXV 1310 1342).
[4] Harduin I 1527 A; Mansi IV 1363 C.

asticarum gradibus. Ac profecto si concilium Nicaenum in subscriptionibus suis gratiae et auctoritatis apud imperatorem rationem habuisset, Eusebius Caesareensis, Constantino Magno adeo acceptus, certe inter primos subscripsisset. Revera autem subscribit loco vel 23 vel 25 vel 28.

Atque non magis ratio, cur Hosius primus subscripserit, repetenda est vel ex eius meritis vel nominis celebritate. Nam neque secundum haec in conciliis certus subscribendi ordo umquam institutus et servatus est, et inprimis id factum non est in concilio Nicaeno, in quo non solum inter episcopos multi erant vel virtutibus vel cruciatibus Christi amore superatis vel supernaturalibus donis et toleratis in christianae religionis gratiam laboribus quam maxime illustres, sed a quo etiam patriarchalium sedium iura proprio canone confirmata sunt. Non igitur permittere synodus potuit, ut Hosius mediocris in Hispania ecclesiae episcopus et Hispalensi metropolitae immediate subiectus, in oriente ante legatos sedis Romanae, ante Alexandrinum et Antiochenum patriarchas, ante totius Africanae ecclesiae primatem Caecilianum propter nominis celebritatem vel meritorum magnitudinem primus actis subscriberet, quin ipsa canonem suum prima violasset. Praeterea ex ipsis subscriptionum catalogis manifestum est, omnes *episcopos,* excepto solo Hosio episcopo, secundum provincias subscripsisse, ita ut semper primum subscriberet metropolita, dein episcopi eius suffraganei. Inter ipsas autem provincias alius ordo servatus fuisse non videtur, quam ut Alexandrina pro sua dignitate omnes alias praecederet. Singulis quoque subscribentium turmis propositum est nomen provinciae ecclesiasticae, ad quam illae pertinebant; modo Hosius et duo illi presbyteri Romani primo loco subscribentes nomen propriae ipsorum provinciae non annotarunt. — Nec opponere licet, synodum Nicaenam ex Graecis maxime constantem illos tres Latinos primo loco subscribere permisisse ob id ipsum, quod occidentales erant; nam versus finem omnium subscriptionum aliquae provinciae latinae, ex quibus nonnulli episcopi concilio intererant, singillatim nominantur. Cum autem Galliae et Africae ecclesiae ad finem catalogi positae sint, profecto etiam Hispania eodem illo ultimo loco nominata esset, si Hosius tantum ut huius provinciae legatus in synodo interfuisset. Id ipsum autem, quod Hosius et duo presbyteri Romani subscriptionibus suis nomen provinciae ecclesiasticae non proposuerunt, indicat, ipsos non ut vicarios alicuius particularis provinciae, sed ut praesides concilii adfuisse, de quibus Eusebius loquitur. — Nec etiam obest, quod in uno alterove posterioris aetatis scripto, ut in praefatione maiore ad concilium Nicaenum, in Gelasii I epistula 42 sive decreto de recipiendis vel non recipiendis libris, in catalogo Feliciano aliisque, Hosii ut praesidis illius concilii mentio non fiat, cum sane non singulorum illorum scriptorum consilium fuisse iure sumi possit, ut singula et universa ad illud concilium vel ad eius praesidium pertinentia diserte referrent et commemorarent [1].

[1] Cf. Nat. Alexander, H. E. saec. IV, diss. 12 (VII 414). — Falso igitur Janus (p. 82 sq) haec scribit: „Auch der Vorsitz auf den großen Synoden wurde den Päpsten und ihren Abgeordneten nicht immer eingeräumt, obwohl ihnen der erste Rang in der Kirche damals von niemandem streitig gemacht wurde. Zu Nicäa, auf den beiden ephesinischen Synoden 431 und 449 (!), auf der fünften von 553 führten andere den Vorsitz; nur zu Chalcedon 451 und zu Konstantinopel 680 präsidierten die päpstlichen Abgeordneten. Daß die Päpste selbst dieses Recht nicht als ein ihnen allein gebührendes in Anspruch nahmen, zeigt das Verhalten Leos I.,

β) Ecclesia non refragante R. Pontifices usi sunt potestate episcopos et patriarchas, etiam orientis, confirmandi, loco movendi, restituendi.

α') *Primum igitur* R. Pontifices orientis episcoporum atque etiam patriarcharum institutionem dicto sensu *confirmasse* dicimus. Certe cum Constantinopolitanus episcopus constitutus esset Nectarius, imperator Theodosius anno 382 legatos misit ad Damasum R. Pontificem, qui factae institutionis confirmationem impetrarent. Testatur id Bonifatius R. Pontifex, ad episcopos Dardaniae etc. haec scribens[1]: „Clementissimae recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem propterea, quia in nostra notione non esset, *habere non existimans firmitatem,* missis e latere suo aulicis cum episcopis formatam huic a sede Romana dirigi regulariter depoposcit, *quae eius sacerdotium roboraret.*" Quo de facto quamvis veteres historici nihil referant, minime tamen dubitandum est. Habemus enim synodi Constantinopolitanae literas, Theodosio imperatore praesente conscriptas, quibus Damasus de Nectarii ordinatione certior fit, ac de illa gratulari rogatur. Facile autem fieri potuit, ut Damasus id nonnihil differret, et hinc imperator existimaret *formatam,* quam exspectabat, sollemni legatione postulandam esse[2]. *Formatae* autem nomine hic intelliguntur literae communionis indices, quibus recentis episcopi ordinatio approbatur. — Atque ex hoc facto apparet, adiudicatum fuisse R. Pontifici ius, Constantinopolitanorum praesulum ordinationem aut assensu confirmare, aut dissensu, i. e. communionis literas denegando, irritam reddere; hoc autem ius R. Pontifex sine primatu iurisdictionis in totam, ergo etiam in orientalem ecclesiam, habere non potuit. Nam R. Pontifex non, quia primus est patriarcha, imperium habet in Constantinopolitanum aut in ceteros patriarchas, sed solum quia est Ecclesiae universae primas, Petri successor et Christi vicarius generalis, quemadmodum etiam quilibet archiepiscopus non ideo, quod est primus episcopus, sed solum quod solus est archiepiscopus provinciae, ceteris suae provinciae episcopis praesidet[3]. Et quilibet patriarcha propterea solum eminet potestate super omnes archiepiscopos sibi subiectos, quod in tota ea regione est summus ac solus patriarcha.

Et ab hoc saltem tempore constans fuit mos, ut electus Constantinopolis praesul a Romano Pontifice electionis confirmationem

---

der seine Abgeordneten nach Ephesus schickte, obgleich er wußte, daß der Kaiser nicht ihn, sondern den Bischof von Alexandrien zum Präsidenten ernannt hatte." Similiter falso Ellies Dupin (Nouv. bibliothèque des auteurs ecclés. II, Paris 1701, siècle IV, P. 3, p. 1113 in nota d) de concilio Nicaeno: „Il y a plus d'apparence que ce fut Osius qui y présida en son nom, et non pas au nom du Pape.... Et aucun ancien n'a dit, qu'il ait présidé à ce concile au nom du Pape. Gélase de Cysique, qui l'a assuré le premier, le dit sans preuve et sans autorité."

[1] Ep. 15, n. 6 (Coustant 1043). [2] Coustant 1043 in nota.

[3] Bellarmin., De Rom. Pontif. l. 2, c. 18.

peteret. Quod patet ex eo, quod Hormisdas, Pontifex Romanus 514—523, conquestus est de Epiphanio, quod episcopus Constantinopolitanus ordinatus ad ipsum nec scripserit nec legatos miserit. Scripsit enim ei[1]: „Mirati admodum sumus, *morem pristinum* fuisse neglectum.... Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad apostolicam sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse, ut ... *vetustae consuetudinis* formam recte compleres." Idem confirmatur ex epistulis Leonis I (440—461). Qui scripsit anno 453 de Anatolio electo Constantinopolis archiepiscopo[2]: „Anatolii episcopi ordinationem ... suspectam ... mihi fecerant consecrationis eius auctores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum: secutumque est, ut cum communionem apostolicae sedis expeteret, diu dandis ad eum pacis epistulis abstinerem." Dederat eas tamen postea cum propter imperatoris preces, tum maxime propter Anatolii ipsius luculentissima promissa, sed ita dedit, ut haec moneret[3]: „Illa est virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi, quae nullo se patitur errore vitiari: ut per totum mundum *una nobis sit unius castae communionis* integritas, in qua societatem tuae dilectionis amplectimur, et gestorum, quae sumpsimus, seriem necessariis, sicut oportuit, munitam subscriptionibus *approbamus.*" Et paulo post addit[4]: „Hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium volumus notitiam pervenire, ut qui Deo nostro deserviunt, de confirmata apud te pace sedis apostolicae gratulentur." Et cum postea Anatolius efficere tentaret, ut ipsius sedes prima post Romanam haberetur, haec Leo I ad imperatorem Marcianum[5]: „Satis sit praedicto, quod vestrae pietatis auxilio et *mei favoris assensu* episcopatum tantae urbis obtinuit"; idemque repetiit in literis ad Pulcheriam quoque datis[6]. Necessarius ergo habebatur R. Pontificis *assensus,* ut aliquis vere ac legitime Constantinopolitanam sedem occuparet, quamquam R. Pontifex huius ecclesiae patriarcha non erat. Necessitas igitur haec oriri tantum potuit, si R. Pontifex iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam habere iudicabatur.

Atque idem officium referendi confirmationis causa ad R. Pontificem ordinationem episcoporum maiorum sedium Leo I expressit pariter in literis ad Timotheum patriarcham Alexandrinum in locum usurpatoris Aeluri electum scribens[7]: „Cum ergo scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua utatur, exstiterint, sicut *necessarie et ex more fecisti,* ut ... ordinationis tuae ad nos scripta dirigeres, ita omni tempore in hoc officio perseveres, et de provectibus pacis saepe, quantum fieri potest, sollicitudini nostrae mittantur indicia."

Ante Leonem M. Perigenes cum ordinatus Patrae episcopus ab ista ecclesia non reciperetur, electus est Corinthiorum antistes, et cum

[1] Ep. 113 (Thiel 913 sq).
[2] Ep. 111, c. 1 (ML LIV 1021).
[3] Ep. 80, c. 1 (ib. 913).
[4] Ibid. c. 4 (ib. 915).
[5] Ep. 104, c. 3 (ib. 995).
[6] Ep. 105, c. 2 (ib. 997).
[7] Ep. 171, c. 2 (ib. 1215).

dubitatio orta esset, utrum haec translatio, utpote contra canones ecclesiasticos, locum habere posset, res ad Bonifatium I Romanum Pontificem (418—422) delata, isque multum rogatus est, ut Perigenis electionem confirmaret. Quibus petentibus Bonifatius respondens de Perigene ait[1]: „Cui ad plenitudinem *confirmationis* episcopatus sui hoc solum residet, quod *nostros in honore suo necdum suscepit affatus.*“ Postea vero cum rursus disceptatio oriretur, utrum Perigenis electio legitima fuisset necne, Bonifatius episcopis Illyrici significavit, Perigenis negotium iterum discutere et recognoscere non licere. Scripsit enim ad eos haec[2]: „Ne quis volens in nostra communione durare, fratris et coepiscopi nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat: cuius sacerdotium apostolus Petrus semel iam Spiritus Sancti suggestione firmavit, nihil huic relinquens in posterum quaestionis, cui, dum constitueretur a nobis per eius temporis spatium, quo vacavit, nihil omnino constet obiectum.“

Item Damasus Pontifex Romanus Petro, Athanasii successori, literas dedit, quibus eius ordinationem confirmavit[3].

Saeculo V a pseudo-synodo Ephesina secunda patriarcha Antiochenus temere ordinatus fuerat Maximus, quam tamen ordinationem S. Leo I confirmavit. Hinc, tametsi postmodum omnia dictae synodi acta rescissa sunt, firma tamen permansit ordinatio Maximi, quia R. Pontificis approbatio electionis vitium sanasse eamque legitimam effecisse credebatur. Certe Anatolius in concilio oecumenico Chalcedonensi dixit[4]: „Definimus, nihil horum valere, quae in illa, quae synodus dicitur, confecta sunt, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnae Antiochenae civitatis episcopum, quoniam et sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in communionem eum recipiens, praeesse eum Antiochiensium iudicavit ecclesiae: quam formam sequens et ipse approbavi et praesens omne sanctum concilium.“ Et cum Maximus quandam sibi facultatem ab hoc concilio concedi postulasset, legati R. Pontificis eam ipsi dandam censuerunt, atque Paschasinus de eo dixit[5]: „Sanctus et beatissimus papa, qui *episcopatum* sancti et venerabilis Maximi . . . *confirmavit,* iusto satis iudicio eius meritum approbasse videtur.“ Itaque Maximi ordinatio ideo solum valida habebatur, quia eum R. Pontifex in communionem receperat et Antiochenae ecclesiae praeesse iudicaverat. Proinde „penes Romanum Pontificem stabat, communionis literas concedendo, legitimas efficere patriarcharum ordinationes, etiam anticanonice peractas, quae potestas in concilio oecumenico anni 451 sic agnita palam facit, necessarium fuisse apostolicae sedis assensum ad firmandam eorundem patriarcharum ordinationem“[6].

[1] Ep. 5, n. 4 (Coustant 1023). [2] Ep. 15, n. 7 (ib. 1043sq).
[3] Socrat., H. E. 4, 37. Sozom., H. E. 6, 39.
[4] Sess. 10 (Harduin II 538C; Mansi VII 258C).
[5] Harduin 544D; Mansi 270B. [6] Bouix I 171.

Anno 482 R. Pontifex Simplicius (468—483) ad Acacium de Ioanne, patriarcha Alexandrino recens ordinato, pro quo postulata fuerat sedis apostolicae confirmatio, haec scripsit[1]: „Nuper ab Aegyptia synodo, quae et numero plurima et fidei catholicae esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum clero Alexandrinae sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctae memoriae fratrem quondam et coepiscopum nostrum obiisse Timotheum, inque eius vicem consona fidelium voluntate Ioannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum. (Et nihil) omnino restare videbatur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus nobis atque gaudentibus, ut sine strepitu, quod catholicus in defuncti ministerium successisset antistes, apostolicae quoque moderationis *assensu* votivam sumeret *firmitatem:* cum ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tamquam periurii reum, quod fraternitati quoque tuae non esse diceretur incognitum, sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, et *meam revocavi super eius confirmatione sententiam,* ne quid contra tantum ac tale testimonium praepropere fecisse iudicarer." Imperator igitur cupiens, ut *irrita redderetur illa ordinatio,* Ioannem periurii accusavit apud R. Pontificem, ut hic confirmationis suae sententiam revocaret. Unde imperatori persuasum fuisse constat, penes Romanum episcopum esse ius, vel *patriarcharum* institutionem ita confirmare, ut *denegata ista confirmatione* illa utut unanimi ferme eligentium consensu facta, *invalida fieret*[2]. Nec etiam ab aliis umquam ista aetate haec potestas

---

[1] Ep. 18, n. 2 (Thiel 208 sq).

[2] Nihilominus Schulte (Die Stellung der Konzilien 151) relato hoc Simplicii testimonio haec subdit: „Aus den Briefen Cyprians und andern ergibt sich aber, daß ein solches Recht nicht eine formelle *juristische* Bestätigung war, weil Cyprian gerade so spricht von der Anerkennung des römischen Bischofs durch andere; sie enthielt eben die wechselseitige Anerkennung, welche zur Bewahrung der Einheit nötig war." Locus autem, ad quem Schulte provocat, est in Cypriani ep. 55, n. 8 (Hartel 629 sq) et ita se habet: „Factus est autem Cornelius episcopus [Romanus] de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum paene omnium testimonio, de plebis, quae tunc affuit suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret: quo occupato et de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione firmato quisque iam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiae non tenet unitatem." Quibus verbis Cyprianus utique dicit, Cornelii R. Pontificis electionem legitime et omnium ferme, qui eum eligendi iure gaudebant, suffragio factam, ac sua aliorumque Africae episcoporum consensione esse etiam firmatam, ita ut Novatianus haud amplius *legitimus* ecclesiae Romanae episcopus fieri possit; sed neutiquam Cyprianus vel minimum indicat, se suosque coepiscopos Africanos potuisse illam electionem per se omnino legitimam *irritam et invalidam* reddere, si ei consensionem suam denegare voluissent. Suo igitur suorumque episcoporum assensu illa legitima electio firmata est *externa* tantum *ratione,* ita ut ea hac consensione non primum *valida,* sed tantum contra insurgentes adversarios *tutior* redderetur. Contra imperator Simplicio potestatem ascribit, electionem patriarchae Alexandrini,

R. Pontifici denegata esse legitur. Manifeste autem ea primatum iurisdictionis in Ecclesiam etiam orientalem postulat.

Quem in oriente quoque agnitum fuisse praeterea patet ex facto Flavitae, qui mortuo Acacio, Constantinopolitano episcopo, in eius locum successit. Is enim noluit in huius sedis possessionem venire, antequam R. Pontificis consensum obtinuisset. Narrat certe Liberatus[1]: „Ordinatur post eum [Acacium] Flavitas presbyter..., qui non consensit sine Romano Pontifice inthronizari, sed transmisit synodicam papae Romano Felici."

Ad quae Bouix haec annotat[2]: „Plus praestitit Flavitas, quam exigebat sedes apostolica. Enimvero Romani Pontifices consentiebant, ut ordinatus patriarcha sedis suae statim possessionem caperet, et valide suam regeret ecclesiam, dummodo sine mora confirmationem peteret et obtineret. Qua accepta petitione Romanus Pontifex vel communionis literas concedendo confirmabat ordinationem, vel eas denegando annullabat. Flavitas autem, ut melius perfidiam suam obtegeret, etiam ante inthronizationem suam voluit confirmationem obtinere. At literas communionis concedere distulit Felix papa, qui iam suspectum in fide Flavitam habebat. Interea tamen diligentiam eius in recurrendo ad sedem Romanam laudavit his verbis[3]: ‚Dum scil. ad apostolicam sedem regulariter destinatur, per quam, largiente Christo, omnium solidatur dignitas sacerdotum.' Igitur, testante Felice papa a. 489, per Romanum Pontificem *solidatur omnium episcoporum potestas,* idque largiente Christo, id est, iure divino. Notetur autem vox *omnium.* In oriente scil. ad firmandam ordinationem metropolitanorum et ceterorum necessarius erat respectivi patriarchae consensus. At cum ipsorummet patriarcharum firma non fieret ordinatio nisi per Romanum Pontificem, sequitur, *omnium* orientis episcoporum dignitatem a sede apostolica robur suum excepisse. In occidente autem idem praestabat Romanus episcopus etiam quatenus patriarcha." Successori porro Flavitae, qui ab aliis Euthymius, ab aliis vero Euphemius vocatur, concessit R. Pontifex Felix literas quidem communionis catholicae, sed non *communionis episcopalis,* sive noluit eum ut episcopum admittere. Quod hisce refert Theophanes[4]: „Hoc anno synodales Euthymii literas Felix accepit, et ut catholico communionis impertiit consortium; haud tamen episcopum agnovit, quod Acacii, quique in episcopatu successerat, Phravitae [Flavitae], nomen e tabulis ecclesiasticis non expunxerit." Atque idem testatur Nicephorus Callistus scribens[5]: „Porro papa scripta quidem illius recepit et Euphemio veluti orthodoxo favit, sed illum in episcopalem communionem non admisit." Unde patet, non merae communionis literas a R. Pontifice accipere

---

utut communi ferme eligentium suffragio factam, ita irritandi, ut ea prorsus invalida fiat. Iste ergo locus Cypriani illam a Schulte prolatam affirmationem minime probat.

[1] Breviar. c. 18 (ML LXVIII 1029). [2] L. c. 172 sqq.

[3] Ep. 14, n. 1 (Thiel 267).

[4] Chronograph. ad a. 483 (MG CVIII 328 sq): *Τούτῳ τῷ ἔτει τὰ συνοδικὰ Εὐθυμίου Φῆλιξ ἀπεδέξατο, καὶ ὡς ὀρθοδόξῳ αὐτῷ προσετέθη. Ἐπίσκοπον δὲ αὐτὸν οὐκ ἐδέξατο διὰ τὸ μὴ ἐκβαλεῖν τὸ ὄνομα Ἀκακίου ἐκ τῶν διπτύχων καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν Φραυΐτα.*

[5] H. E. 16, 19 (MG CXLVII 154).

debuisse patriarchas, ut legitimi evaderent, sed etiam literas *communionis episcopalis,* quibus tamquam legitimi episcopi admitterentur.

Pontifices igitur Romani potestate utendo episcoporum et patriarcharum ordinationes ita confirmandi, ut sine ipsorum confirmatione ista ordinatio firma esse non posset, exercuerunt iurisdictionem primatus in Ecclesia supremi, et sine ulla quidem Ecclesiae ipsius contradictione, cum nullibi in illorum temporum historia illa potestas R. Pontifici denegata legatur. Ergo etiam hac in re R. Pontificis primatum iurisdictionis Ecclesia evidenter agnovit.

β′) Item Romani Pontifices etiam in oriente episcopos atque vel ipsos patriarchas sola sua auctoritate *a munere amoverunt,* Ecclesia ipsis hoc ius nullatenus denegante. Damasus enim Pontifex Romanus 366—384 in epistula ad episcopos Illyrici data de episcopis qui symbolum Nicaenum profiteri cunctabantur, dixit[1]: „Credimus autem languentes in isto conamine non tarde a nostra separandos esse communione, et ab iis episcopatus nomen auferri." Pontifex Romanus Gelasius I vero haec refert[2]: „In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes et ceteri, non solum unus, sed plures, utique nomen sacerdotii praeferentes, *sola sedis apostolicae sunt auctoritate deiecti.*" Atque ut his pluribus omnino orientalibus episcopis et patriarchis a R. Pontifice exauctoratis unum insuper addamus, Agapetus I Romae praesul 535 ad 536 Anthimum, Constantinopolis archiepiscopum, tametsi vehementer obsistente imperatrice, ipsemet in illa urbe tunc commoratus a suo munere amovit ac Mennam in eius locum substituit. Quod quidem Liberatus hoc modo refert[3]: „Denique petentibus principibus, ut Anthimum papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus papae minas intentante, in hoc papa perstitit, ne eius audiret petitionem. Anthimus vero videns se *sede pulsum,* pallium quod habuit imperatoribus reddidit et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc papa, principis favore, Mennam pro eo ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica sanctae Mariae." Anthimus igitur *sede pulsus est* hoc solo, quod R. Pontifex noluit cum eo communionem habere. Quo de facto Nat. Alexander[4]: „Primatum, inquit, gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Con-

---

[1] Ep. 3, n. 2 (Coustant 486).

[2] Ep. 10 sive Commonit. ad Faust. n. 5 (Thiel 344).

[3] Breviar. c. 21 (ML LXVIII 1039). Idem testatur ipse Agapetus in Encyclica ad Petrum Hieros. (Act. 1 conc. Constantinopolit. sub Menna: Harduin II 1225BC; Mansi VIII 924A), necnon Nicephorus Callist., H. E. 17, 9.

[4] H. E. saec. VI, c. 2, art. 7 (X 12).

stantinopolitanum patriarcham haereticum exauctorando et in eius loco alium ordinando, idque nulla synodo convocata."

At, addit Mansi[1], „surgit in adversum Basnagius ad a. 536, et quamquam deiectum e solio ab Agapeto Anthimum concedit, de primatu tamen Pontificis petitum hinc argumentum extenuat. Etenim et alii plures, ait, haud equidem primae sedis honore praestantes paria in pares fecere. Ita Timotheum Aelurum Alexandrinum Anatolius Constantinopolitanus, Acacius item Constantinopolitanus Mongum et Gnaphaeum, Alexandrinum illum, hunc Antiochenum, exauctorarunt. Num ergo, pergit Basnagius, primatus iura Constantinopolitano praesuli supra Alexandrinum Antiochenumve praesulem ex his asseramus? — Fateor equidem, nihil ex his pro Constantinopolitano praesule inferri; sed et vicissim affirmo, ex Anthimi deiectione ab Agapeto solo praestita summam in Constantinopolitanam ecclesiam auctoritatem Pontifici Romano vindicari. Cui rei demonstrandae singularem eius aetatis in ecclesia orientali morem expromendum censeo. Si quid enim turbarum in praecipuis per orientem ecclesiis exoriretur, statim ab episcopis utriusque factionis imperatoris favor implorabatur; ille vero plerumque in regia urbe concilium a Constantinopolitano praesule mandabat indici ex episcopis vel qui forte ibi tunc aderant, vel etiam ex aliis ab eodem principe vocatis, a quo concilio de re tota cognoscebatur ferebaturque sententia abdicationis in eos, qui id sibi mereri poenarum iudicabantur, eiusque dein sententiae exsecutorem ipse se imperator dabat, expelli depositos episcopos itemque saepius in exsilium agi mandando. Erat id equidem praeter canones; quippe edicebatur, ut singuli episcopi in synodo provinciae suae, vel cum id tuto fieri non posset, in synodo saltem vicinioris provinciae iudicarentur. Sed in gratiam principis a canonibus tantisper recedere censebatur opportunum. Haec igitur obtinebat aetate illa in oriente disciplina, nec sane ex ea quidquam iuris in aliena provincia Constantinopolitano praesuli accedebat; neque enim ipse tamquam caput et princeps alios patriarchas iudicabat, sed ipse una cum synodo, accedente imperatoris voluntate, et in eius potius obsequium quam iuris sui gratia. Ita plane in damnatione Timothei Aeluri actum fuisse ex historia discimus. Vexati ab Alexandrino praesule illo Aegyptii episcopi Leonis Augusti tutelam implorant, dato adversus haereticum episcopum accusationis libello legendo apud Evagr. l. 2, c. 8. Actutum imperator Anatolio Constantinopolitano episcopo datis literis mandat, *ut orthodoxos omnes et sanctos episcopos,* qui nunc in hac regia civitate degunt, et religiosissimos *clericos confestim ad se convocet,* cum quibus rem mature discutiat. Principis iussioni obsequens Anatolius, convocata *synodo,* ait auctor libelli synodici[2], *Timotheum Aelurum notavit anathemate.* Niceph. H. E. l. 15, c. 18. Idem etiam praestitum, cum *Acacius Constantinopolitanus* Mongum et Gnaphaeum deiceret, vix dubito. Scimus enim ex Evagrio, Zenonem male in utrumque olim animatum fuisse. De Petro Fullone seu Gnaphaeo res est explorata; nam et a Zenone pulsum e sede Antiochena tradit Evagrius l. 3, c. 8, et synodum ea de causa Constantinopoli habitam anno 478, Valesius Observ. in Evagr. l. 1, c. 2[3] docet. Anthimi vero e sede sua depositi res plane diversa est. *Agapetus* Constantinopolim veniens accusationibus Anthimi aures habet oppletas. Ipse vero nec ab imperatore iussus, ut male feriatum hominem e sublimi illo solio deiciat, cum potius Iustinianus Theodorae uxoris suasionibus in illum inclinaret, ipse pro auctoritate audit delationes, solus deliberat, Anthimo sedis cessionem denuntiat. Nonne haec auctoritatem potestatemque denotant iubentis, et cum legis, Pontifices Romanos *sollicitudinem gerere omnium ecclesiarum,* quae verba sunt de Romano Pontifice ab Acacio dicta in epist. ad Simplicium papam: et cum vicissim cernis, unum aliquem ex his Romanis Pontificibus per se cognoscentem causam Constantinopolitani praesulis, per se illum abrogantem, alium in eius locum substituentem, numquid non imago tibi exhibetur hominis plus sane auctoritatis in omnes per orbem ecclesias obtinentis,

[1] Ibid. p. 13 nota 1. [2] Ceterum magnae auctoritatis is non est.
[3] MG LXXXVI 2, 2888.

ac quam in alienas provincias per sese Constantinopolitanus praesul usurpabat? Per se, inquam; nam aliquam ipse sibi vindicabat in orientales ecclesias potestatem, ex eo quod aures favoremque principis haberet, ex quo se metuendum et observandum aliis praestabat."

γ') *Denique Romani Pontifices* orientis episcopos et patriarchas iniuste e sede pulsos sua auctoritate *restituerunt.* Ita Iulius I (337—352) non solum Athanasium, patriarcham Alexandrinum, sed etiam Marcellum Ancyranum et Asclepam Gazensem, qui ab arianis iniuste loco moti erant, ut Socrates scribit[1], „*ex Romanae ecclesiae praerogativa* (*ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης*) ... remisit, *singulis sedem suam restituens,* simulque perstringens illos, qui supradictos episcopos temere deposuissent". Quod idem sic refert Sozomenus[2]: „Quoniam *propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat,* suam cuique ecclesiam restituit."

Valesius quidem ad laudatum Socratis locum haec annotat: „Neminem ex supradictis episcopis Iulius papa in suam sedem restituit, ne Athanasium quidem. Etenim in synodo Romana, in qua Athanasii ac Marcelli causa discussa est, Athanasius tantum innocens pronuntiatus est, et in communionem admissus a Iulio et reliquis episcopis. In accusatores autem Athanasii, qui se iudicio sistere recusaverant, nihil pronuntiatum.... Nec ante synodum Sardicensem restitutus est tum Athanasius, tum Marcellus et Asclepas et Lucius." Utique Athanasius aliique illi exsules episcopi ante Sardicense concilium sedes suas adire et dioeceses suas administrare non potuerunt. Sed tametsi *revera,* sive, ut dici solet, *facto,* a Iulio propter imperatoris Constantii et arianorum persecutiones in sedes restitui non potuerunt, *iure* tamen restituti sunt, id est, declaratum a Iulio est, ipsos legitimos dioecesis suae episcopos esse, ipsisque, et non adversariis, iure competere sedem illius ecclesiae episcopalem. Certe Iulius in epistula ad eusebianos dicit[3], se Athanasium et Marcellum ad communionem, et iuste quidem, admisisse, et paulo post de Athanasio ait[4]: „Haec cum ita dicerentur et tot testes pro illo starent, totque ipse afferret innocentiae suae argumenta, quid, quaeso, nobis agendum fuit? aut quidnam aliud postulabat ecclesiastica regula, nisi ut virum non damnaremus, sed potius reciperemus ac pro *vero episcopo* haberemus, quemadmodum et habuimus?" De Marcello vero scribit[5]: „Cum ille recte sentiret et rectae fidei suae testimonium haberet, quid, quaeso, et de illo nobis faciendum fuit, nisi ut eum *pro episcopo* haberemus, ut et habuimus, et a communione non abiceremus?" Ergo cum veros ac legitimos ecclesiarum suarum episcopos Athanasium et Marcellum declararet Iulius, eo ipso episcopos ab arianis illorum loco positos illegitimos et hinc pellendos, illos vero restituendos esse dixit. Insuper in eadem epistula ordinationem Gregorii, quem ariani loco Athanasii Alexandrinae ecclesiae vi et armis praefecerant, Iulius diserte dicit[6], utpote praeter ius fasque omne et contra ecclesiasticos canones factam, nec legitimam, nec ecclesiasticam, ac piam esse.

---

[1] H. E. 2, 15.

[2] H. E. 3, 8: *Ὅτα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε.*

[3] Ep. 1, n. 9 (Coustant 367). [4] Ibid. n. 13 (ib. 374).

[5] Ibid. n. 16 (ib. 379). [6] Ibid. n. 14 (ib. 375).

Item R. Pontifex Liberius (352—366), Iulii successor, Eustathio episcopo Sebasteno in minore Armenia, qui a synodo Melitinae habita depositus erat et postea inter legatos fuerat, quos Asiatici semiariani ad Liberium miserunt, epistulam dedit, quae, ut S. Basilius ait[1], „eum restituebat (*ἐπιστολὴν ἀποκαθιστῶσαν αὐτόν*)", quaque ostensa concilio Tyanensi in locum suum reapse restitutus est. Fefellit utique Eustathius Liberii spem, ideoque Basilius Liberii successorem Damasum rogavit, ut viros probatos in orientem mitteret, a quibus certior fieri posset, quibus literas formatas sive canonicas vel dare vel denegare deberet. Quibus nimirum episcopis R. Pontifex communionem negabat, iis episcopatus munus abrogatum censebatur; quibus communionis literas dabat, ii in sede sua confirmati habebantur.

Denique Leo I (440—461) restituit Theodoretum ab Ephesina synodo II e sede sua episcopali deiectum. De eo sane in concilio oecumenico Chalcedonensi act. 1 dictum est[2]: „Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, *quia restituit ei episcopatum* sanctissimus archiepiscopus Leo."

γ) Romani Pontifices, Ecclesia nullatenus obsistente, constituerunt Constantinopoli et alibi viros ecclesiasticos, qui aliqua iurisdictione instructi ipsorum illic vices obibant. Et

α') quidem *Constantinopoli* R. Pontifices constituerunt viros ipsorum vices pro oriente gerentes modo extraordinarios, modo ordinarios, qui *responsales* sive *apocrisiarii* vocabantur, et aliqua saltem maiore minoreve iurisdictione instructi erant. Quae utrum permanens an ad particulares tantum causas commissa fuerit, nostra hoc loco nihil refert, cum etiam restricta iurisdictio illis commissa R. Pontificem etiam in oriente primatus iurisdictionem exercuisse ostendat.

Et vero Leo I constituit post concilium Chalcedonense Iulianum, episcopum Coënsem, legatum suum Constantinopoli, non solum ut obsequii sui ac fidei obses apud imperatorem esset, sed praecipue ut pro fidei integritate, quam Anatolius Constantinopoleos episcopus minus diligenter curare videbatur, constanter vigilaret.

Hanc apocrisiarii instituendi rationem fuisse ipse dicit Leo, ubi sic loquitur ad imperatorem Marcianum[3]: „Illud quoque clementiae vestrae benevolentiam peto, ut veneratorem vestrum, fratrem meum Iulianum episcopum in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu; cuius obsequiis praesentiae meae vobis imago reddatur. Nam et de fidei eius sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis haereticos delegavi, atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi. Cuius suggestiones pro concordia catholicae unitatis tamquam meas audire dignemini." In literis vero ad imperatricem Pulcheriam datis de Iuliano Leo ait[4]: „Cum

[1] Ep. 263, n. 3 (MG XXXII 980).
[2] Harduin II 72 E; Mansi VI 590 B.
[3] Ep. 111, c. 3 (ML LIV 1022). [4] Ep. 112, c. 2 (ib. 1024).

in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem meam eatenus delegarim, ut ab ea quae vobis debetur observantia, non recedens, pietati me vestrae praesentare non desinat, exsequens in custodia fidei, et in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem meam, et opportunis suggestionibus, quod universali Ecclesiae prosit, insinuans, ut in ipso nec catholicis vestrum praesidium, quibus volumus subveniri, nec meum vobis desit obsequium." Denique ipsi Iuliano haec Leo commendat[1]: „Studeat dilectio tua, frater carissime, piam et necessariam curam sollicitudini apostolicae sedis impendere, quae tibi apud se nutrito catholicam contra nestorianos et eutychianos haereticos actionem materno iure commendat, ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanae urbis opportunitate non desinas, ne praedictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum fides, ut confidenter iis possis, quae sunt insinuanda, suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiae universalis utaris. Consulente autem dilectione tua de his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meae responsionis instructio, ut sequestrata earum actione causarum, quae in quibusque ecclesiis praesulum suorum debent cognitione firmari, hanc specialem curam vice mea functus assumas, ne haeresis nestoriana vel eutychiana in aliqua parte revirescat, quia in episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est. . . . Et ideo cum piissimi principes secundum obsecrationem meam dignati fuerint, fratrem Anatolium de his, quae merito in querelam veniunt, increpare, iungat caritas tua diligentiam suam, ut universa scandala, adhibita plenissima correctione, resecentur et a filii nostri Aetii cesset iniuriis."

Item Pontifex Romanus Agapetus I (535—536) apocrisiarium apud Iustinianum imperatorem habuit, ut Liberatus refert[2]: „His peractis constituens papa apud imperatorem apocrisiarium ecclesiae suae Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit." Sed qui successerunt Agapeto, Silverius (536 ad 540) ac Vigilius (540—555), illum eadem semper legatione fungi voluerunt. Et Vigilius quidem Pelagium delegavit, ut de causa Pauli patriarchae Alexandrini cognosceret; quod ille etiam praestitit una cum episcopis Antiocheno, Hierosolymitano, Ephesino, quos cum ipso ad id imperator miserat. Rem Liberatus ita narrat[3]: „Misit imperator Pelagium diaconum et apocrisiarium primae sedis Romanae Antiochiam cum sacris suis, quibus praecepit, ut cum Euphraemio eiusdem urbis episcopo . . . venirent Gazam et Paulo episcopo pallium auferrent eumque deponerent. Pelagius ergo . . . cum memoratis patriarchis et aliquantis episcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo pallium deposuerunt eum."

Porro ut alios plures apocrisiarios Roma Constantinopolim missos[4] omittam, addere liceat tantum verba, quibus imperator Constantinus Pogonatus anno 682 a Leone II apocrisiarium petiit[5]: „Hortamur

---

[1] Ep. 113, c. 2 (ib. 1025). [2] Breviar. c. 22 (ML LXVIII 1039).
[3] Ibid. c. 23 (ib. 1046).
[4] Quos memorat Thomassinus, Vetus et nova Ecclesiae disciplina P. 1, l. 2, c. 108, n. 20 sqq, Mogunt. 1787, I 751 sqq.
[5] Harduin III 1463 B; Mansi XI 718 C.

porro vestram sacratissimam summitatem, ut quamprimum mittat designatum ab ea apocrisiarium, ut is in regia et a Deo conservanda nostra urbe degat, et in emergentibus sive dogmaticis sive canonicis ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis vestrae sanctitatis exprimat ac gerat personam."

Itaque R. Pontifices saltem a tempore Leonis M. constituerunt Constantinopoli viros ecclesiasticos, qui illic ipsorum vices pro rebus ecclesiasticis orientis obirent ita, ut pro mittentis Pontificis Romani arbitrio modo maiorem modo minorem iurisdictionem, sive stabilem sive ad certos particulares eventus delegatam haberent. Id certe evidens est, cum Pelagius una cum aliis episcopis patriarcham Alexandrinum a munere suo amovet. „Non poterat splendidius enitescere apocrisiariorum potestas. Unde et cum Iustinianus meditaretur Paulum restituere, affirmat Procopius noluisse Vigilium revocare sententiam ab apocrisiario suo latam." [1] Idem satis elucet ex iis quae Leo de Iuliano apocrisiario dicit: „Vicem ipsi meam contra temporis haereticos delegavi, ut exsequeretur in custodia fidei et in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem meam." Vere enim vicem suam ei contra haereticos delegasse Leo, qui se summum totius Ecclesiae Pontificem esse credebat, censeri non posset, nisi Iulianus potuisset ita contra haereticos agere, ut aliquam saltem in eos valeret iurisdictionem exercere atque sententiam iudicialem dicere. Cum autem ea aetate decreta ac iudicia ab Ecclesiae potestate contra haereticos lata etiam a civili potestate firmarentur, et si opus erat, exsecutioni mandarentur, atque insuper imperator Marcianus eiusque coniux Pulcheria acerrimi fidei catholicae defensores essent, Leo non solum potuit, sed etiam debuit Iuliano mandare, ut quae contra haereticos agenda essent, cum Marciano et Pulcheria communicaret. Verba denique imperatoris Pogonati clare indicant, non solum tunc moris fuisse, ut R. Pontifices Constantinopolim apocrisiarios mitterent, sed eos etiam sat ampla iurisdictione instructos fuisse, cum alioquin in omnibus negotiis tum dogmaticis tum canonicis et generatim ecclesiasticis R. Pontificis „personam referre" minime potuissent. Atque ex hac apocrisiariorum Constantinopoli praesentia et iurisdictione patere, R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam in ipso etiam oriente agnitum fuisse, vix est quod probetur, cum alioquin neutrum factum Ecclesia tacente aut dissentiente locum habere potuisset.

Habebant quidem etiam orientales patriarchae et alii nonnumquam praesules Constantinopoli apocrisiarios ut suos apud imperatorem sequestres, sed singuli tantum eos habebant pro suae dioecesis vel patriarchatus negotiis, et sine ulla iurisdictione in fideles aliis patriarchis subiectos; et qui episcoporum apocrisiarii erant, non directo ad imperatorem, sed ad metropolitas vel patriarchas proprios Constantinopoli pro tempore degentes mittebantur.

---

[1] Thomassinus l. c. n. 18.

Et ipse episcopus Constantinopolitanus erat ferme omnium tum episcoporum tum ecclesiarum orientalium apud imperatorem apocrisiarius[1]; contra apocrisiarii R. Pontificis immediate cum imperatore agebant, et in ipsas orientales, etiam patriarchales ecclesias nonnumquam iurisdictionem exercebant.

β') In aliis vero variis regionibus R. Pontifices sui *vicarios* ampla iurisdictione instructos priscis iam temporibus constituerunt. Sane Coelestinus Pontifex Romanus Cyrillo Alexandrino vices suas commisit in causa Nestorii, praesulis Constantinopolitani. Sed etiam *stabiles* sui vicarios R. Pontifex saltem iam a saeculo IV instituit *episcopos Thessalonicenses,* qui ipsius nomine iurisdictionem omnino amplam in omnes *Illyrici* episcopatus et archiepiscopatus exercerent, eosque constituit non solum iure patriarchatus, quod in occidentem ipsi competebat, sed etiam vi primatus in universam Ecclesiam[2].

Et certe *exstitisse* R. Pontificum vicarios pro Illyrico iam a primis temporibus, ex multis documentis constat.

Ita postquam in concilio Romae sub Bonifatio II anno 531 celebrato Theodosius Echiniensis civitatis in provincia Thessalia episcopus ad Bonifatium dixit[3]: „Constat, venerandos sedis vestrae Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica ecclesiarum sibi iure vindicet principatum. et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suae Illyrici ecclesias vindicasse", ad id probandum protulit plures R. Pontificum priorum epistulas, ex quibus illud reapse manifestum fit. Sic Siricius Pontifex Romanus 384—399 Anysio, episcopo Thessalonicensi, haec scripsit[4]: „Etiam dudum, frater carissime, per Candidianum episcopum . . . huiusmodi literas dederamus, ut *nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico episcopos ordinare praesumere.*" Et non diu post Innocentius I extraordinariam potestatem a suis decessoribus eidem episcopo Thessalonicensi collatam hisce verbis confirmavit[5]: „Cui etiam anteriores tanti ac tales viri praedecessores mei episcopi, i. e. sanctae memoriae Damasus, Siricius atque supra memoratus vir [Anastasius] ita detulerunt, ut omnia, quae in illis partibus gererentur, sanctitati tuae, quae plena iustitiae est, traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere iudicium, eandemque habere voluntatem, te decet recognoscere." Defuncto autem Anysio Innocentius I istius successori Rufo vicarii apostolici munus contulit, anno 412 haec ei scribens[6]: „Divinitus ergo haec procurrens gratia ita longis intervallis disterminatis a me ecclesiis discat consulendum, ut prudentiae gravitatique tuae committendam curam causasque, si quae exoriantur, per Achaiae, Thessaliae, Epiri veteris, Epiri novae et Cretae, Daciae Mediterraneae, Daciae Ripensis, Moesiae, Dardaniae et Praevali ecclesias, Christo Domino annuente, censeam. Vere enim eius sacratissimis monitis lectissimae sinceritatis tuae providentiae ac

---

[1] Cf. Thomassinus n. 7 sqq.

[2] Documenta, quibus hic utemur, spuria esse J. Friedrich demonstrare studuit. Quem refutant L. Duchesne (Autonomies ecclésiastiques. Églises séparées, Paris 1896, 229—279; cf. Byzant. Zeitschr. I [1892] 531—550) et R. v. Nostitz-Rieneck in Zeitschr. für kath. Theol. XXI (1897) 1—50.

[3] Harduin II 1118 C; Mansi VIII 748 DE.

[4] Ep. 4 (Coustant 642). [5] Ep. 1 (ib. 740).

[6] Ep. 13, n. 2 3 (ib. 816 sqq).

virtuti hanc iniungimus sollicitudinem: non primitus haec ita statuentes, sed praecessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio et Anysio iniungi pro eorum meritis ista voluerunt. . . . Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas ecclesias, salvo earum primatu, curam: et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere. non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus." Atque eundem Rufum episcopum Thessalonicensem in vicarii apostolici munere confirmavit Bonifatius I, haec inter alia hac de re ad eum scribens [1]: „Te ergo, frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicae a nobis creditas recognosces: ut et prava corrigas, et dissipata componas, et si quae inter episcopos eveniant causae, sub divini iudicii timore distinguas; ut creditis tibi a sede apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum iuste et prudenter utaris."

Atque ex his documentis certum est, R. Pontifices vicarium apostolicum pro toto Illyrico habuisse, idque *saltem* ex saeculo quarto. Prorsus enim accurate ac definite tempus eius institutionis, cum pleraeque antiquissimorum Pontificum ac praesertim Damasi epistulae interierint, assignari nequit, ideoque fortasse eius origo ex antiquiore etiam tempore repetenda est. Certe Bonifatius ad Rufum ait [2]: „Retro *maioribus tuis* super provinciis apostolicae sedis iniunctum diligenter a tua caritate debet impleri." Innocentius tamen, ut modo vidimus, inter istos Rufi decessores diserte tantum Acholium et Anysium nominat. Atque rursus Bonifatius I in epistula ad universos per Thessaliam episcopos anno 422 missa ait [3]: „Audio episcoporum quosdam apostolico iure contempto novum quippiam contra Christi proprie praecepta tentare, cum se ab apostolicae sedis communione, et ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum maioris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim praecepta maiorum; et quibus in ecclesias iuris aliquid dederint, invenimus. . . . Cui [Rufo] nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura ecclesiarum saepe videtur iniuncta. Quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum, sicut a patribus huius dispositionis forma servata est. . . . Nullus ea, quae sunt a patribus gesta et per tantum temporum custodita, temerare contendat." Similiter Xystus III (432—440) ad episcopum Perigenem scribens de vicarii apostolici in Illyrico designatione locutus est tamquam de more secundum ecclesiasticam disciplinam recepto. Dixit enim [4]: „Cum sciamus, nihil novum illi a nobis fuisse concessum, sed id, quod eius decessoribus nostri decessores detulerant, habita consideratione disciplinae ecclesiasticae constitutum." Eadem ferme repetit in epistula ad episcopos Thessalonicensis synodi data. „Nos, inquit [5], fratri et coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a nostris decessoribus attributum. Priorum iudicium sequimur haec constituendo, quae ab his novimus constituta." Nec aliter locutus est Leo I in epistula, quam metropolitanis Illyrici scripsit anno 444, haec ipsis declarans [6]: „Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus."

Horum porro in Illyrico vicariorum R. Pontificum ut talium *amplam omnino fuisse iurisdictionem,* ex nominatis iam epistulis luculenter patet.

Sane Bonifatius I generatim de ea loquens Rufo haec scripsit [7]: „Ita quippe vice sua beatus apostolus Petrus ecclesiae Thessalonicensi *cuncta*

---

[1] Ep. 5, n. 2 (ib. 1022).
[2] Ep. 13, n. 1 (ib. 1034).
[3] Ep. 14, n. 2 4 (ib. 1037 sq).
[4] Ep. 7, n. 2 (ib. 1262).
[5] Ep. 8, n. 1 (ib. 1263).
[6] Ep. 5, c. 2 (ML LIV 615).
[7] Ep. 13, n. 1 (Coustant 1034).

commisit, ut intelligat, se sollicitudinem manere multorum." Speciatim autem considerata illorum iura haec erant. Gaudebant ipsi *primum* iure, quod vocatur *visitationis* ecclesiarum, ut liquet ex allatis iam supra Bonifatii verbis: „Te, frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicae a nobis creditas recognosces, ut et prava corrigas et dissipata componas." — *Secundo* pollebant iure *inquirendi, utrum idonei essent* necne, qui ad episcopale munus evehendi proponebantur, et si erant, eos probandi; quod liquet ex allatis iam Siricii verbis et ex his aliis, quae itidem R. Pontifices hac de re scripserunt: „Ipsum [episcopum Thessalonicensem] maior cura respectet, eos, qui ad episcopatum vocantur, discutiendi sollicitius et probandi" [1], ita ut „nullus ... alicuius ordinationem citra eius conscientiam celebrare praesumat" [2] atque ipso „inscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare" [3]. Et rursus [4]: „Nullus te inconsulto per illas ecclesias ordinetur antistes: ita enim fiet, ut sint de eligendis matura iudicia, dum tuae dilectionis examinatio formidetur. Quisquis vero de metropolitanis episcopus contra nostram praeceptionem praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem, eosque [esse] usurpationis suae rationem, qui hoc praesumpserint, reddituros." Concessum pariter fuit vicariis illis ius *ordinandi metropolitanos,* instituta prius in eos diligenti inquisitione. Scripsit enim Leo I ad Anastasium [5]: „Singulis autem metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis provinciis ius habeant ordinandi, ita eos metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen et decocto iudicio." Et in epistula ad ipsos metropolitanos Illyrici data Leo haec dixit [6]: „Ut vero vestrae dilectioni provinciae suae ordinatio permittitur sacerdotum, ita fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando antistite volumus consulatis. Cui metropolitani episcopi consecrationem statuimus reservari." — Iisdem *tertio* datum est ius *convocandi concilii,* si legitimae causae convocationis adessent, ita tamen, ut synodi acta mittere deberent ad R. Pontificem, ut ab eo confirmarentur. Ita Xystus III postquam in epistula ad omnes Illyrici episcopos data dixit, omnes Illyricanas ecclesias pertinere ad curam Thessalonicensis antistitis, continuo haec addidit [7]: „Sit concilium, quoties causae fuerint, quoties *ille,* pro necessitatum emergentium ratione decreverit: ut merito sedes apostolica relatione eius instructa, quae fuerint acta, confirmet." Quin sine huius vicarii apostolici consensu episcopi Illyrici ad concilium evocari non poterant, ut diserte affirmavit R. Pontifex Coelestinus in literis ad Illyrici episcopos scribens [8]: „Colligere nisi cum eius voluntate episcopos non praesumant." Et quoties evenerat, ut vicarii apostolici sententia esset a sententia episcoporum simul congregatorum diversa, res tota erat ad apostolicam sedem deferenda, huiusque iudicium exspectandum. Sane scribit Leo M. ad Anastasium Thessal. [9]: „Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumque credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur." — *Quarto* vicarii illi ius habebant *concedendae* metropolitanis

[1] Xysti III ep. 8, n. 1 (Coustant 1263).
[2] Bonif. I ep. 15, n. 9 (ib. 1044).
[3] Xysti III ep. 8, n. 1 (ib. 1263).
[4] Leonis I ep. 6, c. 4 (ML LIV 618).
[5] Ibid.
[6] Ep. 5, c. 5 (ib. 616).
[7] Ep. 10, n. 2 (Coustant 1271).
[8] Ep. 3 (ib. 1065).
[9] Ep. 14, c. 11 (ML LIV 675).

episcopis *veniae e suis ecclesiis discedendi.* Ait certe Xystus III[1], „ut si quis ad fratrem et coepiscopum nostrum Thessalonicensis urbis antistitem harum provinciarum, quae ad eum pertinent, sacerdos adveniat praeter eius conscientiam, si sine eius epistulis atque formata venire tentaverit, tamquam disciplinae ecclesiasticae despector et contemptor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur". Atque idem Pontifex constituit[2], ut ad vicarios illos referretur, quidquid a singulis sacerdotibus agebatur. — Attributum iis *quinto* ius fuit *ad examen revocandi* et studio diligenti referendi ea, quae provinciae primates vellent ab apostolica sede postulare. De iis enim Innocentius I ad Rufum scribit[3]: „Quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus." — Neque *sexto* deerat illis vicariis *ius cognoscendi statum ecclesiarum* deque illo ad R. Pontificem referendi. Scripsit enim Leo I metropolitis Illyrici de Anastasio vicario apostolico[4]: „Ipsum vero secundum definita canonum hoc vestra dilectio nostris epistulis admonitum esse cognoscat, ut de statu ecclesiarum vestrarum certiores subinde sua relatione nos faciat, sciturus sibi a nobis imputandum, si quid de his, quae statuimus, a quoquam fuerit temeratum." — *Septimo* quod ad facultates iurisdictionis, quae *contentiosa* vocari solet, spectat, ad vicarium illum, praesulem Thessalonicensem, referendae erant „maiores causae", ut statuit Xystus III[5]; item causae quaecumque inter episcopos obortae, ut Bonifatius I loco iam p. 745 laudato Rufo hisce dixit: „Si quae inter episcopos eveniant causae, sub divini iudicii timore distinguas." Idem Xystus docet vicario illi iniungens[6], „ut sua sollicitudine, si quae inter fratres nascantur, ut assolent, actiones distinguat atque definiat"; necnon Leo I scribens[7]: „Quidquid causarum, ut assolet, inter consacerdotes evenerit, eius, cui vicem nostram commisimus, examini reservetur." De causis quoque et actionibus, quas aliquis episcopo intendat, Xystus III haec habet[8]: „Si quid forsitan aut inter fratres [episcopos] natum fuerit, aut fratri cuiquam aliqua actio, qua pulsetur, illata; aut illic fratre et coepiscopo nostro Anastasio iudice eveniens negotium terminetur, qui vices apostolicae sedis agere, ut beatae memoriae Rufus decessor ipsius, ex nostra voluntate cognoscitur: aut ad nos, si illic finiri non potuerit, eodem tamen suis literis causam omnem, quae vertitur, prosequente, veniat examen."

Accedit, quod vicariis illis apostolicis licitum erat, de aliis quoque causis ecclesiasticis iudicium ferre una cum episcopis, quos socios et consiliarios eligere ipsis placuit, permissumque erat iisdem designare iudices illisque causas definiendas delegare. Certe Innocentius I Rufo haec scripsit[9]: „Licitum autem et apostolicae sedis favore permissum tuae fraternitati cognosce, ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios, quibuscumque de ecclesiis assumas tecum, quorum fide et moderatione quidquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, et praecipuus, quippe a nobis lectus, definias

[1] Ep. 9, n. 2 (Coustant 1265). [2] Ep. 10, n. 2 (ib. 1271).
[3] Ep. 13, n. 3 (ib. 817). [4] Ep. 5, c. 5 (ML LIV 616).
[5] Ep. 8, n. 1 (Coustant 1263). [6] Ep. 10, n. 2 (ib. 1271).
[7] Ep. 5, c. 4 (ML LIV 616). [8] Ep. 10, n. 3 (Coustant 1272).
[9] Ep. 13, n. 3 (ib. 817).

intercessor." Et Xystus III ad Illyrici episcopos de antistite Thessalonicensi ait[1]: „Ipse optimos sollertissimosque de vestro numero eligat, quos negotiis secum asciscat arbitros, aut sine se tribuat, qui in disceptationem missa componat." Similia dicit etiam Bonifatius I[2]. Leo I vero hanc facultatem Anastasio vicario suo tribuens dicit[3]: „Melius omnis culpa vitabitur, si inter sacerdotes Domini collatio frequenter habeatur: et emendationi pariter et caritati plurimum praestat adunata societas. Illic, si quae causae natae fuerint, praestante Domino ita poterunt terminari, ut contentio nulla resideat, sed sola inter fratres caritas coalescat. Si qua vero causa maior evenerit, quae a tua fraternitate illic praesidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut, revelante Domino, cuius misericordiae profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus: ut cognitioni nostrae, pro traditione veteris instituti, et debita apostolicae sedis reverentia, nostro examini vindicemus. Ut enim auctoritatem tuam vice nostra te exercere volumus, ita nobis quae illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus."

Haec autem iurisdictionis facultates quemadmodum se ad *omnes* causas et negotia ecclesiastica extendebant, ita pertinebant etiam ad *omnes* Illyrici *fideles omnesque episcopos et metropolitas*, utpote qui certiores effecti per epistulas de vicariorum, qui a sede apostolica constituebantur, munere atque officio, diserte monebantur, ut illos susciperent susceptosque reverentia et honore prosequerentur, et in delegatis supremam delegantis dignitatem suspicientes, eorum voluntati et praeceptis parerent seque conformarent, si privilegia sua salva esse vellent. Id enim R. Pontifices ipsis saepe inculcarunt.

Ita Bonifatius I episcopis illis scripsit[4]: „Servate honorem debitum capiti. . . . Ordinationi [huic] nostrae pareat, quisquis se episcopum recognoscit." Et Xystus III dixit[5]: „Habeant honorem suum metropolitani singularum [provinciarum], salvo huius [vicarii apostolici] privilegio, quem honorare debent amplius honorati." Ac rursus idem ait[6]: „Vestrum caput respicere et honorare vos condecet: quoniam honor capitis ad spem totius proficit sanctitatis. . . . Reservate fratri et coepiscopo nostro reverentiam, quam debetis. . . . Nec credatis vobis minui, quidquid reverentiae illius . . . a vestra dilectione et servari volumus et deferri." Item Leo I Anastasio Thessalonicensi haec scripsit[7]: „Ad ipsos etiam metropolitanos singularum provinciarum nostra, quibus eos moneremus, scripta direximus, ut noverint, apostolicis oboediendum esse sententiis, et tunc se nobis parere, cum fraternitati tuae ex nostra delegatione coeperint secundum ea, quae scripsimus, oboedire."

Cum autem omnis plus minusve vilescat auctoritas, nisi vim habeat adiunctam homines continendi in officio, et compellendi coërcendique contumaces formidine poenae, R. Pontifices sapienter illis vicariis suis etiam *puniendi* potestatem tribuerunt.

---

[1] Ep. 8, n. 1 (Coustant 1263).
[2] Ep. 15, n. 8 (ib. 1044).
[3] Ep. 6, c. 5 (ML LIV 619).
[4] Ep. 14, n. 4 (Coustant 1038).
[5] Ep. 8, n. 1 (ib. 1263).
[6] Ep. 10, n. 4 (ib. 1272).
[7] Ep. 6, c. 6 (ML LIV 619).

Sane Coelestinus Illyrici episcopis scribens, se Rufum Thessalonicensem sui vicarium constituisse, haec addidit[1]: „Hac praeceptione cognoscent, et eum, qui refragandum nostrae auctoritati vel illius crediderit iussioni, a fraternitatis coetu, cum ipse se separet, segregandum.“ Et prius iam Bonifatius Rufo haec scripserat[2]: „Quapropter, frater carissime, fretus iamdudum a te auctoritate suscepta contra inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare. . . . Habes beatum apostolum Petrum, qui ante te pro sua possit vi repugnare. . . . Non patitur ille sedis suae perire privilegium, te laborante, piscator. . . . Aderit nimirum, et violatores canonum atque ecclesiastici iuris inimicos Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur. In ceteros etiam contumaces ius concessae potestatis exerce.“

Itaque vicarii illi Illyrici ampla prorsus iurisdictione instructi erant.

Eos denique a R. Pontificibus non iure patriarchatus dumtaxat, sed *maxime vi primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam* institutos esse pariter certum est. Tantum enim abest, ut R. Pontifices in literis, quae de illorum vicariorum institutione et munere agunt, de se tamquam occidentis patriarchis umquam vel verbo loquantur, ut se exhibeant tamquam universae per terrarum orbem propagatae Ecclesiae primates, et illius institutionis causam esse declarent necessitatem gerendae per alios in tanta locorum distantia curae *universi gregis Domini,* sibi solis primatus iure concrediti.

Ita sane Bonifatius I loquitur, Rufo scribens[3]: „Vigilantiae tuae laudamus industriam, qui ne videaris tibi commissa negligere, id non praetermittis literis indicare, quod sedis apostolicae debeat censura corrigere: hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea, quae curae tuae commissa sunt, prodesse ecclesiis fuerimus experti. Intuetur enim te, ut epistulis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus apostolus oculis suis, qualiter summi rectoris utaris officio. Nec potest tibi esse non proximus, *qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus;* aut aliquam *ubivis positam* ecclesiam non curare, in quo *universalis Ecclesiae* positum legimus fundamentum. *Te ergo,* frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicae a nobis creditas recognosces.“ Quibus verbis Bonifatius manifeste loquitur de R. Pontifice ut Petri in primatu successore, qui universam Ecclesiam habeat curandam et hinc vi primatus Rufum constituat sui in Illyrico vicarium. Atque ut duos Bonifatii locos iam supra p. 745 allatos non repetamus, idem Pontifex epistulam ad universos Thessaliae episcopos, in qua illos monet, ut Rufo a se, supremo Ecclesiae totius capite, constituto vicario debitum honorem et obsequium exhibeant, hoc sollemni modo exorditur[4]: „Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium, *in quo regimen eius et summa consistit.* Ex eius enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, religionis iam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone con-

[1] Ep. 3 (Coustant 1065). [2] Ep. 13, n. 1 2 (ib. 1035).
[3] Ep. 5, n. 1 2 (ib. 1021 sq). [4] Ep. 14, n. 1 (ib. 1037).

cessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum." Nec minore orationis sublimitate aliam epistulam idem Pontifex incipit ad defensionem nominationis Perigenis Corinthiorum episcopi a se constituti, Rufo et ceteris episcopis per totum Illyricum constitutis datam, haec scribens[1]: „Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiae ab hoc sollicitudo suscepta; quippe quam evangelio teste in se noverit esse fundatam: nec umquam eius honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit, summam rerum ex eius deliberatione pendere. Quae res animum meum usque ad orientis loca, quae per ipsam sollicitudinem quodammodo videmus, extendunt."

Idem docuit, cum loco p. 745 sq allato diceret, *vice sua beatum apostolum Petrum* ecclesiae Thessalonicensi cuncta commisisse. — Item Coelestinus ad primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam provocavit in epistula ad episcopos Illyrici de eadem praecipue re data. Postquam enim initio dixit: „Inter ceteras curas et diversa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt semper ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri sollicitudinem gerere", paulo post haec addidit[2]: „Nosque praecipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in sancto Petro apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit; et inter apostolos suos, non qui altero esset inferior, sed eum maxime, qui esset primus, legit." Et denique de Rufo dixit: „Cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam." Omnium autem clarissime et maxime luculenter id expressit Leo I, haec metropolitis Illyrici scribens[3]: „Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicae dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum fidei suae remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis, quam habemus, cum his, qui nobis collegii caritate iuncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus."

Quibus testimoniis addere liceat, nonnullos etiam episcopos Illyricos R. Pontificis Bonifatii II implorasse auxilium, causam suae petitionis reddentes non solum patriarchatum, sed praecipue primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam ipsi commissum. Ita Stephanus Larissae in Thessalia archiepiscopus postquam in epistulae suae ad Bonifatium II datae inscriptione ipsum „patrem patrum et *universalem* patriarcham" nominavit, postea ad ipsum initio ferme epistulae dicit[4]: „Quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quae a salvatore omnium et primo pastore est collata, potest praecellere potestatem, exiguum est vel humile, in quo providentia vestra respicit. Quantum vos apud Deum omnes praecellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia haec est probatio Deum amantium, ut post Deum pater et doctor sanctae Ecclesiae Petrus vestrae et totius mundi testatur. Quia Domino dicente tertio: *amas me? pasce oves meas*, tradidit prius vobis mandatum ostendens, et per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis ecclesiis condonavit." In fine autem epistulae haec subicit: „Hoc enim opus vestrum est, beatissime, die ac noctu sanctorum Patrum et venerabilis atque apostolicae vestrae sedis leges atque constituta in *omnibus* quidem *ecclesiis*, *praecipue* autem in vestra Illyricana provincia custodire." Et in alia epistula, quam Elpidius, Stephanus, Timotheus ad Bonifatium II Romanum Pontificem supplicantes dederunt, appellant quidem ipsum in inscriptione simpliciter patriarcham et patrem patrum, sed deinde dicunt[5]: „Pro

[1] Ep. 15, n. 1 (Coustant 1039). [2] Ep. 3 (ib. 1064).
[3] Ep. 5, c. 2 (ML LIV 615). [4] Harduin II 1111 E; Mansi VIII 741 CD.
[5] Harduin 1117 E; Mansi 748 B.

his et vestram appellamus beatitudinem et apostolicam sedem, et *per eam* ter beatum Petrum, atque sanctae Ecclesiae primum pastorem Christum Dominum nostrum audire et adorare credimus." Addiditque Theodosius episcopus Echiniensis[1]: „Nam constat venerandos sedis vestrae Pontifices, quamvis *in toto mundo sedes apostolica ecclesiarum sibi iure vindicet principatum,* et solam ecclesiasticis causis *undique* appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suae Illyrici ecclesias vindicasse."[2]

δ) Appellarunt antiquissimis iam temporibus multi ex quacumque ecclesia particulari, sive occidentali sive orientali, ad Romani Pontificis tribunal tamquam ad summum. Id quod agnitum fuisse eius primatum demonstrat.

Si enim ab Ecclesia agnitum fuit ius R. Pontificis, ut ad illum ex quavis orbis catholici parte licuerit appellare, ab eius vero sententia nulla appellatio concessa sit, consequitur prorsus, ab Ecclesia R. Pontifici primatum iurisdictionis in se ipsam totam ascriptum esse. Nam ut vel ipse Calvinus profitetur[3], „summum imperium penes eum esse constat, ad cuius tribunal provocatur". Et vero omnis appellatio proprie dicta in hoc sita est, quod iudex superior propter appellationem a sententia ab inferioribus iudicibus lata apud se interpositam valet vel per se vel per quoscumque alios iudices a se ad id destinatos illorum inferiorum iudicum sententiam vel confirmare vel corrigere et emendare, vel etiam penitus irritam declarare ac tollere, et ea quidem auctoritate, ut latum ab ipso qualecumque iudicium omnino validum et exsecutioni mandandum sit. Appellatio enim dicitur in iure „ab inferiore iudice ad superiorem provocatio rei, ut lata a priore iudice sententia corrigatur ab altero vel revocetur".

Iam vero istius ad R. Pontificem tamquam supremum iudicem appellandi iuris usus iam a primis christianae aerae saeculis, Ecclesia nullatenus contradicente, semper exstitit; Ecclesia ergo R. Pontificis primatum iurisdictionis in se ipsam totam agnovisse dicenda est.

Iam circa a. 142 contigit, quod, tametsi non eo stricto sensu appellatio fuit, ut a R. Pontifice instituta atque peracta nova actione prioris iudicis sententia confirmaretur aut mutaretur, latiore tamen ac vero sensu appellatio ad sedem Romanam fuit. Ut enim Epiphanius narrat[4], Marcion, genere Ponticus ex oppido Sinope, presbyter, propter luxuriam a patre simulque episcopo suo ex Ecclesia pulsus, cum nullis precibus ab ipso obtinere potuisset,

---

[1] Harduin 1118C; Mansi 748E.

[2] Alios insuper apostolicae sedis vicarios in Gallia, Hispania, Sicilia etc. R. Pontifices constituerunt, sed cum difficilius sit, *disertis testimoniis certo probare,* illos *vi primatus* ab ipsis constitutos esse, eos omitto. — Pariter omitto argumentum illud praeclarum, exinde petitum, quod R. Pontifex ut supremum fidei magistrum ac iudicem, approbante Ecclesia, semper se gessit; hoc enim argumentum suo loco tractabitur a nobis, quo de eiusdem R. Pontificis infallibilitate agetur.

[3] Instit. l. 4, c. 7, n. 9.

[4] Haer. 42 (MG XLI 695). Cum nec Irenaeus nec Tertullianus de re ab Epiphanio narrata quidquam referant, multi Epiphanium errasse putant. Quodsi erravit Epiphanius revera, saltem quid senserit de appellationibus Romanis, ex narratione illa elucet.

ut ad poenitentiam atque ita rursus in Ecclesiam admitteretur, appellavit Romanae ecclesiae cathedram. Romam enim post Hygini R. Pontificis obitum se contulit et a presbyteris, qui ab apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem reciperetur, ideoque sui episcopi sententia contra se lata aut nulla agnosceretur aut abrogaretur, petiit. Noverat enim, neminem in Ecclesiam rursus recipi posse, nisi prius absolutus sive excommunicationis in ipsum latae sententia irrita declarata sit. Frustra tamen Marcion absolutionem a clero Romano petiit. Etenim sive quia putarunt, clerum Romanum, vacante ipsa Pontificis sede, non debere de tali causa sententiam dicere, sive quia Marcion postulavit simul, ut in clerum Romanum reciperetur, id quod sine consensu episcopi illius, qui hoc petiit, generatim fieri non potuit, seniores Marcioni responderunt, sibi istud facere sine patris sui iussu non licere, neque se contra hunc spectatissimum collegam quidquam moliri velle. Ac probabile est, ipsum Marcionis patrem de filii criminibus, de suo in eum iudicio ac frivola eius appellatione et fuga relationem Romam misisse[1]. Quid aliud iam Marcionem ad hoc longissimum iter Romanum movit, quam spes fore, ut si minus per iustitiam, saltem per gratiam patris episcopi sententia, de qua iure se queri putabat, abrogaretur ipseque rursus in Ecclesiam reciperetur, quemadmodum posteriore tempore Ursacius et Valens ariani a Iulio R. Pontifice *per veniam* in communionem Ecclesiae recepti ab Hilario traduntur?[2] Adiudicavit igitur Marcion R. Pontifici auctoritatem, episcoporum etiam orientalium constituta tollendi, et hac persuasione motus ad illius auctoritatem appellavit. Nec sane huic Marcionis facto appellationis indoles ideo denegari potest, quod ipsi petenti Romae satisfactum non est; non enim appellationis exitus ipsam eius indolem constituit[3]. Certum tamen est, Marcionem postea in ordinem cleri Romani receptum, sed quia male se gerebat, rursus ex Ecclesia pulsum esse.

Etiam Montanus, postquam ipsius secta ab orientis ecclesiis iam impugnata et in duabus synodis Hierapoli et Anchiali habitis fortasse damnata erat[4], Romam appellasse videtur, cum Tertullianus de Praxea scribat[5]: „Nam idem tunc episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae et Maximillae, et ex ea agnitione *pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem,* falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praecessorum eius auctoritates defendendo coegit et literas pacis revocare iam emissas."

Saeculo tertio fere medio Privatus episcopus Lambesitanus a 90 episcopis Numidiae propter haeresim aliaque gravia crimina damnatus provocavit ad Donatum archiepiscopum Carthaginiensem, totius provinciae Africanae primatem. Verum hic confirmavit synodi sententiam; atque etiam Fabianus, Pontifex Romanus, literis sive ad Privatum sive ad illius concilii Patres datis, ipsum severissime notavit[6]. Mortuo autem Fabiano et nondum electo eius successore Cornelio, Privatus existimans, se commodam occasionem nactum esse, qua lata in ipsum sententia tolleretur, turbae suae vexillarium

---

[1] Chr. Lupus, De Rom. appellationibus diss. 1, c. 18 (Opera VIII 73).
[2] Fragm. 2, n. 19 (ML X 646). [3] Phillips, Kirchenrecht V 233.
[4] Cf. Libell. synod. (apud Harduin V 1493 A; Mansi I 724 A); Eus., H. E. 5, 16; Hefele, Konziliengesch. I[2] 83 sqq.
[5] Adv. Prax. c. 1. [6] Cypr., Ep. 59, c. 10 (Hartel 677).

Romam misit, qui clerum Romanum benevolum sibi redderet seque in amissum gradum restitueret. Sed clerus Romanus Privati fraudes perspexit atque haec ad Cyprianum scripsit[1]: „Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis tamquam sollicitam nuntiare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare. Sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipsius nequitiae cohorte venisset vexillarius Privati Futurus et fraudulenter literas a nobis elicere curaret, nec quis esset, latuit, nec literas quas volebat, accepit." Quod factum sane luculenter testatur, Romanae ecclesiae sententiam terminalem ferendi potestatem in Africa agnitam fuisse.

Ac non diu post hoc factum Fortunatus a Felicissimo diacono nonnullisque presbyteris, qui Cyprianum episcopum Carthaginiensem admittere noluerant, in huius locum electus et a Privato, de quo modo egimus, episcopus ordinatus est. Is a Cypriano in synodo Carthaginiensi damnatus, circa a. 251—252 ad Cornelium Romanum Pontificem appellavit, missis legatis, quorum dux Felicissimus ille fuit. Quos Cornelius primo quidem noluit audire, postea vero ipsorum minis territus, antequam a S. Cypriano melius de eorum causa instrueretur, aliquatenus saltem admisit, sed accepta Cypriani epistula Fortunatum petentem, ut ipse ceu episcopus Carthaginiensis agnosceretur, penitus reiecit. Ergo etiam isti schismatici R. Pontifici supremam potestatem iudicialem ascripserunt.

Nec quoad has aliasve illius temporis appellationes Romanas nobis opponere licet, quod Cyprianus in laudata epistula ad Cornelium dicit, illis, utpote subditis suis, non licuisse Romam appellare, cum id presbyteris aliisque clericis in synodo, probabiliter sub ipso habita, prohibitum sit. Eius verba sunt haec[2]: „Post ista adhuc insuper, pseudo-episcopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. Quae autem causa veniendi et pseudo-episcopum contra episcopos factum nuntiandi? Aut enim placet illis, quod fecerunt, et in suo scelere perseverant; aut si displicet et recedunt, sciunt, quo revertantur. Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint: nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui de illis iam iudicaverunt, et eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicii sui nuper gravitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est: iam de iis dicta sententia est, nec censurae congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi, cum Dominus doceat et dicat: *sit sermo vester, est est, non non.*" Circumscribere Cyprianum hisce ius ad R. Pontificem appellandi, putaverunt Dupin[3] aliique Gallicani, Febronius, alii; sed iniuria id existimarunt. Nam ut clare patet ex allatis Cypriani verbis et ex nota eius sententia, qua haereticos nulla sacramenta vere conferre putabat, ipse Fortunatum non agnovit episcopum, sed presbyterum tantum; presbyteris autem aliisque inferioris gradus clericis

[1] Inter ep. Cypr. ep. 36, c. 4 (ib. 575).
[2] Ep. 59, c. 14 (ib. 683 sq).
[3] De antiqua Ecclesiae disciplina, Mogunt. 1788, diss. 2, c. 2, p. 117.

Africanae synodi decreto tunc temporis facultas ad R. Pontificem appellandi denegari potuit, non quod ipsis absolute ea concedi non posset, sed ne ea abuterentur. Lex enim ista lata fuisse videtur ipso illius schismatis tempore ad praecavenda mala, quae facile ex appellationibus Romanis oriri poterant. Non modo enim causae, quae brevi expediendae erant, ita haud sine longis itineribus multisque expensis diu pependissent, sed etiam periculum erat, ne R. Pontifex ab hominibus sibi ignotis et fallacibus facilius falleretur quam episcopus illorum proprius. Cyprianum autem non reprehendere appellationes Romanas ab *episcopis* interpositas, non solum manifestum est ex eo, quod hic non de episcopis agit, sed etiam ex eo, quod de Privati episcopi appellatione ut tali conquestus non est, quodque Basilidis episcopi Hispani appellationem ad R. Pontificem non reprehendit propter ipsam appellationem, sed ideo quod a Basilide existimabat Stephanum in errorem inductum fuisse. Scribit enim[1]: „Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta et conscientiae etiam propriae confessione nudata Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum et gestae rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerat iure depositus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata eius etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit.“ Vides „unam *fallaciam* et *circumventionem* afferri uti rationem eius sententiae: ‚Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest?‘ Hinc non ex defectu pontificii iuris, sed ex deceptione et fraude, cui apostolica sedes suis iudiciis non vult suffragari, Cyprianus rescripsit standum esse priori iudicio, quo Basilides et Martialis depositi fuerant.“[2]

Quod autem Cyprianus addit, non esse minoris auctoritatis episcopos Africae, manifeste non refertur ad potestatem R. Pontificis, sed ad causam, de qua tunc agebatur. „Est enim sensus“, scribit Bellarminus[3], „episcopos Africae non fuisse minoris auctoritatis, quam sufficeret ad eam causam iudicandam.“[4]

Saeculo quarto Caecilianum episcopum Carthaginiensem, quem donatistae in synodo 70 episcoporum invalide ordinatum a Felice Aptungitano „traditore“ declaraverant[5], ad R. Pontificem appellare et ad eius tribunal causam suam dicere potuisse, agnoscit Augustinus[6] de eo scribens: „Qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et

---

[1] Ep. 67, c. 5 (Hartel 739). — Ceterum Fratres Ballerini (Opera S. Leonis II 931: ML LV 551) haud leviter dubitant, utrum non potius Cyprianus a Felice et Sabino, qui erant a suis sedibus pulsi, circumventus fuerit, ita „ut ei *longe posito et rei gestae, ac tacitae veritatis ignaro* contigerit, quod ipse de Stephano credidit“.

[2] Ballerinii: ML LV 550. [3] De Rom. Pontif. l. 2, c. 23.

[4] Obicit Turmel (Hist. du dogme de la papauté 261 sq), facta (Marcionis), Basilidis Hispani, Fortunati, Privati testari illa quidem superioritatem ecclesiae Romanae, sed *ius* Romanae sedis iudicandi appellationes iis non demonstrari. Secus dicendum esse, Hispanos in causa Basilidis praeposuisse Romae Carthaginem, cum illi, postquam Basilides et Martialis appellassent Romam, ipsi appellationem interponerent ad Cyprianum. Sed futilis est haec obiectio. Hispani enim ad Cyprianum non appellaverunt, sed consilium ab eo petierunt, quid faciendum sit in causa, quam satis intricatam esse iudicabant. Cyprianus porro nullo modo cassavit edictum Stephani, quippe quod ob defectum obreptionis invalidum putaret. Addit idem, Privatum, Fortunatum etc. fuisse homines pessimos, qui quid de rebus fidei senserint, curandum non sit. At non argumentamur ex auctoritate Privati et Fortunati, sed ex sententia primitivae Ecclesiae, quae eorum se gerendi modo manifestatur.

[5] Cf. Aug., Ep. 43, c. 2, n. 4 (ML XXXIII 161).

[6] Ep. 43, c. 3, n. 7 (ib. 163).

ceteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii eius ab eo illas ecclesias alienare conarentur.“ Hunc autem ad Romanam ecclesiam appellandi morem inde repetit Augustinus [1], quod Caecilianus *non sit ex ordine presbyterorum, diaconorum aut inferiorum clericorum*, quorum causae in provinciis suis finiebantur, et qui in iudicio metropolitae ac synodi provincialis acquiescere debebant, sed ex ordine episcoporum, quibus appellatio huiusmodi permittebatur. Tametsi autem Caecilianus ad Melchiadem tunc temporis Pontificem Romanum non diserte appellabat, ipsa eius cum Romana ecclesia coniunctio hanc vim habuit, ut donatistae non audentes rem ad R. Pontificem deferre, ad imperatorem Constantinum M. confugerint; qui tamen cum rebus ecclesiasticis immiscere se nollet, a Melchiade petiit, ut una cum tribus ab ipso mittendis episcopis Gallis de tota controversia decideret [2]. Et vero Melchiades assumptis insuper quindecim episcopis Italiae anno proximo 313 hanc sententiam tulit [3]: „Cum constiterit, Caecilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, iuxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suae communioni ecclesiasticae integro statu retinendum esse censeo.“ Ita autem eum iudicasse proprio iure, non vero vicaria imperatoris potestate, nemo certe hodie serio negabit, postquam Natalis Alexander id invicte demonstravit [4]; quare huius rei probatione supersedere iure possumus. S. Augustinus certe alioquin istam sententiam non eo modo laudasset, quo revera laudavit [5]: „Qualis *ipsius b. Melchiadis ultima* est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandae optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias literas mittere etiam iis, quos a Maiorino [illegitimo donatista episcopo Carthaginiensi] ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos discussio geminasset, eum *confirmari* vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum, o filium christianae pacis et patrem christianae plebis!“ Post Melchiadis autem iudicium eandem causam rursus iudicavit episcopus Arelatensis, R. Pontifice concedente, non quia id necesse erat, sed ut omnino obstrueretur os donatistarum.

Denique notum est, tempore arianae factionis ante concilium Sardicense quam plurimos episcopos atque etiam patriarcham Alexandrinum Athanasium ab arianis sede pulsos Romam auxilii petendi causa ad Pontificem Iulium I et congregatam ab ipso in urbe synodum confugisse. Quod ita testatur ipse Iulius [6]: „Non enim Athanasius dumtaxat et Marcellus episcopi huc se contulerunt ac secum iniuste actum esse conquesti sunt, sed etiam complurimi alii episcopi ex Thracia, Coelesyria, Phoenicia et Palaestina, et una presbyteri non pauci, atque alii quidem Alexandria, et alii ex aliis partibus ad synodum huc coactam accesserunt, qui coram omnibus episcopis congregatis praeter alia, quae in medium protulerunt, conquesti sunt insuper, ecclesias vim iniuriamque esse perpessas ac in suis aliisque ecclesiis paria iis, quae Alexandriae gesta esse asseverarunt, non solum verbo, sed rebus ipsis.“

[1] Ibid. [2] Coustant 325. [3] Ibid. 327.
[4] H. E. saec. IV, diss. 3, q. 2 (VII 365 sqq).
[5] Ep. 43, n. 16 (ML XXXIII 167). [6] Ep. 1, n. 18 (Coustant 379 sqq).

Nec obstat, quod Athanasius ad synodum Romanam a Iulio *vocatus* venit, id quod ipse Iulius ait[1]: „Non suo motu, sed accersitus ac literis nostris acceptis huc accessit, quemadmodum et vobis literis nostris indicavimus." Iam prius enim, cum Gregorius Athanasii sedem nondum occupasset, sed electus tantum in eam alius, Pistus, esset, Athanasius presbyteros miserat, qui Romae causam suam defenderent, quique probabiliter etiam epistulam synodi Alexandriae habitae defendendi Athanasii causa scriptam secum tulerunt[2]. Quo alio autem consilio Athanasius hos legatos Romam misit, quam ut propter electionem Pisti et latam contra se ipsum ab arianis etiam in synodo Antiochena (a. 340) sententiam, secundum quam ipse a sede sua Alexandrina pellendus erat, ad R. Pontificem sese purgandi et auxilii petendi causa confugeret, et tum electio tum sententia illa irrita declararetur, verbo, ut ad Iulii tribunal appellaret, latiore saltem sensu hoc verbo accepto? Certe iam Liberatus scribit[3]: „Ioannes Talaia electus de sede Alexandrina . . . profectus est Antiochiam . . . ingressus est ad Calendionem Antiochenum patriarcham. Et sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium *appellavit, sicut beatus fecit Athanasius.*" Eodem sensu etiam Iulii in pontificatu Romano successores scripserunt. Ita Bonifatius I (418—422)[4]: „Sanctae memoriae Athanasius et Petrus Alexandrinae sacerdotes ecclesiae huius sedis auxilium postularunt." Coelestinus vero de Athanasio[5]: „Denique hic ei redintegratus est status, et in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur." Et sane Iulius una cum synodo Romana in Athanasii causam serio inquisivit, et consultis documentis auditisque multis testibus[6] in eius favorem sententiam dixit, non quidem ut arbiter ab eusebianis electus[7], sed ut verus iudex et secundum canones ecclesiasticos, ut ipse saepius in epistula sua laudata ad eusebianos dicit[8]. Ipse autem Athanasius: „*Iudicatum* iam est [de me], inquit[9], non semel, neque bis, sed saepenumero. Primum quidem in nostra provincia in unum coacta ab episcopis prope centum; secundo *Romae,* cum post missas illuc ab Eusebio literas cum ipsi [ariani] tum nos etiam in iudicium vocati sumus, congregatique sunt ibi episcopi plus quinquaginta. Tertio in magna synodo Sardicae coacta." Atque idem testatum est brevi postea concilium Sardicense ita in epistula ad ecclesiam Alexandrinam: „Qua ex re aequitas iudicii fratris et coepiscopi nostri Iulii liquidissime apparuit: qui non temerario consilio, sed matura deliberatione sententiam tulit."[10]

Itaque ex aetate, quae concilium Sardicense antecedit, plures iam ab antiquis scriptoribus traduntur causae ad R. Pontificem tum ex oriente tum ex occidente delatae, quae tametsi non stricto, latiore tamen sensu appellationes fuerunt. Complures alias eiusmodi appellationes Romanas eo tempore locum habuisse, tametsi non diserte a veteribus relatae leguntur, indicat tamen satis S. Augustinus, cum ad R. Pontificem Coelestinum: „Exsistunt, inquit[11], exempla, ipsa sede apostolica iudicante vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis

---

[1] Ep. 1, n. 13 (Constant 374).
[2] Cf. Vita S. Athanasii ad a. 340 n. 2 3 (MG XXV XCIV. Coustant 351).
[3] Breviar. c. 18 (ML LXVIII 1026). [4] Ep. 15, n. 6 (Coustant 1042).
[5] Ep. 14, n. 7 (ib. 1143 sq).
[6] Cf. Iulii I ep. 1, n. 9—11 (Coustant 367 sqq).
[7] Cf. Nat. Alexander, H. E. saec. IV, diss. 22, prop. 2 (VII 575 sqq), ubi hanc sententiam optime refutat.
[8] Cf. n. 1 13 14 17 22. [9] Apol. c. arian. c. 1 (MG XXV 247).
[10] Qui plura desideret, adeat praesertim Phillips, Kirchenrecht V 243 sqq.
[11] Ep. 209, n. 8 (ML XXXIII 955).

quibusdam nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quae *ut a nostris temporibus remotissima* non requiram, recentia memorabo."

Neque his appellationibus contrarius est can. 15 concilii Antiocheni a. 341 celebrati ab episcopis maximam partem orthodoxis, nonnullis tamen etiam eusebianis sive semiarianis. Illo enim canone statuitur tantum, ut episcopus de certis criminibus accusatus et *ab omnibus* eiusdem provinciae *episcopis unanimi consensu eademque sententia* condemnatus, haud amplius ab aliis iudicetur, sed ut firma maneat lata unanimis episcoporum provinciae sententia. Minime igitur eo canone *omnis* appellatio, nominatim ad R. Pontificem, cuius ceteroquin ne verbo quidem mentionem facit, interdicitur, sed manifestum est, „solum in casu consensus omnium episcoporum unius provinciae denegari illud novum iudicium e vicinae provinciae episcopis instituendum, quod antecedente canone (14) concessum fuerat. De iure autem appellationis aut retractationis in pleniori synodo, aut in alio tribunali superiore ne verbum quidem. Deinde eo solo casu novum iudicium laudato canone 15 excluditur, quo crimen adeo sit manifestum, ut ne uno quidem episcopo discrepante omnes in condemnationem consentiant. Id in legitimis iudiciis nulla praecipitantia, praeventione nulla institutis non solet accidere, nisi cum reus vel confessus est, vel saltem convictus; quo quidem casu aliquot etiam civiles leges tum antiquae, tum recentiores appellationem vetant. Id ergo aequissimum in suis provinciis Antiochenis Patribus videri potuit, ut ne idcirco appellationem reprobarent, cum quis se iniuste gravatum existimet: huic enim novo iudicio in pleniori iudicio satis providerant can. 12: Si quis . . . a synodo fuerit episcopus forte damnatus . . ., oportet ad maius episcoporum converti concilium, et quae putaverit habere iusta, plurimis episcopis suggerat, eorumque discussiones ac iudicia praestoletur. Ceterum si in iis quoque circumstantiis, quibus aliquis episcopus omnium licet episcoporum suae provinciae sententia condemnatus, aliquo nomine se gravatum sentiat, omnis appellatio aut iudicii renovatio can. 15 sublata credatur; idem canon hoc sane sensu nec a graeca nec a latina Ecclesia umquam receptus fuit; ac proinde tum in oriente, tum in occidente appellationum causae semper viguere; et Sardicensium posteriorum canonum praevaluit auctoritas, qui dum appellationibus aditum patere sanxerunt, hunc Antiochenum canonem emendarunt, simulque apostolicae sedis iuri in appellationibus prospexere." [1]

Neque legitimum contra iura R. Pontificis argumentum praebent episcoporum eusebianorum sive semiarianorum contra Iulium R. Pontificem querelae. Querebantur scil., Iulium orientalium synodorum iura violasse, cum Athanasii aliorumque episcoporum orientis ad ipsum confugientium causas post eorum depositionem diiudicandas suscepisset, dictitantes (ut ex Iulii epistula ad eosdem supra laudata et maxime ex ipsorum pseudo-synodica Sardicensi epistula liquet [2]), occidentales episcopos atque ipsum R. Pontificem se non debere immiscere causis orientis, quemadmodum etiam orientales suo iudicio non subiecerint causas ab occidentalibus definitas, sed eorum iudicia rata habuerint. Quae querelae mirae esse non debent. Favebant enim eusebiani ei de Iesu Christo doctrinae, in qua Iulius et qui ipsi adhaerebant episcopi, minime acquiescebant, et cum acerrimos ipsorum adversarios, Athanasium aliosque, quos illi omni modo insectati iniustissime e sedibus deiecerant, Iulius benevole suscepisset ac contra ipsorum falsissimos accusatores defendisset, verosque suarum dioecesium episcopos declarasset, illi pro factionis suae studio et omnium haereticorum more auctoritatem sibi adversam impugnabant. Quod minime eos facturos fuisse, si Iulius ipsis favisset, vel ex hoc solo patet, quod eusebiani, cum Pistum loco Athanasii ecclesiae Alexandrinae praeficiendum decrevissent, sua sponte legatos Romam miserunt, qui a Iulio postularent, ut Pisto

---

[1] Fr. Ballerini, In dissert. 5 Quesnelli c. 6, n. 3: Opera S. Leonis, App. (ML LV 558).

[2] Harduin I 679E; Mansi III 136A.

literas, communionis scil. atque favoris, scriberet itaque ipsorum causae faveret, quodque postea synodum pariter ab ipso indicendam petierunt[1]. Ceterum concilium Sardicense, cuius negotium partim saltem in hoc situm erat, ut, si fieri posset, discordias Athanasium aliosque nonnullos episcopos loco iniuste motos inter et eusebianos componeret[2], de appellationibus Romanis doctrinam eusebianorum placitis prorsus contrariam statuit.

Synodus Sardicensis episcopo, si suae provinciae episcoporum iudicio depositus fuerit[3], licere ad R. Pontificem appellare diserte statuit, ideoque huic ius et potestatem iudicandi eiusmodi appellationes competere asseruit et confirmavit[4]. Canones porro, quibus haec doctrina exprimatur, proferri solent hi tres[5]:

Primum affertur tertia pars canonis 3, quae ita habet: Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε . . . εἰ δὲ ἄρα τις ἐπισκόπων ἔν τινι πράγματι δόξῃ κατακρίνεσθαι καὶ ὑπολαμβάνει ἑαυτὸν μὴ σαθρὸν, ἀλλὰ καλὸν ἔχειν τὸ πρᾶγμα, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ· εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, καὶ γραφῆναι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, εἰ δέοι, ἀνανεωθῆναι τὸ δικαστήριον καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παράσχοι· εἰ δὲ μὴ συστῆναι δύναται τοιοῦτον αὐτοῦ εἶναι τὸ πρᾶγμα, ὡς παινδικίας χρῄζειν, τὰ ἅπαξ κεκριμένα μὴ ἀναλύεσθαι, τὰ δὲ ὄντα βέβαια τυγχάνειν. Quam canonis partem Dionysius Exiguus latine ita exhibet: „Osius episcopus dixit . . . Quodsi aliquis episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium [Isidorus rectius: iudicium] renovetur: si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano episcopo, et si iudicaverit, renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices; si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet."

Quae latina manifesto tripliciter a graeco sermone differunt. 1. In graeco non definitur, *quis* cognoscere debeat, utrum causa nova inquisitione digna sit necne, cum generatim tantum dicatur *εἰ δέοι*, si opus sit; contra ex latino canone episcopi Romani est id iudicare („et si iudicaverit, renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices"). 2. Secundum graeca verba novi iudices sumendi sunt ex episcopis provinciae vicinis; Dionysius autem generatim tantum de novo iudicio loquitur. 3. In graeco affirmatur, primum iudicium, si demonstrari non possit, nova inquisitione

---

[1] Cf. Iulii I ep. 1, n. 2 4 (Coustant 358 362).

[2] Cf. Hefele, Konziliengesch. I[2] 537 sqq.

[3] De aliis appellationum causis ab hoc concilio nihil diserte dicitur, eae igitur nec affirmantur nec negantur. Cf. Hefele l. c. 573.

[4] Al. Vincenzi (De hebraeorum et christianorum sacra monarchia P. 2, c. 7, p. 221) putat, canones qui dicantur Sardicenses nihil aliud esse quam Nicaenorum canonum commentarium, in Africa ab episcopis orthodoxis latine elaboratum. Quem tamen in hac re nemo fere secutus est. Postea J. Friedrich vetero-catholicus demonstrare conatus est, canones Sardicenses esse spurios, ac inter a. 416 et 417 Romae consarcinatos, ad primatum R. Pontificis fulciendum. Quem refutarunt C. H. Turner in Journal of Theological Studies III, London 1902, 370—398; Duchesne in Bessarione III, Romae 1902, 149—144; Funk, Abhandlungen und Untersuchungen III, Paderborn 1907, 159—217; P. de Chastonay in Archiv für kath. Kirchenrecht LXXXV (1904) 3—19.

[5] Harduin I 639 A; Mansi III 7 sqq 23 sqq.

opus esse, non esse mutandum; secundum Dionysium autem, si episcopus Romanus iudicaverit, in causam haud amplius inquirendum esse, rata maneant, quae prius acta sint. — Haec tamen discrimina sensum huius canonis non immutant, cum Dionysius idem, quod est in graeco, sed in primo et tertio discrimine clarius tantum exprimat, in secundo autem graeca oratio magis explicata sit. Nam utrum novum iudicium instituendum sit, manifesto nemo alius decernere potest quam ille, ad quem ea de re scribendum erat; priores enim iudices iam declaraverant, novo iudicio opus non esse. Item ex eadem ratione R. Pontificis erat iudicare, utrum iudicium renovandum, an vero prior sententia fixa rataque habenda esset.

Alter canon (4) hic est: Γαυδέντιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Εἰ δοκεῖ, ἀναγκαῖον προστεθῆναι ταύτῃ τῇ ἀποφάσει, ἥντινα ἀγάπης εἰλικρινοῦς πλήρη ἐξενήνοχας, ὥστε ἐάν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ τῇ κρίσει τούτων τῶν ἐπισκόπων τῶν ἐν γειτνίᾳ τυγχανόντων, καὶ φάσκῃ πάλιν ἑαυτῷ ἀπολογίας πρᾶγμα ἐπιβάλλειν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον ὑποκαταστῆναι, ἐὰν μὴ ὁ τῆς Ῥωμαίων ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτου ὅρον ἐξενέγκῃ. Quem canonem Dionysius Exiguus sic reddidit: „Gaudentius episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter episcopus in eius cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio episcopi Romani determinata.“

Tertius denique pro hac re canon est 5 (apud Dionysium et Isidorum 7), in quo haec dicuntur: Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἤρεσεν, ἵν' εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσι, καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δίκαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς συνεπισκόποις καταξιώσῃ τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσι καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσιν. Εἰ δέ τις ἀξιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τὸ πρᾶγμα ἀκουσθῆναι, τῇ δεήσει τῇ ἑαυτοῦ τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον δόξειεν [κινεῖν δόξῃ ἵν'] ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστεῖλοι, εἶναι ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ δεῖν, ἀποσταλῆναι τοὺς μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τὴν αὐθεντίαν τούτου παρ' οὗ ἀπεστάλησαν· καὶ τοῦτο θετέον. Εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσῃ πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου[1], ποιήσει ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ· ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν. Quae ita Dionysius vertit: „Osius episcopus dixit: Placuit autem, ut si episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint: si appellaverit qui deiectus est, et confugerit ad episcopum Romanae ecclesiae et voluerit se audiri: si iustum putaverit, ut renovetur iudicium vel discussionis examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis definiant. Quodsi is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat: erit in potestate episcopi, quid velit et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis

[1] Hefele (l. c. 569 in nota) recte dicit, probabile esse, loco *τοῦ ἐπισκόπου* legendum esse *τοὺς ἐπισκόπους*, scil. *ἐξαρκεῖν*, quemadmodum etiam Dionysius rem intellexit et postulare videtur coniunctio *καί*.

iudicent, habentes eius auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit."

Porro a concilio Sardicensi agnitum fuisse ius R. Pontificis accipiendi et iudicandi appellationes episcoporum, qui e sede sua deiecti sunt, demonstrabimus ex canonibus Sardicensibus 4 et 5, omisso canone 3.

Notandum scil. est, inter eruditos disputari, utrum in allata parte can. 3 de vera appellatione, an vero tantum de novi iudicii petitione agatur, i. e. an res ad R. Pontificem referenda ideo solum sit, ut is sitne ea novo instituendo iudicio digna videat. Et hoc ultimo quidem sensu hunc canonem accipiendum esse, praeter Gallicanos et Febronium contendunt Fr. Ballerini[1], Palma[2], Walter[3], Phillips[4].

Qua in re ex Hosii verbis: „Si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus", concludi non debet, praeter appellationum recipiendarum ius antiquum alium honorem omnino novum concilium Pontifici Romano concedere voluisse, illum scil. ut daret novos iudices provocantibus. Eodem enim iure Hosii verba de iure iamdudum exsistente explicantur. Et vero quodvis ius etiam antiquum, quod R. Pontifici ut Ecclesiae primati competit, semper quoque ex reverentia erga S. Petrum tamquam eum, qui a Christo primatum acceperit, agnoscitur[5]. Insuper recte dicit Nat. Alexander[6]: „Idem est asserere appellationes episcoporum [vel secundum hanc sententiam, recognitionem iudiciorum de episcopis depositis] ad Summum Pontificem esse deferendas, ut honoretur memoria S. Petri, ac dicere, ipsum esse S. Petri in totius Ecclesiae regimine successorem, et ratione istius successionis ac primatus ius appellationum episcopalium iudicandarum ipsi convenire, ut Ecclesiae universae capiti. Unde quod Patres Sardicenses can. 3 exprimunt his verbis: ‚Si vobis placet, S. Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Pontifici' etc., iidem in epistula synodica ad Iulium efferunt his verbis[7]: ‚Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, i. e. ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.' Honorare itaque in Romanis Pontificibus memoriam S. Petri et agnoscere Petri sedem ut caput omnium ecclesiarum, idem omnino est."

Verba etiam: „si vobis placet" non dubitantium sunt, sed urbana et consueta fuerunt loquendi formula, ut liquet ex aliis eiusdem concilii canonibus, quibus cum certae ac iustissimae leges ferantur, nulla sane dubitatione constituti ii sunt. Mos enim, ait Nat. Alexander[8], „sollemnis est veteribus conciliis, cum antiquas Ecclesiae consuetudines legesque non scriptas renovant, illas proponere, quasi de novo instituerent, et re in deliberationem vocata ipsas communibus Patrum suffragiis firmare, observandasque decernere verbis futuri temporis. Hoc modo prohibitiones episcopis factae in concilio Sardicensi, ne ex uno episcopatu ad alium migrarent, et ne clericum ab alio antistite excommunicatum in communionem susciperent, Patribus propositae sunt ab iisque decretae, quamvis tunc primum institutae non sint; sed usu diuturno ab ipsis apostolorum temporibus in Ecclesia stabilitae sacrae illae leges, et in Nicaena synodo confirmatae can. 16." Et nonne in concilio Nicaeno I, in quo divinitas Iesu Christi sollemniter proclamata est, potuisset eiusdem praeses Hosius pariter omnino commode Patribus dicere: si vobis placet, in memoriam Domini nostri Iesu Christi

---

[1] Opera S. Leonis II 947 sqq (ML LV 560).
[2] Praelect. hist. eccl. I, Romae 1848, c. 43, p. 246.
[3] Lehrbuch des Kirchenrechts[10] 45 nota. [4] L. c. 263 sqq.
[5] Hefele I 570. [6] H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 1 (VIII 55).
[7] Harduin I 653 C; Mansi III 40 B. Hunc locum genuinum et non suppositicium esse, multis defendit Schneemann l. c. 50 sqq.
[8] H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 1 ad obi. 3 (VIII 54).

tum ipsius divinitatem declaremus ac *definiamus*, quamquam Hosius tum ex S. Scripturis ex Ecclesiae fide atque doctrina probe omnino sciebat, eam omnino certam esse et semper antea ab Ecclesiae sociis creditam? Et vero in concilii Chalcedonensis act. 5 Anatolius de definitione fidei Patres ita interrogavit: „Placet (*ἀρέσκει*) vobis definitio?" Cui episcopi omnes praeter Romanos et aliquos orientales responderunt dicentes: „Definitio omnibus placet", idque saepius deinceps repetitum est[1]. Nec obest, quod Athanasius de Patribus concilii Nicaeni haec dicit[2]: „De paschate quidem ita scripsere: decreta sunt, quae sequuntur (*ἔδοξε τὰ ὑποτεταγμένα*); *tunc* enim decretum est, ut omnes morem gererent; de fide vero nequaquam dixere: *decretum est*, sed: *sic credit catholica Ecclesia;* statimque confessi sunt, quidnam crederent, ut declararent non *recentiorem*, sed apostolicam esse suam sententiam." Athanasius enim tametsi hic iure argumentatur ex discrimine duarum formularum, quas propter adiuncta peculiaria consulto et sapienter concilium Nicaenum tunc adhibuit, nullo tamen modo indicat, formulam „placet" in *solo iure novo* statuendo adhiberi posse, non vero in iure vetere atque divino, immo in dogmate quoque definiendo. Ex eo enim quod Athanasius indicat, priorem formulam ineptam esse, quae antiquitatem per se significet, ideoque alteram, qua ea definite et clare exprimeretur, adhibitam fuisse, non sequitur, priorem quidquam novi per se sonare, sed tantum, eam non significare vi sua antiquitatem, utpote ad utrumque indifferentem[3].

Iure igitur Hefele censet[4], hoc canone de vera appellatione, non tantum de novi iudicii petitione agi. Idem Murray sentit[5]. Verum cum ad propositum nobis finem can. 4 et 5 omnino sufficiant, atque argumentatio omissione can. 3 nihil plane patiatur, ex hoc tertio nullum argumentum pro re nostra petemus; ideoque cum nostra nihil intersit, quaenam ex illis duabus sententiis alteri praeferatur, eas indicasse satis sit.

Contendimus igitur contra Gallicanos, Febronianos atque etiam Herbst[6] cum Nat. Alexandro[7], synodum Sardicensem illis duobus canonibus 4 et 5 non solum ius concedendi revisionem[8], sed potestatem iudicandi appellationes ab episcopis depositis ad Romanam sedem interpositas R. Pontifici asseruisse et confirmasse. In 4 et 5 enim canone omnia exprimuntur, quibus ad veram appellationem opus est. Nam *primum* constituendi dicuntur a R. Pontifice *novi causae iudices*. Scil. *priores* iudices erant episcopi eiusdem provinciae, ad quam pertinebat episcopus, qui ab iis iudicatus est; iam vero tantum abest, ut in illis canonibus ullatenus indicetur, priores iudices

---

[1] Harduin II 447 B; Mansi VII 102 A.

[2] De synodis n. 5 (MG XXVI 687).

[3] Cf. Murray III 695 sqq.

[4] L. c. 570 sqq.

[5] L. c. 688.

[6] Tüb. Theol. Quartalschr. 1825, 27 sqq.

[7] H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 2.

[8] „Discrimen inter ius appellandi et revidendi", ait Roskovány (De prim. Rom. Pontif., Aug. Vindel. 1834, 193 sqq), „ita constituunt iureconsulti, quod iudex superior vigore appellationis apud se interpositae possit sententiam iudicis inferioris confirmare, corrigere, emendare, annullare, prout ipsi visum fuerit, vel per se vel per iudices delegatos qualescumque cum effectibus a iure appellationi connexis; econtra vi revisionis habeat potestatem eatenus, quatenus acta iudicialia quidem examinare et sententiam iudicis inferioris confirmare, neutiquam tamen per se emendare corrigereque valeat, sed potius casu, quo sententiam reformandam existimet, teneatur illius examen et decisionem iudicibus delegatis non quibuscumque, sed vicinis ac regionariis committere."

causae cognitionem in provinciam a R. Pontifice remissam posse iterum suscipere, ut canone 5 contrarium diserte affirmetur, dum de R. Pontifice dicitur: „Scribere his episcopis dignetur, qui in *finitima* et *propinqua* provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis definiant." *Alterius* igitur alicuius provinciae episcopi iudices constituendi dicuntur, et ne verbo quidem indicatur, prioribus iudicibus instaurato iudicio rursus ut iudices interesse licere. Verba enim: ut *„renovetur iudicium"* nullatenus significant, priores iudices, a quibus appellatum est, secundo iudicio adesse debere, in eoque una cum vicinarum provinciarum episcopis et R. Pontificis legatis rursus suffragium ferre, sed tantum exprimunt, causam rursus discutiendam et retractandam esse, scilicet ut continuo additur, ab alterius provinciae episcopis. Quod autem Hincmarus in epistula ad Ioannem VIII nomine Caroli Calvi imperatoris scripta affirmavit[1], synodum Sardicensem decrevisse, ut R. Pontifex novos iudices *prioribus adiungeret,* qui causam episcopi depositi simul retractarent, nihil aliud probat, quam Hincmarum sensum canonum Sardicensium non fuisse assecutum[2]. Ergo hoc opinari secundum canonum verba esset omnino temerarium, et insuper ipsa etiam res, de qua agitur, id prohibet. Nam certe cum priores iudices suspecti fuerint episcopo accusato, ab eoque ita recusati, ut iam novum iudicium postulet, num iisdem secunda causae cognitio committenda sit? Id sane ab aequitate, ideoque etiam a mente Patrum Sardicensium alienum est.

Deinde ad veram appellationem insuper pertinet non solum, ut priores iudices non possint pergere in accusato iudicando, sed etiam ut iudicium ab ipsis latum non valeat, usquedum a secundo iudicio sententia dicta sit, qua appellatio reiciatur. Iam vero concilium Sardicense prioris iudicii sententiam per se nondum validam et efficacem habendam esse clare decernit prohibendo canone 4, quominus post appellationem eius, qui videtur depositus, novus episcopus eius loco constituatur, antequam causa ipsius fuerit in iudicio Pontificis Romani definita.

Tum „concilium, quod asserit Romano Pontifici potestatem dandi iudices nominandique episcopos ex vicinis provinciis, qui causam discutiant, et sententiam priorem confirment, rescindant aut temperent; necnon mittendi legatos, qui auctoritate sedis apostolicae cum illis episcopis iudicent; concilium, inquam, illud Romano Pontifici potestatem asserit non solum discernendae revisionis, verum etiam [saltem per alios a se nominatos] iudicandi appellationes ab episcopis depositis factas ad Romanam sedem. Sed concilium Sardicense Romano Pontifici asserit potestatem dandi iudices nominandique episcopos ex vicinis provinciis, qui causam discutiant, necnon mittendi legatos, qui

[1] Ep. 32, n. 11 (ML CXXVI 235).
[2] Nat. Alexander l. c. prop. 2 (VIII 59).

auctoritate sedis apostolicae cum illis episcopis iudicent“ [1], et ita quidem iudicent, ut possint prius latam sententiam aut confirmare, aut emendare et corrigere, atque etiam prorsus irritam declarare. Nominari autem posse iudices et legatos, clare patet ex allato can. 5; natura vero huius novi iudicii manifesta est ex can. 4. Cum enim hoc canone dicatur, non licere loco episcopi, qui exauctoratus a prioribus iudicibus declaratus sit, alium episcopum constituere, antequam causa illius Romam provocantis in iudicio R. Pontificis definita sit, manifesto ponitur fieri posse, ut hoc secundo iudicio prior illa sententia prorsus rescindatur. Ergo synodus Sardicensis R. Pontifici adiudicat potestatem non solius revisionis decernendae, sed iudicandi saltem per alios a se constitutos iudices appellationes eas, quae fiunt ab episcopis depositis ad Romanam sedem.

Dixi, saltem per alios a se constitutos iudices iudicare posse R. Pontificem eiusmodi appellationes; in ipsis enim illis canonibus non diserte dicitur, R. Pontificem posse etiam ipsum sine episcopis provinciae episcopo deposito vicinae illam appellationis causam iudicare Romae. Quare Hefele concludit [2], hanc potestatem ei his canonibus non adiudicari. Quod tametsi verum est eo sensu, quod de hac potestate diserte non loquitur concilium in canone illo vel 4 vel 5, nihilominus certo tamen modo Nat. Alexander illam revera R. Pontifici tacite adiudicatam esse hac ratione concludit [3]: „Si iudicandi auctoritatem R. Pontifex committere potest episcopis vicinarum provinciarum, hanc ipse per se ipsum potest exercere; si legatos mittere potest, qui iudicent cum illis episcopis auctoritate sedis, a qua destinantur, sedes illa auctoritatem habet per se ipsam retractandi prioris iudicii, illudque in irritum mittendi vel confirmandi. Neque enim servus supra dominum, aut discipulus supra magistrum est; nec rivus est fonte foecundior, aut radius lucidior sole.“ Sciebant autem Sardicenses Patres, tot ac tanta R. Pontificis negotia ac curas non permittere, ut ipse per se solum eiusmodi appellationum causas, nonnumquam sat intricatas, diiudicet, et hinc id per alios a se nominatos iudices eum facere debere, quemadmodum etiam rex supremam iudicialem potestatem non ipse per se solum, sed per constitutos a se iudices exerceat. Ac propterea sine dubio Sardicenses Patres dicere noluerunt, R. Pontificem debere ipsum in illas appellationum causas inquirere easque diiudicare. Quare certa nobis videtur Natalis Alexandri sententia.

Quaecumque tamen hac de re opinio admittitur, nostra nihil interest, cum secundum utramque dicendum sit, R. Pontifici a concilio Sardicensi asseri potestatem veri nominis appellationes ab episcopis depositis accipiendi et saltem per iudices a se constitutos illas vere iudicandi; quare hoc iudicium semper R. Pontificis, et non alienum dicendum est. Animadverte etiam, quod can. 5 episcopus ille ad R. Pontificem confugiens diserte *appellans* (ἐκκαλεσάμενος) vocatur.

Haec porro iura utroque illo Sardicensis concilii canone R. Pontifici adiudicata a Gallicanis et Febronianis omnino temere dicta sunt ab ista synodo proprie ac primum R. Pontifici tributa, ita ut iis antea ut sibi propriis potitus non sit.

---

[1] Nat. Alexander l. c. p. 56. [2] L. c. 573. [3] L. c. p. 56.

Nam hanc opinionem adversarii nulla plane vera ratione comprobare valent. Ei enim non favere illa verba: „Si vobis placet, S. Petri memoriam honoremus“, iam supra p. 760 ostendimus. Sed non solum sententiam suam adversarii nullo argumento stabilire valent, sed insuper contra se habent usum priorum iam temporum. Ut enim ostendimus, diu ante concilium Sardicense appellationes ad R. Pontificem latiore saltem sensu intellectae plures iam locum habuerant. Quare istud adversariorum effugium ut vanum reiciendum, dicendumque est, ius R. Pontificis accipiendi appellationes a synodo Sardicensi *diserte tantum agnitum et declaratum esse.*

Denique admitti nequit, quod Richerius Gallicanus contendit[1]: cum can. 3 nominatim de Iulio I Romano Pontifice concilium loquatur, praerogativam illo canone contentam huic soli, Athanasii iuvandi causa, non vero eius successoribus adiudicatam esse. Nam *primum* in can. 4 et 5, ex quibus solis nos argumentati sumus, agitur *generatim* de R. Pontifice; in quibus debuit repeti nomen Iulii et praetermitti repetita mentio ipsius sedis Romanae, si isti canones solum Iulium respicerent. *Deinde* etiamsi Patres Sardicenses solius Athanasii iuvandi gratia praerogativam illam soli Iulio dare voluissent, nullatenus assecutionem propositi huius finis certam reddidissent, cum Iulius post brevissimum tempus iam mori, ideoque Athanasio haud amplius succurrere potuisset; quare Patres Sardicenses hoc solum adiutorium minime certum valde imprudenter illos canones statuendo spectassent. *Tum* etiam distinctione ista inter conciliorum decreta ad tempus tantum aut in perpetuum facta omnis certus usus canonum conciliorum tollitur, cum nulla certa nota habeatur, qua singula decreta ad tempus facta ab aliis, quae in perpetuum valere debeant, distinguantur. Sardicenses Patres *praeterea* illos canones eadem, qua ceteros, absoluta forma statuerunt, ita ut eorum vim neutiquam ad tempus restringere videantur. Num igitur sine temeritate nobis liceret, eos ad tempus modo latos dicere? Verum utique est, causam illos canones statuendi partim saltem periculosum Athanasii statum fuisse; sed si ea omnia ad tempus statuta dicenda essent, quorum definitionis causa fuit temporaria, aliae quam plurimae ac maximi sane momenti leges ecclesiasticae tollendae essent[2]. *Insuper,* ut scribit Murray[3], „immania facinora eusebianorum occasionem dederunt his canonibus. Sed perpetuum est periculum similium facinorum et abusuum recrudescentium, ex haereticorum et schismaticorum machinationibus; et ergo omnino necessarium est, ut remedia permanentia ad ea constituantur. Num res est pure temporaria, ut episcopi, nisi lege prohibeantur, ab una sede ad aliam se conferant? ut ab episcopis eiusdem provinciae iniuste damnentur?“ Itaque etiamsi admittitur, tertium concilii Sardicensis canonem de appellationibus Romanis agere, Iulii tamen nomen ei insertum minime probat, ius appellationum episcopalium ad R. Pontificem sub eius dumtaxat pontificatu obtinuisse; potestas enim Iulii qua R. Pontificis declaratur ac definitur. Unde Nat. Alexander recte videtur dicere[4]: „Iulii nomen consulto inseruerunt Patres Sardicenses illi canoni, ut non solum appellationes episcoporum depositorum ad Romanum Pontificem generatim spectatas hoc canone ratas haberent, sed ut Iulium, ad quem pro tempore scribendum esse ab his, qui causam discusserunt, decrevere, merito restituisse S. Athanasium, . . . aliosque in arianorum conciliabulis depositos antistites pro iure pontificii primatus significarent.“

Itaque his canonibus concilium Sardicense veri nominis appellationes ab episcopis depositis accipiendi et iudicandi ius R. Pontificis cuiuscumque esse, diserte declaravit ac sua etiam auctoritate comprobavit. Ceterum nihil verum istorum canonum sensum melius explicat quam frequens ad R. Pontificem appellationum, usus quae ab

[1] Hist. conciliorum gener. l. 1, c. 3, § 4 (Colon. 1680, p. 44).
[2] Hefele l. c. 570 sqq. [3] III 694.
[4] H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 1 ad obi. 3 (VIII 54).

illo tempore ex universa ferme Ecclesia locum habuere: quod aliquot saltem, orientalium maxime, episcoporum exemplis iam monstrandum est.

Ita episcopi Hispani Instantius et Salvianus una cum Priscilliano, quem illi episcopum ordinaverant, cum in concilio Caesaraugustano damnati atque ab Ecclesiae communione exclusi, ideoque etiam e sedibus suis deiecti essent, Romam profecti sunt, ut apud R. Pontificem Damasum sese purgarent et hac ratione rursus Ecclesiae communionem sedesque episcopales obtinerent[1]. Voluere igitur vere ad R. Pontificem illi appellare; a quo tamen admissi non sunt.

Tempore Siricii R. Pontificis duo episcopi, Agapius et Badagius, litigabant de sede metropolitana Arabiae in urbe Bostra constituta. Ambo episcopi Romam perrexerunt, unde Siricius eos cum literis direxit ad Theophilum Alexandrinum episcopum. Theophilus deinde a. 394 rem in concilio prope Constantinopolim habito decidit. Rem narrat Pelagius, diaconus Vigilii R. Pontificis, qui postea et ipse R. Pontifex fuit, libello adhuc inedito sic[2]: „Sanctus etiam Theophilus ... cum sacrae memoriae Nectario Constantinopolitano et Flaviano Antiocheno episcopis pro causa quorundam Badagii et Agapii de episcopatu Bostrinae ecclesiae, quae est metropolis Arabiae, sic diuturno tempore certantium, ut etiam Romam pergerent et illinc ad S. Theophilum cum literis beati Siricii mitterentur. Qui S. Theophilus ... synodum habens ... causas memoratorum Badagii et Agapii ventilantes“ etc.

Saeculo quinto Ioannes Chrysostomus, Constantinopolis archiepiscopus, bis iniuste damnatus et episcopatu spoliatus, primum a Theophilo patriarcha Alexandrino et 45 aliis episcopis in concilio *Ad Quercum* habito, mox dein rursus in alia synodo Constantinopoli celebrata, atque insuper ab imperatore in exsilium missus, ad R. Pontificem Innocentium I appellavit.

Ad quem inter alia haec scribit[3]: „Ne tanta confusio in omnem, quae sub coelo est, terram invadat, rogo, ut per epistulam denuntietis ea, quae tam inique acta sunt ab una parte, nobis absentibus, nec iudicium detrectantibus, *nullum habere robur* (μηδεμίαν ἔχειν ἰσχύν), sicut ex natura sua nullum habent; et ut ii, qui talia contra leges moliti sunt, legum ecclesiasticarum poenis subiciantur: nos vero, qui nec convicti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati, vestris literis quam primum frui date, necnon caritate ac ceteris

---

[1] Sulpitius Sev., Hist. sacr. 2, 47 48. Cf. Priscilliani librum ad Damasum (Priscilliani quae supersunt, ed. Schepss 34 sqq); Damasus ibi (p. 42) vocatur „omnibus senior et primus“.

[2] Edidit hunc passum Duchesne in Bessarione VII (1902—1903) 138 (cf. Rev. des quest. hist. XXXVI, Paris 1884, 425); Fragmentum ex concilio a. 394 habito Harduin I 955; Mansi III 851 (cf. J. Hergenröther, Photius I, Regensburg 1867, 37). — Badagius etiam Bagadius vel Gebadius nominatur.

[3] Inter ep. Innoc. I ep. 4, n. 7 (Coustant 786). Chrysost., Epistulae (MG LII 534).

omnibus, ut antea." Quibus ex verbis manifestum est, Chrysostomum ad R. Pontificem appellasse tamquam ad verum iudicem, qui possit pronuntiare, omnia contra ipsum acta invalida esse, quique in istorum facinorum auctores canonicas poenas ferre valeat.

Sed non solum Chrysostomus appellavit ad R. Pontificem, verum etiam Theophilus Alex. per legatos Innocentium I de sententia a se in Chrysostomum lata certiorem fecit.

Quod utrumque testatur imperator Honorius in epistula ad fratrem suum imperatorem Arcadium data[1]: „Erat, inquit, inter episcopos causa, quae collato tractatoque consilio deberet absolvi: missi ad sacerdotes urbis aeternae atque Italiae utraque ex parte legati; exspectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam disciplinae (integrum nempe esse debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet): cum interea mirum quoddam praecipitium festinationis exarsit, ut non exspectatis literis sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus, in exsilium truderentur antistites, animadversioni prius dediti, quam *sententiam iudicii episcopalis* experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum exspectabatur auctoritas, pacifica Ioanni episcopo communione permissa, sanciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante iudicium consortio repellendum."

Quod autem Honorius hic dicit, appellationem illam factam esse non solum ad R. Pontificem, sed etiam ad sacerdotes sive episcopos urbis Romae et Italiae, propterea dicit, quia solebat R. Pontifex in causis maioris momenti in consilium adhibere etiam clerum Romanum, maxime episcopos Romae praesentes atque proximos, interdum etiam alios multos Italiae praesules, eadem ferme ratione, qua nostra aetate Pontifex Romanus in gravioribus negotiis vel collegium cardinalium vel aliquam saltem eorum congregationem pro certis causis tractandis institutam in consilium adhibet. — Romanum autem Pontificem a Chrysostomo appellatum fuisse tamquam iudicem supremum per se solum, patet tum ex eius epistula, utpote quae soli Innocentio inscripta est, tum etiam hinc, quod, excepto Pontifice Romano ipso, clerus urbis Romae atque totius etiam Italiae episcopi in concilium congregati per se nullam habebant potestatem, qua episcopis reliquis occidentis et maxime orientis leges praescriberent eosque punirent[2]. Hinc Innocentius per se et suo nomine epistulas rescripsit et Chrysostomo et clero Constantinopolitano.

Chrysostomus porro ab Innocentio I fuit prorsus absolutus.

Ita enim scribit a. 495 Gelasius R. Pontifex ad episcopos Dardaniae[3]: „Sanctae memoriae nihilominus Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnarat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit." Idem testatur Vigilius in constituto de tribus capitulis[4], necnon Facundus Hermian., cum de sede apostolica dicit[5]: „Quae per beatissimum papam Innocentium praedicti S. Ioannis in exsilio constituti damnationem solverat." Atque etiam Sozomenus dicit[6], Innocentium damnasse, quae adversus Ioannem gesta fuerant; commonitorium

[1] Guenther 87; MG LII 540.
[2] Phillips, Kirchenrecht III 635 sqq.
[3] Guenther 291; Harduin III 37 B; Mansi IX 95 D.
[4] Ep. 26, n. 5 (Thiel 400).
[5] Defensio trium capit. 6, 5 (ML LXVII 678).
[6] H. E. 8, 26.

vero quod Innocentius legatis suis dederat pro concilii Thessalonicae habendi celebratione, in quo de Ioanne Chrysostomo legitimum iudicium instituendum erat, teste Palladio[1], „continebat, Ioannem iudicium ingredi non debere, nisi ipsi prius restituta fuisset et ecclesia et communio". Haec autem „statuere Innocentius non potuisset, nisi iudicium, de quo Chrysostomus ad eum appellaverat, irritum esse decrevisset, cum eo iudicio Ioannes sede Constantinopolitana et communione iniquissime fuisset deiectus"[2].

Nec his adversatur, quod Innocentius ad clerum et populum Constantinopolitanum de Chrysostomi causa 20 febr. 405 scribens haec dicit[3]: „Sed quid adversus ista in praesenti faciamus? Necessaria est cognitio synodi, quam et iam pridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est, *quae huiusmodi tempestatum motus* sedare possit.... Nam et nos diu multumque cogitamus, quonam modo oecumenica synodus congreganda sit, ut *turbulenti motus* Dei nutu tandem conquiescant." Dicit enim Innocentius concilium, idque oecumenicum, necessarium ad sedandas turbas maximas propter istam causam excitatas, cum etiam imperatoria aula quam plurimum in Chrysostomum esset irritata, ut nimirum sententia sua iam lata tanti concilii, i. e. episcoporum non solum occidentalium, sed et orientalium, assensu roborata eo maiore *externa* vi et auctoritate ad comprimendos motus polleret; tanta enim erat adversariorum malitia, tantaque rabies, ut nisi remedio isto efficacissimo reprimi non posse videretur. Nullatenus vero concilium necessarium esse Innocentius affirmavit propter defectum auctoritatis sibi competentis. In eadem enim illa epistula Innocentius clare et definite sententiam de Ioannis causa tulit, et aeque plane declaravit, ut ex allatis eius verbis manifestum est, ad quid concilium necessario convocandum esse iudicarit. Neque Chrysostomus in appellatione aliud petierat, quam ut Innocentius iniuste decreta abrogaret, nullo modo indicans, concilium ad id necessarium esse; unde secundum ipsum R. Pontifex sine concilio solus pollebat auctoritate, sententiam peremptoriam in sua causa dicendi. Ceterum Ioannes se paratum ostendebat ad causam dicendam, atque publica eius tractatio in legitimo concilio ei peroptata fuisset, ut ipse in laudata ad Innocentium epistula saepius dicit.

Chrysostomus porro, cum in illa epistula diserte affirmat, sua quibusque provinciis negotia tractanda, nec extra earum limites trahenda esse, loquitur de iure ordinario et de ecclesiasticis tribunalibus ordinis non supremi; supremum autem erat tribunal Pontificis Romani. Loquitur enim de iniquo modo, quo Theophilus, qui nulla in Chrysostomum pollebat iurisdictione, temere arrogata auctoritate in ipsum agebat. Dicit igitur, episcopos non debere immiscere se negotiis alienorum episcoporum, si nulla in eos potiantur iurisdictione; nullatenus autem iis, qui habebant iurisdictionem, voluit denegare facultatem aliorum episcoporum negotiis debito ac licito modo sese immiscendi. Noverat enim vigentem iam tunc temporis iurisdictionem patriarchalem et ipse saepius aliorum sibi subditorum episcoporum negotiis sese immiscuerat; atque ipsa hac sua appellatione demonstravit, se R. Pontifici adscripsisse potestatem, omnium etiam orientalium episcoporum negotia pertractandi.

Non magis nobis adversum est, quod laudatae Chrysostomi ad R. Pontificem epistulae in uno alteroque codice et apud Palladium[4] ascriptum est: „Haec ipsa [epistula] etiam scripta est ad Venereum episcopum Mediolani et ad Chromatium Aquileiae episcopum." Primum enim, ut praeter alios Coustantius docet[5], minime certum est, ea verba ipsius Chrysostomi esse, cum optimae notae codices eam conclusionem non habeant, et Chrysostomus probabiliter serius ad illos episcopos scripserit[6]. Deinde etiamsi illa verba Chrysostomi essent, nihil plane officerent iis quae

---

[1] Dial. de vita S. Chrysostomi c. 4 (MG XLVII 13).
[2] Palma, Prael. hist. eccl. I 304.
[3] Ep. 7, n. 4 (Coustant 799 sq).
[4] L. c. c. 2 (MG XLVII 12).
[5] L. c. 787 nota b.
[6] Ep. 155 et 182 (MG LII 702 714).

de eius appellatione diximus. Episcopi enim Mediolanensis et Aquileiensis ex praecipuis Italiae episcopis erant, quos prae ceteris R. Pontifices de gravioribus negotiis consulebant. Nihil igitur mirum, Chrysostomum missa epistula, quam Pontifici scripserat, de tota re certiores eos facere voluisse.

Denique nullatenus obstat, quod Palladius, cum narrat, quid Innocentius de lata in Chrysostomum a Theophilo sententia iudicaverit, dicit[1]: *ἀθετήσας τὴν δόξασαν γεγενῆσθαι χρίσιν παρὰ Θεοφίλου.* Verbum enim *ἀθετεῖν* hic non significat *spernere,* id quod Basnagius illo significari voluit, sed *cassum atque irritum declarare.* Hanc enim illi vocabulo inesse vim, ostenditur ex eo, quod Hebr 10, 28 Vulgata, Gal 2, 21 S. Augustinus illud ita vertit; alia exempla afferunt lexicographi. Neque alio quam hoc usitatiore Palladius illud accepisse censendus est, cum, ut ait Mansi[2], haec conciliaris sententiae abrogatio legitima esset consecutio iuris recipiendae appellationis, quod sibi vindicabant R. Pontifices, illisque Sardicenses canones asseruerant. Profecto ex Palladii testimonio agnoscere cogitur Basnagius, R. Pontificem sprevisse orientalis concilii sententiam. At si sprevit, nihilque sibi deferendum illi censuit, cur eam non abrogavit, cum pro auctoritate sua id se posse nosset?

Certum igitur est, non solum Chrysostomum ad R. Pontificem appellasse, sed etiam hunc, Innocentium I scil., sententiam a Theophilo cum synodo in illum latam irritam plane reddidisse: quod appellationis exemplum eo maioris est roboris, quod res agebatur inter praesules R. Pontifici ut occidentis patriarchae nullatenus subiectos, utpote quorum alter ipse patriarcha Alexandrinus erat, alter vero archiepiscopus Constantinopolis, quodque causa illa non erat fidei, sed disciplinae. Quapropter „evanescit in auras distinctio, quam viri quidam eruditi excogitarunt inter causas fidei et ecclesiasticae disciplinae, dum priores ad sedem apostolicam semper deferri potuisse confessi sunt per appellationem episcoporum deiectorum, non autem posteriores: neque hunc invaluisse usum in Ecclesia [quam] pluribus saeculis post concilium Sardicense“[3]. — Cur autem Innocentius Chrysostomi causam ad felicem exitum perducere non potuerit, ratio fuit malitia factionis Theophili. Id autem manifesto non probat, Innocentio sufficientem auctoritatem defuisse, cum omni aetate veri nominis iudicum et rectorum conatus ad dissidia componenda aliaque mala tollenda ex hominum malitia saepe irriti reddantur.

Ad Innocentium I Coelestius quoque, Pelagii amicus, in synodo Carthaginiensi a. 411 damnatus, appellavit.

De quo Marius Mercator[4]: „A qua sententia [concilii Carthaginiensis] ad Romani episcopi examen credidit appellandum“; et eam appellationem diutius neglectam rursus sub Innocentii successore Zosimo ursit. Eandem appellationem testatur etiam Facundus Hermian., qui de Innocentio: „Quem [Coelestium], inquit[5], in ecclesia Carthaginiensi convictum atque appellantem apostolicam sedem ipse gestis discusserat.“ Eiusdem rei testes sunt Paulinus diaconus[6] et Zosimus ipse[7].

Celebre appellationis Romanae exemplum ediderunt vel ipsi nestoriani, anno 433 ad R. Pontificem Xystum III provocantes.

[1] L. c. c. 3 (MG XLVII 12).
[2] Nat. Alexander, H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 3, App. (VIII 96).
[3] Nat. Alexander l. c. p. 63.
[4] Commonit. c. 1, n. 2 (ML XLVIII 71 sq).
[5] Defensio trium capit. 7, 3 (ML LXVII 687).
[6] Lib. adv. Coelest. n. 4. (ML XX 714). [7] Ep. 3 (Coustant 949 sqq).

Clericos scil. et monachos ad eum cum epistula [1] miserunt, quam, ut eius auctores Eutherius Thyanensis et Helladius Tarsensis in ea (n. 12) declarant, ipsi nomine plurimorum episcoporum ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia et Thracia scripserunt. Postquam autem Xystum vocarunt (n. 1 et 2) novum Moysen, productum a Deo gubernatorem et mundissimam orthodoxiae margaritam, haec inter alia dixerunt (n. 2): „Et olim siquidem saepius iam ex Alexandria huiusmodi haereticis zizaniis insurgentibus suffecit vestra apostolica sedes per universum tempus illud ad mendacium convincendum impietatemque reprimendam, et corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque *orbem terrarum* ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato et inter sanctos habendo episcopo Damaso, quam sub pluribus aliis gloriosis atque admirabilibus. Cuius rei gratia et nos praesumimus has supplicationes offerre, ut adiuvetis orbem terrarum et in illa parte, quae errat, et in illa, quae tyrannidem sustinet; quaeque ad hoc impugnatur, ut iis, quae non conveniunt, assensum praebeat, eo quod nec velit nec expedire iudicet, ut Aegyptiorum capitulorum varias vocum novitates excipiat.“ Quibus verbis sane manifesto R. Pontificis potestatem ut primatis totius Ecclesiae describunt. Postulant deinde (n. 8), ut Nestorii in concilio oecumenico Ephesi iam damnati causa recognoscatur. Appellant igitur a lata concilii oecumenici sententia ad R. Pontificem, eique dicunt (n. 12): „Rogamus et sanctis tuae religiositatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas salutarem et auferas mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem *iubeas* fieri, et his illicitis coelestem superduci correctionem, ut revocentur quidem sancti pastores [nestoriani], qui iniuste sunt a suis ovibus effugati.“ Quam appellationem a R. Pontifice reiectam esse patet.

Eutyches etiam, postquam anno 448 sententia Flaviani, archiepiscopi Constantinopolis, et synodi in ea urbe habitae propter doctrinam damnatus et sacerdotis atque archimandritae munere et Ecclesiae communione privatus est, ad Leonem R. Pontificem confugit. Scribit enim ad eum haec [2]: „Ad vos igitur religionis defensores et huiusmodi factiones exsecrantes confugio. . . . Et obsecro, nullo mihi praeiudicio facto ex his, quae per insidias contra me gesta sunt, quae visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam, et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere, et non excuti et eximi de numero orthodoxorum eum, qui in continentia et omni castitate septuaginta annos vitam peregit, ita ut in ipso exitu vitae naufragium patiatur.“ Idem testatur Leo I ipse ad Flavianum scribens [3]: „Accepimus libellum Eutychetis presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio episcopo, immerito communione privatum . . ., adeo ut in ipso iudicio libellum appellationis se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum; qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret.“ In secunda quidem epistula ad Leonem data Flavianus, quod *tempore ipsius iudicii* Eutyches appellaverit, falso ab illo affirmari dicit Leonemque rogat [4], ut quae in Eutychetem Constantinopoli decreta fuerant, confirmare dignetur. „Eutyches itaque agnoscebat S. Leonem causae suae iudicem et arbitrum, synodo orientis superiorem: ad

[1] Inter ep. Xysti III ep. 4 (Coustant 1245 sqq).
[2] Inter ep. Leonis I ep. 21, c. 3 (ML LIV 717; MG LXXXIV 855).
[3] Ep. 23 (ML LIV 731).
[4] Inter ep. Leonis I ep. 26 (ib. 747 sqq).

quem idcirco provocaverat.“ [1] Leo autem de Eutychetis appellatione iudicium ferens, sententiam in ipsum a Flaviano latam confirmavit, ut patet ex concilii Chalcedonensis epistula ad Leonem, qua dicitur [2], dignitatem Eutycheti a Leone fuisse ablatam, modo scil. decretorio, utpote a summa auctoritate.

Haud diu postea ipse etiam Flavianus a sententia ab episcopis „Latrocinii“ Ephesini, qua e sede sua deiceretur, in ipsum lata ad R. Pontificem appellavit.

Quod ipse Leo I declarat in epistula ad Theodosium imperatorem de legatis suis haec dicens [3]: „Quia et nostri fideliter reclamarunt, et iisdem *libellum appellationis* Flavianus episcopus dedit.“ Ad quae Nat. Alexander recte haec subdit [4]: „Nonne enimvero haec verba significant Flavianum ad sedem apostolicam appellasse? Omnis certe appellatio ad iudicem aliquem dirigi debet. Cum itaque Flavianus appellationis suae instrumentum dedit legatis apostolicis, aliquam in iis agnovit iurisdictionem, qua hanc appellationem suscipere possent. Nulla [autem] iurisdictione ornati erant, nisi quatenus legationem gerebant pontificiam. Itaque Flavianus appellationem suam direxit ad S. Leonem per eius legatos.“ Quinimmo Leo post illam „appellationem interpositam“ apud Theodosium convocationem concilii oecumenici in eadem illa epistula urget [5]. Idem testatur imperator Valentinianus, ad Theodosium de R. Pontifice scribens [6]: „Constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quae orta est de fide.“ Ipsa denique quibus Flavianus usus est verba nostris tandem diebus, illa Flaviani appellatione inventa, iam nota sunt [7]. Quae sic se habet:

„Religiosissimo et beatissimo Patri et archiepiscopo Leoni Flavianus in Domino salutem. Oportuit quidem ad praesens tempus me dignanter referre et uti apostolica appellatione ad vestram sanctitatem, ut progrediens ad orientem auxilium ferret periclitanti piae sanctorum Patrum fidei, quam sudore ultionis [sic!] tradiderunt. Ecce enim confusa sunt omnia: solutae sunt ecclesiasticae ordinationes, perierunt ea quae sunt fidei, dissensione retinentur piae animae. Iam non Patrum nominatur fides, sed contigit ab Alexandrinae ecclesiae episcopo Dioscoro eorum qui haec sapiunt una cum ipso, Eutychinam iam praedicari et nominari fidem. Hanc enim firmavit sententia propria et eorum, qui per violentiam coacti sunt consentire episcoporum. Et ea quidem singula nunc est concessum nobis referre ad vestram Beatitudinem: breviter autem quae subsecuta sunt docebimus.

„Adprehendissem quidem Ephesiensem civitatem secundum pium imperiale rescriptum, quod ad universos aequaliter emanavit. Occurrerunt nihilominus et qui a vestra Sanctitate destinati sunt Deo amantissimus episcopus Iulius et religiosissimus filius noster Hilarus diaconus et carissimus filius noster Dulcitius notarius. Consumpsimus in Ephesorum civitate dies decem. Habuimus universos paene qui convenerunt episcopos consentientes in omnibus nobis praeter Alexandrinum et qui cum

---

[1] Nat. Alexander, H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 3 (VIII 63 sqq).
[2] Inter ep. Leonis I ep. 98, c. 2 (ML LIV 953). [3] Ep. 44, c. 3 (ib. 829).
[4] L. c. p. 64. [5] ML LIV 831. [6] Inter ep. Leonis I ep. 55 (ib. 859).
[7] Reperit textum Novarae in codice saec. X Guerrino (postea Ambrogio) Amelli eumque publici iuris fecit in libello: S. Leone Magno e l'Oriente, Roma 1882 (2. ed. Montecasino 1890). Alteram editionem ab eodem curatam praebet Spicilegium Casinense 1, Montecasino 1888, 132—135. Damus hic textum, sicuti eum recensuit Mommsen in Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde XI, Hannover 1886, 362—364. Cf. etiam Grisar in Zeitschr. für kath. Theol. VII (1883) 193—196 et Analecta Romana, Roma 1899, 322.

ipso affuerunt. Qui ex quo die ordinatus sum episcopus implacabiles adversum me inimicitias vehementer exercet nulla exsistente causa: qui numquam me suis literis dignum iudicavit neque eam quae secundum Dominum nostrum caritas praedicatur erga me habuit, me ei in omnibus obtemperante nunc usque ad hanc diem. Qui nobis repente secunda feria, hoc est VIII Id. Aug., non ex communi consensu vel tractatu praecedente, convocat quidem concilium diluculo: ammoneri quoque me facit. Deinde cum sedissemus in ecclesia, legi quidem pium rescriptum praecepit religiosissimorum imperatorum. Universis autem episcopis interfatis post lectionem prius de pia fide haberi debere tractatum proponique et legi trecentorum decem et octo fidem et ea quae apud Ephesum iam dudum habita est, ipse memoratus venerabilis episcopus Dioscorus hoc quidem fieri prohibuit: praecipiens autem mihi et his qui una mecum iudicaverunt episcopis et meis pariter clericis nihil penitus audire permitti, de nullo defensionis vocem emittere, interminatus etiam quibusdam depositionem, quibusdam carceris habitationem, aliis varia atque diversa supplicia, dat facultatem mox de his gestis, quae ab Eutychete olim confecta sunt, nobis praesentibus recenseri. Et post hoc praecepit dare praedictum Eutychen libellos adversum me. Quibus lectis nullius me penitus dignum habitum rationis vel interrogationis iudicavit, sed continuo exsurgens pronuntiavit illum quidem catholicum esse, reddens ei etiam presbyterium. Compellit quoque invitos aliquos episcopos statim hoc ipsum pronuntiare et his uti sermonibus apud s. synodum: ‚Bene credit Eutyches', ‚Eutyches catholicus est', ‚Credimus sic ut credit Eutyches', ‚Teneamus, o fratres, Eutychetis fidem', et ‚Qui hoc non consenserit anathema sit', et ‚Qui non dixerit duas naturas ante unitionem Christi, unam autem post unitionem, anathema sit', et ‚Qui aliud quam de homousion novit habuisse dominum carnem vel scrutans vel dicens, anathema sit'. Et his dictis interloquitur ipse sic ut voluit: compellit autem quosdam, ut dixi lacrimantes eadem facere. Post paulum vero permisit legi canones qui habiti sunt ante hoc Ephesi: quibus hoc continetur, ut si qui concutere quae ibi sunt statuta temptaverit Patrum, si quidem episcopus fuerit, eum oportere deponi et reliqua, et super Eutychen hanc talem sententiam praevalere, qui ita palam aperteque Apollinaris dogma introducendum putavit. Et quidem hoc non fecit, sed pronuntiat meam et Eusebi damnationem, omnibus lacrimantibus. Episcopis dilationem vel unius diei postulantibus non tribuit, et haec interlocutus cogit quosdam reliquos episcopos abominandae consentire damnationi, evaginatis gladiis adversum eos qui hoc putabant esse differendum. Ubi neque *literae Sanctitatis vestrae, cum sufficiat* [sic!] *ad confirmationem Patrum fidei,* legi permittit, sed illa quae possunt etiam ipsis immitibus et ferocibus et caecis viam veritatis ostendere, inrationabilia et caecitate plena [pronuntians, alia erroris plena] suscipi ac legi praecipiens, ne sermone quidem ullo dignos habuit qui a vobis sunt destinati. Sed impetu quodam solo abutente illo convenerunt repente in unum diem, ut ita dicam, omnia mala: perturbatio, restitutio damnati, damnatio innocentis, qui in nullo sanctionem Patrum credidi praetergrediendam. Et cum velut ex condicto quodam omnia adversum me iniqua procederent, post illam iniustam vocem quam contra me emisit sicut ipsi placuit, *me appellante thronum apostolicae sedis principis apostolorum Petri* et universam beatam quae sub vestra Sanctitate est synodum, statim me circumvallat multitudo militaris, et volente me ad sanctum altare confugere non concessit, sed nitebatur de ecclesia eruere. Tunc tumulto plurimo facto vix potui ad quemdam locum ecclesiae confugere, et ibi cum his qui mecum erant latere, non tamen sine custodia, ne valeam universa mala quae erga me commissa sunt ad Vos referre.

„Oro itaque vestram Sanctitatem, ne obdormire patiamini super his, quae insipienti et furioso consilio circa me gesta sunt, cum nullae praecedant causae, quae me in reatum aliquem adducant, *sed insurgere primum quidem in causa rectae fidei nostrae,* quae quadam libidine deperiit: *deinde propter eversionem ecclesiasticarum constitutionum* curam facere et simpliciter per omnia narrare, tam plebi quae numero praecellit, quam amatorem Christi imperatorem nostrum literis quae competunt edocere: scribere etiam clero s. Constantinopolitanae ecclesiae et religiosissimis

monachis, necnon et Iuvenali Hierosolymorum episcopo et Thalassio Caesareae Cappadociae episcopo, Stephano quoque Ephesiensi et Eusebio Ancyritano et Cyro Afrodisiensi et reliquis s. episcopis, qui consensum super pravo consilio adversum me praebuerunt Dioscoro, qui velut principatum s. synodi apud Ephesum tenuit: dare etiam formam, quam Deus vestrae menti inspirabit, ut tam occidentali, quam etiam orientali in unum facta Patrum synodo, similis ubique praedicetur fides, ut praevaleant sanctiones Patrum, in irritum vero deduci valeant atque dissolvi omnia quae male et umbrative non sine lusu quodammodo gesta sunt: afferre medicinam horribili huic vulneri, quod per totum iam paene orbem serpendo pervenit. Qui autem subscripserunt et consenserunt iniustae sententiae magna vi coacti, paucissimi sunt: qui vero non consenserunt huic iniquitati, multo plures sunt episcopi, sicut etiam lectio sanctae ad Beatitudinem vestram relationis poterit perdocere."

Leo porro in synodo Romae habita sententiam ab episcopis Latrocinii Ephesini in Flavianum latam irritam declaravit, ut testatur Hilarus, Romanae ecclesiae tunc diaconus, in epistula ad Pulcheriam scribens[1]: „Vestra itaque veneranda clementia cognoscat, a praefato papa cum omni occidentali concilio reprobata omnia, quae in Epheso contra canones per tumultus et odia saecularia a Dioscoro episcopo gesta sunt, et nulla ratione haec in his partibus suscipi posse, quae per potentiam praedicti non sine laesione fidei et praeiudicio sanctissimi viri innoxiique commissa sunt." Et ipse Leo in pluribus epistulis[2] declarat ea, quae contra Flavianum gesta sint, acta esse „sine consideratione iustitiae et contra omnem canonum disciplinam", seque neminem, qui, vivo Flaviano, eius sedem invadere ausus fuerit, umquam suae communionis participem et episcopum habiturum esse; Flaviani autem constantiam atque virtutem summopere commendat.

Nec huius appellationis vi ullatenus obstat, quod imperatrix Placidia ad Theodosium imperatorem scribens dicit[3], Dioscorum Flavianum impetivisse, „eo quod libellum ad apostolicam sedem miserit, et ad omnes episcopos harum [occidentalium] partium." Scripsit enim Flavianus ad episcopos occidentis, non quasi illi per se auctoritate in orientem pollerent, sed velut „ad Summi Pontificis assessores vel suos apud ipsum mediatores iurisque sui promotores"[4]. Ceterum ipse S. Leo in epistula ad Flavianum dicit[5], ipsius causam nequaquam indigere synodali tractatu; et in literis ad Theodosium imperatorem pariter affirmat[6], istam tam evidentem fidei causam esse, „ut rationabilius ab indicenda synodo fuisset abstinendum". Nec tamen „ob eam tantum rationem S. Leo suscepit appellationem Flaviani suum ad tribunal delatam, quod eius causa quaestioni de fide connexa esset, sed etiam quod causa esset episcopi depositi, qui secundum ecclesiasticam disciplinam et canones Sardicenses Romanam sedem appellare poterat"[7]. Idem etiam Valentinianus in laudata ad Theodosium epistula indicat, cum utramque illam rationem distinguat his a nobis iam p. 718 allatis verbis: „quatenus beatissimus Romanae civitatis episcopus . . . locum habeat et facultatem de fide et sacerdotibus iudicare".

Eodem quo Flavianus tempore etiam Eusebius Dorylaei episcopus hanc ad Leonem misit appellationem[8]:

„Sancto et beatissimo Patri et archiepiscopo Leoni, Eusebius exiguus. — Curavit desuper et ab exordio consuevit thronus apostolicus iniqua perferentes defensare,

[1] Ep. 1, n. 2 (Thiel 129).
[2] Ep. 45 (ML LIV 835); ep. 50 (ib. 841); ep. 51 (ib. 845).
[3] Inter ep. Leonis I ep. 56 (ib. 861).
[4] Sic Nat. Alexander l. c. p. 65. [5] Ep. 36 (ML LIV 810).
[6] Ep. 37 (ib. 812). [7] Nat. Alexander l. c.
[8] Hanc etiam reperit et publici iuris fecit Amelli l. c. Cf. Spicil. Cas. I 135—137; Mommsen l. c. 364—367.

et eos qui in inevitabiles factiones inciderunt adiuvare et humi iacentes erigere, secundum possibilitatem quam habetis: compassionem enim supra universos homines possidetis. Causa autem rei quod sensum rectum tenetis et inconcussam servatis erga Dominum nostrum Iesum Christum fidem, necnon etiam indissimulatam universis fratribus et omnibus in nomine Christi vocatis tribuitis caritatem. Quamobrem ego inevitabilibus inretitus, ad solum post Domini relictum auxilium afflictus et in extremis laborans confugio, solutionem malorum meorum, in quibus incidi reperire desiderans. Quod quidem sic est." Re deinde narrata pergit: „Quoniam igitur dura et iniqua praeter divinos canones pertuli a Dioscoro et ab aliis religiosis episcopis, qui timore et necessitate compulsi voluntati eius obtemperaverunt et in condemnatione mea consenserunt (sicut sciunt qui a vestra Sanctitate missi sunt in loco vestrae Beatitudinis religiosissimi viri, quibus et libellos obtuli appellationis meae, in quibus vestrae sedis cognitionem poposci), deprecor vestram Beatitudinem et genua vestra tangens si non manu et tamen linguae perfungor officio, *pronuntiate evacuari et inanem fieri meam iniquam condemnationem* a religiosissimo episcopo Dioscoro et eorum decretum, qui inviti consenserunt eius voluntati, *reddentes mihi dignitatem episcopatus et vestram communionem* literis vestris ad meam exiguitatem datis, quibus et dignitatem repraesentetis et communionem. Quibus impetratis gratias agam Domino nostro rectori et Salvatori Christo pro vobis, religiosissimi Patres."

Ab eodem conciliabulo, quod Latrocinium Ephesinum vocatur, damnatus et depositus Cyri episcopus Theodoretus († 457) etiam ad R. Pontificem appellavit.

Postquam enim in epistula ad Leonem data retulit[1], quae Dioscorus cum suis contra se egerit, haec addit[2]: „At ego apostolicae vestrae sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem vestram, ut mihi rectum ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere." Et post subiungit[3]: „Ante omnia, ut a vobis docear, oro, an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non: vestram enim sententiam exspecto." Leo M. porro Theodoretum innocentem declaravit, hoc encomio eum laudans[4]: „Benedictus Deus noster, cuius invincibilis veritas ab omni haereseos macula mundum te, secundum sedis apostolicae iudicium, demonstravit." Quare in concilio Chalcedonensi imperatoris legati dixerunt[5]: „Ingrediatur . . . Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia *restituit ei episcopatum* sanctissimus archiepiscopus Leo, et sacratissimus et piissimus imperator sanxit, eum adesse s. synodo." Et postquam Theodoretus Nestorio anathema in ista synodo dixit, congregati episcopi clamarunt[6]: „Theodoretus dignus est sede; ecclesia pastorem recipiat: orthodoxum doctorem ecclesia recipiat. Theodoretus dignus est sede.... *Post Deum* [potius: cum Deo] *Leo iudicavit* (μετὰ τοῦ θεοῦ Λέων ἐδίκασεν)." Itaque decreto definitivo sedi suae restitutus est Theodoretus a S. Leone, quippe quem synodus Chalcedonensis propter restitutionem a Leone factam receperit,

---

[1] Inter ep. Leonis I ep. 52, c. 3 (ML LIV 850).

[2] Ibid. c. 5 (ib. 852): *Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον. Καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα ἀπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαι μοῦ τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην.*

[3] C. 6 (ML LIV 852): *Πρὸ δὲ πάντων μαθεῖν ἀντιβολῶ παρ' ὑμῶν, εἴτε χρή με τέρψαι τὴν ἄδικον ταύτην καθαίρεσιν, εἴτε μή· τὴν γὰρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον.*

[4] Ep. 120, c. 5 (ML LIV 1053).

[5] Cf. supra p. 741 nota 2.

[6] Act. 8 (Harduin II 499 A; Mansi VII 190 C).

ut patet ex iam allatis testimoniis, atque insuper ex hoc, quod et Patres Chalcedonenses ex actis coram Leone in Theodoreti causa nihil relegi voluerunt, sed tantum postularunt, ut ipse Nestorio anathema diceret [1]. Quod postquam Theodoretus fecit, iudices dixerunt [2]: „Omnis iam dubitatio de Theodoreto reverentissimo episcopo est soluta; quippe et Nestorium coram nobis anathematizavit, et a sanctissimo et Dei amantissimo archiepiscopo senioris urbis Romae Leone susceptus est; et definitionem fidei a religiositate vestra prolatam libenter suscepit, et insuper epistulae memorati sanctissimi archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur, ut sententia proferatur a reverentia vestra, ut ecclesiam suam recipiat, sicut et S. Leo archiepiscopus iudicavit"; quibus omnes episcopi responderunt: „Theodoretus dignus est sede . . ., orthodoxum doctorem Ecclesia recipiat." Concilium igitur Chalcedonense „Theodoretum sedi suae restituit, non ut retractans causam Theodoreti, si proprie loqui velimus: siquidem nihil relegi Patres voluerunt ex actis coram S. Leone in ipsius causa, quod tamen in revisione causarum fieri solebat; in qua sententia non proferebatur, nisi prolatis omnibus instrumentis, quae in instructione litis coram primis iudicibus confecta fuerant, et omnibus actis prioris iudicii. . . . Sed Theodoretum sedi suae restituit s. synodus, ut subscribens sententiae S. Leonis in eius causa latae, ‚ut in hoc quoque capiti membra concordarent', quemadmodum sanctus ille Pontifex loquitur [3]. Enimvero si ipsum Patres Chalcedonenses ut depositum habuissent, passi non essent ipsum in concilio sedere et suffragari. Licet enim episcopi Aegyptii tumultuatim clamaverint [4]: ‚Nolite eum dicere episcopum, non est episcopus. Impugnatorem Dei foras mittite, iudaeum foras mittite', tamen episcopi orientis, Asiae, Ponti et Thraciae, qui numero longe plures erant, in seditiosas illas voces non eruperunt, nec in Theodoretum ita fuerunt iniqui: immo exclamaverunt universi, postquam sedit ut iudex in medio synodi, et inter ceteros Patres Theodoretus: ‚Dignus, dignus: orthodoxum synodo.'" [5] — Nec obsunt, quae Leo M. in laudata epistula ad Theodoretum, de ipsius restitutione agens, scribit [6]: „Gloriamur in Domino . . . , qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius christiani orbis iudicium recepisset." Ad hoc enim solum Leo decreta sua synodi examini subiecit, ut ea a concilio recepta et omnium subscriptione firmata eo minus vel retractationi vel contradictioni ab omnibus omnino haberentur obnoxia, et veritas clarius ab omnibus perspiceretur, quemadmodum Leo ipse hisce satis expressit [7]: „Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. . . . Et ad maiorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exserendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per se probatur reprobum, silentii praeiudicio videatur oppressum."

Neque haec iudicum verba: „Theodoretus reverentissimus episcopus recipiens locum a sanctissimo episcopo inclytae urbis Romae, in locum nunc accusatoris ingressus

---

[1] Harduin II 498 A; Mansi VII 187 C. [2] L. c.
[3] Ep. 120, ad Theodoret. c. 1 (ML LIV 1047).
[4] Act. 1 (Harduin II 74 D; Mansi VI 591 B).
[5] Nat. Alexander l. c. p. 67. [6] Ep. 120, c. 1 (ML LIV 1046).
[7] ML LIV 1048.

est“ [1], demonstrant, Theodoretum in concilium venisse tantum ut accusatorem, ideoque eius restitutionem Leonis auctoritate non fuisse absolutam, sed solum valituram, cum quaestio principalis, ex qua profecta erat eius depositio, retractata fuisset. Exinde enim sequitur tantum, Theodoretum duplici iure synodo Chalcedonensi interfuisse, scil. tum vi restitutionis a S. Leone factae, tum ut gerentem personam accusatoris. Addiderunt insuper iudices, praesentiam Theodoreti in concilio et concessum ipsi suffragandi ius nulli nocere posse, cum utrique parti servata sit libertas, accusationes suas ad synodum deferendi, quamprimum causa praecipua finita esset et causa fidei iudicata; maxime cum Antiochenus patriarcha, cui Theodoretus subiacebat, locuples ea de re testimonium perhiberet. „Praeiudicium“, inquiunt [2], „ex persona reverentissimi Theodoreti episcopi nulli generabitur, reservata videlicet post haec omni accusatione et vobis et illi, et quae invicem exercere volueritis, maxime cum et sine scriptis appareat ei testimonium catholicae fidei perhibens reverentissimus episcopus Antiochiae magnae civitatis.“ Quare etiam antea iam, ut retulimus, decreverant iidem iudices, ut in concilium Theodoretus ingrederetur, non ut accusator dumtaxat, sed „ut particeps synodi“, scil. ut particeps rerum in ea gerendarum, instar aliorum eiusdem sociorum.

Nec magis huius argumenti vim destruit, quod Theodoretus ad Renatum ecclesiae Romanae diaconum haec scripsit [3]: „Oro sanctitatem tuam, sanctissimo et beatissimo archiepiscopo [Leoni] persuadeat, ut apostolica potestate utatur et ad concilium vestrum advolare praecipiat (*καὶ εἰς τὸ ὑμέτερον ἀναδραμεῖν κελεῦσαι συνέδριον*).“ Haec enim non probant, Theodoretum ad concilium, non vero ad R. Pontificem Leonem ipsum appellasse. Nam R. Pontifex gravioris momenti causas convocato ex Romana saltem dioecesi concilio iudicare solebat. Qui ad Romanum episcopum appellabant, eius concilio se sistere debebant.

Concludamus demonstrationem positivam ex appellationibus Romanis petitam exemplo ex aetate Gregorii M.

Adrianus Thebanae civitatis in Thessalia episcopus ab Ioanne metropolita Larissae loco motus, provocavit ad apostolicum vicarium Ioannem episcopum primae Iustinianae; sed cum is sententiam metropolitae confirmaret, Adrianus ad R. Pontificem Gregorium M. appellavit, qui causa discussa utramque sententiam in Adrianum latam iniustam esse iudicans, vicario suo Ioanni inter alia haec scripsit [4]: „Quod vero ad praesens attinet, cassatis prius atque ad nihilum redactis praedictae sententiae tuae decretis, ex beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus triginta dierum spatio te sacra communione privatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa poenitentia ac lacrimis exorare. . . . Praefatum vero Adrianum fratrem et coepiscopum nostrum ex tua sententia, ut diximus, nequaquam canonibus neque legibus exsistente damnatum in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus.“ Vicarios porro illos apostolicos maxime iure primatus iurisdictionis in totam Ecclesiam a R. Pontificibus constitutos fuisse, supra probavimus, et hinc etiam Gregorius M. potissimum ut universae Ecclesiae primas et Adriani appellationem suscepisse et sententiam suam de eius causa dixisse censendus est.

Itaque ex allatis exemplis, quae omnino pauca sunt comparata cum aliis, quae brevitatis causa omisimus, manifestum est, episcopos non solum occidentales, sed etiam orientales a synodis vel a metro-

[1] Act. 1 (Harduin II 74C; Mansi VI 591A).
[2] Ibid. [3] Ep. 116 (MG LXXXIII 1324).
[4] Ep. l. 3, ep. 6 (ML LXXVII 608).

politis depositos ad R. Pontificem tamquam ad supremum in Ecclesia tribunal appellasse, ipsi igitur a tota Ecclesia potestatem iudicialem omnino supremam, ideoque soli Petri in primatu successori competentem adiudicatam fuisse.

Nec opponere licet, appellationes illas ad R. Pontificem *propter civilem urbis Romae dignitatem* locum habuisse.

Primum enim appellantes numquam leguntur hanc appellationis suae causam reddidisse aut ullatenus indicasse; quin ipsi nestoriani sat aperte rationem, cur appellent, hanc esse dixerunt, quod R. Pontifex totius Ecclesiae gubernator sit. Deinde concilium Sardicense diserte, ut vidimus, *ad Petri apostoli memoriam honorandam* dixit se declarare, episcopos, qui se iniuste loco motos censerent, ad R. Pontificem appellare posse. Denique postquam imperii sedes Constantinopolim a Constantino M. translata est, huius urbis dignitas et auctoritas civilis profecto maior fuit quam urbis Romae; iam vero post hoc ipsum tempus appellationes ad R. Pontificem proprio sensu intellectae maxime locum habuerunt.

Atque non magis huic argumento ex appellationibus pro R. Pontificis primatu petito obest Africanorum antistitum de appellationibus episcoporum ad R. Pontificem sententia.

Patres quidem concilii Carthaginiensis anno 424 habiti in epistula ad R. Pontificem Coelestinum data scripserunt[1]: „Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam Nicaeno concilio definitum facile advertat venerabilitas tua. Nam et si de inferioribus clericis vel de laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi a tua Sanctitate praepropere vel indebite videantur communioni restitui?“ Hoc igitur concilium R. Pontificem *deprecatur*, ne episcoporum appellationes *nimis facile* et *praepropere* suscipiat, sed ipsum eiusmodi appellationum ius in dubium non vocat, sed sua loquendi ratione ponit: „Qui enim precatur tantummodo, ut aliquid adeo frequenter non fiat, et impediatur abusus, qui in eius generis negotio locum habere posset, si absque opportuna prudentia tractetur, is certe rei usum non modo non impugnat, verum etiam tamquam certum et extra controversiam positum esse demonstrat.“[2] Idem confirmatur diverso plane modo, quo hoc concilium deinde de simplicium presbyterorum aliorumque clericorum appellationibus Romanis loquitur. Ait enim[3]: „Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia et nulla Patrum definitione hoc ecclesiae derogatum est Africanae, et decreta Nicaena sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt.“ Itaque Africani episcopi noluerunt, ut presbyteri et reliqui clerici inferioris ordinis ad R. Pontificem appellarent, contendentes, eiusmodi appellationes ab ecclesiae suae consuetudine ac disciplina abhorrere; ratione autem appellationum episcoporum Coelestinum tantum rogarunt, ut rarius fierent utque abusus impedirentur, qui ex appellationum frequentia et magna illas accipiendi facilitate oriri poterant.

Statuerunt insuper episcopi Africani in concilio Carthaginiensi anno 419 celebrato hunc canonem, qui in codice canonum ecclesiae Africanae 28 est[4]: „Item placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos definiant adhibiti ab iis episcopi: quodsi et ab iis (al.: ab eo) provocandum putaverint, non provocent *ad transmarina iudicia*,

---

[1] N. 2 (Coustant 1060). [2] Palma l. c. 322. [3] L. c. n. 3.
[4] Harduin I 878 E; Mansi III 728 D.

sed ad primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium, *sicut et de episcopis saepius constitutum est.* Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.“ Porro his verbis: „sicut et de episcopis saepius constitutum est“, existimarunt, qui ex hoc concilio demonstrare voluerunt, sedis apostolicae ius appellationes recipiendi ab Ecclesia haud agnitum fuisse, etiam episcoporum appellationes ad R. Pontificem prohibitas esse. Verum tametsi non cum Nat. Alexandro[1] aliisque magni nominis scriptoribus defendimus, allata concilii verba non ab ipso, sed perperam ab alio quodam illi canoni 28 adiecta esse[2], tamen ista sententia omnino falsa dicenda est. Nam illa concilii verba non referenda sunt ad haec alia: „non provocent ad transmarina iudicia“, verum ad haec: „sed ad primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium“, ita ut iis significetur: „ibi decretum esse, presbyteros ceterosque inferiores clericos appellare debere non ad sedem apostolicam, sed ad primatem ac concilium universale Africae, quod (etiam) de episcopis statutum fuerat, qui tamen poterant et ad Romanum Pontificem appellare. Etenim ante illud tempus presbyteris post episcopi sui iudicium provocatio patebat tantum ad vicinos sex episcopos, qui eorundem causam definiebant, quemadmodum Augustinus Ep. 65 a. 402 scripsit[3]: ‚Sex episcopis causam presbyteri terminari concilio statutum est‘ (scil. c. 11 Carthaginiensis sub Grato ca 345—348 habiti[4]). Post Apiarii autem appellationem novo iure inductum est, ut, qua ratione episcopi ad primatem et ad concilium universale Africae appellare possent, quin iis vetitum esset ad Romani Pontificis auctoritatem confugere, ita etiam presbyteri ceterique clerici possent ad primatem et concilium Africae universale provocare. Hinc episcopi Africani in epistula ad Coelestinum, ut ob novum hoc ius ostenderent necessariam non esse clericorum appellationem ad transmarina, ‚maxime quia, inquiunt, unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suae provinciae, vel universale provocare‘.“[5] Idem etiam confirmatur canone 125 cod. ecclesiae Africanae, qui in concilio Carthaginiensi a. 418 statutus est[6], et ita se habet[7]: „Item placuit, ut presbyteri, diaconi vel ceteri inferioris clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, et inter eos quidquid est, finiant, adhibiti ab iis ex consensu episcoporum suorum. Quodsi et ab iis provocandum putaverint, non provocent *nisi ad Africana concilia,* vel ad primates provinciarum suarum: ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.“ Evidens enim est, can. 28 supra

[1] H. E. saec. IV, diss. 28, prop. 3 (VIII 91).

[2] Cf. Ballerini, Observationes in primam part. dissert. 5 Quesnelli n. 27 (Opera S. Leonis M. II 965. ML LV 570).

[3] ML XXXIII 235. [4] Harduin I 687 D; Mansi III 148 D.

[5] Ita Palma l. c. 320 sqq.

[6] Al. Vincenzi (De hebr. et christ. sacra monarchia[2] P. 2, c. 10 sqq, p. 254 sqq) probare studet, hanc synodum locum non habuisse, sed esse cuiusdam donatistae, Ecclesiae hostis, commentum; item negat (c. 13) Cyrilli Alex. et Attici Constantinopolitani literas ad istam synodum datas esse genuinas; necnon concilii Carthag. a. 419 supra laudatum canonem aliosque omnes de appellationibus Africanorum canones contendit esse falsos. Nos tamen sequimur contrariam communem sententiam, quam praeter alios iam defendit Christ. Lupus contra Marc. Ant. Capellum, qui istam synodum istasque epistulas pariter ut falsas reiecit, scribens (Divinum ac immobile S. Petri privilegium. Diss. 2: De Africanae ecclesiae appellat., Mogunt. 1681, c. 30, p. 699) haec: „Ego tamen non ausim ista probare. Etenim istam synodum, istas epistulas, ista gesta, tamquam legitima et authentica, laudant Dionysius Exig., antiquus Africanae ecclesiae codex, alia antiqua Africanorum canonum collectio, plures gallicanae synodi, Trullana synodus, synodus octava, Hincmarus Rhemensium metropolita aliique plures collectores canonum.“

[7] Harduin I 934 E; Mansi III 822 D.

allatum nihil esse nisi repetitionem huius can. 125, excepto hac sola re, quod can. 28 addit haec verba: „sicut et de episcopis saepius constitutum est“, et quod incisum illa verba proxime praecedens nonnihil immutatum est. Quare autem haec mutatio facta sit, clarum est. Si enim concilium a. 419 verba illa de episcopis sine illa immutatione addidisset, sensus hic fuisset: *tantum* ad primates et non ad iudicia transmarina appellare licere, statutum est iam saepius pro episcopis. Hoc autem synodus dicere non potuit, cum ex priore aetate nullus canon ecclesiae Africanae exhiberi possit, qui episcoporum appellationes Romanas interdicat. Immutatio igitur illa ideo facta est, ne addita verba de episcopis referrentur ad primum illud incisum: „non provocent ad transmarina iudicia“, sed ad secundum, quo agitur de causa ad primates et ad concilia universalia Africae deferenda.

Insuper hoc canone etiam episcopis vetitum esse, ad R. Pontificem appellare, nullo alio decreto ecclesiae Africanae probari potest, sed contrarium constat[1]. *Primum* enim neutiquam verisimile est, illius de quo agimus concilii Patres omnem prorsus appellationem ad R. Pontificem interdicere voluisse, cum eo tempore et ipsorum dubitatio nondum soluta esset, utrum concilium Nicaenum I eiusmodi appellationes diserte permiserit necne, et ipsi ad eiusmodi canonem, si proferri posset, observandum se paratos exhiberent. *Deinde* ut ex epistula S. Augustini ad Coelestinum I patet[2], ca a. 422 Antonius episcopus Fussalensis ad R. Pontificem appellavit, eo igitur tempore, quo in Africa iam dudum notum erat, canones, quos Zosimus ad probandum recipiendarum appellationum ius Romanum, per errorem eos Nicaenos esse arbitratus protulerat, non esse concilii Nicaeni; iam enim die 26 novembris a. 419 Africanorum legati Alexandria et Constantinopoli reversi erant, nuntiantes, illos canones in fide dignis Nicaeni concilii actis non reperiri; illo enim ipso die allatum ex oriente istorum actuum exemplar Romam missum est[3]. Nec Augustinus in illa episcopi Fussalensis causa ullatenus denegavit Coelestino ius, eius appellationem, tametsi contra ipsius Augustini iudicium factam, accipiendi. *Tum* Augustinus ut ab ipsius temporibus remotissima, quemadmodum ait[4], appellationum Romanarum exempla non requirat, tria „recentia“ refert, episcoporum Mauritaniae Prisci, Victoris et Laurentii. Nec opponere licet, istas appellationes locum eo tempore habuisse, quo Africani promiserant, se canones, qui dicebantur Nicaeni, si proferantur, observaturos esse. Nam Laurentius in concilio Carthaginiensi, quod mense maio a. 419 legatos in orientem misit, tamquam provinciae suae legatus praesens fuit; nec sane ullatenus probabile est, ipsum mox postea et ante reditum illorum legatorum accusatum et damnatum esse, et simul quidem cum duobus aliis suae provinciae episcopis. *Denique* eo minus episcopis Africanis in mentem venire potuit, ut illis, qui ex ipsorum numero ad Romanum tribunal appellare vellent, id interdicerent, quod ut contra donatistas latum a R. Pontifice Melchiade in causa episcopi Carthaginiensis Caeciliani iudicium ut legitimum et rectum defenderent, ipsorum quam maxime intererat. Quomodo autem hoc iudicium defenderunt? Audiatur Augustinus[5]: „Neque enim, inquit, de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, praesertim apostolicarum ecclesiarum, causam suam integram reservare.“ Postremo medio circiter saeculo V alium rursus Mauritaniae episcopum, Lupicinum, ad R. Pontificem, non refragante ecclesia Africana, appellasse diserte Leo M. testatur[6].

---

[1] G. Schneemann, Der Papst das Oberhaupt der Gesamtkirche 98.

[2] Ep. 209 (ML XXXIII 953 sqq. Constant 1051 sqq).

[3] Cf. Cod. can. eccles. Afric. c. 137 (Harduin I 946 D; Mansi III 838 C).

[4] Ep. 209, n. 8 (ML XXXIII 955). [5] Ep. 43, n. 7 (ib. 163).

[6] Ep. 12, c. 12 (ML LIV 655). — De Apiarii causa, quae occasionem dedit his de appellationibus controversiis Africanis, cf. Chapman in Dublin Review CXXIX (1901) 98 sqq.

ε) Romani Pontifices certis legibus ecclesiasticis solvebant nonnumquam sacerdotes aliosque christianos non solum occidentis, sed etiam orientis.

Quod cum facerent Ecclesia minime refragante, agnitum fuisse eorum iurisdictionis primatum patet. Haec enim potestas legibus solvendi manifesto ut soli regi pro toto regno, ita etiam soli primati suprema iurisdictione universali pollenti pro tota Ecclesia competit.

Romanos Pontifices porro hac potestate antiquitus iam usos esse multa exempla demonstrant. Quorum pauca ut commemorem, Siricius (384—399) ad finem saeculi IV poenitentibus et bigamis in Hispania contra legem sacris ordinibus initiatis veniam dedit, ut in suo quisque ordine manere posset[1]. Similem veniam dedit Innocentius I (401—417) illis, qui a Bonoso erant in sacris ordinibus constituti[2], et Bonifatius I (418—422) Perigeni episcopo a Patrensibus non accepto, ut nimirum Corinthum sedem suam transferret[3]; item Xystus III (432—440) resipientibus Nestorii asseclis, ut possent redire „in sacerdotum consessum“[4]. Primaevae enim Ecclesiae disciplina vetabatur, ne quisquam, sive clericus sive laicus, ab haeresi rediens, in clericatus ordinem reciperetur[5]. Similem legis veniam contulit Leo I antistiti Constantinopolis Anatolio ratione suae ordinationis[6]; necnon Gelasius I iis, qui ab Acacio baptizati et sacris ordinibus initiati erant[7].

ζ) Romani Pontificis primatum ab Ecclesia agnitum fuisse eo probatur, quod ecclesiastica apostolicae sedis communio ab Ecclesiae fidelibus necessaria semper habita est.

Nam si non Romanus Pontifex, sed alius agnitus fuisset Petri in primatu successor, ideoque ut totius Ecclesiae fundamentum ac centrum, non ipsius, sed illius alterius communio necessaria habenda fuisset, et procul dubio etiam habita esset; iam vero semper Romani tantum Pontificis communio tamquam omnino necessaria agnita est. Ut enim taceam, ipsos R. Pontifices huius communionis necessitatem semper praedicasse, cum eorum singuli se ut totius Ecclesiae caput agnoscerent, a quo, ut Leo M. ait[8], „nihil usquam dissideret“, eam ab Ecclesia agnitam fuisse, patet

α') ex multis iam allatis Patrum id diserte affirmantium sententiis, ut Cypriani[9] dicentis, sibi suisque collegis idem esse, communionem R. Pontificis tenere, ac tenere catholicae, i. e. totius Ecclesiae

---

[1] Ep. 1, n. 19 (Coustant 636). [2] Ep. 17, ad Rufin. n. 9 (ib. 835).
[3] Ep. 4, ad Rufin. n. 4 (ib. 1020). [4] Ep. 2, n. 3 (ib. 1238 sqq).
[5] Ballerini in Leonis M. ep. 1 et 2, admonitio n. 16 (ML LIV 586).
[6] Ep. 135, c. 2 (ML LIV 1097). [7] Ep. 3 (al. 1) n. 6 (Thiel 315).
[8] Ep. 14, c. 11 (ML LIV 676); cf. supra p. 195, nota 1.
[9] Supra p. 659 sq.

unitatem; item Optati Milev.[1] affirmantis, schismaticum et haereticum esse, quicumque a R. Pontificis communione recedat; Ambrosii[2] eiusque fratris Satyri, quibus unum idemque erat, convenire cum ecclesia Romana ac convenire cum Ecclesia catholica. Retulimus pariter iam, Hieronymum[3] tempore schismatis meletiani ad Damasum scripsisse: „Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communione consocior. . . . Quicumque tecum non colligit, spargit", eumque ideo instanter rogasse, ut sibi indicaret, utrum Vitali an Meletio an Paulino adiungere sese deberet. Atque idem patet ex S. Ambrosii verbis, in concilio Aquileiensi a. 381 prolatis[4], quibus a Romana ecclesia *„in omnes venerandae communionis iura dimanare"* dicit. Quibus sane Ambrosius Romanam ecclesiam designat totius communionis et unitatis ecclesiasticae centrum, cum quo omnes ecclesiae particulares coniunctas esse necesse sit.

Ceterum iam Irenaeus, apud R. Pontificem Victorem intercedens, ne orientales propter Paschatis celebrationem tempore diversam excommunicaret, teste Eusebio[5] dixit: „Ne tam multas ecclesias propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illos usurpatae observationem *a corpore universae Ecclesiae* penitus amputaret." Dum dicit, Victorem separando illas ecclesias a se, separare eas ab universa Ecclesia, Irenaeus clare communionis cum R. Pontifice necessitatem expressit. R. Pontifex Cornelius vero ad Fabium Antiochenae ecclesiae praesulem scripsit eique acta synodi Romanae, quacum ipse Novatianum eiusque asseclas ex Ecclesia exclusit, misit[6]. Et ut Dionysius Corinthiorum episcopus refert[7], Romanae ecclesiae et imprimis R. Pontificis consuetudo ab ipso religionis christianae exordio fuit, ut ecclesiis quamplurimis omnis generis beneficia praestaret. Dionysius Alex. vero narrat[8], Romanos idem praestitisse ecclesiis Syriae et Arabiae, atque R. Pontifici nuntiat, ecclesias orientales Novatiani doctrinas detestatas ad Ecclesiae unitatem reversas esse. Porro illae orientales ecclesiae cum R. Pontifice fuissent vere coniunctae, nisi ecclesia Romana certe eas non adeo adiuvisset. Et dum dicuntur ad Ecclesiae unitatem reversae orientis ecclesiae, intelligenda pariter praecipue est unitas cum R. Pontifice, utpote qui Novatianum eiusque sectam excommunicaverat. Nec ullatenus tamen sequitur, inter orientales ecclesias et R. Pontificem tribus primis Ecclesiae saeculis nullum literarum commercium locum habuisse, nisi quando illis ab ecclesia Romana beneficia praestita sint. Orientis enim ecclesiae, tametsi illa prima aetate christiana tum propter multas persecutiones tum propter longissimam ab Italia distantiam, nisi extraordinariae res acciderent, tantum ad ipsarum patriarcham proxime recurrere de-

[1] Supra p. 678 sq. [2] Supra p. 680. [3] Supra p. 681.
[4] Cf. supra p. 708. [5] H. E. 5, 24, 11. [6] Ibid. 6, 43, 3.
[7] Ibid. 4, 23, 10. [8] Ibid. 7, 5, 2.

bebaut, tamen cum R. Pontifice unitae eique subiectae erant, cum alioquin ab universali Ecclesia exclusae fuissent, et sine dubio saepius etiam cum R. Pontifice directe communicarunt, quamquam multa huius rei documenta haud amplius supersunt. Sed ne plura Patrum dicta, partim iam supra relata, afferamus

β') istius communionis necessitatem in tota Ecclesia agnitam fuisse patet ex notissimo facto, quod *omnium ferme haeresum auctores* R. Pontificis, antequam ab eo cogniti et damnati erant, studuerunt gratiam et communionem sibi acquirere, ut de Marcione, Montano, Coelestio aliisque quam plurimis constat[1]. Et propter quam aliam rationem *ariani* omni modo studuerunt, R. Pontificem Liberium eo perducere, ut ipsos in communionem reciperet et sese ab Athanasio separaret? Et cur episcopi ariani Ursacius et Valens, cum ad meliorem frugem redire vellent, Romam profecti sunt deprecantes, ut R. Pontifex ipsos, quemadmodum ait Hilarius[2], in communionem per veniam admitteret? Et cum *semiariani* in synodis saepius congregati ad Ecclesiae romano-catholicae unitatem redire decrevissent, imprimis Romam legatos miserunt et a Liberio omni ope literas communionis obtinere studuerunt. Ac iam prius Liberius ad asiaticos de occidentalibus episcopis haec scripserat[3]: „Omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, . . . formulam ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, et catholicae fidei apud Nicaeam promulgatae subscripserunt, et *communione nobiscum inita* adversus Arium eiusque discipulos graviore indignatione commoventur." Et saeculo V S. Augustinus *donatistis* exhibuit haud interruptam R. Pontificum successionem, ut, quemadmodum ipse ait, cognoscerent, cuius communionem inire deberent, ut viti Christo insererentur, itaque a combustione abscissorum sarmentorum immunes servarentur[4], et rationibus, quae ipsum teneant et omnes fideles tenere debeant in Ecclesiae catholicae gremio, annumerat etiam perpetuam successionem episcoporum in sede Petri, cui Dominus oves suas pascendas tradiderit[5].

γ') Eiusdem communionis necessitatem manifeste testantur etiam antiquissimi *libri liturgici*. Ita Praefatio XIV missae pro die S. Petri in sacramentario, quod S. Leoni M. tribuitur, haec habet[6]: „Qui [Deus] secundum promissionis tuae ineffabile constitutum apostolicae confessioni superna dispensatione largiris, ut . . . *ipsa sit sacri corporis* [Ecclesiae] *ubique vera compago*, quae, te dispensante, devota ob-

[1] Cf. supra p. 751 sq.

[2] Fragm. 2, n. 19 20 (ML X 646). Cf. Athanas., Apol. c. arian. n. 20 58; Socrates, H. E. 2, 24.

[3] Ep. 15, n. 3 (Coustant 462. ML VIII 1385).

[4] Psalm. c. part. Donati (ML XLIII 30); cf. supra p. 685.

[5] Contra ep. Manichaei n. 5 (ML XLII 175).

[6] Opera S. Leonis M. II (ML LV 54).

sequitur, quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiae principatum." Et in Praefatione X dicitur[1]: „Qui [Deus] ineffabili sacramento ius apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet, ut quod in orbem terrarum eorum praedicatione manasset, christianae devotionis *sequeretur universitas:* salubrique compendio et hi, qui ab illorum tramite deviassent, haberentur *externi,* et *tantummodo filii veritatis exsisterent,* qui a principali nullatenus traditione discederent." Item etiam in orientalium liturgiis illa R. Pontificum communio exprimebatur, quatenus illorum nomina in sacris diptychis inscribebantur, et pro ipsis in sacris preces fundebantur.

δ') Necnon *imperatores catholici* istius communionis necessitatem in legumlatione agnoscebant. Certe de Gratiano tradit Theodoretus[2], eum lege lata iussisse, ut sacrae aedes iis episcopis traderentur, qui Damasi R. Pontificis communionem amplecterentur (*τοῖς τὴν Δαμάσου κοινωνίαν προαιρουμένοις*). Et Theodosius M. hoc edictum constituit[3]: „Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret et Petrum Alexandriae episcopum", quem Damasus ut illius orbis praesulem confirmaverat et eo miserat, ut illam sedem occuparet.

Itaque sancti Patres, haeretici, sacra liturgia atque ipsa legislatio civilis docent, communem christianorum etiam quarti ac tertii saeculi persuasionem eandem omnino fuisse, quam Irenaeus celebri suo effato iam saeculo II expressit: „Ad hanc [Romanam] ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam." Quapropter — id quod denuo ea quae probare intendimus confirmat — tunc temporis non minus quam nostra aetate universim admissum erat illud axioma: eum tantum legitimum episcopum esse, qui communionis R. Pontificis particeps sit. Quod agnitum etiam in antiquitate christiana fuisse, ex iis quae de R. Pontificis potestate episcopos confirmandi, restituendi, amovendi diximus, manifestum est.

Nec huic argumento obstat, quod tempore schismatis Antiocheni ecclesia Romana Paulinum ut verum Antiochiae patriarcham agnovit, non vero Meletium, quem tamen ut sanctum veneratur. Ex hoc enim neutiquam sequitur, communionem R. Pontificis in oriente non plane necessariam esse habitam. Nam certum et invicte demonstratum est[4], Meletium numquam fuisse schismaticum verum, sive, ut dici solet, formalem et ut talem a R. Pontifice damnatum,

[1] ML LV 39. [2] H. E. 5, 2.

[3] Cod. Theodos. l. 16, tit. 1, c. 2. Cf. etiam Sozom., H. E. 7, 4 et Baronius ad a. 380 n. 2

[4] Nat. Alexander, H. E. saec. IV, diss. 34 (VIII 147 sqq). Ballerini, De vi ac ratione primatus App. I, n. 2 sqq, p. 332. F. Cavallera, Le schisme d'Antioche, Paris 1905.

nec etiam extra R. Pontificis communionem mortuum esse, sed saltem mediata cum ipso communione semper coniunctum fuisse tum propter ipsius cum ecclesia Romana in fide consensionem, tum propter perpetuam cum aliis episcopis, qui cum R. Pontifice directo et vere coniuncti erant, necessitudinem. Tanto autem tempore a R. Pontifice communionis literae Meletio traditae ideo non sunt, sive quod „immediate a sede apostolica tradi non possent ad ipsum tamquam Antiochenum episcopum, cum datae fuissent Paulino, nec duobus concedendae essent, ne contra Nicaenum canonem duo eiusdem urbis episcopi probarentur; sive quod in turbulentissimis eius temporis circumstantiis, Romanis tanto intervallo discretis, haud satis perspecta esset Meletii fides, quae falsis suspicionibus a nonnullis impetebatur; unde ob orientalium rerum apud occidentales ignorationem, hos Paulino datis literis communionis attribuisse episcopatum Antiochenum, frustratos autem ‚virum Dei admirabilem Meletium' scripsit S. Basilius epistula . . . 214 ad Terentium comitem: quae omnia cum immediatae communionis impedimentum culpa eius vacuum praeferunt, tum vero nec ipsi mediata saltem communione fruenti, nec sanctitati ipsius pluribus documentis comprobatae quidquam praeiudicii exinde inferri posse patefaciunt." [1] Nec probari potest. Meletium eiusque fautores communionem R. Pontificis non necessariam existimasse. Quinimmo Meletius eiusque amici eam quam maxime exposcebant. Certe Basilius M., qui Meletii amicissimus erat, in epistula ad ipsum data haec dixit [2]: „Haec . . . vicit sententia, ut idem ille frater noster Dorotheus Romam proficiscatur, excitetque aliquos ex Italia, qui nos invisant." Et in epistula ad Athanasium scripsit [3]: „Nobis autem operae pretium esse visum est, ad episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat (ἐπισκέψασθαι), et consilium dare, ut cum illinc communi ac synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur (αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, i. e. ipse in hac causa auctoritate sua utatur), eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi [i. e. separati a Meletio] sunt, lenitate ac animi constantia corrigendos."

At, inquit Janus (p. 89 sqq), plurium regionum ecclesiae, ut Armena, Syro-Persica, Aethiopica, Hibernica et vetustissima Angliae, aut numquam aut certe per longius tempus cum R. Pontifice nulla prorsus communione vel subiectionis specie coniunctae erant, nec tamen ideo extra Christi Ecclesiam esse aut minus perfectae censebantur. — Verum

a) quod *Armeniae* ecclesiam attinet [4], erat illa antistiti Caesareae Cappadocum obnoxia, et sic saltem mediate cum R. Pontifice coniuncta. Scil. S. Gregorius Illuminator, primus Armenorum metropolita sive „Catholicus", ut dicebatur, Caesareae a Leontio ordinatus est [5], qua in ordinatione pactum intercessisse, ut deinceps Armenorum catholici semper Caesareae ordinarentur, constanter Armeni scriptores aut expresse narrant aut tacite supponunt. Sic v. g. Faustus Byzantius [6], qui Armeniacam annorum 317—390

[1] Ballerini l. c. n. 3. [2] Ep. 68 (MG XXXII 428).
[3] Ep. 69, n. 1 (ib. 432)
[4] S. Weber, Die kath. Kirche in Armenien, Freiburg 1903, 184 sqq.
[5] Cf. Agathangelus c. 12, § 135 sqq 140 (Acta Sanct. Sept. VIII 381 sqq).
[6] Biblioth. hist. V 29. Versionem franco-gallicam habes in C. Müller, Fragmenta historicorum graecorum V, 2: Historicorum graec. et syr. reliquiae in Armeniorum scriptis servatae. Collegit V. Langlois, Paris 1884, 293.

historiam brevi postea conscripsit; sic Agathangelus [1], cuius opus ex narrationibus vetustioribus medio saeculo V consarcinatum est; sic saeculi VII anonymus auctor [2] „Narrationis de rebus Armeniae"; sic Isaac catholicus [3] qui dicitur. S. Basilius quoque Caesareae metropolita suum esse dicit [4], Armenis episcopum dare. Praeterea „magnus rex Teredatius et sanctus et catholicus Gregorius facta praeparatione miserunt Arostacen episcopum, filium S. Gregorii, ut cum omnibus episcopis adesset in urbe Nicaea, ubi toto mundo edita est vera fidei traditio, conditaque dispositio canonum luciferorum. . . . Hac igitur fide [Nicaena] hisque canonibus S. Gregorius illuminavit commissam sibi Armeniae regionem." [5] Sicuti universa igitur Ecclesia, sic Armeniaca etiam cum R. Pontifice communicabat. Unde fiebat, ut a. 363 Antiochiae in concilio adesset „Isacoces [Isacius] Magnae Armeniae" episcopus [6], qui idem esse videtur cum Iosace, qui medius inter Chosroem et Narsetem subscribit epistulae orientalium ad Italiae et Galliae episcopos [7], atque ad horum primum, episcopum Romanum. Denique Armenorum scriptores etiam vetustissimi constanter narrant, S. Gregorium Illuminatorem et Tiridatem regem Romam ad Constantinum imperatorem et S. Silvestrum R. Pontificem profectos esse, ibique foedera certa facta esse [8]. Hoc iter haecque documenta significare videntur episcopi Armeni, cum contra Persarum regem, fidem christianam in Armenia destruere conantem auxilium a Theodosio II imperatore flagitantes, in epistula ad eum missa dicunt [9]: „Propterea et ut patruorum suorum crudelium et parricidarum insidias evaderet, rex noster Tiridates a pueritia in regione Graecorum educatus est; deinde a vobis ut rex agnitus paternam hereditatem armis recuperavit, simul etiam fidem Christi a sancto qui Romae est episcoporum principe recepit, qua illuminata fuit tenebrosa regio septen-

---

[1] C. 12, § 147, p. 387: *Ἡ δὲ διαθήκη τῆς μαρτυρίας ἀνάμεσον τῶν ἀμφοτέρων μερῶν εἰς τέλος διατηρηθείη, ὅτι αὐτὴ δι' αὐτῆς ἡ δωρεὰ εἰς ἀνακαίνωσιν τῆς ἱεροσύνης τῆς ὑμετέρας χώρας διαμείνῃ ἀκίνητος ἐν τῇ τῶν Καισαραίων ἐκκλησίᾳ* etc.

[2] MG CXXXII 1244. Libellus iste tribuitur vel Philippo solitario, vel Isaac catholico, vel Demetrio Cyziceno. Invenis eum etiam MG CXXVII 879 sqq.

[3] Oratio contra Armenos 1, 13; 2, 8 (MG CXXXII 1196 1224).

[4] Ep. 99, n. 4 (MG XXXII 501).

[5] Agathangelus c. 15, § 169, p. 399. Arostacem (Rostacem, Rhesdagem) in concilio Nicaeno affuisse tradit etiam Narratio de rebus Armeniae (MG CXXXII 1237) et Moyses Khorenensis, Hist. Armen. 2, 89.

[6] Socrates, H. E. 3, 25. [7] Basil., Ep. 92 (MG XXXII 478).

[8] Agathangelus c. 15, § 165 sqq, p. 397 sqq, ubi textus graecus (non vero armenus) Eusebium (Nicomediensem?) loco Silvestri nominat (C. Müller, Fragmenta hist. graec. V 2, 188). Foedus inter Constantinum et Tiridatem initum commemorat Faustus Byzantius 3, 21 (Müller 232). Iter Romanum Tiridatis et Illuminatoris frequenter commemorat etiam Zenob de Glag (Müller 340 344 352 355), qui partem reliquiarum, „sanctorum apostolorum manum sinistram et S. Andreae et S. Lucae evangelistae", S. Illuminatorem Roma attulisse scribit, et ieiunium Armenorum „Arzeburion", a Graecis tantopere impugnatum, ita defendere studet, ut S. Silvestrum illud Romae adoptasse scribat (Müller 344).

[9] Apud Elisaeum, Historia belli Vardanici c. 3 (Langlois, Collection des historiens anciens et modernes de l'Arménie II, Paris 1869, 206). Cf. Zeitschrift der Deutschen Morgenländ. Gesellsch. XXXI, Leipzig 1877, 40. S. Weber in periodico Der Katholik 1898, I 325 locum sic vertit: „Vom heiligen Oberbischof Roms den Glauben an Christus empfangend hat Terdat (scil. durch Gregor den Erleuchter) die Finsternis des nordischen Landes erleuchtet."

trionalis [Armenia]." Etiam Agathangelus, ut animadvertit Samuelian mechitarista [1], a S. Silvestro Illuminatoris plenum in Armeniam ius et summam dignitatem derivare videtur. Nam cum antea Illuminatorem semper nomine archiepiscopi nominasset, postquam iter illius Romanum narravit, subito illi tribuit titulum „catholici", quo etiam ipsum S. Silvestrum et Leontium Caesareensem insignit. Sive autem iter illud Romanum revera a Tiridate et Gregorio susceptum est, sive Armeni illud finxerunt, nostra hic non interest. Si enim rem finxerunt, ipsa fictio communicationem cum Romana ecclesia eos necessariam existimasse demonstrat [2]. — Ceterum frequentius ecclesiae Armenae cum Romana commercium impediebat non solum occupatio Persarum, sed etiam maxima locorum distantia, ob quam mediata communio sufficiens censenda est. Quando autem communicatio cum ecclesia Caesareensi definitive scissa ac rupta sit, non constat. Intercessit certe in rebus Armeniae metropolita Caesareensis non ita diu ante Isaaci catholici († 439) mortem, cum scil. is a munere deiectus esset. Postea Armeni eius oboedientiam omnino detrectarunt [3].

b) *Ecclesiae Persicae,* magis quam Armena remotae ac dirius usque ad ipsam perniciem vexatae, mediatam cum R. Pontifice communicationem sufficere debuisse patet; aperta enim ac frequenti cum occidente communicatione regis Persarum suspicionem excitasset ac cum Persarum hostibus, Graecis, conspirare visa esset. Insuper erat haec ecclesia scriptoribus Graecis et Romanis magis etiam quam Armena ignota. Nec etiam omnium ecclesiarum particularium gesta scripta sunt, vel, si scripta fuerint, ad nos pervenerunt. Insuper eo ipso, quod ecclesia Persica, antequam Nestorii haeresis Persidem invasit, ut orthodoxa habita est ab Ecclesia universa, censenda est fuisse cum R. Pontifice coniuncta, cum tandem, ut ex iis quae supra diximus patet, haec coniunctio tunc temporis haberetur necessaria. Ceterum de Persidis cum reliqua Ecclesia communione ex eo constat, quod Eusebius diserte testatur, inter Nicaenos Patres sedisse Persidis episcopum [4]. In subscriptionibus quoque Chalcedonensis concilii legitur, Persam episcopum persice subscripsisse: Ηέρσης ὑπέγραψα περσιστί. Haec autem duo concilia in unione cum R. Pontifice celebrata esse certissimum est. Accedit, quod Le Quien satis probat [5], Persidis ecclesias tempore concilii Nicaeni I obnoxias proxime fuisse

---

[1] Tüb. Theol. Quartalschr. XXVIII (1846) 560. Agitur de textu armeno, cuius versio franco-gallica est apud Müller l. c. Vocantur ibi catholici Leontius (c. 113, p. 172), Silvester (c. 126, p. 189), Gregorius (c. 127, p. 190).

[2] Praeterea saltem illud certum videtur, Tiridatem ad imperatorem Constantinum profectum cum eo foedus iniisse. Quo in itinere cum eum ex Armenorum sententia comitaretur S. Gregorius Illuminator, etiam cum reliqua Ecclesia communicationem iniisse Armenos probabilissimum est.

[3] Narratio de rebus Armeniae (MG CXXXII 1256c). Ex eo tempore Armeni „a catholica se ecclesia abstraxerunt", ait auctor huius narrationis (p. 1241 a), ad quam in concilio generali anno 553 eos rursus accessisse tradit (p. 1245 c).

[4] Eus., De vita Const. 3, 7. Concilio Nicaeno subscripsit aliquis Ioannes Persa vel Persidis, quem multi putant episcopum illum Persam, de quo loquitur Eusebius. Gelasius Cyzicenus eum nominat episcopum Persidis et magnae Indiae. Putat tamen H. Gelzer, hunc Ioannem fuisse episcopum urbis Perrae in Mesopotamia, et librariorum errore eum vocatum esse episcopum Persidis et eundem existimatum fuisse cum episcopo Persa, de quo Eusebius (cf. librum supra p. 730 nota 2 recitatum p. XXXIX LV).

[5] Oriens christianus II 1079 sqq.

sedi Antiochenae, totius orientis primariae; quam cum R. Pontifice coniunctam eique subiectam fuisse pariter constat.

c) *Aethiopica* porro ecclesia obnoxia erat patriarchae Alexandrino [1], a quo primum episcopum Frumentium et subsequentes deinde metropolitas accepit, et ideo per hunc etiam mediate R. Pontifici, ut aliae ecclesiae particulares omnes, quae non immediate et directo ac proxime ipsi R. Pontifici sunt subiectae. Porro agnoscit ecclesia Aethiopica canones pseudo-nicaenos, de quibus vide supra p. 690. Initio saec. XVI Abessyni confessi sunt, se numquam primatum R. Pontificis negasse [2].

d) Antiquam *Celtarum* ecclesiam in Britannia et Hibernia multi ex protestantibus antiquioribus putabant ab ecclesiae Romanae influxu liberam fuisse. De qua re haec notanda veniunt [3]:

α) Quando et quomodo christiana religio ad Celtas in Anglia accessum habuerit, nescimus; certum tamen est, iam Tertulliani et Origenis temporibus in Anglia Ecclesiam floruisse'. Probabilissime ex Gallia religio christiana in Angliam propagata est, vel immediate vel mediate ex Germania inferiore. Gallia autem cum Romana ecclesia coniunctissima fuit. Sed certe Anglica ecclesia alumna Gallicae ecclesiae aliter non credebat ac parens sua.

β) De rebus ecclesiasticis Angliae saeculo IV et V paucissima scimus, sed inter paucissima haec relative multa inveniuntur, quae Angliae coniunctionem cum Romana ecclesia evincunt. In concilio *Arelatensi* anni 316, in quo praesentes aderant R. Pontificis legati et cuius Patres de rebus a se gestis omnibusque statutis in epistula synodica ad R. Pontificem Silvestrum retulerunt [5], fuere etiam tres episcopi Angli: „Eborius de civitate Eboracensi [York], Restitutus de civitate Londinensi, et Adelfius de civitate Colonia Londinensium [lege: Lindensium = Lincoln]." [6] In concilio *Ariminensi* anni 359 iterum plures affuerunt episcopi Britanni [7], ut cum reliquae Ecclesiae totius pastoribus de arianismo deliberarent. Non igitur a reliqua Ecclesia separati erant Britanni. Cum Pelagii ex „Scotia" oriundi haeresis Angliam turbaret, „ad actionem Palladii diaconi papa Coelestinus [a. 429] Germanum Antisidorensem episcopum *vice sua* mittit, et deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigit" [8]. Post a. 429 per 150 annos nihil omnino de Anglorum ecclesia audimus.

γ) Hiberniae apostoli antiquissimi sunt Palladius et S. Patricius. De Palladio scribit Prosper ad a. 431: „Ad Scottos [i. e. Hibernos] in Christum credentes ordinatus a papa Coelestino Palladius primus episcopus mittitur." [9]

---

[1] Döllinger, Lehrbuch der Kirchengesch. I 64.

[2] Raynald. ad a. 1533, n. 24 27.

[3] Cf. A. Bellesheim, Gesch. der kath. Kirche in Irland I, Mainz 1890, 214 sqq; Greith, Gesch. der altirischen Kirche, Freiburg 1867, 453 sqq; Funk, Abhandlungen und Untersuchungen I, Paderborn 1897, 421 sqq; L. Duchesne, Autonomies ecclésiastiques, Paris 1896, 1 sqq.

[4] Tert., Adv. iud. c. 7 (ML II 610). Orig., In Ez. hom. 4; In Luc. hom. 6 (MG XIII 693 1816). Narrat Beda (Hist. eccl. Angl. 1, 4), Britannorum regem Lucium misisse ad R. Pontificem Eleutherum, ut ab eo fidem acciperet.

[5] Harduin I 261. [6] Ibid. 267. Cf. infra p. 795.

[7] Sulpitius Sev., Hist. sacra 2, 41 (ML XX 152).

[8] Prosper Tiro, Chron. (ML LI 594; Mon. Germ. Auct. ant. IX 472).

[9] Ibid. (ML LI 595; Mon. Germ. Auct. ant. IX 473). Probabilissime ipse Prosper Romae affuit eo tempore, cum Palladius a Coelestino mitteretur.

Patricius autem priusquam evangelium in Hibernia annuntiaret, Romam tetendit a Coelestino missionem apostolicam accepturus[1]. De Romanae sedis vero auctoritate haec Hibernos a se conversos monet Patricius[2]: „De saeculo recessistis ad paradisum, Deo gratias. Ecclesia Scotorum, immo Romanorum, ut christiani, ita ut Romani sitis.“ Porro in Libro Angueli hoc praeceptum ei tribuitur[3]: „Item quaecumque causa valde difficilis exorta fuerit atque ignota cunctis Scotorum gentium iudicibus, ad cathedram archiepiscopi Hibernensium [i. e. Patricii] atque huius antistitis examinationem recte referenda. Si vero in illa cum suis sapientibus facile sanari non poterit, talis causa praedictae negotionis ad sedem apostolicam decrevimus esse mittendam, i. e. ad Petri apostoli cathedram, auctoritatem Romae urbis habentem. Hi sunt qui de hoc decreverunt: Auxilius, Patricius, Secundinus, Benignus.“ Hic canon in nominatissimo codice, scripto a. 806, qui dicitur „The Book of Armagh“, habetur fol. 21 bb, cum brevi postea, fol. 24 b, inveniatur nota haec: „Hucusque volumen quod Patricius manu conscripsit sua. Septima decima martii die translatus est Patricius ad coelos.“ Unde concludendum, canonem illum ex ipsius Patricii autographo descriptum esse a scriba illo, qui confecit codicem antiquissimum illius libri Armacensis. Mochta, S. Patricii discipulus, cum Romae esset ac de eius recta fide dubia orirentur, scripta confessione fidei apud Leonem I Romanum Pontificem se purgavit, in qua haec habentur[4]: „Si pro culpa unius [Pelagii scil. haeretici, qui cum Hibernus Romae putaretur, omnes Hiberni suspecti habebantur] anathematizanda generatio est, damnetur et illa beatissima discipula, h. e. Roma, de qua nunc non una, sed duae vel tres, aut eo amplius haereses pullularunt; et tamen nulla earum cathedram Petri, h. e. sedem fidei aut tenere potuit aut movere.“ Idem Leo M. a. 454 misit epistulam in occidentis varias regiones, qua edicebatur, ut ad schisma cum Alexandrina ecclesia vitandum pascha anni 455 cum Alexandrinis, sed contra consuetudinem occidentalium celebraretur die 24 aprilis. Pervenit illa epistula etiam ad Hibernos, qui secuti sunt sancti Pontificis man-

---

[1] Late ex Hibernorum libris haec demonstrat ac defendit Bellesheim l. c. 33—40. Obiecerat Todd contra Romanum S. Patricii iter praecipue hoc, quod in antiquissima S. Patricii vita, quam scripsit Muirchu quaeque continetur in codice, qui dicitur The Book of Armagh, nihil de hoc itinere habeatur. Sed cum antea unus solus codex notus fuerit illius libri Armacani, isque mutilus, a. 1882 E. Hogan S. J. detexit alium eiusdem libri codicem non mutilatum, ac in eo c. 4 haec leguntur: „Et erat annorum XXX secundum apostolum in virum perfectum et cetera usque plenitudinis Christi. Egressus ad sedem apostolicam visitandam et honorandam, ad caput itaque omnium ecclesiarum totius mundi ut sapiens iam divina sanctaque mysteria, ad quae vocavit illum Deus, ut disceret atque intelligeret et impleret, et ut praedicaret et donaret divinam gratiam in nationibus externis convertens ad fidem Christi.“ E. Hogan in Anal. Bolland. I, Bruxellis 1882, 551 sq. Whitley Stokes, The tripartite life of Patrick with other documents concerning that Saint, London 1887, 496. Bellesheim l. c.

[2] Dicta S. Patricii, apud Stokes l. c. 301.

[3] Stokes 356. Eug. O'Curry, Lectures on the manuscript materials of ancient Irish history, Dublin 1873, App. n. CXVII, p. 611. Bellesheim l. c. 64.

[4] Anecdota, quae ex Ambrosianae bibliothecae codicibus nunc primum eruit L. A. Muratorius II, Mediolani 1698, 12. Erraverat Muratori in legendo Mochtae nomine, quem nominat Bachiarium.

datum; legitur enim in Annalibus Cambriae ad annum incertum: „Pascha commutatur super diem dominicum cum papa Leone episcopo Romae.“ [1]

Post illud Leonis decretum per 150 annos, quantum scimus, nullum commercium inter Hibernos et reliquam catholicam Ecclesiam locum habuit. Quod mirum non est. Inter Hiberniam enim et Italiam omnia in potestate erant barbarorum, Burgundionum, Gothorum, Francorum, Saxonum. Sed illa disiunctio facti tantum erat, non iuris. Retinuerunt Hiberni eandem fidem ac reliqua catholica Ecclesia [2], discrepabant initio saec. VII, cum iterum cum reliquo orbe vincula necterentur solummodo in eo, quod Hiberni pascha celebrabant alio die ac reliquus orbis (retinuerant enim illum computandi paschatis modum, qui saec. V medio in toto occidente viguerat), quod clerici praeterea alia tonsura utebantur ac Romani et similibus minoris momenti rebus, quas utique Hiberni, ut sunt moris patrii tenacissimi, incredibili pertinacia retinebant ac defendebant. Cum reliqua autem doctrina catholica agnitionem Romani primatus retinuerant. Nam S. Columba (Columbanus), Hibernus monachus († 615), cum Luxovii in Gallia monasterium condidisset et patrii moris tenax pascha diverso a Gallis tempore agere pergeret, controversiam cum episcopis Gallis hac de re ortam R. Pontificibus obtulit dirimendam. Atque ad Gregorium I sic scribit [3]: „Idcirco mihi timido, magis peregrino quam sciolo, precor, tuae dirige fulcrum sententiae, et mature punctum tuae placabilitatis huic tempestati nos circumdanti compescendae transmittere non dedigneris; quia non mihi satisfacit post tantos quos legi auctores una istorum sententia episcoporum dicentium tantum: cum iudaeis facere pascha non debemus.“ Quarum literarum portitore variis casibus ne Romam perveniret impedito, iterum ad Gregorii successorem (Sabinianum?) scribens preces fundit [4], „ut nobis peregrinis laborantibus tuae pius sententiae solatium praestes, quo, si non contra fidem est, nostrorum traditionem robores seniorum, quo ritum paschae, sicut accepimus a maioribus, observare per tuum possimus iudicium.“ Denique in epistula ad Bonifatium IV R. Pontificem missa de Hibernis suis sic profitetur [5]: „Nos enim sanctorum Petri et Pauli et omnium discipulorum divinum canonem spiritu sancto scribentium discipuli sumus, toti Iberi, ultimi habitatores mundi, nihil extra evangelicam et apostolicam doctrinam recipientes: nullus haereticus, nullus iudaeus, nullus schismaticus fuit, sed fides catholica, sicut a vobis primum, sanctorum videlicet apostolorum successoribus, tradita est, inconcussa tenetur.“ Et alibi in eadem epistula [6]: „Nos enim, ut ante dixi, devincti sumus cathedrae sancti Petri: licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara.“ Gregorium I nominat praeterea [7] „Petri cathedram apostoli et clavicularii legitime insidentem“, et aliis multis elogiis R. Pontificem ex-

---

[1] Stokes l. c. 501.

[2] Id probatum invenis apud Bellesheim l. c. 593—611, qui dicit: „Je eifriger die liturgischen Denkmäler der altirischen Kirche untersucht werden, um so klarer tritt die volle Übereinstimmung der letzteren mit der römischen Kirche im Glauben und dem Gottesdienst hervor. In . . . der Glaubens- und Sittenlehre begegnet man nicht einmal auch nur der mindesten Abweichung.“ Cf. Stokes l. c. Introd. CLX sqq CLXXX sqq; Greith, Gesch. der altirischen Kirche, Freiburg 1867, 217 sqq 403 sqq.

[3] Ep. Merowingici et Karolini aevi I (Mon. Germ. hist. Ep. III) 157.

[4] Ibid. 165. [5] Ibid. 171. [6] Ibid. 174. [7] Ibid. 158.

ornat. Clarum igitur est, Columbam primatum R. Pontificis agnovisse. Quodsi igitur pro impetuosa sua indole in epistula ad Bonifatium verbis minus reverentibus interdum utitur; si fieri posse, ut propter R. Pontificis in tuenda fide negligentiam totus orbis ab ipso separetur, verbis satis obscuris concedere videri possit, explicanda haec obscuriora ita sunt, ut cum clara primatus agnitione concilientur.

Multos Hibernos Romam ad apostolorum Petri et Pauli limina profectos, compluresque eorum Romae a R. Pontifice ordinatos esse episcopos pro Hibernia, Greith multis exemplis demonstrat[1] additque[2], monachos, episcopos aliosque incolas Hiberniae adeo frequentes Romam peregrinatos esse, ut in eorum commodum in terra continenti variis in locis hospitia erigerentur.

Nota. 1. Arbitratus est Ebrard[3] cum antiquioribus protestantibus, ecclesiam Hibernicam prorsus protestanticam fuisse, confessam esse iustificationem per solam fidem, reiecisse coelibatum et cultum sanctorum, fuisse liberam a Summi Pontificis potestate etc. Hanc porro ecclesiam per monachos Hibernos etiam in Gallia et Germania propagatam fuisse autumat, ita ut a Pyrenaeis montibus usque ad Scaldim, a Churia Rhaetorum usque ad Traiectum exstiterit ecclesia evangelica et Romae non subdita. Haec, quantum nostra interest, iis quae diximus iam refutata sunt. Sufficiat igitur addere ab ipsis doctoribus protestantibus haec hodie reici[4].

2. Obiciunt aliqui, S. Patricii historiam obscurissimam et incertam esse, ideoque iis, quae de eius itinere Romano, de eius sententiis ac placitis protulerimus, nihil demonstrari. Immo H. Zimmer opinatur, eum qui dicitur Patricius diversum non fuisse a Palladio, nullumque influxum in ecclesiam Hibernicam habuisse huius sive Palladii sive Patricii labores. Falsa ac ficta esse, si Patricii Confessionem, epistulam ad Coroticum, Dicta Patricii excipias, huius Sancti acta omnia posteriora. Quae eo animo ficta esse, ut ecclesia Romana Hibernis commendaretur, si non expresse dicit, insinuat saltem[5]. At de his disputare historicis relinquimus. Manent enim etiam ex adversarii concessione, quae ex Dictis S. Patricii attulimus. Manet missio Romana, nam etiam Palladius a Summo Pontifice missus est. Praeterea vita S. Patricii a Muirchu conscripta est saec. VII; canon ille de Romana ecclesia ex Libro Angueli

---

[1] L. c. 147 sqq. [2] Ibid. 155.

[3] Die iroschottische Missionskirche des 6., 7. und 8. Jahrhunderts und ihre Verbreitung und Bedeutung auf dem Festlande, Gütersloh 1873. Miro nomine vocat ecclesiam, de qua agit, ‚Ecclesiam Culdeorum'. Sed Culdei qui vocantur probabiliter nihil aliud fuerunt nisi sacerdotes in commune viventes ex praescripto regulae Chrodegangi.

[4] Sic v. g. Edg. Loening, Gesch. des deutschen Kirchenrechts II, Straßburg 1878, 417: „Die Unterschiede der altirischen von der katholischen Kirche bezogen sich, wenn wir von der eigentümlichen Verfassung der altirischen Kirche absehen, nur auf Dinge, die keinen innern Wert haben, die reine Äußerlichkeiten sind. . . . Allerdings ist dies ein Gebiet, auf welchem seit den Tagen der Magdeburger Zenturiatoren bis auf die heutige Stunde ein wenn auch gut gemeinter, aber sehr wenig wissenschaftlicher Eifer protestantische Theologen in Deutschland und Großbritannien verführt hat, eine ‚evangelische romfreie Kirche' zu entdecken. . . . Eine nüchterne Prüfung der uns überlieferten Nachrichten zerstört sofort dieses ganze, künstlich aufgebaute Luftschloß." Differentia illa quoad constitutionem ecclesiasticam, de qua loquitur Loening, in hoc consistit, quod iurisdictio ecclesiastica in Hibernia exercebatur ab abbatibus monasteriorum, qui aut ipsi episcopi erant, aut subditum habebant aliquem monachum episcopali ordine ornatum ad exercenda munia episcopalia. Quod salvo catholico dogmate fieri poterat.

[5] Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche X[3], Leipzig 1901, 207—221 228.

invenitur in codice Armacano, qui anno 807 transcriptus est ex alio codice, cuius litera iam eo tempore obsoleta erat, ita ut is qui transcribebat codicem, conquereretur saepius de difficultate legendi et transcribendi[1]; ergo saltem quid saec. VIII et VII senserint Hiberni de Romana sede, textibus allatis demonstratur.

3. Antiquiores quidam protestantes provocarunt etiam ad effata cuiusdam abbatis Hiberni Dinothei, quibus animum a Summo Pontifice aversum testatur; sed spuria ac conficta haec esse vel ipse Gieseler iam concessit[2].

Etiam *Francorum* ecclesiam in *Gallia*, cum antea coniunctissima cum Romana fuerit, tempore regum Merovingicorum liberam a R. Pontificis dominatu fuisse aliqui contendunt[3]. Hoc etsi verum esset, nihil contra nos sequeretur. Reges illi erant barbari, nimio potentiae ac dignitatis suae sensu inflati, qui multa in rebus ecclesiasticis sibi attribuebant vel vi assumebant, nulla iurium ecclesiasticorum ratione habita. Sunt enim tempora reginarum Brunhildae et Fredegundae satis notarum et regis Chilperici, qui a Gregorio Turonensi vocatur „Nero nostri temporis et Herodes“[4]. Sufficientia tamen testimonia evincunt, etiam hoc tempore Romanum primatum in Gallia agnitum fuisse[5]. Sic concilium Turonense anni 567, postquam recitavit verba aliqua Innocentii I R. Pontificis, addit[6]: „Quis sacerdotum contra decretalia, quae a sede apostolica processerunt, agere praesumat? ... Et quorum auctorum valere possit praedicatio, nisi quos sedes apostolica semper aut intromisit aut apogrifare non fecit? Et patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum praecepit auctoritas.“ Concilium vero Aurelianense a. 549[7] „nefariam sectam“ Eutychis et Nestorii, „quas etiam sectas sedes apostolica sancta condemnat, similiter et nos easdem... damnamus, rectum atque apostolicum in Christi no-

---

[1] Stokes l. c. Introd. p. XCIV.

[2] Kirchengesch. I 2[4], Bonn 1845, 462. In ed. 3 Gieseler Dinothei epistulam genuinam putabat. Etiam Hase (Handbuch 129) ad illam provocat, quam in prioribus libri sui editionibus inveniri falso dicit apud Bedam (Hist. eccl. Angl. 3, 25). Epistula illa (ML LXXX 21) Dinotheo supposita est a protestante quodam saec. XVI (J. Loth, Annales de Bretagne XVIII [1902] 139 sqq; cf. The English hist. Review XVIII [1903] 413). — Atque ut aliud, ut omnino videtur, pariter fictum testimonium addamus, scribit Langen (Das Vatik. Dogma IV 62), cardinalem Hosium haec dixisse: „Ich wage zu sagen, daß auch der Papst die Macht nicht besitzt, einen neuen Orden, neue Riten, neue Zeremonien einzurichten und die alten, die durch den beständigen Konsensus der ganzen Kirche angenommen und approbiert sind, abzuschaffen.“ Pro quo dicto Langen provocat ad Hosii Acta cum Elbing. 103 sqq. Sed nec hoc loco nec alibi in omnibus illis Actis (Hosii Opera, Coloniae 1584) illa vel similia verba invenire potui, quamquam diu multumque ea inquisivi.

[3] Ita v. g. Loening l. c. II 63 his principiis ecclesiam Franciae sub Merovingicis regibus usam esse dicit: 1. Der Bischof von Rom wird als der erste Bischof der Christenheit anerkannt und verehrt. 2. Ein unmittelbarer Eingriff des Bischofs von Rom in irgend eine Angelegenheit der fränkischen Kirche ist an sich nicht zulässig und kann nur mit königlicher Genehmigung stattfinden. — Etiam A. Hauck (Kirchengesch. Deutschlands I[4], Leipzig 1904, 429): „In gewissem Maße war die fränkische Kirche eine ‚romfreie‘ Kirche.“ Sed etiam Hauck (p. 425) dicit: „Man legte den höchsten Wert auf die Glaubensgemeinschaft mit Rom.“ Quod pro nostra re sufficit.

[4] Hist. Francorum 6, 46 (ML LXXI 412).

[5] Grisar in Zeitschr. für kath. Theol. XIV, Innsbruck 1890, 447—493.

[6] Can. 21 (Mon. Germ. Conc. I 129; Harduin III 362 B; Mansi IX 798 E).

[7] Can. 1 (Mon. Germ. Conc. I 101; Harduin II 1444 A; Mansi IX 129 A).

mine fidei ordinem praedicantes". Concilium Aurelianense a. 538 decernit[1]: „Metropolitanus a comprovincialibus episcopis, sicut decreta sedis apostolicae continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia aequum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit: qui praeponendus est omnibus, ab omnibus eligatur." Childebertus I cum a Leone Senonensi episcopo peteret, ut in urbe Melodunensi proprius episcopus constituatur, repulsam a Senonensi episcopo tulit, qui epistulam ita concludit[2]: „Si contra statuta canonum quicumque episcoporum sine consensum nostrum [sic!] Mecledone episcopum voluerit ordinare, usque ad papae notitiam vel sinodale audientiam [sic!] tam hi, qui ordinaverint, quam qui ordinatus fuerit, a nostra erunt communione disiuncti." Gregorius Turonensis R. Pontificem rectorem Ecclesiae nominat, dicit enim post Pelagii papae mortem Gregorium M. Pontificem constitutum esse, „quia Ecclesia Dei absque rectore esse non poterat"[3]. Salonius et Sagittarius[4] episcopi ob multa facinora a synodo sede episcopali privati erant. „At illi, cum adhuc propitium sibi regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se iniuste remotos, sibique tribui licentiam, ut ad papam urbis Romae accedere debeant." Qui eorum sermonibus deceptus „epistulas ad regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet".

Manet ergo certum, apostolicae sedis communionem a primis christianae religionis temporibus ab Ecclesia semper necessariam habitam, et hac ratione R. Pontificis primatum clarissime agnitum esse.

Quod quidem potest insuper confirmari quam plurimis aliis Ecclesiae romano-catholicae documentis[5], necnon multis testimoniis, quae in ipsis schismaticorum libris ritualibus continentur[6].

E quibus ut aliqua saltem afferamus, in Officio ecclesiastico S. Silvestri in Vesperis haec habentur[7]: „Silvester Pater visus es veluti columna ignis, sacro more ducem agens sacri conventus (*προηγούμενος ἱεροῦ συστήματος*), et veluti nubes obumbrans, eripiens fideles ab Aegyptio errore, et semper infallibilibus doctrinis transferens ad divinam lucem." In eodem Officio in odis habetur: „Ut divinus coryphaeus sacrorum Patrum sacratissimum dogma confirmasti (*ἐκράτυνας*), obstruens impia haereticorum ora. Prostravisti, Silvester, aciem hostium, qui doctrinae ab apostolis traditae adversabatur." In menologio Basiliano de S. Leone I haec legimus[8]: „Coacta enim Chalcedonensi synodo, ... cum ii veritatem praedicarent, nec tamen haeretici illis acquiescere vellent, placuit omnibus, ut quidquid Leo sanctissimus Romae papa dixisset, id ratum firmumque haberetur (*ἤρεσεν ἵνα ὃ ἐὰν εἴπῃ Λέων* ...

---

[1] Can. 3 (Mon. Germ. Conc. I 74; Harduin II 1424 A; Mansi IX 12 C).

[2] ML LXVIII 12. Mon. Germ. Ep. Merowingici et Karolini aevi I, Berolini 1892, 438. Leo non erat subditus Childeberti sed Theodeberti.

[3] Hist. Franc. 10, 1 (ML LXXI 527).

[4] Ibid. 5, 21 (ib. 341).

[5] Cf. Rothensee, Der Primat des Papstes in allen christlichen Jahrhunderten. Herausgeg. von Räß und Weiß I—III, Mainz 1836—1838. Roskovány, Rom. Pontifex I—XX (1867—1890).

[6] Cf. F. X. de Maistre, Du Pape l. 1, chap. 10; M. Lewicki, episcopus Ruthenorum unitorum Leopoliensis, Literae pastorales 10 mart. 1841 datae (apud Roskovány IV 185—196); J. Cozza-Luzi, De Rom. Pontificis auctoritate doctrinali testimonia liturgica ecclesiae Graecae, Roma 1870; Nilles, Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis I—II, Oeniponte 1896; Giov. Marcovič, Gli Slavi ed i Papi I, Zagrabiae 1897, 212—214.

[7] Nilles l. c. I 51. [8] Ibid. 106. MG CXVII 321.

ϑελήσωσι). Rogatus itaque a Patribus Deumque precatus conscripsit epistulam, in qua veritatem exponens duas in Christo naturas praedicabat, quam orthodoxiae columnam appellarunt." In Officio oda 4 sic de eodem cantatur: „Lux matutina ab occidente ortus es, ter beate, cum sanctorum dogmatum tomum velut radium misisti Ecclesiae"; oda vero 6: „Petri successor eius primatum cum obtinuisset et fervidum zelum haberet. Dei impulsa tomum conscribit"; oda denique 8 dicunt: „A Deo impulsus religionis doctrinas quasi a Deo impressas in tabulis descripsisti, velut Moyses alter apparens coetui venerabilium magistrorum."[1] S. Martinum I Romanum Pontificem menaea Graecorum praedicant[2] „omnium illustrem orthodoxae doctrinae rectorem", „divinorum dogmatum sacrum coryphaeum (*ὀρϑοδόξων διδαχῶν καϑηγητὴν πανευκλεῆ*)"; et addunt: „Te episcoporum novimus basim, orthodoxae fidei columnam et religionis magistrum. Decorasti divinam Petri sedem, et in eius divina petra immobilem cum custodisses Ecclesiam, cum eo glorificatus es (*ἀρχιερέων σε ἔγνωμεν κρηπῖδα, ὀρϑοδοξίας τε στήλην καὶ εὐσεβείας διδάσκαλον* etc.)." Haec inveniuntur etiam in versionibus librorum liturgicorum „slavicis, illyricis, valachicis aliarumque linguarum"[3]. Adverte tamen, recentiores editiones librorum, haereticorum sive graecorum sive slavicorum, multos ex his textibus supprimere vel mutilare[4].

Sed plura argumenta non afferemus, sufficienter enim quae allata sunt demonstrant, R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam ab hac semper et ubique agnitum ac declaratum esse.

Unde patet, quid sentiendum sit de adversariorum sententia, qui vel, ut Janus aliique, R. Pontificis verae et amplissimae iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum in antiquae Ecclesiae historia nullatenus fundatum, sed tantum medio quod vocatur aevo ope falsorum decretorum inductum esse contendunt[5],

[1] Nilles I 107. [2] Ibid. 137 sq.

[3] Lewicki l. c. 192; textus slavicae versionis habes apud Marcovič l. c.

[4] Marcovič 214. Nilles I 193.

[5] Atque ex allato nostro primatus R. Pontificis demonstratione historica patet, qua temeritate Schulte (Die Stellung der Konzilien 155) haec scripserit: „Die bloße Patriarchalgewalt im Okzident liegt unwiderleglich in allen und jeden Stellen bis auf Gregor d. Gr., welche den Primat des Papstes zu begründen bezwecken. Denn sie alle erwähnen ... als dessen Grundlage die Stiftung Roms durch Petrus." Mira sane ratio! Quod enim primus totius Ecclesiae primas Petrus ut Romanae ecclesiae episcopus mortuus est Romae, ratio utique est, cur episcopus urbis Romae Petro etiam in primatu totius Ecclesiae succedat, atque si Petrus iam etiam munere patriarchae occidentis functus esset, simul etiam in hoc munere ei succederet. Sed quis ipsum Petrum umquam occidentis patriarcham dixit, cum munus patriarchae sit ecclesiasticae, et multo quidem serioris, institutionis? In istius autem suae falsissimae assertionis gratiam provocat adversarius ad testimonia, quae, si quid ostendunt, contrarium probant. Quod ut pateat, ex iis ipsis, quae Schulte clarissima dicit, unum Benedicti III ad episcopos Galliae a. 855 scribentis offeramus. Scribit enim hic Pontifex Romanus haec (Ep. 3: Harduin V 104 C; Mansi XV 113 B): „Cum Romanae sedis pontificem constet *omnium ecclesiarum Christi caput atque principem* fore, tamquam beati Petri principis apostolorum vices agentem, cui Christus *totius Ecclesiae committens principatum* fatur: tu es Petrus etc., et: tibi dabo etc.: cunctatio nulli fidelium relinquitur, quod *universis ecclesiis sollicitudinem praetendere* et *omnium* in Christo credentium saluti, paci atque quieti prospicere nos oporteat, ut et quae prava sunt, corrigantur, et quae rata, roborentur, quae corrupta sunt, restaurentur, quae autem integra, conserventur. Cumque hanc curam circa *universalis Ecclesiae* corpus per *totius orbis latitudinem diffusae* custodire debeamus, speciali tamen praerogativa post Romanam atque Italicam erga ecclesias gallicanas nobis convenit observare, quemadmodum praedecessores nostros fecisse manifestum est. Quod competentius nunc quoque fieri oportere ipse reipublicae status

vel, ut Friedrich[1], asserere non dubitant, doctrinam de primatu R. Pontificis tamquam fundamento suo inniti soli apocryphae epistulae Clementis Romani ad S. Iacobum et generatim operibus apocryphis Recognitionis aliisque Pseudo-Clementinis. Verum utique est, plures Patres et medii aevi scriptores opus Recognitionis aliaque apocrypha Clementis scripta ut genuina ipsius opera habuisse et laudasse[2], ac concilium Vasense a. 442 can. 6 attulisse[3] etiam locum ex epistula spuria Clementis ad S. Iacobum, ac si ea genuina esset, quamquam non dixit, eam ad S. Iacobum scriptam esse[4]. — At ista R. Pontificum primatui nullo modo repugnant. *Primum* enim nullus omnino locus ab illis Patribus ac scriptoribus, vel a concilio Vasensi ex Pseudo-Clementinis operibus affertur, quo ulla ratione agatur de R. Pontificis primatu; sed loci illi laudati de aliis omnino rebus agunt. — *Deinde* in decreto de recipiendis et non recipiendis libris, quod solet ascribi R. Pontifici Gelasio, dicitur[5]: „Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur S. Clementis, libris numero 10, apocryphum"; de quo Thiel in nota adiecta cum multis aliis scriptoribus iure dicit: „Est opus notissimum Recognitiones S. Petri vel *περίοδοι Πέτρου* nuncupatum." Item S. Hieronymus eosdem libros apocryphos dicit[6]. Et S. Epiphanius ait[7], libros, qui vocentur Circuitus (*περίοδοι*) Petri a Clemente conscripti, esse multum corruptos. Necnon saeculo IX episcopi Galliae Agobardus, Bernardus et Eaof in epistula de iudaicis superstitionibus libros

---

testificatur, quandoquidem utramque provinciam unius imperii sceptrum non dividit, et Romanae dignitas ecclesiae una cum terreno principatu utriusque provinciae regnum communi iure disponit, ut et rerum principes sua decreta Romanae ecclesiae sancitis praemuniant, et ecclesiastica iura principum statutis adiuventur, aestimantes terrenae reipublicae rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confoederetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur, qui discipulis suis loquitur dicens: ‚Qui vos recipit, me recipit.' Hinc e contrario de contemptoribus ait: ‚Qui vos spernit, me spernit.' Igitur cum, sicut dictum est, apostolicae sollicitudini *universalis Ecclesiae credita sit dispensatio,* et *pro cunctorum fidelium statu* perpetuas nostrae sollicitudini vigilias praetendere conveniat, maxima tamen diligentia curam earum debemus ecclesiarum gerere, quarum specialius providentiam ratio suscepti officii a nobis docet agendam, ut non solum ea, quae hactenus in suo statu permanent, intemerata serventur, verum ea, quae lapsa sunt, ad prioris formae dignitatem reducantur." Profecto qui hoc loco R. Pontifici non primatum S. Petri, sed tantum patriarchae occidentis potestatem ascribi contendit, aut mente aut oculis caecutit. — Patet quoque, falsissime scribere Langen (II 82 nota 2): „In alter Zeit erkannte man in den Patriarchen die höchste Spitze des Priestertums. Erst im 12. Jahrhundert entdeckte man noch eine höhere Stufe", scil. primatum iurisdictionis R. Pontificis.

[1] Zur ältesten Geschichte des Primates in der Kirche 53 sq: „Somit haben wir in den Einleitungen der Klementinen alle Elemente, welche zur Ausbildung des römischen Primates notwendig waren"; et alibi saepius ac maxime § 10, p. 71 sqq, ubi dicit, R. Pontificis primatum solis illis apocryphis libris inniti.

[2] Cf. Gallandi, Vet. Patr. biblioth. II 211 sqq; Opera Clementis Rom. (MG I 1157 sqq).

[3] Harduin I 1788 D; Mansi VI 454 B.

[4] Friedrich (l. c. 190) dicit, etiam R. Pontificem Zosimum ex epistula illa apocrypha Clementis hausisse hunc locum (Ep. 2, n. 3: Coustant 944 sqq): „Die cognitionis [non: recognitionis, ut Friedrich legit] resedimus in S. Clementis basilica, qui imbutus beati Petri apostoli disciplinis tali magistro veteres emendasset errores, tantosque profectus habuisset, ut fidem, quam didicerat et docuerat, etiam martyrio consecraret." At quo iure adversarius ista affirmet, equidem haud intelligo.

[5] C. 4 (Thiel 462).

[6] De vir. ill. c. 1 (ML XXIII 609).

[7] Haer. 30, c. 15 (MG XLI 429 sq).

Recognitionis dixerunt iudicari *apocryphos* [1]. — Nihilominus similia postea J. Langen de Pseudo-Clementinis libris proposuit. Ex eius sententia primum sedes Hierosolymitana S. Iacobi primatum in Ecclesia habebat, Hierosolymis autem a. 135 prorsus dirutis, Romani callidis machinationibus primatum sibi acquirere studuerunt, atque in hunc finem libellum ediderunt (!). Minime haec Romanorum ambitio placuit Antiochensibus et Caesareensibus, sibi enim quisque eorum primatum vindicare optabat. Quo desiderio ut potirentur, ecce tibi sumpserunt libellum a Romanis editum et eum Antiochiae ita mutaverunt, ut sedi Antiochenae primatus ascriberetur, Caesareae vero ita, ut is tribueretur Caesareensi episcopo. Libellus Antiochiae mutatus et adaptatus ille est, quem hodie vocamus Recognitiones Clementinas, libellum vero Caesareensium in hodiernis Homiliis Clementinis habes. Quae mera imaginationis figmenta esse patet. Sufficiat igitur notasse, haec hodie ab omnibus reici [3].

Porro dicit Friedrich [4], *in controversia cum haeretico Paulo Samosatensi* episcopos orientales non postulasse auxilium R. Pontificis, nec illum ad concilium Antiochenum invitasse, hancque synodum propria potestate Paulum Samosat. damnasse et ex Ecclesia exclusisse, et tantum postea literas synodicas ad R. Pontificem aliosque episcopos scripsisse, ita tamen, ut non peteret confirmationem, sed episcopo Romano praescriberet, cum quo episcopo Samosatensi, si nollet se ab ipsis separare, communionem inire deberet; orientales ergo episcopos nullam R. Pontificis iurisdictionem admisisse in se ipsos. — At falso ita concludi ex argumentis pro R. Pontificis primatu allatis manifestum est. Nec etiam concilium illud R. Pontifici *praecepisse* dici potest, cum quo episcopo Samosatensi communicare deberet, sed tantum dicit, se electionem novi episcopi „omnibus quae episcopum decent dotibus“ ornati ipsi significare (ἐδηλώσαμεν), ut ad eum scribat et ab eo communicatorias literas accipiat [5]. Cum enim huius concilii Patres orthodoxi essent et orthodoxum episcopum in locum haeretici Pauli Samosat. elegissent, iure R. Pontificem rogarunt, ut eum approbaret et communionem cum eo iniret, idque certissime sperare poterant. — Illud autem concilium cum non fuerit oecumenicum, minime necesse fuit R. Pontificem ad illud invitare, cum etiam hodie pleraque concilia provincialia celebrentur sine assistentia R. Pontificis vel eius legatorum. Et reapse numquam mos fuit, ut R. Pontifex ad singula et universa concilia provincialia legatos mitteret. — Et cum in isto concilio Antiocheno *manifesta* haeresis damnanda esset, episcopi illius regionis, in qua haeresis illa exorta fuerat, iure illam damnabant, etiam R. Pontificis sententia de ea et auxilio nondum petito; sed si lata ab ipsis damnatio ad eam haeresim exstinguendam non suffecisset, tunc utique etiam R. Pontifex, sive ab illis episcopis rogatus sive non, contra eam insurrexisset, id quod R. Pontifices alias saepissime pro suo officio fecerunt. — Nec denique obest, quod illi episcopi concilii sui approbationem disertam a R. Pontifice non postularunt, cum illo tempore, quo Ecclesia et praesertim R. Pontifices tot persecutionibus obnoxii erant, nondum illi singulis et universis primatus iuribus uti vel poterant vel debebant, sicuti posterioribus temporibus (cf. supra p. 625). Quare multae synodi particulares primis illis Ecclesiae temporibus celebratae sunt, quae, tametsi orthodoxae et cum R. Pontifice intime coniunctae, ipsius tamen disertam ac publicam confirmationem nec petebant

---

[1] C. 16 (ML CIV 92).

[2] Die Klemens-Romane. Ihre Entstehung und ihre Tendenzen, Gotha 1890.

[3] Cf. A. Brüll in Tüb. Theol. Quartalschr. LXXIII (1891) 576—601. A. Ehrhard, Die altchristl. Literatur und ihre Erforschung von 1884—1900, Freiburg 1900, 172. Dicit A. Harnack (Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius II, Leipzig 1904, 518): „Die Arbeit von Langen war durchweg verfehlt“; et p. 530: „Die Phantasien, die Idee eines Oberbischofs sei auf judenchristlichem Boden entstanden und von dort auf den römischen Bischof übertragen, kann man auf sich beruhen lassen.“

[4] L. c. 126 sq.

[5] Apud Eus., H. E. 7, 30, 17.

nec accipiebant, quia tunc nondum mos erat, ut ipse singula concilia *diserte* confirmaret. Sed utique si qua synodus haeretica evasit, uti a. 355 Ariminensis, R. Pontifices eius decreta condemnabant.

Obicit etiam Friedrich concilium Arelatense a. 316 contra donatistas celebratum, ac contendit[1], huius concilii celebrationem non concordare cum R. Pontificis in universam Ecclesiam primatu, cum imperator Constantinus illud convocaverit, et quidem post concilium Romanum Summo Pontifice praesidente eadem de re celebratum, ideoque hoc non sufficiens visum esse ad controversiam illam dirimendam vel donatistis vel ipsi imperatori. Deinde huius concilii praesides non fuisse R. Pontificis legatos, sed episcopum Arelatensem, et concilium decreta papae non misisse, ut ab ipso confirmarentur, sed tantum ut publicarentur. At haec difficultas nulla est. *Primum* enim ab imperatore convocatum est illud concilium, cum quia ipse episcopis ad id convocatis currus publicos[2] et sumptus subministrabat urbsque Arelate ipsi subiecta erat, tum maxime quia schismatici donatistae ad ipsum recurrerant, non vero ad R. Pontificem, tum ante tum post concilium Romanum de ipsorum causa celebratum. Ceterum ipse Constantinus in epistula ad R. Pontificem Miltiadem dixit[3]: „Sanctissimae legi convenire optime nostis (*ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν*)", ut ista causa Romae coram Summo Pontifice ageretur. Et post ipsum concilium Arelatense donatistae rursus ad Constantinum appellarunt, ut ipse iudicium de ipsorum causa ferret[4]. — *Deinde* illa controversia non fuit de causa fidei vel morum, sed de factis personalibus, et cum Romana synodus causam omnino recte contra donatistas decidisset, hi male contenti rursus ad Constantinum appellarunt. Qui licet hac appellatione irritatus fuisse videatur[5], cum tamen donatistae contradicerent, causam suam non plene exploratam esse in synodo Romana, Constantinus ut iis satisfaceret decrevit alterum concilium convocandum ad causam diligentius inquirendam ac terminandam. Ergo etiamsi ista a donatistis allata ratio vera fuisset, celebratio alterius eadem de re synodi R. Pontificis ut primatis auctoritati nullatenus offuit, cum R. Pontifex in eiusmodi quaestionibus personalibus decidendis infallibilis non sit, neque illud concilium contra ipsius voluntatem celebratum sit; alioquin legatos ad illud non misisset — *Tum* praeses illius concilii videtur utique fuisse Marinus episcopus Arelatensis, cum ipsius nomen in synodica illius concilii epistula primo loco positum sit[6], quamquam illud plane certum dici nequit. Ceterum cum istud concilium in urbe sedis Marini celebraretur, conveniens fuit, ut ei is praesideret. Gratum huic synodo fuisset, si R. Pontifex Silvester ipsi praefuisset, eo quod tunc lata in donatistas sententia procul dubio „severior fuisset"[7]. — *Denique* quod concilium hoc suorum decretorum confirmationem a R. Pontifice petiisse diserto modo non legitur, huius primatui neutiquam obest. Ut enim iam diximus, usus huius iuris primatus tunc temporis nondum erat tam explicitus respectu particularium synodorum uti posteriore tempore. Insuper cum R. Pontificis legati illi concilio affuerint eiusque decretis assensum praestiterint, eo ipso implicite iam satis approbata fuerunt, cum certe secundum Summi Pontificis mandata et instructiones illi egerint. Insuper hoc ipso, quod hoc concilium Summum Pontificem rogabat, ut decreta sua publicando Ecclesiae nota faceret, implicite eius approbationem petiit, cum R. Pontificem, ea nisi rata haberet, publicaturum non esse sane optime sciret.

---

[1] L. c. 128 sqq.

[2] Cf. eius ep. ad Chrestum episcopum, apud Eus., H. E. 10, 5, 23, ubi ait: „Tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo" etc.

[3] Apud Eus., H. E. 10, 5, 18.

[4] Cf. Hefele, Konziliengesch. I 217.

[5] Cf. Optat. Milev., De schism. donat. l. 1, c. 25 (ML XI 934 sq).

[6] Cf. Harduin I 261 D; Mansi II 469 A.

[7] Harduin I 262 D; Mansi II 469 C.

Friedrich porro, qui primatum S. Iacobo attribuit, etiam eius successoribus eum ascribendum esse ex eo probat[1], quod isti successores, teste Eusebio[2], possideant cathedram Iacobi primi „Hierosolymorum“ episcopi, ideoque etiam apostolicam cathedram[3], quodque[4] can. 7 concilii Nicaeni dicit[5]: „Quoniam mos antiquus obtinuit et vetus traditio est, ut Aeliae, i. e. Hierosolymorum episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen metropolitanae civitati propria dignitate.“ Concedit tamen Friedrich diserte[6], post Hierosolymorum destructionem a. 135 ecclesiae Hierosolymitanae primatum ita cessasse, ut ecclesiae Caesareae ut metropoli subiecta fuerit, fateturque[7], ipsum iam S. Cyprianum nihil de Iacobi primatu scivisse. Iam vero si Christus Deus S. Iacobo eiusque successoribus Ecclesiae suae primatum in perpetuum institutum commisisset, quomodo ipse omnipotens et omniscius permittere potuit, ut ille primatus tam brevi tempore penitus interiret? Et quid pro episcoporum Hierosolymitanorum primatu probat hoc, quod cathedram S. Iacobi, qui non primas totius Ecclesiae, sed tantum antistes Hierosolymorum erat, ii occupasse dicuntur, et quod apostolica ea nominatur, cum ea ecclesia reapse talis fuerit, sed utique non sola, cum praeter alias etiam Romana ecclesia imprimis originis immediate apostolicae sit? Et quis non videt, canonem illum 7 concilii Nicaeni honorem debitum Hierosolymitano episcopo decernendo et simul etiam statuendo, eum episcopum metropolitae suo subiectum esse debere, multum abesse ut illius episcopi primatum ullatenus probet?

3. ET PONTIFICES ROMANI PRIMATUM IURISDICTIONIS IN ECCLESIAM UNIVERSAM SIBI ADIUDICARUNT, ET ECCLESIA EUM SEMPER AGNOVIT NON PROPTER CAUSAM ALIQUAM HUMANAM, SED PROPTER IUS DIVINUM. Id constat

a) argumento negativo. Institutio enim primatus R. Pontificis in tota antiquitate christiana nullibi repeti legitur a causa vel mere humana vel ecclesiastica. Certe quam plurima antiquitatis illius testimonia ad R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam demonstrandum hactenus attulimus, sed eorum nullum ipsam huius primatus institutionem aut a civili urbis Romae dignitate et imperatorum gratia, aut a lege aliqua ecclesiastica repetit. Dixerunt quidem aliqui R. Pontifices, ut Zosimus (417—418) et Innocentius I (401—417), recte, ipsorum iura et auctoritatem *firmari* etiam antiqua Patrum traditione et ecclesiastica disciplina, scil. agnitione ipsius Ecclesiae (cf. supra p. 607 sqq), sed continuo Innocentius addidit, Patres id non statuisse sententia humana sive lege mere ecclesiastica, verum sententia divina, secundum ius igitur divinum sive Christi voluntatem. Insuper Innocentius ad Alexandrum, patriarcham Antiochenum, haec scribit[8]: „Revolventes auctoritatem Nicaenae synodi, quae una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quae censuit de Antiochena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus esse necessarium custodire, qua super dioecesim [quindecim provinciis constantem] suam praedictam ecclesiam, non super aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam *pro*

[1] L. c. 45. [2] H. E. 7, 19. [3] Ibid. 7, 32, 29. [4] L. c. 155.
[5] Harduin I 325 D; Mansi II 688 B. Cf. supra p. 707.
[6] L. c. 46. [7] Ibid. 99.
[8] Ep. 24, c. 1 (Coustant 851).

civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod *prima primi apostoli sedes* esse monstretur, ubi et nomen accepit religio christiana et quae conventum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quaeque *urbis Romae sedi non cederet,* nisi quod illa *in transitu* meruit, *ista susceptum apud se consummatumque gauderet.*" Ergo ex hoc, quod Petrus Romae mortuus est, Innocentius R. Pontificis primatum colligit, non vero ex magnificentia urbis Romae, uti etiam Antiochenae ecclesiae patriarchatum propter Petri in ea urbe commorationem, non propter Antiochiae magnitudinem docet esse institutum. Pariter Zosimus ex Christi promissione suum in totam Ecclesiam iurisdictionis primatum repetit, quatenus nimirum Petri sit heres. Tributum igitur sibi primatum proprie a solo Christo dixerunt illi Pontifices, sed eum legibus humanis agnitum et confirmatum fuisse affirmant.

Nec aliud voluit significare imperator Valentinianus III (425—455), cum, ut supra p. 718 retulimus, de R. Pontifice diceret: „Cui principatum sacerdotii super omnes *antiquitas contulit* (παρέσχε)." Id enim patet ex hac contexta oratione: „Debemus ... dignitatem propriae venerationis beato apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare, *quatenus* [sive *ut*] beatissimus Romanae civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii ... locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus iudicare." Si enim his verbis Valentinianus dicere voluisset, R. Pontificem principatum super omnes sacerdotes habere non ex eo, quod Petri in primatu successor esset, sed tantum ex lege ecclesiastica, qua antiquitas primatum episcopo Romano contulisset, quaenam coniunctio esset illius intemeratae erga Petrum conservandae venerationis cum hoc, *ut* R. Pontifex haberet locum et facultatem de fide et sacerdotibus iudicandi? Sensus profecto illius coniunctionis plane nullus esset. Idem insuper confirmatur hoc decreto, quod Valentinianus, ut civilis potestatis auxilio fulciret sententiam Leonis M. contra Hilarium Arelatensem prolatam, anno 445 edidit, quodque haec habet[1]: „Cum sedis apostolicae primatum *sancti Petri meritum,* qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid praeter auctoritatem sedis istius illicitum praesumptio attentare nitatur. Tunc enim demum ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas.... Hilarius ... ecclesiae Romanae urbis inconsulto pontifice, iudicia sive ordinationes episcoporum sola temeritate usurpans invasit.... His talibus et contra imperii maiestatem et contra reverentiam apostolicae sedis admissis, per ordinem religiosi viri urbis papae cognitione discussis, certa in eum ... lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in ecclesiis non liceret?... Hoc perenni sanctione censemus, ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis papae urbis aeternae auctoritate tentare; sed hoc illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit apostolicae sedis auctoritas." Ubi Valentinianus nisi dicit, R. Pontificem habere primatum ideo, quod Petri in primatu successor sit, iure igitur *divino,* inutiliter Petri meritum, i. e. primatum confessionis merito acquisitum causam assignat, propter quam R. Pontifex

[1] Inter ep. Leonis M. ep. 11 (ML LIV 638).

primatu potiatur. *Sola* enim dignitas urbis et synodi decretum tamquam primatus ratio nominanda erat, si in solo humano iure fundari primatum significare voluit imperator. Quodsi igitur concilium R. Pontificis primatum firmasse dicit, nihil aliud exprimit, quam eum a conciliis agnitum atque ita in hominum opinione *externa* ratione magis firmatum esse. Tantum autem abest, ut Valentinianus dignitatem urbis Romae tamquam primatus R. Pontificis causam assignet, ut Romanae civitatis praecipuam dignitatem a S. Petro huiusque in primatu successoribus repetat.

Multo apertius falsum est, imperatorem Iustinianum R. Pontifici primatum non alia de causa vindicasse, quam quod concilia eum ipsi decreverint. Scribit scil. ille in Novella 131, c. 2: „Ideoque [scil. quod quatuor primarum synodorum generalium ‚dogmata sicut S. Scripturas accipimus et regulas sicut leges observamus'] sancimus, secundum earum definitiones sanctissimum senioris Romae papam primum esse omnium sacerdotum." Quo loco Iustinianus R. Pontificem considerat aut ut patriarcham aut ut totius Ecclesiae primatem. Si prius, id quod laudati capitis secundi inscriptio nunc usitata: „De ordine sedendi patriarcharum" exprimit, admittatur, illud decretum nullatenus agit de R. Pontificis primatu, ideoque nullam hic difficultatem movet[1]; si alterum verum dicatur, Iustinianus illo edicto nihil aliud iussit quam etiam secundum legem civilem ratum habendum esse id, quod prima illa quatuor concilia oecumenica de R. Pontifice docuerint, scil. ipsum esse totius Ecclesiae primatem. Illa autem concilia nullibi docuerunt, a se ipsis primatum R. Pontificis *institutum* esse, sed illum primatum ut iamdudum *exsistentem* ac certum agnoverunt tum facto, admittendo v. g. R. Pontificis legatos ut praesides, tum, ut de Ephesino et Chalcedonensi p. 697 sq monstravimus, etiam disertis sententiis, quibus primatum R. Pontificis admittunt tamquam a Christo institutum et a Petro R. Pontifici successionis lege transmissum. Potuit igitur Iustinianus iubere, ut etiam vi legis civilis R. Pontifex tamquam Ecclesiae primas agnosceretur secundum illorum conciliorum hac de re doctrinam, quamquam admisit, R. Pontificem iure divino iurisdictionis primatu in universam Ecclesiam potiri, quemadmodum romano-catholicis etiamnum licet atque opus est dicere, se R. Pontificis primatum admittere ac credere secundum definitionem concilii tum Florentini 1438 celebrati, tum Vaticani, tametsi agnoscunt illum primatum non ab istis conciliis, sed a Christo ipso institutum et per Petrum R. Pontifici transmissum esse. Neutiquam enim necesse est, ea quae concilium definiat, prius nondum fuisse; quinimmo si definiat, aliquam doctrinam esse dogma, sive eam ut divinitus revelatam ab omnibus esse credendam, necesse omnino est, illam doctrinam origine, aliqua saltem ratione, apostolicam esse. Ceterum imperatorem Iustinianum diserte agnovisse, R. Pontificis primatum iuris non ecclesiastici, sed divini esse, iam supra p. 689 vidimus.

Opponuntur praeterea ab adversariis can. 5 (in Graeco 3) concilii Constantinopolitani I oecumenici a. 381 et can. 28 concilii Chalcedonensis[2]. Ille sic habet[3]: „Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus

---

[1] Quo iure autem et quo sensu dignitas R. Pontificis ut patriarchae a conciliis oecumenicis repetatur, non est cur hinc explicetur.

[2] Al. Vincenzi (De hebr. et christ. monarch. P. 2, c. 8 9, p. 231 sqq et c. 13, p. 293) utrumque istum canonem istis conciliis denegat et commentitium esse contendit. Nos tamen cum communi sententia utrumque genuinum admittimus.

[3] Harduin I 810E; Mansi III 573B.

honorem (τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, primatum honoris) post Romanum episcopum, propterea quod sit nova Roma (διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην)." Alter autem Chalcedonensis hic est[1]: „Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes et canonem, qui nuper lectus est, centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum [concilii illius Constantinopolitani] agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis (περὶ τῶν πρεσβείων) sanctissimae ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt (καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα). Et eadem consideratione moti centum quinquaginta . . . episcopi sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt (τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν), recte iudicantes, urbem quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis [scil. civilibus] fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam exsistentem (δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν): et ut Ponticae et Asianae et Thraciae dioeceseos metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioecesum, quae sunt inter barbaros, a praedicto throno sanctissimae Constantinopolitanae ecclesiae ordinentur: unoquoque scil. praedictarum dioecesum metropolitano cum provinciae episcopis provinciae episcopos ordinante, quemadmodum divinis canonibus est traditum; ordinari autem, sicut dictum est, praedictarum dioecesum metropolitanos a Constantinopolitano archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus, et ad ipsum relatis "

Hi porro canones iuri divino primatus R. Pontificis minime repugnant. Primum enim falsissimum est, quod nonnulli Graeci olim contenderunt[2], can. 5 concilii Constantinopoli celebrati huius urbis praesuli *eadem* omnino, quae R. Pontifex habeat, iura hoc solo discrimine tribui, ut ipse posteriore *tempore* quam R. Pontifex ea acceperit. Certe ipse Zonaras (saec. XII) hanc opinionem reiecit. de isto concilio haec scribens[3]: „Tunc novae Romae sedes *secundum* ordinem sortita est, *post* Romam veterem collocata, praelataque ceteris." Idque luce clarius est ex supra allatis quam plurimis posteriorum graecorum Patrum, conciliorum atque etiam imperatorum tum dictis, tum agendi ratione. Hic igitur canon Constantinopolitano antistiti tametsi primum post R. Pontificem locum attribuit, vi verborum tamen nihil nisi *honoris primatum* prae ceteris orientalibus episcopis ascribit, nullaque ratione indicat, utrum episcopo Constantinopolis etiam iurisdictio illi primatui conveniens sive patriarchae potestas tribuenda sit necne. Socrates autem refert[4], illud concilium provinciarum divisione facta etiam patriarchas constituisse, ita ut nullus episcopus ultra propriam dioecesim alienas ecclesias invaderet, et Nectario quidem Constantinopolitano attributas esse praeter urbem etiam Thraciae provincias. Atque idem ferme testatur Theodoretus[5]. Et certum est, episcopos Constantinopolis, nominatim S. Chrysostomum, postea haud raro iurisdictionem patriarcharum in illas Ecclesiae partes exercuisse.

---

[1] Harduin II 611 E; Mansi VII 370 B.

[2] Hefele, Konziliengesch. II[2] 17.

[3] Annal. l. 13, c. 19 (MG CXXXIV 1177): *Τότε καὶ ὁ θρόνος τῆς νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἔλαχε, μετὰ τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην ταχθείς, καὶ τῶν ἑτέρων δὲ προκριθείς.*

[4] H. E. 5, 8.

[5] Ep. 86, ad Flavian. (MG LXXXIII 1280).

Nec aliter episcopos concilii Chalcedonensis rem intellexisse, ex allato eius can. 28 manifestum est. Hoc enim canone, quem Chalcedonenses secundum illum quintum, ut ipsi dicunt, statuerunt, de solo munere patriarchali agitur, ut ipsis eius verbis patet, et fere omnes etiam concedunt. Quare etiam Leo I R. Pontifex, tametsi hunc canonem semper improbabat, nec minimo tamen verbo ullibi indicat se putasse, primatum suum iurisdictionis in universam Ecclesiam illo canone ulla ratione, directa vel indirecta, impeti. Insuper si Patres Chalcedonenses hoc canone de R. Pontificis primatu egissent, sibi ipsis aperte contradixissent, cum, ut mox videbimus, primatum istum iuris divini esse diserte docuerint. Quamobrem cum Patres Chalcedonenses de privilegiis loquuntur, quae R. Pontifici tributa sint, et de similibus, quae ipsi velint episcopo Constantinopolitano vindicare, agunt tantum de privilegiis *patriarchatus*. Institutio autem et divisio patriarchatuum est ex omnium sententia iuris mere ecclesiastici. Unde nostra hic per se *nihil refert, unde sedes Romana patriarchale munus habeat,* utrum hoc ei tributum fuerit a conciliis, an a S. Petro vel alio R. Pontifice, et utrum propter principatum civilem urbis Romae, an propter aliam causam. Item nostra hic nihil interesse potest, utrum episcopo Constantinopolitano tributa dicatur iurisdictio in provincias illo canone ei assignatas eadem, qua R. Pontifex ut patriarcha pollebat in occidentem, an vero arctior vel etiam amplior. Manifestum quoque hinc est, si rem mere humanam, principatum scil. civilem Romae tum veteris tum novae, canon 28 concilii Chalcedonensis, atque 5 concilii Constantinopolitani partim saltem, in causa esse dicant, cur patriarchatus non solum episcopo Constantinopolitano tribuendus, sed etiam R. Pontifici reapse tributus sit, nullatenus hoc obesse, quin R. Pontificis primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam sit iuris *divini;* utriusque enim plane diversa est origo.

Ceterum *falsum est, R. Pontifici patriarchatum propter urbis Romae principatum civilem a Patribus tributum esse.* Nam *primum,* si temporis tantum decursu Romano episcopo patriarchatus iura vere data fuissent, ea tribuere ei potuisset solum concilium generale, quemadmodum etiam sedes Constantinopolitana solum duorum generalium conciliorum ope patriarchatus privilegia acquisivit[1]. Iam vero primum concilium generale Nicaenum patriarchatum R. Pontificis non instituit, sed iam exsistentem reperit, quemadmodum id can. 6 satis indicat et veteris Ecclesiae historia tota demonstrat. — *Deinde* hanc opinionem, secundum quam ecclesiastica alicuius civitatis dignitas sequi debeat et reapse semper secuta sit eiusdem ordinem civilem (quam opinionem orientales suam fecerant iam in concilii Antiocheni anno 341 celebrati can. 9 et rursus in concilii Chalcedonensis can. 17 et 28), impugnavit Leo M.: „Alia tamen, inquit[2], ratio est rerum saecularium, alia divinarum", atque affirmat, non civilem urbis dignitatem, sed *immediate apostolicam originem* causam esse maioris dignitatis ecclesiasticae. Idemque docuere praeter alios occidentales nominatim Cyprianus, Augustinus, Pelagius I[3]. R. Pontifex Gelasius I[4] vero: „*Risimus* autem, inquit, quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis.... Alia potestas est regni saecularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum." — Verum quidem est, apostolos in ipsis maximis et celeberrimis urbibus primas ecclesias

---

[1] Hefele l. c. II[2] 529. [2] Ep. 104, c. 3 (ML LIV 995).
[3] Hefele II[2] 530. [4] Ep. 26, n. 10 (Thiel 405 sq).

fundasse, quia inde in omnes regni Romani partes religio christiana facilius potuit propagari; atque ita evenit, ut iam primo tempore principes Ecclesiae fierent. Et quia Roma tunc temporis totius ferme terrarum orbis cogniti atque exculti caput et centrum erat, procul dubio haud sine divinae providentiae ductu factum est, ut Petrus Ecclesiae universae primas in ea etiam sedem suam constitueret eamque ita pariter caput totius Ecclesiae efficeret. Quare S. Thomas Aquinas[1]: „Ut [Dominus], inquit, suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ecclesiae statuit in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum." Atque hoc utique sensu Valentinianus potuit dicere, Romanae civitatis dignitatem sedis apostolicae primatum firmasse, et insuper etiam hoc alio, quod postquam Roma christiana evasit, ipsius celebritas R. Pontificum primatum aliqua externa dignitate atque fulgore circumdedit. At aliud est, primatum ex iure divino ortum excellentia civili urbis Romae ornatum esse, aliud, hunc primatum civili Romae praerogativae suam debere originem.

Praeterea Patres urbis Romae primatum non ideo agnovisse, quod sedes esset imperii, etiam ex hoc apparet, quod „Mediolanum quoque et Ravenna et Sirmium et Treveri et Nicomedia sedes imperii multis temporibus fuerunt, nec tamen Patres illis episcopis primatum ullum dederunt. Maneat igitur, quod Patres omnes communi consensu docent, Romanam sedem idcirco primam sedium esse, quod principis apostolorum sedes sit. Quod certe nec imperatoris praesentia conferre, nec absentia potuit auferre."[2] Quod si non admittitur, cur translata imperii sede Roma Constantinopolim non etiam huius principis urbis episcopus ex illo tempore ut *totius Ecclesiae primas* umquam habitus est, vel modo haberi voluit?[3]

Itaque in veteris Ecclesiae historia nihil est, quod indicet, R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam habitum esse iuris tantum ecclesiastici aut politici. Atqui tamen si ille primatus non esset iuris divini, incredibile prorsus esset, cur antiquitas christiana tam saepe de eo locuta id numquam ulla ratione indicarit, cum tandem primatus sit res gravissimi momenti, et cum plurimi variarum regionum atque etiam orientalium episcopi et patriarchae a R. Pontifice ut Ecclesiae primate reprehensi atque puniti sint. Necesse igitur est concludere, R. Pontificis primatum primis iam temporibus ab universa Ecclesia semper creditum esse iuris divini.

---

[1] S. th. 3, q. 35, a. 7.

[2] Bellarm., De Rom. Pontif. l. 2, c. 17.

[3] Atque ex hactenus demonstratis evidens est, quam perperam Russorum episcopus Macarius, alto silentio tacens institutionem et perennitatem primatus S. Petri eiusque successorum, R. Pontificum, haec scribat (Introduction à la théol. orthodoxe 590): „L'église Romaine a *imaginé* un *nouveau* dogme: le dogme de la suprématie du pape et de son autorité souveraine, comme vicaire de Jésus-Christ, sur l'église entière et sur toutes ses hiérarchies. Ce dogme est évidemment en opposition avec plusieurs décrets des conciles œcuméniques", scil. ut tunc addit, cum canonibus illis concilii II et Chalcedonensis, et decreto 36 concilii VI. At decretum hoc etiamsi concilii sexti esset (revera est concilii non oecumenici Trullani), nihil obstaret, cum pariter intelligendum esset sensu iam explicato. Insuper cum illi canones concilii II et Chalcedonensis numquam, id quod supra iam monstravimus, a R. Pontificibus approbati, sed ab ipsis et a tota Ecclesia occidentali reprobati fuerint, nullius auctoritatis est, nec canon concilii vere oecumenici dici potest.

b) Argumento positivo idem constat. Saepissime enim id et R. Pontifices et Patres tum singuli tum in conciliis congregati diserte affirmarunt. Licet enim nomine *iuris divini* usi non sint, alia tamen usurparunt verba, quae idem plane valent: scil. R. Pontificis iura in universam Ecclesiam repetendo ex primatu Petro dato, huiusque heredem eum dicendo aliisque similibus modis loquendo. Quod cum ex ipsorum testimoniis supra iam allatis manifestum sit, hoc argumentum brevi absolvemus, repetendo ferme paucis verbis, quae hac de re sensisse ostendimus

α) Romanos Pontifices. Vidimus enim (p. 607 sqq), Innocentium I ius suum iudicandi etiam patriarchas orientales a beato Petro repetiise, ius vero iudicium ab aliis de episcopis iam latum confirmandi aut reiciendi ex eo, quod hoc debeatur sedi apostolicae, et ex sententia quidem divina; item eum dixisse, thronum magni apostoli Petri sibi creditum esse. Siricius pariter se dicit heredem regiminis Petri (supra p. 605). Zosimus (supra p. 610) sui primatus ius a Petri primatu divinitus instituto et transmisso successoribus in sede Romana repetiit. Bonifatius I R. Pontificem caput Ecclesiae vocat, et „omnia Domini sermone“ ei concessa esse, et vice sua beatum Petrum ecclesiae Thessalonicensi cuncta commisisse dicit (supra p. 611 745). Leo M. (supra p. 612 sq) ex „divina institutione“ auctoritatem suam repetiit, R. Pontificum cathedram dixit cathedram Petri, „per auctoritatem beati Petri apostoli“ rescidit can. 28 concilii Chalcedonensis, iam a. 381 statutum in concilio Constantinopolitano I. Affirmavit praeterea, per beati Petri sedem Romam caput orbis terrarum effectam esse, in eiusque sede semper vivere ipsius potestatem et excellere auctoritatem; necnon dixit, se Petri nomine Ecclesiae praesidere. Scripsit enim ad Martianum et Faustum presbyteros[1]: „Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes haereses destruit.“ Felix II dicit[2] suam sedem Petri sedem, seque nominat[3] S. Petri vicarium. Gelasius I contendit, divinitatem voluisse, ut praesul Romanus cunctis episcopis praeemineat; Petri primatum ab ecclesia Romana semper retineri, ipsamque voce Domini primatum obtinuisse (supra p. 617). Anastasius II pariter suam sedem Petri sedem dicit, et hinc principatum sibi a Deo assignatum affirmat (supra p. 619). Ioannes II (supra p. 620) ad illud: „Pasce oves meas“ pro Romanae ecclesiae primatu appellat. Vigilius ad Eutherium scripsit[4]: „Quam ob rem sancta Romana ecclesia eius [Petri] merito Domini voce consecrata et sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium ecclesiarum.“ Gregorius M. se Petri auctoritate agere dicit, id quod confirmat verbis, quibus Christus

[1] Ep. 61, c. 2 (ML LIV 874). [2] Ep. 6, ad Acac. n. 1 (Thiel 245).
[3] Ep. 15, ad Zenon. imp. n. 3 (Thiel 272).
[4] Ep. 2, n. 7 (Harduin II 1432D; Mansi IX 33A).

Petro primatum commisit (supra p. 621 sq). Leo II concilium oecumenicum VI ait se beati Petri auctoritate confirmare[1]. Denique, ut alia multa testimonia omittam, hoc ius divinum primatus R. Pontificum fuse defendit Nicolaus I literis datis ad imperatorem Michaelem, ex quibus haec tantum attulisse sufficiat[2]: „Cum ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum validumque consistit . . . Ista igitur privilegia huic sanctae ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerationi habita." Denique R. Pontificis legatus Philippus in concilio Ephesino R. Pontificem vocavit Petri successorem et potestate Petrum (supra p. 186). Et in concilio Chalcedonensi Leonis M. legati dixerunt, *eum una cum beato Petro apostolo* Dioscorum episcopatu privasse (supra p. 699).

Quae sane omnia aperte ostendunt, R. Pontifices plane ratum fixumque habuisse, primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam *iure divino* sibi commissum esse. Quod non minus clare affirmant

β) *Patres* tum singillatim tum in conciliis congregati. Sane iam Ignatius, dum affirmat, Petrum ac Paulum Romanae ecclesiae praecepisse, hancque appellat praesidem universae Ecclesiae rogatque, ut cum caritate Antiochenae ecclesiae interim prospicere velit (supra p. 626), satis indicat, se Romanae ecclesiae primatum repetere non a dignitate paganae urbis Romae, sed a S. Petro. Irenaeus vero tametsi non diserte et ipso nomine, vere tamen et implicite indicat, primatum ecclesiae Romanae iure divino competere. Nam si eius principalitatem intellexisset *mere humanam,* procul dubio ex ea non conclusisset tam absolutam necessitatem, qua *omnis* semper ecclesia cum Romana consentire deberet. Insuper diserte saepius dicit ecclesiam Romanam a Petro et Paulo fundatam, provocat ad perpetuam et non interruptam R. Pontificum successionem inde ab apostolis, eamque ut verae Ecclesiae notam designat, necnon illam successionem describit (supra p. 630 sqq). Qui iam dicatur, id quod in mentem aliquibus venit[3], Irenaeum Romanae ecclesiae primatum non a Petro, sed ab urbe Roma repetere, eumque non esse secundum Irenaeum iuris divini, sed humani? Sane tota Irenaei argumentatio, quam ipse plenissimam appellat, omni vi privaretur, si R. Pontificis primatus ex Irenaei sententia ex ipso quo moratur loco oriretur. Post Irenaeum

---

[1] Harduin III 1474 C; Mansi XI 730 E.

[2] Harduin V 162 A; Mansi XV 204 D; ML CXIX 948 (ep. 86 anni 865).

[3] Frohschammer, Der Primat Petri und des Papstes 24. J. Friedrich, Zur ältesten Gesch. des Primates in der Kirche 79.

autem Cyprianus R. Pontificis cathedram vocat *cathedram Petri* (supra p. 658). R. Pontificis cathedram Petri sedem et cathedram dixerunt pariter Optatus Milev., Hilarius, Hieronymus (supra p. 678 sqq); hic insuper Damasum Petri piscatoris successorem vocavit. Augustinus vero cum plurimis aliis R. Pontificum cathedram simpliciter et sensu eminenti vocat *apostolicam,* ideo scil., quod principis apostolorum cathedra sit (supra p. 684). Chrysologus oboediendum esse ait R. Pontifici, quia beatus Petrus in eius sede vivat et praesideat (supra p. 686). Prosper Romanam cathedram sedem Petri nominat, et gladium Petri anathema R. Pontificis. Bernardus affirmat, R. Pontifici traditas esse claves coeli, creditum Christi gregem, eumque esse potestate Petrum (supra p. 696).

Ex *conciliis* porro *synodus Romana* a. 484, cum appellat R. Pontificem caput omnium, provocat ad verba Christi Mt 16, 18 (supra p. 709). *Concilium Chalcedonense* R. Pontificem vocis Petri omnibus constitutum interpretem vocat (supra p. 699); quod verum non esset, nisi R. Pontifex in Petri munere successisset iure divino, cum interpres constitutus dicatur non lege aliqua ecclesiastica vel alia mere humana, ergo utique divina. Sed id magis etiam patet ex his aliis verbis, quae idem concilium paulo post allatum locum in epistula ad Leonem M. data de Dioscoro scribit[1]: „Et post haec omnia, insuper et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, i. e. contra tuam quoque dicimus sanctitatem." His enim verbis concilium manifeste docet, Ecclesiam a Christo ipso, ergo iure divino, R. Pontifici, utique per Petrum, commissam esse. *Concilium oecumenicum VI* (a. 680) R. Pontificem appellavit apostolicae summitatis pontificem et sedis Petri successorem, per quem Petrus sit locutus (supra p. 700). *Concilium oecumenicum VIII* (a. 869) asseruit, Christum verba: *tu es Petrus* etc. per Petrum ad omnes post illum R. Pontifices dixisse (supra p. 701). Et *concilii Lugdunensis II* (a. 1274) sententia ecclesia Romana primatum in universam Ecclesiam ab ipso Domino in beato Petro, utpote cuius successor sit Pontifex Romanus, accepit. *Concilium Florentinum* definivit, R. Pontificem esse successorem Petri et Christi vicarium, et ipsi in beato Petro traditam esse ab ipso Christo potestatem pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam. Denique *concilium Vaticanum* docet[2]: „Quicumque in hac [Romana] cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet"; additque: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum

---

[1] Inter ep. Leonis I ep. 98, c. 2 (ML LIV 954): *Ἔτι καὶ τὰ κατ' αὐτοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε· λέγομεν δὴ, τῆς σῆς ὁσιότητος.*

[2] Constit. dogm. c. 2 (Denzinger-Bannwart n. 1824).

Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, anathema sit."

Iam triplex illud factum, quod demonstrandum nobis proposuimus (supra p. 600), invicte constat: primatum enim et R. Pontifices sibi vindicabant et Ecclesia agnoscebat et iuris divini ille primatus credebatur a tota Ecclesia. Sed

II. TRIPLEX HOC FACTUM LOCUM HABERE NON POTUIT, NISI R. PONTIFEX IURE OBIECTIVE SPECTATO REVERA PETRI IN PRIMATU SUCCESSOR ESSET. Quod patet

1. argumento praescriptionis, quod petimus ex fide Ecclesiae antiquissima et constanti, qua R. Pontificis primatus iuris divini esse credebatur[1]. Nam ex allatis antiquitatis documentis certissimum est, atque etiam a plerisque adversariis concessum, universam Ecclesiam, tum orientalem tum occidentalem, saltem saeculo V ineunte credidisse, R. Pontificem ut S. Petri successorem iure divino primatum iurisdictionis in totam Ecclesiam habere. Secundum adversarios vero universa Ecclesia saeculo I credebat, omnes episcopos esse iure divino prorsus aequales, et nullum eorum ceteris iure divino praeesse et universalem Ecclesiam regere. Ex adversariorum igitur sententia necesse est colligere, fidem illam universalem, qua credebantur singuli et universi episcopi iure divino pares esse, mutatam fuisse in fidem, qua postea creditum sit contrarium, unum nimirum esse iure divino *totius* Ecclesiae summum rectorem, et hunc esse Romanum episcopum. Iam vero eiusmodi immutatio fieri non potuit. Ei enim repugnat

a) *iam ipsa illius aetatis ratio.* Sumitur enim illa mutatio facta illis ipsis temporibus, quibus dirissimae christianorum persecutiones tot martyres et confessores genuerunt. Atqui absurde affirmaretur, tot gloriosos Christi athletas, episcopos praesertim, quibus puritas christianae fidei summae debuit esse curae, aut ipsos coniurasse, aut ullo modo ullave causa adduci potuisse ad illam mutationem vel faciendam vel probandam vel tolerandam, utpote quae mutatio veram eamque exitialem haeresim induxisset et structuram totius Ecclesiae a Deo ipso constitutam funditus evertisset. Quid enim magis insanum cogitari potest, quam eos, qui ut fidem christianam non abnegarent, tormenta atrocissima ipsamque mortem subierunt, huius ipsius fidei per universalem Ecclesiam depravationi favisse? Quod idem de ipsis R. Pontificibus affirmandum quoque est, utpote quorum non pauci illa aetate martyrio coronati sunt. Absit enim, ut tot martyres et confessores non solum fidem Ecclesiae scientes vitiarent et corrumperent, sed etiam exempla darent ambitionis et dominationis iniquae.

b) *Sed illi mutationi evidentius* etiam repugnat haec ratio: ista mutatio, sive subito sive sensim facta dicitur, nequaquam fieri potuit,

---

[1] Cf. p. 596. — Mutuati sumus hoc argumentum paene totum, paucis mutatis, ex opere saepissime iam a nobis laudato: Murray III 601 sqq.

quin et ipsa ubique per Ecclesiam et ab omnibus, episcopis praecipue, clare cognosceretur, et ipsius aliqua saltem exstiterint et adhuc exstent vestigia sive documenta historica. Iam vero in universa antiquitate nullum, ne minimum quidem exstat istius mutationis vestigium, nullum omnino testimonium. Ergo haec mutatio locum non habuit.

Probatur maioris pars prima: illa mutatio fieri non potuit *modo omnibus, etiam episcopis, plane occulto.* Nam

α) *mutatio haec* locum habuisset non in re vel soli contemplationi subiecta vel obscura omnino et difficili intellectu, sed in re omnibus plana, sensibus obnoxia et omnino ad vitae ecclesiasticae usum spectante, sive, ut vulgo dicitur, practica, cum tandem ipsum primatis officium totum fere sit in hoc situm, ut ipse *agat* et a subditis *obœdientiam exigat.* Mutatio igitur ista natura sua omnibus facilis cognitu atque aperta fuisset.

β) *Sed haec mutatio* non tantum facilis cognitu, verum etiam *tanti momenti fuisset,* ut omnium oculos in se convertere deberet, utpote qua totius Ecclesiae forma magnopere affecta, immo immutata fuisset. Idque etiam ipsi adversarii ultro passim in libris suis exprimunt; affirmant enim, doctrinam de R. Pontificis primatu esse praecipuum errorem, quo Ecclesia umquam foedata et vitiata sit.

γ) *Mutatio haec universalis* fuisset *totamque Ecclesiam affecisset.* Sescenti enim illi episcopi concilii Chalcedonensis, qui exceptis legatis apostolicis omnes orientales erant, fidem totius orientis hac de re, utpote de ea saepe locuti, procul dubio exhibebant. Iam vero, ut supra p. 698 ostendimus, non solum in hoc concilio saepius et aperte, nemine reclamante, affirmatur primatus R. Pontificis tamquam successoris beati Petri, sed ipsum etiam concilium in epistula ad S. Leonem data eandem fidem diserte exprimit atque declarat. De fide autem totius occidentis nullum dubium moveri potest, cum et hoc concilium ab occidentalibus receptum sit, et ipsi, ut monstravimus, saepissime in libris suis et conciliis eandem doctrinam, nemine contradicente, professi sint. Ergo si mutata fuisset fides hac in re, mutata fuisset fides omnium episcoporum omniumque fidelium, totius igitur Ecclesiae tum in oriente tum in occidente. Talis autem immutatio profecto prorsus aperta omnibusque cognita fuerit necesse est.

δ) *Hanc mutationem cognoscere,* si locum habuisset, prorsus omnium, ac praesertim episcoporum quam maxime intererat, utpote quorum omnium res agebatur. Nihil enim minus haec mutatio fuisset, quam iurium episcoporum omnium eversio et conculcatio ita aperta et manifesta, ut eam videre debuissent omnes et horrere: probi sane ac sancti episcopi, cum istiusmodi mutatio et puritatem fidei et Ecclesiae formam directo evertisset; ambitiosi vero et R. Pontifici infensi, cum ea mutatio ipsorum dignitatem et auctoritatem imminuisset et depressisset; scriptores denique illius aetatis, utpote qui non solum eodem tempore,

quo mutatio ista locum habuisset, florerent, sed etiam haud raro valde sagaces et eruditi essent, quorumque igitur multum interesset, eiusmodi factum bene cognoscere.

ε) *Tempore, quo haec mutatio facta esset,* integrum stabat imperium Romanum; florebant literae tum latinae tum graecae. Saecula igitur illa erant ita exculta et lucida, ut nequaquam induci posset tanti momenti mutatio quasi clanculum et per fraudes, caligine ignorantiae universalis favente, quamquam nullo umquam tempore talis mutatio insciis hominibus fieri potest.

Probatur maioris pars secunda, qua dicimus, illam mutationem, si locum habuisset, fieri non potuisse, quin eius aliqua documenta exstiterint et adhuc supersint. Nam

α) *ex ipsa huius rei natura plane incredibile est,* talis ac tanti facti, adeo publici et sensibus obnoxii, adeo universalis et gravis tum in se tum in effectibus immediatis, a nullo Patre, a nullo historico antiquo, nec graeco nec latino, mentionem factam fuisse, si revera locum habuisset. Certe sedes Romana ac nomina gestaque R. Pontificum quam frequentissime memorantur; de facto igitur, quod ad istam sedem et insuper ad universam Ecclesiam spectasset et omnium, quae istis primis religionis christianae saeculis contigissent, longe gravissimum fuisset, altissimum observatum esse silentium, quis credat? Scriptores sane religiosi ac varietatis amantes non potuerunt non id omnibus palam facere, cum tandem res maxime momenti pro omnibus religionis christianae hominibus fuisset cognoscere, causam primatus R. Pontificis non esse ius divinum, sed mere humanum. Et eo magis quidem hoc cognoscere ipsorum quam plurimum interfuisset, quod primatus si fuisset iuris tantum humani, pro temporum ratione potuit mutari, aut etiam penitus tolli. Scriptores autem haeretici, schismatici, vel saltem R. Pontifici non bene faventes profecto multo etiam minus de tanta hac mutatione tacuissent.

Iam vero veterum omnino nullus, sive verae Ecclesiae socius, sive haereticus, vel schismaticus vel certe a R. Pontifice reprehensus aut loco suo motus legitur umquam talem mutationem indicasse aut causam primatus R. Pontificis assignasse mere humanam. Negarunt quidem aliqui haeretici, ut Tertullianus, R. Pontificem fuisse Ecclesiae totius primatem, verum nullibi leguntur aut retulisse, solos posteriores Pontifices se declarasse et ab Ecclesia habitos esse Petri in primatu successores, aut rationem, propter quam R. Pontifex se primatem declaraverit, reddidisse mere humanam. Contra, ut vidimus, innumeri Ecclesiae socii, iique et doctrina et virtutibus plerumque insignes, unanimi consensu testati sunt, R. Pontifices esse Petri in primatu successores, ideoque ab initio fuisse iure divino totius Ecclesiae primates. Quo igitur iure nostrae aetatis homo possit fingere et supponere, evenisse istiusmodi mutationem, aut

saltem causas istius primatus esse mere humanas, immo, ut nonnulli summa temeritate affirmant, etiam plane perversas ac malas?

β) *Ut adversarii* volunt, ex doctrina apostolica ideoque iure divino omnes episcopi fuerunt pares. Iam vero legibus moralibus, quibus hominum mentes animique reguntur, absolute repugnat, quominus omnes omnino Ecclesiae socii, episcopi et presbyteri, monachi et laici, docti atque indocti, occidentales et orientales hoc de primatu R. Pontificis dogma secundum adversarios plane novum sine ulla reclamatione diuturnaque repugnantia admiserint, et isti dominationi illegitimae quiete et sedate sese subiecerint. Nam *α*′) *erant in Ecclesia* per ista saecula multi episcopi vitae sanctimonia plane insignes, quibusque puritas fidei christianae et institutorum Christi integritas prae omnibus rebus humanis cordi erat. Num iam fieri potuit, ut isti omnes silentio et sine ulla reclamatione fidem illam depravatam atque instituta illa primaria prorsus eversa cernerent? Simul autem erant procul dubio eodem illo tempore alii haud pauci plus minusve ambitiosi, vel certe iurium suorum dignitatisque diligenter studiosi. Num etiam hi omnes R. Pontifici iura sua invadenti tacite et serviliter victas manus dedissent? Nullusne igitur erat inter bonos, qui pro Christo et Ecclesia vocem attolleret, nullusque inter malos vel minus bonos, qui pro se suisque iuribus decertasset? — *β*′) *Silentium istud* etiam magis mirum et incredibile prorsus videtur, si memoria teneatur, quantos aestus quantasque contentiones, prae ceteris fere omnibus contentionibus acerbas, semper et ubique excitaverint immutationes non solum in rebus fidei christianae, sed etiam in ritibus et ceteris rebus ad religionem publicam pertinentibus. Omnibus sane notum est, quot quantosque tumultus excitaverint non solum haereses ariana, semiariana, pelagiana, nestoriana, ceterae, sed etiam controversiae de haereticorum baptismo et vel de tempore celebrandi paschatis et alia plura eiusmodi. Quam multa enim de his aliisque similibus rebus machinati sunt; quot libri in lucem editi; quot concilia generalia et particularia celebrata; quot seditiones in vulgo commotae; quot anathemata intenta! Num iam fieri potuit, ut tempore, quo secundum adversarios Romanus episcopus *primum* sibi primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam usurparet, ne unus quidem se ei opponeret et alta voce reclamaret, et pariter ne unus quidem ex scriptoribus illius vel proximae aetatis de hac tanta innovatione quidquam referret, cum tamen horum fuisset narrare, et quis R. Pontificum, et quando, cur, qua ratione primatum usurpasset? — *γ*′) *Accedit,* quod orientales et occidentales ecclesiae longe erant inter se diversae linguis, moribus, locis aliisque fere omnibus, una eademque fide unoque praecipuo cultu divino exceptis. Quare prorsus repugnat, quominus omnes orientales iugo unius occidentalis episcopi, quantumvis in occidente et loco et meritis praestantis, silentes et sine ulla reclamatione cervices subiecissent, si hunc iure divino praepositum sibi esse non credidissent.

Propositio minor porro, qua affirmavimus, in tota antiquitate christiana nullum dictae mutationis exstare vestigium, nullam scil. reclamationem, nullius repugnantiae documentum, tam certa est, ut vix indigeat probatione. Nam si reclamationes factae fuissent, in re praesertim tam gravi, apud veteres scriptores eae ita certe memorarentur, ut aliqua saltem earum vestigia apud eos, quorum libros adhuc habemus, mansissent. Supersunt enim libri sat multi scriptorum quidem illius ipsius ac proximae aetatis, qua singularis illa mutatio ab adversariis facta esse contenditur, atque insuper nonnullorum, qui non solum eruditi, sed etiam, ut Tertullianus, Cyprianus et alii, R. Pontifici plus minusve infensi erant. At nulla harum reclamationum mentio, immo ne minima quidem earum significatio apud ullum scriptorem reperitur; nec ullum aliud earum nec etiam tentaminis R. Pontificum primatum sibi usurpandi in universa antiquitate exstat vestigium, nullum omnino monumentum. Negarunt quidem, ut iam diximus, aliqui veterum haereticorum R. Pontificis primatum, sed nullatenus testantur vel *factum* dictae mutationis in fide universae Ecclesiae, vel ullas contra istam mutationem reclamationes. Quare istius mutationis impossibilitas certa est. Sed magis etiam manifesta ea fit ex eo, quod

2. nulla earum causarum mere humanarum, quibus adversarii ortum Romani primatus explicare student, ad eum explicandum sufficit. Eiusmodi enim causa esse non potuit

a) *lex aliqua ecclesiastica* vel *decretum concilii.* Ut enim paulo ante probavimus, nullum eiusmodi decretum proferri potest, nec eius ulla mentio apud veteres Ecclesiae scriptores invenitur, sed contra semper sola lex divina sive Christi primatum Petro eiusque successoribus committentis voluntas tamquam R. Pontificis primatus causa ab iis refertur. Sed nec causa primatus R. Pontificis esse potuit

b) *gratia imperatorum.* Imperatores certe gentiles, Christi Ecclesiam per tria saecula dire persecuti, R. Pontificem Ecclesiae primatem non crearunt; hunc tamen iam ante Constantinum M. primatus iurisdictionem ita exercuisse, ut ipsius primatus ab Ecclesia agnosceretur, supra probavimus. Constantinus vero Magnus ipse eiusque successores, si R. Pontifex prius Ecclesiae primas non exstitisset et ab ipsa Ecclesia agnitus fuisset, cum eum Ecclesiae primatem creare voluissent, profecto, ut nihil dicam de publicis multisque Ecclesiae ipsius reclamationibus contra eiusmodi rem novam tunc certo exortis, potius huius primatis sedem Constantinopoli, in quam urbem regni sedem transtulerant, collocassent. — Item causa primatus Romani Pontificis esse non potuit

c) *dignitas civilis urbis Romae.* Ut enim diximus (supra p. 800), nec Pontifices Romani nec alii occidentales dignitatem civilem alicuius urbis existimarunt esse rationem, cur praecipuae dignitatis ecclesiasticae sedes in ea collocaretur, et multo minus eam eiusmodi dignitatis

causam umquam considerarunt. Et vero quid civilis dignitas urbis per se commune habet cum dignitate sedis vel episcopi vel etiam primatis totius Ecclesiae? Et quomodo potest eminentia ecclesiastica ex dignitate civili tamquam ex causa oriri, cum illa ab hac plane diversa multaque altior sit? Potuit quidem, ut iam diximus, dignitas urbis Romae, utpote capitis totius imperii Romani, esse ratio, cur Petrus in ea potius quam in alia urbe sedem collocarit; sed cur episcopi Romani eandem quam ipse supremam in totam Ecclesiam iurisdictionem habuerint, haecque eorum suprema potestas ab Ecclesia agnita fuerit, profecto non urbs Roma gentilis, religionem christianam per tria saecula atrociter persecuta, ratio esse potuit, sed solum ius successionis in Petri primatum. Num vero quisquam serio fingat, potentiam politicam urbis Romae, religioni christianae adeo inimicam, tum apud episcopos Romanos, tum apud christianos et episcopos in provinciis etiam orientalibus et longissime dissitis tantum valuisse, ut propter eam maxime aut episcopus Romanus voluerit esse totius Ecclesiae primas, aut christiani atque episcopi omnes, quamquam urbem Romam ut magnam illam meretricem Babylonem (Apc 17, 1 sqq) habebant, et nullo iure episcopum Romanum se omnium primatem iactantem sciebant, continuo tamen sine ulla reclamatione unanimi consensu eum ut talem agnoverint? Num eum, quem propter civilem urbis praerogativam ut primatem agnoverant, omnes tamen professi essent Ecclesiae primatem esse propterea, quod divo Petro in primatu successerit, iure igitur divino? Sane ad haec credenda vere opus esset fide quam maxime stulta, idque eo magis, quod imperii sede ab urbe Roma Constantinopolim translata tantum afuit, ut R. Pontificis suprema auctoritas elangueret aut interiret, ut multo clarius et fortius quam antea in ipsa urbe Constantinopoli sese manifestaret, teste historia tum Chrysostomi et Flaviani, tum Nestorii et schismatis acaciani. Et nonne protestantes ipsi usque contendunt, R. Pontificum potentiam eo magis crevisse, quo infirmior imperii Romani potestas evaserit, adeo ut medio praecipue aevo R. Pontificum ambitio invaluerit? Qua sane criminatione istam suam de ortu primatus Romani sententiam optime refutant[1]. — Porro causa primatus R. Pontificis nullatenus fuit

[1] Nihilominus etiam Frohschammer ex ista sola urbis Romae dignitate et potentia civili primatus R. Pontificis originem repetit (Das Recht der eigenen Überzeugung 84 sqq; Der Primat Petri und des Papstes 22 sqq). Neque accuratum est, quod B. Niehues (Gesch. des Verhältnisses zwischen Kaisertum und Papsttum im Mittelalter I, Münster 1863, 91; ed. 2 [1877] 104) scripsit: „Der Primat der römischen Kirche seit dem 3. und 4. christlichen Jahrhundert war nicht der Primat des Apostels Petrus; nur ein Teil gehörte der apostolischen Hinterlassenschaft, der andere der seitherigen geschichtlichen Entwicklung. Es ist unrecht, die ganze Stellung der römischen Bischöfe in der Kirche auf Petrus zurückführen zu wollen." Est enim distinguendum inter potestatem ac iura primatus et horum iurium ac potestatis usum. Potestas et iura primatus Petri et R. Pontificum semper eadem fuerunt, nec, essentialia saltem, umquam creverunt; usus vero

d) *ambitio et dominandi cupiditas Romanorum Pontificum.* Nam *α) ea probari nequit,* sed ab adversariis, et iis solis quidem, qui pro hominum vulgo scribunt, tantum affirmatur. Quod enim episcopi Romani se ut Ecclesiae primates gerebant, nullatenus ambitionis et dominandi cupiditatis argumentum afferri potest, nisi ipsi id, quod probare debent, scil. nec ullum iurisdictionis primatum usque ad finem mundi mansurum a Christo institutum esse, nec R. Pontifices esse Petri primi primatis in primatu successores, temere ut iam probatum ponant. Mera autem affirmatio eadem facilitate negatur qua ponitur. — *β) Illa* R. Pontificum ambitio et dominandi cupiditas quam maxime improbabilis est. Ea enim si locum habuisset, ad primatum sibi arrogandum inducti fuisse R. Pontifices dicendi essent tribus primis saeculis, illo igitur tempore, quo R. Pontificis primatus non solum nulla circumdatus erat humano splendore humanaque felicitate, sed quo etiam imperatores Romani episcopos ecclesiae Romanae quam gravissime persequebantur, ita ut, teste historia, eorum complures morte vel exsilio vel aliis quam maximis calamitatibus afficerent. — *γ) Praeterea cur episcopi Romani,* si honoris et imperii adeo cupidi fuerunt, non etiam titulo usurpato primatui respondenti sese ornarunt? Cur primis saeculis permiserunt, ut vocarentur eodem, quo alii etiam praesules appellabantur, nomine? Et cur postea, cum Constantinopolitanus episcopus, honoris ac superbiae causa, sese oecumenicum episcopum diceret, Romani Pontifices sese servos servorum nominarunt? Num vero etiam ita ex nimia ambitione egerunt? — *δ) Si episcopi Romani* ambitione et imperandi cupidine moti primatum *iurisdictionis* in universam Ecclesiam ipsis prorsus indebitum arrogare studuissent, episcopi saltem, certe quam plurimi ac maxime orientales, qui non ad patriarchatum occidentalem pertinebant, reclamassent, et quam acerrime eiusmodi usurpationi restitissent. Reclamarunt sane non solum ipsi, verum etiam ii qui presbyteri tantum erant, ut supra p. 751 vidimus, omnino frequenter, quando alii episcopi aut vere iniuste adversus ipsos agebant, aut saltem iniuste agere et iura sibi indebita arrogare videbantur. Ergo multo magis non solum unus alterve, sed quam plurimi graviter reclamassent, si episcopus Romanus iurisdictionis primatum iure divino sibi non competentem usurpare voluisset. Iam vero eiusmodi reclamationum, quibus ipsum ius illius primatus R. Pontifici denegatum sit, non solum ne vestigium quidem ex tota illorum temporum historia ecclesiastica proferri potest, sed contra episcopi et singuli et in conciliis congregati R. Pontificum primatum semper ut a Christo per Petrum ipsis ut huius successoribus iure divino transmissum praedicarunt. Ista igitur accusatio, qua R. Pontifices ambitione et dominandi cupiditate

---

eorum propter Ecclesiae necessitates et utilitatem posteriore tempore maior quam Petri aetate fuit.

primatum usurpasse dicuntur, prorsus reicienda est. Et sane ipsi doctiores protestantes istas aliasque supra allatas causas primatus R. Pontificis haud amplius diserte saltem reddunt[1], sed

e) *hanc aliam causam,* secundum quam ille primatus sensim sine sensu e *naturali historica,* ut inquiunt, *necessitate,* cui homo nolens volens obnoxius sit, sive *ex illorum temporum statu* ortum habuerit. Ita certe rem explicat cum aliis multis Hase[2] additque, tale institutum, tametsi per se iuris tantum humani, potuisse tamen, cum iam ultra mille annos exstitisset ac floruisset, ab hominibus piis etiam iuris divini dici, non utique sensu hoc proprio, quod Christus ipse primatum Petri et successorum eius sempiternum instituerit, sed quatenus institutum, quod tanto tempore non conciderit, ut res divinae voluntatis, sive potius dispositionis, haberi possit; quod autem historico modo e singularium rationum vel causarum concursu ortum sit, aliquando aliis temporibus posse rursus interire, immo certo interiturum esse.

At neque ita factum illud triplex, quod probavimus, explicatur. Nam *α) Romanorum Pontificum primatus* non modo post mille annos exsistentiae suae, sed iam tertio saeculo a S. Cypriano aliisque deinceps quam plurimis *diserte,* tametsi non ipso nomine, agnitus legitur tamquam iuris divini et non improprio quidem sensu, sed proprio et stricto, quatenus variis modis R. Pontifex nominatus est successor S. Petri, utique Ecclesiae primatis et ut talis etiam ab antiquis illis Patribus honorati. Quare ista adversariorum sententia hoc factum nullatenus explicat ideoque primario fundamento caret, eoque magis, quod adversarii Petrum primatu a Christo dotatum esse temere negant. — *β) Dicant deinde* adversarii non tantum *generatim,* causas quasdam singulares naturali modo R. Pontificis primatui ortum dedisse, sed velint ipsi eas *accurate* et *nominatim* assignare, ut ipsorum probandi ratio valere possit et saltem aliquem scientiae colorem accipiat. Generalis enim ista et mera affirmatio nihil demonstrat, sed difficultatem verae argumentationis inveniendae prodit. Quaenam igitur istae singulares rationes fuerint? Num forte illae eaedem, quas modo plane futiles atque inanes esse monstravimus? Num forte illae, quas Palmer aliique anglicani reddiderunt, scil. magnus tum clericorum tum fidelium numerus? magnae divitiae et

---

[1] Nihilominus Langen (Das Vatik. Dogma I 60 sq) ad ambitionem nonnullorum R. Pontificum rursus provocat, ut primatum iurisdictionis deneget, et ipsum S. Maximum, utpote Romae commorantem tempore controversiarum ecclesiasticarum, quae tum ortae erant, non *prorsus obiectiva ratione* iudicasse dicit, cum (MG XCI 138 sqq) scriberet, Romanam ecclesiam habitam esse ab ecclesiis omnibus iam inde a primordiis religionis christianae tamquam fundamentum unicum, ipsamque secundum Christi promissionem a portis inferi non vinci, sed claves rectae fidei et confessionis habere. Etenim ne dicam, hisce illum S. Maximi locum non plane fideliter relatum esse, huius *sancti* et docti viri auctoritatem immerito suspectam reddit Langen. [2] Handbuch 143.

caritas eximia ecclesiae Romanae? origo eiusdem praeterea apostolica et pura fides ardensque atque continuum studium in damnandis haereticis iam a primis temporibus?[1] At hae res a tota antiquitate christiana plane numquam ut causae primatus R. Pontificis referuntur, ergo temere contra omnium veterum sententiam tamquam illius primatus causae finguntur, et eo magis quidem, quod ipsae ad triplex illud factum rite explicandum manifesto minime sufficiunt. Qua enim ratione ex istis rebus primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam, et ut iuris quidem divini, repeti umquam potuit? Ista igitur sunt potius primatus iam constituti effectus quam causae. Nam „semel religionis christianae metropoli constituta in Romana urbe, consequens plane erat, ut vitam ibi suam religio peculiari ratione exsereret, suamque vim ac energiam. Inde enim profluxerunt tum cleri tum populi christiani numerus, divitiae et caritas, sedis apostolicae origo, Petri sedis nuncupatio, fidei puritas“[2], ardensque studium, eam puram ubique servandi. Quare nec ita triplex illud factum explicatur.

f) Estne denique primatus Romani causa fortasse eius *utilitas* vel etiam *moralis necessitas?* Utique, sed eam Christus ipse quam optime cognitam habuisse dicendus est, et propter Ecclesiae suae summam utilitatem ac necessitatem primatum iurisdictionis usque ad finem mundi instituit perennem, eumque commisit Petro, futuro Romae episcopo. Et cum aliud a Christo vel Petro constitutum non sit, episcopus Romae Petri in episcopatu successor iure habitus est a christiana antiquitate etiam Petri in primatu successor, ideoque iure divino primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam obtinere existimabatur (cf. supra p. 527 sq). Nequaquam autem ista persuasio tam universalis et constans atque antiqua esse potuisset, si R. Pontifex saeculorum tantum decursu et iure mere humano primatum accepisset. Et mirum quoque esset, quod episcopi, R. Pontifici nonnumquam irati, ut Cyprianus ac Firmilianus aliique, numquam ei obiecisse leguntur, ipsius primatum esse tantum iuris humani, ideoque abrogandum esse; ac mirum in adversariorum sententia pariter esset, quod Constantinopolitani episcopi, primatus vehementer cupidi, non omnium omnino episcoporum, sed tantum *post Romanum Pontificem* primi esse voluerunt. Constantinopoli enim regia constituta, vetereque Roma insuper saepius a barbaris capta atque vastata, rationes mere humanae primatus universalis praesuli Constantinopolitano sane multo magis quam Pontifici Romano favissent. Sed ne post defectionem quidem ab Ecclesia romano-catholica Constantinopolitanus patriarcha affectavit primatum in universam Ecclesiam, sed tantum eum sibi arrogavit in schismaticas orientis ecclesias. Et si primatus R. Pontificis ortum suum humanis tantum causis deberet, cur iis moti causis humanis, v. g. innato

---

[1] De his cf. Murray III 727.

[2] Perrone, Tract. de locis theol. P. 1, sect. 2, c. 2, prop. 3, obi. n. 584.

cuilibet libertatis studio, invidia et aemulatione gentili, dominandi cupiditate et naturali subiectionis aversatione, aliarum praecipuarum imperii Romani urbium episcopi primatum sibi acquirere non studuerunt, v. g. patriarcha Alexandrinus, cuius urbs magnitudine et incolarum numero Roma tunc temporis vix inferior fuit, vel patriarcha Antiochenus, cuius sedem ipse S. Petrus constituerat? Quare neque ista ratione ullo modo triplex factum explicari potest. — *Accedit* quod, si primatus R. Pontificis esset iuris mere humani, profecto intelligi non posset, quomodo tot haereticorum et schismaticorum aliorumque omnis generis inimicorum, regum, imperatorum, bellatorum, eruditorum machinationibus aliisque innumeris procellis usque impugnatus, per tot saecula ad nostram usque aetatem vigens perstiterit, dum contra tot tantaque florentissima olim regna iamdudum penitus interierint. — *Denique* cum secundum protestantium sententiam primitus singulae ecclesiae particulares prorsus sui iuris essent, ita ut nulli alii subiectae sola amicitia et mutuo auxilio inter sese coniungerentur, prorsus non intelligitur, qui fieri potuerit, ut illae omnes tam cito libertate contra Christi voluntatem sese privare atque uni universali primati tantae iurisdictionis sine ulla reclamatione sese subdere voluerint. An forte singuli illi episcopi atque fideles nullum libertatis suae conscientiam habuisse dicendi sunt? Num nescio cuius utilitatis causa sibi ipsi primatem constituerunt? Primatus enim Ecclesiae utilis tunc tantum esse potuit, si non fuit contra Christi voluntatem; fuisset autem Dei voluntati contrarius, si non a Christo institutus esset, cum tunc manifesto tota externa et essentialis quidem Ecclesiae forma immutata esset. Ceterum ubinam leguntur primorum temporum christiani Ecclesiae primatum sua sponte creasse?

g) *Restat* ut pauca dicamus de systematis, quibus *rationalistae* et eos secuti *modernistae* originem Romani primatus explicare student. Quorum systematum

α) *hoc quasi fundamentum est,* quod dicunt, Christum nullo modo cogitasse de auctoritate religiosa inter suos constituenda. De qua re iam supra p. 298 sqq satis diximus. — Posito autem hoc fundamento demonstrare student

β) *Romae ne episcopum quidem fuisse primo christianae religionis saeculo,* ergo multo minus primatem totius Ecclesiae [1]. Quod his probant argumentis: α′) Clementis Romani epistulam ad Corinthios totius ecclesiae Romanae nomine scriptam esse. Nam inscribitur ea: „Ecclesia Dei quae Romae peregrinatur, ecclesiae Dei quae Corinthi peregrinatur“ [2], et deinceps in tota epistula ne nomen quidem Clementis occurrit. Atqui si episcopus Romae fuisset, profecto suo nomine et auctoritate is scripsisset. Ergo tunc non fuit Romae episcopus. At huius syllogismi minor propositio neganda est. Nam *primum* etiam anno circa 170, quo Romae verum sedisse episcopum nemo negat, ecclesia Romana suo nomine dedit epistulam Corinthiis. Quod discimus ex

[1] Cf. v. g. A. Harnack, Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius I, Leipzig 1897, 173 sqq. [2] Funk 99.

Dionysii Corinthii ad hanc epistulam responso, in quo v. g. haec occurrunt: „Hodie sacrum diem dominicum transegimus, in quo epistulam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistulam, optimis praeceptis ac documentis abundabimus.“ [1] Ergo optime haec inter se reconciliantur, ut aut episcopo monarchico iam exsistente ecclesia suo nomine scribat epistulam, aut ipse episcopus det epistulam ita, ut nomine ecclesiae suae scribat. Ratio autem cur literas ecclesiae nomine det, haec potest esse, ut se scribere significet non ut privatum hominem, sed ut episcopum et episcopali auctoritate. *Deinde* non solum Dionysius Corinthius, sed etiam Clemens Alexandrinus et Origenes Clementis epistulam, licet semper ecclesia Romana in ea loquens inducatur, tamen diserte Clementi auctori tribuunt. Ergo illi idem esse putabant ecclesiam aliquam epistulam dare, ac eius episcopum eam dare. Et revera episcopus, cum praecipua pars ecclesiae sit, et ecclesia totam auctoritatem suam ab eo mutuetur, iure epistulam dare potest nomine ecclesiae suae; ergo quod epistula detur ecclesiae nomine, non demonstrat, episcopum in ea ecclesia non adesse. — Deinde adversarii ita argumentantur: β′) *Clementis Romani aetate Corinthi nullum fuisse veri nominis episcopum,* ex Clementis epistula elucet. Ergo neque Romae fuisse episcopum concludendum est. Sed ex sola Clementis epistula per se sumpta, licet unum episcopum tunc ecclesiis praesedisse cum certitudine colligi non possit, cum probabilitate tamen id potest concludi (cf. supra p. 293 sqq). Unde nullum est adversariorum argumentum. — Nec maioris pretii est, quam γ′) *ex Ignatii ad Romanos* epistula conficiunt pro sua re rationem. Dicunt scil. Ignatium, cum in ceteris epistulis multus sit in commendanda coniunctione cum episcopo, in epistula ad Romanos data omnino de episcopo silere. Ergo Romae tunc episcopum non fuisse. Sed in ceteris epistulis ob has rationes commemorat episcopos Ignatius, aut quia ii sibi noti sunt, aut ut adhortetur fideles ad oboedientiam iis praestandam. Romanum autem episcopum numquam viderat, nec Romanos ut adhortator, sed ut supplex alloquitur (cf. supra p. 545 627). Praeterea cum ecclesiam adit, et episcopum et fideles adit, ex his enim constat ecclesia. Quare ut diserte episcopum nominet, necesse non est. Ceterum recole, quae de simili argumento diximus p. 304 565. — Denique adversarii δ′) *Hermae tempore* episcopum Romae non fuisse ex eius verbis supra p. 293 allatis concludunt, ubi Hermas cum presbyteris qui praesunt ecclesiae libellum suum legere iubetur. Sed meliore iure alii ipso illo loco effici dicunt, Clementem tunc temporis episcopum Romae fuisse [2]. Nihil autem ex eo demonstrari potest, quod Hermas l. c. primum presbyteros adire iubetur. Nam etiam tempore Cornelii R. Pontificis confessores, qui cum ecclesia Novatiano relicto in gratiam redire volunt, primum collegium presbyterorum adeunt et postea tantum cum ipso episcopo conferunt [3]. Denique in fragmento Muratoriano Hermas scripsisse

---

[1] Eus., H. E. 4, 23, 13.

[2] V. g. annotat Funk ad h. l. (p. 431): „*Κλήμεντι*, i. e. sine dubio Clementi auctori epistulae ad Corinthios et, ut ex hoc loco elucet, episcopo. . . . Clare enim cum a presbyteris discernitur, tum munere fungitur, quod ecclesiae propositis tantum commissum est.“ Contra Harnack (Chronologie I 175) dicit: „Das Buch selbst [Hermae Pastor] zeigt unwidersprechlich deutlich [!], daß damals die römische Kirche von einem Presbyterkollegium geleitet wurde.“

[3] Cypr., Ep. 49 (Hartel 609).

dicitur, „sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius". Episcopus igitur erat Pius tempore, quo Hermas scribebat.

γ) *Sicuti in toto orbe*, sic etiam Romae episcopum fuisse, cum Hegesippus circa a. 160 orbis ecclesias inviseret et catalogum R. Pontificum scriberet, adversarii non negant. Brevi vero postea R. Pontifices provocantes ad ius suum divinum praecepta dare consentiente Ecclesia, negare non possunt. Quomodo igitur adversarii factum putant, ut supra ceteros episcopos R. Pontifex se erexerit, et Petri peculiarem successorem se esse putaverit ac ab aliis eius successor putatus sit? Qua in re dicunt adversarii praecessisse praxim, secutam esse theoriam. Primum enim α') Romanam ecclesiam facto exercuisse aliquem primatum, qui ei concedebatur ab aliis ecclesiis et concedi debuit ob Urbis politicam eminentiam, ecclesiae Romanae divitias, episcoporum Romanorum dexteritatem et sapientiam etc. Deinde postquam per longum tempus primatum illi iam possederant, β') *Romanos studuisse eum stabilire* et demonstrare adhibita S. Scriptura. Unde factum esse, ut Romani locum Mt 16, 18 inciperent soli episcopo suo vindicare, cum antea, teste Cypriano, omnium episcoporum potestatem et dignitatem eo pronuntiari creditum sit. Quod ut fieret γ') alios episcopos patienter tulisse ob hanc causam, quod maximam partem ignorantes et infirmi erant, quare propriae ignorantiae conscii, auctoritati alterius fidere et ab hac duci et gubernari inter summa bona constituebant. Atque sic verum esse, quod saepe modernistae repetunt, mediocritatem fundasse auctoritatem.

Ad quae ut respondeamus, α') *ob Romanae urbis amplitudinem*, episcoporum eius scientiam etc. *aliquam* eminentiam Romanae ecclesiae accessisse negari non debet. Sed his rationibus non explicatur, cur omnes aliae ecclesiae Romanae se subiecerint. Scientia certe Alexandrina et Africana ecclesia prae Romana excellebant, atque, ut diximus, non ob tales rationes aliae ecclesiae Romanum primatum agnoscebant, sed ob S. Scripturae et Christi auctoritatem [1]. β') *Nec Cyprianus* ad solos episcopos locum Mt 16, 18 retulit, nec is locus etiam ad episcopos referri post saec. IV desitus est (cf. supra p. 665), sed hodie etiam ex eo loco episcoporum dignitas ostenditur [2]. Deinde revera Petri eiusque successorum Romanorum in omnem Ecclesiam potestas loco Mt 16, 18 enuntiatur. id quod Romanos per centum annos non vidisse incredibile est. Sciebant enim Romanae urbis episcopum Petrum fuisse; permanere debere potestatem verbis Mt 16, 18 in Ecclesia institutam, iam Callistus optime sciebat (cf. supra p. 603), et etiam ante eum Victor ab apostolis Petro et Paulo auctoritatem suam derivat (supra p. 578) [3]. Quare deficiunt historica documenta, quibus posteriore tantum tempore Romanos ad verba Mt 16, 18 provocasse ostendatur. γ') Denique patet, usurpationem iniustam Romanorum ecclesia non contradicente locum haberi non potuisse. Quod enim provocant ad auctoritatis etiam pro episcopis necessitatem, nihil explicat. Verum quidem est, in rebus religionis supernaturalis convenientis-

---

[1] Quare Pius X merito damnavit hanc modernistarum thesim: „Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium ecclesiarum effecta est" (Denzinger-Bannwart n. 2056).

[2] Wilmers 313.

[3] Quod agnoscit A. Harnack (Gesch. der altchristl. Literatur I, Leipzig 1893, 595): „Endlich muß sich Viktor in der Enzyklika auf Paulus und Petrus, resp. auf seine Vorgänger berufen haben."

simum esse, auctoritate homines duci, sed ob hoc ipsum Christus Deus omniscius et sapientissimus auctoritatem revera instituit. At propter auctoritatis necessitatem vel indigentiam incredibile est tot christianos per tot saecula in rebus tam multis et interdum molestis se subiecturos fuisse R. Pontifici aut cuiquam alii, nisi certi fuissent, ei oboediendo auctoritati vere a Deo constitutae sese oboedire. Accedit, quod teste historia nullo modo episcopi primorum saeculorum nimio se subiciendi desiderio movebantur, sed ubi licite putabant se oboedientiam posse detrectare, eam detrectabant, ut notum est ex controversia de paschate acta et Cypriani et Firmiliani epistulis. Ceterum eadem de his rationalistarum systematis valent, quae supra p. 295 de veterum protestantium difficultatibus diximus.

Postremo causam primatus iurisdictionis R. Pontificis in universam Ecclesiam non esse documenta in gratiam illius primatus ficta et adulterata, ex allatis hactenus *genuinis* Ecclesiae cum occidentalis tum maxime orientalis tot testimoniis et actis luce clarius atque certissimum est. Nulla igitur causa mere humana assignari potest, quae triplicis illius facti, quod monstravimus, rationem reddat.

Demonstrata igitur est veritas *antecedentis,* quo initio totius hactenus allatae argumentationis statuimus, R. Pontificem iure divino obiective spectato in Petri primatu successorem ab initio semper fuisse (cf. supra p. 532). Atque hinc facile patet, verum etiam esse

Consequens: ECCLESIA ROMANO-CATHOLICA, QUAE ROMANO PONTIFICI UT PRIMATI OBOEDIT, RATIONE HUIUS PRIMATUS, IDEOQUE ETIAM REGIMINIS EPISCOPORUM APOSTOLICA EST SEMPERQUE FUIT. Et vero ea semper fuit et est apostolica

1. ratione primatus. Primus enim romano-catholicae Ecclesiae primas fuit ipse apostolus Petrus, totius apostolicitatis centrum et fons; exinde vero ad nostram usque aetatem Petrus, historia teste, in primatu habuit perpetuo successores episcopos urbis Romae; eumque etiam in posterum usque successores habiturum esse certissime demonstratur Christi Dei promisso, quo testatus est Mt 16, 18, nullam umquam potestatem contra Ecclesiam suam super Petri eiusque successorum primatum tamquam fundamentum aedificatam praevalituram esse; praevaleret autem, si ipsum illud fundamentum posset disicere; eo enim diruto Ecclesia ipsa corrueret[1]. Ergo Ecclesia Petro eiusque successoribus subiecta ab initio usque ad nostra tempora ratione capitis sui regiminis sive primatus semper fuit et est, eritque in omne tempus posterum apostolica.

---

[1] Hase (Handbuch 146) scribit: „Gehört also der Papst zum Katholizismus wie etwa der Turm zur Kirche als deren höchste Erhebung, so ist er doch dem Katholizismus nicht wesentlich, wie es ja auch Kirchenbauten gibt, und gerade die ältesten, die nicht bloß aus Not, sondern nach ihrem eigentümlichen Stil den Turm nur als etwas Fremdartiges neben sich ertragen." At ex Christi mandato Mt 16, 18 primatus non est turris, sed fundamentum Ecclesiae.

Neque obstat a) quod de *ordine,* quo *primi* post Petrum Pontifices Romani singuli successerint, variae inter historicos sententiae sunt vel fuerunt. Haec enim opinionum varietas non attingit ipsam R. Pontificum successionem continuam in se spectatam, sed tantum eius adiuncta, quae ad ordinem referuntur, quo qui eius temporis ecclesiae Romanae praesules nominantur, inter se consecuti sint. — Non magis obstat

b) *quod R. Pontifex,* quantum morali certitudine sciri potest, *legitime* constitutus postea forsitan male se gerat; hoc enim ad ipsam successionem plane nihil refert. Si quis vero Pontifex Romanus vi aliave mala arte sit constitutus, vel quamcumque ob causam vere dubius, tunc, quamdiu turbae et dissensiones manent, sedes Romana, ut dici solet, *vacat;* quamprimum autem Ecclesia tota, aut eius certe longe maior pars — utique non solum fidelium, sed etiam episcoporum atque electorum cardinalium — consentiat in eiusmodi constituto Pontifice admittendo aut tolerando, vitium omne primae eius nominationis per ipsum Ecclesiae consensum, utpote legitimae nominationi aequalem, recte habetur emendatum. Excipitur tantum ea electio, quae certae simoniae labe inficitur[1]. — Neque

c) *quod ab anno 1378* ad finem vergente usque ad annum 1417, sive usque ad Martini V in concilio Constantiensi nominationem, simul duo tresve se praedicabant Petri in primatu successores, adversatur nobis. Nam semper eorum aliquis fuit *verus* Petri successor, tametsi quis esset omnibus aequalibus propter varios rumores et defectum documentorum non satis constabat. Aut enim Urbanus VI, sub quo primo alius electus est papa nomine Clementis VII, vere ac legitime Petri in primatu successor fuit, id quod nostra aetate certum omnino dicendum est, quod si est, omnes eius successores veri R. Pontifices et hinc Ecclesiae primates erant saltem usque ad concilium Pisanum anno 1409 celebratum, quod Gregorium XII Urbani successorem et Benedictum XIII deponere tentavit et Alexandrum V constituit, — aut Urbanus non fuerat legitime constitutus, et tunc veri Petri successores usque ad concilium Pisanum erant Clemens VII et Benedictus XIII. A concilio autem Pisano usque ad Constantiense a. 1417 habitum etiam semper aliquis fuit vere Pontifex Romanus, scil. aut Alexander V eiusque successor Ioannes XXIII, aut Gregorius XII. Si tamen, id quod non concedimus, horum nullus vere Petri successor fuisset, tunc sedes Romana diutius utique, per octo scil. annos, vacasset, sed vere ac proprie R. Pontificum successio interrupta non esset, ita ut ea tunc cessasse dicenda esset, cum ad legitimam supremi regiminis continuationem in quacumque societate nullatenus absolute requiratur successio vel physice vel etiam moraliter immediata. Sane „supremum regimen, v. g. monarchicum in aliqua natione deperdi nemo ex eo solo diceret, quod inter mortem unius regis et alterius electionem intervallum plurium annorum intercesserit. Tunc autem et tunc solum regimen monarchicum desinere iure diceretur, cum positive, vel explicite vel implicite, regimen illud et eiusdem continuatio a natione universa abiceretur. *Explicite* abiceretur, si, rege mortuo, expresse statueret natio non amplius regem habere. *Implicite* abiceretur, si, cum facile posset regem eligere, tanto tempore ab electione aut electione

[1] *Iulius II* enim, approbante concilio oecumenico Lateran. V in act. 5, certam simoniacam R. Pontificis electionem ut prorsus nullam et nullo modo sanandam declaravit et decrevit (Harduin IX 165 sqq).

incohanda abstineret, ut omissio iure censeretur reiectioni aequivalere et pro tacita huius formae regiminis reiectione haberetur. Si vero mortuo rege electio sit propter adiuncta impossibilis vel difficilis, vel si adsint plures iam electi successores, quorum electiones dubii sint valoris, et impossibile sit vel difficillimum, quis ex iis valide electus fuerit determinare, — cum tamen α) toto tempore dubii omnes unius supremi regiminis regalis necessitatem absolutam uno ore agnoscunt, et β) toto corde a regiminis cuiusvis diversi forma abhorrent, et γ) anxii sunt, ut rex eligatur, vel, si plures iam electi fuerint, ut quis ex iis verus sit et legitimus rex statuatur, et δ) vires, quantum fieri potest, ad hoc statuendum conferunt, et denique ε) post longas etsi moras et difficultates superatas, unum, sive ex contendentibus sive extra, eligunt, quem omnes ut verum regem agnoscunt — in tali sane casu non solum non desiit regiminis monarchici forma, sed e contrario ipsa dubia et anxietates, quas sequitur finalis determinatio ab omnibus accepta, quam alte in ista natione potestatis regiae et successionis legitimae forma radices fixerit, clarissime ostendunt. Iam vero ita se rem in casu dicti schismatis abuisse, ex historia constat." [1] Insuper Ecclesia tunc temporis habuit ius atque officium, alium certo verum Pontificem Romanum constituendi, et ab aliqua vel probabiliter ab unaquaque ipsius parte creditum est semper, hunc vel illum Petro in primatu vere successisse.

d) *Denique minime obest narratio,* cui diu utique fides habebatur, de papissa Ioanna, quae post Leonem IV die 17 iulii a. 855 mortuum per duos annos et quinque menses Pontifex Romanus fuerit, atque ita per istud tempus apostolicam successionem in sede Romana interruperit. Narratio enim ista nihil nisi putidissima fabula est, quemadmodum a quam plurimis historiae peritis, etiam protestantibus, ad oculum iam demonstratum est. Nam ipsius veritati repugnat prorsus temporum supputatio, utpote quae fabulosae isti papissae nullum locum relinquit. Constat enim inter omnes, Leonis IV successorem Benedictum III iam die 22 iulii eiusdem a. 855 electum et die 29 septembris consecratum esse Pontificem Romanum, eiusque ut Pontificis epistulam tertiam, ut in eius fine diserte dicitur, scriptam esse iam die 7 octobris [2]. Insuper istius narrationis falsitas etiam ex eo patet, quod illius aetatis scriptores, Hincmarus, Anastasius bibliothecarius aliique omnes dicunt, Benedictum Leoni proxime successisse, quodque papissae Ioannae fama diu postea, medio scil. ferme saeculo XIV, literis primum consignata est, ortaque, tametsi non unice, *maxime* tamen videtur ex falsa interpretatione inscriptionis lapidi incisae [3].

Unde Ecclesia romano-catholica ratione *primatus* ab initio fuit et semper mansit apostolica, semperque in posterum propter Christi promissum manebit. Atque hinc ea apostolica semper fuit et erit

2. ratione regiminis episcoporum. Nam ut totum hoc regimen sacrum omni tempore apostolicum sit, ut supra p. 379 monstravimus, requiritur et sufficit, ut sit coniunctum cum totius apostolicitatis centro, S. Petri in primatu successore, eique subiectum sit. Atqui omnes Ecclesiae romano-catholicae episcopi omni tempore fuerunt et sunt subiectione et communione cum Romano episcopo ut Petri in primatu successore coniuncti atque uniti; nullos autem umquam

---

[1] Murray I 546 sq. [2] Harduin V 110D; Mansi XV 119D.

[3] Cf. Döllinger, Die Papstfabeln des Mittelalters. 1. Die Päpstin Johanna, München 1863.

Ecclesiam romano-catholicam tamquam suos habuisse et tolerasse episcopos, qui vel haeresi vel schismate a R. Pontifice sese separaverant, ita ut a R. Pontifice excommunicarentur, in eaque separatione contumaces perseverarent, historia ecclesiastica omnium temporum abunde testatur. Ergo Ecclesiae romano-catholicae episcopi omnes omnino eo ipso, quod R. Pontifici, totius apostolicitatis centro ac fonti, adhaerent, sunt vere apostolici, sive ipsorum ecclesiae sunt ab apostolis immediate vel mediate conditae, et illorum decessorum series non interrupta pertingit ad apostolica tempora, sive sunt recentius tantum constituti; quod enim recentius constituti sunt, immediate ut sint apostolici eorum episcopi impedit, ut vere apostolici sint, non impedit. Itaque totum singularium particularium ecclesiarum regimen sacrum Romano Pontifici subiectum apostolicitate potitur, ideoque Ecclesia romano-catholica respectu totius sui regiminis vere ac proprie tum iure tum facto apostolica est, habetque apostolicam *successionem* et legitimam *missionem*. Et hanc ob causam, ut ait Tournely[1], „in una Pontificum Romanorum collectione sistebant veteres episcopi, de illa principali successione solliciti magis quam de sua. Hinc nec Irenaeus Lugdunenses praesules, quos fuerat secutus, nec Eusebius Caesariensis suos decessores, nec Epiphanius Salaminenses, nec Optatus Milevitanos, nec Augustinus Hipponenses in medium adducunt, sed communi consensu in uno solo Romanorum antistitum albo inscribendo conspirant; satis illis erat ecclesiae illius principalis, cuius se membra esse gloriabantur, et unde unitas sacerdotalis exorta est, continuam successionem enumerare", ut ostenderent, suae ecclesiae particularis regimen successione et missione apostolicum esse[2].

---

[1] De Eccl. q. 2, art. 5, concl. 3 ad obi. 3.

[2] Audi etiam, quomodo simili argumentatione usi Syri veteres in vetere libro, qui inscribitur *Doctrina Addai* et certo ante a. 430 compositus est, se legitimos episcopos habere legitimamque ecclesiam esse probent. Ferebatur scil. apud Syros, primum eorum episcopum Addaeum ab ipso apostolo Thoma Edessam missum esse, Addaeum vero ante mortem Aggaeum secundum Syrorum episcopum constituisse. Sed cum Aggaeus, antequam sacerdotem suum Palut episcopum constituere posset, crurifragio martyrium consumpsisset, a S. Thoma posteriorum episcoporum legitimitas deduci non potuit. Ergo hoc modo eos legitimos fuisse ostendunt: „Et quia propter crurifragium ille [Aggai] mortuus est repente et celeriter, manum imponere non potuit Paluto. Ipse Palut (igitur) ivit Antiochiam et recepit manum sacerdotii a Serapione, episcopo Antiocheno. Serapion autem, episcopus Antiochiae, et ipse recepit manum a Zephyrino, episcopo urbis Romae, qui erat ex successione manus sacerdotalis Simonis Cephae, quam recepit a Domino, qui erat ibi episcopus Romae annis 25, in diebus illius Caesaris, qui regnavit ibi 13 annos" (The Doctrine of Addai the Apostle, ed. by G. Phillips, London 1876, 50). — Idem narratur in alio vetere Syrorum scripto, quod inscribitur *Martyrium Barsamyae, episcopi benedictae civitatis Edessenae.* Ubi sic legitur: „Sed hic Barsamya episcopus Edessae, qui convertit Sharbil summum sacerdotem [gentilem] eiusdem civitatis, fuit in diebus Fabiani episcopi urbis Romae. Et manus sacerdotii ab eodem Barsamya recepta fuit ab Abshelama, qui erat Edessae episcopus, et ab Abshelama manus recepta fuit a Palut antecessore suo [by Palut the former], et

Atque iis, quae hactenus diximus, prima pars demonstrandae nostrae thesis de Ecclesiae romano-catholicae apostolicitate ratione regiminis sui sacri satis probata ac certa omnino est.

Probatur iam pars secunda: apostolica est Ecclesia romano-catholica ratione originis.

Nam, ut iam probatum est, ecclesia Romana sive urbis Romae fundata ac constituta proprie ac vere est ab ipsis apostolis Petro et Paulo, atque ita quidem, ut Petrus primus eius episcopus usque ad mortem esset; Petro autem in munere tum episcopatus tum primatus legitime et continua quidem serie ad nostram usque aetatem Pontifices Romani successerunt; ergo ecclesia Romana semper fuit et est immediate et per eminentiam apostolica ratione originis, semperque propter certam successionis eiusdem perpetuitatem manebit. Ceterae vero ecclesiae particulares, cum R. Pontifice communione et oboedientia coniunctae, omnes pariter semper a primordiis suis fuerunt, adhuc sunt, semper erunt apostolicae origine vel *immediata,* ut olim complures fuerunt, et fortasse adhuc, v. g. in Italia, aliquae sunt praeter Romanam, vel *mediata* aliquo sensu vel certe hac re, quod fuerunt vel sunt cum centro apostolicitatis, R. Pontifice, unitae. Atqui coniunctio cum centro apostolicitatis, ut supra p. 379 ostendimus, sufficit omnino ad originis apostolicitatem. Ergo cum et ecclesiae Romanae et omnium cum ea communicantium particularium ecclesiarum origo a primordiis semper fuerit et adhuc sit apostolica, evidens est, ipsam Ecclesiam romano-catholicam universam, utpote nullas alias ecclesias quam R. Pontifici subiectas complectentem, *origine* semper fuisse et esse apostolicam. Iam igitur ab initio religionis christianae Ecclesia romano-catholica exstitit; unde falsum est, quod aliqui adversarii fingunt, ante eam aliam ecclesiam fuisse, ex qua Ecclesia romano-catholica paulatim enata sit vel se evolverit.

Probatur pars tertia: apostolica Ecclesia romano-catholica est ratione doctrinae ac fidei tum iuris tum facti. Et

1. Ecclesia romano-catholica pollet apostolicitate doctrinae ac fidei ratione iuris, sive magisterio infallibili. Quod probatur

---

a Paluto manus recepta erat a Serapione episcopo Antiocheno, et a Serapione manus recepta fuit a Zephyrino episcopo Romano, et Zephyrinus Romanus recepit manum a Victore, ex eiusdem loco Romae, et Victor recepit manum ab Eleutherio, et Eleutherius recepit a Sotere, et Soter recepit ab Aniceto, et Anicetus recepit eam a Dapio [Pio], et Dapius recepit a Telesphoro, et Telesphorus recepit a Xysto, et Xystus recepit ab Alexandro, et Alexander recepit ab Erasto, et Erastus recepit a Cleto, et Cletus recepit ab Ano [Lino], et Anus recepit a Simone Cephasi, et Simon Cephas recepit a Domino nostro simul coapostolis suis, prima die hebdomadis ascensionis Domini nostri ad Patrem suum gloriosum" etc. (Martyrdom of Barsamya, the Bishop of the blessed city Edessa, apud W. Cureton, Ancient Syriac Documents, London 1864, 71 sq). Utrumque textum anglice ex syriaco versum invenis apud Phillips et Cureton.

a) ex iis quae hactenus diximus. Demonstravimus enim (cf. supra p. 384), magisterium infallibile in perpetuum a Christo coniunctum esse cum apostolica successione in regimine Ecclesiae, ita ut penes hoc regimen a Christo institutum semper illud magisterium sit, ideoque infallibile magisterium ibi reperiatur, ubi est sacrum regimen vere apostolicum. Atque ex demonstrationis huius thesis prima parte certissime constat, esse in Ecclesia romano-catholica regimen sacrum a Christo institutum vereque apostolicum, ideoque etiam successionem apostolicam totam; ergo certissimum pariter est, esse in Ecclesia romano-catholica infallibile magisterium, et esse penes apostolorum in sacro regimine successores, episcopos scil. una cum Petri in primatu successore, Pontifice Romano, coniunctos. Quod quidem argumentum per se solum infallibilis magisterii in Ecclesia romano-catholica praesentiam invicte demonstrat. — Probatur idem

b) ex ipsa Ecclesiae romano-catholicae de sua infallibilitate persuasione. Ecclesia enim haec, tametsi solum R. Pontificis e cathedra loquentis infallibilitatem definiverit, sacrum vero suum magisterium in tradenda et conservanda apostolica doctrina errare non posse nondum proprie ac diserte sive formali ac sollemni modo ut fidei articulum definiverit, *omni tamen aetate sufficienter professa est,* se *esse infallibilem; ergo revera infallibilis est.*

Probatur antecedens, quo Ecclesiam sibi *ascribere infallibilitatem* edicitur. Quod ab omnibus conceditur; adversarii enim adeo non negant, Ecclesiam romano-catholicam se infallibilem christianae fidei ac morum magistram semper habuisse et adhuc habere, ut hanc ipsius professionem ei exprobrent. Itaque cum insuper in altera huius de Christi Ecclesia tractationis sectione, ubi de infallibilitatis Ecclesiae romano-catholicae subiecto agendum erit, plura huius rei documenta proferenda sint, et iam supra agentes de Ecclesiae respectu doctrinae immutabilitate eorum multa protulerimus (p. 323 337 sqq), necesse non est, huius notissimi facti veritatem hic multis probare. Invicte enim haec romano-catholicae Ecclesiae persuasio patet ex tot tantisque, quas *omni tempore* e primordiis suis ad hanc usque aetatem statuit, fidei christianae ac morum definitionibus. In singulis enim eiusmodi sententiis definitivis Ecclesiae magisterium, tametsi non diserte et ipso nomine, tacite tamen et revera infallibilitatem sibi semper attribuit. Cum scil. ratum semper habuerit et habeat illud magisterium, Ecclesiam Christi ab „inferorum portis“ superari atque everti, quamprimum universi fideles errorem ut fidei dogma crederent et profiterentur, fieri prorsus nequit, ut ad aliquam doctrinam aut ut divinitus revelatam credendam, aut ut haereticam respuendam obligare velit aut possit, si ipsi suspicandum esset, se in ea doctrina definienda et iniungenda errare. Nam Ecclesiae romano-catholicae magisterium supremum atque authenticum, cum universos fideles ad aliquid aut ut divinitus revelatum credendum aut ut haereticum reiciendum obligat,

id facit plerumque diserte vel saltem tacite comminando excommunicationem iis omnibus suis sociis, qui illud aut ut divinitus revelatum aut ut haereticum credere pertinaciter renuerint. Iam vero eiusmodi poenam refragantibus magisterium Ecclesiae absurde minitaretur, si non plane persuasum haberet et ipso saltem facto profiteretur, se in rebus fidei ac morum definiendis infallibile esse, ideoque nullum errorem tamquam veritatem divinitus revelatam credendam praescribere umquam posse.

Atque propterea, ut paucos huius persuasionis testes disertos proferam, Athanasius concilii Nicaeni I definitiones *verbum Dei* dixit, scribens[1]: „*Domini* autem *verbum* per oecumenicam Nicaenam synodum prolatum *in aeternum* manet." Et S. Augustinus, de universali Ecclesiae consuetudine loquens, Ecclesiae auctoritatem similem esse dicit S. Scripturae. Ait enim[2]: „Respondeo, ut, quid horum sit faciendum, si divinae Scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus, ut iam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. *Similiter* etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare *insolentissimae insaniae est.*" Ita autem Augustinus loqui non potuit, nisi persuasum ipsi fuisset, Ecclesiam — romano-catholicam scil., cuius ipse socius erat — sine ulla erroris formidine posse iudicare, quid bonum quidve malum sit. Gregorius M. vero de quatuor prioribus oecumenicis conciliis dicit[3]: „Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor." Recentiore denique aetate Pius IV in nota professione fidei, decretis concilii Tridentini annexa, praescribit credendum Ecclesiae esse, ipsam „iudicare de *vero* sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum". Quibus testimoniis infallibilitas, tametsi ipsum eius nomen non profertur, ascribitur tamen Ecclesiae eo ipso, quod ei ius tribuitur, de rebus fidei et morum definitivam sententiam ita ferendi, ut refractarii excommunicentur et aeternae damnationis periculo, nisi resipiscant, quam maxime expositi declarentur. Quod ius sane, ut modo diximus, consistere nequit cum periculo errandi. — Denique concilium Vaticanum R. Pontificis e cathedra loquentis infallibilitatem definivit; qua definitione, tametsi vel concilii oecumenici a R. Pontifice, non tamen ex cathedra loquente, confirmati vel magisterii sacri generatim spectati in cotidiana exercitatione infallibilitas decisa non fuit, tamen implicite declaratum est, doctrinas Ecclesiae romano-catholicae esse infallibiliter veras, cum et plerasque fidei controversias R. Pontifex e cathedra loquens definiat, et ipse supremus et infallibilis fidei iudex tolerare non possit, ut falsae doctrinae a sacro magisterio fidelibus tradantur in cotidiana evangelicae doctrinae praedicatione. Dubium igitur nullum esse potest, quin Ecclesia romano-catholica in definiendis rebus fidei ac morum infallibilitatem sibi semper ascripserit.

Probatur consequens, scil. ex hac ipsa professione concludendum esse, *Ecclesiam romano-catholicam reapse infallibilem esse.* Id autem

---

[1] Ep. ad Afros episc. n. 2 (MG XXVI 1030): *Τὸ δὲ ῥῆμα τοῦ Κυρίου τὸ διὰ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐν τῇ Νικαίᾳ γενόμενον μένει εἰς τὸν αἰῶνα.*

[2] Ep. 54, c. 5, n. 6 (ML XXXIII 202).

[3] Ep. l. 1, ep. 25 (ML LXXVII 478).

a) *concludendum omnino est ex hoc,* quod Ecclesia romano-catholica ex omnibus christianorum coetibus *sola* certo et claro modo infallibilitatem semper ac palam sibi vindicavit et adhuc vindicat. Certe constat *primum,* nullum *protestantium* tum veterum tum novorum coetum, ne anglicanis quidem exceptis, sibi, suis scil. verbi divini praeconibus et praepositis ecclesiasticis, sive dispersis sive in unum congregatis, infallibilitatis dotem ascribere, immo ab ea admittenda omnes quam maxime abhorrere, et qui ex ipsis fidem christianam nondum penitus abiecerint, solam Scripturam Sacram tamquam infallibilem magistram habere. *Deinde* nec ipsi *Graeci, Russi* aliique *orientales* a Romana ecclesia separati, ex quo ab ea penitus recesserunt, ausi sunt clara saltem, constanti et certa ratione coetibus suis, vel potius episcopis, sive dispersis sive in synodum congregatis, infallibilitatem in rebus ad fidem et mores pertinentibus ascribere eamque vere credere.

Ut enim ex Prolegomenis ad concilium Nicaenum I in novissimo codice canonum ecclesiae Constantinopolitanae contentis refert Papp-Szilágyi[1], Graeci dicunt, „*unicum* iudicem controversiarum fidei esse *concilium oecumenicum,* ac simul supremum iudicium et tribunal in causis ecclesiasticis, a quo solo nulla datur appellatio". Porro in iisdem Prolegomenis haec Graeci addidere: „Convenit et id adicere, quod in veritate septem sint tantum synodi oecumenicae, quoniam illis solis notae omnes characteristicae concilii oecumenici ascribi possunt, et quia omnis necessaria scientia in iisdem definita est. Ideo omnes quaestiones, quae ex definitis et decretis per easdem septem synodos emergerent, facile solvi possunt. Sunt autem illae septem synodi oecumenicae: Nicaena I, Constantinopolitana I, Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana II et III et Nicaena II."

Haud alia igitur concilia generalia Graeci admittunt, quam quae una cum Romana ecclesia ante separationem celebrarunt; profitentur igitur, ex illo tempore nullum amplius infallibilem fidei iudicem inter ipsos exstare. Concilium quidem anno 879 a Photio celebratum oecumenicum se nominavit, sed non solum a Latinis, verum etiam ab ipsis Graecis postea ut tale reprobatum et reiectum est. Nonnulli utique scriptores schismatici etiam posterioris temporis oecumenicum illud dixerunt, sed, ut non dicam, nullam fidei veritatem in isto concilio definitam esse, ab ipsis aliis Graecis synodus particularis tantum nominatur, et in *authenticis documentis* coetus Graecorum semper septem tantummodo nominata concilia tamquam oecumenica laudantur[2].

Nec obstat, quod postea Cyrillo Lucari propter varias doctrinas a protestantibus mutuatas Graeci anathema dixerunt fidemque suam in variis particularibus synodis declararunt; ista enim agentes nullam novam fidei definitionem proprie dictam ediderunt nihilque amplius fecerunt quam protestantes, qui etiam ipsi interdum refractarios anathemate ex coetu suo excluserunt,

---

[1] Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae, Magno-Varadini 1862, § 100—101, p. 192 sqq; ed. 2, ib. 1880, p. 112.

[2] Cf. Allatius, De Ecclesiae occid. et orient. perp. consensione l. 2, c. 6, n. 3, et maxime Hergenröther, Photius II 539 sqq.

quamquam infallibilitatem sibi neutiquam ullo umquam tempore ascripserunt. Nec rem mutat, quod, ut Papp-Szilágyi ait[1], „iidem Graeci, qui sibi non constant, priorem sententiam modificasse videntur orthodoxa confessione, parte 1, quaest. 72, declarantes: ‚Quidquid sancti Patres in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis conciliis, quocumque tandem loco habitis, statuerunt: id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet.'" Non solum enim istae synodi etiam particulares ex Graecorum sententia celebratae sunt tempore SS. Patrum, scil. ante ipsorum a Romana ecclesia separationem, sed etiam nullam auctoritatem Graeci sibi vindicant, quae infallibili modo valeat definire, ex illis synodis quaenam sint orthodoxae, quaenam non sint.

A tempore igitur separationis Graeci nullam vivam auctoritatem infallibilem sibi amplius vindicare ausi sunt. Atque idem eodem, si non maiore, iure etiam de Russis aliisque schismaticis orientalibus valet[2]. Itaque ex omnibus christianorum coetibus sola Ecclesia romano-catholica infallibilitatem sibi clare et certo semper vindicavit et adhuc constanter ascribit.

Iam vero cum *Christi Ecclesia* revera in perpetuum sit infallibilis religionis christianae magistra a Christo instituta, infallibilitatem suam numquam sibi denegare potest, sed quemadmodum prius iam ostendimus (p. 369 sq), eam debet sibi semper adiudicare, atque eo modo se gerere, ut omnes facile agnoscere valeant, eam ut perpetuo infallibilem fidei et morum magistram sese habere. Quod cum Ecclesia romano-catholica, et ipsa quidem *sola,* semper fecerit et usque faciat, evidens est, ipsam revera esse infallibilem illam Christi Ecclesiam.

β) Idem confirmatur ex Ecclesiae ipsius intimo de necessitate infallibilitatis sensu ac iudicio[3]. Omnia enim, quae vita praedita sunt, quasi natura duce quomodo vitam defendant et alant noscunt et quasi sentiunt. Iam vero etiam Ecclesia romano-catholica a primordiis suis ad nostram usque aetatem sibi semper conscia fuit, se certo interituram esse, quamprimum innatae sibi persuasioni, qua infallibilem se in rebus fidei ac morum auctoritatem habet, tamquam armis et telis maxime sibi necessariis, renuntiaret. Iam vero num probabile

---

[1] L. c. § 105, p. 208.

[2] Idem etiam Pichler testatur (Gesch. der kirchl. Trennung zwischen dem Orient und Okzident II, München 1865), qui postquam de orientalium schismaticorum coetibus dixit, secundum ipsos episcoporum quidem collegium institutum a Deo ut infallibilem auctoritatem esse, sed septem prima tantum concilia oecumenica infallibilia ab ipsis admitti, p. 415 haec subdit: „Die Kirche erscheint hier nicht als ein in stetem Wachstum begriffener höherer Organismus, der die ihm innewohnenden Kräfte unter der beständigen Einwirkung der Strahlen des Heiligen Geistes zur Entfaltung bringt, sondern die Orientalen scheinen das kirchliche Depositum wie ein Kapital zu betrachten, das die Väter ihnen erworben, dessen Nutznießung die Nachkommen haben sollten mit der Verpflichtung, das Kapital selbst nicht nur nicht zu verschwenden, sondern dasselbe auch nicht zu vermehren." Cf. etiam H. J. Schmitt, Krit. Gesch. der neugriechischen und der russischen Kirche, Mainz 1840, 223 sqq.

[3] De hac et sequente ratione cf. Wilmers, Lehrbuch der Religion II[5], Münster 1894, 553 sqq.

est, solam Ecclesiam romano-catholicam falso *naturali suo sensu* duci? Quodsi vero sensum istum sive conscientiam ex cognita absoluta istiusmodi armorum *necessitate* oriri dicas, nonne ex ipsa hac necessitate concludendum est, Deum infallibilitate Ecclesiam exornasse, quia secus sequeretur, Ecclesiae romano-catholicae quae sibi necessaria essent magis exploratum fuisse quam ipsius auctori, si hic ei potestatem, definitivam sententiam in rebus fidei ac morum ferendi denegaverit? An vero haec sapientia, qua axioma de sua infallibilitate constanter defendit, nihil nisi fallax calliditas et astutia fuit? Sed si ita sit, cur Ecclesia romano-catholica numquam experta est veritatem huius divini effati, quod apostolus Paulus ex Iob 5, 13 refert 1 Cor 3, 19: „Comprehendam sapientes in astutia eorum"? Cur igitur ipsa numquam adacta fuit, ut a consectariis principii a se dolose inventi se defenderet, quemadmodum protestantes illo suo de omnimoda in rebus religionis inquirendi libertate axiomate saepe in angustias redacti sunt? Teste enim historia omne falsum ac mendax principium eas sequelas progerminat, quae ipsos postremo mendacii auctores vulnerant et profligant. Quaenam autem sunt vulnera, quae Ecclesiae romano-catholicae eius de sua infallibilitate doctrina inflixerit? Num forte mirabilis illa atque ab ipsis adversariis toties iam celebrata omnium ipsius doctrinarum consecutio et connexio?[1] Num vero non minus miranda tantae ubique terrarum fidelium multitudinis in ipsius doctrina credenda et publice profitenda consensio?

γ) *Idem consequitur ex maxima fiducia et securitate,* qua Ecclesia romano-catholica infallibilitatem sibi vindicat. Confidenter enim ad infallibilitatem suam provocans Ecclesia inde ab initio a doctis aeque atque indoctis illud exegit, quo nihil ab humana superbia difficilius obtinetur, ut doctrinis a se definitis mentem iudiciumque oboedienter submitterent, maximique ingenii viris doctis quid docere debeant, quid non debeant praecipit. Atque si, quo iure id faciat, interrogatur, illud ius non repetit cum pseudoprophetis, v. g. Muhammede, ex mandatis noctu et coram paucis aut etiam nullis amicis acceptis, sed suae auctoritatis documenta omnibus exhibet, ac in testimonium vocat facta omnibus nota et monumenta historica omnino certa, fidemque et oboedientiam non prius postulat, quam auctoritatis suae literae sunt ex-

[1] Ita protestans Marheinecke (Christl. Symbolik II 1, Heidelb. 1810, 34) scripsit hac de re: „Wir, die wir sonst draußen stehen und nur historisch von innen das wunderbare Gebäude vom Fundament aus bis zu seinem Gipfel mit allen seinen Artikulationen und Fugen betrachten, gestehen unserseits, daß uns weder in philosophischen noch in sonst wissenschaftlichen Dingen ein *Lehrgebäude* vorgekommen ist, das nach einmal gelegtem Fundamente mit solcher Gewißheit und Sicherheit aufgebaut, dessen Aufbau mit so viel Kunst, Scharfsinn und Konsequenz durch alle, auch die kleinsten Teile durchgeführt wäre." Necnon Herm. Schulz (Jahrbücher für prot. Theol., Leipzig 1876, 690) scripsit: „Die römisch-katholische Kirche ist die allein konsequente Durchführung der freien Kirche", at utique falsissime continuo addit: „aber sie zeigt, daß der Staat bei ihren Aussprüchen nicht bestehen kann."

aminatae et probatae testesque auditi. Iam vero hic ipse quo ad infallibilitatem suam provocat modus eam Ecclesiae revera competere confirmat; nisi enim ea revera ornata esset, non auderet tali modo eam sibi vindicare. Prudentia scil. vel, ut loquuntur, „astutia" Ecclesiam excellere, ne adversarii quidem denegant. Societas autem intelligentia ac prudentia adeo excellens, qui posset omnibus suae infallibilitatis literas examinandas tam secura ac certa proponere, si illae essent mancae et imperfectae? Qui posset ipsa, quae per longam saeculorum seriem de tot quaestionibus respondit, tot dubitationes tulit, tot controversias decrevit, sine sollicitudine atque pudore in conspectum populorum venire, nisi omnino sibi conscia esset, se numquam a veritate defecisse? Et vero ipsius literarum monumenta accurate iam examinata sunt et adhuc examinantur; in omnes eius sententias ac fidei definitiones inquisitum est et adhuc inquiritur. Et quis fuit exitus huius inquisitionis ferme duo annorum milia iam exercitae? Haud alius, quam ut quicumque etiam maximi ingenii homines, ut oportet, vere *serio et sincero veritatis studio* inquisitionem illam instituerunt, ea finita definitivis Ecclesiae sententiis ut veris ac certis demisso et lubenti animo sese subicerent. Quorum multi, ut S. Augustinus, postquam apud omnes scholas et sectas veritatem quaesiverunt ac nullum fere doctrinae vel philosophicae vel religiosae systema indiscussum reliquerunt, cum in nullo horum tuti ac tranquilli potuissent acquiescere, vagi usque circumerrabant, dum tandem Ecclesia romano-catholica infallibilitatem sibi vindicans vere tutum et tranquillum refugium ipsis praebuit. Firma profecto ea putanda sunt fundamenta, quae adeo probata sunt perspicacitati talium scrutatorum, firma igitur concludendum est esse argumenta, quibus romano-catholica Ecclesia infallibilitatem sibi attribuit. Quod autem quamplurimi alii, malis cupiditatibus et praeoccupatis opinionibus ducti, propter levissimas et nullius ponderis rationes infallibilitatem ei abiudicant, nihil refert; vix enim est ulla philosophica ac religiosa veritas, quae a temeritate atque improbitate hominum non sit impugnata atque irrisa.

δ) Denique Deus ipse Ecclesiae infallibilem se esse dicenti *mirabili huius Ecclesiae conservatione assentitur.* Ecclesia enim iam a novendecim saeculis exstitit, et, id quod omnino notandum est, viget illa quidem ac vitam ducit non *dogmatum negatione,* sed *doctrinam profitendo prorsus positivam quam amplissimam ac malis cupiditatibus humanaequae superbiae quam maxime adversam.* Exstitit autem teste historia Ecclesia ita, ut tribus primis saeculis dirissimis in toto imperio Romano agitata sit persecutionibus et impugnata a quam plurimis sectis, saeculo autem quarto infestata ab arianis et Iuliano apostata. Deinde saeculo quinto tempore ingentis illius migrationis gentium, cum imperium Romanum occidentis barbarorum incursionibus funditus interiret, etiam Ecclesiam in hac orbis terrarum parte illi populi partim gentiles partim haeretici primo videbantur omnino in

perniciem agere atque destruere; sed ecce, ipsa mox doctrina sua eos sibi subiecit, ita ut filiali amore eam ut parentem agnoscerent atque venerarentur[1]. Sed etiam postea ferme semper ad hanc usque aetatem gravissimum bellum sustinendum illi fuit tum internum cum quam plurimis perduellibus alumnis, tum externum cum populis barbaris, regibus aliisque omnis generis potestatibus civilibus, maxime vero cum innumeris sectis et incredulorum turbis, quae, quantumvis inter se oppositae, in impugnanda tamen et, si fieri possit, opprimenda Ecclesia romano-catholica semper concordes fuerunt et sunt. Atque in bello hoc gerendo ad Ecclesiam destruendam adhibuerunt et adhibent adversarii tum apertam armorum vim et omnis generis persecutiones, tum eloquentiam, scriptos libros, poemata, picturas, omnis generis doctrinam et artes omnes, utuntur praeterea calumniis, irrisionibus, S. Scripturae et historiae corruptione, verbo, quibuscumque licitis sive illicitis modis; societates denique inierunt quam maxime numerosas, quae nullis parcunt sumptibus, nullis incommodis et itineribus, dummodo spem habeant Ecclesiam destruendi[2]. Et sane hinc inde per aliquod tempus Ecclesiae inimici in speciem ita triumpharunt, ut, v. g. tempore arianae haeresis proxime post concilium Sirmiense, haud diu iam perstare posse videretur, utque inimici proximum eius interitum iam saepe praedixerint. Verum enimvero Ecclesia haec romano-catholica post singulas tempestates caput rursus extulit aucta robore et auctoritate, et hac nostra adhuc aetate stat in mediis im-

[1] Praeclare Greith (Gesch. der altirischen Kirche 19 sq): „Gott vollzog, wie Fénelon sprach (Serm. à l'Épiphanie), wider den Willen der barbarischen Völker bei der Leitung der Geschichte seinen wunderbaren Plan. Sie zogen aus, um den wahren Glauben Christi zu vernichten, und wurden zu diesem Glauben selbst bekehrt; sie stürmten heran und schlugen die Tempel des Erlösers in Trümmer, bauten aber bald darauf wieder solche von noch größerer Pracht und Schönheit auf; sie warfen sich auf die katholische Kirche mit blinder Wut und begrüßten sie nachmals, von ihr ohne Waffen überwunden, als ihre teuerste Mutter. Die Kirche allein blieb, während alle frühere Herrlichkeit und Macht des Römerreiches zu Grunde ging, und strahlte über dem Schutt und den Ruinen der Völkerwanderung wie eine Königin in ewig junger Kraft und Klarheit dahin. Sie hat über den Abgrund dieser allgemeinen Verwirrung und Zertrümmerung das schaffende und ordnende Wort: Es werde Licht! auf ein neues ausgesprochen und es in der Bildung und Erziehung der neuen Völker auch mit dem herrlichsten Erfolge durchgeführt." Et iam S. Hilarius (De trin. l. 7, n. 4: ML X 202) scripsit: „Magna enim vis est veritatis, quae, cum per se intelligi possit, per ea tamen ipsa, quae ei adversantur, elucet: ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturae suae cotidie, dum attentatur, acquirat. Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur."

[2] Cf. Heinrich (Dogmat. Theol. I 481 nota 1): „In *allen* Perioden ihrer Geschichte hatte die Kirche vieles zu leiden 1. von den *weltlichen Gewalten;* 2. von *Schisma, Häresie* und *falscher Wissenschaft;* 3. durch *Ärgernisse* und *Verrat* so mancher ihrer Mitglieder und Diener; 4. durch das stets in sie eindringende *Sittenverderben der Welt;* 5. durch Schwächen, Fehler und Mißgriffe ihrer *Freunde* und *Verteidiger;* 6. durch *äußere Unglücksfälle* und *Drangsale.* Nur die Formen der Leiden und Kämpfe wechselten, dem Wesen nach blieben sie stets dieselben."

pietatis ac seditionum fluctibus instar rupis immota; nondum est fracta, nondum, ut Graecorum et protestantium tum veterum tum novorum coetus, civilibus potestatibus est subdita et quasi emortua; nondum, ut protestantium omnes ferme coetus, totius quam olim habuit doctrinae positivae professione est privata: sed adhuc propria et antiqua sua virtute interna viget et agit, adhuc interne est libera, adhuc totam doctrinam integre conservat, adhuc in universo terrarum orbe ferme sola iuris publici immutabilis est patrona et praeco, adhuc verum iustumque contra quoscumque hostes ad sanguinis usque perfusionem invicta constantia defendere ac tueri semper est parata, adhuc denique amatur ab innumeris doctis et indoctis omnis nationis et regionis hominibus, adhuc gloriatur alumnis, qui pro Christo sanguinem suum hoc etiam tempore profuderunt. Atque adhuc de Ecclesia romano-catholica verum est, quod iam sua aetate S. Augustinus scripsit[1]: „Ecclesia catholica per totum orbem valide lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad provectus suos et ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, schismaticis ad documentum stabilitatis suae, iudaeis ad comparationem pulchritudinis suae." Quomodo autem prosint haeretici ad probationem doctrinae catholicae, Augustinus ita explicat[2]: „Cum autem foris sunt [haeretici], plurimum prosunt non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quaerendum carnales, et ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando." Quinimmo omnes impetus et hostiles contra Ecclesiam romano-catholicam incursus tantum ad huius vires internas a Deo ipsi tributas magis magisque manifestandas atque augendas contulerunt. Unde mirum illud semper contigit, quod maximarum aerumnarum ac certaminum tempora Ecclesiae romano-catholicae quam maxime gloriosa et proficua evaserunt[3].

Iam vero ut quid probet mira illa Ecclesiae conservatio videamus, ad aliorum coetuum et societatum historiam oculos convertamus.

---

[1] Lib. de vera relig. c. 6, n. 10 (ML XXXIV 127).

[2] Ibid. c. 8, n. 15 (ib. 129).

[3] „Das Zeitalter der Verfolgungen ist das Zeitalter der Martyrer; das Zeitalter der großen Häresien das Zeitalter der Kirchenväter; das Zeitalter der Völkerwanderung und der barbarischen Reiche das Zeitalter der Begründung der christlichen Zivilisation; das Zeitalter der mohammedanischen Welteroberung, des Kampfes der Kaiser gegen die Päpste, des Albigensertums und der Üppigkeit ist zugleich die Zeit des hl. Franz und Dominikus, der höchsten Blüte kirchlicher Kunst und Wissenschaft und der glorreichen Behauptung der kirchlichen Freiheit. Die traurige Zeit des großen Abfalls von der Kirche im 16. Jahrhundert ist die Zeit der tridentinischen Regeneration, der großen Heiligen, der Ausbreitung des Christentums in Amerika und Ostasien. Auch das Zeitalter der Revolutionen und des Staatsabsolutismus, der antichristlichen Aufklärung und des öffentlich herrschenden Unglaubens wird dereinst als die Periode einer wunderbaren Erneuerung des christlichen Geistes und der Rettung der christlichen Gesittung durch die Kirche erkannt werden" (Heinrich l. c. nota 2).

Quam fluxae enim et instabiles res omnes humanae sunt! Quam multae olim florentissimae respublicae christianae regnaque potentissima iamdudum penitus interierunt! Quam brevi religiosi christianorum coetus, ab Ecclesia romano-catholica separati, aut omnem ferme quam discedentes secum sumpserant doctrinam religionis christianae positivam amiserunt et vix amplius alia re quam nomine christiani sunt! Aut certe quod ad internam religiosam virtutem et vim attinet, quot eiusmodi coetus vix non emortui et civili potestati prorsus obnoxii sunt, quam innumerae veteres sectae iamdudum penitus interierunt! His igitur si opponamus invictam Ecclesiae romano-catholicae infallibilitatem sibi vindicantis firmitatem, qua inter res omnes humanas torrentis instar decurrentes sola permansit immota semperque sibi constans, dubitare profecto non licet, quin illa perennitas atque integritas debeatur singulari Dei auxilio, qui res omnes nutu regit atque moderatur, quique se semper Ecclesiae suae affuturum esse promisit. Quod argumentum praebet haud leve, Ecclesiam romano-catholicam eamque solam, utpote quae a novendecim iam saeculis sola sibi infallibilitatem semper attribuit, esse illam ipsam, quam Christus non solum voluit perpetuo futuram, sed etiam infallibilitate dotavit, ut semper etiam in conservatione et professione integrae suae doctrinae immota et constans permaneat. Dubitare igitur non licet, quin Ecclesia romano-catholica polleat illo ipso infallibili magisterio, quod Christus instituit, ipsiusque affirmatio, qua se infallibilem dicit, omnino sit vera.

Confirmatur idem insuper negative sive solutione eorum, quae contra Ecclesiae romano-catholicae pro sua infallibilitate testimonium proferuntur. Sequemur autem in recensendis his obiectionibus Frohschammer[1], qui, cum post sacerdotium catholicum susceptum reliquerit Ecclesiam, quae contra eius infallibilitatem ac in sui ipsius defensionem afferri possunt, attulisse putandus sit omnia.

Dicit igitur imprimis, Ecclesiae pro infallibilitate sua testimonium nullius momenti esse, eo quod Ecclesiae catholicae sociis liberum non sit, istud testimonium ita examinare, ut infallibilitatem reicere liceat.

Ad hoc ita respondemus: utique quamdiu aliquis Ecclesiae romano-catholicae filius esse vult, huius suae parentis infallibilitatem in rebus, quae ad fidem christianam ac mores pertinent, negare aut in dubitationem, quae sit *positiva* et non tantum methodica, vocare non potest, quin eo ipso cesset, animo saltem, esse catholicus; debet ergo eam utpote reapse veram ac certam profiteri. Sed nemo vi ac corporis poenis impeditur, quominus possit ab Ecclesia romano-catholica sese separare eiusque adversariis etiam maxime incredulis aggregatus omni qua velit libertate inquirere, utrum istud Ecclesiae testimonium verum an falsum sit, et si falsum sibi videatur, eius falsitatem quantum valet demonstrare. Porro Frohschammer hoc examen instituit: quid proferat contra Ecclesiae pro sua infallibilitate testimonium, videamus.

---

[1] Das Recht der eigenen Überzeugung 65 sqq.

a) Primum ait, illud testimonium evidenti ratione falsitatis argui ex eo, quod *copernicana terrae motae doctrina,* cum hodie Romae etiam ut vera libere doceatur, a Congregatione tum Indicis tum Inquisitionis tamquam falsa, erronea, haeretica, S. Scripturae adversans et doctrinae catholicae perniciosa damnata et proscripta sit auctore R. Pontifice, qui sive iudicio, quo Galilei damnatus est, subscripserit sive non, certe interdictum, quo illam doctrinam in posterum doceri vetitum esset, diserte confirmaverit et ut diu Romae servaretur effecerit; quodque haec damnatio publicata sit nullo Ecclesiae romano-catholicae episcopo reclamante, singulis ergo et universis tacite consentientibus, atque ita ista veritas tamquam haeresis per duo saecula in illa Ecclesia habita sit[1].

At ex damnatione systematis copernicani nihil in re nostra evinci potest[2]. Catholici enim illam condemnationem nec habent nec umquam habuerunt decretum infallibile R. Pontificis, sed decretum congregationum cardinalium, cui nemo adhuc infallibilitatem attribuit.

α) *Ac primum* quidem sic semper catholicos existimasse, scriptorum catholicorum testimonio in tuto ponimus.

Certe, ut ex pluribus paucos laudemus, episcopus Caramuel y Lobkowitz, Ord. Cisterc., anno 1606 natus, et hinc per longius tempus Galilei

---

[1] Eandem difficultatem Frohschammer iam prius protulerat in opere: Das Christentum und die moderne Naturwissenschaft 50. Quinimmo Bertrand (Revue des deux mondes LIV, Paris 1864, 61) haec scripsit: „La doctrine du mouvement de la terre ... fut reprouvée solennellement et condamnée sans appel.... Paul V décida, avec son autorité souveraine et infaillible, que l'opinion qui place le soleil au centre du monde est une erreur, et une impiété.... Il n'était plus permis de douter, bien moins encore de discuter et examiner une erreur devenue sacrée et inviolable." Alii alio modo re galileana contra catholicos utuntur. Exemplo sit E. Zeller (Vorträge und Abhandlungen II, Leipzig 1877, 272): „Der Umstand, daß weder ein Papst noch ein ökumenisches Konzil, sondern nur die päpstlichen Theologen und die Kongregation des heiligen Offiziums die Lehre des Kopernikus formell verdammt hatten, ist hierbei von untergeordneter Bedeutung.... Nach der Verurteilung Galileis ... wurde das Urteil ... an alle katholischen Nuntiaturen Europas und an alle Bischöfe und Inquisitoren Italiens zur Publizierung versendet. Es bedarf keines Beweises, daß dieses ... nur auf päpstlichen Befehl geschehen konnte, und daß ein solcher Befehl ein rein amtlicher Akt war, daß daher die Ausflucht, Paul V. und Urban VIII. hätten nur als Privatpersonen, nicht in dem amtlichen Charakter, auf den ihre Unfehlbarkeit sich bezieht, der Verdammung der Lehre von der Erdbewegung zugestimmt, ganz unhaltbar ist."

[2] Acta processus galileani integra typis impressa ediderunt H. de l'Epinois (Les pièces du procès de Galilée, Rome-Paris 1877) et K. v. Gebler (Die Akten des Galileischen Prozesses, Stuttgart 1877). Theologo quid iudicandum sit de tota hac re, expendit H. Grisar, Galileistudien. Hist.-theol. Untersuchungen über die Urteile der römischen Kongregationen im Galilei-Prozeß, Regensburg 1882. Cf. Ad. Müller, Nik. Kopernikus, der Altmeister der neueren Astronomie, Freiburg 1898, 121 sq; Idem, Gal. Galilei und das Kopernikanische Weltsystem, ib. 1909; Idem, Der Galilei-Prozeß (1632—1633) nach Ursprung, Verlauf und Folgen, ib. 1909. Contra infallibilitatem Ecclesiae eo processu uti studuit maxime F. H. Reusch, Der Prozeß Galileis und die Jesuiten, Bonn 1879.

aequalis, tractans ipsam quaestionem: „Quam sint certae et indubitatae declarationes cardinalium", haec scribit[1]: „Eminent. D. S. Rom. Eccl. cardinalium decisiones . . . maximae auctoritatis sunt. . . . *Nolumus* [tamen] *eas cum articulis fidei orthodoxae componere*" etc. Et rursus[2]: „Ego auctoritatem practicam a speculativa distinguo: et licet condendi articulos fidei, hoc est sentiendi et credendi, potestatem *soli Pontifici ex cathedra loquenti concedam,* condendi *practicos* articulos loquendi, docendi, concionandi, dictandi et operandi auctoritatem concedo dominis eminentissimis, quos ad Ecclesiae regimen practicum adsumpsit sanctissimus dominus noster. Aio eorundem auctoritatem esse duplicem, interdictoriam et condemnatoriam. Quando liber vel sententia *interdicitur,* non asseritur esse improbabilis, sed neque esse probabilis, sed, iussa manere in gradu probabilitatis, in quo antea, ob bonum publicum vel privatum nec dictari nec defendi praecipitur. . . . Quando aliqua sententia ab eminentissimis dominis *condemnatur, practice* condemnatur. Propositio sic condemnata non pertransit in haeresim, sed perdit omnem extrinsecam auctoritatem et redditur improbabilis *practice.* Quid, si condemnetur *tamquam haeretica? Tunc vi huius condemnationis non fiet haeretica, quae antea non esset haeretica;* sed quae antea erat haeretica, condemnatione declarabitur esse haeretica; idque tanta certitudine, ut eandem non esse haereticam maneat improbabile. In hoc et similibus casibus habent inquisitores auctoritatem interdicendi, praecipiendi, adiurandi; et subditi tenentur in conscientia oboedire, sincere iurare. Ergo in eiusmodi casibus subsunt tribunali actus externi per se, et interni per accidens."

Rursus idem ait[3]: „Patet, quid respondendum sit inquirentibus: *an qui tellurem circumducunt, dicendi sint inoboedientes, an etiam haeretici, vel temerarii?* Respondeo, hanc propositionem: *terra movetur,* bifariam posse considerari; nimirum ut haereseos *damnatam* ab eminentissimis *cardinalibus, praescindendo* a R. Pontifice; et ut *damnatam a Summo Pontifice,* seu ecclesia Romana. Si tantummodo esset condemnata ab eminentissimis dominis, qui illam defenderet, esset inoboediens et temerarius practice, quia tueretur doctrinam improbabilem et interdictam. Addo, eundem, si contumax esset, posse practice puniri ut haereticum, tum quia est suspectus de fide, qui Ecclesiae oboedire non vult, tum quia cardinales, penes quos est practicum Ecclesiae regimen in his materiis, Aristarchi doctrinam haereticam et sacrae doctrinae contrariam declararunt. Ceterum eadem propositio ut a Summo Pontifice condemnata [sic!] (non enim indiget concilii generalis sollemnitate, ut fide tenendas assertiones definiat) esse haereticam etiam speculative pronuntio[4]. Quamobrem cardinales per suam declarationem non fecerunt, quod motus terrae esset haereticus; sed fecerunt, quod ille, qui alias et aliunde erat haereticus et a multis putabatur probabilis aut etiam verus, esse haereticus et Sacrae Scripturae oppositus ab omnibus cognosceretur." Insuper quaerens, quid dicendum sit, si quando certo et evidenter motus terrae demonstretur, Caramuel

---

[1] Theologia moralis fundamentalis I, Lugd. 1676, l. 1, fund. 5, n. 255, p. 104.
[2] Ibid. n. 259, p. 104 sq. [3] Ibid. n. 265 sq, p. 106.
[4] Huius sententiae verbis Caramuel omnino videtur conditionate loqui, ita ut sensus sit: *si* condemnata esset a Summo Pontifice. Hic enim articulus inscribitur: „De motu terrae ab eminentissimis dominis [scil. cardinalibus] condemnato"; et n. 270 dicit: perstare hodie emin. d. cardinalium sententiam nec sublatam esse nec mitigatam, et neutiquam provocat ad auctoritatem Summi Pontificis ex cathedra loquentis. Praeterea enuntiatio illa, nisi esset conditionata, nullatenus latina foret.

haec dicit[1]: „Responderet hic aliquis, in tali casu assentiendum esse demonstrationi...; at *in illo casu dici non posse ecclesiam Romanam erravisse: non enim hanc propositionem speculative sumptam generale concilium aut Pontifex ex cathedra proposuit universae Ecclesiae ut articulum fidei,* ita ut vellet ipsummet internum dissensum esse haeresim; sed *cardinalium* eminentissimum *tribunal,* cuius auctoritas inter homines summa est, definivit, non dari rationem humanitus, propter quam non dicatur motus terrae Sacrae Scripturae contradicere: adeoque *practice* debere haberi tamquam haereticum, qui Pontifici per *cardinales suos* [loquenti] cum pertinacia contradicat. Quodsi per impossibile cras haberetur aliqua nova demonstratio, tunc inciperet dari humanitus ratio, propter quam possent permittere eminentissimi domini, ut in expositione capitis 10 Iosue ad sensum aliquem apparentem aut metaphoricum recurreretur."

Et multo prius, sed post primum cardinalium decretum contra Galilei editum sub Paulo V, scil. a. 1624, dixit H. Grassi S. J.[2], et quidem *ex sententia cardinalis Bellarmini,* ad Mar. Guiducci: „Quodsi inveniatur demonstratio pro terrae motu, convenit interpretari Sacram Scripturam alio modo, quam eousque factum sit de locis, quibus sermo est de stabilitate terrae et motu coeli."

Anno 1631 Libertus Fromondus, postquam dixit[3]: „Duriter quidem hodie de copernicanis censent, et haereticos palam appellitant", et deinceps plures nominavit tum catholicos tum protestantes copernicano systemati adversos, subdit[4]: „Non magnopere tamen curare ista viri quidam in Italia, Gallia, Germania, Belgio, eruditi etiam catholici videntur, qui etiamnum sedulo et omnibus suis motibus terram versant: quia, opinor, cardinalitiam in definitionibus potestatem summam et pontificiam esse negant, et tantisper, donec ista accesserit, satis tutos se et extra haereseos notam esse existimant." Et paulo post de se dicit[5]: „Dum perpendo, quam circumspecti et minime praecipites in rebus fidei e cathedra decernendis Pontifices esse soleant, et suo deinde, non alieno nomine capitalia ista decreta condere, ac cum in diplomate Congregationis pro interpretatione et exsecutione concilii Tridentini expresse Sixtus V dicat: ‚Eorum decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus', lenienda paulisper censura videtur, et S. Congregationis pro Indice librorum auctoritatem non parem, sed supparem tantum pontificiae existimare par est. Itaque copernicanum [systema] apertae

---

[1] L. c. 110.

[2] Opere di Galilei, Firenze 1842—1856, IX 67: „Che quando si trovasse una dimostrazione per detto moto [terrae] converrebbe interpretare la Sacra Scrittura altrimenti che non s'è fatto ne' luoghi, dove si favella della stabilità della terra, o moto del cielo, et questo *ex sententia cardinalis Bellarmini.*" Et vero Bellarminus ad Ant. Foscarini, Carmelit., teste Berti (Copernico e le vicende del sistema copernicano in Italia, Roma 1876), istam epistulam integram referente (p. 121 sqq), inter alia haec scripsit (ib. 123): „Dico che *quando ci fosse vera demonstratione,* che il sole stia nel centro del mondo, e la terra nel 3° cielo, e che il sole non circonda la terra, ma la terra circonda il sole, allora bisogneria andar *con molta consideratione in explicare le Scritture* che paiono contrarie et più tosto dire che *non l' intendiamo che dire che sia falso quello che si dimostra.*" Ac similia dicta esse a Bellarmino refert etiam Cesi in literis ad Ioan. Faber datis die 1 iunii 1628 (Opere di Galilei IX 137). Cf. Grisar, Galileistudien 20 367.

[3] Ant-Aristarchus, Antverp. 1631, c. 5, p. 26. [4] Ibid. 27.

[5] Ibid. 28 sq.

haereseos condemnare nondum ausim, nisi a capite ipso Ecclesiae catholicae expressius aliud videam." Quam sententiam idem scriptor etiam a. 1634, post secundum decretum a cardinalium Congregatione sub Urbano VIII a. 1633 contra Galilei factum, iisdem verbis repetiit [1].

Cartesius etiam die 10 ian. a. 1634 declaravit [2], propter illam damnationem credendum fide christiana nullatenus esse, terram non moveri.

Gassendi P. Cazraeo respondit [3]: „Postremum inaudiisse me quidem latam fuisse sententiam adversus Galileum a Congregatione sacra cardinalium Inquisitioni praesidentium; at non accepisse perinde, fuisse decretum pontificale atque generale consequenter factum." Et rursus anno 1640 ad finem vergente Petro Puteano scripsit [4]: „In eo proinde sum, ut placitum illud reverear, quo cardinales aliquot approbasse terrae quietem dicuntur. . . . *Non quod propterea existimem, articulum fidei esse,* neque enim (quod sciam quidem) id assertum ab illis est, aut apud universam Ecclesiam promulgatum atque receptum; sed quod illorum iudicium habendum praeiudicium sit, quod non possit apud fideles non maximi esse momenti."

Riccioli S. J. vero hunc Gassendi locum dum refert [5], eum „insigne prudentiae et moderationis exemplum" vocat, et insuper ipse addit [6]: „*Etsi nondum sit a Summo Pontifice,* a deputatis tamen ab ipso definitum est [7] potius assertiones motus terrae et stabilitatis solis repugnare S. Scripturae." Quid autem ipse de his Congregationum definitionibus senserit, patet ex his, quae alio libri loco dixit [8]: „Sacra Congregatio cardinalium seorsim sumpta a S. Pontifice *non facit propositiones de fide,* etiamsi eas definiat esse de fide, aut oppositas esse haereticas. Quare cum nondum de hac re prodierit definitio S. Pontificis aut concilii ab eo directi vel approbati, *nondum est de fide,* solem moveri et terram stare *vi decreti* praecise illius Congregationis; sed ad summum et solum vi S. Scripturae apud eos quibus est evidens moraliter, Deum ita revelasse." Atque vel ipse Melchior Inchofer S. J., syste-

---

[1] Vesta sive Ant-Aristarchi vindex, Antv. 1634, tr. 3, p. 97.

[2] Ep. ad P. Mersenne, Oeuvres philos., publiées d'après les textes originaux par L. Aimé-Martin, Paris 1852, Correspondance n. 15, p. 545 (in éd. Clerisalier II, lettre 76). Hic enim Cartesius, postquam dixit, se etiam doctrinam de terrae motu docuisse, et rationibus quidem, quae sibi valde certae et evidentes visae sint, haec subdit: „Je ne voudrais toutefois pour rien du monde les soutenir contre l'autorité de l'Église. Je sais bien, qu'on pourrait dire *que tout ce que les inquisiteurs de Rome ont décidé, n'est pas incontinent article de foi pour cela,* et qu'il faut premièrement, que le concile y ait passé." Et p. 546 addit: „*Ne voyant point encore que cette censure* [la condamnation de Galilée] *ait été autorisée par le Pape, ni par le concile, mais seulement par une congrégation particulière des cardinaux inquiteurs,* je ne perds pas tout à fait espérance, qu'il n'en arrive ainsi que des antipodes, qui avaient été quasi en même sort condamnés autrefois." Idemque paulo post iisdem ferme verbis repetit Cartesius in epist. 80 tomi II ad eundem.

[3] Opera III 641.

[4] Ep. 2, de motu impresso a motore translato n. 13 (Opera III, ed. Lugdun. 1658, 519).

[5] Almagestum novum, Bonon. 1651, P. 2, p. 489. [6] Ibid. 494.

[7] Quod, scil. non a Summo Pontifice, sed tantum a cardinalibus illud decretum esse, ipse, qui Bononiae sub oculis Inquisitionis scripsit, refert ibidem etiam p. 495 et 496.

[8] Ibid. P. 1, p. 52.

matis terrae motae adversarius, ut idem Riccioli[1] ait, docuit, „*probabilius esse,* de fide esse, terram in centro mundi esse ac non moveri", et addit: „de fide, inquam, saltem *indirecte, quatenus* ex eius opposito sequitur aliquid contrarium fidei, videlicet falsa esse loca Scripturae solis motum et terrae stabilitatem asserentia". Ergo etiam hi duo Iesuitae illud cardinalium decretum non ut fidei definitionem agnoscebant, sed tantum *probabilius* censebant, suam doctrinam esse et fuisse iam antea fide credendam, quatenus eam in S. Scriptura revelatam putabant; ergo fide non catholica sive omnes catholicos obligante, sed modo divino-privata, ea scil., qua quivis credere potest et debet, quod existimat esse divinitus revelatum, licet alii id non admittant.

Honoratus Fabri S. J., Romae ad S. Petrum poenitentiarius, in epistula ad quendam copernicanum data, quam Actis suis Academia regia Angliae inseruerit, anno 1665 haec scripsit[2]: „Ex vestris coryphaeis non semel quaesitum est, utrum haberent aliquam pro terrae motu demonstrationem? Numquam ausi sunt id asserere: nil igitur obstat, quin loca illa [S. Scripturae] in sensu literali Ecclesia intelligat et intelligenda esse declaret, quamdiu nulla demonstratione contrarium evincitur; *quae si forte aliquando a vobis excogitetur* (quod vix crediderim), *in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare, loca illa in sensu figurato et improprio intelligenda esse,* ut illud poetae: terraeque urbesque recedunt." Non autem hac ratione Fabri locutus esset aut loqui potuisset, si cardinalium declarationem articulum fidei ab omnibus credendum et *infallibiliter verum* putasset.

Accedit quod Petrus Aloisius Carafa episcopus Tricaricensis et nuntius Coloniae, ex mandato cardinalis Barberini communicans die 20 sept. 1633 cum episcopis et academiis suae nuntiaturae condemnationem et abiurationem Galilei, R. Pontificum Pauli V et Urbani VIII nullam facit mentionem, sed actis Congregationum expositis pergit: „Nos hunc ipsius processum summatim ex *eorundem eminentissimorum cardinalium mandato* referre ac promulgare in legationis nostrae provinciis voluimus, ut ubique et in academiis praesertim innotescat, et potissimum, ut gravitas erroris eiusdem Galilei omnes philosophiae et matheseos tam studiosos quam professores erudiat, ne quid praeter doctrinam sanam et Scripturae Sacrae consentaneam sectari aut aliis exponere praesumant."[3] Atque etiam nuntius Belgii, Fabius de Lagonissa archiepiscopus Compsanus, ad Iansenium profess. Lovan. mense septembri a. 1633 scribens, post relatam sententiam contra Galilei, haec addit: „Atque hoc academiis Belgicis significari *praedicta s. Congregatio voluit,* ut huic veri-

---

[1] Ibid. P. 2, p. 495. Berti (Il processo originale di Galileo Galilei pubblicato per la prima volta, Roma 1876, cxxxvi) dicit: „L'Inchofer mette altrettanto studio a mostrare che la sentenza fu profferita dal Papa *ex cathedra,* quanto ora se ne pone nel sostenere l'opposto." Quod plane falsum est, ut ex textu originali Patris Inchofer refert Ph. Gilbert in Revue des quest. scientif. 1878, I 279 sq. Et revera locutio: *ex cathedra* ibi non est, sed dicitur tantum, fuisse declarationes „auctoritativas", i. e. *legis* vim habentes, sed non eas esse *infallibiles* et *ex cathedra datas.*

[2] Eus. Amort, Philosophia Pollingana, Aug. Vindelic. 1730, Physicae part. P. 1: de coelis q. 2, n. 1, p. 295.

[3] G. Monchamp, Notification de la condamnation de Galilée datée de Liège, 20 septembre 1633, publiée par le nonce de Cologne dans les Pays Rhénans et la Basse-Allemagne. Texte d'après une copie manuscrite avec remarques, Cologne et St.-Trond 1893, 17.

tati se conformare omnes velint." [1] Non igitur ab ipso R. Pontifice, id quod in definitionibus fidei ab ipso latis semper fit, istud decretum promulgatum est.

Quinimmo, id quod ipse Galilei testatur [2], Urbanus VIII cardinali de Hohenzollern a. 1624 dixit, sententiam de motu terrae et solis stabilitate nec esse a *S. Ecclesia damnatam, nec damnari posse ut haereticam,* cuius contrarium fide catholica credendum ab omnibus sit, sed tantum ut temerariam, sive sine firmis argumentis prolatam. Licet igitur cardinalium Congregatio eam sententiam a. 1633 ut haereticam damnasset, ea tamen damnatio cum a R. Pontifice non fuerit approbata, ab ipsa Ecclesia profecta dici neutiquam posset. — Atque ut unum alterumve posterioris quoque aetatis scriptorem commemorem, tum Muratori [3], tum vel ipse Clemens de Nelli [4] diserte dixerunt, illa decreta non fuisse ab *ipso R. Pontifice ex cathedra data.*

Vel ipsis protestantibus aliquibus doctioribus haec nota fuisse ostendi potest. Sic v. g. scribit celeberrimus ille astronomus Ioan. Kepler: „Cetera igitur securos vos reddunt possuntque ferre aut certe non reformidant censuras vestris provinciis usitatas; in uno terrae motu circa solem annuo difficultas oritur eo, quod importunitate quorundam dogmata astronomica loco non suo nec qua par erat methodo proponentium [5] effectum est, ut lectio Copernici, quae ab annis paulo minus octoginta (ex quo Paulo III Summo Pontifici opus dedicatum) liberrima fuit, suspensa porro sit, donec opus emendetur: quod ego seniculus iam, Copernici discipulus, ut quem iam a 26 annis sequor, nuper admodum ab idoneis rescivi. Quamquam non desunt viri ex clarissimis ordinibus, politicis et ecclesiasticis, qui astronomos bene sperare iubeant eo, quod nec perlatam hanc censuram, nec libertati disputandi de rebus mere naturalibus illustrandique Dei opera oppositam, pro repagulo dictitent." Dein, „seu iacta sit alea, seu in periculum res adducta", paucis interpositis concludit: „Petit itaque philosophia, petit Copernicus beneficium restitutionis in integrum a principe [Summo Pontifice], salvo honore iudicum [Congregationum Romanarum]" [6].

Gottfridus Guillelmus Leibniz vero, cum 1699 Romae versaretur, lucubrationem de systemate mundi editurus brevem commentationem conscripsit, qua Congregationibus Romanis ut decreta contra Copernicum abolerent, persuaderet [7]. Postea in literis ad Antonium Magliabecchi datis non abhorruisse a consiliis suis illos, quibus lucubrationem suam destinaverat, edicit [8]. Anno dein 1688 literis datis

---

[1] Libertus Fromondus, Vesta, versus finem praefationis.

[2] Ep. ad princ. Cesi (Opere VI 296): „(al che fu da S. S. risposto) Come santa Chiesa non l'avea dannata, nè era per dannarla per eretica, ma solo per temeraria."

[3] Annali d'Italia (ad. a. 1633) XI, Milani 1744—1749, 146 sqq, ubi scribit: „Gran rumore feci in questi tempi . . . la condanna fatta in Roma, non già con editto ex cathedra del Sommo Pontifice, ma della congregazione del Santo Uffizio, contra la sentenza del Copernico, sostenente il moto della terra intorno al sole."

[4] Vita et commercio letterario de Galileo Galilei II, Losanna 1793, 552, ubi hac de re dicit: „Non fu giammai emanata, immediatamente dall'oraculo del Sommo Pontifice veruna decisione."

[5] Habes igitur, quid Keplerus de galileanis rebus senserit.

[6] Io. Kepler, Harmonices mundi libri 5, Lincii 1619, praef. Cf. L. Schuster, Johann Kepler und die kirchlichen Streitigkeiten seiner Zeit, Graz 1888, 132 sqq.

[7] Leibnizens mathematische Schriften, herausgeg. von C. J. Gerhardt II 2, Halle 1860, 145.

[8] „Cum Romae essem, hortabar egregios quosdam viros, ut faverent libertati philosophiae in re minime periculosa et tolli paterentur, vel desuetudine aboleri censuras in systema terrae motae, idque ipsius ecclesiae Romanae interesse ostendebam, ne ignorantiae, et errori patrocinari ignorantibus videretur. Neque illi sane

Ernestum Hassiae landgravium, ut abolitionem decretorum anti-copernicanorum Romae urgeret, his fere rationibus hortabatur. Prohibitiones illas non fuisse nisi ad tempus datas vel ipsos religiosorum ordinum viros, Mersennium et Honoratum Fabri docuisse. Congregatio si mutaret vel mitigaret censuras priores, tamquam per surreptionem sibi extortas, cum facta astronomica nondum satis cognoscerentur, non offuturum id auctoritati congregationum ac multo minus Ecclesiae, cum Sanctitas sua rei se non immiscuerit. Nullum esse tribunal, quod priora iudicia interdum non reformet [1].

Christianus Wolf, philosophus sua aetate nominatus, haec dicit[2]: „Attendit ad ea quae dicta sunt, curia Romana, cum Galilaeus libertate philosophandi in detrimentum religionis abuti diceretur. . . . Patebat contradictio inter assertum Galilei et receptam Scripturae Sacrae interpretationem. Agnovit tamen curia Romana, nondum inde sequi, hypothesin terrae motae esse falsam: etenim P. Fabri e S. J. . . . declaravit, si quando copernicani motum telluris firmiter demonstraverint, illam ei non adversaturam, cum *propter scandalum* tamquam veritatem eundem proponi non permittatur. Nimirum aut a recepta Scripturae interpretatione in gratiam hypotheseos terrae motae est recedendum, aut eadem est retinenda. In utroque casu non evitabitur scandalum iudicio Fabriano. Etenim si recepta Scripturae interpretatio retinetur et tamen defendi permittatur motus telluris tamquam verus: fieri potest, ut hinc aliqui colligant, Scripturam Sacram docere, quae veritati consentanea non sunt; quo posito multae variis modis consequuntur conclusiones religioni adversae, prout ille qui eas infert, his vel aliis hypothesibus fuerit addictus. Quodsi a recepta Scripturae interpretatione in gratiam hypotheseos, quae nondum demonstrata est, recedatur, periculum est non modo, ne forsan in posterum hypothesis reperiatur falsa, sed et parum conveniens est, in casu inevidentiae theologum cedere philosopho, immo utroque in casu denuo consequentiae fluunt religioni parum respondentes, diversae pro diversitate hypothesium aliarum, quae tamquam praemissae ingrediuntur ratiocinia, quibus conclusio infertur. Et ita non absque ratione scandalosum visum fuit poenitentiario laudato, receptae Scripturae interpretationi nuntium mittere in gratiam hypotheseos philosophicae. Quamvis autem curia Romana noluit, ne scandalum creetur, ut motus telluris defendatur tamquam verus antequam demonstretur, non tamen ideo prohibuit eodem uti tamquam hypothesi in computandis motibus coelestibus et reddendis phaenomenorum rationibus. Etenim ipse Ricciolus eodem motu tam-

---

abhorrebant a conciliis illis meis, ut sperem adeo, si plures accederent Monfortio similes ingenio et auctoritate, posse antiquam libertatem recuperari, cuius oppressio multum nocet excitatis ingeniis Italorum.“ Lettera di Goffredo Guglielmo Leibnitz ad Antonio Malabecchi (Gio. Targioni Tozzetti, Notizie degli aggrandimenti delle scienze fisiche accaduti in Toscana I, Firenze 1780, 92).

[1] „Le P. Mersenne, Minime, et le P. Honoré Fabry, Jésuite, ont reconnu et enseigné dans leurs escrits, que la défense n'a esté que provisionelle, jusqu'à ce qu'on fust mieux eclairci, et qu'elle a esté jugée convenable en ce temps là, pour obvier au scandale, que cette doctrine, repandue alors par Galilei sembloit faire naistre dans l'esprit des foibles. . . . Quand la congrégation changeroit ou addouciroit la censure d'autrefois, comme emanée par surprise, lorsque les faits n'estoient pas assez eclaircis, cela ne sçauroit nuire à son authorité, et encore moins à celle de l'Église, d'autant que Sa Sainteté n'y est pas intervenue. Il n'y a pas point de Tribunal que ne reforme quelques fois ses propres jugemens . . .“ (Leibniz und Landgraf Ernst von Hessen-Rheinfels, herausg. von Chr. v. Rommel II, Frankfurt 1847, 200—202; cf. A. Müller S. J., Nikolaus Kopernikus, der Altmeister der neueren Astronomie, Freiburg 1898, 136).

[2] Philosophia rationalis sive logica methodo scientifica pertractata et ad usum scientiarum atque vitae aptata, auctore Chr. Wolfio, Francofurti et Lipsiae 1728, Discursus praeliminaris c. 6, § 168, p. 98 sq.

quam hypothesi usus. Immo cum Cassinus iunior, astronomus Academiae regiae scientiarum Parisinae, in commentariis istius Academiae a. 1717 adduxerit observationes de parallaxi fixarum ad hypothesim istam demonstrandam, ipso facto patet, licere in ecclesia Romana inquirere in veritatem hypotheseos, quae receptae Scripturae interpretationi adversatur."

β) His praemissis restat ut ostendatur, *cur* tandem damnationem anticopernicanam ab auctoritate infallibili emanasse censeri non possit. Quae res ut intelligatur, duo demonstranda sunt: et decreta Congregationum cardinalium per se infallibilia non esse, et sola Congregationum auctoritate systema copernicanum damnatum esse. Ac primum quidem

α') *decreta Congregationum cardinalium per se infallibilia non esse* patet. Sunt enim illae Congregationes institutionis merae ecclesiasticae, a Pontificibus saeculo XVI ad hoc creatae, ut adiutores sui sint in regenda Ecclesia. Quia enim Summus Pontifex tot ac tantis negotiis in gubernatione ecclesiastica occurrentibus per se solus par esse non potest, in partem sollicitudinis vocat hos virorum doctorum coetus, ut SS. Pontificis nomine ac auctoritate ea expediant negotia, quae, quamvis spectent ad supremi pastoris et doctoris curam et providentiam, personalium tamen eius praerogativarum interventum non requirunt. Unum igitur tribunal constituunt cum R. Pontifice, eorumque acta recte vocantur acta S. Sedis vel SS. Pontificis, eodem modo, quo decisiones ac iudicia tribunalium saecularium ac profanorum sunt iudicia principis, quia eius nomine et auctoritate fiunt ac exhibentur [1].

Inter has Congregationes eae, quae vocantur *Inquisitionis* et *Indicis*, SS. Pontificem adiuvant, in quantum debet providere puritati ac securitati doctrinae ecclesiasticae. Quod ut rite intelligatur animadvertendum est, duplici auctoritate SS. Pontificem invigilare puritati doctrinae, quae docetur in Ecclesia: primo auctoritate infallibili, qua si quid definit, in subditis requiritur internus assensus ex virtute fidei; secundo auctoritate illa minore, quam communiter adhibet, dum fideles a certis opinionibus sequendis retrahit, alias tamquam sanas commendat et praescribit. Huius minoris auctoritatis placita infallibilitate munita non sunt, suscipere tamen tenentur ea fideles tum externa reverentia, publice non docendo, quae vetuit SS. Pontifex, tum, nisi obstent evidentes rationes, interno assensu orto ex virtute oboedientiae communi christianorum patri et pastori debitae. Hanc duplicis auctoritatis distinctionem qui negaret, „cogeretur omnia edicta s. Sedis ad doctrinam quomodocumque pertinentia in uno eodemque censu definitionum ex cathedra habere, quod quidem ex historia ecclesiastica, ex praxi s. Sedis, et maxime ex studiosissima declaratione definitionis ex cathedra a s. concilio Vaticano edita manifesto falsum esse convincitur" [2], nec umquam a theologis catholicis traditum est. Cum Congregationibus porro SS. Pontificem infallibilitatis auctoritatem non posse communicare patet, cum personalis et incommunicabilis SS. Pontificis praerogativa ea sit. Potest tamen communicari et revera communicatur cum Congregationibus Inquisitionis et Indicis auctoritas communis providentiae doctrinalis, in qua ut SS. Pontificem iuvarent, Congregationes illae institutae sunt.

---

[1] Vide Franzelin, Tract. de divina Traditione et Scriptura[2], Romae 1875, 127 sqq; Grisar l. c. 196 sqq.

[2] Franzelin l. c. 128.

Cum gravissimum censeatur munus Congregationibus Inquisitionis et Indicis impositum, a SS. Pontifice eorum decreta approbari solent. Quae approbatio nihil aliud est nisi conditio iuridice requisita, ut haec decreta censeri possint harum Congregationum legitima statuta. Non obstante igitur approbatione, haec decreta manent decreta et iudicia *Congregationum* fallibilia, ac nullo modo evadunt iudicia SS. Pontificis infallibilia. Quodsi enim, ut diximus, non *omnes* SS. Pontificis actus doctrinales sunt definitiones infallibiles, sequitur, ut non omnis et quaecumque eius approbatio declarationi doctrinali superaddita eam infallibilem reddere debeat. Approbantur a SS. Pontifice vel approbata sunt etiam multa alia, v. g. concilia provincialia, opera S. Augustini et S. Thomae Aquinatis. Nemini tamen in mentem venit, propterea omnia, quae in his operibus continentur circa doctrinam, infallibili auctoritate munita considerare. Praeterea nullum decretum pontificium definitio peremptoria ac infallibilis haberi potest, nisi tale esse indubie demonstretur. Atqui nihil est in communibus Congregationum decretis, quod ea infallibilia ipsius SS. Pontificis ex cathedra loquentis statuta esse suadeat; e contra nominantur ea et habentur „decreta Congregationum", ac in iis cardinales alloquuntur fideles, non ipse SS. Pontifex.

Summum Pontificem *posse,* si velit, decretum a Congregationibus praeparatum et confectum ita suum facere ac ita plenitudine suae potestatis fulcire, ut definitio infallibilis evadat, evidens est. Quod interdum R. Pontifices fecerunt, dum post rem diligenter a Congregationibus discussam ac disputatam speciali bulla, quid de fide tenendum sit ex propria auctoritate ac suo nomine definierunt, vel definitionem suam peremptoriam in sollemni Inquisitionis sessione latam iusserunt Inquisitionis decreto promulgari. Priore modo usi sunt v. g. Innocentius X in condemnatione quinque propositionum Iansenii, Innocentius XI in condemnatione Michaelis Molinos. Alter modus placuit v. g. Alexandro VII et Innocentio XI, dum reicerent varias propositiones ex theologia morali. Sed clarum est, si *sua* faciant SS. Pontifices iudicia Congregationum, proprie iam non haberi mera decreta Congregationum, sed SS. Pontificis statuta, et Congregationem se habere ad modum praeparantis et consulentis tantum.

β') *Porro decretum contra Copernicum emissum ex intentione eius auctorum erat decretum Indicis fallibile,* non vero decretum SS. Pontificis infallibile.

Postquam Galilei a. 1615 apud Inquisitionem denuntiatus fuerat, quod teneret doctrinam de immobilitate solis et obiectiones contra hanc sententiam ex S. Scriptura petitas solveret proprio marte S. Scripturam interpretando, auditis theologis suis qualificatoribus Inquisitio 25 febr. 1616 statuit, ut Galilei iuridice sed secreto vetaretur sententiam Copernici docere aut defendere (ut certam), Congregatio vero Indicis 5 mart. 1616 decretum quoddam contra libros copernicanos edidit. Postea cum rursus Galilei libro edito systema copernicanum defendisset, Inquisitio eum 22 iun. 1633 condemnavit et abiurare fecit [1], ac condemnationem eius omnibus nuntiis apostolicis transmisit, ut res notificaretur imprimis academiis. Decretum autem Indicis hoc est:

„Decretum Sacrae Congregationis Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium a S. D. N. Paulo Papa V Sanctaque Sede Apostolica ad Indicem librorum eorundemque permissionem, prohibitionem, expurgationem, et impressionem in universa Republica Christiana specialiter deputatorum, ubique publicandum." Sequitur condemnatio quorundam librorum theologicorum et iuridicorum. Deinde pergitur: „Et quia

[1] De hac abiuratione vide Grisar 213 sqq.

etiam ad notitiam praefatae S. Congregationis pervenit, falsam illam doctrinam Pithagoricam, divinaeque Scripturae omnino adversantem, de mobilitate terrae, et immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de revolutionibus orbium coelestium, et Didacus Astunica in Iob etiam docent, iam divulgari et a multis recipi; sicuti videre est ex quadam epistula impressa cuiusdam Patris Carmelitae, cui titulus ‚Lettera del R. Padre Maestro Paolo Antonio Foscarini . . .' in qua dictus Pater ostendere conatur, praefatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, et mobilitate terrae, consonam esse veritati, et non adversari Sacrae Scripturae: ideo ne ulterius huiusmodi opinio in perniciem catholicae veritatis serpat, *censuit dictos Nicolaum Copernicum de revolutionibus orbium, et Didacum Astunica in Iob, suspendendos esse donec corrigantur.* Librum vero Patris Pauli Antonii Foscarini Carmelitae omnino prohibendum atque damnandum; *aliosque omnes libros pariter idem docentes prohibendos,* prout praesenti Decreto omnes respective prohibet, damnat atque suspendit. In quorum fidem praesens Decretum manu et sigillo Illustrissimi et Reverendissimi D. Cardinalis S. Caeciliae Episcopi Albanensis signatum, et munitum fuit die die 5 martii 1616." — Subscripserunt Card. S. Caeciliae et Secretarius.

Quo decreto quid secundum intentionem Congregationum effectum sit, in sententia condemnatoria contra Galilei lata sic effertur: „Ut prorsus tolleretur tam perniciosa doctrina [Copernici], neque ulterius serperet in grave detrimentum catholicae veritatis, emanavit decretum a S. Congregatione Indicis, quo fuerunt prohibiti libri, qui tractant de huiusmodi doctrina, et ea declarata fuit falsa et omnino contraria Sacrae ac Divinae Scripturae." Non igitur fuit illud decretum mere disciplinare, lectionem scil. quorundam librorum prohibens, sed etiam doctrinale, i. e. condemnans sententiam Copernici[1]. Propter decretum anni 1616 in Indice librorum prohibitorum inveniebantur libri Copernici, Stunicae, Foscarinii et praeterea generalis prohibitio, quae post a. 1664 hac formula exprimebatur: Prohibentur „libri omnes docentes mobilitatem terrae et immobilitatem solis".

Porro illud decretum est approbatum a SS. Pontifice eo modo, quo omnia Indicis decreta a SS. Pontificibus approbari solent. Quod licet in ipso decreto secundum morem *istius* temporis expresse non contineatur, ex pluribus tamen testimoniis coaevis constat atque notum semper erat ex bulla pontificia, qua Index instituitur, et ex consuetudine continuo observata. Recte igitur illud vocatur decretum S. Sedis vel SS. Pontificis, eo *sensu latiore,* quem supra p. 838 explicavimus, scil. in quantum nomine et auctoritate SS. Pontificis a Congregatione est editum. Sic in sententia condemnatoria contra Galilei lata refertur testimonium aliquod a cardinali Bellarmino a. 1616 pro Galileo confectum, in quo Bellarminus vocat decretum Indicis anticopernicanum „declarationem factam a Domino nostro et promulgatam a S. Congregatione Indicis, in qua continetur, doctrinam de motu terrae et stabilitate solis contrariam esse S. Scripturis ideoque defendi non posse nec teneri".

Evidens autem est, decretum Indicis non posse haberi ut definitionem pontificiam *infallibilem.* Etsi enim Congregatio in damnatione anticopernicana egerit nomine SS. Pontificis, et eius auctoritate, ipsa tamen Congregatio Indicis, id quod iam ex decreti inscriptione liquet, illud edidit, ipsa in eo loquitur ac iudicat. Sic autem non possunt dari definitiones ex cathedra, cum ad hoc necesse sit, ut Pontifex ipse loquatur et iudicet. Deinde definitionem infallibilem haberi pro certo affirmandum non est, nisi strictis argumentis id demonstretur. Atqui nihil prolatum est nec proferri potest, quo decreto, de

[1] Plura de hac re vide apud Grisar 147.

quo agimus, dignitas talis vindicetur. Imprimis, ut definitio infallibilis habeatur, demonstretur necesse est, SS. Pontificem totam Ecclesiam velle obligare, ut res proposita fide vere christiana teneatur. Id vero quomodo de damnatione anticopernicana demonstretur? Verba decreti id nullo modo edicunt. Denique doctrina, qua SS. Pontificum definitiones ex cathedra factae habentur infallibiles, tempore condemnationis galileanae universaliter erat admissa. Ergo si tali peremptoria SS. Pontificis sententia Copernici doctrina fuisset damnata, certe ut infallibiliter damnata ubique fuisset considerata. Atqui supra p. 833 sqq vidimus, contrarium locum habuisse[1].

Paulus V quidem in sessione Inquisitionis 3 mart. 1616 ordinavit publicari edictum Indicis, quod 5 mart. exiit[2], qui actus utique papae personalis erat. At „aliud est, quod Pontifex velit, ut Congregationes a se institutae fugantur suo munere, et potestatem eam exerceant, quam ipsis participavit; aliud est, quod ipse ex cathedra docens illud idem affirmet, quod illae docent.... Ut definitio ex cathedra Romana habeatur, loqui debet ille, qui in cathedra sedet, qui est solus episcopus Romanus.“[3]

Dicit Eusebius Amort, Urbanum VIII prohibuisse sub excommunicatione systema copernicanum, et bullae pontificiae, qua decretum editum fuerit, mentionem facit. Sed omnes hodie concedunt, deceptum fuisse Eusebium. Nullum bullae istius vestigium exstat in scriptis Fromondi, Cartesii, Riccioli . . ., episcopi vero Caramuel verba supra p. 831 posita talem bullam excludunt.

Obicit anonymus quidam Anglus, quem per aliquod tempus secutus est Reusch[4], Alexandrum VII 5 mart. 1664 edita bulla Indicem librorum prohibitorum „cum omnibus et singulis in eo contentis auctoritate apostolica“ confirmasse. Ergo cum in Indice contineatur decretum, quo doctrina de terra mota „falsa divinaeque Scripturae omnino adversans“ declaratur, auctoritate infallibili tunc damnavisse Alexandrum VII systema copernicanum. At facile ad haec respondetur. Alexander enim VII decretis Indicis confirmare voluit eam auctoritatem, qua iam pollebant, noluit iis novam superaddere. Secus sollemniore modo locutus esset, et doctrinas infallibili auctoritate donandas et ornandas singillatim enumerasset. Ceterum ipse Reusch postea errorem suum agnovit[5].

Ex iis quae dicta sunt non fuisse patet, cur episcopi illis decretis reclamarent, tamquam fidei veritatibus contraria essent. Patet insuper, falso Ecclesiae romano-catholicae fidem mutatam dici eo, quod systema antea ab

---

[1] Ipse protestans K. v. Gebler (Galileo Galilei und die röm. Kurie nach den authent. Quellen, Stuttgart 1876, 298) scribit: „Dank einer klugen Vorsicht darf die christkatholische Nachwelt heute nur sagen: Paulus V. und Urban VIII. hatten sich bezüglich der Kopernikanischen Weltanschauung zwar ‚als Menschen‘ geirrt, doch nicht ‚als Päpste‘.“

[2] „Relato decreto Congregationis Indicis, qualiter fuerunt prohibita et suspensa respective scripta N. Copernici . . . Didaci a Stunica in Iob et Fr. Pauli Antonii Foscarini Carmelitae, SSmus ordinavit publicari edictum a Magistro S. Palatii huiusmodi suspensionis et prohibitionis respective“ (apud Gherardi, Il processo Galileo riveduto sopra documenti di nuova fonte, Firenze 1870, 29).

[3] Palmieri 727.

[4] Theol. Literaturblatt, Bonn 1870, 813.

[5] „Man kann aber darauf mit Grisar antworten: Alexander VII. will offenbar durch diese Bulle den in der neuen Ausgabe des Index abgedruckten Dekreten, also auch dem obigen, keine neue Geltung, über diejenige hinaus, welche sie bisher genossen, beilegen. Er hat ihre Natur nicht geändert“ (Reusch, Der Prozeß Galileis und die Jesuiten 443).

ipsa reiectum postea admiserit atque contrarium S. Scripturae haud amplius iudicet. Neque enim copernicanum aut ptolemaeum systema umquam putavit dogma fidei esse.

Nota. De reliquis Copernici libri fatis non est nostrum hic agere. Notentur tamen haec pauca. 1. Numquam Copernici liber a Congregatione absolute prohibitus fuit, sed „donec corrigatur". Immo votum aliquod cardinalibus Congregationis Indicis propositum sic incipit[1]: „Tria sunt, Ill^mi et Rev^mi Patres, quae circa emendationem librorum 6 Copernici de Revolutionibus ab Ill^mis Dominationibus vestris diligenter sunt consideranda, quorum alterum est, praedictos libros Copernici omnino pro utilitate reipublicae christianae conservandos ac sustinendos esse." 2. Mutationes, quae ex decreto Indicis anni 1620 postulantur, ut liber Copernici ab omnibus libere legi possit, substantiam libri non tangunt. Fere enim in hoc eae consistunt, ut deleantur verba, quibus Copernicus absolute stabilitatem solis docet, et eorum loco ponantur verba, quae stabilitatem solis tamquam hypothesim exprimunt[2]. 3. Post Galilei dialogum de systemate mundi 1634 prohibitum nullus alius liber propter copernicanum systema defensum positus est in Indice librorum prohibitorum, quamquam multi eiusmodi libri in vulgus ederentur. Contra nullum defensorem systematis copernicani Congregatio Inquisitionis poenas decrevit vel processum iuridicum instruxit[3]. 4. Practice igitur prohibitio librorum Copernicum defendentium non urgebatur a tribunalibus Romanis, licet decretum anni 1616 non abrogaretur. Postquam autem systema copernicanum post aberrationem lucis stellarum fixarum anno 1725 a Bradley observatam certum evasit, Congregatio Indicis 10 maii 1757 decrevit, *generalem* prohibitionem omnium librorum Copernicum defendentium omittendam esse ex Indice. Manserunt tamen particulares prohibitiones librorum Copernici, Stunicae, Foscarinii. Quas non obstare, quominus systema copernicanum publice impressis libris doceri possit, anno 1820 et 1822 ab Inquisitione declaratum est. Omissae eae sunt in editione Indicis librorum prohibitorum anni 1835[4].

b) Aliud deinde contra infallibilitatem Ecclesiae romano-catholicae profertur: ecclesia Romana per multa saecula *usuras severissime prohibuit,* immo concilium Viennense earum defensioni haeresis notam inussit[5]. Hodie vero eadem Ecclesia censum percipientes non inquietat ac foenus permittit. Ergo contra se ipsam est ac infallibilis haberi nequit[6]. Ad quam obiectionem haec respondemus:

---

[1] J. Hilgers, Der Index der verbotenen Bücher, Freiburg 1904, 541.

[2] A. Müller, Kopernikus 133 sqq. [3] Grisar l. c. 141. [4] Ibid. 142 sq.

[5] „Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum, locorum nihilominus Ordinariis et haereticae pravitatis Inquisitoribus districtius iniungentes, ut contra eos quos de errore huiusmodi diffamatos invenerint aut suspectos, tamquam contra diffamatos vel suspectos de haeresi procedere non omittant."

[6] Prohibuerunt usuras vel ipsa concilia generalia Lateranense III, IV, V (annis 1179, 1215, 1516), Lugdunense II (1274), Viennense (1311). Ex anno 1830 vero prodierunt complura decreta tum Poenitentiariae, tum ipsius Inquisitionis, quibus fideles foenus percipientes „non esse inquietandos" edicitur. Vetera interdicta usurarum vide in Corpore iuris canonici tit. de usuris, recentiores concessiones in Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis VI, Friburgi 1882, 677 sqq. Interdictorum et concessionum principaliora invenis v. g. ap. Aug. Lehmkuhl, Theol. mor. I[10], Friburgi 1902, 689 sqq, § 1098 1103. Pro solutione apparentis contradictionis cf. Lehmkuhl l. c. § 1105 sqq et in periodico Stimmen aus Maria-Laach XVI, Freiburg 1879, 225 sqq 384 sqq 470 sqq; H. Pesch in Zeitschrift für kath. Theol. XII, Innsbruck 1888, 36 sqq; Dom. Palmieri in notis ad

Utrum revera concilium Viennense summa sua auctoritate tamquam rem de fide tenendam definiverit, defendere usuras esse haeresim, omittimus inquirere. Ad obiectionem enim propositam sufficit respondere, non mutasse Ecclesiam doctrinam suam, sed in morali aestimatione hominum pecuniam mutasse suam naturam, quo fiat, ut contractus foenebris, qui medio aevo interdicebatur, alius sit a contractu foenebri hodie permisso. Aliud igitur olim reiciebatur, aliud hodie admittitur, atque ita nulla in hac re statui potest contradictio.

Quod ut explicetur, statuendum est α) numquam Ecclesiam *omne* lucrum ex pecunia mutuo data perceptum damnasse. Ut enim dicit concilium Lateranense V sess. 5, „ea est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur". Unde concludes α') eum hic contractum ab Ecclesia damnari, in quo „nullus labor, nullus sumptus" mutuantis, „nullum periculum" sortis cohonestet lucrum ultra sortem perceptum. Itaque si mutuator non poterat pecuniam mutuo dare sine suo sumptu, i. e. si debebat damnum subire vel lucro alicui renuntiare, ut mutuo daret, licitum ipsi erat, aliquid ultra sortem sibi reddendum postulare. Unde porro sequitur, *si* conditiones externae universae decursu temporis ita mutentur, ut *per se semper* cum pecunia mutua data coniungantur „sumptus" vel „periculum", per se etiam ac generatim ultra sortem mutuo datam aliquod lucrum posse exigi. Ex concilio Lateranensi sequitur β') foenebrem contractum propterea esse existimatum illicitum, quia pecunia sit res infrugifera. Unde patet, *si* externae rerum conditiones ita mutatae sint, ut pecunia iure existimari possit frugifera, foenus ex ea perceptum non iam esse illud foenus, quod tamquam usuram veteres leges ecclesiasticae damnaverunt.

Plenius veterum theologorum de usura doctrinam exponit Benedictus XIV in encyclica „Vix pervenit" data 1 nov. 1745 ad episcopos Italiae. Ubi § 3 sic dicit sub n. 1 et 3: „Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod ipsius ratione mutui sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est." — „Per haec autem nequaquam negatur posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, ‚titulos' eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam exigendi."

Hos autem titulos amplius aliquid exigendi Benedictus XIV alibi[1] dicit esse titulos damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortis, poenae conven-

---

Ant. Ballerini opus theologicum morale in Busenbaum Medullam III[2], Prati 1892, 660 sqq; Th. Meyer, Institutiones iuris naturalis II, Friburgi 1900, 250 sqq; Vikt. Cathrein, Moralphilosophie II, Freiburg 1899, 347 sqq. De historica rei parte vide F. Funk, Zins und Wucher, Tübingen 1868; Idem, Geschichte des kirchl. Zinsverbots, ib. 1876; G. Ratzinger, Die Volkswirtschaft in ihren sittl. Grundlagen, Freiburg 1894, 285 sqq.

[1] De syn. dioec. l. 10, c. 4.

tionalis[1], si scil. mutuatarius suo tempore sortem non reddat. Unde ex Benedicti XIV verbis iterum habes, non *omnem* compensationem, quae propter pecuniam mutuo datam percipitur, esse usuram, sed solummodo illud lucrum eo nomine notari, quod *ratione ipsius mutui* habetur, ac nullo titulo ipsi contractui mutui extrinseco cohonestatur. Contractus autem mutui ex theologorum ac iurisconsultorum sententia ille est contractus, „quo unus rem suam primo usu consumptibilem seu rem sterilem et infructuosam in alterum transfert cum obligatione rem similem, i. e. eiusdem generis ad aequalitatem reddendi“[2]. Cur autem ratione talis contractus nihil postulari possit, quam ut res eiusdem qualitatis ac quantitatis reddatur, sic potest ostendi. Si alteri tradis rem aliquo modo fructuosam, v. g. arborem frugiferam, vaccam lac et foetus dantem, bovem laborantem, instrumentum ad laborandum utile, recte praeter restitutionem ipsarum rerum aliquid pro earum usu potes exigere, quia in re tradita praeter substantiam etiam usus est pretio aestimabilis. Aliter autem res se habet in iis rebus, quarum usus, cum fructus nullo modo ferant, est ipsa earum consumptio. V. g. si alteri mutuo das vinum, non potes exigere, ut etiam pro huius vini usu, i. e. eius consumptione, tibi aliquid rependatur. Tradendo enim hanc quantitatem vini *ut consumendam,* iam ipsum ius consumptionis tradidisti nec potes seorsum tradere primo eius substantiam ut consumendam, deinde eius consumptionem. Praeterea substantia vini mutuo dati transit in dominium mutuatarii eam consumentis. Nemo autem ditescere debet ex usu rei alienae. Ex his omnibus iterum vides, omnia in hac quaestione pendere ex eo, utrum pecunia hodie sit res frugifera an non, et utrum titulus ipsi contractui mutuationis extrinsecus semper et per se hodie adsit, propter quem occasione pecuniae mutuo datae aliquod emolumentum percipere licet necne.

3) Iam vero ingentem mutationem totius rei pecuniariae ab initio praesertim saeculi XIX locum habuisse nemo negare potest. Machina enim vaporea inventa secuta est ex una parte maxima facilitas communicationis ac negotiationis lucrosissimae cum ditissimis etiam gentibus, ex altera vero parte maxima facilitas producendi sine magnis expensis maximam copiam rerum utilissimarum. Ex hisce autem rerum conditionibus, ut illud lucrum ingens percipiatur, quod hodie non raro percipi videmus, non sola sufficit negotiatorum ac producentium industria, sed accedere debent ingentes pecuniae. Cogita v. g. societates illas, quas vocamus „actionum“; certe nisi quam maxima „capitalia“ iis praesto essent, sola industria ac sollertia non sufficeret ad ea lucra, quae possessoribus „actionum“ offeruntur gignenda. Unde habes, ut *ipsa pecunia hodie fertilis* aliquo modo censeri debeat, ac spectatis hodiernis rerum conditionibus *universaliter et semper* fertilis habenda sit. Nam cum exsistant adeo multae societates negotiationi intentae, quibus unusquisque suam pecuniam licet exiguam tradere possit ad percipiendum lucrum, non iam singulari singulorum industriae ascribendum est, cum lucrantur pecunia sua, sed ipsi pecuniae fertilitas quaedam adhaerere censeri debet.

Accedit altera ratio, cur pecunia hodie fructuosa haberi possit. Medio scil. aevo adeo facile universim non erat, agros aut res fructiferas sibi com-

---

[1] Titulum damni emergentis agnoscit S. Thom., S. th. 2, 2, q. 78 ad 1. De titulo lucri cessantis cf. ib. q. 62, a. 4; de reliquis titulis cf. Corp. iur. can. c. 10 et 19, X de usuris (V, 19).

[2] Lehmkuhl, Theol. mor. I[10] § 1090.

parare, cum maximam partem haec possiderentur a principibus, monasteriis etc. Hodie vero magna in hac re habetur facilitas. Pecunia autem earum rerum valorem habet, quae pecunia comparari possunt. Merito igitur hodie ea aequivalere existimatur rebus fertilibus, et ipsa fertilis putatur.

Sequitur igitur ex dictis, hodie in pecunia praeter eius substantiam universim utilitatem aliquam pro negotiatione posse considerari, quae pretio aestimabilis sit. Qui igitur renuntiat huic utilitati in proprium commodum convertendae, lucri sibi cessantis aliquam compensationem exigere iure videtur posse. Qui vero hanc utilitatem cedit alteri, rem pretio aestimabilem cum revera tradat, pretio hanc vendere alteri potest, quod pretium est illud, quod vocamus foenus.

Titulus igitur ipsi mutuo extrinsecus, quo praesente medio etiam aevo foenus perceptum a labe usurae purum habebatur, hodie universaliter adesse prudenter putari potest. Unde fit, ut contra leges ecclesiasticas antiquas non peccet, qui hodie foenus percipiat, ac nulla contradictio sit in eo, quod Ecclesia foenus vetus vi mutui ipsius perceptum tamquam usurarium damnarit, recentius foenus titulis externis per se cohonestatum non damnet.

Addi potest alia ratio, cur hodiernus contractus foenebris non iam sit contractus mutui sensu stricto. Huius enim obiectum est res consumptibilis, „quae primo usu ita perit, ut sequentibus usibus nequeat inservire". Hoc autem de pecunia mutuo data hodie non valet. Nam cum mutuator pecuniam numeratam mutuatario dat, ab hoc postulat syngraphum de pecunia data, qua syngrapha mutuator in commercio hodierno uti potest fere eodem modo ac pecunia numerata[1].

Etsi autem concedendum est, non omnes catholicos doctores eodem modo explicare, cur hodie foenus moderatum iniustitiae accusari non possit, nihilominus tamen Ecclesia eo quo agit modo circa foenus se habere potest. Ut enim foenus hodiernum tolerari possit, nihil requiritur, quam ut eae rationes hodiernum foenus cohonestent, quae viro prudenti eius liceitatem persuadere possint. Tales autem rationes allatae utique sunt[2].

c) *Praeterea obicitur*[3], Ecclesiam romano-catholicam hucusque semper incertam et inconstantem fuisse respectu *intentionis,* ut dici solet, in administrandis sacramentis.

Quam inconstantiam cum huius Ecclesiae infallibilitate eo minus conciliari posse, quod agatur de maximi momenti doctrinis ecclesiasticis et cultus divini officiis, a quibus rite intellectis et gestis ecclesiastica gratiae divinae communicatio et tota fidelium salus pendere cogitetur. Et huius quidem inconstantiae argumentum hoc profert adversarius: Nicolaus I baptisma a iudaeo inter Bulgaros collatum validum declaravit, necnon etiam Innocentius IV

---

[1] Palmieri l. c. 660 666.

[2] Sic Card. A. Steinhuber: „Weil infolge der veränderten wirtschaftlichen Lage der Neuzeit die verschiedenen Ansichten der Gelehrten über die eigentliche Natur der modernen Kreditgeschäfte vom Heiligen Stuhl als mehr oder minder wahrscheinlich betrachtet werden, so tritt, vom Fall der Notlage des Kreditsuchenden abgesehen, kaum jemals der Fall ein, daß dem Kreditgebenden nicht entweder ein titulus oder die zum erlaubten Handeln hinreichende Wahrscheinlichkeit zur Seite stünde, daß das von ihm beabsichtigte Kreditgeschäft ein vom mutuum verschiedener erlaubter Vertrag sei" (citatur ap. Ratzinger l. c. 267).

[3] Frohschammer l. c. 72 sqq.

baptisma, quod saracenus ignorans plane, quid nomine Ecclesiae intelligendum esset, administraverat; contra vero concilium Tridentinum sess. 7 decr. de sacram. can. 11 constituit: „Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit"; et Pontifex Alexander VIII damnavit hanc sententiam: „*Valet* baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia." Nihilominus dicit, theologos catholicos etiamnum hac de re nondum consentire pluresque contrariam sententiam adhuc in scholis defendere, ideoque tamen ab Ecclesia non reprobari.

Sed etiam haec Ecclesiae romano-catholicae infallibilitati non refragantur. Ecclesiam enim, ut sacramenta valerent, ab eorum ministris non tantum recentiore, verum omni aetate semper requisivisse, ut facere vellent, quod in iis conferendis facit Ecclesia, theologi dogmatici demonstrant et satis iam constat ex hoc, quod Ecclesia numquam validum habuit v. g. baptisma, quod ab insanis vel ebriis, vel per iocum et ludibrium collatum erat. — Singularia autem illa facta, quae obiciuntur, nihil probant, quia in iis „intentio sufficiens interna supponitur"[1]. Ac certe iudaeus Bulgaros baptizans sumitur a Nicolao I serio et non iocose rem peregisse et facere saltem voluisse, quod christianos sive Ecclesiam baptismi ritu facere ipse putabat. Innocentius IV autem in commentariis ad Decretales in caput: *Si quis puerum* haec de memorata re scripsit[2]: „Si aliquis in casu necessitatis constitutus vel etiam sine necessitate vadat ad saracenum et dicat: baptiza me, et doceat eum formam, et ille saracenus baptizet non credens, per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, et intendat eum baptizare vel etiam madefacere *secundum intentionem petentis baptismum*, i. e. ut *baptismus operetur, quidquid operari potest*, et ipse baptizans *tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt*, licet non credat, ipsum posse aliquid operari, vere baptizatus est, *sed si hoc non intenderet, non baptizaret.*" Innocentius igitur de baptismo non aliam doctrinam hic tradidit quam postea Tridentinum concilium; ad baptismum enim tamquam necessariam requirit intentionem baptizandi, i. e. intentionem non solum balneandi sed administrandi ritum, quo baptizant christiani, necnon conferendi illum ritum secundum mentem petentis et generatim christianorum sive Ecclesiae. Licet enim ille saracenus prorsus ignoret, quid nomine Ecclesiae intelligendum sit, cum tamen facere velit, quod noscit christianos baptismi ritum observantes facere, implicite idem intendit facere, quod facit Ecclesia; ideoque baptisma tum a iudaeo tum a saraceno serio collatum validum censeri recte omnino potuit. Omnes certe theologi catholici etiam statuunt, „numquam iterandum esse baptismum, qui serio et praescripta verborum formula fuit celebratus, neque de interna et occulta intentione anxie esse inquirendum; sufficere ad depellendas anxietates tranquillandosque animos certitudinem moralem, omnimodam autem securitatem in rebus ad salutem pertinentibus in hac mortali vita haberi non posse"[3]. Quare Pontifices illi nullatenus doctrinam secuti sunt contrariam illi, quam Ecclesia semper docuit et in concilii Tridentini laudato canone definivit.

---

[1] Franzelin, Tract. de sacramentis in genere, Romae 1868, 242.

[2] Ibid. 247.

[3] Liebermann, Instit. theol. IV, Moguntiae 1836, 174.

Neque etiam ullus theologus catholicus istius intentionis necessitatem ab Ecclesia definitam umquam negavit, sed theologi disputant tantum de istius intentionis obiecto, sive quid illud sit, ad quod referenda sit ista intentio. Disputant scil., utrum requiratur intentio *interna*, an sufficiat *externa*; sive an satis sit, ut sacramenti minister intentionem habeat, serio et non ioco vel mimice perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhiberi solet, etiamsi animo cogitet, se nolle facere, quod facit Ecclesia, dummodo hanc suam voluntatem nullo signo prodat. Cui quidem opinioni etiam post Alexandrum VIII paucos adhaesisse facile explicari potest. Etsi enim, ut ait Benedictus XIV [1], huic sententiae grave vulnus inflictum est ab Alexandro VIII, nihilominus, cum thesis ab eo damnata etiam propterea falsa sit, quia validus esset ille baptismi conferendi conatus, quo, ut ait idem pontifex [2] „ritus externus aut non serio, sed ioco et mimice peragitur, aut ab illo exercetur, qui aliunde, hoc est, ab aliqua exteriore circumstantia, puta a sacramenti postulatione, non determinatur ad agendum nomine Ecclesiae, seu tamquam Ecclesiae minister“: ipsa sufficientia intentionis externae damnata non est, et, „utut haec res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit *expressa apostolicae sedis definitio*“ [3]. Nulla autem ratio est mirandi, quod illa sententia damnata non est. *Practice* enim eam sequi, i. e. baptismum conferre cum sola intentione externa, *omnes* concedunt non licere. Ministrum enim sacramenti, cum de huius valore agitur, per se sequi omnino debere, relicta minus tuta, quantumvis probabili vel etiam probabiliore, sententiam *tutiorem*, iure docent omnes catholici theologiae moralis doctores, et contraria sententia ab Innocentio XI damnata est.

d) *Denique* Ecclesiae romano-catholicae infallibilitatem valde dubiam reddi contendit Frohschammer [4], eo quod medio aevo tum damnationem et supplicia hominum, qui magiae rei declarabantur, non solum non reprobaverit, sed etiam quamplurimum promoverit atque ita falsissimam opinionem foverit; tum etiam quod non statim detexerit fraudem Pseudo-Isidori, praesertim cum ista fraus ad ipsam Ecclesiae intimam naturam spectarit. — At manifesto ista ad Ecclesiae infallibilitatem non pertinent. Numquam enim Ecclesia romano-catholica sibi infallibilitatem vindicavit in diiudicandis rebus, quae mere humanae sunt et nec ad revelationis christianae doctrinam nec ad eius defensionem pertinent aut ullatenus necessariae dici possunt. Iam vero eiusmodi facta sunt illa duo, quae adversarius opponit.

Quaestio enim, utrum hic vel ille homo magiae deditus sit, et utrum hic vel ille liber, excepta tamen S. Scriptura, contineat fictitia atque interpolata, utrum sit Isidori an Pseudo-Isidori, neutiquam est revelata aut ad doctrinae christianae tutelam necessaria. Ratione sane magiae Ecclesiae magisterii infallibilis est tantum, eam damnare necnon eius *possibilitatem* defendere; hanc enim non solum nullus christianus, sed nec ullus sanae mentis et veritatis studiosus homo negare potest, cum et malorum spirituum exsistentia ac communicatio aliqua cum hominibus non repugnet eamque admiserint non solum omnes omnium temporum gentiles; praeterea hodie inter cultissimos orbis

---

[1] De syn. dioec. l. 7, c. 4, n. 8 9. [2] Ibid. [3] Ibid.
[4] L. c. 74 sqq.

populos quam plurimi, qui a christiana religione quam maxime alieni sunt, spiritus et mortuos evocare eosque de variis rebus interrogare student. Iam vero Ecclesia romano-catholica magiam semper proscripsit, ut videre est apud doctrinae moralis doctores, et anno quidem 1325 eam damnavit Ioannes XXII sollemni ea de re edita bulla [1], recentiore vero tempore usus tabularum rotantium a variis episcopis pariter iure omnino damnatus est. Ceterum ex ipsis poenis, quibus magicis artibus dediti olim affecti sunt, evidens est, quantum Ecclesia magiam abhorruerit. Quod autem olim non solum viri ecclesiastici, sed etiam laici, et protestantes quidem non minus quam catholici tot magiae deditos esse putarunt, fuit error mere humanus, nihil prorsus Ecclesiae infallibilitatem afficiens.

Internoscere porro, utrum Pseudo-Isidori decretales verae essent an non, fuisse rem artis criticae, minime autem Ecclesiae magisterii infallibilis, evidens est, nec contrarium inde probatur, quod, postquam illae decretales per duo saecula ubique iam ut verae et genuinae admissae erant, etiam ipsi R. Pontifices ad iura sua declaranda et defendenda *bona fide* iis usi sunt. Primatum enim plenae iurisdictionis R. Pontificum in istis decretalibus nullatenus inniti, supra iam vidimus (cf. p. 805 sqq 817); nec generatim ulla iura primatus huic non ex ipsius natura competentia et nondum exercita R. Pontifices illis decretalibus sibi vindicasse, sed ideo tantum Pseudo-Isidori decretalium collectionem tam brevi tempore ubique acceptam esse, quod ea rerum statui iam antea vigenti responderint, contendunt ac probant recentes doctissimi viri non solum catholici, sed etiam protestantes [2].

2. Ecclesia romano-catholica pollet apostolicitate doctrinae ac fidei ratione facti. Nam

a) *doctrina apostolica integra atque pura* habetur, ubi est apostolica successio, utpote cum praesentia magisterii infallibilis ex Christi voluntate in perpetuum coniuncta (supra p. 379 sqq); atqui apostolica successio habetur tota in Ecclesia romano-catholica; ergo etiam ibi est doctrina apostolica tota ac pura.

b) *Quod in Ecclesia romano-catholica* semper affuit semperque adest magisterium infallibile, solum habet et potestatem et officium Christi doctrinam puram et integram authentice docendi et custodiendi et ab adversariis vindicandi; ergo cum ipsum, ut iam probavimus (p. 318 sqq), numquam deficiat, fieri omnino numquam vel potuit vel in posterum poterit, ut huius Ecclesiae doctrina non fuerit semper, sitque nunc et in omne tempus futurum eadem ipsa tota ac pura, quam Christus docuit et apostoli praedicaverunt; alioquin enim Christus dicendus esset non praestare magisterio a se instituto semper assistentiam absolute a se ei promissam, qua illud ab omni errore immune usque conservet. Tametsi igitur Ecclesiae romano-catholicae magisterium infallibile temporis decursu plures doctrinas definivit et omnibus catholicis explicite credendas praescripsit, quae antea non

[1] Bullar. Rom. IV, Taurini 1859, 316.

[2] Praeter alios cf. Hergenröther, Anti-Janus 104 sqq; Realenzyklopädie für protest. Theol. und Kirche XVI[3] 265 sqq.

erant aut explicite credendae, aut certe non ita definitae, ut qui eas negaret, eo ipso haereticus habendus esset, ideo tamen fidem apostolicam numquam mutavit, sed tantum pro temporibus magis explicavit ac clariorem certioremque reddidit. Illud enim magisterium, utpote infallibile, nihil umquam fide immediate divina credendum proponere atque definire potest, quod non sit aliqua, explicita vel implicita, ratione divinitus revelatum (cf. p. 394).

Confirmari potest haec apostolicitas Ecclesiae romano-catholicae tum mirandis prorsus in virtutum palaestra effectibus, quos ipsius doctrina ubique terrarum produxit, tum quam plurimis miraculis, quibus istius Ecclesiae missionarii, atque imprimis S. Franciscus Xaverius ipso saeculo decimo sexto praedicatae a se doctrinae veritatem demonstrarunt. Sed haec postea in quaestione de sanctitate Ecclesiae romano-catholicae proprie vindicanda sunt.

Verissime igitur est thesis nostra, qua diximus, notam apostolicitatis ratione et regiminis et originis et doctrinae ac fidei Ecclesiae romano-catholicae omnino competere.

Coroll. I. Falsissimum igitur est, quod huius Ecclesiae adversarii contendunt, eam primis iam temporibus a vera Christi doctrina defecisse ita, ut hanc in multis saltem plane corruperit. Nec hoc loco ullatenus necesse est, singulas ab illis impugnatas Ecclesiae romano-catholicae doctrinas vindicare, cum id ad theologiam dogmaticam pertineat, cumque ex demonstrata infallibilis magisterii in illa Ecclesia exsistentia perpetua certissimum sit, nihil umquam ab hac Ecclesia tamquam fide immediate divina credendum potuisse aut posse doceri, quod non prorsus verum et divinitus revelatum sit. Insuper notum est, nonnullas Ecclesiae romano-catholicae doctrinas, uti v. g. illam quam de cultu B. V. Mariae et sanctorum tradit, non alio modo quam earundem rectum sensum detorquendo et calumniando ab adversariis impugnari: quod argumento est, eas recte intellectas impugnari rationibus idoneis non posse.

Coroll. II. Ecclesia igitur romano-catholica „pro sua auctoritate doctrinali sex muneribus fungitur non re, sed ratione distinctis[1]. 1. Fungitur munere *testis,* tum quia non ideo missa divinitus est, ut propria inventa doceret, sed ea, quae prius in persona suorum fundatorum vidit et audivit, testaretur et annuntiaret (1 Io 1); tum quia debet, Christo sic praeordinante, religionem ipsius non scientifica demonstratione, neque sola auctoritate instrumentorum, sed vivente, perpetuo et authentico suo testimonio probare et propagare. 2. Fungitur munere *custodis.* Nam ut suum munus testis obeat, non novas in dies revelationes accipit, sed semel ab initio totum hoc, quod annuntiaret et testaretur, a Christo et apostolis recepit. Hic autem modus tradendae veritatis facit, ut doctrina revelata depositi rationem habeat, et Ecclesia custodis. 3. Fungitur munere *magistrae,* quatenus ministerio cotidiano, qua viva voce, qua praxi fideles iis omnibus instruit, quae tum ad intemeratam fidem tum ad informandos mores conducunt. 4. Fungitur munere *doctoris,* quatenus quae minus explicite vel distincte proponebantur, ea distinctius et disertius pro data opportunitate authentice declarat, explicat et formulis etiam aptissimis contra fraudes inimicorum communit. 5. Fungitur munere *iudicis,*

[1] J. B. Terrien S. J., Tractatus de Ecclesia 357 sq.

quatenus controversias obortas suo infallibili iudicio compositura comprobat veritatem erroremque condemnat. 6. Fungitur denique munere *interpretis*, quatenus cavet, ne Scripturae canonicae vel deperdantur vel corrumpantur, genuinum earum sensum aperit easque defendit a pravis hominum interpretationibus. Ea porro munera licet cogitatione distingui possint, unum tamen integrant magisterium, i. e. ius et officium authentice docendi omnes gentes easque in unitate fidei conservandi." Ex iis enim, quae hactenus diximus, per se evidens est, ea munera esse praecipue infallibilis magisterii sive subiecti infallibilitatis a Christo institutae, quamquam munere testis et interpretis et custodis (non tamen authentici) aliquatenus etiam tota quoque reliqua Ecclesia fungitur.

Coroll. III. Sedes R. Pontificis recte dicitur et iam a primis quidem temporibus religionis christianae dicta est κατ' ἐξοχήν *apostolica*, eo quod R. Pontifex ut Petri in primatu successor est centrum et origo apostolicitatis totius [1]; unde etiam ecclesia Romana eodem sensu praecipue apostolica vocatur ut Ecclesia R. Pontificis ceu primatis totius Ecclesiae [2].

Coroll. IV. Quovis tempore saltem *moraliter certum est* [3], exsistentem R. Pontificem, qui ut legitime constitutus ab universali Ecclesia agnoscitur, esse iure divino Petri in primatu successorem. Quamvis enim ordinarie maiore quam mere humana certitudine constare non possit, aliquem *vere* esse baptizatum et ordinatum — ad sacramentorum scil. validam administrationem necessaria reputatur recta ministri ea administrantis intentio, de qua hominibus morali tantum certitudine constare potest —, id tamen moraliter saltem certum esse de quovis R. Pontifice, qui ut Ecclesiae primas agnoscitur, patet tum ex Christi Dei Ecclesiae suae peculiari ratione semper assistentis providentia, tum ex baptizantium et ordinantium moribus, utpote qui, nisi contrarium manifesto constet, summo iure sumuntur voluisse recte ac vere baptizare atque ordinare.

---

[1] M. Eberhard, De titulo Sedis apostolicae ad insigniendam sedem Romanam usu antiquo et vi singulari, Treviris 1846.

[2] Schulte (Die Stellung der Konzilien 68) ad probandum, etiam aliorum patriarcharum ecclesias vocatas esse apostolicas, affert etiam hoc, quod Lucentius R. Pontificis vicarius in concilio Chalcedonensi, cum contra can. 28, absentibus legatis statutum reclamaret, dixit act. 16 (Harduin II 643 B; Mansi VII 454 B): „*Sedes apostolica nobis praesentibus* humiliari non debet", putatque, his verbis non Romanam, sed Alexandrinam et Antiochenam sedem designari, utpote quae solae illo canone violatae fuerint. Sed cum Lucentius continuo addat: „Et ideo quaecumque in praeiudicium canonum vel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus ut circumduci iubeatis: sin alias, contradictio nostra his gestis inhaereat, ut noverimus, quid *apostolico viro universalis Ecclesiae papae* referre debeamus: ut ipse aut *de suae sedis iniuria*, aut *de canonum eversione* possit ferre sententiam", evidens est, verba illa: „Sedes apostolica humiliari non debet" ad sedem Romanam referri. „Eversione canonum" Lucentius intelligit potissimum can. 6 concilii Nicaeni I, quo iura patriarcharum Alexandriae et Antiochiae ut secundum et tertium locum obtinentium post R. Pontificem ut patriarcham occidentis statuantur.

[3] Possitne haec veritas etiam certa fide christiana constare, non est huius loci inquirere. Cf. ceteroquin de hac quaestione Suarez, De fide disp. 10, sect. 5, et infra tom. III, thes. 10, pars 1.

Idem valet de omnium episcoporum baptismo et ordinatione. Quare nihil obstat, quin de legitima eorum successione etiam moraliter certi simus. Hanc porro moralem certitudinem omnino sufficere tum ad exsistentem pro tempore R. Pontificem tamquam in Petri primatu successorem iure divino habendum, tum ad legitimam episcoporum successionem censendam, ideoque ad Ecclesiam romano-catholicam ratione sui regiminis apostolicam iure dicendam, negari nisi summa temeritate non posset, cum tandem moralis illa certitudo et vera sit certitudo et in cotidiano vitae usu ad credendum et agendum ab omnibus sanae mentis hominibus ut prorsus sufficiens habeatur.

Coroll. V. Cum R. Pontifex sit iure divino verus S. Petri in primatu successor, quae Christus primatum perennem vel promittendo vel instituendo ad Petrum dixit Mt 16, 18 19; Io 21, 15—17; Lc 22, 32, implicite etiam de singulis legitimis Pontificibus Romanis dicta sunt et necessario non minus ad eos referuntur et de ipsis valent, quam verba, quibus Christus magisterium infallibile instituendo ad omnes apostolos locutus est, etiam de horum in illo magisterio successoribus universe spectatis valent. Haud igitur recte contendit Langen[1], S. Scripturae interpretes catholicos, qui singulos R. Pontifices aut sedem apostolicam Ecclesiae fundamentum dixerunt, contra logicam et rectam S. Scripturae interpretationem peccasse.

Coroll. VI. Sicuti Petrus fuit Christi vicarius, ita R. Pontifex, ut Ecclesiae primas, est verus in christianae religionis re *Christi in terris vicarius*, isque supremus quidem sive κατ' ἐξοχήν. Vicarius enim is est ac dicitur, qui alterius vices sustinet; Petrus autem apostolus et quivis legitimus eius in primatu successor Pontifex Romanus sustinuit et sustinet ut totius Ecclesiae visibile caput vices invisibilis eiusdem capitis, Iesu Christi; ergo *verus* et *supremus* quidem vicarius Christi est in terris respectu religionis christianae. Scil. ipso nullus alius Ecclesiae praesul superior est, nec etiam eius dignitas superatur a dignitate regis aut imperatoris, huius enim regnum est tantum naturale et terrenum, Christi autem Ecclesia est regnum supernaturale et spirituale, altioris igitur ordinis. Rectissime igitur a Leone X damnata est haec Lutheri propositio[2]: „Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.“ Et iam prius concilium Florentinum in definitione de R. Pontifice iam relata (cf. p. 702) dixerat eum Christi vicarium. Et Martinus V una cum concilio ipso Constantiensi iam damnaverat hunc Wicleffi articulum[3]: „Nec papa est proximus et immediatus vicarius Christi et apostolorum.“ Primo autem R. Pontifex vicarius Christi dicitur a. 495 a concilio Romano[4].

Nec obstat, quod olim R. Pontifices saepe ipsi se nominabant *Petri vicarios* et ab aliis hoc nomine appellabantur[5], rarius autem dicti sunt vicarii Christi. Hoc enim inde est, quod appellatio vicarii Christi censebatur communis esse omnibus, qui animarum curam agebant christianisque societatibus praeerant sive ut episcopi sive ut abbates sive ut presbyteri, licet ii tantum ratione suorum subditorum ita dicerentur. R. Pontificum autem proprium

---

[1] Das Vatik. Dogma III 34. Et ib. I 12 iam scripserat: „Die . . . Voraussetzung, daß jene an Petrus gerichteten Worte sich auch auf die Päpste beziehen, ist *an und für sich* willkürlich.“

[2] Denzinger-Bannwart n. 765. [3] Ibid. n. 617.

[4] Gelasii ep. 30, n. 15 (Thiel 447).

[5] Coustant, Praef. n. 13 et 14 (p. IX sq).

est, beati Petri, cuius et sedis et auctoritatis heredes sunt, vicarios nominari. Atque etiam reges ac principes vicarii Dei, utpote supremi omnium Domini, vocabantur, et recte quidem, cum isti singuli respectu subditorum suorum vices Dei obeant omnemque potestatem suam, secundum doctrinam tum rationis tum religionis divinitus revelatae, tandem ab ipso accipiant. Atque adhuc in synodo provinciali Beneventana a. 1693 celebrata episcopi Christi vicarii nominati sunt[1]. Et nonne paterfamilias quoque pro familia sua vices Dei sustinere recte omnino dicitur? Et romano-catholici, cum peccata sacerdoti confitentur, num non plerumque diserte dicunt, se ipsi *ut Dei vicario* ea confiteri? Et vero delicta catholici sacerdoti non confitentur ut mero homini, sed ut Dei vices sustinenti divinaque potestate praedito. — Ceterum[2] ab antiquis nomina *vicarii* et *successoris* eadem significatione adhibita sunt. Ita sane Gregorius M. episcopum Mediolanensem *vicarium* S. Ambrosii, i. e. successorem appellavit[3]; et Cyprianus ad R. Pontificem Stephanum haec scripsit[4]: „qui *vicarius* et *successor* eorum [Cornelii et Lucii] factus es". Et hoc sensu vocatus est olim nonnumquam R. Pontifex *S. Petri vicarius*. Dicitur enim „Pontifex Romanus vicarius Petri non proprie; nam verius ac magis proprie dicitur vicarius Christi; ... solum ergo habet verum ille dicendi modus, quatenus Romanus Pontifex sedet in cathedra et sede Petri, et veluti personam eius sustinet, non quia ab ipso sit institutus"[5] ut primas Ecclesiae. Ergo Petri vicarius R. Pontifex dictus est tantum et dici potuit, quatenus vel eius successor est, vel Petrus in R. Pontificibus ipsius munere fungentibus usque vivere saepe dicebatur.

Praeterea per se patet, hoc nomine vicarii Christi non maiorem R. Pontificum potestatem exprimi, quam ii per Petrum a Christo accipiunt, primatum scil. verae ac supremae iurisdictionis in universam Ecclesiam, nec etiam ideo R. Pontificem Deo ipso adaequari, cum manifesto nullus vicarius propterea, quod est vicarius, perfecte aequalis sit illi, cuius vices sustinet, etiamsi hic modo sit homo, v. g. rex aut alius quivis superior. Quam infinite igitur minus inter Deum huiusque quemcumque vicarium ista aequalitas nomine vicarii Christi statuatur, quivis sanae mentis homo intelligit.

Nihilominus de hac appellatione vicarii Christi Janus scribit[6]: Papam vicarium Dei si dixeris, quin eum incarnatum Deum dicas non longe abesse. Friedrich vero, si ea huius tituli explicatio, quam etiam nos supra posuimus, vera esset, intelligi non posse scribit[7], cur in concilio Tridentino serio de eo disputatum sit; et revera imprimis post Innocentium III iura papalia quaecumque ex eo titulo deducta esse. Ad verba enim Innocentii III c. 3, X de translat. episc. (1, 7): „R. Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris", glossam haec annotare: „Unde dicitur habere coeleste arbitrium, et ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii, et de nullo potest aliquid facere, et sententiam, quae nulla est, facit aliquam, quia in his, quae vult,

---

[1] Tit. 11, c. 8 (Coll. Lac. I 35).

[2] Hergenröther, Anti-Janus 67.

[3] Ep. l. 11, ep. 4 (ML LXXVII 1122). [4] Ep. 68, c. 5 (Hartel 748).

[5] Suarez, De fide disp. 10, sect. 3, n. 7.

[6] „Von hier bedarf es nur noch eines Schrittes, um den Papst selbst für eine Inkarnation Gottes zu erklären" (l. c. 43).

[7] Theol. Literaturblatt, Bonn 1870, 415 f. Similia scribit Ioan. Huber, Die Freiheiten der französ. Kirche, München 1870, 8, et alii. Cf. The Month LXXXVI, London 1896, 1—23.

ei est pro ratione voluntas, nec est, qui ei dicat: cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, idem de iniustitia potest facere iustitiam, corrigendo iura et mutando, et plenitudinem obtinet potestatis." Potestate vicarii Dei nixum Innocentium III transferendi episcopos sibi ius assumere (l. c. c. 2): „Non enim humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur . . . auctoritate R. Pontificis, quem constat esse vicarium Christi." Porro papam vicarium Christi sibi ascripsisse plenitudinem potestatis, fuisse ordinarium ordinariorum, dominum omnium beneficiorum orbis, de quibus ad arbitrium suum disponere potuerit. Porro (hoc nixi titulo) docuerunt, papam non posse committere simoniam, eius curiam esse curiam Dei etc. Ad haec concilium Tridentinum respexisse, cum aversaretur nomina vicarii Christi et plenitudinis potestatis.

Liceat iam nobis quaedam ad haec annotare. *Primum*, ubi Friedrich legerit, in concilio Tridentino graves de vicarii Christi nomine fuisse concertationes, idque esse ab eo repudiatum, equidem nescio, cum hac de re nihil omnino referatur nec in historia illius concilii tum a Pallavicino tum ab ipso Sarpi conscripta, nec in monumentorum ad historiam eiusdem concilii illustrandam spectantium amplissima collectione, quam Le Plat in lucem edidit. Pallavicini quidem refert l. 19, c. 6, n. 4, cardinalem Lotharingum proposuisse canonem, qui damnabat eum, qui diceret: „Petrum ex institutione Christi primum inter apostolos non fuisse, summumque *ipsius vicarium*" etc., sed addit, hunc canonem, quantum ipse comperire potuerit, a cardinali non propositum esse in eo coetu, in quo longum sermonem habuerat; nec ullo modo quidquam alibi significat, de ipso vicarii Christi nomine inter concilii Patres fuisse disputatum. Disceptatum utique est de R. Pontificis auctoritate, non quidem hoc sensu, quod ulli illius concilii Patres iurisdictionis primatum R. Pontifici negarent, sed quia plerique episcopi Galli, qui una cum regis legatis concilium Florentinum non ut oecumenicum, concilia vero Constantiense et Basileense *integra* ut oecumenica admittebant, discedere nolebant a sententia sua, qua concilium R. Pontifice superius esse dicebant; ideoque R. Pontificem habere quidem potestatem in singulares ecclesias et fideles omnes, non tamen in Ecclesiam *universalem* putabant. Quapropter R. Pontifex, ne Galli, ceteroquin oboedientiam ipsi praestantes, schismate ab Ecclesia sese separarent utque concordia inter concilii Patres in rebus definiendis servaretur, legatis suis iniunxit, ut quaestio de ipsius auctoritate haud amplius tractaretur, quamquam longe maior pars Patrum concilii auctoritati R. Pontifici debitae ac plenae omnino favebat[1]. Quamvis autem totam plenitudinem potestatis R. Pontifici debitam Gallicani tribuere ei nollent, nomen vicarii Christi R. Pontifici concilium Tridentinum non abiudicavit, sed sess. 6 decr. de ref. c. 1 eum „Dei in terris vicarium" nominavit.

Quod *deinde* ad *glossam* attinet, notum imprimis est, eam nullius esse auctoritatis ecclesiasticae, sed tantum privatae scriptoris, qui eam composuit. Itaque etiamsi hic scriptor R. Pontificis potestatem supra omnem modum extulisset, quid tandem his superlationibus cum concilio oecumenico Tridentino? Quid ad regni comitia, si nescio quis adulator potentiam principis sive voce sive scripto nimium extulerit? — Sed ipse ille glossae locus, quantumvis ea ratione, qua a Friedrich allatus est, videri possit monstruosam plane R. Pontifici tribuere potestatem, paulo diligentius tamen inspectus non demonstrat, quod eum Friedrich demonstrare vult. Quod ut pateat, aliquas ipsius sententias, easque quae primo quidem aspectu maxime absonae videntur, ex mente ipsius glossae auctoris paucis illustrare iuverit; ipse enim ille auctor, id quod Friedrich tacuit, post singulas sententias suas ad varios iuris tum civilis tum ecclesiastici locos a se nominatos tamquam ad illarum sententiarum fontes lectorem remittit; unde ex his locis manifesto colligendum est, quid concisis istis sententiis proprie voluerit exprimere.

Iam post verba: „et ideo naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii", remittit ad L. 2 Cod. Communia de legatis (6, 43),

[1] Cf. Pallavicini, Hist. conc. Trid. l. 21, c. 13, n. 4.

qua lege praecipitur, ut „omnia, quae naturaliter insunt legatis, ea et fideicommissis inhaerere intelligantur: et e contrario quidquid fidei committitur, hoc intelligatur esse legatum, et si quid tale est, *quod non habet natura legatorum, hoc ei ex fideicommissis accommodetur*". Imperator igitur hac lege naturam legatorum et fideicommissorum nonnihil immutavit, applicando legati substantialia fideicommissis, fideicommissorum substantialia legatis. Atque eandem potestatem supremo legumlatori competentem, et nullam aliam, glossa illis verbis vindicavit etiam R. Pontifici, utpote supremo legum ecclesiasticarum auctori. Ubi nota, glossam scriptam esse medio aevo, quo non solum R. Pontifex erat princeps etiam civilis, sed omnia etiam legata et fideicommissa aliqua ratione ecclesiastica ubique in orbe catholico ad forum ecclesiasticum pertinebant. Eiusdem potestatis et generis lex est, qua R. Pontifex constituit, ut v. g. dies hucusque profanus in posterum habeatur festus ac sacer. Immutat enim hoc praecepto naturam illius diei, applicando ei substantialia alterius diei, scil. festi, quo non licet laborare, et singuli fideles, si possunt, cultui divino interesse debent. Quid, iam quaeso, glossa hoc loco R. Pontifici nimium aut inauditum tribuit? — Porro post haec verba: „De nullo potest aliquid facere", remittimur ad L. 1 Cod. de rei uxoriae actione (5, 13) et ad can. 69, dist. 2 de consecrat. Iam priore loco Iustinianus de stipulationibus coniugum respectu dotis ait: „*Rei uxoriae* actione sublata sancimus omnes dotes per ex stipulatu actionem exigi, sive scripta fuerit stipulatio sive non: ut intelligatur reipsa stipulatio esse subsecuta. Eodemque modo etsi inutiliter facta est stipulatio: adiuvari enim eam magis, quam evanescere oportet. . . . Est consentaneum nobis, qui censemus, et ubi supposita stipulatio non est, intelligi eam fuisse adhibitam, et multo magis etiam, si inutilis est, validam eam effici." Imperator igitur hic sibi ius ac potestatem vindicat, validum efficiendi, quod prius invalidum fuerat. Non aliam ergo potestatem glossa illis verbis etiam R. Pontifici, ratione aliarum utique rerum et quae per se licitae sunt, attribuit, v. g. ut dispensatione matrimonium antea invalidum validum reddat. Num vero haec potestas primati Ecclesiae non competit? Remittendo autem ad locum iuris canonici de consecratione glossa R. Pontifici non maiorem ascribit potestatem, quam ea est, quae secundum Ecclesiae romano-catholicae doctrinam cuilibet sacerdoti competit, consecratione nimirum efficiendi, ut, quod antea panis erat, sit postea corpus Christi. — Sequuntur verba: „Sententiam, quae nulla est, facit aliquam", et in testimonium affertur c. 10, C. 3, q. 6, ubi Pontifex Salomoni Britonum duci scribit, de causa quorundam episcoporum. Sub praetextu enim simoniae, qua sedes suas occupasse arguebantur, a rege Ludovico episcopi aliqui illegitime erant depositi, atque alii in eiectorum locum pariter ab eodem principe contra omne ius ecclesiasticum subrogati. Praeterea loco prioris illorum metropolitae, archiepiscopi Turonensis, fuit ab illo rege metropolita constitutus archiepiscopus Dolensis. Scribit igitur Pontifex, ut causa haec retractanda ad metropolitam legitimum Turonensem, aut, si is nolit, ad se Romam deferatur, atque ita episcopi, qui eousque secundum Ecclesiae leges nullo iure sedes suas tenuerant, legitimi constituantur, si priores illi eiecti simoniae rei fuerint; sententia ergo, quae eousque nulla sive prorsus illegitima erat, eo in eventu legitima sive vera reddatur. Loquitur ergo glossa de potestate, quae Ecclesiae primati vere competit, quamque R. Pontifices primis christianis saeculis saepe exercuerant. — Addit glossa: „Quia in his, quae vult, ei est pro ratione voluntas", et provocat ad Instit. l. 1, tit. 2, § 6, ubi haec leguntur: „Sed et quod principi placuit, legis habet vigorem, cum lege regia, quae de eius imperio lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concessit. Quodcumque igitur imperator per epistulam constituit, vel cognoscens decrevit vel edicto praecepit, legem esse constat." Glossa igitur iure inde concludit, etiam quae R. Pontifex, ab ipso Christo Deo totius Ecclesiae primas in Petro constitutus, in re, utique licita et de qua leges ferendi libertate ac potestate pollet, decernat et aut observanda aut vitanda praecipiat, pro Ecclesia leges esse. — Post haec vero: „nec est qui ei dicat: cur ita facis?" glossa remittit ad can. 22, dist. 3 de poenit., ubi dicitur: „Quis audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post

primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?" Quae quidem manifeste non pari, sed aliquo tamen iure glossa etiam ad supremos legumlatores, qualis pro Ecclesia Pontifex Romanus est, transfert, cum ipsi leges ferunt, utique non manifesto iniustas vel malas. Nam si homines nullas leges observare vellent, antequam legum auctores earum etiam causas exposuissent, et ita quidem, ut sibi de earum rationibus et iustitia plane persuasissent, vera oboedientia legibus praestanda quam saepissime aut etiam prorsus periret aut magnum certe damnum pateretur. — Nihil dicimus de iure ex iusta causa dispensandi in legibus ecclesiasticis, quod R. Pontifici glossator verbis proxime sequentibus cum omnibus catholicis vindicat. — Deinceps dicitur: „Idem de iniustitia potest facere iustitiam corrigendo iura et mutando", pro qua sententia glossa affert duas leges, scil. c. 59 de appellat. (2, 28) et c. 8 de consanguinitate (4, 14). Illa statuitur, quandonam liceat, quando non liceat litigatori *ante* sententiam ab inferiore iudice latam ad superiorem appellare, „salvis" tamen „constitutionibus" de maioribus causis ad sedem apostolicam referendis; hac vero dicitur primum: „Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit"; ac deinde tollitur, quae prius erat, prohibitio tum de contrahendo matrimonio in secundo et tertio affinitatis genere, tum de sobole suscepta ex secundis nuptiis, quae olim non poterat matrimonium contrahere cum cognatis prioris viri. Glossa igitur istis verbis nihil aliud quam R. Pontifici ius competere dicit, appellationes suscipiendi et sententiam priorem, si opus sit, irritam faciendi atque iniustam declarandi, necnon pro variis temporibus leges humanas, ecclesiasticas scil., etiam tollendi, ita ut, quod prius non licuit, iam licitum fiat. Quae utraque potestas, utpote omni legumlatori omnique supremo superiori debita, iure sane optimo etiam totius Ecclesiae primati, R. Pontifici, competere dicitur, atque ab eo etiam, Ecclesia consentiente, ab antiquissimo iam tempore exercita est.

Haec de glossa illa ad speciem adeo absona sufficiant. Videamus iam quae post allatam glossam Friedrich insuper contra usum nominis „vicarii Christi" subdit. Sane loco laudato *de translatione episcoporum* prohibetur, quominus episcopi *propria auctoritate* de ecclesia, quam eousque gubernarunt, se transferant ad aliam, idque rectissime vetatur, cum, ut notum est, antiquissimi iam Ecclesiae canones eiusmodi translationes reprobaverint. Ascribit autem illud caput R. Pontifici ius episcopos, iusta ex causa, amovendi ac transferendi, et recte quidem. Quamvis enim episcopatus divinae sit institutionis, manifesto tamen iuris divini non est, ut hic episcopus *huic* certae dioecesi semper praesit, ideoque ex iusta gravique causa non possit a sede, quam modo tenuit, amoveri. Ius autem amovendi eum certe primario totius Ecclesiae primati competit, quemadmodum etiam sine regis voluntate et auctoritate supremi provinciarum rectores amoveri nec solent nec possunt.

Denique R. Pontifex pollet vere *plenitudine potestatis* a Christo Ecclesiae primati datae, ideoque potestate non utique quaecumque temere agendi, sed faciendi, quae ad Ecclesiae bonum vel necessaria vel utilia sunt, sive, ut concilium Florentinum necnon Vaticanum definivit, *„Ecclesiam universalem pascendi, regendi ac gubernandi"*; estque secundum ea, quae in thesi attulimus, ordinarius ordinariorum et pastor pastorum. Habet ut totius Ecclesiae primas supremam quoque Ecclesiae bona administrandi potestatem, quamquam nullatenus de iis temere et arbitrarie disponere potest, quemadmodum etiam rex suprema potestate pollet in bona, quae ipsius regni ut talis sunt. — Ipsum autem R. Pontificem non posse peccatum *simoniae* committere, nemo umquam, quantum equidem scio, docuit, sed solum haec alterius omnino sensus sententia invaluit: „Coram papa non fit simonia." — Illud autem quod Friedrich scripsit, Curiam R. Pontificis vocatam etiam esse *Curiam Dei*, dixerat iam Sarpi, exprobrans iuris canonici doctoribus, eos „idem Dei ac Pontificis tribunal" constituisse. At „ex vero asseri potest, unum esse Dei Romanique Pontificis tribunal in terris: perinde ac si quis diceret, Neapoli unum atque idem esse proregis regisque tribunal; non quasi rex proregi non praesit, nequeat illius iussiones revocare

eundemque punire; sed quia in ea urbe rex aliud tribunal non erexit supra illud, in quo regia iurisdictio per proregem administratur. Ita, cum Deus noluerit per se proxime potestatem iudicis apud mortales exercere, oportuit supremum magistratum humanum constitui, a quo Dei nomine illa exerceretur; adeoque necesse fuit, ut illius supremi magistratus tribunal idem esset ac Dei tribunal in terris. Hoc tamen non efficit, ne Deus tamquam manu regia et citra formam iudicii sua inter homines iurisdictione fungatur modo quodam sublimiore: neque id umquam scholae sacrorum canonum inficiantur." [1] Quatenus igitur R. Pontifex est vicarius Christi Dei, eius tribunal eatenus dici potest idem esse ac Dei, quemadmodum etiam tribunal sacrae confessionis secundum Ecclesiae romano-catholicae doctrinam vere dici potest et est tribunal Dei, quatenus sacerdos nomine et potestate Dei iudicat et absolvit a peccatis aut non absolvit, et ita quidem, ut si ipsius iudicium non erret, eius etiam sententia in coelis rata habeatur.

Etiam Langen hoc vicarii Christi nomen R. Pontifici tributum impugnavit, opinatus, eo nomine R. Pontificem se habere eadem omnino ratione erga episcopos, qua Christus se habuerit erga apostolos, ita ut R. Pontifex eo nomine ornatus ad episcopos dicere possit: sicut misit me Pater, et ego mitto vos; et nemo vestrum vocetur magister vel pater, quia unus vester magister est Christus, qui per me loquitur et agit [2]. — At verum non est, eadem ratione R. Pontificem eo nomine reliquis episcopis opponi, qua Christus opponitur apostolis. Pontifex enim Romanus, id quod ipso nomine vicarii Christi exprimitur, omnem potestatem per S. Petrum a Christo accepit, Christus vero ut Deus eam habet a semetipso, ut homo multo eam excellentiore modo habet quam Summus Pontifex, utpote ampliorem sibique propter intimam cum Deo coniunctionem debitam, cum contra plenissimae iurisdictionis potestatem Petro huiusque successoribus Christus libere concesserit, ipseque etiam missionem christianam instituerit, R. Pontifex vero eam tantum continuet. Itaque nullatenus eadem, sed simili ratione R. Pontifex episcopis missionem dare potest, potestate scil. vicaria. Summus Pontifex deinde potest quidem etiam episcopis rite prohibere, ne magistri vel patris nomen *hoc sensu* ambiant, quo Christus istorum nominum ambitionem vetuit (cf. p. 59 sq); sed sicut Christus illis verbis non interdixit, quominus apostoli essent et etiam recto sensu vocarentur magistri et patres, ita neque R. Pontifex hoc idem episcopis umquam interdixit vel interdicere potest. Contra notum est, R. Pontifices semper episcopos agnovisse divinitus institutos ad regendas ecclesias particulares, ad testandam et iudicandam rectae fidei doctrinam et tamquam sacerdotii et clavium potestatis participes, aeque ac Petrus eos regiminis et sacerdotii participes appellavit. Quod autem Christus Lc 10, 16 locutus est: „Qui vos audit, me audit" etc., nec ad Petrum nec ad alios apostolos, sed ad 72 discipulos proxime dixit, quamquam ista verba etiam apostolis applicari possunt ac debent, ita ut eorum sensus de ipsis magis etiam valeat. — Insuper Langen obicit, R. Pontificem, si esset vicarius Christi, eandem potestatem a Christo accipere et aliis dare: quod concipi tantum posse dicit, si Petrus aliis apostolis superior constitutus fuisset, quemadmodum 72 discipuli apostolis inferiores fuerint. Sed reapse Petrum primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam, ne apostolis quidem exceptis, a Christo accepisse demonstravimus, nec quae Langen opposuit, quidquam contra nos probant. Ceterum non dicimus, Petrum, sed Christum *apostolis* missionem potestatemque dedisse, ita tamen, ut Petro essent subiecti; sed contendimus apostolorum successores, *episcopos*, missionem non habere immediate ab ipso Christo, sed ab Ecclesiae primate, Petri successore, R. Pontifice. — Denique Langen concludit, R. Pontificem, si ut Christi vicarius episcopis superior esset, non posse simul esse particularis ecclesiae Romanae episcopum, cum alioquin idem ipse dominus et simul sibi ipsi subiectus esset. Quae conclusio mira sane est. Sequeretur enim ex ista adversarii sententia, neque episcopum ut christianum posse.

[1] Pallavicini, Hist. conc. Trid. l. 7, c. 14, n. 3.
[2] Das Vatik. Dogma I 34 sqq.

quin sibi ipsi subiectus sit, esse fratrem aliorum christianorum. Atque idem dic de superiore christiano quocumque comparate ad subditos suos. Sed quod multo magis etiam ad rem nostram facit, secundum istam adversarii opinionem nullae olim Germaniae urbes soli imperatori subiectae (reichsunmittelbar) esse potuerunt. Rexit quidem imperator ea oppida eorumque territoria sibi immediate subiecta ope *vicarii;* sed etiam R. Pontifex dioecesim suam Romanam *vicario* regendam tradit. Unde Langen, qui dicit, nullum regem posse esse praesidem alicuius provinciae particularis, videtur historiae antiqui imperii Germanici satis immemor esse, ut non dicam, Alsatiam et Lotharingiam novi imperii Germanici novas provincias eodem ipso tempore, quo Langen haec scripsit, imperatoris regimini etiam immediate fuisse subiectas. Et nonne in vetere imperio Germanico imperator ut princeps terrarum, quas hereditate acceperat, v. g. Austriae, fuit etiam princeps imperii adeoque simul dominus et subditus sui ipsius? Immo in praesenti imperio rex Borussiae sibi ipse ut totius Germaniae imperatori nonne subiectus est? Ceterum propter hoc ipsum, quod R. Pontifex ut totius Ecclesiae primas et ut ecclesiae particularis Romanae episcopus unus idemque est, non potest ut episcopus Romanus sibi ipse ceu Summo Pontifici esse vere ac proprie subiectus, cum subiectionis verae ac propriae notio duos distinctos homines postulet, quorum alter alteri sit obnoxius.

Si Friedrich et Langen in titulo vicarii Christi quandam R. Pontificis deificationem subodorasse sibi visi sunt, alii ulterius procedentes in catholica Ecclesia papae revera attributa divina attribui dixerunt. Et quia nihil est tam absurdum, quin aliquibus textibus male explicatis et intellectis fulciri possit, etiam pro hac re textus quosdam opposuerunt. Primo provocant ad mendum typographicum utique valde mirum, quod oscitantia typothetae irrepsit in Corpus iuris canonici glossatum Romae editum 1582. Ibi enim in Zenzelini iurisperiti commentario in Extravagantem Ioannis XXII tit. 14, c. 5[1] revera legitur: „Credere autem Dominum *Deum* nostrum papam . . . sic non potuisse statuere, prout statuit, haereticum censeretur." Sed notum est, menda typographica valde absona etiam in protestantium libris inveniri[2]. Quis ex talibus rebus argumenta ducat? Deinde opponunt aliquas hyperbolicas quorundam medii aevi scriptorum expressiones. Ut in glossa ad Corpus iuris canonici in Prooemio ad Clementinas referuntur versus aliqui, quorum ultimus est: „Nec Deus es nec homo, quasi neuter es inter utrumque." Et Christoph. Marcellus in oratione in concilio Lateranensi quinto habita ad Iulium II facit Ecclesiam dicentem[3]: „Tu pastor, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu denique alter Deus in terris." Similia iam Nicolaum I dicunt pronuntiasse. Sed inspiciamus Nicolai verba[4], et quae earum sit vis patebit. Contra Michaelem imperatorem maledictis contra R. Pontificem utentem Gregorium M. profert, qui dixerit: „in *sacris eloquiis* [i. e. Scriptura] sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur", quod demonstrat locis Ex 22, 9 28 et Mal 2, 7 adductis. „Quid ergo mirum", addit Nicolaus, „si illos imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens eos aut angelos aut deos ipse etiam appellat Deus?" Sic etiam Constantinum M. accusationes contra episcopos noluisse iudicare, sed dixisse: „Vos [episcopi] dii estis . . ., dignum non est, ut nos iudicemus deos." Unde vides, eodem sensu expressiones illas primo aspectu mirandas explicandas esse, quo Christi ipsius verba Io 10, 34 explicanda sunt.

Schol. I. Certitudo naturalis, quam ex allatis argumentis habemus de praesentia infallibilis magisterii in Ecclesia romano-catholica, manifesto prorsus

---

[1] In editione recusa Lugduni 1584, p. 148.

[2] Sic in anglica versione S. Scripturae anni 1631 (The Wicked Bible) in 10 mandatis in prohibitione adulterii omissum est particula „not"; alia versio anni 1653 legit 1 Cor 6, 9: „Know ye not that the unrighteous shall inherit the kingdom of God?" (Realenzykl. für protest. Theol. und Kirche III[3], Leipzig 1897, 100, ubi complura similia enumerantur.)

[3] Harduin IX 1651 B. [4] ML CXIX 928.

sufficit, ut firmiter credamus, quidquid Ecclesia ista credendum praescribit, quamquam ipsa hanc suam infallibilitatem, excepta R. Pontificis, diserte et sollemni ac formali modo nondum definivit, quantumvis eam sibi semper ascripserit, ideoque a nobis, cum doctrinas ab Ecclesia propositas ut infallibiliter certas ac divinitus revelatas credimus, nullatenus fit quae dicitur *petitio principii*. Ceterum nihil impedit, quominus, si naturalem certitudinem de infallibilitate Ecclesiae romano-catholicae retineamus, et ipsa ut articulum fidei infallibilitatem sui ipsius nos doceat, possimus etiam hanc vera fide profiteri, tamquam id, quod docet illa Ecclesia, quam aliunde iam infallibilem esse scimus.

Schol. II. Notandum est „Romanum episcopatum et Ecclesiae universae praefecturam non esse duos episcopatus, neque duas sedes, nisi in potentia. Nam Petrus, Pontifex totius Ecclesiae a Christo institutus, non adiunxit sibi episcopatum urbis Romae, quomodo episcopus alicuius loci adiungit sibi alium episcopatum vel canonicatum aut abbatiam, sed Romanae urbis episcopatum evexit ad summum orbis terrae pontificatum, quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum. Non enim archiepiscopus vel patriarcha est bis aut ter episcopus, sed semel tantum. Et in huius rei signum non datur Pontifici Summo nisi unum pallium, etiamsi episcopus, archiepiscopus, patriarcha et Summus Pontifex sit. Haec enim omnia sunt unum actu, et tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, ut, qui eligitur Romanus episcopus, eo ipso sit Pontifex Summus Ecclesiae totius, etiamsi forte id non exprimant electores.“ [1]

Schol. III. Rectissime igitur concilium Vaticanum haec duo statuit[2]: „Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut R. Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem: anathema sit.“ Et: „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles: anathema sit.“

Attamen Vaticani concilii adversarii hunc capitis 3 canonem vehementer impugnarunt, et omnium maxime quidem Döllinger[3]. Dicunt

---

[1] Bellarmin., De Rom. Pontif. l. 2, c. 12.

[2] Constit. dogm. prima de Ecclesia Christi c. 2 ad fin. et c. 3 ad fin.

[3] Erklärung an den Erzbischof von München-Freising vom 28. März 1871, ubi de illo canone scribit: „Sorgfältig sind die Worte so gestellt, daß für die Bischöfe schlechterdings keine andere Stellung und Autorität als die, welche päpstlichen Kommissären und Bevollmächtigten zukommt, übrig bleibt. Damit ist denn, wie jeder Kenner der Geschichte und der Väter zugeben wird, der altkirchliche Episkopat in seinem innersten Wesen aufgelöst, und ein apostolisches Institut, dem nach dem Urteil der Kirchenväter die höchste Bedeutung und Autorität in der Kirche zukommt, zu einem wesenlosen Schatten verflüchtigt. Denn zwei Bischöfe in demselben Sprengel, einen, der zugleich Papst ist, und einen, der bloß Bischof ist, wird doch niemand für denkbar halten, und ein päpstlicher Vikar oder Diözesankommissär ist eben kein Bischof, kein Nachfolger der Apostel; er kann durch die

scil. verbis „plenam *et* supremam potestatem in universam Ecclesiam" R. Pontifici attribui non solum supremam, sed etiam *omnem* iurisdictionis potestatem in totam Ecclesiam, ita ut plena illa potestas non sit eadem ac suprema potestas, sed simul iuxta eam sit; R. Pontificem igitur non tantum habere iura supremae potestatis, sed omnino omnia, cum potestatis plenitudo quodvis ius comprehendat, cumque a concilio acceperit potestatem ordinariam et immediatam in res fidei et morum et disciplinae et regiminis Ecclesiae respectu singulorum et pastorum et fidelium. Unde concludunt, R. Pontificem iam esse *unicum in tota Ecclesia verum episcopum,* utpote habentem omnem potestatem ecclesiasticam; iam igitur alios esse non episcopos a Spiritu Sancto positos, sed episcopos reliquos esse omnes vicarios tantum et adiutores R. Pontificis. Essentialem igitur Ecclesiae formam esse destructam, adeo ut Ecclesia iam R. Pontifici „serva" sit[1], vel, cum episcopus sit mysticus ecclesiae suae sponsus, R. Pontifex dicendus iam sit generalis sponsus singularum et universarum ecclesiarum, ideoque alius haud amplius possibilis sit[2].

At haec falsa esse facile ostenditur. *Primum* enim concilium Vaticanum verba: „Plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam", et: „plenitudinem supremae potestatis" sumpsit ex professione fidei Michaelis Palaeologi a concilio oecumenico Lugdunensi II a. 1274 approbata, in qua de Romana ecclesia dicitur, eam „summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam" obtinere, quem „se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe" . . ., cuius R. Pontifex sit successor, „cum *potestatis* plenitudine" recepisse profiteatur (cf. supra p. 701). Ergo si illa adversariorum doctrina vera esset, iam ab oecumenico concilio Lugdunensi, quod tamen eo quo illi contra Vaticanum concilium pugnabant tempore, nondum diserte reiecerant, essentialis Ecclesiae forma destructa esset et Ecclesia diu ante concilium Tridentinum R. Pontificis serva evasisset. *Deinde* R. Pontificis potestas dicitur *plena,* quia nulla potestas est in Ecclesia, cuius ille particeps non sit, cum omnia facere valeat, quae vel necessitas vel iusta utilitas Ecclesiae exigat; ideo vero minime dicitur ipsius potestas esse unica sive sola in Ecclesia. Nominatur porro *suprema,* quia in Ecclesia alia maior et excelsior non est, ipsaque a nulla alia in Ecclesia exsistente potestate derivatur ac pendet. *Denique* iure affirmamus, particulam coniunctionis „et" posse etiam verba idem significantia coniungere ac rei explicandae causa adhiberi. Certe in prima editione germanica Lexici Forcellini de particula *et* dicitur: „Saepe explicandi vim habet, et idem fere valet atque ‚id est'. Cicero Tusc. 2, 4: Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat." Ergo quominus in eandem sententiam „et" in allatis concilii Vaticani verbis accipiatur, nullatenus repugnat, eoque minus, quod verba: „tota plenitudo huius supremae potestatis" eum sensum omnino exigunt[3]. Verbis enim

---

ihm von Rom verliehenen Gewalten sehr mächtig sein, solange sein Auftraggeber ihn walten läßt!" Eadem fere dicit Schulte, Denkschrift über das Verhältnis des Staates zu den Sätzen der päpstlichen Konstitution vom 18. Juli 1870, Prag 1871, 55; Die Stellung der Konzilien 299.

[1] Langen, Das Vatik. Dogma I 25.

[2] Berchtold apud Hergenröther, Die kathol. Kirche und der christl. Staat 870.

[3] Ex Actis concilii Vaticani hoc confirmari potest. Scil. in schemate, quod concilii Patribus, ut de eo deliberarent, traditum erat, in canone capitis 3 non statim

iis manifestum fit, supremam R. Pontificis potestatem ex concilii mente non *iuxta* plenitudinem potestatis nec tamquam ab hac diversam cogitandam esse, sed *per se* ita plenam esse, ut ea ceu talis soli R. Pontifici, et non partim quoque aliis conveniat, quemadmodum hac nostra aetate suprema potestas civilis partim in totius regni vel reipublicae moderatorem, partim simul etiam in regni comitia distributa ubique fere conspicitur. Definitur ergo a concilio Vaticano, non tantum *potiores partes,* quas solas habet nostra aetate rex vel rector totius reipublicae in Europae regionibus, R. Pontifici competere, sed *totam plenitudinem* supremae potestatis, et ita quidem, ut ipse habeat iurisdictionem „in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent".

Definitur autem a concilio Vaticano insuper, hanc potestatem supremam R. Pontifici plene competentem esse „*ordinariam* et *immediatam*, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles". Ordinaria scil. R. Pontificis potestas in omnes ecclesias et in omnes subditos dicitur, quia non, ut alii episcopi nonnumquam in alienis dioecesibus faciunt, iure extraordinario vel necessitatis vel caritatis ecclesiasticis officiis fungi potest, sed vi supremae suae potestatis iure sibi proprio tamquam superior etiam episcopis, ita ut ipse ordinariorum ordinarius sit ac dici possit. Uti enim episcopus iure ordinario agit, cum v. g. baptizat aut sacras confessiones excipit, ubi parochus id vel negligit vel praestare nequit, ita etiam Summus Pontifex iure ordinario agit, quando supplet, quod episcopus exsequi neglexit. Immediata identidem illa R. Pontificis potestas hic dicitur non tam ideo, quod non ab Ecclesia aut ab episcopis, sed a Christo ipsi provenit, verum ideo, quod immediate in singulos et universos fideles horumque pastores omnes exerceri iure potest. Neutiquam autem hic ista potestas ordinaria et immediata ita intelligi potest, ut R. Pontifex Ecclesiam sine ullis magistratibus ecclesiasticis inferioris ordinis et nominatim sine episcopis regere debere vel posse dicatur, aut ut episcopi habendi sint tantum R. Pontificis vicarii ac meri adiutores pro lubitu ab eo constituti, non ab ipso Spiritu Sancto, ut Paulus docet, positi eo consilio, ut singuli totius Ecclesiae primati subiecti singulas ecclesias particulares regant. Non solum enim prorsus impossibile est, ut concilium oecumenicum infallibili definitione

---

additum erat illud incisum: „aut eum habere tantum potiores partes ... supremae potestatis". Occasio illius incisi addendi fuit haec: Proposuerat aliquis e Patribus, ut totus can. 3 sic ediceretur: „Si quis dixerit, R. Pontificis primatum esse tantum officium inspectionis et directionis, et *supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam,* sed tantum extraordinariam et mediatam: anathema sit." Displicuit generatim haec canonis forma, sed ex eo unum retinendum proposuit Relator. Scilicet: „In prima parte canonis nostri dicitur, potestatem Pontificis esse plenam et supremam, ac proinde adiectiva duo *plena* et *suprema* enuntiantur de subiecto, quod est potestas. At in emendatione 72 dicitur multo melius: Potestas suprema est plena, scil. plenitudo asseritur de subiecto complexo: potestas suprema, scil. de potestate, quae est suprema; ac proinde clarius asseritur, in Pontifice esse plenitudinem non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae." Placuit igitur, „ut admissa meliori formula, in qua plenitudo tribuitur potestati supremae qua supremae, adderetur etiam adiectivum *tota plenitudo*", et sic orta est forma canonis, quae a concilio definita est. Cf. Coll. Lac. VII 371; Granderath, Constitutiones dogmaticae ss. oecumenici concilii Vaticani ex ipsis eius actis explicatae, Friburgi 1892, 163.

divinam illam episcoporum institutionem voluerit subvertere, sed ipsum concilium Vaticanum diserte dixit[1]: „Tantum abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, *qui positi a Spiritu Sancto* in apostolorum *locum successerunt*, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore *asseratur, roboretur ac vindicetur*." Et vero „inconveniens esset, si duo aequaliter super eandem plebem constituerentur, sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eandem plebem constituantur, non est inconveniens, et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis et episcopus et papa"[2]. Ac certe, quemadmodum aliquis non cessat esse verus et ordinarius iudex, eo quod supremo iudici obnoxius est, ita etiam episcopus neutiquam desinit esse verus episcopus, eo quod R. Pontifici, totius Ecclesiae capiti, subicitur. Tametsi igitur ex concilii Vaticani sententia R. Pontifex habet supremam iurisdictionis potestatem in universam Ecclesiam, eamque ordinariam et immediatam, ita ut iure absoluto possit ubique ecclesiastica munera viris, quibus voluerit, conferre et sacramenta administrare, iudicia facere etc., minime tamen omnium ecclesiarum *solus* episcopus est, *omnemque* potestatem habet, quae in Ecclesia *divinitus* instituta ac ceu talis a concilio Vaticano agnita est. Insuper, nisi id Ecclesiae utilitas aut necessitas exigat, iure illo suo raro utitur; unde tametsi R. Pontifex est iurisdictionis potestate in universam Ecclesiam instructus, nulla tamen ratione repugnat, quominus in singulis dioecesibus veri episcopi esse suoque munere recte fungi suaque potestate bene uti possint. Teste enim historia ecclesiastica R. Pontifex, quando episcopi munere rite funguntur, nisi in certis eventibus iamdudum definitis potestatem in ecclesias particulares et maxime quidem in ipsos episcopos earum rectores immediate non exercet[3]. — Ad comparationem autem ex mystico matrimonio episcopi cum sua particulari ecclesia petitam respondetur[4], matrimonium mysticum episcopi cum ecclesia sua cum naturali matrimonio viri et mulieris nullatenus posse omnino aequiparari, mysticasque significationes non esse nimium urgendas, tum quia ex hoc, quod episcopus a R. Pontifice possit ab una dioecesi moveri et alii praefici, evidens sit, vinculum illud mere spirituale posse dissolvi, tum quia alioquin quaevis ecclesia duos maritos, Christum et episcopum suum, habere dicenda esset, illaeque ecclesiae, pro

---

[1] Constitutio dogm. prima de Ecclesia Christi c. 3.

[2] S. Thom. in IV sent. dist. 17, q. 3, a. 3, sol. 5 ad 3.

[3] Schulte, Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts, Gießen 1863, 174 sq, ubi scribit: „Wie der einzelne Gläubige *als solcher*, wenn er nach dem Rechte lebt, abgesehen von dem Sakrament der Firmung, zur Erreichung seines kirchlichen (religiösen) Zweckes in keinerlei direkte Verbindung mit seinem Bischof treten *muß*, ebensowenig äußert bei ganz normalem Gang der Dinge die Gewalt des Papstes einen unmittelbaren Einfluß auf die Verhältnisse der Diözesen, deren Rechtsverhältnisse ich sogar auf dem Boden des ius commune höchst konkret entwickeln können. Die Möglichkeit, mit dieser die Wirklichkeit und Berechtigung eines unmittelbaren Eingreifens liegen aber jederzeit im Primate begrifflich beschlossen. Die *regelmäßige* Entfaltung der päpstlichen Macht wird sich daher nur in der Einwirkung auf die Ordinarien als die selbständigen Leiter der kirchlichen Kreise zeigen, die *außerordentliche* hingegen auch auf die einzelnen Glieder der Hierarchie und die Gläubigen als Individuen."

[4] Hergenröther, Kath. Kirche und christl. Staat 870.

quibus apostoli discipulos suos Timotheum, Titum, Polycarpum aliosque episcopos constituerunt, quamquam ipsi nihilominus apostolicae suae potestatis plenitudine utebantur, etiam plures maritos habuissent. Quinimmo etiam parochus a multis sponsus mysticus suae parochiae dicitur, quamquam haec ut pars dioecesis etiam particeps est relationis huius ad episcopum; atque etiam parocho iuris canonici periti immediatam et ordinariam iurisdictionem adscribunt, quae tamen episcopo subiecta sit huiusque immediatum et ordinarium parochiarum regimen minime excludat. Unde ista comparatio ad rem non est.

Quod igitur episcopi ante concilium Vaticanum fuerunt, idem fuerunt et manserunt postea; instituti scil. sunt divinitus ut rectores particularium ecclesiarum et ut testes ac iudices doctrinae christianae, ita ut, id quod alibi fusius demonstrabimus, si ipsi tum occidentales tum orientales catholici vel omnes vel maxima vel magna saltem ex parte cum R. Pontifice in statuenda doctrina christianae fidei consentiant, ea habenda sit recta et vera [1].

Utut R. Pontifex supremae potestatis plenitudine iure divino pollet, ista tamen ipsius potestas nullatenus, id quod protestantes tum veteres tum recentes saepe contenderunt, est *infinita* et *absoluta,* ita ut quaecumque etiam

---

[1] Unde partim saltem iam patet, quam temere Schulte (Die Stellung der Konzilien 154 sq) haec scripserit: „Hätte es einen Sinn, wenn gerade das 4., 5., 6. Jahrhundert die Übereinstimmung von Okzident *und* Orient als Bedingung und als Grund des richtigen Glaubens erklärt? Hätte man den Papst als den Universalbischof angesehen, dann hätte er ja *allein* Zeugnis vom Glauben endgültig ablegen können, wie man dies *konsequent* am 18. Juli 1871 im Kap. 4 der Constit. dogm. erklärt hat, *nachdem* Kap. 3 *ihn zum einzigen Bischof gemacht.* Denn wir haben gesehen, daß jeder Bischof Zeugnis ablegt für den Glauben seiner Diözese. Ist nun die Welt die Diözese des römischen Bischofs im rechtlichen Sinne — und das ist die einfachste logische Folge davon, daß man ihm die direkte und unmittelbare Jurisdiktion in jeder Diözese zuspricht —, dann ist in der Tat das Zeugnis anderer Bischöfe überflüssig, weil auctoritativ, wie bewiesen ist (§ 8), nur Ordinarien Zeugnis ablegen. Es gibt für jene, welche den Dogmen des 18. Juli 1870 folgen, nichts *Überflüssigeres* als Diözesen und Provinzen und Bischöfe und Canones und Kirchenrecht, *es genügen allenthalben* päpstliche Vikare und Verordnungen." De quibus iis, quae iam a nobis dicta sunt, nihil aliud addendum videtur, quam *primum* falsum esse nec a Schulte probatum, saeculo IV, V, VI consensum orientis et occidentis tamquam *unicam et exclusivam conditionem* et *rationem* verae fidei habitum et declaratum esse. Utique si iste consensus affuit respectu alicuius doctrinae christianae, ea iure ut vera ab omnibus catholicis agnoscenda et praedicanda erat atque reapse ab omnibus, qui catholici permanere volebant, semper agnita est; hocque unum probant testimonia, ad quae Schulte provocat. Ita ut eorum unum et clarissimum quidem omnium, quae laudat, afferamus, R. Pontifex Siricius ad Himerium Tarraconensem de modo haereticos recipiendi in Ecclesiam scribens dicit (Ep. 1, n. 2: Coustant 625): „Quod etiam *totus oriens occidensque* custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro *collegio* synodali sententia separari." Sed ex hoc non sequitur, non posse iure definiri, aliquam doctrinam esse veram ac christianam, si consensus ille vel non sit omnium omnino orientis et occidentis episcoporum, vel si definitionem non praecesserit, sed tantum subsequatur. *Deinde* hoc insuper notare iuverit, non quaeri de hac re, utrum *absolute* meri vicarii R. Pontificis ubique *sufficerent,* et iam ab initio Ecclesiae sufficere potuissent, sed hac de re agi, utrum episcopi sint divinitus instituti necne; quam institutionem cum concilium Vaticanum et diserte agnoverit et definitione illa de R. Pontificis iurisdictione universali nullatenus tollere vel voluerit vel potuerit, nihil ex tota adversarii oratione sequitur.

illicita facere ipsi liceat. Quod sane cuivis veritatis studioso per se patet, cum R. Pontifici suprema potestas data sit tantum in Ecclesiae utilitatem eaque magis quam ulla alia potestas circumscripta sit multiplici ratione, revelationis scil. christianae veritate, iure divino, canonibus et definitionibus conciliorum oecumenicorum, quae ab ipsis R. Pontificibus confirmata sunt, Ecclesiae plus minusve etiam legibus, praxi, consuetudinibus et respectu potestatis quoque civilis atque imprimis amore iustitiae ac virtutis religiosae et conscientia R. Pontificum propria [1].

Atque ex iis, quae hactenus de R. Pontificis iurisdictione plena et suprema in universam Ecclesiam diximus, evidens quoque est, R. Pontificem posse summo iure et vere dici pontificem sive episcopum *oecumenicum*, sive, ut concilium Vaticanum ait [2], „supremum et *universalem* pastorem". Quod nomen utique non ita ipsi competit, ut solus, exclusis aliis, sit episcopus, sed quatenus ipse solus ut primas habens potestatem gubernandi Ecclesiam, est *universalis* Ecclesiae episcopus et pastor. Et vero iam in concilio Chalcedonensi vocatus est Pontifex Romanus universalis episcopus. Lecti sunt enim in eius act. 3 libelli supplices Theodori, diaconi Alexandrini, Ischyrionis, pariter diaconi Alexandrini, necnon Sophronii ad R. Pontificem Leonem et ad concilium ipsum directi, qui singuli inscripti sunt [3]: „universali (οἰκουμενικῷ) archiepiscopo et patriarchae magnae Romae"; nec concilii Patres ullo modo contradixere. Item legati Leonis I Paschasinus, Lucentius, Bonifatius decretis act. 6 eiusdem synodi subscripserunt ut vicarii „beatissimi atque apostolici *universalis* Ecclesiae papae urbis Romae Leonis", quod Graeci recte reddiderunt per: οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας [4]. Eadem ratione archimandritae secundae Syriae vocant in epistula ad R. Pontificem Hormisdam missa ipsum *„universae orbis terrae patriarcham"* [5]. Alii vero orientales R. Pontificem Agapetum in supplici libello appellant *„oecumenicum* patriarcham" [6], et rursus ipsum nominant [7] „patrem patrum". Necnon Wibaldus abbas Stabulensis saec. XII epistulam ad R. Pontificem Eugenium III missam inscripsit: „Uni et *universali Pontifici*"; alteram vero ad Anastasium IV ita: „Uni et *universali papae*" [8]. Atque etiam S. Bernardus Eugenium III vocavit [9] *„orbis episcopum"*. Necnon Facultas Parisiensis a. 1413 Husii propositionem: „R. Pontificem non esse *episcopum universalem*" damnavit [10]. Denique Academia Complutensis a. 1564 de hac thesi: „R. Pontifex non est appellandus *universalis:* quia S. Gregorius illud nomen abhorruit et reprobavit", censuram his verbis tulit [11]: „Haec propositio sapit haeresim." [12]

---

[1] Cf. Hergenröther l. c. 916 sqq.

[2] Constit. dogm. prima de Eccl. Christi c. 3.

[3] Harduin II 322 326 335; Mansi VI 1006 1011 1022.

[4] Harduin II 466E; Mansi VII 135C. Cf. etiam Harduin II 365E; Mansi VI 1081A, ubi decretis act. 3 Paschasinus, saltem secundum textum latinum, eodem modo iam subscripserat.

[5] Inter ep. Hormisdae ep. 39 (Thiel 815).

[6] Harduin II 1203A; Mansi VIII 896C.

[7] Harduin 1218B; Mansi 913A.

[8] Ep. 143 409 (ML CLXXXIX 1246 1439).

[9] Ep. 240, n. 1 (ib. CLXXXII 432).

[10] Nat. Alexander, H. E. saec. XV et XVI, c. 2, art. 1, § 3 (XVII 167).

[11] Apud Du Plessis d'Argentré, Collect. iudic. III, P. 2, p. 105.

[12] In commonitorio, quod datum est a R. Pontifice Stephano V legatis euntibus ad Slavos, iubentur legati Slavorum duci Svatopluk dicere: „Dominus autem Ste-

Sed plures pro hac re auctoritates afferre opus neutiquam est, cum ipsa per se certa et evidens sit [1].

Schol. IV. Quaestio porro, *quo iure, divino* an *humano,* Petrus primatum suum cum episcopatu Romae potius quam alterius urbis coniunxerit [2], ex S. Scriptura solvi nequit, cum hac de re nihil indicet. Nec etiam SS. Patres aliique veteres scriptores hac de re fusius saltem ac diserte loquuntur, et cum vel R. Pontifices vel alii sententiam suam de divina institutione primatus demonstrant illis Christi verbis, quibus vel Petro promissus vel institutus est, manifesto de quaestione illa neutiquam agunt. Quare 1. iam plures theologi scholastici [3] censuerunt, primatum cum sede Romana esse iure *subiective* spectato tantum humano coniunctum, atque adeo in potestate R. Pontificis esse, ut dignitatem pontificiam ab episcopatu Romano disiungere et alio transferre possit. Quam quidem opinionem febroniani et iansenistae, ut Tamburini [4] aliique R. Pontificis adversarii saeculo XVIII suam fecerunt. Atque ipse Ballerini, num ista translatio R. Pontificum voluntate fieri possit, non facile decidendum esse contendit, hoc tamen sensu, ut dicat [5]: „Certe cum Romana sedes per tot saecula in possessione sit eiusdem primatus, et series episcoporum Romanorum semper potita sit praerogativa primatus, non expediret hanc alio transferre, ne magna in ecclesiis gigneretur confusio. Alligatio enim primatus alicui particulari sedi ea de causa fuit quodammodo necessaria, ne vagus incertusque esset Summi Pontificis locus, quo in gravissimis Ecclesiae necessitatibus ex remotis quoque regionibus tute confugeretur. Cum autem a tot saeculis omnes ecclesiae agnoscant, Romanam sedem illam esse, quae Petri successionem et primatum obtinet, non sine maxima et evidenti necessitate hanc successionem cum primatu ad aliam sedem transferre liceret. Auctoritati autem Ecclesiae, si Ecclesia separatim a Summo Pontifice consideretur, id tribui non potest, non solum quia Febronii hypothesim de clavibus immediate traditis Ecclesiae alibi expunximus, verum etiam quia quacumque de causa alio transferri non posset primatus, nisi Pontifex ipse ante mortem sedem suam cum primatu sibi annexo alio transtulisset. Sede enim eius nondum translata, ubicumque ille obiret, sive Mediolani, sive Neapoli, sive Parisiis etc., semper Romana sedes vacaret, et qui in demortui locum esset electus, is non Mediolanensis, non Neapolitanus, non Parisiensis, sed Romanus episcopus esset S. Petri successor, in quem ex institutione Christi, cui derogare nequit Ecclesia, primatus iure successionis transisset."

Insuper Ecclesia, cum R. Pontifici ut capiti subiecta sit, etiamsi id omnes populi romano-catholici una cum episcopis vellent, *contra R. Pontificis*

---

phanus sanctissimus Pontifex sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae et universalis papa, spiritalis videl. pater vester, visitat vos." Neues Archiv der Ges. für ältere deutsche Geschichtskunde V (1879) 409. — Ceterum cf. Grisar in Zeitschrift f. kath. Theol. IV (1880) 507 sqq.

[1] Cf. Ant. Vaira, De praerogativa oecumenicae nomenclationis et potestatis Romani Pontificis a Constantinopolitanis praesulibus usurpata, Patavii 1704.

[2] De hac quaestione fuse agit Jos. Hollweck, Der apostolische Stuhl und Rom. Eine Untersuchung über die rechtliche Natur der Verbindung des Primates mit der Sedes Romana, Mainz 1895. Cf. etiam de Groot, De Eccl. q. 15, art. 5, p. 572 sqq.

[3] Suarez, De fide disp. 10, sect. 3, n. 9.

[4] Praelect. de Eccl. Christi P. 2, § 28, p. 33.

[5] De potestate eccl. P. 2, c. 8 (ed. Westhoff, Monast. 1847, 218 sq).

voluntatem sedem primatus a Petro Romae positam alio transferre non potest, eoque minus, quod etiam maximorum conciliorum statuta tunc tantum valeant necesse est, cum a totius Ecclesiae capite, R. Pontifice, confirmata sint. Quare Pius IX rectissime proscripsit hanc Nuytzii, professoris Taurinensis, thesim[1]: „Nihil vetat, alicuius concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri." Primum enim intellexit Nuytzius concilium non confirmatum a R. Pontifice; deinde vero huius suae sententiae praecipuam rationem dedit falsam illam et iam supra p. 248 sqq refutatam gallicanorum opinionem, secundum quam Petrus non ab ipso Christo, sed ab Ecclesia claves acceperit[2]. Tum etiamsi primatus Petri cum sede Romana solo iure humano coniunctus esset, falsissimum tamen esset, „nihil vetare", ipsum alio transferri posse, cum eiusmodi translatio, licet consentiente etiam R. Pontifice fieret, sine evidenti tamen divinae approbationis signo facta quam facillime inter Ecclesiae romano-catholicae populos et urbes contentiones ac turbas indeque schismata excitaret, ipsumque Summum Pontificem civili principi vel regimini tunc obnoxium in maximum amittendae libertatis ipsi et Ecclesiae in agendo necessariae periculum coniceret, itaque eius auctoritatem apud omnes populos valde imminueret. Denique Benedictus XIV scribit[3]: „Quamvis possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiae monarchiam iure tantum humano esse annexam sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt, praefatam annexionem ita esse de iure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi et una ab altera separari. Etenim posito, quod Petrus suam sedem stabiliter Romae collocaverit et Romanam regens ecclesiam obierit, nullus, qui episcopus Romanus non sit, potest dici verus Petri successor." Id certe valet de successione in Romano Petri episcopatu; ergo videtur aliquatenus saltem etiam valere de successione in eius primatu. Secundum Ecclesiae enim romano-catholicae mentem tanta est episcopi cum ecclesia sua coniunctio, ut instar connubii habeatur, ideoque episcopus in ordinatione sua in huius rei signum anulum accipiat. Atque propter hoc spirituale cum sede sua connubium praesul, postquam in ea constitutus est, omnium illius iurium particeps fit, ita ut, si illa sit sedes archiepiscopalis vel patriarchalis, ipse praesul fiat archiepiscopus vel patriarcha. Quare etiam electus Romae episcopus eo ipso totius Ecclesiae primas est; quia, cum Petrus ut Romanae sedis episcopus mortuus sit, eam in perpetuum iuris primatus participem fecit, adeo ut nulla alia episcopalis sedes illud ius umquam vindicare sibi potuerit, et reapse nulla illud vindicare sibi umquam tentarit[4].

Nec ex eo, quod R. Pontifex sedem episcopalem, quae archiepiscopatus vel patriarchatus iure ac dignitate pollet, propter iustas causas hoc peculiari iure ac dignitate privare potest, sequi videtur, *R. Pontificem suam ipsius sedem* episcopalem Romanam primatus iure privare hancque dignitatem alteri sedi annectere posse. Circa ceteras enim sedes agit ut superior; si vero spoliaret sedem Romanam, ageret ut aequalis Petri; aequalis autem Petri est hoc quidem sensu, quod gaudeat eiusdem primatus potestate, non autem illo, quod sit, ut Petrus, etiam Romani episcopatus auctor simulque ut apostolus Christi

[1] Syllabi thes. 35 (Denzinger-Bannwart n. 1735).
[2] Cf. Schneemann, Der Papst, das Oberhaupt der Gesamtkirche 219 sqq.
[3] De syn. dioec. l. 2, c. 1, n. 1. [4] Cf. Schneemann l. c. 134.

et glorioso martyrio coronatus singulari modo venerandus. Ergo etiamsi primatus cum sede episcopali Romana iure subiective spectato solum humano coniunctus esset, ideoque inde *absoluta* impossibilitas eius translationis colligi non posset [1], veneratio tamen S. Petro ab universa Ecclesia debita et primatus cum illa sede connexio per tot saecula permanens et maxima mala ex eius separatione facillime oritura omnino prohiberent, ne sine gravissimis et certissimis causis R. Pontificis primatus umquam a sede Romana alio transferretur. Ceterum ipse Febronius [2], postquam confessus est, talis translationis causam legitimam hucusque defuisse, Christumque primatus auctorem atque conservatorem voluisse Romanae sedi ac successioni, non obstantibus tot tantisque vicissitudinibus, suam constare firmitatem, non dubitandum esse affirmat, quin eodem protegente futuris quoque temporibus eadem firmitas sit constituta. Atque haec de ista prima sententia sufficiant.

Est porro 2. alia multo communior ac prorsus contraria sententia. Plurimi enim theologi, ut Suarez [3], Gregorius de Valentia [4], card. Gerdil [5], et ut alios antiquiores praeteream, hac aetate Cercia [6], Murray [7], Bonaventura de S. Bernardino [8], Palmieri [9], Hollweck [10], censent, Petrum non sine Christi dispositione aut divino certe impulsu Romam primatus sedem elegisse, adeo ut Petri primatus cum Romana sede sit iure subiective etiam spectato divino, ideoque in perpetuum inseparabili prorsus modo coniunctus. Quae sententia non, ut prior, mere negativis rationibus innititur, sed partim saltem etiam positivis iis, quae, si minus certam, multo tamen probabiliorem eam reddere videntur. Ac

a) primum quidem perpetuo totius Ecclesiae persuasio huic sententiae suffragari videtur. Nam *α*) *saepius ea tempora fuerunt,* quae pri-

---

[1] Perrone (Tract. de locis theol. P. 1, sect. 2, c. 2, prop. 3 ad 3, obi. 3, n. 601) hanc absolutam impossibilitatem ex allata causa omnino affirmat, scribens: „Quamvis in arbitrio Petri fuerit, hanc potius quam illam urbem in sedem deligere, attamen electione facta ac morte post electionem superveniente in eadem sede, iam in potestate Pontificis aut alterius haud est ecclesiae sedem ac titulum alio transferre. De iure siquidem divino est, ... in Petri successores summum Ecclesiae primatum a Christo institutum transire. Quare in nullos alios quam in legitimos Petri successores ex divina institutione primatus dimanare potest." At ista conclusio non videtur plane recta. Utique in nullius potestate iam est, ecclesiae Romanae sedem et titulum *episcopalem* alio transferre, quamdiu illa exsistit; et verum pariter est, primatum in legitimos tantum Petri successores transire debere ac posse, et iure quidem divino transire in episcopos Romanos, quamdiu primatus alio non transferatur. Sed si Summus Pontifex primatum suum posset alio transferre et reapse transferret, legitima posset esse in Petri primatu successio, quamvis tunc non esset amplius successio in episcopatu Romano. Hanc igitur *absolute* requiri *aliunde* probandum esset; sed quamdiu probatum non est, Petrum non mero arbitrio proprio, sed ex divina voluntate Romam primatus sui sedem elegisse, *absolute* non videtur repugnare, quominus Petri in primatu successor, eodem igitur atque ille potestate pollens, non possit pro temporum necessitate primatum suum cum alia episcopali sede ope translationis coniungere.

[2] Apud Ballerini l. c. 219.
[3] De fide disp. 10, sect. 3, n. 10.
[4] De fide q. 1, punct. 7, § 38.
[5] Opera, Neapoli 1853—1856, V 37 sqq.
[6] De Rom. Pontif. sect. 2, lect. 7.
[7] III 552 sqq.
[8] Tratt. teol. sulla Chiesa II 151 sqq.
[9] De Rom. Pontif. 411 sq.
[10] Der apost. Stuhl (1895).

matus translationem valde suadebant. Certe eiusmodi tempora fuerunt tria prima saecula, cum imperatores gentiles aegerrime ferrent, Summum christianae religionis ipsis adeo exosae Pontificem in ipsorum urbe principe habitare, ideoque eum acerrime persequentes vel occiderent vel in exsilium mitterent. Hinc certe Cyprianus R. Pontificis Cornelii, Ecclesiam Decii actate regentis, constantiam quamplurimum ita laudat[1]: „Quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus, quantum robur animi, qualis firmitas fidei, quod nos simplici corde et perspicere penitus et laudare debemus, sedisse intrepidum Romae in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur; cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se aemulum principem quam constitui Romae Dei sacerdotem." Rursum istiusmodi tempora fuerunt, cum Alaricus, Gensericus, Totilas Romam caperent atque spoliatione, incendiis, caedibus penitus vastam ac desolatam redderent. Item toto Langobardorum tempore R. Pontifices in summis angustiis ac miseriis fuerunt. Maxime autem istam translationem suadere procul dubio illa tempora potuerunt, quibus ipsorum civium Romanorum, nobilium ac plebis, factiones Petri successores adeo dire vexarunt, ut saepissime ab Urbe exsulare cogerentur. Et nonne septuaginta illi anni, quibus R. Pontifices cum tota sua curia Avenione commorabantur, optima occasio fuissent transferendi primatus sedem in illam Gallicorum urbem? Saepe igitur ea tempora fuerunt, quae transferendam primatus sedem R. Pontificibus et Ecclesiae suadere potuissent, et si translationem illam fieri posse iudicatum esset, procul dubio suasissent, prout etiam praesens captivitas R. Pontificis istam cogitationem iamdudum ipsi aut Ecclesiae alumnis inicere potuisset. Iam vero nullibi leguntur vel R. Pontifices vel Ecclesiae Patres et episcopi catholici ante Febronium vel de ipsa tantum istius translationis possibilitate cogitasse aut dixisse. Primo Constantinopoli saeculo IX, sine dubio a Photio, hac de re, teste R. Pontifice Nicolao I, sermones spargebantur. Scribit enim ipse de adversariis suis Constantinopolitanis ad Hincmarum et ceteros Galliae episcopos[2], eos etiam gloriari atque perhibere, „quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanae sedis ad Constantinopolitanam ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiae Romanae privilegia translata esse". Quam quidem praeposteram opinionem refutans Nicolaus I in epistula ad Michaelem imperatorem inter alia haec dicit[3]: „Privilegia istius [Romanae] sedis vel ecclesiae perpetua sunt: divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, *transferri non possunt;* trahi possunt, evelli non possunt." Ex quo facto Febronius in commentario Francofurti a. 1781 in lucem edito et Romam ad Pontificem misso priorem suam hac de re sententiam revocans recte conclusit[4], haud obscurum esse, Ecclesiam una cum R. Pontificibus iudicasse, primatus translationem divinae voluntati minus esse conformem. — β) Nihilominus autem R. Pontifices et Ecclesia de hac translatione vel modo ut possibili numquam cogitaverunt, prorsus e contrario satis indicarunt, primatum Summi Pontificis esse iure divino etiam subiective spectato cum sede Romana coniunctum. Primum enim cum loquuntur R. Pontifices vel Ecclesiae Patres, sive singuli

[1] Ep. 55, c. 9 (Hartel 630).

[2] Ep. 152, ad Hincmar. et ceteros episcopos in regno Caroli constitutos (ML CXIX 1157).

[3] Ep. 86 (ib. 948). [4] Apud Gerdil, Opera V 37.

sive in conciliis congregati, de Romanae sedis iuribus recipiendi appellationes, confirmandi, restituendi, exauctorandi episcopos et patriarchas, mittendi in omnes terras stabiles legatos ac res fidei aliasque controversias definiendi; item cum dicunt, necessariam esse in rebus fidei consensionem omnium ecclesiarum cum ecclesia Romana et generatim necessariam esse communionem R. Pontificis, huncque esse Ecclesiae caput ac verticem; cumque affirmant, S. Petrum in R. Pontificibus usque vivere et regere; cum denique ad apostolicam et continuam R. Pontificum successionem tamquam ad signum provocant, quo Ecclesiae romano-catholicae veritas possit cognosci: semper et ubique *absolute* loquuntur, ita ut numquam ullo modo indicent, ea cum hac conditione esse intelligenda: quamdiu sedi Romanae et Romano episcopo primatus inhaeret. Si vero R. Pontificibus et toti Ecclesiae non persuasum fuisset, Petri primatum in omne tempus cum Romana sede e divina voluntate fore coniunctum, procul dubio ista conditio interdum saltem expressa fuisset.

b) Deinde aliqui saltem Pontifices et Ecclesiae scriptores *diserte* omnino testantur, *divina dispositione* factum esse, ut Petrus Romam iverit. Certe iam Eusebius de Simonis Magi praestigiis loquens scribit[1]: „Confestim ipsis Claudii Augusti temporibus benigna et clementissima *Dei providentia* (τῶν ὅλων πρόνοια) fortissimum et maximum inter apostolos Petrum et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum Romam adversus illam generis humani labem ac pestem perducit (χειραγωγεῖ)." S. Athanasius Petrum et Paulum e *mandato Domini* Romae martyrium subiisse scribit[2]: „Petrus vero ... et Paulus ... his auditis verbis: oportet vos Romae martyrium subire (εἰς Ῥώμην δεῖ ὑμᾶς μαρτυρῆσαι), profectum non distulere suum." Item Leo[3]: „Beatissimus Petrus, inquit, princeps apostolici ordinis, *ad arcem Romani destinatur imperii*, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet." Leonem autem illam destinationem non humanam, sed divinam existimasse, patet tum ex eo, quod paulo ante de religionis christianae beneficio dixit[4]: „Ut autem huius inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum *divina providentia* praeparavit"; tum ex his, quae paulo post S. Petrum alloquens protulit[5]: „Tropaeum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te *divinis praeordinationibus* anteibant et honor potestatis et gloria passionis." Insuper idem liquet ex praefatione X pro die SS. Petri et Pauli iam supra p. 782 laudata, ubi haec habentur[6]: „Qui [Deus] ineffabili sacramento ius apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti." Optatus Milev., cum dicit[7]: „Negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam", Petrum non sponte sibi elegisse cathedram, sed eam ipsi Romae collatam esse, scil. a Deo sive divina dispositione, supponit. Gelasius I scribit[8]: „Duodecim certe fuere apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti. Cumque omnes aequaliter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque *dispensatione mirabili* in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua

[1] H. E. 2, 14, 6. [2] Apol. de fuga sua n. 18 (MG XXV 668).
[3] Serm. 82, c. 3 (ML LIV 424). [4] Ibid. c. 2 (ib. 423).
[5] Ibid. c. 5 (ib. 425).
[6] ML LV 52 et apud Muratori, Liturgia Rom. vetus I, Venet. 1748, 333.
[7] De schism. Donat. l. 2, c. 2 (ML XI 947).
[8] Tract. 2, de damnatione nominum Petri et Acacii n. 10 (Thiel 529).

urbe vel prima primum et praecipuum *dirigeret* Petrum." Eadem fuit etiam persuasio *ecclesiae Syro-chaldaicae,* cum in I Hora Officii Pentecostes Syrorum dicatur: „Spiritus descendit de coelo ad coenaculum, et ignem ad instar linguarum apostolis distribuit. *Simonem misit Romam*"; et rursus in II Nocturno eiusdem Officii: „Missi sunt apostoli ad evangelizandos omnes populos; unicuique autem eorum locum designavit et dedit *Filius Dei; Simoni quidem Romam.*" Item Innocentius III scripsit de S. Petro [1], eum „ex *revelatione divina*" ab Antiochia translatum esse ad Urbem, secumque transtulisse cathedrae principatum. Quid S. Thomas Aq. docuerit, iam supra p. 801 vidimus. Denique Leo XIII annum iubilaei 1900 indicens (11 maii 1899) monet peregrinaturos Romam, ut non aliter velint versari Romae, nisi „fide comite", hoc suadere nativum ingenium Urbis atque eius impressam divinitus effigiem. „Unam enim ex omnibus Romanam urbem ad munera excelsiora atque altiora humanis delegit sibique sacravit Servator humani generis Iesus Christus. Hic domicilium imperii sui non sine diuturna atque arcana praeparatione constituit: hic sedem vicarii sui stare iussit in perpetuitate temporum." [2]

Quae quidem varia dicta indicare videntur, non solum Petrum Romam divina ordinatione missum esse cathedramque primatus ibi collocasse, sed eam etiam, probabiliter saltem, semper Romae mansuram esse. In concilio Vaticano noluerunt Patres hanc sententiam definire, immo textus constitutionis dogmaticae de Ecclesia, cum eam enuntiare videretur, consulto mutatus est. Attamen ex Actis concilii clare patet, Patres huic sententiae favisse [3]. Opinio igitur de possibilitate translationis primatus relative nova et communi Ecclesiae persuasioni, ut videtur, aliquatenus contraria est.

c) Accedit praeterea haec ratio congruens, quod, sicut propter Ecclesiae unitatem necesse fuit, Summum Pontificem esse unum ac certum, ita ipsi pariter opus fuit sede certa et immobili, ut eo facilius Ecclesiae ordo constans sibi esset et seditiones ac scandala removerentur, utque facilius etiam totius Ecclesiae socii ad caput suum possent accedere. Necesse autem fuit, hanc certae sedis designationem fieri auctoritate divina, quia, si sola Petri ut Summi Pontificis voluntate facta esset, alterius etiam Summi Pontificis voluntate absolute mutari aliquando posset [4].

Atque propter istas maxime rationes primatus probabilius saltem non videtur in alios quam in Romae episcopos posse transire, ideoque cum Ro-

---

[1] Registr. l. 2, ep. 209 (ML CCXIV 761).

[2] Leonis XIII P. M. Acta XIX, Romae 1900, 68.

[3] Granderath, Constitutiones 137 sqq; Hollweck 129—135. Voluit concilium de primatu definire, quae essent necessaria, „relictis quaestionibus et hypothesibus in schola plus minusve libere agitatis quoad perpetuitatem urbis Romae et coniunctionem primatus cum sede Romana". Ita in concilio Vaticano episcopus Pictaviensis Lud. Pie (Coll. Lac. VII 293 c). Cum aliquis episcopus desiderasset (cf. ib. 314 b), ut in Constitutionem de Ecclesia c. 2 insereretur haec periodus: „Sua [Christi] divina ordinatione ac providentia salubriter factum est, ut Petri primatus integre, inviolabiliter semperque vigeret in sancta Romana ecclesia", nomine Deputationis de fide responsum est: „Deputatio de fide non potuit non laudare pium desiderium, sed quoniam ... in constitutione dogmatica non omnis pia sententia potest inseri: idcirco post maturam discussionem Deputatio de fide putat, quod iam sufficienter provisum sit etiam huic sententiae piae sic et in quantum fieri poterat, tum in textu tum in canone correspondente" (l. c. 328 b).

[4] Suarez, De fide disp. 10, sect. 3, n. 10.

mana semper sede coniunctus sit necesse est. Sed aliud est „de residentia disserere, aliud vero de sede ac sedis titulo. Residentia enim non ita uni affixa loco est, ut iustis intercedentibus causis non possit alio transferri, ut saepe contigit, tot praesertim annis, quibus R. Pontifices Avenione commorati sunt; atque in hypothesi, quod Roma deleretur aut ea christiani et catholici nominis hostes potirentur, idem omnino fieret. Sedes vero prout Petri est, ac sedis titulus a nulla humana auctoritate [probabilius saltem] immutari potest, aut in aliam sedem transferri.“ [1] Quam ob rem fieri quidem potest, ut Summus Pontifex per longius etiam tempus alibi quam Romae domicilium habeat, sed, ubicumque sit, semper est Pontifex Romanus; et fieri posse non videtur, ut umquam alterius urbis episcopus fiat Summus totius Ecclesiae Pontifex.

Thesis XVII.

Omnes religiosi christianorum coetus ab Ecclesia romano-catholica separati apostolicitatis nota carent.

I. St. q. Nihil hic amplius notandum esse videtur, quam necesse non esse, hoc loco ostendere, protestantium generatim omnium et speciatim etiam anglicanorum *ordinationem* esse nullam, cum, etiamsi vera fuisset, eorum auctores excommunicatione ab Ecclesia romano-catholica lata omni certe iurisdictionis potestate privati essent. Ceterum ista quaestio hoc loco ne tractari quidem posset nisi, ut dici solet, *ad hominem* argumentando. Nos igitur eam omittimus.

II. **Probatur thesis.** Nam singulis et universis istis coetibus deest

1. regiminis sive successionis et missionis apostolicitas.

a) *Ut enim iam demonstravimus* (p. 378 sq), ibi non potest esse apostolica in regimine successio, ubi non est centrum legitimum regiminis et successionis apostolicae, Petri in primatu successor, Pontifex Romanus; atqui omnes illi tum antiqui tum recentiores christianorum coetus ab illo Petri successore, R. Pontifice, antea etiam ab ipsis agnito, sese separarunt et hac separatione se ut coetus distinctos constituerunt; ergo ab eo tempore aut etiam ab ipsa sua origine carent regimine et successione apostolica saltem formali ac vera. Quamvis enim aliqui, ut Graeci et Rutheni cum R. Pontifice non coniuncti, habeant successionem episcoporum suorum *materialiter* apostolicam, a tempore tamen, quo se a R. Pontifice separaverunt, *formalem,* quae omnino necessaria est, successionem amiserunt eaque tam diu carent, quamdiu R. Pontifici sese non subiciunt[2].

---

[1] Perrone, De loc. theol. P. 1, n. 601.

[2] Russorum episcopus Macarius (Introduction à la théologie orthodoxe), qui loquens de Ecclesia nihil prorsus dicit vel de institutione primatus a Christo S. Petro concessi vel de eius perennitate et legitima successione in sede Romana, p. 568 in nota haec scribit: „Dans l'exposition du dogme de l'unité de l'Église, les catholiques romains font entrer, comme un élément capital indispensable, l'idée du pape, en

Accedit quod protestantismi tum veteris tum novi auctores eorumque asseclae contra Christi voluntatem et apostolorum doctrinam atque agendi rationem supremum coetuum suorum regimen principibus et magistratibus civilibus fere tradiderunt; item supremum anglicanae quam dicunt ecclesiae constitutae regimen a primordio iam habet rex vel etiam regina una cum publicis regni comitiis[1]. Atque in Russorum quoque quam vocant ecclesiam orthodoxam a tempore Petri I imperatores supremam potestatem exercent, cum synodus sacra quae dicitur nihil, quod maioris saltem momenti sit, constituere valeat sine consensu imperatoris, qui sui vicarium, virum civilem et nonnumquam militarem, ei praeficit[2].

b) *Omnes isti coetus carent* quoque *vera missione tum ordinaria* tum *extraordinaria;* ergo nequeunt esse apostolicae respectu regiminis. Et carent quidem illi

a) vera missione ordinaria, i. e. obtenta ab hominibus, qui potestate ecclesiasticam missionem vere conferendi pollent. Nam hanc missionem nec ab apostolis nec ab Ecclesia romano-catholica nec a principe civili aut a populo acceperunt; ergo nullatenus eam habent. Sane eam non acceperunt *α') immediate ab ipsis apostolis.* Non enim istorum coetuum auctores missi et constituti sunt ab ipsis apostolis, cum, qui iam apostolica aetate inter christianos sectarum auctores fuerunt, ab apostolis tamquam antichristi et pseudoprophetae proscripti et ex Ecclesia eiecti sint (1 Io 2, 18 et 4, 1. Iud 4 sqq). „Ex nobis", ait Ioannes 1, 2 19 de iis, „prodierunt, sed non erant ex nobis." Et qui proxime apostolicam aetatem secuti sunt sectarum auctores, ab apostolicis ecclesiis et praecipue a Petri in primatu successore, Romano Pontifice, pariter ex Ecclesia tamquam haeretici exclusi, eorumque somnia et commenta ut talia declarata sunt ab Ecclesiae magisterio, cui depositum fidei custodiendum a Christo traditum erat. Iampridem etiam illi coetus penitus evanuerunt, et hoc interitu ad oculum demonstrarunt, se non fuisse apostolicam illam Christi Ecclesiam ad finem mundi usque mansuram. Quo magis autem posteriores istiusmodi christianorum coetuum auctores ab apostolorum tempore distabant, eo minus poterant dicere, se ab ipsis apostolis ad fundandam ecclesiam missos esse. — *β') Neque etiam mediate* sive *ab Ecclesia romano-catholica,* a qua illi omnes defecerunt, varii coetus isti religiosi missionem apostolicam acceperunt. Nam haec Ecclesia dicenda est aut habuisse veram et apostolicam potestatem eos mittendi, aut non habuisse. Si eam non habuisse dicatur, illi defectionis auctores

---

tant que chef de l'Église; ils font de même dans l'exposition des autres charactères. Et nous, nous excluons tout à fait cette idée-là." Sed *quo iure* eam ideam excludunt?

[1] Cf. Döllinger, Kirche und Kirchen, München 1861, 52 sqq.

[2] Cf. Döllinger l. c. 171 sqq; Ces. Tondini, Le Pape de Rome et les Popes de l'église orthodoxe d'Orient, Paris 1876, 23 sqq.

eam ab illa nec accipere poterant; si vero eam habuisse admittatur, ipsa sola vera Ecclesia fuit semperque manet. Atqui Ecclesia romano-catholica defectionis auctores non modo non misit ad schisma faciendum et doctrinam doctrinae suae repugnantem praedicandam, uti nec ullus rex magistratus suos ad seditionem contra se excitandam umquam mittit, sed excommunicando e sinu suo eiecit omnemque iis ecclesiasticam, si quam antea habuerant, missionem prorsus ademit. Ergo ab Ecclesia romano-catholica illi defectionum auctores nullatenus missionem acceperunt, ergo illorum nullus vel immediatam vel mediatam missionem apostolicam ordinariam ad instituendum novum christianorum coetum religiosum umquam habuit vel habere potest[1]. — *γ′*) *Denique nec a principibus vel populo* isti coetus ordinariam illam veram missionem accipere poterant, cum potestas eam dandi nec principi civili nec populo ullatenus competat, utpote penes quos numquam vel sacrum Ecclesiae regimen vel infallibile magisterium esse possit, ut supra p. 312 sq 348 sq probavimus.

β) Praeterea ii, qui istiusmodi christianorum coetus ab Ecclesia romano-catholica dissidentes umquam constituerunt et in posterum instituent, caruerunt pariter et carebunt omnes missione divina *extraordinaria* secundum ipsorum sententiam intellecta, scil. *ad restaurandam Ecclesiae doctrinam ac formam, vel ad novam religionem inducendam.* Nam *α′*) *eiusmodi missio* est *omnino impossibilis* (vide supra p. 387 sqq), ideoque nullo umquam iure a quoquam perhiberi potest. — *β′*) *Sed etiam si daretur* eam possibilem esse, eorum tamen omnium, qui ad restaurandam Ecclesiae Christi doctrinam ac formam vel ad novam religionem docendam se divinitus missos dixerunt, ne unus quidem huic assertioni suae fidem fecit, utpote quorum nullus istam suam missionem ullo miraculo vel alio testimonio divino comprobare potuit. Et vero nec praetensa doctrinae puritas, nec donum dicendi et imperterrita constantia certa extraordinariae missionis divinae signa sunt. Neque praedicationis successus sive celeris novae doctrinae propagatio per se ullum istiusmodi missionis argumentum est (supra p. 388 sqq), nisi et doctrina et alia cum eius praedicatione connexa ea sint, quibus clare pateat, successum illum fuisse prorsus divinum. Iam vero quinam christianorum coetus ab Ecclesia romano-catholica separatus umquam potuit *tali* successu gloriari? Num forte olim *arianorum* secta? Sed quis hac nostra aetate id serio affirmet, praesertim si historiae ecclesiasticae peritus sciat, quanta calliditate et fraudulentia, quam malis omnis generis artibus, quot horrendis mendaciis, quanta denique etiam imperatorum violentia eorum doctrina propagata sit? Num vero quae dicuntur *Graecorum* et *Russorum* ecclesiae? At ut alia multa hic taceam, Photius aliique schismatis illius auctores proprie non novam aliquam religionem praedicarunt, sed R. Pontifici

[1] Cf. Buchmann, Populärsymbolik, Mainz 1843, 109 sqq.

oboedientiam renuntiarunt, adiuti et orientalium superbia atque alienis ab occidentalibus animis et luxuriosi imperatoris voluntate aliisque quam plurimis subsidiis neutiquam iis, quae ullam illius schismatis divinam approbationem contineant aut indicent.

Ut igitur iam agamus de iis, de quibus solis fere hac aetate quaeri potest: num protestantium coetus *α′′*) *auctorum suorum successum* tamquam certum extraordinariae ipsorum missionis signum praedicare possunt? At vero *primum* quam maxime varii fuerunt et sunt horum coetus, quam oppositi inter se etiam ratione doctrinae in multis rebus iisque gravissimis! Dissensisse enim quam maxime inter se iam ab initio et longo deinceps tempore lutheranorum, zwinglianorum, calvinistarum coetus, notius est quam quod probandum sit. Iam vero horum *omnium* doctrina satis late propagata est. Num igitur hic successus unius tantum et cuius horum trium, an omnium, utut ii inter se damnabant et complura prorsus contraria docebant, missionem divinam extraordinariam demonstret?

Deinde successus praedicationis reformatorum *facile explicatur* ex causis mere humanis. Primi enim protestantismi auctores singuli eam quam vocabant *evangelicam libertatem* praedicabant, qua non modo nihil eorum postulabant ab asseclis suis, quae levioribus et lascivis sociis Ecclesiae romano-catholicae valde molesta ac gravia esse solent, sed quam plurima permittebant, quae omnis generis cupiditatibus vehementer blandiuntur. Constat enim Lutherum, Calvinum, Zwinglium atque Angliae quos vocant reformatores abolevisse confessionis singulorum gravium peccatorum sacerdoti privatim faciendae necessitatem, abrogasse praeceptum ieiunandi, contra quascumque voluntarias corporis afflictationes multum vehementerque declamasse; verbo et exemplo vota religiosa et maxime votum castitatis damnasse, ita ut virginitatem et coelibatum perpetuum prorsus impossibilem et absurdum declararent; docuisse praeterea generatim, opera bona ad salutem aeternam consequendam minime *necessaria* esse, sed sufficere firmam fidem, qua homo credat, se a Christo redemptum esse ita, ut, quacumque tandem ratione vixerit, retenta illa fide salvus fiat. Constat etiam Calvinum docuisse, Deum singulos et universos homines, nulla ipsorum vitae in terris sive bonae sive malae habita ratione, ab omni aeternitate absolute praedestinasse aut ad beatitudinem aut ad poenam aeternam, ita ut qui ab ipso destinatus sit ad vitam aeternam, ad eam certissime perveniat, sive bene sive male moratus in terris vixerit; qui vero ad aeterna supplicia a Deo destinatus fuerit, ea etiam vita sancta in terris acta evitare non possit. Atque eandem ferme doctrinam, ut in ultima huius voluminis thesi monstrabimus, etiam Lutherus ac Zwinglius tradiderunt. — Iam vero istae doctrinae istaque exempla non poterant non plebem ac sacerdotes, monachos et monachas nuptiarum appetentes, atque alios innumeros illos homines, qui omni aetate sunt, aut vitae dissolutae et voluptariae

iamiam deditos aut saltem ad eam valde proclives et religionis vel inscios vel negligentes quam vehementissime allicere, itaque ab Ecclesia antiqua in novae religionis partes attrahere. Quo magis enim homo malis cupiditatibus indulgere studet, eo libentius retinet illius fidei solatium, qua plene a Christo redemptum se credit. Tribuit enim ista a dictis reformatoribus praedicata fides manifesto tum indulgentiam plenissimam et peccatorum et eorum poenarum, tum omnem libertatem etiam in posterum quaecumque scelera atque peccata, uno quo fides amittatur excepto, sine ullo scrupulo committendi. Et qui se a Deo ad beatitudinem aut ad poenam aeternam in altera vita futuram absolute, nulla bonae vel malae vitae habita ratione, praedestinatos credunt, plerumque ita vivent, ut malae cupiditates suaserint.

Ad quas celeris propagationis causas accessit, quod, ut similiter in confesso est, *principes ac magistratus civiles* dictae reformationi favendo et supremum rerum ecclesiasticarum regimen obtinuerunt et innumera bona ecclesiastica usurparunt. Insuper, ut alias multas istius propagationis novae doctrinae causas taceam, v. g. calumnias atque impudentissima mendacia verbo, scriptis, imaginibus contra Ecclesiam romano-catholicam late propagata, necnon eiusdem abolitionem saepe tantum sensim, uti v. g. in Hassia et alibi, sub reformationis specie factam, una ex praecipuis causis fuit *aperta vis,* qua reges Angliae, Sueciae, Daniae, et multi principes ac nobiles Germaniae et magistratus urbium una cum infima plebe, necnon moderatores plurium Helvetiae pagorum Ecclesiam romano-catholicam in ditionibus suis multiplici modo suppresserunt novamque eius loco vel Lutheri vel Zwinglii vel Calvini aliorumque doctrinam stabiliverunt[1]. Unde est, quod, ubi

[1] Cf. v. g. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes III[17], Freiburg 1899; Cobbet, Die protest. Reform in England und Irland[4], Mainz 1862; C. Riffel, Christl. Kirchengesch. der neuesten Zeit II[2], Mainz 1844; Anonym., Kirche oder Protestantismus? 3. Aufl. der Schrift: Das Luthermonument im Lichte der Wahrheit, Mainz 1883. — Ceterum id fatentur multi quoque ex doctioribus protestantes. Auctor certe laudati libri Kirche oder Protestantismus? p. 243 nota 2 scribit haec: „Dies gesteht unter vielen andern Protestanten auch der berühmte reformierte Theologe Jurieu († 1713) einfach zu, indem er sagt: ‚Es ist unstreitig, daß die Reformation durch die Gewalt der Staatenbeherrscher geschehen ist. So ging es in Genf durch den Senat und in andern Teilen der Schweiz durch den Großen Rat jedes Kantons, in Holland durch die Generalstaaten, in Dänemark, Schweden, England und Schottland durch König und Parlamente. Und die oberste Staatsgewalt blieb nicht dabei stehen, daß sie den Anhängern der Reformation volle Freiheit gab; sie ging so weit, daß sie den Papisten die Kirchen nahm und die öffentliche Religionsübung verbot.‘“ Et de Genevensibus quidem scribens protestans J. A. Galiffe (Notices généalogiques sur les familles genévoises III 403) dicit Calvini religionem „une religion essentiellement intolérante, établie par la force brutale contre la persuasion intime. On a prétendu que le peuple genévois avait vu avec joie le retour de Calvin, et adopté sa doctrine avec une espèce de transport unanime; c'est une fausseté palpable. Calvin était abhorré de la masse de la nation; sa doctrine était si peu populaire que, à l'exception d'un moine défroqué, Jacques Bernard, il ne se trouva pas un seul Genévois, qui voulut

regionis dominus catholicus mansit, eius quoque subditi omnes vel maximam partem catholici manserunt; cuius vero dominus ad protestantes transiit, eius subditi sensim ad protestantismi doctrinam amplectendam permoti sunt.

Itaque praecipue causae, propter quas singulorum protestantismi auctorum doctrinae primis eius temporibus late per Europam propagabantur, minime laudari possunt[1]. Quare ista propagatio manifesto nihil minus quam signum divinae missionis auctorum protestantismi fuit.

Sed *β′) nec ullum miraculum* quisquam istorum auctorum in missionis suae testimonium patravit. Lutherus quidem saepius agnovit, eum, qui missionem extraordinariam sibi vindicaret, debere eam miraculis comprobare; cum enim cognovisset, Muenzerum velle Muehlhusii praedicare, datis ad illius oppidi magistratus ac cives literis[2] graviter monuit, ne illum reciperent, nisi se divinitus missum miraculis demonstraret; hoc enim dixit esse Deo proprium ac familiare, ut quoties rationem ordinariam velit immutare, hanc suam voluntatem divinis signis declaret. Item a Carolostadio sibi contradicente et ad spiritum divinum ipsum illustrantem provocante postulavit[3], ut vocationem

être ministre dans tout le courant du seizième siècle. On les forçait d'aller entendre des sermons qui leur paraissaient absurdes et impies; les rénitents étaient mis au crotton, au pain et à l'eau, et ensuite au cachot. C'est ainsi que le Calvinisme fut planté sur notre terrain, où il ne peut produire que les fruits les plus amers." Et ib. p. 381 Galiffe de Genevensibus scribit: „Ils adoptèrent la réformation non point par penchant, mais par politique, et pour sauver la seule chose, qu'ils préférassent à leur religion, la liberté", scil. ne a protestantibus Bernensibus penitus opprimerentur.

[1] Fridericus II rex Borussiae de hac re ita iudicat (Mémoires pour servir à l'histoire de la maison de Brandebourg I, Berlin et à la Haye 1751, 32): „Si donc on veut réduire les causes des progrès de la Réforme à des principes simples, on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intérêt; en Angleterre, celui de l'amour, et en France, celui de la nouveauté, ou peut-être d'une chanson."

[2] Treue Warnungs-Schrift Dr. M. Luthers an einen Ehrbaren Rath und ganze Gemeinde der Stadt Mühlhausen, sich für Thomas Münzer zu hüten, an. 1524" (Luthers deutsche Schriften II, Altenburg 1661, 790): „Wenn er dann saget, Gott und sein Geist hat ihn gesandt, wie die Apostel, so laßt ihn dasselb beweisen mit Zeichen und Wunder, oder wehret ihm das predigen. Denn wo Gott die ordentliche Weise will ändern, so thut er allewege Wunderzeichen dabei" (Luthers Briefe, ed. De Wette II 538; Werke: Weim. XV 240; Erl. LIII 255). Alia vide apud H. Denifle, Luther in rationalistischer und christlicher Beleuchtung, Mainz 1904, 12 sqq.

[3] Wider die himelischen Propheten (1525) f. 19, a et b (Werke: Weim. XVIII 96 sq; Erl. XXIX 173), ubi ait: „Soll aber solch seyn frewel auß innerlichem rüffen Gottes geschehen seyn, so ist's nott, das er's mit wunderzaychen beweyse, denn Gott bricht seine alte ordnunge nicht mit ainer newen, er thu denn große zaychen darbey. Darumb kann man nyemandt glauben, der auff seynen gayst und inwendig fülen sich berufft, und außwendig wider gewonliche ordnung gottes tobet, er thu denn wunderzaychen darbey, wie Deuter. 18 Moses anzaygt." Atque idem repetit ad finem partis secundae eiusdem scripti fol. ult. dicens: „Sy rümen sich fast hoch des geist's, höher dann die Aposteln, und haben doch nun lenger dann drey jar haimlich geschlichen und geschmayßt. Were es der rechte geist geweßt, so were

miraculis demonstraret. Atque ab aliis etiam adversariis saepius miracula petiit[1]. Iam vero ipse Lutherus aliique protestantismi auctores, quibus istud officium sane non minus quam anabaptistis incubuit, quae miracula patrarunt? Adeo nulla, ut Erasmus in diatriba de libero arbitrio de iis omnibus scripserit, eos ne claudum quidem equum eousque sanasse[2]. — Nec meliore successu Lutherus plura praedixit. Ita, ut alia inania eius vaticinia omittam[3], haec prorsus vane praedixit[4]: „Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, papa." Atque etiam Lutheri asseclae miraculorum, quae in religionis suae gratiam patrarentur, necessitatem sentientes, paulo miros naturae eventus tamquam eiusmodi miracula venditasse primo illo tempore videntur. Wicelius sane haec scripsit[5]: „Debebant novi evangelistae nova signa edere, id quod cum minime valeant, obtrudunt nobis tonitrua, ventos, nymbos, ruinas, puerperas suas pro signis ac miraculis. Atque illa praegrandi rhetoricatione attollunt, crepantes subinde miracula, ut ea arte instructus populus semet soletur, quippe cui vivere contigit in tempore miraculorum Dei, utque habeat, quo obturet ora papistis de miraculis quaeritantibus." Quod autem valet de Luthero, valet de omnibus iis qui ex protestantismo novos usque religionis coetus instituerunt. Nemo enim eorum divinum legatum vel indubiis miraculis vel veris vaticiniis sese umquam probavit vel modo probare tentavit; qui, si supernaturalibus visionibus vel divino lumine gaudere sese iactarunt, ut *Swedenborgius, quaekeri, mormonum auctor,* numquam quod affirmabant verum esse demonstrarunt.

---

er flugs auffgetretten und hete sein berüffen mit zaychen und worten beweiset. Aber es ist ain meüchlinger haimlicher teüffel, der in winkeln umbherschleicht, biß er schaden thu und sein gifft außbraite" (Werke: Weim. XVIII 213; Erl. XXIX 296).

[1] Cf. Döllinger, Die Reformation III 208 sqq; G. Evers, Martin Luther I, Mainz 1883, 145 sqq.

[2] Riffel l. c. II 264 nota 2. [3] Buchmann, Populärsymbolik 117 nota.

[4] Invenit hunc versum, quem plurimum adamasse videtur, Lutherus anno 1530 post diaetam Augustanam peractam (Luthers deutsche Schriften IX, Altenburg 1663, 1583). Anno 1537 subscribit eum epistulae (De Wette V 58); teste medico Ratzeberger vespere ante mortem suam Lutherus eum creta arrepta in pariete scripsit (J. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes III[18], Freiburg 1899, 595). Ioan. Bugenhagen concludit orationem funebrem, quam Luthero 1546 habuit, prece ad Deum fusa, ut implere velit epitaphium et prophetiam, quam carissimus pater noster Lutherus ipse sibi fecit: Pestis eram etc. (Luthers deutsche Schriften VIII, Altenburg 1662, 867). Eiusdem editionis Altenburgicae tomi I (1661) folium initiale variis imaginibus Lutheri vitam exhibentibus ornatum est; imagini, quae Lutheri sepulturam repraesentat, superscriptus est idem versus: Pestis eram etc. Ioan. Mathesius (Historien von des Ehrwirdigen in Gott seligen theuren Mannes Gottes Doctoris Martini Lutheri anfang, Lere, leben vnnd sterben, Nürnberg 1750, f. 191) hoc dictum inter Lutheri prophetias collocat, et serio sollicitus est, ut eam impletam esse demonstret.

[5] Ep. l. 4, ad a. 1536 ep. 8, ed. Lipsiae 1537. Iamdudum tamen protestantes, saltem plerique, non modo cessarunt ad miracula in causae suae patrocinium provocare, sed ea generatim adeo abhorrent, ut post apostolicam aetatem nulla patrata esse dictitent.

Verum γ″) *neque alio ullo testimonio divino,* scil. S. Scripturae, divinam extraordinariam missionem protestantismi auctores vindicare sibi potuerunt. Provocarunt quidem aliqui veterum protestantium in istius missionis gratiam ad plures S. Scripturae locos, v. g. ad Ier 23, 28[1]. Sed iure ab aliis ipsis protestantibus irrisi sunt. Ubi enim, quaeso, in S. Scriptura vel minimum indicium est futuri aliquando Lutheri vel alterius cuiuscumque viri, qui ad separatum ab Ecclesia romano-catholica christianorum coetum constituendum divinitus mittatur? Nonne potius Christus Mt 7, 15 monendo, ne futuris hominibus, qui se prophetas dicturi sint, etiamsi mirabilia opera patrarent, umquam contra infallibilis magisterii doctrinam fidem habeamus, contrarium sat clare ac certo docuit?

Singulorum igitur christianorum coetuum, qui ab Ecclesia romano-catholica separati sunt, auctores caruerunt et usque carebunt missione tum ordinaria tum extraordinaria; ergo ipsi illi coetus nullatenus apostolici sunt ratione regiminis sive successionis et missionis. — Sed singulis et universis istis coetibus deest pariter

2. apostolicitas originis. Nam omnes illi carent

a) originis apostolicitate *immediata,* cum negari non possit, omnes adhuc exsistentes coetus longe post apostolos ortos esse, ac huius ortus posse tempus, locum, auctorem atque causas, propter quas a romano-catholica Ecclesia separati sunt, indicari. Sane quemadmodum v. g. ante Nestorium saeculo V nullus exstiterat coetus nestorianorum vel saltem eiusdem doctrinam profitentium, ita ante Photium et maxime ante Michaelem Caerularium saec. XI nondum erat ecclesia graeca, qualis nunc est, a romano-catholica Ecclesia scil. separata. Et ubi, quaeso, ante Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Henricum VIII ostendi potest fuisse coetus lutheranorum, zwinglianorum, calvinistarum vel ecclesiae, quae nostra aetate dicitur anglicana? Atque idem evidenter de omnibus aliis dictis coetibus valet. Cum igitur longe post apostolorum aetatem ut tales orti sint, originis apostolicitate immediata eos carere evidens est. Omnes ergo istos coetus appellare licet his Tertulliani verbis[2]: „Qui estis? quando et unde venistis?“ Quam nimium sero orti estis? Aut ubinam latuistis, cum ad istud usque tempus de vobis nihil compertum fuerit?

b) *Non minus clarum est,* istos omnes coetus carere etiam originis apostolicitate *mediata.* In eo enim haec sita est, ut pendeat ex successione, aliqua saltem ac vera ratione non solum materialiter, sed etiam formaliter apostolica, ea nimirum, quae coniuncta sit cum centro apostolicitatis, Pontifice Romano. At vero omnes isti coetus acatholici eo ipso, quod huiusmodi sunt, ab illo centro sunt seiuncti. Ergo

[1] Walenburch, Tract. 8 de missione protestantium sect. 16.
[2] De praescr. c. 37.

ex defectu successionis apostolicae saltem formaliter sumptae singuli et universi ii coetus originis apostolicitate etiam mediata carent.

3. Denique omnes illi coetus carent quoque apostolicitate doctrinae ratione tum iuris tum facti; et

a) *quidem ratione iuris,* sive infallibilis magisterii. Nam cum hoc magisterium, ut demonstravimus, e Christi voluntate coniunctum in perpetuum sit cum legitima successione in regimine apostolico, ideoque ibi solum sit et esse possit, ubi est regimen illud apostolicum, evidens est, penes nullum istorum coetuum esse magisterium infallibile apostolicum, utpote qui omnes, ut modo vidimus, regimine isto vere apostolico carent; ideoque recte protestantium saltem coetus de magisterio infallibili sibi vindicando ne cogitationem quidem suscipiunt. Ergo ipsis omnibus deest subsidium prorsus tutum, quo doctrinam apostolicam, etiamsi eam ab initio habuissent, possent integram ac puram tueri ac conservare, et cuius ope absolute certi esse possent, habere se totam ac puram Christi doctrinam. Et reapse isti coetus omnes apostolicitate doctrinae

b) *etiam ratione facti* plus minusve carent. Quotquot enim sunt istiusmodi coetus, magis vel minus repugnant doctrinae ab infallibili Ecclesiae romano-catholicae magisterio definitae; reiciunt enim omnes doctrinam prorsus christianam et definitam de perpetuo R. Pontificis primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam. Atque insuper a singulis istis coetibus aliae plures paucioresve doctrinae, quae ab Ecclesia romano-catholica christianis, ut ceu apostolicae credantur, praescriptae sunt, pariter ut falsae respuuntur, atque contrariae vel certe diversae docentur. Iam vero Ecclesiae romano-catholicae doctrina, ut ostendimus, est tota vere apostolica; ergo contraria aut diversa aliorum coetuum apostolicitate nullatenus gaudet.

Recurrunt quidem [1] atque provocant plurimi protestantes vel ad antiquitatem christianam vel ad S. Scripturam, ut inde probent, coetus suos suamque doctrinam apostolica iam aetate viguisse. Sed hic recursus eos non iuvat.

α) *Antiquitatem* enim quod attinet, verum quidem est, complures protestantismi doctrinas iam antiquitus ab aliquibus fuisse traditas. Sic videtur iam *Simon Magus* bonorum operum ad salutem aeternam consequendam necessitatem impugnasse; peccata ante susceptum baptisma commissa per id non vere tolli, sed tegi, videntur *messaliani* docuisse; traditionis auctoritatem *valentiniani* aliique *gnostici* reiciebant; sacrificium et preces pro defunctis atque ieiunia *aëriani* improbabant; virginitatem et coelibatum *Iovinianus* insectatus est; liberum hominis arbitrium negarunt et sanctorum reliquias exsecrati sunt

[1] Ita praeter alios scribit Hase (Hutterus rediv. Proleg. § 25, p. 29): „Der Protestantismus ist gleichzeitig mit dem Katholizismus der apostolischen Kirche entstanden, nur war dieser die herrschende Macht; aber niemals hat es an Zeugen der Wahrheit gefehlt: berühmte Kirchenlehrer, selbst Cyprian und Augustin in einzelnen Lichtgedanken, die edleren Mystiker und Häretiker, welche im Namen des Evangeliums wider Menschensatzungen der katholischen Kirche protestierten."

manichaei; sacras vero imagines *iconomachi* damnarunt; *praedestinatiani* ut Calvinus docuerunt, alios ad vitam, alios ad mortem aeternam a Deo absolute praedestinatos esse. At

α′) primi istarum doctrinarum auctores omnes ab Ecclesia romano-catholica damnati, eorumque doctrinae non solum falsae, sed etiam haereticae ab infallibili, quod Christus instituit, magisterio declaratae sunt, et nonnullae quidem earum illo iam tempore, quo secundum ipsos antiquiores saltem protestantes Ecclesia romano-catholica vera erat. Quibus tamen protestantibus placeat, gnosticos aliosque illos haereticos ut praecursores et protestanticae doctrinae magistros agnoscere? Ceterum

β′) tametsi singularum protestantium doctrinarum praecursores in christiana antiquitate ostendi possunt, negamus tamen, a temporibus apostolorum usque ad protestantismi auctores nominari ac proferri posse vel unicam urbem vel vicum, cuius incolarum multi vel unus tantum *integram* doctrinae summam, quam vel Lutherus, vel Zwinglius, vel Calvinus tradidit, umquam professi sint; et quod rei caput est, negamus, illos errorum magistros, qui unam alteramque posterioris protestantismi doctrinam iam olim docuerant, ab apostolis aut eorum in infallibili magisterio successoribus fuisse umquam approbatos aut in Ecclesia toleratos, eorumque doctrinam, etsi apostolorum iam aetate praedicatam, vere apostolicam esse. Quod porro ad antiquos Ecclesiae Patres et Doctores attinet, eorum aliqui hinc inde aliqua tradiderunt, quae infallibile Ecclesiae magisterium non approbavit, uti v. g. est illud, quod de futuro Christi in terris regno per mille annos manente aliqui docuerunt; nec id mirum est, cum nullus eorum per se infallibilis fuerit, cumque de multis doctrinis scriberent, quae tunc temporis necdum clarae erant, nec ab Ecclesia definitae. Sed num ideo iam protestantium praecursores sunt illi, quorum ne unum quidem ullam protestantibus propriam doctrinam umquam docuisse probari potest? Protestantes utique contenderunt, apud eorum unum alterumque interdum inveniri quaedam placita, quae protestantismi propria sunt, ac maxime negasse primatum R. Pontificis Cyprianum dicunt; sed iam supra (p. 653 sqq) vidimus, quantopere hac in re errent, ac facile esset, id etiam de ceteris omnibus doctrinis ostendere. Id tamen huius loci non est. Etsi enim unus alterve Patrum, utpote per se errori obnoxius, quidquam opinatus esset, quod protestantibus faveret, manifesto tamen nullatenus sequeretur, vel istam doctrinam esse apostolicam, vel istum Patrem protestantibus annumerandum esse. Ceterum ipse Calvinus de pluribus placitis suis fassus est, ea cum Patrum doctrina minime consentire. Certe de satisfactione agens scribit[1]: „Parum me movent, quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri exstant) aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere ac dure locutos esse.“ Idem fatetur satis de precationibus pro defunctis[2] et de ieiunio quadragesimali[3]. Et quoties Lutherus Patrum illorum doctrinam reprehendit?

Ante saeculum XVI igitur numquam exstitit protestantismus, qualem Lutherus aliique illius aetatis novatores condiderunt; et quatenus exstitit hoc sensu, quod protestantismi auctores plures veterum haereticorum doctrinas suas fecerunt, nihil nisi defectio a doctrina apostolica fuit. Quare iste ad antiquitatem christianam recursus nec originem nec doctrinam protestantismi

---

[1] Instit. l. 3, c. 4, n. 38. [2] Ibid. c. 5, n. 10. [3] Ibid. l. 4, c. 12, n. 20.

ullatenus apostolicam esse demonstrat. — Sed non magis protestanticae doctrinae apostolicitas

β) *recursu ad Scripturam* probatur. Nam *primum* quis verus S. Scripturae sensus sit, *authentice* definire est solius magisterii infallibilis in Ecclesia romano-catholica exsistentis; iam vero hoc magisterium in concilio Tridentino authentice alium statuit esse sensum locorum S. Scripturae, quam eum, quo multi saltem protestantes, v. g. zwingliani, proprias sibi doctrinas, exempli gratia de Eucharistia, probare nituntur. Ergo hac sua interpretatione istas doctrinas apostolicas esse, nullatenus possunt vere ac iure monstrare. — *Deinde* notum est, eosdem S. Scripturae locos, v. g. illos qui sunt de Eucharistiae sacramento, a variis protestantismi auctoribus sensu prorsus vario atque etiam contrario explanatos esse. Quorum utrum aliquis et quisnam veram interpretationem protulerit, profecto sine infallibilis magisterii ope nemo ita certo definire potest, ut et Lutheri et Zwinglii et Calvini asseclae, utut diversa sentientes, suam singuli sententiam non amplius ut veram possint defendere et reapse adhuc defendant. Unde efficitur, recursum ad S. Scripturam protestantium sensu intellectum nullatenus esse subsidium, quo varii protestantismi coetus varias doctrinas suas valeant clare atque prorsus invicte apostolicas demonstrare, etiamsi doctrinis infallibilis magisterii Ecclesiae romano-catholicae eae non plane repugnarent. — *Denique* cum protestantes traditionis et Ecclesiae romano-catholicae auctoritatem reiciant, et omnia unusquisque privata sua ratione debeat investigare, quomodo ipsi certo scire ac probare possint, quot et quinam libri pertineant ad Novum Testamentum, praesertim cum complures antiqui haeretici, quos multi protestantes magni solent facere, multos, qui ab Ecclesia romano-catholica inter Novi Testamenti scripta recensentur, libros reiecerint? Non enim divinitus instructi id cognoscunt, sed humano tantum modo ad eius cognitionem pervenire debent. Cum autem Ecclesiae romano-catholicae veritatem non agnoscant, quomodo huius, ut putant, falsae Ecclesiae testimonio magis fidere possunt, quam veterum haereticorum sententiae? Hos autem sequendo vix unum alterumve Novi Testamenti librum affirmare valent fide dignum esse atque divinam Christi revelationem continere. Et reapse quot recentiores protestantes iam eo pervenerunt, ut omnes ferme Novi Testamenti libros tamquam divinos prorsus reiciant! Quomodo igitur proprias sibi doctrinas apostolicas probare possint protestantes, cum secundum principia sua ne certo quidem scire possint, quot et quinam sint libri apostolici?

§ 23.

Applicatio notae unitatis.

Thesis XVIII.

Ecclesia romano-catholica integra quoque unitatis nota potitur.

Probatur thesis. Nam Ecclesia ista a principio manifesto potita est semperque potitur

1. unitate regiminis. Ab initio enim ad hanc usque aetatem

a) *regimen sacrum a Christo institutum* totum semper habuit: hoc autem est unitatis efficiendae principium et *legitimum* et *efficax* et

propter necessariam omnium episcoporum cum R. Pontifice coniunctionem *unum*.

Nec obici potest, regimen Ecclesiae romano-catholicae saltem non fuisse unum eo *tempore magni schismatis,* quo a die 20 septembris anni 1378 usque ad annum 1417 primo duo, deinde tres simul tamquam R. Pontifices ideoque totius Ecclesiae primates singillatim sese gerebant, adhaerente illorum singulis sat magna Ecclesiae parte. Nec enim tunc illud unitatis principium in plura eaque suprema divisum revera fuit. Unum certe unitatis alicuius regni principium, suprema scil. regia auctoritas, tunc tantum divisum esset, si plures essent regni partes, quarum suum quaeque regem supremum sibi proprium haberet; non autem vere dividitur unitatis istud principium ideoque nec regnum ipsum, si duo aut tres exsistunt, qui singuli *totius* regni reges se vocant atque singuli asseclarum multitudinem habent, quae pariter suum quaevis regem tamquam *totius* regni regem existimat, dummodo a) *omnes profiteantur,* regnum esse essentialiter unum, et *totum* uni regi subiectum, ideoque etiam revera subiciendum esse; dummodo b) *singulae diversis* regibus adhaerentes nationis partes, cum putant, eum quem sequuntur verum esse regem, facile decipi possint et in quaestione facti reapse decipiantur; dummodo c) *ideo, quamprimum* verus rex exploratus et vere renuntiatus sit, parati sint, ad eum agnoscendum; hinc etiam d) *subsidia,* quantum fieri potest, ad detegendam veritatem apta et efficacia adhibeant, et denique e) *vero rege* renuntiato, omnes eum sincere agnoscant. — Iam vero tempore magni illius quod vocatur schismatis occidentalis rem se ita habuisse plane constat omnibusque notum est. Certum est enim, omnes episcopos et fideles Ecclesiae catholicae etiam tunc temporis semper in hac re consensisse, ut sponte confiterentur, eum Ecclesiae primatem esse, qui *legitimus episcopus Romanus* sit, animoque parati essent ad eum palam et obsequenter ut talem unanimi consensu agnoscendum, cuius legitimitas certo tandem innotuisset. Et revera quamprimum renuntiatus est certus et indubitatus Pontifex Romanus Martinus V, omnes per universum terrarum orbem Ecclesiae romano-catholicae fideles cum episcopis eum agnoscebant atque ita uno animo unoque ore se unum corpus ecclesiasticum esse semperque fuisse clarissime atque maximo gaudio laeti manifestarunt. Supremum igitur unitatis ecclesiasticae principium, R. Pontificis primatus, neque tunc fuit vero schismate divisum vel perditum, sed tantum hoc sensu obscuratum, quod dubium erat, quis verus Ecclesiae primas esset.

Reliquum autem Ecclesiae romano-catholicae regimen sacrum *fuit semper cum* R. Pontifice ita *coniunctum* eique subiectum, ut nullus Ecclesiae romano-catholicae episcopus fieri posset et ut talis haberetur, qui aut a R. Pontifice solo aut ab eo una cum concilio sive solus sive cum aliis asseclis excommunicatus et ex Ecclesia reiectus esset, quamdiu saltem se ei non reconciliabat. Cyprianum enim ac Firmilianum aliosque cum iis de rebaptizandis haereticis assentientes episcopos non fuisse a R. Pontifice vere excommunicatos et ut excommunicatos mortuos, iam supra (p. 667) monstravimus. Nec episcopi S. Chrysostomo adversantes, qui in communione Ecclesiae antea vixerant, excommunicatione ab occidentalibus propter Chrysostomum perculsi sunt.

Certe Innocentius I Theophilum Alex. semper *fratrem* vocabat. Ipsi enim haec scripsit[1]: „*Frater* Theophile, nos et te et fratrem Ioannem habemus nobis

[1] Ep. 5 (Coustant 787).

communicantes, ut et in prioribus literis mentem nostram manifestam fecimus." Fratrem eum pariter appellat in literis ad Acacium Beroensem datis [1]. Et ipse Theodoretus scribit [2], orientales quam plurimos communionem sceleris quidem refugisse, corpus tamen Ecclesiae non distraxisse, occidentales vero episcopos episcoporum Aegypti et Orientis et Bospori ac Thraciae communionem non prius admisisse, quam Chrysostomi nomen in diptycha retulissent; Arsacium autem Chrysostomi successorem ne salutare quidem dignatos esse, Atticum vero alterum eiusdem successorem post multas preces tandem suscepisse, postquam is nomen Chrysostomi in sacras tabulas retulisset.

Itaque sola commercii, legatorum et formatarum epistularum suspensio locum habuit, non vera scissio schismatica, ita ut istae ecclesiae inter se mutuo anathemate percellerent. Nec ullum aliud exemplum proferri potest, quo constet episcopum, utut ab Ecclesia vere excommunicatum, habitum tamen esse etiam tum Ecclesiae romano-catholicae episcopum.

Eo autem quod nonnumquam *unus, immo interdum quam plurimi episcopi* cum ecclesiis suis particularibus ab Ecclesia romano-catholica *abscissi sunt,* Ecclesiae quidem huius amplitudo manifesto minuta, minime autem eius regiminis unitas laesa est. Unitatis enim laesio tunc tantum locum habet, cum a religioso coetu, qui aut nullum aut illegitimum regimen habet, aliqua sociorum pars prorsus se separat vel ab eius magistris nulla vera auctoritate pollentibus reicitur. Hoc enim si fiat, ista expulsio nullo iure fit; et qui sponte ab eiusmodi coetu se separant, iure optimo agunt. Cum vero Ecclesia romano-catholica habeat regimen sacrum omnino legitimum ac verum, cui oboedientiam renuntiare non licet, nulla separatio ab ea sponte facta licita esse potest; si vero ipsum illud regimen contumaces rebelles ab Ecclesia expellit, recte ac iure agit, ideoque ipsius unitas eiusmodi etiam multorum expulsione non magis laeditur, quam unitas alicuius regni violatur, si eius aliqua pars iusta cessione alteri regno adiungitur. Minuitur utique hac cessione istud regnum, sed una eademque manet, qualis antea fuerat, unitas eius regiminis. Quare plane insipidum est, quod nonnulli adversarii contendunt Ecclesiae romano-catholicae unitatem Graecorum aliorumque schismate et protestantium ab ea separatione scissam atque dissolutam esse, cum ipsi protestantes et schismatici Graeci ab ea Ecclesia separati sint, atque ita ipsius amplitudo quidem minuta, verum ipsa eius regiminis unitas violata non sit.

Ecclesia igitur romano-catholica *ratione regiminis* unitate semper praedita fuit. Sed

b) *in Ecclesia romano-catholica* viguit etiam semper et adhuc viget *oboedientia isti regimini debita.* Omnes certe huius Ecclesiae veri filii tamquam fidei dogma profitentur tum R. Pontificis primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam iure divino ipsi competentem, tum divinam episcoporum ad regendas ecclesias particulares institutionem; et notum est, quanto obsequio, quanta filiali reverentia fideles et R. Pontificem imprimis et episcopos aliosque immediatos pastores prosequantur. Simplices enim fideles in rebus religionis immediatis pastoribus et una cum his suis quique episcopis oboediunt; episcopi vero una cum gregibus supremo omnium capiti, R. Pontifici, sese subiciunt,

---

[1] Ep. 21 (Coustant 847). [2] H. E. l. 5, c. 34 (MG LXXXII 1263 C).

ita ut, tametsi per universum terrarum orbem dispersi sunt, unum tamen efficiant corpus optime constitutum, et perfectum capite, quod omnibus membris non solum praeest, sed etiam invigilat ac prospicit. — Atque haec coniunctio omnibus nota est. Nam ne infimum quidem ex populo latet, se per legitimum suum et immediatum pastorem cum totius dioecesis suae episcopo cohaerere, hunc autem in communione esse cum R. Pontifice, capite omnium per totum terrarum orbem episcoporum, sicque se partem aliquam esse totius Ecclesiae.

Et ita haec Ecclesia universa per totum terrarum orbem extensa sese exhibet instar unius domus, unius familiae, unius regni, unius illius ovilis, de quo Christus locutus est. Ecclesiae singulae igitur particulares sunt partes ipsius velut vastissimae arboris, quae unico trunco innixa per omnes terrae regiones ramos extendit. Atque praecipue in episcopatu pulcherrimus ille ordo elucet, quo ipse unus et indivisus est. Et quamquam inter catholicos multi sunt, qui non omnia vel R. Pontificis vel episcoporum praecepta observant, sicut sunt quam plurimi, qui nec omnibus Dei ipsius mandatis oboediunt, quamquam igitur non semper singulorum et universorum vel fidelium oboedientia erga episcopos, vel etiam interdum episcoporum erga R. Pontificem plane *perfecta* fuit, numquam tamen, quamdiu saltem Ecclesiae romano-catholicae socii esse voluerunt, ita contumaces in religionis rebus gerere se poterant, ut etiam excommunicationis poena in ipsos lata se non subicerent. Numquam enim nec in antiquitate christiana nec postea in Ecclesia romano-catholica tolerati leguntur et habiti sunt amplius ut ipsius socii, qui sive propriis episcopis sive R. Pontifici in religiosis rebus et maxime respectu doctrinae fidei debitam oboedientiam publice ita pertinaciter denegarunt, ut nominatim excommunicatione punirentur.

Et iure quidem optimo catholici ita existimant. Ecclesiae enim romano-catholicae sacro regimini ac magisterio hanc excommunicandi, sive ex Ecclesiae gremio haereticos aliosque debitam oboedientiam illi magisterio et regimini pertinaciter denegantes pellendi potestatem competere certissimum est. *Primum* enim Christus apostolis ut Ecclesiae suae rectoribus eorumque legitimis successoribus hanc excommunicandi potestatem contulit, eamque apostolus Paulus iam sibi ascripserit (cf. supra p. 58); iam vero R. Pontifex et episcopi cum ipso coniuncti sunt legitimi apostolorum in sacro regimine et magisterio successores; ergo ipsi etiam eadem illa excommunicandi potestate pollent. *Deinde* instituta a Christo Ecclesia est et semper esse debet societas non solum vera, sed etiam perfecta, haecque societas est Ecclesia romano-catholica, utpote sola et perfecte quidem, ut vidimus, apostolica respectu non solum originis, sed etiam formae Ecclesiae, sive sacri regiminis et magisterii. Iam vero cuivis verae ac perfectae societatis superioribus competit potestas expellendi e sua societate eos, qui non solum in societatis istius bonum nihil conferunt, sed etiam pervicaci et constanti iniquitate illud bonum ac sociorum pacem et tranquillitatem perturbant. „Sicut enim homo ipse[1] a corpore suo

[1] Ianuarius de Vivo, Universae theoreticae revelationis systema II 503.

membrum, quod non solum est inutile, sed suis corruptis humoribus inficere minatur reliqua membra, obtruncat, ita et quaecumque societas pariter agit adversus eos, qui sunt immorigeri et in sua perversitate obstinati. Et reapse videmus hanc speciem civilis excommunicationis in usu fuisse ac esse apud omnes populos sive antiquiores sive recentiores. Ita antiqui Romani plenam a suo consortio exclusionem exprimebant noto illo censoris decreto: Interdico tibi aqua et igni." Ergo Ecclesiae romano-catholicae, utpote perfectae societati, istud ius pariter omnino competit, et eo magis quidem, quod alioquin non posset vel unitatem a Christo postulatam vel doctrinae christianae puritatem in perpetuum, ut oportet, integram conservare. *Denique* illud ius consequitur ex ipso perpetuo usu Ecclesiae romano-catholicae. Ipsa enim tum per concilia oecumenica tum praesertim per R. Pontifices ab initio ferme ad nostra usque tempora innumeros ex suo sinu exclusit, qui vel haeretici vel schismatici erant, vel generatim suis legibus repugnabant. Iam vero Ecclesia, utpote infallibilis doctrinae divinitus revelatae magistra, non potuit sibi ius tanti momenti vindicare, si hoc ipsi reapse non competeret.

Atque ex dictis evidens est, excommunicatos haereticos et schismaticos falsissime putare, se non solum a vera Christi Ecclesia non esse separatos, sed eam ipsam se constituere et apud se habere.

Vix opus est annotare, virorum religiosorum ordines non, ut Calvino perperam visum est[1], adversari unitati regiminis, cum approbante ipso Ecclesiae regimine et instituti sint et conserventur, et quia „toti sub auctoritate Ecclesiae sunt, cui serviunt tamquam auxiliares copiae, aut certe ornamenti plurimum afferunt evangelicae perfectionis studio. Si non in omnibus episcoporum potestati subiciuntur, id fit approbante Ecclesia. Neque hic periculum est schismatis, nam ab illis episcopis non scinduntur, sed eos tamquam veros et solos legitimos dioecesis pastores venerantur."[2]

Una igitur est Ecclesia romano-catholica unitate regiminis. Verum

2. Ecclesia haec praedita etiam semper fuit et adhuc est unitate fidei atque doctrinae. Nam

a) *competit ei* etiam ratione huius unitatis eiusdem *principium unum* ac *legitimum* ideoque *efficax,* infallibile scil. magisterium soli sacri regiminis successioni annexum. Demonstravimus enim tum hoc magisterium a Christo institutum esse ad christianam doctrinam pure atque integre servandam tantamque a fidelibus in fide exigendam unitatem, ut semper ei sincere credant, quod credendum ab ipso propositum fuerit; tum hoc magisterium inveniri in Ecclesia romano-catholica. Infallibile igitur huius Ecclesiae magisterium iure optimo et sinceram fidem atque maximam in eiusdem fidei professione unitatem a fidelibus exigit, et eos qui pertinaciter sibi resistunt, ex Ecclesia expellit, atque eorum doctrinam falsam vel etiam haereticam declarare et proscribere valet. *Iure* igitur unitas vera fidei Ecclesiae romano-catholicae omnino competit, et hinc ei competit illa

b) *etiam facto.* Nam ubique locorum in ista Ecclesia doctrina tamquam divinitus revelata et ab omnibus credenda *eadem* omnino

---

[1] Instit. l. 4, c. 13, n. 14.

[2] Liebermann, Institutiones P. 1, l. 2, c. 2, a. 3, § 1, n. 311, p. 353.

traditur, semperque omni aetate tradita est. Successu quidem temporis propter iustas causas ac maxime propter nova haereticorum placita plura ab infallibili magisterio omnibus explicite credenda praescripta sunt, quae antea, utut a Deo revelata, aut non distincte aut saltem nondum ita definite, implicite tamen a fidelibus credita erant. Quaecumque autem ab infallibili magisterio ut divinitus revelata credenda semel proposita erant, etiam reapse a veris fidelibus semper credebantur et adhuc creduntur. Certe quae fidei symbola antiquissimis temporibus statuta sunt, Ecclesiae alumni adhuc ubique recitant atque profitentur. Sic omnium antiquissimum symbolum, quod apostolicum dicitur et ab Ecclesia tamquam apostolorum doctrinam continens exhibetur, privatim a singulis veris fidelibus cotidiano fere usu frequentatur, publice vero in cultu divino, in baptismi administratione aliisque celebrandis ritibus. Symbolum autem Nicaeno-Constantinopolitanum (quod nihil aliud, si rem spectes, quam apostolicum est, explicatius tantum et nonnullis auctum, ut haeresi arianae et macedonianae occurreretur) inter publica sacra a sacerdotibus frequenter recitatur. Quod porro symbolum Athanasianum vocatur, a clericis in Officio dominicae est recitandum. Professio fidei denique a Pio IV secundum ea, quae in concilio Tridentino definita sunt, edita ubique terrarum admittitur et sollemni iuramento firmatur, quoties aliqui vel ad maiores ecclesiasticas dignitates evehuntur, vel ex haereticorum castris ad Ecclesiam romano-catholicam revertuntur. Ubique etiam admittuntur, quae aut a conciliis vere oecumenicis et ut talibus ab Ecclesia universa receptis, aut a R. Pontifice ex cathedra loquente circa divinae revelationis veritates umquam definita atque statuta sunt. Hanc fidei ab infallibili magisterio praescriptae unitatem mirifice testantur etiam Ecclesiae romano-catholicae preces publicae ubique ratione doctrinae prorsus eaedem, festa aliaque instituta, atque imprimis catechismi particularium ecclesiarum, qui episcoporum approbationem obtinuerunt, in iis omnibus, quae credenda et agenda omnibus praescripta sunt, plane conspirantes. Hinc est, quod veri Ecclesiae romano-catholicae fideles, docti et indocti, nobiles et plebei, ubique et semper easdem fidei catholicae veritates credunt atque uno quasi ore profitentur, et quae Ecclesiae suae dogmata sint creditu necessaria, unanimi consensu interrogantibus respondent, parati insuper explicite credere, quamcumque revelatam veritatem infallibile magisterium in posterum umquam credendam praescribat.

Quare verissimum omni aetate est de Ecclesia romano-catholica, quod iam S. Irenaeus et S. Augustinus suis temporibus de ea egregie scripserunt. Ille ait[1]: „Hanc praedicationem cum acceperit [ab apo-

[1] Adv. haer. 1, 10, 2 (MG VII 552): *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα . . . ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ*

stolis] et hanc fidem . . . Ecclesia, et quidem, [tametsi] in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae, quae in Hiberis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire." Augustinus vero de Ecclesia romano-catholica loquens scribit[1]: „Alia lingua afra, alia syra, alia graeca, alia hebraea, alia illa et illa: faciunt istae linguae varietatem vestis reginae huius. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguae ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem."

Nec huic mirabili Ecclesiae romano-catholicae fidei unitati officit

α) *quod inter orthodoxos* huius Ecclesiae theologos nonnumquam de variis quaestionibus dissensiones exstiterunt et adhuc exsistunt. Nam hi theologi inter se minime dissentiunt de ipsis doctrinis, quae ab infallibili magisterio ut divinitus revelatae aut iam sollemni modo definitae et ad credendum aut tenendum omnibus catholicis praescriptae sunt, aut certe universim in Ecclesia docentur, sed tantum vel de opinionibus, quae ad internam veritatum intellectu difficilium naturam atque indolem explicandam excogitatae et neutiquam revelatae vel ab Ecclesia definitae, sed adhuc plus minusve liberae sunt; vel de modo varias difficiles doctrinas inter se conciliandi, vel de doctrinae articulis, quorum cognitio et fides distincta non est praescripta ideoque non est necessaria; vel denique de rebus accidentalibus, ut sunt lingua liturgica, nonnullae ceremoniae et alia huiusmodi, quae divinitus instituta non sunt. Itaque theologi catholici, quamdiu catholici sunt, non disputant inter se de articulis fidei, sed de rebus liberae disputationi ab Ecclesia relictis, de quibus scil. quid verum sit, salva fide christiana ignorari potest. Et ita quidem illi disputant, ut sese submittere Ecclesiae iudicio sint parati, quamprimum ab ea res controversa definiatur; hinc ea tantum conditione inter sese discordant suasque disputationes prosequuntur, dummodo ne Ecclesia doctrinam, de

---

συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη. Καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιοι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή· καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδύασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κέλτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἓν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτὸς, οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν.

[1] Enarr. in Ps. 44, n. 24 (ML XXXVI 509).

qua agitur, aliter definiat. — Nec obstat, quod doctrinae, de quibus theologi disputant, interdum saltem sint divinitus, utut obscure, revelatae, et hinc fide immediate divina credi possint, si ut revelatae agnoscantur. Quamprimum enim doctrinas, quae disputatae erant, divinitus revelatas esse satis constiterit, Ecclesia iam non concedit iis, qui id cognoscunt, ut de talibus disputent tamquam de non revelatis, sive ita, ut eae tamquam non revelatae habeantur, sed tantum permittit, ut in posterum in earum naturam et relationem ad alias veritates magis magisque inquiratur. Quare istae controversiae Ecclesiae unitati materiali quidem, sed non formali sive a Christo requisitae ideoque soli necessariae repugnant, nihilque aliud adversariis inde colligere licet quam illud, quod doctae inquisitionis et sententiarum libertas in scientiae theologicae campo ab Ecclesia romano-catholica non impeditur ac tollitur, quamdiu nihil vel fidei christianae vel bonis moribus contrarium tradatur.

Unde etiam evidens est, diversa nomina, quibus nonnullae catholicorum theologorum scholae distinguuntur, non significare ipsorum dogmatum, quae singulae defendant, sed liberarum tantum opinionum varietatem, eaque derivari a magistro aliquo insigni, qui prae ceteris Ecclesiae romano-catholicae doctrinam dogmaticam bene explicuisse et vindicasse refertur.

β) *Non magis Ecclesiae* istius unitas tollitur vel laeditur eo, quod plures theologi atque etiam sancti Patres de nonnullis christianae revelationis veritatibus falsa tradiderunt, antequam aut sollemni infallibilis magisterii iudicio erant definitae, aut ubique in Ecclesia clare ac distincte docebantur. Singuli enim non modo theologi, sed etiam sancti Patres, cum per se non essent infallibiles, in errores incidere poterant; nec mirum est, eos quandoque errasse in iis, quae divinitus obscure tantum vel implicite revelata, et ante ipsos nondum dilucidata vel saltem multum disputata erant. Unitati igitur fidei in Ecclesia romano-catholica illi theologorum ac sanctorum Patrum errores solum offuissent, si, postquam ii ab Ecclesia damnati erant, eorum auctores infallibilis magisterii iudicio sese non submisissent, nec tamen, quamvis eos magna pervicacia etiam tum defendere perrexissent, ex Ecclesia expulsi essent. Sed hoc numquam accidit. Aut enim, ut multi certe egerunt, v. g. celeberrimus ille Fenelonius, accepta infallibilis magisterii sententia falsam suam doctrinam revocarunt atque etiam ipsi damnarunt, aut, si iudicium suum submittere detrectabant, ab Ecclesia damnati et proscripti atque expulsi sunt.

γ) *Nec opponere licet,* in pluribus regionibus Ecclesiae romano-catholicae episcopos et presbyteros Iansenii haeresi infectos locum suum semper tenuisse, et istius Ecclesiae communione privatos non esse; eam ergo, utpote retinentem eos, quos haereticos habuit, fidei unitate non gaudere. Qui enim ex iansenistis publici erant haeretici, sive qui quinque Iansenii propositiones, etiam postquam ab Ecclesia damnatae sunt, publice ac pertinaciter defendebant, eo ipso ab Ecclesia exclusi et excommunicati habebantur et reapse erant, quamquam eorum quidam vel etiam multi non fuerunt sententia speciali excommunicati, tum „quia ea necessaria non fuit, tum quia in quibusdam casibus maiora mala timenda erant, in aliis vero facta vel ignota fuere R. Pontifici, vel canonice probari non potuerunt — ea enim fuit huius haeresis indoles specialis, ut sese, quantum fieri potuit, celaret. Multa [sane] sunt nota et moraliter certa, quae tamen legitimo testimonio probari non possunt.“ [1] Hae-

[1] Murray III 863.

resis igitur iansenistica, utpote ab Ecclesia romano-catholica damnata et omnino proscripta, nullo modo vel puritati vel unitati fidei catholicae nocuit, ut manifestum est assensu, quem R. Pontificis de Iansenii doctrina definitionibus praestiterunt tum episcopi, tum etiam simplices fideles. — Qui vero etiam postquam Iansenii propositiones ut haereticae damnatae sunt rectaque doctrina est constituta, plus minusve occulti remanserunt iansenistae, sibi ipsis, non vero fidei unitati Ecclesiae nocuerunt, eoque minus, quod etiam ipsi illas quinque propositiones recte ut haereticas damnatas esse palam, etsi non semper sincere, ultro fassi sunt, illudque tantum negabant, eas in libro Iansenii contineri, et Ecclesiam infallibilem esse in definienda quaestione, utrum propositiones istae in illo libro sint, necne. Hac enim duplici negatione ipsi non evadebant proprie dicti haeretici, cum nec ullatenus revelatum sit, illas propositiones in Iansenii libro reperiri, nec doctrina, secundum quam Ecclesia in isto facto, quod vocatur, dogmatico definiendo infallibilis non sit, tunc iam, i. e. ante R. Pontificem Alexandrum VII, esset diserte ac nominatim damnata. Eam igitur affirmando Iansenii asseclae, licet temeritatis vituperium sibi consciscerent, non tamen directe haeretici facti sunt. Postquam autem etiam ista doctrina damnata est, nulla iam inter *catholicos* mota est controversia vel de haeretica indole quinque illarum quas diximus propositionum, vel de quaestione, utrum eae in libro Iansenii continerentur necne. Iansenistae quidem „morem non gesserunt et se ipsos catholicos vocabant, et pro catholicis se haberi volebant. Ita quidem, et eodem modo egerunt manichaei, sibi ipsis, non Ecclesiae nocentes. Si hic illic occultus iansenista larvam gerat catholicam, id non magis quam alia genera hypocrisis impedire potest Ecclesia.“ [1] Denique iansenistae, sive occulti sive publici, comparati cum universa Ecclesia romano-catholica numero paucissimi fuerunt, adeo ut quasi evanescerent. Illorum enim haeresis ipsa, quamvis funestissimos produxerit effectus, perpaucis quibusdam locis simplicium fidelium animos invasit, sed praecipuos patronos habuit paucos episcopos et quosdam presbyteros atque homines politicos aut literatos. Certe cum Ricci, episcopus Pistoriensis et Pratensis, iansenismum in dioeceses suas, multum favente duce Etruriae, inducere vellet, tantus contra eum populi tumultus exortus est, ut militari vi comprimeretur. Itaque unitas fidei Ecclesiae romano-catholicae iansenistarum haeresi nullatenus sublata aut violata est.

ò) *Atque ex modo dictis patet,* istam unitatem neque etiam ullatenus laedi, eo quod inter catholicos iam a longiore tempore exsistunt multi omnis generis increduli et indifferentismi morbo laborantes. Idem enim de his atque de iansenistis aliisque olim haereticis iudicium ferendum est; qui enim ex iis publice ac pertinaciter profitentur errores ab infallibili Ecclesiae magisterio iam damnatos, eo ipso cessant esse Ecclesiae filii. Eiusmodi enim perduelles „possunt quidem esse *in* Ecclesia, quamdiu peculiari sententia extorres ab ea facti non fuerint, non autem *de* Ecclesia, ut loquitur S. Augustinus“ [2]. Qui autem occulte ab Ecclesiae fide desciverunt, haud amplius vere, sed externe tantum ad Ecclesiam pertinent: quam coniunctionem Ecclesia utique impedire nequit, utpote cui ignotum est, eam non esse simul internam et omnino veram.

---

[1] Murray III 865.

[2] Perrone, Tract. de locis theol. P. 1, c. 3, prop. 2 (solut. difficult. adv. unit.) ad 3, n. 252.

ε) *Item huic fidei unitati* in Ecclesia romano-catholica non obstat, quod medio saeculo VI quam plurimi occidentalium episcopi nullatenus schismatici per aliquod tempus repudiarunt damnationem trium quae dicuntur capitulorum a concilio V oecumenico proclamatam et a Vigilio R. Pontifice approbatam [1]. Nam *primum* isti episcopi illam damnationem oppugnarunt *ignorantia tantum rei,* ac minime animo repugnandi compertae sibi ac clarae Ecclesiae fidei. Illis enim occidentalibus episcopis, quamdiu resistebant, non constabat, ista trium capitulorum, quae concilium Chalcedonense non improbaverat, damnatione nec everti huius oecumenicae synodi auctoritatem nec ad eam cum maximo fidei detrimento contemnendam eutychianis ansam dari. Ergo cum inconcussa apud omnes catholicos esset synodi Chalcedonensis ut oecumenicae auctoritas, non poterant illi episcopi sibi persuadere, synodum V esse pariter concilium vere oecumenicum, ac vere infallibilem quidem esse eiusdem de tribus illis capitulis definitionem, utpote quam concilio Chalcedonensi repugnantem, utut falso, credebant. Paulatim tamen perspexerunt, istam synodi V definitionem posse omnino conciliari cum concilii Chalcedonensis auctoritate; quod quamprimum cognovissent, ab impugnatione synodi V desistebant. — *Deinde* cum episcopi occidentales compertum haberent, imperatorem Iustinianum in causa damnationis trium capitulorum multa contra varios episcopos ipsumque R. Pontificem Vigilium per vim fecisse, non plane vana atque imprudens videri ipsis poterat suspicio, trium capitulorum damnationem metu ac vi fuisse extortam, ipsumque Vigilium ex animi imbecillitate eam approbasse, praesertim cum Vigilius antea isti damnationi obstitisset. Quando vero postea ipsis innotuit, et liberam fuisse definitionem synodi et secundum omnes iuris in conciliis observandi formas editam, itemque Vigilii approbationem nullo vitio laborasse, sententiam in contrarium mutabant. — *Denique* tametsi occidentalibus ecclesiis synodi V decreta communicata sunt, eorum tamen et nominatim damnationis trium capitulorum approbatio ab iis non sub excommunicationis poena speciatim exigebatur, et cum istae ecclesiae illam damnationem non liberam et plane legitimam fuisse existimarent, facile ea se non obstringi sibi persuaserunt. Mox tamen episcopi Africani, Tusci aliique synodum V ut oecumenicam recipientes capitula illa etiam ipsi damnarunt. Episcopi autem Venetiarum et Istriae, qui valde diu illam synodum reiecerunt, habiti sunt ab Ecclesia schismatici formales, sive ab ipsa penitus separati, quamdiu in proposito isto pervicaces offirmati erant. Unde patet tantum abesse, ut ista controversia formali fidei unitati Ecclesiae romano-catholicae repugnarit, ut ei manifesto faveat. Nam si vere Ecclesia parata fuisset, tolerare formalem etiam in fide dissensionem, quare eam in his episcopis non toleravit? Et si ceteri revera formalem unitatem violassent, cur, ut Istriae et Venetiarum episcopi, non et ipsi ut formales schismatici habiti et declarati sunt?

ζ) *Atque etiam hoc,* quod Carolus Magnus quatuor *libris, qui Carolini* dicuntur, eiusque iussu in synodo Francofurti ad Moenum habita trecenti episcopi ex Italia, Gallia, Britannia, Germania congregati concilii Nicaeni II oecumenici a. 787 decretum de cultu sacrarum imaginum a R. Pontifice receptum acriter impugnantes reiecerunt, et nihilominus ideo Ecclesiae commu-

---

[1] Cf. de hac tota re maxime Card. Noris, Diss. hist. de synodo V oecum., et Hefele, Konziliengesch. II² 911 sqq.

nione privati non sunt, praedictae unitati fidei in Ecclesia romano-catholica nullatenus repugnat. Nicaeno enim concilio tum Carolus M. tum synodus Francofurtensis ideo solum obstitit, quod duas res veras esse sumpsit, quae falsae omnino erant. Sumpserunt enim, tum ex Nicaenae synodi definitione sacras imagines colendas esse instar Dei cultu *absoluto* et *latreutico*, tum R. Pontificem nulla ratione illam synodum approbasse. *Primum* patet ex plurimis locis librorum Carolinorum[1], necnon ex synodi Francofurtensis can. 2, qui hic est[2]: „Allata est in medium quaestio de nova Graecorum synodo, quam de *adorandis* imaginibus Constantinopoli [intelligitur synodus Nicaena II, cuius ultima sessio Constantinopoli fuit] fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum *ita ut deificae Trinitati* servitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt." Hanc autem sumptionem omnino falsam fuisse, certum ac notum est tum ex actis concilii Nicaeni II ac praesertim ex eius definitione[3] et ex epistula ad imperatores data[4], tum ex totius Ecclesiae romano-catholicae hac de re doctrina.

Quibusdam librorum Carolinorum locis non solum cultus absolutus imaginum, i. e. ille qui imaginibus exhibeatur propter ipsas et virtutem aliquam ipsis inhaerentem, videtur reici, sed etiam cultus relativus, i. e. ille qui, quamvis proxime ad imagines ipsas dirigatur, tamen non sistit in iis, sed ultimo dirigitur ad ipsos sanctos in imagine repraesentatos. Sed adverte, 1. non *omnem* cultum relativum damnari ab auctoribus librorum Carolinorum: reliquias enim et vestimenta sanctorum colendos esse concedunt. 2. Neque omnis *imaginum* cultus relativus ab iis respuitur: concedunt enim, ut imagines in ecclesiis honorifice collocentur. 3. Respuunt autem quosdam *modos*, quibus Graeci imagines venerabantur, v. g. ut thymiama coram imaginibus accenderent. Idque 4. faciunt, quia timebant scandalum, quod rudioribus tunc temporis gigni poterat in Gallia, si imaginum cultus iis modis ibi exerceretur. Confer his de rebus v. g. locum librorum Carolinorum l. 3 c. 16[5]: „Dum nos nihil in imaginibus spernamus praeter adorationem, quippe qui in basilicis sanctorum imagines non ad adorandum, sed *ad memoriam rerum gestarum et venustatem parietum* habere permittimus, illi vero [Graeci] paene omnem suae credulitatis spem in imaginibus collocent, restat, ut nos sanctos in eorum corporibus vel potius *reliquiis corporum* seu etiam *vestimentis* veneremur iuxta antiquorum Patrum traditionem: illi vero parietes et tabulas adorantes in eo se arbitrentur magnum fidei habere emolumentum, eo quod operibus sint subiecti pictorum. Nam etsi a *doctis* quibusque vitari possit hoc quod illi in adorandis imaginibus exercent, *qui videlicet non qui* [quid?] *sint, sed quid innuant venerantur*, indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his praeter id quod vident venerantur et adorant. Unde cavendum est, ne evangelicam sententiam subeant, qui tot pusillos ad scandalizandum impellunt." Ceterum in ipsis libris Carolinis primatus Romanae sedis luculentissime agno-

---

[1] Nat. Alexander, H. E. saec. VIII, diss. 6, § 7 (XI 264 sqq). Cf. etiam Hefele l. c. III[2] 694 sqq.

[2] Harduin IV 904 D; Mansi XIII 909 D.

[3] Harduin 456 A; Mansi 730 A.

[4] Harduin 476 E; Mansi 742 C.

[5] ML XCVIII 1147.

scitur, totum c. 6 libri 1 [1] de eo agit. Ubi dicitur v. g.: „Sicut ceteris discipulis apostoli, et apostolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum ceteris sedibus apostolicae, et apostolicis Romana eminere dignoscitur." Libros Carolinos aliam doctrinam de imaginibus tradidisse ac Romanam ecclesiam, etiam propterea valde inverisimile est, quia Franci sub Pipino rege in synodo Gentiliaco a. 767 et episcopi Galli, qui in synodo Romana a. 769 aderant, doctrinae Romanae circa hanc rem consenserant [2].

Quod autem *alterum* attinet, Hadrianus I R. Pontifex non sollemni modo concilii Nicaeni II acta confirmavit atque ita, ut eam confirmationem etiam toti Ecclesiae notam faceret, sed ita tamen, ut ea susciperet, quemadmodum postea Carolo M. scripsit [3], et iuberet latine reddi et in pontificia bibliotheca condi. Insuper huius translationis exemplar Hadrianus miserat iam Carolo M., ut eius regni episcopi, quorum nullus synodo Nicaenae II interfuerat, huius decreta cognoscerent atque reciperent.

Verum cum ista translatio, utpote fere ad verbum ubique facta ideoque valde inconcinna, graeca verba προσκυνεῖν, προσκύνησις semper *adorare* et *adorationem* redderet, imperator Carolus eiusque regni episcopi putabant, e synodi Nicaenae mente sacras imagines cultu soli Deo debito colendas esse. Itaque Carolus M. et concilium Francofurtense solum *ex ignorantia* et optima quidem voluntate Nicaenae synodo et R. Pontifici sese opponebant; si enim ista ipsorum sumptio vera fuisset, gravissimum sane officium omnium fuisset, ut tam absurdam doctrinam reicerent. Hac igitur oppositione nec imperator nec concilium Francofurtense fidei unitatem vere laedebat, eoque minus, quod a Nicaena synodo non dissentiant „de summa fidei, sed disciplina dumtaxat, scil. de modo venerationis" [4], quodque synodus Nicaena II, utpote R. Pontificis legatis exceptis, fere solius imperii Byzantini episcopis constans et a R. Pontifice non sollemni modo confirmata et ut oecumenica proclamata, ut talis ideoque ut infallibilis a regni occidentalis episcopis nondum habebatur nec etiam haberi potuit, praesertim cum Hadrianus quasi ipsorum suffragium atque consensum postulasset. Et reapse cum tum Hadrianus I, tum eius successores prudenter numquam Francos aliosve praesules occidentales ad illius synodi assumptionem cogerent, ea diu tantum postea, re plane dilucidata, ab universa Ecclesia ut oecumenicum concilium recepta est. Interim tamen non solum numquam vel Franci a communione R. Pontificis recedere tentarunt, vel ipse Pontifex eos ab Ecclesia excludere voluit, sed etiam usque amicitia fuit inter Hadrianum I et Carolum M., et inter utriusque successores, necnon Francici regni episcopi se semper R. Pontifici oboedientes exhibuerunt. Ista igitur controversia fidei unitas formalis ac debita violata non est.

η) *Eidem porro neque officit,* quod de aliquibus conciliis inter Ecclesiae romano-catholicae theologos controversia est, num ea integra aut saltem partim sint oecumenica habenda necne. Nam omnes veri catholici illa concilia tamquam oecumenica habent ac venerantur, quae talia esse constat vel ex sollemni magisterii authentici declaratione, vel ex communi totius Ecclesiae sensu. De quibus autem oecumenica illa auctoritas nec primo nec altero modo constat, manifesto salva fidei unitate, ratione habita tum *facti* tum *prin-*

---

[1] Ibid. 1019—1022. [2] Vide Hefele l. c. III[2] 432 435 438.
[3] Harduin IV 819A; Mansi XIII 808C.
[4] Nat. Alexander l. c. § 8.

civili, ea de re disputari potest, si modo utraque disputantium pars vere putet habere pro causa sua sufficientes rationes, nec alterutra pars sententiam suam ita defendat, ut contrariam haereticam esse declaret.

β) *Quod nonnulli adversarii opponunt*, concilia conciliis et R. Pontifices R. Pontificibus nonnumquam contradixisse, valet utique de rebus disciplinae mutabilis et pro varia temporum ratione reapse hinc inde mutandae; id vero etiam de doctrinis ab infallibili magisterio definitis valere, non solum nullo exemplo probari potuit, sed neque ullo tempore fieri posse, ex rei ipsius sive magisterii infallibilis natura evidens est.

γ) *Denique debitae fidei unitati* Ecclesiae romano-catholicae neutiquam repugnat, quod inter huius Ecclesiae theologos ante concilium Vaticanum nondum omnino convenerat de ipso illius unitatis praecipuo principio, de R. Pontificis scil. ex cathedra, ut dici solet, loquentis infallibilitate. Omnes enim theologi catholici semper professi sunt, idque etiam simplices fideles docebantur, episcopos una cum R. Pontifice esse Ecclesiam docentem, ita ut quae vel concilium generale a R. Pontifice confirmatum, vel R. Pontifex cum consensu maioris saltem episcoporum partis vel praevio vel comitante vel subsequente definiverit et ab omnibus fidelibus tenenda praescripserit, infallibiliter vera sint, et hinc, si veritas ut divinitus revelata definita sit, eo ipso haereticus sit, qui eam pertinaciter neget, et si publice quidem neget, eo ipso extra Ecclesiam sit. Insuper inter omnes convenerat, R. Pontifici tamquam Ecclesiae totius capiti summa sua potestate regenti vel docenti, nisi *publicus* haereticus esset, vere oboediendum esse, ideoque evenire non posse, ut, causa haeresis excepta, ipse tamquam caput Ecclesiae a reliquo pastorum corpore seiunctus unquam esset. Atque haec auctoritas ab omnibus admissa ad unitatem fidei efficiendam atque conservandam fuit sufficiens, et natura sua multo quidem efficacior quam est auctoritas regis una cum auctoritate comitiorum regni ad leges ferendas regnique unitatem conservandam. Cum autem id, utrum R. Pontifex ex cathedra loquens, sive ut supremus totius Ecclesiae magister ei aliquam doctrinam credendam praescribens ante obtentum episcoporum consensum esset infallibilis, ab Ecclesiae magisterio nondum esset clare et diserte omnino definitum, nec etiam prorsus communis esset hac de re theologorum consensus, sine periculo vel damno debitae unitatis fidei de ea quaestione disputare licitum erat.

Competit igitur Ecclesiae romano-catholicae mira illa fidei atque doctrinae unitas, qua e Christi voluntate (cf. supra p. 424) eius Ecclesia insignita esse debet. — Atque ex iis, quae de unitate regiminis ac fidei in Ecclesia romano-catholica diximus, sequitur, in ipsa esse etiam

3. debitam communionis unitatem. Nam

a) ut iam diximus (cf. supra p. 423 sq), ubi duplex illa regiminis et fidei unitas habetur, eo ipso tum singuli et universi fideles, tum ecclesiae integrae particulares inter se et cum Ecclesiae regimine ac magisterio, et maxime cum primate, ea caritate et communione necessario coniunguntur, ut non modo numquam vero schismate mutuam istam coniunctionem tollere velint, sed ut etiam in pace et caritate ecclesiastica viventes mutuis pro temporum locorumque ratione officiis se suosque superiores ac pastores prosequantur unumque corpus constituant. Et vero

b) *numquam tolerati* in Ecclesia romano-catholica et ut ipsius filii habiti sunt, qui vel propriis episcopis vel R. Pontificibus debitam oboedientiam in re gravi pertinaciter denegarunt.

c) *Nullus pariter verus* istius ecclesiae filius paratus est habere alium tamquam *fidei ac religionis socium,* qui Ecclesiae romano-catholicae non est alumnus. Ac certe nonne propter hoc ipsum catholici nonnumquam, quantumvis falso, intolerantiae accusantur?

d) *Contra nullus vere catholicus* est, qui alios suae Ecclesiae socios non ut religione sibi coniunctos agnoscat ac diligat, sciatque sibi cum illis esse communem omnium spiritualium bonorum Ecclesiae usum.

e) *Notum denique est atque apertum,* quanto gaudio simplices fideles episcopos ad se venientes excipiant, quanto amore quantaque reverentia eos semper prosequantur, quanta diligentia eorum praecepta pro viribus observent atque eorum etiam votis respondeant. Quanto autem amore innumerabilis catholicorum multitudo hac nostra praesertim aetate totius Ecclesiae primatem R. Pontificem prosequantur quantaque necessitudine cum illo coniuncti sint, testatur praeter alia eximia illa caritas, qua undique eius necessitatibus sponte succurrunt; testantur coetus nomine SS. Pontificum insigniti, testati sunt generosi illi iuvenes, qui cum urbem Romam Petrique patrimonium hostilis vis minaretur invadere, ex omni parte orbis catholici Romam volente ac laeto animo tetenderunt, ut Patris sui communis sedem ac patrimonium sanguine ac vita defenderent ac tuerentur.

f) *Denique episcoporum* cum R. Pontifice coniunctio et oboedientia ipsi praestanda, cum omni quidem aetate plus minusve magna atque spectabilis fuerit, tanta tamen tamque universalis, quanta hodie, vix umquam fuit. Huius enim necessitudinis testis profecto est mirabilis omnium episcoporum cum R. Pontificis doctrina consensio; testis heroica illa tot praesulum in variis regionibus constantia et virtus, qua propter tuenda R. Pontificis ac totius Ecclesiae iura passi sunt ludibria, diras vexationes, carceres, exsilium; testis ipsa frequentia episcoporum Romam invisentium; testis, ut alia omittam, illa haud satis admiranda subiectio, quae definitioni infallibilitatis R. Pontificis e cathedra loquentis ab *omnibus omnino* orbis catholici episcopis praestita est tempore concilii Vaticani et post illud[1], quamquam in hac synodo 80 saltem episcopi isti definitioni obstiterant, et quamquam huius dogmatis adversarii, in Germania saltem, nihil non agerent, ut istos episcopos in partes suas traherent. Quandonam enim toto Ec-

[1] In sessione 4 sollemni ex 534 Patribus duo tantum contra infallibilitatem pontificiam suffragium suum ediderunt, episcopus scil. Caiacensis et episcopus Petriculanus, qui tamen in ipsa illa 4 sessione post definitionem pronuntiatam ei adhaeserunt (vide Coll. Lac. VII 487 c 1000 d 1001 c). Quando et quomodo 113 Patres, qui in sessione 4 ob varias causas aberant, postea definitioni infallibilitatis adhaeserint, vide ib. 995—1004.

clesiae romano-catholicae tempore tam praeclarum consensionis et obedientiae erga R. Pontificem exemplum umquam antea datum legitur!

4. Quod postremo ad cultus divini unitatem spectat, notissimum est, in Ecclesia romano-catholica cultum divinum, tametsi pro variis locis et gentibus et temporibus in ritibus accidentalibus nonnihil varius est, in rebus tamen essentialibus ubique terrarum eundem omnino esse semperque omni aetate fuisse. Idem enim oblatum est et adhuc offertur in hac Ecclesia ubique Deo sacrificium; item quae dicuntur sacramenta ubique eadem et eodem quidem essentiali modo celebrantur et olim celebrata iam sunt, ut clare patet ex libris liturgicis ecclesiarum tum orientalium tum occidentalium, atque tum veterum tum recentium[1]; festa quoque maiora in tota Ecclesia romano-catholica eadem omnino sunt, eaedem in multis ubique caerimoniae, eadem denique in maxima Ecclesiae parte lingua in cultu divino adhibetur. — Unde fit, ut istius Ecclesiae alumnus ubique gentium cultum divinum catholicum statim discernat, eundem ubique reperiat suisque religiosis officiis ubique satisfacere valeat. — Hunc porro Dei cultum catholicum verum et secundum Christi voluntatem esse, Ecclesiae romano-catholicae infallibilitas certissime testatur, cum ea Ecclesia ut infallibilis magistra nullum Deum colendi modum vel admittere vel tolerare possit, qui non sit rectus et vel a Christo ipso institutus vel ipsius religioni saltem omnino congruus.

Quae cum ita sint, evidens sane est, Ecclesiam romano-catholicam nota unitatis omnino integra atque eminenti modo insigniri.

Coroll. I. Ergo Ecclesiae romano-catholicae socio, quamdiu vult esse eiusdem membrum, neutiquam liberum est, istam quadruplicem unitatem servare aut non servare; quam si servare iam noluerit, nulla externa vi ab illa Ecclesia, suo utique periculo ac damno, desciscere prohibetur. Nec tamen ista unitas ullatenus perperam coacta dici potest, sed, ut ostendimus, necessaria est et ab Ecclesiae tum regimine tum magisterio iure optimo, utpote secundum Christi voluntatem, exigitur. Absurde igitur multi adversarii Ecclesiae romano-catholicae unitatem ex cleri dominatione repetunt, nisi intelligunt eam cleri „dominationem", quae a Christo ipso postulata et instituta est et a fidelibus agnoscitur. Sed non solum absurde ita rem explicant, verum etiam summe ridicule. Primis enim Ecclesiae saeculis, quibus illa unitate Ecclesia romano-catholica iam praeclare ornata erat, quis tandem clerus in fideles inique dominari potuit? Et recentiore tempore et hodie clerus ubique fere aut vexatus ac pressus, aut inter acatholicos constitutus, qua ratione dominari valeret, etiamsi vellet? Et tamen unitas ista quadruplex Ecclesiae romano-catholicae magis fortasse quam umquam alias hodie omnium oculis manifesta est. — Quod autem medio aevo R. Pontifices atque episcopi

[1] Cf. maxime E. Martène, De antiquis Ecclesiae ritibus libri tres, Rothomagi 1700—1702, Antverpiae 1736—1738; I. A. Assemani, Codex liturgicus Ecclesiae universae, Romae 1749—1766; Goar, Euchologium sive rituale Graecorum, Paris. 1647, Venetiis 1730; Denzinger, Ritus orientalium, Coptorum, Syrorum et Armenorum, Wirceb. 1863—1864.

nonnumquam subsidiis non solum spiritualibus, sed etiam variis temporalibus atque vel ipsis corporis poenis usi sunt, ut nutantes in fide catholica a defectione absterrerent et, qui iam defecerant, ad Ecclesiae unitatem reducerent, eosque, qui fideles remanserant, in fide firmarent et a seductione defenderent, factum est id ab illis ob intimam tum ipsorum tum omnium catholicorum persuasionem, qua Ecclesiam romano-catholicam solam veram, ideoque ad salutem aeternam ordinario modo consequendam necessariam, credebant; movebantur igitur illi hac minime sane per se reprehendenda ratione, quod illos homines minoribus malis ab aeternis et incomparabiliter maioribus poenis tutos praestare voluerunt[1]. Insuper illa aetate pleraque crimina contra religionem catholicam universim in Europa receptam commissa etiam a civili legumlatione vetabantur ideoque a civili quoque potestate corporalibus poenis erant castiganda.

Coroll. II. Cum Ecclesia romano-catholica unitate a Christo volita omnino potiatur, cumque perfectior quam a Christo tradita et in Ecclesia sua in usum deducta religio exspectari nullatenus possit, evidens est, quid sit sentiendum de „altiore unitate", quam ante aliquot decennia quidam vi theologiae germanicae inter varias christianorum factiones efficiendam putabant[2].

Coroll. III. Ex dictis sequitur etiam, quam falso nonnulli recentiores protestantes contenderint, unitatem Ecclesiae romano-catholicae esse vel non maiorem quam protestantium, vel tantum materialem, externam, fucatam, cum constet verbis et formulis sine ulla notionum unitate; vel denique esse solum quandam uniformitatem, qua dissensiones quidem et sectae excludantur, sed quae sit mortis indicium, cum vita careat religiosa, utpote quae ibi tantum esse et vigere possit, ubi sunt sectae. Tametsi enim verum est, pro maiore minoreve mentis vel acie vel cultura a variis catholicis religionis suae veritates perfectius vel minus perfecte intelligi, *essentialem* tamen et sufficientem earum notionem omnes habent, qui pro officio catechismi doctrinas bene didicerunt et sacros sacerdotum suorum sermones frequentant. Unde catholicorum fides subiectiva non est sensu vacua et mere externa, eorumque Ecclesiae unitas est, ut monstravimus, non solum materialis, sed etiam formalis, non modo externa, verum etiam interna et nihil minus quam fucata et ficta, cum sit unitas ab ipso Christo postulata. Ideoque tantum etiam abest, ut haec unitas non possit esse cum vera vita religiosa coniuncta, ut extra ipsam agitatio turbulenta, licentia, tumultus esse possit, vera vita religiosa esse non possit. Haec enim sita non est in professione et cultu variorum errorum, sed solius veritatis divinitus revelatae, integrae ac purae. Cur enim alias Christus, qui, ut ipse dixit Io 14, 6, est ipsa vita, tantam illam unitatem in veritatis suae professione exegisset, et cur alias ad eam efficiendam ac conservandam magisterium errori non obnoxium in perpetuum instituisset?

---

[1] Cf. Hurter, Gesch. Papst Innozenz' III. II, Hamburg 1842, 257 sqq; Michael, Gesch. des deutschen Volkes II, Freiburg 1899, 303 sq.

[2] Verhandlungen der Versammlung kath. Gelehrter in München vom 28. Sept. bis 1. Okt. 1863, 46: „So hat denn auch die deutsche Theologie den Beruf, die getrennten Konfessionen einmal wieder in höherer Einheit zu versöhnen." Quomodo Döllinger hanc altiorem unitatem post discessum suum ab Ecclesia catholica intellexerit et efficere studuerit, huc non pertinet. Cf. E. Michael, Ignaz v. Döllinger[3], Innsbruck 1894, 225 sqq 262 sqq.

Sed profecto tam absurde affirmatur, vitam vere religiosam ibi tantum esse, ubi sit varietas sectarum hincque errorum, ut mirandum sit, quomodo quisquam, qui christianum sese profitetur, eam umquam proferre potuerit[1].

Thesis XIX.

Nulli religioso christianorum coetui ab Ecclesiae romano-catholicae communione separato unitatis nota plene ac vere competit.

Probatur thesis 1. respectu unitatis regiminis. Nam

a) *omnes religiosi christianorum coetus,* qui cum Ecclesia romano-catholica coniuncti non sunt, carent *legitimo,* i. e. a *Christo instituto* unitatis efficiendae *principio,* sive unitate regiminis formali. Nam cum, ut supra p. 870 ostendimus, ipsis singulis et universis desit regimen apostolicum, ideoque successionis et missionis apostolicitas, cumque omnes orti sint separatione aut immediate a R. Pontifice, totius apostolici regiminis centro, et ab Ecclesia romano-catholica universa, aut ab antiquioribus coetibus, qui ortum duxerunt a defectione ab illa Ecclesia: evidens est, eos omnes non solum carere unitate regiminis formali sive regimine a Christo instituto et legitima potestate regendi instructo, sed, si quod illi regimen habeant, illud ut tale originem ex seditione quam maxime iniusta trahere, ideoque in radice saltem manere semper seditiosum, mereque humana potestate, quae proprie hac in re est nulla, instructum esse. — Quod eo manifestius est, si, ut apud plerosque protestantium coetus et iamdudum etiam apud russos usu venit[2], summa regiminis potestas penes principes regni, atque etiam penes feminas, sit. Sed etiamsi illorum coetuum, graecorum et orientalium, supremum regimen penes veros episcopos sit, illud tamen non est *formale* sive cum Ecclesiae primate et sacri regiminis centro R. Pontifice coniunctum, ideoque non est legitimum, hincque

---

[1] Plura hac de re apud Perrone, Der Protestantismus und die Glaubensregel 2, 176 sqq.

[2] Adverte tamen imperatorem ab Ecclesia rossiaca non salutari nomine „capitis Ecclesiae", licet Paulus I sibi arrogaverit hunc titulum in lege successionis, quae in cathedrali Moscoviensi publice lecta et in altari deposita est, et Catharina II in edicto 12 aug. 1762 enuntiaverit, omnes monarchas a Deo investitos esse suprema in Ecclesia auctoritate. Sed in lege fundamentali et publicis documentis imperatores utuntur tantum nomine „supremi defensoris et protectoris Ecclesiae". Sed si minus nomine, re tamen imperator rossiacus caput Ecclesiae est. „Synodus enim sancta" ecclesiae rossiacae praeposita caput suum agnoscit imperatorem, ab eo instituitur, ab eo auctoritatem omnem habet. Ipsa synodus in statutis suis decreta sua habere valorem declarat, quia est instituta ab imperatore, et se habere „omnem eam potestatem, quam sua maiestas czariana, sua suprema auctoritate, dignata est ipsi concedere". Cf. Giov. Marcovič, Gli Slavi ed i Papi I, Zagrabiae 1897, 185 sq; Ces. Tondini, Le Pape de Rome et les Papes de l'Église orthodoxe d'Orient, Paris 1876, 23—184. — Ecclesiae graecae in regno Graeciae anno 1833 constitutione regni imponebatur rex tamquam „caput Ecclesiae", sed anno 1852 haec res mutata est. Cf. Kattenbusch, Lehrbuch der vergleichenden Konfessionskunde I, Freiburg 1892, 173 sq.

auctoritate actu regendi caret. Seditione scil. separatum est a centro totius regiminis ecclesiastici, Pontifice Romano, et ab ipso et universa Ecclesia vere apostolica excommunicatum, atque ita est omni regendi auctoritate et potestate legitima privatum. Nec quidquam eos iuvat, nec quod habent partim saltem regimen *materiali modo* spectatum, i. e. veros episcopos, cum regimen *formali ratione* acceptum illis omnino desit, nec quod habent vel supremum patriarcham, ut Graeci, Armeni aliique orientales schismatici, vel synodum permanentem, ut Russi ab ecclesia Romana divisi; utrumque enim institutum a Petri successore schismate separatum laborat omnis auctoritatis et missionis defectu. Patriarchae dignitas est insuper institutionis tantum ecclesiasticae; synodus vero Petropolitana ab imperatore Petro I instituta et ipsi eiusque successoribus omnino subiecta est. Iure igitur haec instituta non possunt oboedientiam exigere nec esse verum unitatis principium.

b) *Unitas regiminis* in coetibus ab Ecclesia romano-catholica separatis deest non solum, quia deest legitima auctoritas, sed etiam, quia deest oboedientia subditorum. Atque *α*) in plerisque eorum coetuum haec oboedientia deest *facto*. Sane patriarchae Constantinopolitano schismatico oboedientiam renuntiarunt Russi, Serbi, incolae regni Graecorum etc., ita ut patriarchatus graecus schismaticus compositus sit ex multis ecclesiis autonomis vel, ut dicunt, „autocephalis“ [1]. Praeterea a

[1] Autocephalae sunt: 1—4. Ecclesiae patriarchales *Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana.* 5. Archiepiscopatus in insula *Cypro.* Cyprus iam a. 431 a synodo Ephesina independens a patriarcha Antiocheno declarata est. 6. Ecclesia *rossiaca.* Cum patriarcha Byzantinus Ieremias inopia pressus in regno rossiaco eleemosynas quaereret, imperator Feodor Iwanowitsch 1589 ab eo impetravit, ut Russis proprium patriarcham crearet. Petrus Magnus post mortem patriarchae Hadriani a. 1700 alium patriarcham non nominavit et eius loco 1721 „sanctam synodum dirigentem“ instituit. 7. Metropolia *Carolowitzensis* Serborum schismaticorum in Hungaria. Anno 1691 Serborum patriarcha Arsenius III, postquam rebellio contra Turcas profligata est, fugit cum 36000 familiis in Hungariam, quibus imperator austriacus Leopoldus I liberum religionis exercitium indulsit. 8. Metropolia in *Cetinje* (Montenegro). Primitus patriarchae Serborum subditi, Montenegrini post destructum patriarchatum serbiacum a. 1766 sui iuris facti sunt. 9. Archiepiscopatus montis *Sinai.* Hunc sui iuris declaravit patriarcha Byzantinus a. 1575, ut controversiis inter Alexandriam et Hierosolymam finem poneret. 10. Ecclesia in regno *Graeciae* independentiam suam a Byzantio declaravit 15 (27) iulii 1833, quam agnovit patriarcha Constantinopolitanus 29 iunii (11 iulii) 1850. Cum 1881 quaedam partes Thessaliae et Epiri regno Graeciae unirentur, haec 4 maii 1882 cum ecclesia graeca coniunctae sunt patriarcha Constantinopolitano consentiente. 11. Metropolia *Hermannstadtiensis* (Transsilvania) pro Rumenis schismaticis. Hi proprium archiepiscopum acceperunt 1783, prorsus sui iuris facti sunt 1864. 12. Exarchatus *Bulgariae,* qui institutus est a sultano turcico decreto 27 febr. 1870 dato et 1872 promulgato. Exarcha sui iuris pronuntiavit ecclesiam Bulgariae 24 maii 1872. 13. Metropolia *Bukovinae et Dalmatiae,* cuius sedes est in Cernowitz, sui iuris declarata est decretis austriaci imperatoris 1870 1873 1874. 14. Ecclesia in regno *Serbiae.* Postquam Stephanus Dušan a. 1345 proclamatus fuit „czar“ Serbiae, Graeciae, Bulgariae, anno sequente in concilio nationali habito in Skoplje ecclesiam Serbiae auto-

Ruthenorum quam vocant ecclesia in Russia innumeri defecerunt multosque varios coetus religiosos — plus quam ducentos iam initio huius saeculi — prorsus liberos et ab auctoritate synodi Petropolitanae nullatenus pendentes constituerunt. Et quis numerare velit omnes coetus plane liberos protestantium, qui ubique terrarum a primigeniis ipsorum coetibus defecerunt? Atqui hi omnes tum schismatici tum protestantes renuntiantes oboedientiam regimini coetus, a quo recesserunt, iure optimo egerunt, utpote reicientes auctoritatem mere humanam et origine sua prorsus rebellem ideoque nullam. Quare qui ab istiusmodi coetibus sese separarunt, propter hanc separationem schismatici sensu ecclesiastico ac proprio nec sunt nec esse umquam possunt, cum ei tantum auctoritati se subtraxerint, quae sola rebellione contra divinitus institutum Ecclesiae regimen orta et constituta est.

β) Qui vero coetus ab Ecclesia romano-catholica separati ornati sunt aliqua unitate regiminis ratione oboedientiae, quam eorum socii auctoritati inter ipsos constitutae exhibent, illam oboedientiam ac subiectionem *facto* quidem habent, *iure* eam, ut diximus, non habent, ideoque illa oboedientia numquam est formalis ac vera, sed tantum materialis et falsa. Insuper istis omnibus deest communis auctoritas visibilis, qua omnes eiusdem fere fidei socii coniungantur. Nam „comitia v. g. generalia in America nullo ligamine cum calvinianis Scotis, Anglis, Genevensibus coniunguntur, sed sola imitatione regiminis, et doctrinae similitudine, capitibus, quae odium paritura forent, mutatis, se fratres exhibent. Ipsa comitia non valent unitatem in sua provincia servare, cum auctoritatem nullam sacram habere agnoscantur, et oscillatione quadam in varias ferantur partes. [Item] episcopales nullo communi vinculo tenentur: anglicani enim regem vel reginam in omnibus causis civilibus et ecclesiasticis, intra suam ditionem, suprema auctoritate pollere fatentur." Americani autem episcopales „conventione generali res suas moderantur, in singulis dioecesibus coetu quodam statuto, quo et episcoporum arctetur potestas" [1]. Nec alibi ullum protestantium regimen ultra regni vel ditionis suae quamvis parvae fines auctoritate pollet.

---

nomam declaravit et patriarchae Serbiae residentiam constituit in urbe Ipek. Mansit patriarchatus Ipekensis usque ad a. 1766, quo Serbia Constantinopolitano patriarchae subiecta fuit. Autonomia declarata a. 1810, Serbiae ecclesia primum fuit sub archiepiscopo Carolowitzensi, post a. 1830 sub proprio metropolita, qui ab a. 1879 omnino independens est a Constantinopolitano patriarcha, cum antea nomine magis quam re ei subiectus fuisset. 15. Ecclesia *rumena*. Rege Rumeniae constituto 1881, ecclesia regni autonoma agnita est a graeco patriarcha a. 1885. — Cf. Nicodim Milaš, Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche nach den allgem. Kirchenrechtsquellen und nach den in den autokephalen Kirchen geltenden Spezialgesetzen, übersetzt von A. R. v. Pessič, Zara 1879, Mostar 1905; Diomedes Kyriakos, Gesch. der oriental. Kirchen von 1453 bis 1898, übersetzt von E. Rausch, Leipzig 1902; J. Silbernagl, Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients, Regensburg 1904; Marcovič, Gli Slavi ed i Papi, Zagrabiae 1897.

[1] Kenrick, Tract. II, n. 229, p. 159.

Probatur thesis 2. respectu unitatis doctrinae ac fidei. Nam

a) nulli horum coetuum haec unitas iure competit. Ii enim singuli et universi *α) carent legitimo* et *efficaci* unitatis istius efficiendae *principio,* infallibili scil. magisterio. Nam cum omnibus desit magisterium apostolicum, cui soli Christus infallibilitatis donum contulit, cumque ipsorum primi auctores nulla divina missione sive ordinaria sive extraordinaria fulcirentur, nullum unitatis fidei efficiendae principium habent nisi auctoritatem mere humanam ideoque erroribus obnoxiam. Manifesto autem talis auctoritas, sive sita dicitur penes regem eiusque consiliarios, sive in comitiis publicis regni, sive in synodo Petropolitana, sive in concilio episcoporum schismaticorum, sive in alio quocumque eiusmodi instituto, idonea et efficax esse non potest ad efficiendam et conservandam fidem illam christianam, qua fideles se veram ac divinitus revelatam doctrinam credere summe certi sint ita, ut, si necesse sit, quaecumque pati atque dirissimam martyris mortem pro ea occumbere velint. Immo auctoritas talis ausu prorsus iniusto et tyrannico animos ad eandem fidem adigere et in eam unire conaretur. Haec enim fidei doctrina, utpote ab auctoritate mere humana praescripta, potest esse aut omnino aut partim falsa; iniustum autem est, ad falsa credenda christiana illa fide quempiam velle adigere.

Nec ullatenus hic infallibilis magisterii defectus suppleri potest *α') ipsa S. Scriptura.* Nam etsi istiusmodi coetus religiosus habeat, et vere quidem secundum principia sua habere possit tamquam libros divinos omnes illos, quos Ecclesia romano-catholica ut tales agnoscit, tamen coetibus istis omnibus infallibilis horum librorum interpres deest. Quare nisi agatur de doctrina iam ab infallibili Ecclesiae romano-catholicae magisterio definita et ut tali ab ipsis quoque credita et admissa, numquam de eorum sensu ita absolute certo iis constare potest, ut timendum non sit, ne ipsorum interpretatio falsa sit. Sacra Scriptura enim, utpote per se muta, non potest esse principium ac ratio unitatis fidei efficiendae et servandae, nisi quatenus eius sententiae clare omnino ac plane certo recte intelligantur. Iam vero ea est S. Scripturae indoles, ut neutiquam ubique sit plana et facilis intellectu; alioquin non unus idemque eius locus toties tot variis et inter se nonnumquam contrariis modis adhuc nostra aetate explicaretur a viris, qui et ingenii vi et doctrina praestant ac veritatis amore duci videntur. Et nonne varii protestantismi auctores de multis rebus, quae ab ipsis summi momenti habebantur, S. Scripturam sensu plane contrario explicarunt, uti v. g. de Eucharistia Lutherus, Zwinglius, Calvinus, de infantium baptismo aliisque multis rebus Muenzerus ceterique in illa quam dicunt reformatione antesignani? Sane qui tunc temporis et diu postea novarum sectarum auctores fuerunt, singuli placita sua quam maxime inter se contraria S. Scripturae auctoritate

comprobare studebant, ita ut hoc sensu iure dixerit de S. Scriptura protestans Samuel Werenfels († 1740):

„Hic liber est, in quo quaerit sua dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua."

Atque etiam posteriore tempore et hodierno maxime S. Scripturae interpretes protestantes ita inter sese dissentire, ut vix locus sit, in cuius unam eandemque interpretationem omnes conveniant, notum est. Unde S. Scriptura privato uniuscuiusque iudicio explanata debita fidei unitas effici et servari non potest. — *β′) Non magis* effici et servari ea unitas potest *distinctione articulorum fundamentalium et non fundamentalium.* Praeterquam enim quod eam admitti non posse iam ostendimus supra p. 415 sqq, hac distinctione unitas fidei iam ideo fundari nequit, quod alii articuli existimantur fundamentales a lutheranis, alii a calvinianis, alii ab aliis. Sed etiamsi omnes protestantes in quorundam articulorum fide convenirent, temere tamen ii soli existimarentur essentiales, adeoque protestantes in talis fidei professione nullatenus securi possent conquiescere eaque principium unitatis fidei rite supplere. — *γ′) Atque etiam symbola fidei* apostolicum, Nicaenum, Athanasianum, Constantinopolitanum protestantibus vera et efficax unitatis fidei ratio esse non possunt. Ut enim taceam, a quam plurimis protestantibus omnia symbola omnesque quascumque fidei formulas reici, immo ipsam fidei necessitatem negari, et contendi christianam religionem consistere potissimum in amore hominum et nescio quo pietatis erga Deum affectu, illa symbola iam ideo non possunt dici ad fidei unitatem sufficere, quod a protestantibus probari nequit, omnes christianae religionis veritates necessario credendas iis distincte contineri. Insuper cum protestantes sui iuris esse putent, ut ipsam S. Scripturam suo quisque iudicio possit admittere vel respuere, hoc aut alio sensu interpretari, cur non eadem ratione atque licentia etiam illa symbola tractare possunt, ita ut illa non minus quam S. Scriptura dissensionis causa sint? — *δ′) Multo etiam minus* protestantium *fidei confessiones et alii libri symbolici* possunt esse unitatis principium. Nam his symbolis, ut non dicam, ea inter se in multis contradicere, auctoritas divina nec vindicari potest, nec ab ipsis protestantibus tribuitur. „Est", inquit praeter alios multos Marheinecke[1], „illorum symbolorum prorsus alia ratio ad protestantium ecclesiam quam catholicorum ad suam. Iudicis enim divini auctoritate non gaudent, sed doctrinae de rebus divinis humanae liberum servant cuique iudicium, nec ullo modo nisi S. Scriptura eiusque sana interpretatione circumscriptum, nec ad formandas ex illis singulas dogmatum formas, sed ad cognoscendam inde et amplectendam indolem publice proposita sunt et constituta, tamquam coetus evangelici mens et ingenium veritatisque evangelicae

[1] Institutiones symbolicae[3], Berol. 1830, § 9, p. 15.

testimonium.“ Multi tamen protestantes, tametsi fatentur, ipsorum symbola non esse scripta divina ideoque nullatenus auctoritatis divinae, atque in iis contineri historicos aliosque errores in rebus ad doctrinae substantiam non pertinentibus concedunt, contendunt tamen competere illis auctoritatem *ecclesiasticam*, eaque non sine singulari Dei providentia et Spiritus Sancti auxilio esse composita[1]. At qua ratione firma et vera hoc ultimum velint monstrare, non video, nec etiam auctoritas vere ecclesiastica istis fidei confessionibus competit; nam coetus illi, cum non sint apostolici, nullam aliam quam auctoritatem mere humanam tribuere possunt. Ideo etiam confessiones illae natura sua mutabiles, immo temporis successu necessario mutandae sunt. Originis enim mere humanae cum sint, prae se ferunt indolem tum aetatis ac factionum, quarum foetus sunt, tum scientiae ac nominatim interpretationis S. Scripturae, qua illarum auctores pollebant. Iam vero si huius solius interpretationis rationem habeamus, quo iure ab hodiernae aetatis protestantibus postulari potest, ut omnibus Scripturae explicationibus in ipsorum confessionibus et libris ceteris symbolicis a Luthero, Calvino, Zwinglio aliisque datis assentiant, cum hac aetate S. Scripturae interpretibus multo plura quam antea omnis generis subsidia praesto sint? Lutherus v. g. suam de iustificatione per *solam fidem* doctrinam et in S. Scriptura videre voluit et semper defendit, in articulis Smalcaldicis vero, qui librum symbolicum constituunt, contendit[2], S. Petri in primatu successorem, Pontificem Romanum, esse illum ipsum peccati hominem, de quo Paulus 2 Thess 2, 3 sqq loquitur, i. e. ipsum antichristum. Sed hodie haec aliaeque quam plurimae reformatorum S. Scripturae explicationes non solum a rationalistis, sed etiam ab illis interpretibus, qui acceptam a protestantismi auctoribus fidem nondum penitus abiecerunt, iure reiciuntur. Et quis, cum protestantes Novi Testamenti interpretes legerit, non probe sciat, sententias Lutheri, Calvini, Zwinglii quam saepissime ab iis refutari? Nemo igitur rei gnarus affirmare potest, hodiernos protestantes S. Scripturae interpretes, cum incomparabili modo doctiores sint prioribus et plerumque etiam haud adeo praeoccupatis opinionibus et factionis pertinaci studio moveantur quam protestantismi auctores, adhuc ad S. Scripturae interpretationem in libris symbolicis ab antiquis protestantibus expositam ita astringi, ut ab ea discedere ipsis non liceat. Unde manifestum est, illas fidei confessiones ceterosque libros symbolicos nullatenus posse illis esse certam interpretationis S. Scripturae et theologiae dogmaticae normam, ita ut eos libros symbolicos servili tantum modo explicare, non vero mutare ipsis liceat[3], ideoque nihil minus esse

[1] Cf. J. T. Müller, Die symbol. Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, Einleitung XXVII.

[2] P. 2, art. 4, de papatu n. 10—14, apud Müller l. c. 308.

[3] Hoc etiam multi ex illis protestantibus, qui adhuc christiani esse volunt, iamdudum agnoverunt. Ita v. g. scribit Brückner (apud Luthardt, Kahnis

posse quam veram unitatis fidei efficiendae et servandae rationem. — Sed isti coetus omnes non solum legitimo et efficaci unitatis fidei principio carent, sed

β) statuerunt re vel verbis vel utroque modo principium efficax *plenissimae dissensionis* atque immo *dissolutionis.* Nam

α') singuli istorum coetuum auctores pro mero arbitrio sine ulla legitima causa ab Ecclesiae romano-catholicae doctrina deficientes aliamque plus minusve variam statuentes ipso hoc facto coetus sui sociis exemplum reliquerunt, quod ipsi imitati fidei doctrinam eodem atque multo etiam maiore iure variare perpetuo possint. Quam enim auctoritatem Photius vel Lutherus vel quivis alius eiusmodi coetus auctor sibi sumpsit, eandem etiam cuivis alii sumere licet, et ut sibi sumat, plane liberum atque saepissime valde commodum ei est. Quare de omnium istorum coetuum sociis valet, quod Tertullianus de haereticorum sui temporis sectatoribus dixit[1]: „Mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem pro-

---

und Brückner, Die Kirche nach ihrem Ursprung, ihrer Geschichte, ihrer Gegenwart[2], Leipzig 1866, 174): „Es ist eine durchaus irrige Vorstellung, welche in der Theologie nichts als die Auslegerin der Bekenntnisse sieht. Es hat Zeiten gegeben, wo sie nichts anderes war; aber das war eine Verirrung nur und ist auch allseitig als solche anerkannt. Mit einem bloßen Nachsprechen dessen, was in der Reformationszeit vorgesprochen worden ist, ist es nicht getan. Es ginge auch nicht. Die Denkweise ist eine andere geworden; der Begriffsapparat ist erweitert, die Auslegung der Heiligen Schrift hat in sprachlicher wie sachlicher Hinsicht die gewaltigsten Fortschritte gemacht. Mit allen diesen reicheren Mitteln ist nun immer von neuem zu Gottes Wort zurückzukehren, aus ihm zu schöpfen, der vorhandene Lehrgehalt daran zu prüfen und aus den tiefsten Tiefen der Offenbarung der göttliche Heilswille und die göttliche Heilswahrheit herauszustellen." Quare non intelligo, quomodo protestans Stahl (Wider Bunsen[2], Berlin 1856, 21) potuerit scribere: „Die Gemeinde ist eben die bloß menschliche Verbindung, die Kirche dagegen die Institution mit ihrem bindenden Ansehen über den Menschen. Ein solches Ansehen hat unsere Kirche auch ohne Bischöfe und Papst. Sie hat es an der göttlichen Offenbarung, deren Inhalt und Verständnis längst ermittelt ist und nicht erst auf die Einfälle einer Sekte oder die originelle Forschung eines Diplomaten zu warten braucht. Sie hat es an dem Zeugnis (Bekenntnis) der Reformation, das zwar nicht auf göttlicher Eingebung, aber doch auf besonderer Erleuchtung beruht [sic!], darum im ganzen von sicherer Wahrheit ist und die Fortbildung, soweit es ihrer bedarf, nur durch gleich erleuchtete Zeiten und Männer erhalten kann." Vere mirandum, quam parum multi protestantes etiam literati nostra adhuc aetate suae ipsorum religionis naturam atque ipsa prima principia cognoscant. Quinimmo, teste Perrone (Der Protestantismus und die Glaubensregel 2, 177 nota), protestans Vinet non dubitavit haec scribere: „Man hat viel von der protestantischen Anarchie geredet; aber die protestantische *Einheit* ist es, von der man hätte reden sollen. Die schlagende Übereinstimmung, welche zwischen den Glaubensbekenntnissen der verschiedenen protestantischen Kirchen herrscht, diese *Übereinstimmung,* in der Freiheit entstanden, deren wirklichen Bestand sie dartut, — diese Übereinstimmung ist die *wahre* Einheit, von welcher der Katholizismus nur den *Schein* hat."

[1] De praescr. c. 42 (ML II 58).

fectus rei. Idem licuit valentinianis quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare." Idque revera locum habuisse, istorum coetuum historia abunde demonstrat, cum inter omnes constet, quam innumerabiles alii ex istis primis coetibus exorti sint, aliam atque aliam semper fidei doctrinam profitentes, quamque difficile vel duo eiusdem coetus theologi aut verbi divini praecones reperiantur, qui de omni coetus sui doctrina religiosa inter sese plane consentiant.

β') Ex *protestantismi auctorum* mente christiani omnes sunt sacerdotalis ordinis eodem modo participes et, si eam quam publicum munus confert excipimus, plane eiusdem dignitatis, ita ut laicorum et sacerdotum distinctio prorsus abrogata sit. Praeterea in certamine cum publico Ecclesiae romano-catholicae magisterio ei quem vocabant spiritui privato divinitus edocto sive singulis christianis a Deo doctis ius libertatemque interpretandae et diiudicandae revelationis divinae in S. Scripturis contentae vindicarunt.

Certe Lutherus id clarissime dixit in libello „Contra Henricum regem Angliae"[1] hisce verbis: „De doctrina cognoscere et iudicare *pertinet ad omnes et singulos christianos,* et ita pertinet, ut anathema sit, qui hoc ius uno pilo laeserit. Christus enim ipse hoc ius statuit invictis et variis sententiis Mt 7: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Hoc verbum certe dicit ad populum adversus doctores, et mandat iis, ut falsa dogmata eorum vitent. At quomodo vitare possunt, nisi cognoscant? quomodo cognoscere, nisi ius habeant iudicandi? Nunc autem non solum ius, sed praeceptum iudicandi statuit, ut haec sola auctoritas satis esse queat adversus omnium pontificum, omnium Patrum, omnium conciliorum, omnium scholarum sententias, quae ius iudicandi et decernendi solis episcopis et ministris tribuerunt, et impie ac sacrilege populo, i. e. ecclesiae reginae rapuerunt. Stat enim Christus dicens: Attendite a falsis prophetis." Idem Lutherus studet ibidem probare prophetarum monitionibus, ut populus a falsis prophetis caveat, necnon ex aliis Novi Testamenti locis, et denique concludit: „Quidquid Christus Mt 24 et ubique de falsis doctoribus, quidquid Petrus et Paulus de falsis apostolis, magistris, et Iohannes de probandis spiritibus praecipiunt, eo pertinet, ut iudicandi, probandi, damnandi auctoritas apud populum sit. Idque iustissime. Nam unusquisque suo periculo recte aut false credit, ideoque cuiquam pro se curandum est, ut recte credat, ut etiam communis sensus et salutis necessitas urgeat, necessario iudicium doctrinae penes auditorem esse. Alioqui frustra dicitur: omnia probate; quod bonum est, tenete. Et iterum: spiritualis omnia iudicat et a nemine iudicatur. At quilibet christianus est spiritualis a spiritu Christi. Omnia vestra, inquit, sive Apollo, sive Paulus, sive Cephas, i. e. de omnium dictis et factis iudicandi ius habetis."

Praeterea iam anno priore de libertate christiana loquens Lutherus, postquam dixit[2], omnes christianos reges et sacerdotes esse, et quemlibet christianum ut regem sic magnificari „super omnia, ut spirituali potentia prorsus omnium dominus sit, ita ut nulla omnino rerum possit ei quicquam

---

[1] Wittenbergae 1522, f. 19 a et b. (Werke: Weim. X 2, 217).

[2] Tract. de libert. christ., Wittenbergae 1521, 24 (Werke: Weim. VII 57 sq).

nocere, immo omnia ei subiecta coguntur servire ad salutem", haec addit[1]: „Nec solum reges omnium liberrimi, sed sacerdotes quoque sumus in aeternum, quod longe regno excellentius, quod per sacerdotium digni sumus coram Deo apparere, pro aliis orare, et *nos invicem ea, quae Dei sunt, docere.* Haec enim sacerdotum officia sunt... Ita Christus nobis obtinuit, si in eum credimus, ut sicut confratres, coheredes et correges: ita et consacerdotes ei simus, audentes cum fiducia per spiritum fidei coram Deo prodire et clamare: Abba, Pater, et alter pro altero orare et *omnia facere,* quae videmus visibili et corporali officio sacerdotum geri et figurari.... Quis ergo comprehendere potest altitudinem dignitatis christianae, quae per regalem suam potentiam omnium dominatur, mortis, vitae, peccati etc. Per sacerdotalem vero gloriam apud Deum omnia potest, quia Deus facit, quae ipse petit et optat.... Ex iis clare videre potest quilibet, quomodo christianus homo liber est ab omnibus et super omnia, ita ut nullis operibus ad hoc indigeat, ut iustus et salvus sit, sed sola fides haec omnia largitur abunde." Sed „etsi verum est, nos omnes aequaliter sacerdotes esse, non tamen possumus, nec si possemus, debemus omnes *publice* servire et docere". Et iam prius ex eo, quod omnes christiani sacerdotes sint, idemque evangelium eademque sacramenta habeant, collegit[2], singulis vere fidelibus, i. e. suae sectae asseclis, et non soli R. Pontifici competere ius S. Scripturam exponendi et iudicandi ac declarandi, quae vera et falsa fides sit, et pro hac sua doctrina affert insuper 1 Cor 2, 15: „Spiritualis iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur", et 2 Cor 4, 13: „Habentes eundem spiritum fidei", et[3] 1 Cor 14, 30: „Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat", et Io 6, 45: „Et erunt omnes docibiles Dei", indeque concludit[4], *uniuscuiusque christiani esse* fidei causam agere, eam intelligere, defendere omnesque errores condemnare, et cum Veteris Testamenti tempore asinae concessa fuerit vatis correctio, procul dubio homini pro Novo Testamento etiam permissum esse, ut contra R. Pontificem loquatur. Anno autem 1523 certum esse affirmavit[5], christiano verbi divini praedicandi non solum ius et libertatem competere, sed etiam officium iniunctum esse, ita ut sub poena damni salutis aeternae et divinae benevolentiae eo fungi debeat. Atque etiam ius, quo R. Pontificis decreta igni tradiderit, primum quidem repetit[6] Lutherus ex

---

[1] Ibid. 25 sq.

[2] An Keyserliche Maiestät und Christlichen Adel Teutscher Nation, Wittenberg 1520, f. 6 b, ubi ait: „Ubir das, szo sein wir yhe alle priester ... alle einen glauben, ein Evangely, einerley sacrament haben, wie solten wir den nit auch haben macht zu schmecken und urteylen, was do recht odder unrecht ym glauben were" (Werke: Weim. VI 412; Erl. XXI 288).

[3] L. c. f. 6 a.

[4] Ibid. f. 7 a: „Drumb geburt einem yglichen Christen, das er sich des glaubens annehm, zu vorstehen und vorfechten, und alle yrtumb zu vordammen."

[5] In libello: Daß eine christliche Versammlung ... Recht und Macht habe, alle Lehre zu urtheilen und Lehrer zu berufen, ein- und abzusetzen. Ubi adductis locis 2 Cor 4, 13; Ps 116, 10; Ps 51, 15 dicit: „Also, daß hie abermal gewiß ist, daß ein Christen nicht alleine Recht und Macht hat, das Gottis Wort zu lehren, sondern ist das selbige schuldig zu tun, bei seiner Seelen Verlust und Gottis Ungnaden.... Ein Christen hat so viel Macht, daß er auch mitten unter den Christen, unberufen durch Menschen, mag und soll auftreten und lehren wo er siehet, daß der Lehrer daselbs feylet" (Werke: Weim. XI 412; Erl. XXII 146 sq).

[6] Warumb des Bapsts und seyner Jungernn bucher von Dr. M. Luther vorbrant seynn, Wittenberg 1520, f. 1 a (Werke: Weim. VII 162; Erl. XXIV 152).

eo, quod christianus baptizatus sit, et deinde tantum ex reliquis suis qualitatibus, quod nimirum iuratus S. Scripturae doctor et cotidianus verbi divini praeco sit. — Ex quibus sane patet, e Lutheri sententia hominis christiani, singulorum igitur, qui increduli non sint, esse, Dei legem ac verbum a quocumque alio discernere, examinare, diiudicare; spiritum igitur, qui vocatur, christiani privatum esse supremum revelationis divinae iudicem ac S. Scripturae interpretem; eoque clarius id patet, quod Lutherus contra romano-catholicam Ecclesiam disputans saepius affirmabat, ipsum spiritum, sive potius sensum internum, quo sentiamus verum esse, quod credamus, de veritate doctrinae, quam amplectamur, nos certos reddere, quodque ad hanc certitudinem de suae doctrinae veritate tamquam ad certissimum eiusdem veritatis testem quam maxime provocabat [1]. Ideo etiam, ut posset singulos quosque sectatores suos legitimos S. Scripturae interpretes praedicare, S. Scripturam in rebus scitu necessariis omnibus intellectu valde facilem affirmavit, adeo ut explicationes aliorum suis contrarias vi diabolicae ascribere non dubitaverit [2].

Atque etiam Zwinglium idem S. Scripturae interpretandae et verbi divini diiudicandi ius singulis fidelibus suis tribuisse manifestum est ex eo, quod ex Io 6, 45 et Is 54, 13 concludit [3], singulos fideles christianos a Deo ipso doceri et ab ipso etiam solo doceri posse, ideoque alio magistro opus non esse. Interroganti autem, quomodo aliquis a Deo possit doceri, respondit [4]: precare Deum, et ipse tibi dabit, si tamen tibi prosit. Unde autem illa certitudo, qua quis a Deo doctum se certo existimet, oriatur, et quid agendum, quando duo doctrinam evangelii sensu prorsus contrario intelligant, utrum decernendae controversiae causa ad idoneos iudices recurrendum sit necne, Zwinglius certa et clara positiva et sufficiente ratione definire nescit [5].

Item Calvinus ad Ecclesiae romano-catholicae veram auctoritatem et ius iudicandae S. Scripturae denegandum ex iisdem doctrinis, quibus Lutherus et Zwinglius, proficiscitur. Catholicis enim opponentibus, nisi Ecclesiae testimonio probari non posse, quinam sint libri sacri sive S. Scriptura, respondet [6],

---

[1] Cf. Schenkel, Wesen des Protestantismus III 35 sqq.

[2] Cf. De Wette, Luthers Briefe III 61 sqq.

[3] Von der klarheit des worts gottes (Werke I 366): „Gilt by inen (apud catholicos theologos) nüt, was Christus redt, der Joh. am 6. spricht: Sy werdend all von gott gelert werden, als Iesaias am 54. spricht. Werden nun alle Christen von got gelert, warum wilt du inen ire ler nit gewüß und fry lassen nach dem verstand, den sy got gelert hat? Das aber got der gleubigen hertzen leerer sye, lernend wir von Christo in den nächsten worten darnach, als er spricht Joh. 6, 45: Ein ieder, ders vom vatter gehört und gelernet hat, der kumpt zu mir. Niemans kumpt zum Herren Christo Jhesu, denn der in gelernet hat erkennen vom vatter. Hörend ir, wie der schulmeister heißt, nit doctores, nit patres, nit bäbst, nit stul, nit concilia; er heißt der vatter Jhesu Christi. Jr mögend ouch nit sprechen: Mag aber einer es nit von einem menschen ouch lernen? Nein. Er spricht glich darvor: Nieman kumpt zu mir, min himelscher vatter hab in dann zogen. . . . Hörest du, das der vatter gibt, wie obstat, was wilt du eines anderen leerers, fürers oder richters?“

[4] L. c. 367.

[5] Id ipse Schenkel fatetur l. c. 68: „Zwingli widerlegt diesen Einwurf nicht, sondern beseitigt ihn durch einen Machtspruch: Setze, sagt er, nur allen deinen Trost auf den Herrn Christum; sei gewiß, daß er die Versöhnung sei für deine Sünden. Deine Arbeit ist aber das alles nicht, sondern des Geistes, der in dir wirkt.“

[6] Instit. l. 1, c. 7, n. 4 5.

istam probationem passim „a Dei loquentis persona sumi", persuasionem autem, qua credatur, non temere et fallaciter obtendi Dei loquentis nomen, petendam esse ait maxime „ab arcano testimonio spiritus". „Idem ergo", ita pergit, „Spiritus, qui per os prophetarum locutus est, in corda nostra penetret necesse est, ut persuadeat fideliter protulisse, quod divinitus erat mandatum. Atque haec connexio aptissime ab Iesaia ponitur in his verbis (c. 59, v. 21): ‚Spiritus meus, qui in te est, et verba, quae posui in ore tuo et seminis tui, in perpetuum non deficient.'" „Maneat ergo", concludit, „hoc fixum, quos Spiritus Sanctus intus docuit, solide acquiescere in Scriptura, et hanc quidem esse αὐτόπιστον, neque demonstrationi et rationibus subici eam fas esse; quam tamen meretur apud nos certitudinem, *Spiritus* testimonio consequi.... Illius ergo virtute illuminati, iam non aut nostro aut aliorum iudicio credimus a Deo esse Scripturam: sed supra humanum iudicium, certo certius constituimus (non secus ac si ipsius Dei numen illic intueremur) hominum ministerio ab ipsissimo Dei ore ad nos fluxisse", ita ergo, „ut inexpugnabilem nos veritatem tenere, probe *nobis conscii*" simus. Sentit quidem Calvinus, etiam persuasionis, quae falsa sit. posse hominem tamquam verae sibi conscium fieri, sed protinus indicat, hanc sententiam imbecillam esse, ita ut certitudinem non pariat, dum contra verus christianus „non dubiam vim numinis illic sentit vigere ac spirare". Talis ergo est, subicit, „persuasio, quae *rationes non requirat,* talis notitia, cui optima ratio constet, nempe in qua securius constantiusque mens quiescit quam in ullis rationibus; *talis denique sensus, qui nisi ex coelesti revelatione nasci nequeat"*; hunc autem sensum apud se experiri *fidelium,* scil. suorum, *unumquemque* secundum promissionem, qua Is 54, 13 dicatur, „omnes renovatae Ecclesiae filios Dei fore discipulos"; singulari tamen hoc privilegio Deum solos electos dignari, quos a toto humano genere discernat, suos nimirum asseclas, ut ex oratione consequente satis patet.

Ex his, quae fuerit protestantismi auctorum de spiritu privato et iure liberae inquisitionis sententia, satis constat. Verum quidem est, interdum eos alio prorsus modo locutos esse. Quamprimum enim usi hac ipsa de spiritu privato doctrina Carolostadius primo, postea Zwinglius ipsius Lutheri, anabaptistae vero omnium illorum trium protestantismi parentum auctoritatem atque doctrinam reiciebant seque melius a divino Spiritu edoctos maxima pertinacia affirmabant, protinus et Lutherus et Zwinglius et Calvinus, quam libertatem sibi ipsis suisque fidelibus asseclis vindicaverant, eam illis denegarunt, et ad externam auctoritatem S. Scripturae vel etiam traditionis confugerunt[1]. Atque Lutherus insuper miracula ab adversariis, si a Deo missi vellent agnosci, postulavit. Sed manifeste ita agentes illi protestantismi parentes contra se ipsos dixerunt et egerunt.

Quare unum e primariis protestantismi principiis et singulorum protestantium ius summum est *plena libertas de religionis christianae doctrina cogitandi ac sentiendi ita, ut eam alio quam quo quisque propria sua ratione scrutatus intellexerit modo, sequi et amplecti nec debeat nec legitime possit*[2]. Quae cum ita sint, evidens est, primos protestantismi

[1] Cf. Schenkel l. c. 43 sqq de Luthero, p. 76 sqq de Zwinglio, et de Calvino ipsius Instit. l. 1, c. 9.

[2] Cuius quidem principii protestantes, postquam per duo fere saecula „orthodoxae" suae fidei iugum portaverant, i. e. auctoritatem librorum suorum symboli-

auctores non solum nullum unitatis fidei a Christo requisitae principium efficax statuisse, sed quam maximae dissensionis et plenae dissolutionis principia posuisse. Quaenam enim fidei unitas in eo coetu esse possit, cuius singuli socii ea tantum ut divinitus revelata admittere et sequi possunt ac debent, quae ut talia sua quisque investigatione in S. Scripturis perspexerit? Ita sane eiusmodi coetus in sinu suo quascumque doctrinas quantumvis novas et absurdas tamquam suas admittere et tolerare debet[1]. Nulli igitur christianorum coetui ab Ecclesia romanocatholica separato unitatis fidei a Christo requisitae nota *ullo iure* competere potest. Atque hinc iam sequitur

b) eam notam nec ulli ex istis coetibus facto convenire. Ubi enim nullum legitimae unitatis, sed contra efficax omnino dissensionis principium est, pro rerum novarum studio plerisque hominibus insito variisque eorum malis cupiditatibus fieri non potest, ut vera ac plena animorum concordia diutius locum habeat in credenda religionis doctrina, quae magna ex parte vel captui difficilis vel voluntati et cupiditatibus malis contraria est. Et sane id luculenta et notissima omnium istorum coetuum experientia abunde demonstratur. Constat enim, ex primis illis coetibus mox alios atque alios, et decursu temporis ad hodiernam usque aetatem iam fere innumerabiles exortos esse, eosque, tametsi diversas ab aliis doctrinas profitentur, nulla tamen legitima auctoritate ideoque nullo iure vel a Graecorum, Ruthenorum aliorumque schismaticorum, vel a protestantium primigeniis coetibus exclusos esse, quinimmo novos aeque ac veteres protestantium quam maxime varios coetus et communi protestantium nomine appellari et eorum censui recte annumerari. Et quod ad protestantes attinet, constat insuper, tum ipsorum relative paucos adhuc ea omnia credere, quae ipsorum parentes olim credenda docuerant, quaeque in ipsorum libris symbolicis continentur, tum inter literatos protestantes saltem admodum paucos esse, qui ratione earum doctrinarum, quas singuli

---

corum ut legitimam admiserant, iam a longiore tempore magis magisque tandem conscii fiunt. Cf. v. g. quae scripsit Jörg, Gesch. des Protestantismus I 130.

[1] Quare Jos. Görres (Die Triarier, Regensburg 1838, 38 sq): „Endlich liegt in der katholischen Kirche jeder Irrtum an der Oberfläche; er wurzelt in der Persönlichkeit dessen, der ihn zuerst gehegt, und sucht von da aus in die Lehre hineinzutreiben: die aber stößt ihn aus, und sondert ihn ab, sowie der Widerspruch sich aufdeckt, und wenn dann der Urheber hartnäckig auf ihm besteht, findet auch er sich von ihrem lebendigen Verbande gelöst, und seine Wege sind fortan nicht mehr ihre Wege. Nicht so auf seite des Protestantismus. Da er der Individualität souveräne Gewalt in religiösen Dingen eingeräumt, muß er sich gefallen lassen, wenn diese von dem eingeräumten Rechte sich den weitesten Gebrauch gestattet. Er kann von keiner Neuerung sich lossagen; alle, wie viel ihrer sein mögen, muß er unter seinem Mantel bergen; denn er ist es, der aus seinem innersten Prinzipe die ganze Brut sich eingezeugt, getragen, ans Licht geboren, gesäugt. Also gepflegt und herausstaffiert, sperrt sie nun auch, nachdem sie zu ihrer Kraft gekommen, den Rachen gegen die eigene Mutter und protestiert gegen ihr eigenes Blut; diese muß es geschehen lassen, denn sie macht nur von ihrem Recht Gebrauch."

admittunt, inter sese omnino consentiant. Unde nihil minus verum est, quam a Christo requisitae unitatis fidei notam istis christianorum coetibus competere. Nec sane, ut iam ostendimus p. 407 sqq, protestantes hunc in coetibus suis unitatis defectum excusare et emendare possunt.

Probatur thesis 3. respectu unitatis communionis. Nam

a) *requisita haec* a Christo communionis unitas ibi esse nequit, ubi non est volita ab ipso pariter unitas regiminis et fidei; atqui, ut modo monstravimus, in nullo prorsus coetu ab Ecclesia romano-catholica separato reperitur ista unitas vel regiminis vel fidei; ergo apud eos nec esse potest legitimae communionis unitas.

b) *Unusquisque istorum coetuum* in regno vel regione, in qua reperitur, habet suum supremum regimen suosque ministros ita, ut ii nulla ratione religionis regimini aut ministris alterius regni vel regionis subiciantur. Nec sane protestantes opponere possunt, se per mutuam saltem caritatem a Christo et apostolis adeo commendatam in unum corpus coniungi. Haec enim mutua generalis caritas, cum ex evangelii doctrina omnes omnino homines, etiam iudaeos et gentiles, ea complecti debeamus, non potest Ecclesiae nota dici, quae efficiat, ut fidelium multitudo una cum regimine unum veluti corpus constituat; nec etiam profecto „ex amicis appellationibus, sed ex Christi instituto Ecclesiae natura et unitas pendet“ [1]. Ceterum notum est, quantum primis temporibus Lutheri, Zwinglii, Calvini asseclae inter se pugnaverint, et quantae discordiae inter multos eorum adhuc sint, v. g. inter eos, qui orthodoxi et supernaturalistae vocantur, et alios liberiores protestantes.

c) *Sed etiamsi omnes illi coetus* uni eidemque supremo regimini obtemperarent et subiecti essent, id tamen, ut iam probavimus, non esset apostolicum, ergo non illud, quod ad veram ecclesiasticae communionis unitatem prorsus necessarium est. Omnino igitur nulli istorum coetuum requisita communionis unitas ulla ratione competit.

Probatur thesis 4. respectu unitatis cultus divini essentialis.

Hac quidem unitate non carere videntur coetus schismatici Russorum, Graecorum aliorumque orientalium, cum res essentiales cultus divini, quem romano-catholica Ecclesia semper habuit et adhuc habet, illi observent. Carent autem eo protestantes non solum, quia praecipuos apostolicae Ecclesiae Deum colendi ritus reiecerunt, sed etiam quia eorum cultus nonnihil varius est et in variis coetibus, v. g. quaekerorum, methodistarum aliorumque, et in variis regionibus, v. g. in Anglia, Suecia, Germania, America, deinde etiam quia hodie omnino vel partim saltem differt ab eo, quem primi protestantes ex Ecclesiae romano-

[1] Kenrick, Tract. II, c. 8, n. 233, p. 160.

catholicae cultu retinuerant. Ceterum maxima pars cultus divini apud plerosque protestantes ea est, ut populus potius instruatur, quam Deus precibus et cultu sacro immediate colatur.

Verissimum igitur est, quod in thesi enuntiavimus, nulli prorsus christianorum coetui ab Ecclesia romano-catholica separato unitatis notam vere et plene convenire.

Coroll. Ex iis, quae de principio unitatis fidei apud protestantes deficiente, de principio discordiae ratione fidei apud eos vigente diximus, necessario consequitur, eos ut Christi doctrinam credentes non posse societatem vere ac presse intellectam, sed tantum aliquam plus minusve credentium multitudinem constituere, ecclesiam igitur inter protestantes proprie esse non posse. Quare minime mirum est, protestantes adhuc de ipsa Ecclesiae notione incertos ac dubios inter sese disputare. Et cum idem dissensionis principium, privatae scil. rationis auctoritas, etiam omnibus aliis ab Ecclesia romano-catholica separatis religiosis christianorum coetibus ratione originis subsit, patet, etiam eorum nullum *iure* posse esse proprie ac presse intellectam societatem.

§ 24.

Applicatio notae catholicitatis.

Applicationem huius notae una sola thesi tractabimus, quia et argumentatio non est valde longa, et quae de praesentia vel absentia catholicitatis dicenda sunt, propter eorum cognationem melius uno eodemque loco tractari videntur.

Thesis XX.

Ecclesia romano-catholica eaque sola semper insignita erat et adhuc est etiam catholicitatis nota.

Thesim hanc ita demonstrabimus, ut in priore eius parte agamus de catholicitate iuris, in altera de catholicitate facti.

Probatur thesis pars I: catholicitatis nota Ecclesiae romano-catholicae, eique soli, iure competit. Nam

I. catholicitatis nota Ecclesiae huic iure competit. Quod ut ostendatur, requiritur et sufficit, ut ei vindicetur munus et officium divinitus concessum late se per orbem salva sua unitate diffundendi, tum aptitudo ad id talis, ut non modo nihil ei insit, quod illam sui extensionem impediat, sed ut ea etiam virtute et efficacia praedita sit, qua se late propagare multosque homines aggregare sibi valeat (cf. supra p. 434). Iam vero Ecclesiae romano-catholicae

1. competit divinitus munus illud et officium. Cum enim Ecclesia vere ac sola apostolica sit, illud munus atque officium a Christo auctore suo per apostolos accepit, idque in perpetuum. Huius igitur Ecclesiae est Christi doctrinam praedicare eamque latius latiusque propagare, usquedum omnibus omnino gentibus annuntiata sit.

2. Cum Ecclesia romano-catholica non solum origine, sed etiam doctrina, regimine, magisterio apostolica sit, plane consequitur, eam *nihil in se habere, quo dictae catholicitatis assecutio ei impossibilis*

reddatur. Ecclesiae enim *doctrina,* cum ipsius Christi doctrina sit, universalis est, i. e. ea quae ab omnibus omnium temporum et locorum hominibus suscipi et servari non solum possit, sed etiam debeat, tum propter Christi Dei auctoris voluntatem, tum propterea quod naturae humanae quam maxime convenit, et ad felicitatem temporalem non minus quam ad aeternam summe utilis atque necessaria est. — *Regimen* porro Ecclesiae romano-catholicae, et speciatim R. Pontificis primatus, latae Ecclesiae diffusioni non solum non obstat, sed etiam quamplurimum prodest atque prorsus necessarius est (supra p. 448); necessaria enim catholicitatis conditio est iuridica totius Ecclesiae unitas, quae sine primatu esse nequit. — *Unitatem* autem communionis Ecclesiae romano-catholicae non obstare eius diffusioni, manifestum est. Haec enim et valde facilis est et fidelibus grata atque iucunda, et summopere apta, quae gentiles aliosque omnes, qui catholici non sint, summa admiratione afficiat. Dum enim ferme omnes alii religiosi hominum coetus aut relative parvo spatio continentur, aut, si sunt late propagati, illius unitatis, quae dicitur communionis, vix umbram habent, quis Ecclesiam romano-catholicam tot gentes hominesque innumerabiles locis, tempore, institutis, indole, ingenio, moribus quam maxime diversos, summa tamen communionis unitate coniunctos complectentem non miretur, illamque unitatem supra humanas vires esse concedat? — *Cultus* denique essentialis, quo eadem Ecclesia romano-catholica Deum ubique colit, non solum hominum animos ab Ecclesia non absterret, sed maiestate sua, decore, ordine, apta ad animos commovendos dispositione, miranda praeterea ubique terrarum unitate in catholicorum quidem animis quam maximos reverentiae et amoris erga Deum affectus excitat, simulque efficit, ut ipsorum quilibet ubique in orbe terrarum catholico quasi in familia inter fratres constitutum ac nullibi peregrinum se sentiat; animos autem eorum, qui huius Ecclesiae socii non sunt, dummodo non sint irreligiosi et plane leves, admiratione replet et in hanc iustissimam cogitationem inducit, qua Ecclesiae romano-catholicae cultum divinum Deo dignissimum iudicent.

Quodcumque igitur huius Ecclesiae latiori diffusioni obest, minime ex huius ipsius Ecclesiae natura et forma, sed ex humana vel imbecillitate vel malitia vel alia ex causa externa fluit. — Verum Ecclesia romano-catholica non modo nihil in se habet, quo impediatur, ne catholica esse possit, sed etiam

3. tanta virtute et efficacia praedita semper fuit et est, ut catholicitatem absolutam, simultaneam, moralem reapse adipisci et conservare potuerit. Cum enim a) Ecclesia illa *sola sit origine, doctrina, regimine* ideoque etiam *magisterio* apostolica, ipsa sola est illa Ecclesia, cui in docendis omnibus gentibus Christus affuturum se esse promisit. Unde consequitur, ut non humanis tantum subsidiis, sed *divina imprimis ope* adiuvetur in magno opere conversionis omnium hominum ad Christum, verum Deum.

b) *Cum propter apostolicitatem* ideoque infallibilem veritatem mirandamque unitatem fidei ac doctrinae una eademque Ecclesiae romano-catholicae ubique terrarum praedicatio sit, cumque hanc praedicationem ratione saltem dogmatum iam definitorum non solum ut certam, sed etiam ut infallibiliter veram Ecclesia omnibus exhibeat, fieri non potest, quin admirabilis haec praedicationis unitas ac summa qua proponitur securitas et certitudo omnibus, qui vel paululum acuti ad cogitandum sunt, magnam admirationem iniciat simulque ipso primo aspectu bonam sui ut verae existimationem facile pariat, praesertim si auditoribus nota iam sit infinita illa praedicationis aliorum religiosorum christianorum coetuum varietas et inconstantia.

c) *Porro quoniam Ecclesia illa est apostolica,* probe sibi conscia est, quam necessaria ad aeternam hominum salutem evangelii sit praedicatio. Et vero Ecclesia haec a primordiis suis ad hodiernam usque aetatem semper alta voce professa est extra ipsam non esse ordinariam salutis viam, quapropter cum, quod S. Paulus de se ipso dicit 1 Cor 9, 16: „Vae mihi est, si non evangelizavero", id sibi quoque dictum existimaret, semper omni quo poterat modo christiano et licito studere debuit, ut ad se et ita ad Christum perduceret tum gentiles tum haeresi vel schismate ab ipsa separatos.

Certe α) inter medias persecutiones in Romano imperio adeo celeriter christiana religio propagata est, ut iam ante concilium primum Nicaenum ultra fines Romani imperii transgrederetur in Angliam, Mauritaniam, Armeniam, Persiam, utque imperator Constantinus audere potuerit eam cum religione paganorum privilegiis aequiparare, immo illi praeferre. β) Deinde cum a saec. IV exeunte novi populi inundarent Europae regiones, Germanis et Slavis ad Christum convertendis eo successu operam dedit Ecclesia, ut brevi post annum 1000 fere omnes illi populi usque ad remotissimam Islandiam essent christiani, exceptis Suecis saeculo XI, Borussis saeculo XIII, Lituanis exeunte saeculo XIV conversis. γ) Sed iam iterum post Tartarorum saeculo XIII in Europam irruptionem novi populi in lucem emerserunt, multoque latius Asiam gentibus antea incognitis refertam versus orientem extendi patuit, quam saecula priora cogitaverant. Statim igitur S. Dominici et S. Francisci alumni suum esse putaverunt his populis Christum praedicare. In ipsa urbe Peking iam tum archiepiscopus cum pluribus episcopis suffraganeis institutus est. δ) Sequebantur saec. XV et XVI Lusitanorum et Hispanorum itinera maritima, quibus paulatim Africae, Asiae orientalis, Americae vastissimi tractus populorumque maxima varietas innotuerunt. Iterum igitur statim nautas hos audacissimos comitati sunt missionarii atque, ubicumque pedem fixerant illi, hi crucem erigere tentaverunt. Magis autem saec. XVI—XVIII cum veteres ordines religiosi tum Societas Iesu magno successu gentilibus evangelium annuntiaverunt, v. g. in insulis Philippinis, in Iaponia et regno Sinensi, inter Indianos Americae meridionalis, in Canada etc., quamquam, ordinibus religiosis in Europa post exortam revolutionem franco-gallicam destructis, plurimae ex his missionibus perierunt. ε) Saeculo denique XIX, inventa machina vaporea, cum etiam in maxime dissitas regiones proficisci facillimum esset, novo fervore evangelio praedicando et propagando se dederunt tam veteres ordines

quam recentiores congregationes, unice ad propagandum inter gentes evangelium institutae.

Omnibus igitur hominibus debere se evangelium catholici sacerdotes semper intime persuasum habuerunt. Hoc autem ut facerent, quantas aerumnas, labores, omnium rerum inopiam volentes et laeti devoraverunt! Quanta itinera susceperunt in regiones dissitissimas et incognitas! Cogita v. g. itinera Odorici de Pordenone († 1331) in Persiam, Indiam, Chinam, Tibet; Guilelmi Rubruquis ad Mogores († 1253); itinera Francisci Xaverii († 1552), Iacobi Marquette († 1675); eorum qui flumen Marañon primi exploraverunt; duorum sacerdotum Huc et Gabet e Congregatione Missionis, regionem Tibetanam visitantium. Quanta patientia iterum iterumque conati sunt ad populos fere inaccessibiles sibi aditum aperiendi, v. g. dum saec. XVI ad Iaponas et Sinenses, saec. XIX ad Tibetanos vel Koreanos conantur penetrare. Neque enim exspectaverunt catholici missionarii usquedum sub protectione principum europaeorum sine maiore periculo in regiones illas possent progredi, sed soli et inermes in media pericula se iniecerunt. In ipso autem munere apostolico implendo quantum studium positum in discendis linguis, quanti labores patientissime consumpti in catechizandis rudibus vel docendis iuvenibus in scholis, et inter haec quanta victus interdum penuria, quanta pericula a gentilibus et falsis fratribus, usque ad ipsam sanguinis effusionem!

Haeretici econtra priorum saeculorum, teste Tertulliano[1], non ethnicos ad Christum convertere, sed catholicos ad suas partes trahere et sic stantes deicere, minime vero iacentes erigere studebant. Eoque modo illi etiam deinceps usque ad saec. XVII fere semper egerunt, exceptis nestorianis, qui inter Indos, Sinenses etc. videntur olim sat multos gentiles ad se traduxisse.

Solent obicere 1. saltem ex saeculo XVI valde exiguum esse missionum catholicarum successum, immo in hodiernis missionibus catholicis non plures computari conversos ex gentilibus quam 3 878 712[2]. At a) numerus ille verus non est, sed numerandi sunt[3] *α*) in *hodiernis* missionibus: in Asia 5 299 886[4]; in Australia et Oceania 170 054; in Africa 853 931; in America 998 092, universi 7 321 963. *β*) Fructus *veterum* missionum numerantur hodie: in Asia (insulis Philippinis) 6 700 000; in Africa (in insulis Capverdicis, Seychellis, Angola) 1 038 000; in America meridionali et centrali et India occidentali 14 250 000, unversi 21 988 000. Summa igitur omnium horum conversorum est 29 309 963. Deinde b) quod post suppressionem Societatis Iesu 1773 et revolutionem multae missiones perierunt, non demonstrat christianos in iis missionibus degentes non serio fuisse christianos. Postquam enim non iam mitti potuerunt sacerdotes, qui missiones illas administrarent et christianam religionem docerent, mirum non est, paulatim eas periisse. — Obiciunt 2. catholicos missionarios vi et armis convertisse gentiles et conversiones non fuisse sinceras[5]. Sic Xaverium scripsisse regi Portugalliae 20 ian. 1548, civile gubernium debere „facere“ christianos, secus omnes missionariorum labores fore vanos. Atque eodem modo etiam posteriore tempore catholicos missionarios egisse. At ex illa epistula nil aliud elicitur, quam Xaverium, ut numerosae conversiones fierent, necessarium putasse, ut influxu suo morali gubernium cum missionariis cooperaretur[6]. Deinde

---

[1] De praescr. c. 42 (ML II 57).
[2] Realenzyklopädie für protest. Theol. u. Kirche XIII[3], Leipzig 1903, 125.
[3] H. A. Krose, Kath. Missionsstatistik, Freiburg 1908, 123.
[4] Per malignum errorem h. l. est numerus 6 299 886.
[5] Warneck, Abriß einer Gesch. der protest. Missionen 469.
[6] Monumenta Xaveriana, Matriti 1899—1900, 458.

in Iaponia, China, Annam etc. civile gubernium europaeum, quod missionarios iuvare posset, nullum erat. Christianos autem illos, qui fidei negationi martyrium praetulerunt, non fuisse veros christianos, prorsus absurde dicitur.

d) *Explicantur autem facile successus hi* admirandi missionum catholicarum, si consideraveris, quos viros Ecclesia catholica ad praedicandum gentibus evangelium mittat, et quomodo hi Christi doctrinam propagare studeant.

Ipsi enim *primum* Christi religionem gentilibus praedicant et suadent viva voce, et proponentes quidem veritates singillatim et clare distinctas et definitas, easque pro auditorum necessitate declarantes et argumentis fulcientes, contrariasque rationes, quae vel ab auditoribus, vel a christianae religionis adversariis vulgo proferuntur, claro et convincente modo refutant. — *Deinde* missionarii catholici solam hominum salutem quaerentes ei procurandae se totos devovent. In longinquas enim illas regiones minime tendunt vel pecuniae acquirendae ac mercaturae faciendae, vel commodioris vitae causa, sed patriae ac familiae omnibusque vitae commoditatibus ideo solum renuntiant, ut homines Christo lucrentur, atque in hoc unum negotium curandum vires omnes facultatesque impigri, quamdiu valent, impendunt. — Nec etiam quominus ita agant, ulla re impediuntur. Nam cum omnes Deo perpetuam castitatem voverint, nullis familiae curis, nullo uxoris filiorumque amore ab impenso et puro salutis aliorum procurandae studio avocantur. — *Praeterea* hac ipsa castitate ceterisque virtutibus abstinentiae, magni rerum humanarum contemptus, ardentis ac puri in hominum salute procuranda fervoris atque impigri laboris ad maiorem Dei gloriam suscepti missionarii catholici multis certe gentilibus magnam sui admirationem iniciunt auctoritatemque sibi conciliant. Quinimmo si missionarii, ut Bonifatius et Willibrordus apud Germanos, Cyrillus et Methodius apud Slavos, Augustinus apud Anglos, Ansgarius in Dania et Suecia, ut Franciscus Xaverius († 1552), Ludovicus Bertrand († 1581), Petrus Claver († 1654) in India et America, aliique innumeri, eximiae sanctitatis sint viri, fieri non potest, quin quamplurimi gentiles christianae religionis tales tantasque inter ipsos plane insolitas virtutes procreantis excellentiam ac vim summopere admirentur et facile sibi persuadeant, eam non posse esse falsam vel mere humanam, sed esse divinam ideoque necessario amplectendam. Insuper omnibus probabile saltem videatur necesse est, tam insignis sanctimoniae viros non sine Dei auxilio in procuranda aliorum salute laborare. — *Porro,* teste historia, quamplurimi missionarii catholici a prima iam christianae religionis aetate ad haec usque tempora non solum in propaganda evangelii doctrina constanter desudantes innumeras aerumnas laeti pertulerunt, sed etiam gaudentes pro illius doctrinae veritate mortem saepe dirissimam occubuerunt[1]. Quod si fit, tum certe, si umquam alias, valet illud

[1] Sufficiat hic illos indicasse missionarios martyres, quibus sedes apostolica post medium saeculum XIX religiosi cultus honores canonizatione vel beatificatione, quae dicitur, decrevit. Canonizati igitur sunt a. 1862 missionarii 6 ex ordine S. Francisci et 3 e Societate Iesu, a. 1597 in Iaponia cruci affixi. Beatificationis vero honore ornati sunt: a. 1852 Ioan. de Britto e Societate Iesu, capite plexus 1693 in India; a. 1867 multi missionarii ex ordinibus Praedicatorum, S. Francisci, S. Augustini, Societatis Iesu, omnes ob fidem disseminatam in Iaponia diverso mortis genere ibidem initio saeculi XVII interempti. Atque hi beatificati sunt a Pio IX. A Leone

Tertulliani[1]: „Semen est sanguis christianorum." Et a talibus certe heroibus, si a quoquam, certe aliquid magni effici potest. — *Denique* si Deus missionariorum praedicationem etiam miraculis, iisque publicis et certis, confirmet, fieri non potest, quin ista praedicatio quam maximos fructus progignat. Quicumque enim miraculorum possibilitatem stulte non negat, si in religionis Deo non evidenter indignae gratiam verum miraculum patrari videt, natura duce eam religionem, utpote manifesto Dei sigillo confirmatam, divinam ideoque veram esse credit. Iam vero Deus non solum apostolorum, sed etiam missionariorum Ecclesiae romano-catholicae posterioris temporis praedicationem miraculis confirmavit, v. g. Gregorii Thaumaturgi, Bonifatii, Augustini Cantuariensis, Francisci Xaverii[2].

Ea igitur virtute et efficacia in praedicanda Christi doctrina praedita semper fuit et adhuc est Ecclesia romano-catholica, ut catholicitatis nota ei omni tempore *iure* competivisse et adhuc competere dicenda sit. Verum etiam

II. soli Ecclesiae romano-catholicae nota catholicitatis iure competit. Nam

1. cum nullus alius religiosus christianorum coetus, qui ex tempore separationis suae ab Ecclesia romano-catholica exsistit, *origine* et *missione* apostolicus sit, eorum etiam plane nullus a Christo vel munus et officium praedicandi evangelii, vel promissionem adiutorii divini accepit. Haec enim Christus in apostolis et per apostolos

---

vero XIII: a. 1889 Ioan. Gabriel Perboyre e congregatione missionis S. Vincentii a Paulo, iugulatus 1840 in China (Hupe), item 1889 Petrus Maria Aloisius Chanel e Societate Mariae, a barbaris necatus 1841 in insula Futuna (Oceania). Eodem honore aucti sunt 1893 5 ex ordine Praedicatorum, 1747 in China (Fo-kien) interempti, inter quos sunt praecipui duo episcopi: Petrus Maria Sanz et Franciscus Serrano. Hos eodem anno 1893 secuti sunt Rudolphus Aquaviva cum 4 aliis e Societate Iesu, martyrio confecti a. 1583 in India. Carmelitae missionarii 2 in insula Sumatra: Dionysius a Nativitate et Redemptus a Cruce, martyrio coronati 1638, coelitum honores adepti sunt 1900, quo eodem anno idem honor decretus est 77 martyribus Sinensibus et Tonkinensibus, inter quos missionariis accensendi sunt: ex martyribus quidem Tonkinensibus episcopi Ignatius Delgado et Dominicus Henares († 1838) cum 8 aliis, omnes ex ordine Praedicatorum, Petrus Dumoulin-Borie († 1838) cum 6 aliis ex Parisiensi Seminario missionum exterarum; ex martyribus vero Sinensibus: Ioan. Taurinus Dufresse episcopus († 1850) et Aug. Chapdelaine († 1856) ex eodem Seminario cum 4 sacerdotibus indigenis et 2 catechistis, Ioan. Franc. Regis Clet e congregatione Missionis († 1820) et Ioan. a Triora ordinis S. Francisci († 1816). Denique Pius X a. 1904 Agathangelum a Vendôme et Cassianum a Nantes O. Cap. 1638 in Abessynia occisos; a. 1906 8 martyres Tonkinenses, iterum ex ordine Praedicatorum, beatis accensuit, quorum 2 a. 1735, 2 alii 1773, 4, inter quos 2 episcopi Hieronymus Hermosilla et Valentinus Berrio-Ochoa, a. 1861 gloriose occubuerunt. Novissime (a. 1909) beatificati sunt: Franciscus Fernandez de Capillas ex ordine Praedicatorum, protomartyr Sinensis († 1648), et ex Parisiensi Seminario missionum exterarum martyres Tonkinenses: Stephanus Theodorus Cuénot episcopus († 1861) cum tribus sacerdotibus Europaeis (Néron, † 1860; Vénard, † 1861; Néel, † 1862), quibus adiungebantur indigenae 6 sacerdotes et 11 catechistae cum aliis christianis.

[1] Apol. c. 50 (ML I 535).

[2] De Augustini et Xaverii miraculis postea testimonia afferentur.

soli Ecclesiae suae dedit, minime vero iis, quos praeviderat aliquando ab hac sua Ecclesia schismate vel haeresi defecturos; hos enim doctrinam suam plus minusve depravantes et Ecclesiae suae adversarios neutiquam potuit revelationis suae velle habere praecones.

2. Tum Graeci aliique orientales, tum protestantes cum ab Ecclesia romano-catholica deficerent, pars tantum eius et ne maior quidem fuere; ergo nequeunt sibi umquam arrogare catholicitatem. Haec enim cum sit proprietas essentialis Ecclesiae Christi ac interire non magis possit quam ipsa Ecclesia, illi religiosae christianorum societati inhaerens permansit, cui antea iam iure et facto convenerat, quaeque semper sibi constitit, et iacturam ex schismaticorum et haereticorum defectione ortam novarum gentium accessione et sui diffusione multo ampliore resarcivit. Haec autem societas est Ecclesia romano-catholica.

3. Cum Ecclesia, ut probavimus, sit religiosa christianorum societas presse intellecta (cf. p. 218 sqq), singuli autem tum schismaticorum tum haereticorum, maxime protestantium, coetus *iure* talis societas esse non possint (cf. p. 909), neque eorum ulli catholicitas, utpote societatis presse intellectae et a Christo ipso fundatae proprietas essentialis, iure umquam competere potest. Prius est enim, esse veram et stricte dictam societatem, quam societatem catholicam sive universalem.

4. Coetus ab Ecclesia separati docuerunt et docent non solum plura, quae doctrinae infallibilis magisterii a Christo instituti adversa ideoque falsa sunt, sed etiam nonnulla, quae ipsi sanae rationi repugnant: cogita v. g., quae docet Calvinus de praedestinatione absoluta vel ad vitam vel ad damnationem aeternam, vel Lutherus de *servo* arbitrio, et alia similia. Quare cum tandem nemo facile admittat, quae rationi adversantur, iam ipsa haereticorum doctrina in se ea habet, quae eius propagationem impediunt. — Item tanta diversitas praedicationis minime favet protestantismi propagationi, cum tot inter eos sint coetus etiam in doctrina varii et diversi. Sane si haec varietas homini gentili comperta est, quid necesse est de harum doctrinarum varietate et veritate cogitet? Quid multum earum cognitioni studeat, cum videat earum asseclas adeo inter se dissidentes et incertos? — Porro cultus exilis ac ieiunus, quem protestantes Deo exhibent, is est, qui homines minime allicere valeat. Non enim eos allicit homines, qui magis fere sensu quam ratione ducuntur, ideoque caeremonias ac festa religiosa imprimis amant; sed nec sufficiens is videri potest etiam gentilibus cultis, cum tandem omnis homo aeque corpore, sensibus, imaginatione atque intellectu et ratione constet semperque externis incitamentis, caeremoniis, festis aliisque eiusmodi rebus plus minusve opus habeat ad internam erga Deum pietatem excitandam, nutriendam, perficiendam. Cultus autem, quo protestantium coetus plerique Deum colunt, paucissimis caeremoniis constat; atque etiam religiosa festa

protestantes paucissima habent. Unde hic cultus non admodum aptus apparet ad gentiles aliosque protestantium religioni conciliandos.

5. Religiosi christianorum coetus a romano-catholica Ecclesia seiuncti aut vix umquam aut sat sero se conscios esse manifestarunt, praedicandi evangelii inter gentiles necessitatem sibi imponi; unde non possunt esse Christi Ecclesia, ideoque nec iure possunt habere catholicitatem.

Certe *Graeci* aliique *orientales* schismatici, exceptis aliquibus conatibus Photii apud Russos et muhammetanos[1] et exceptis haereticis nestorianis, non leguntur sacras expeditiones ad gentiles Christo lucrandos suscepisse; Russi vero per longum quidem tempus romano-catholicos in ditione sua degentes et penitus derelictos variis poenis, vexationibus, persecutionibus ad defectionem ab apostolica Ecclesia propulerunt, sed ethnicos, qui intra ipsorum imperium sunt per longissimum tempus vix tentarunt ad christianam doctrinam ducere[2].

Protestantes hodie multas missiones habent, multoque magis quam olim nestoriani magno zelo iis promovendis incumbunt[3]. Sed adverte: a) *eorum ecclesiae* (paucis ut Scotica et Suecica ecclesia exceptis) *ut tales* propagationi evangelii inter gentiles vix student, sed omnes protestantium missiones institutae sunt, sustentantur, diriguntur ab illorum coetuum sociis, ut hominibus privatis. Certe Lutherus et ceteri reformatores, licet praeceptum Christi praedicandi ubique evangelii saepius explicent, numquam tamen loquuntur de evangelii nuntiis ad gentiles mittendis, neque umquam leguntur de talibus nuntiis mittendis sollicitos fuisse[4]. Protestantes vero theologi

---

[1] Cf. Hergenröther, Photius II 594 sqq.

[2] Cf. Marshall, Die christlichen Missionen. Aus dem Englischen übersetzt, II, Mainz 1863, 574 sqq. Antiquissima Russorum missio videtur esse Pekinensis, condita a Petro Magno, eo consilio ut cum Sinensi imperio amicitia necteretur. Omnium Russorum missionum maximam successum habuerunt missio in laponia, condita 1858, ex 26000 christianis constans, et missio in Alaska, 11000 christianos numerans (cf. Die kathol. Missionen XXXII, Freiburg 1903/04, 214). Multis gentibus Rossiacae ditioni subditis, ut Samoiedis, numquam annuntiatum est evangelium. Aliae donis et emolumentis civilibus concessis permotae sunt, ut baptismum susciperent, et timore poenarum in ecclesia retinentur. Cum 1905 in Russia libertas religionis concederetur, multi ex iis gentibus palam ad pristinam religionem suam paganam relapsi sunt. Cf. ib. XXXVI (1907/08) 165; cf. etiam Gagarin in Études relig., Nouv. Sér. IX, Paris 1866, 234; Theiner, Die Staatskirche Rußlands[2], Schaffhausen 1853, 322 sqq; Rattinger in Stimmen aus Maria-Laach VII (1874) 546 sqq.

[3] G. Warneck (prot.), Abriß einer Gesch. der protest. Missionen von der Reformation bis auf die Gegenwart[8], Berlin 1905.

[4] Warneck l. c. 6. — Explicans locum Mt 28, 19: „Euntes docete ..." Lutherus docet, qua ratione ex eius sententia ante finem mundi evangelium ad omnes gentes perventurum sit: „Es ist eben umb diese Botschaft der Prediget, als wenn man einen Stein ins Wasser wirft, der macht Bülgen und Kreis oder Striemen umb sich, und die Bülgen walchen sich immer fort und fort, eine treibet die andere, bis daß sie an das Ufer kommen. . . . Also gehet es auch mit der Prediget zu; sie ist durch die Aposteln angefangen, und gehet immerdar fort und wird durch die Prediger weiter getrieben, hin und her in die Welt verjaget und verfolget, wird doch immer

saec. XVI et XVII expresse docent, missionarios ad gentiles *non* esse mittendos [1]. Nam cum protestans anglicanus Adrianus Saravia a. 1590 Londinii ederet libellum „De diversis ministrorum gradibus sicut a Domino fuerunt instituti" atque in hoc libello episcopos debere esse in Ecclesia etiam ex hoc demonstraret, quod secus nemo esset, qui posset missionarios ad gentiles mittere ac sic Christi praecepto Mt 28, 18 sqq satisfacere, duo nominatissimi protestantium theologi, Th. Beza calvinianus, et Ioan. Gerhard professor Jenensis lutheranus, contra Saraviam scripserunt, et inter alia missionarios non esse mittendos demonstrare aggressi sunt. Eorum autem argumenta sunt haec: α) Apostoli evangelium iam in toto mundo praedicaverunt. Ergo si etiam hodie supersunt gentiles, sua vel progenitorum suorum culpa gentiles sunt, nec tenetur Deus iis restituere, quod semel iuste ablatum est. β) Licet apostoli mitterentur in totum mundum, tamen hodie in Ecclesia nemo missione universali ornatus est. Munus apostolicum universale fuit *personale* privilegium apostolorum; hodie pastores et praedicantes ad suam quisque tantum parochiam mittuntur. Sine vocatione autem non licet praedicare [2]. Easdem fere ratiunculas *Facultas theologica Wittembergensis,* cum interrogaretur de praecepto Christi Mt 28, 18 sq. a. 1651 in sollemni responso comiti Erhardt Truchsess (dapifero) in Wetzhausen dato exposuit. Cum vero annis 1664—1666 Iustinianus a Weltz variis libellis ad societatem missionum instituendam protestantes moneret, unus ex nominatis tunc theologis (Ursinus) vehementer contra eum scripsit, ac blasphemiae in Moysen et Aaron reum pronuntiavit, Corpus vero Evangelicorum Diaetae Ratisponensis Iustiniani libellum sibi oblatum ad acta posuit. Primi inter protestantes, qui missiones serio instituere volebant, scil. Aug. H. Francke, auctor sectae „pietistarum" qui dicebantur, et comes Zinzendorf, auctor eorum qui „Herrnhuter" (Fratres Moravi, Unitas Fratrum) nominabantur, nec erant ex orthodoxis nec ab orthodoxis propter missionarios missos laudabantur. Immo Facultas theologica Wittembergensis nominabat 1708 missionarios „falsos prophetas" [3].

Vix aliter versus finem saeculi XVIII Carey († 1834), praedicator Anglus apud sectam baptistarum, et ab Anglicana ecclesia et ab ipsis baptistis

---

weiter denen, die sie zuvor nicht gehört haben, kund gemacht" (Kirchenpostill II, n. 24: Werke XII², Frankfurt 1869, 193). Nullum ibi audis verbum de mittendis ab Ecclesia praedicatoribus, sed ii extruduntur ad gentiles persecutionibus inimicorum Ecclesiae. — Explicans, cur Lutherus non cogitaverit de missionariis gentilibus mittendis, G. Kawerau (Warum fehlte der deutschen evangelischen Kirche des 16. und 17. Jahrhunderts das volle Verständnis für den Missionsgedanken der Heiligen Schrift? Breslau 1896) hanc rationem reddit, quod Lutherus finem mundi in proximo esse putaverit. Sed hac ratione Lutherus non potest excusari: ut enim demus, legatum divinum ut hominem privatum in tali errore posse versari, certe hic error ut totam Ecclesiam per saecula in errorem inducat, efficere non debet.

[1] Warneck l. c. 19 sqq.

[2] Ita iam docuerat Lutherus. Qui postquam dixit, apostolos in omnem locum missos esse a Christo, sic pergit: „Aber darnach hat niemand mehr solchen gemeinen apostolischen Befehl, sondern ein iglicher Bischof oder Pfarrherr hat sein bestimmt Kirchspiel oder Pfarre" (Auslegung des 82. Psalms: Werke XXXIX, Erlangen 1846, 254).

[3] Warneck l. c. 58. Aliquis praedicator Hamburgi in concione demonstrabat, missiones hodie necessarias non esse, concionemque finiebat versibus: „Vor Zeiten hieß es wohl: geht hin in alle Welt; Jetzt aber: bleib allda, wohin dich Gott bestellt."

tractabatur, cum pro mittendis ad gentiles missionariis verbo et scriptis libris instaret; generatim enim theologos et superiores ecclesiasticos inimicos expertus est[1]. Unde factum est, ut ipsa ecclesia protestantica nolente et repugnante homines laici ex se sine ecclesia amplas societates missionibus promovendis instituerent. Quorum opibus et directione usque hodie missiones protestantium gubernantur et promoventur, ita tamen ut in paucis quibusdam regionibus, ut in Scotia et Suecia, ipsae etiam ecclesiae protestanticae curent evangelii propagationem apud gentiles[2]. Unde generatim illae missiones non dependunt ab ipsis ecclesiis, sed si societates illae missionum praedicare faciunt doctrinam ab ecclesiarum doctrina diversam, vel si omisso evangelio solummodo civilisationi gentilium et operibus „humanitatis" et philanthropiae incumbere volunt[3], ipsae ecclesiae ab his abusibus se et gentiles defendere nequeunt.

b) *De historia missionum protestanticarum* haec animadverte: α) Iam *tempore reformatorum* duae missiones memorantur, quae hoc nomine indignae sunt[4]. Scil. aliquis Durand de Villegaignon, qui ex catholico calvinianus factus in Brasilia a. 1555 coloniam condiderat ex calvinianis gallicis, ad Calvinum literas dedit, quibus praedicatores sibi mitti postulabat, qui etiam indigenis gentilibus evangelium praedicarent. Quid Calvinus responderit, nescimus, certum autem est, aliquos praedicatores in Brasiliam advenisse. Qui tamen, cum Villegaignon ad catholicam religionem rediisset, ex colonia sunt pulsi, ita ut missione inter indigenas non coepta redirent[5]. Praeterea rex Sueciae

---

[1] Warneck l. c. 77. — Anno 1796 in synodo generali ecclesiae Scoticae cum postularetur, ut evangelium gentilibus mitteretur, ab aliquibus responsum est, propagationem notitiae evangelii inter barbaras ac gentiles nationes omnium stultitiarum maximam esse. Necessario enim hanc praecedere debere philosophiam ac scientiam, ac quamdiu domi unicus homo in religione non instructus reperiatur, iniustum atque absurdum esse, notitiam religionis foras propagare. Veniam autem pecuniae pro missionibus colligendae si quis postularet, poenarum a legibus inflictarum eum sine dubio reum esse (ib. 102 sq).

[2] „Mit Ausnahme der Established Church of Scotland ist in keiner protestantischen *Staatskirche* von Anfang an die Mission *Kirchensache* gewesen. In Schweden hat man allerdings im Jahre 1874 neben den freien Missionen auch eine staatskirchliche begründet, die aber jene nicht absorbiert hat. Nur in einer Anzahl namentlich amerikanischer Freikirchen ist die Mission Sache der Kirche als solcher..." (Warneck l. c. 88.)

[3] Hoc aliquando fieri posse ostenditur historia. Tempore rationalismi saec. XVIII inter protestantes missiones putabantur valde superfluae, cum ex rationalistarum placitis religio sive christiana sive non christiana esset indifferens ad finem aeternum consequendum (cf. Warneck l. c. 69). Ad missionem Trankebarensem tunc mittebantur missionarii, qui Christum solummodo sapientem hominem fuisse putabant et postulabant, ut missio illa non iam convertendis gentilibus vacaret („daß die Mission als Bekehrungsanstalt aufhören solle"; ib. 325). In Hollandia aliqua societas missionum saec. XIX ne divinitatem quidem Christi agnoscebat (ib. 151).

[4] Warneck l. c. 21 sqq.

[5] Postquam advenerunt in Brasiliam illi missionarii 9 vel 10 martii 1557, iam 31 martii eiusdem anni aliquis ex illis scribit, indigenas Brasilienses esse moribus corruptissimis et atheos, „quo fit, ut prorsus sit nobis adempta spes lucrifaciendi eos Christo". Exspectandum esse, donec aliqui ex pueris colonistarum didicerint linguam indigenarum (Calvini Opera XVI [1877] 434).

Gustavus Wasa Lappones missis parochis ad lutheranam religionem convertere conatus est. Res non successit propter parochorum illorum insufficientiam. — β) *Tempore orthodoxiae protestanticae* interdum missiones institutae sunt, sed fatentibus ipsis protestantibus recentioribus fere sine fructu. Sic aliquis Heiling 1634 in Abessyniam penetravit. Hollandi, ut Indos catholicos ad reformatam religionem traherent, 1602 missionarios in Indiam miserunt. Puritani in America septentrionali ex a. 1620 de Indianis convertendis loquebantur, et post a. 1646 Eliot aliquas eorum communitates congregavit, sed mox omnes perierunt. In Anglia 1695 et 1701 societates missionum fundatae sunt, quae tamen colonistis Anglis, non vero gentilibus praedicabant. In Groenlandia H. Egede 1721 inter gentiles laborabat. Sed omnes hi vix quidquam effecerunt. — γ) A *pietistis* conditae sunt missiones in Tranquebar in India orientali 1705. Successus non erant magni, et postquam in Europa doctrina lutherana per rationalismum destructa est, etiam istae missiones miseram vitam trahebant. Similia dicenda sunt de 226 missionariorum, quos Zinzendorf in omnem terram dispergebat, successibus. — δ) *Versus finem saec. XVIII* et postea conditae sunt magnae illae societates missionum, quae hodie apud protestantes eorum missionibus praesunt. Sed etiam tunc usque ad medium saec. XIX missiones protestantium infructuosas fuisse ipsis protestantium testimoniis demonstratum est[1]. — ε) *Post a. 1870 nova periodus* missionum protestanticarum coepisse videtur. Non iam solis Bibliis distribuendis contenti sunt, sed permultas scholas fundaverunt, libellos et folia periodica edunt, medicos ad gentiles mittunt ac cum corporibus etiam animos praedicatione curare student. Maximum numerum gentilium ita ad sacra protestantica traductum narrant, a. 1903 numerabant 11 563 000 conversos gentiles, inter quos tamen sunt 7 250 000 nigritae conversi in Statibus Unitis Americae septentrionalis[2]. Sed dubitare licet valde de his numeris. Nigritae in America ad protestantismum conversi 4 milliones certe non excedunt. Quibus annumerandi sunt in aliis terrae partibus 3 216 684 conversi[3].

c) *Originem ducebat subitus zelus protestantium* pro missionibus saec. XVIII ortus non ex principiis Lutheri et reformatorum, neque ex rationibus mere religiosis et christianis, sed ex philanthropia et religione humanitatis, quam imprimis docuerat Rousseau. Finxerat animo Rousseau, initio generis humani homines procul ab omni cultura et civilizatione enervante et corrumpente in silvis suis quam maxime innocenter et pacifice vixisse, deinde cultura procedente corruptionem genus humanum invasisse. Ergo cum populi in terris missionum degentes putarentur ex hominibus talibus innocentibus et pacificis constare, subito contemptus, in quo gentiles usque tunc apud protestantes habebantur, conversus est in amorem et aestimationem. Unde ii, qui fidem in Christum retinuerant inter protestantes, ut gentilibus evangelium praedicarent movebantur[4].

---

[1] Cf. N. Wiseman, Stérilité des missions protestantes. Traduit de l'italien, Louvain 1844; Marshall, Les missions chrétiennes. Traduit de l'anglais par L. de Waziers, 2 vol., Paris 1865.

[2] Warneck in Realenzyklopädie für protest. Theol. u. Kirche XIII³, Leipzig 1903, 168. Sed in eodem hoc tomo p. 115 sqq Grundemann multo minores numeros annotat.

[3] Sic H. A. Krose, Kath. Missionsstatistik, Freiburg 1908.

[4] Etiam hodie sunt, qui missionarios habent meros culturae et civilizationis saecularis propagatores et ob talem rationem magis quam ob salutem animarum in

Ex his iam licet concludere: 1. Ecclesiae protestanticae ut tales generatim non possunt gloriari studio illo propagandi evangelii, quod ostendunt earum socii; ecclesiae enim illae ut tales generatim non student propagando evangelio nec videntur conscientiam habere, Ecclesiae Christi ut tali incumbere officium evangelizandi gentilibus. Ecclesiae igitur illae ut tales catholicitate iuris non ornantur.

2. Quod ecclesiae protestanticae per duo saecula nolebant propagationi evangelii studere et sic aperte praecepto Christi refragabant, clare ostendit, eas carere catholicitate iuris nec esse Ecclesiam Christi. Idem sequitur ex sterilitate missionum paucarum, quas usque ad medium saec. XIX instituerunt.

Nec obiciant, saltem hodie se magno cum successu vacare evangelio propagando. Nam a) de numero conversorum gentilium et de stabilitate eorum in fide protestantica retinenda tempus iudicabit. Hodie de his rebus propter brevitatem temporis, quod ab a. 1860 vel 1870 usque hodie effluxit, iudicium ferri nequit. — b) Etiamsi hodie magnae catervae gentilium a protestantibus conversae sunt, manet tamen semper verum, eorum ecclesias per duo saecula non curasse evangelii praedicationem. Atqui Ecclesia Christi non potest per tam longum tempus oblivisci praecepti Christi propagandi evangelii. Manet praeterea verum, eo tempore, quo regebantur principiis Lutheri et reformatorum ecclesiae protestantium, illas ecclesias non curasse missiones, recordatas esse praecepti Christi ad gentiles mittentis suos tunc tandem, cum principia reformatorum inciperent oblivioni tradi. — c) Etiamsi protestanticae ecclesiae latissimae propagationis fructum stabilem haberent, catholicitatis iuris nota

---

gentilibus procurandam eos adiuvant. V. g. anno 1875 vehementer animos in Anglia commovit et accendit ad missionarios in Africam mittendos epistula a Henry M. Stanley ex Africa missa. Sed audi, quid in ista epistula de missionariis dicatur. „O utinam aliquis pius et usu rerum instructus missionarius huc veniret! Quem agrum ad disseminandam civilizationem inveniret! . . . Sed non est hic necessarius, qui nihil possit nisi praedicare. . . . Paedagogus christianus experientia instructus hic desideratur, qui possit populum docere, quomodo fiat christianus, qui possit curare eorum morbos, construere domos, qui doceat eos verbo et exemplo agros colere, qui ad omnia manum admoveat. Talis homo, si possit inveniri, fieret salvator Africae. Deberet esse nulli ecclesiae vel sectae alligatus, sed profiteri Deum et eius Filium et legem moralem et vivere vitam christianam sine reprehensione, inspiratus principiis liberalibus, caritate ad omnes homines et devota fiducia in coelum“ (Henry M. Stanley, Trough the dark Continent, London 1880, 134). — Porro zelus missionum promovendarum videtur quasi quoddam commune vinculum, quo protestantes ceterum in innumeras sectas divisi aliquo modo inter se uniantur. In rebus scil. doctrinae se numquam posse inter se convenire ipsi sentiunt. Missionibus autem promovendis si instituunt festa, id quod frequenter faciunt, ex omnibus denominationibus protestantes conveniunt, ad communem finem adiuvandarum missionum dona conferunt, atque ita conscientiam alicuius unitatis inter se exsistentis fovent atque augent. Etiam mercatoribus valde utiles saepe esse missionariorum inter gentiles labores per se patet. Quamdiu enim barbari illi vix vestiti et barbaro victu ac cultu contenti pauperrimam vitam degunt, per longius tempus commercium lucrosum cum iis fieri vix potest. Postquam vero missionarii apertis scholis specie quadam civilizationis eos imbuerunt, desideria plurimarum rerum antea iis ignotarum in iis oriuntur, quas multa pecunia a mercatoribus europaeis iam emunt. Quare cur ingentes pecunias missionibus adiuvandis impendant, qui ditiores sunt inter protestantes, ex parte intelligitur. Ceterum nullo modo negamus, in multis missionariis protestanticis et missionum fautoribus vigere posse verum zelum regni Dei promovendi et gentiles adiuvandi.

tamen iis non posset convenire, cum ea nota unitatem doctrinae necessario requirat et supponat. Unitate autem doctrinae hodie protestantes magis fere quam umquam antea carent. Habent hodie societates missionum, quae v. g. lutheranam vel anglicanam doctrinam propagant[1], habent alias, quae abstrahentes ab omnibus varietatibus diversarum factionum sive, ut loquuntur, „denominationum" solum Christum vel solam Bibliam volunt praedicare[2]. Sed si alii putant omnes varietates denominationum esse indifferentes, alii econtra magni momenti eas habent, si alius lutheranismum, alius anglicanismum praedicat, manifesto unitas doctrinae deficit. Deinde etiam S. Scriptura cum manifesto non doceat indifferentismum dogmaticum, qui eum docet, S. Scripturae repugnat. Et ad quam vagam doctrinam confugendum est, si abstrahendum est ab omnibus, de quo christiani inter se non conveniunt![3] Sic enim abstrahendum erit a doctrina de valore baptismi, de praesentia Christi in Eucharistia, de ipsa persona Christi Domini, de infinitis aliis. Quodsi ab omnibus abstraxeris, quid remanebit?

Verum igitur est, catholicitatis notam nulli religioso christianorum coetui ab Ecclesia romano-catholica separato iure competere.

Probatur thesis pars II: catholicitatis nota Ecclesiae romano-catholicae, eique soli, etiam facto competit.

1. Hoc patet ex numero sociorum huius Ecclesiae comparato cum numero asseclarum aliorum coetuum. Numerus enim sociorum Ecclesiae romano-catholicae maior est multitudine asseclarum cuiuscumque christianorum coetus ab ipsa separati. Numerantur enim in toto terrarum orbe, ut computant Krose[4] et Zeller[5]:

	(Sec. Krose)	(Sec. Zeller)
Catholici	264 505 922	254 500 000
Protestantes	166 627 109	165 830 000
Graeci orthodoxi . . .	109 147 272	106 480 000
Raskolniki	2 173 371	—
Schismatici orientales . .	6 554 913	—
alii	—	8 130 000
Christiani	549 008 587	534 940 000[6]

[1] Warneck l. c. 97 102 139 141. [2] Ibid. 126 128 134 137 158.

[3] Ut unicum exemplum ponamus, a. 1887 orta est in America societas missionis, quae se nominat Christian and Missionary Alliance. Haec proclamat quadruplex evangelium redemptionis, sanctificationis, sanationis, secundi adventus, et omnes congregare vult in societatem fraternam, quae complectatur „magnum numerum christianorum sanctificatorum in variis ecclesiis evangelicis, qui credunt Dominum Iesum esse eum qui redimit, sanctificat, sanat, venit" (Warneck l. c. 128). Ergo in Christum Filium Dei vivi non videtur necessarium ut credas. Et illa redemptio, sanctificatio etc. quid est? [4] Stimmen aus Maria-Laach LXV (1903) 204.

[5] Allgem. Missionszeitschrift XXX, Berlin 1903, 3 sqq 67 sqq.

[6] Praeterea hodie numerantur:

Iudaei	11 036 607	Confutianistae . . .	235 000 000
Mohammedani . . .	202 048 240	Taoistae	32 000 000
Brahmanes	210 100 000	Shintoistae	17 000 000
Alii cultus Indici . .	12 113 756	Fetishistae etc. . .	144 700 000
Buddhistae	120 250 000	alii	2 844 482

Unde vides nullam ex omnibus omnino religionibus catholicam Ecclesiam numero asseclarum superare. De buddhistarum numero iam supra egimus (vol. I, p. 913).

Numerus romano-catholicorum valde probabiliter maior est quam 264 505 922, cum hic numerus is sit, qui in computationibus a superioribus civilibus vel ecclesiasticis institutis inveniatur, eorum autem, qui in his documentis omissi sint, numerum probabili coniectura assequi vix possimus. In solis Statibus Unitis Americae septentrionalis probabiliter plures milliones omissae sunt[1]. Vix igitur errabis, si ineunte saeculo XX numerum catholicorum aestimes fuisse 270 milliones.

Nec opponere licet, multos esse catholicos vix iam hoc nomine dignos; nam hi non evaserunt vel gentiles vel protestantes, sed plus minusve increduli, eorumque plerique saltem externo aliquo modo ad Ecclesiam romano-catholicam pertinent. Ceterum si hac ratione in alios christianorum coetus inquirere vellemus, quam innumeri forent de ipsorum numero detrahendi! Sane quam relative valde pauci sunt adhuc vere lutherani, sive primitivae iique integrae veterum lutheranorum doctrinae adhaerentes, cum eorum in Borussia v. g. vix 30 000 amplius numerentur! Atque idem dicendum est de Calvini et Zwinglii aliorumque asseclis. Quam innumerabilis vero est inter protestantes eorum multitudo, qui rationalistae, pantheistae, materialistae sunt! Insuper cum inter protestantes quam plurimi coetus sint et fide et regimine diversi, deest illis omnino unitas fidei, et hinc catholicitatis nota prorsus carent. Et quod maius etiam est, innumeri protestantibus annumerari solent, qui ne baptizati quidem sunt. Constat enim ac notum est, iam a longiore tempore in Anglia et Germania, uti v. g. Berolini, Hamburgi et alibi plurimorum protestantium infantes non iam baptizari, atque etiam in Dania liberum esse parentibus, utrum infantes suos baptizari velint necne. Item ex multorum relationibus constat, in America septentrionali vix aut ne vix quidem dimidiam partem eorum, qui protestantes dicuntur, aut baptizatam aut saltem alicui religioso christianorum coetui aggregatam esse. Ergo si protestantismus non sola religionis christianae negatione, sed in doctrinae christianae etiam minimae professione consistere dicatur, numerus eius asseclarum supra circiter indicatus in immensum diminuendus est. Atque nonnulla ex parte idem pariter de Graecorum et maxime Russorum coetibus valet, cum in confesso sit, etiam inter hos multos esse, qui suae quam dicunt ecclesiae doctrinae ac fidei haud amplius fideles adhaereant. Accedit, quod inter Russos schismaticos variae sunt sectae, eaeque plurimae, scil. circiter 200. Et generatim omnibus schismaticis aeque atque haereticis deest verum a Christo institutum unitatis principium.

Atque hac sua catholicitate Ecclesiam romano-catholicam ante protestantismum et ante Graecorum defectionem etiam semper gavisam esse pariter certum est, cum nullus alius umquam antea exhiberi possit religiosus christianorum coetus, qui multitudine suorum fidelium numerum sociorum Ecclesiae romano-catholicae attigerit.

2. Romano-catholicae Ecclesiae, ipsique soli, catholicitatem simultaneam moralem semper *facto* competivisse et adhuc competere, patet etiam *ex eius per cognitum terrarum orbem diffusione*[2].

---

[1] Ita Krose l. c. 205.

[2] Cf. Karl Streit, Kathol. Missionsatlas, Steyl 1906.

Nam nostra aetate Ecclesia haec in plerisque totius terrae partibus exsistit; numerat enim filios plures paucioresve etiam in omnibus Europae regionibus, in quibus vel protestantismus vel Russorum et Graecorum schisma dominatur; multum diffusa pariter est per universam paene Americam et insulas Oceaniae; exsistit in quamplurimis Africae partibus, maxime mari adiacentibus, et etiam in insulis Madagascar aliisque plerisque ad Africam pertinentibus; necnon in omnibus ferme provinciis imperii Turcarum, item totius Indiae, Sinae ac regni Siamensis, Tonkinensis, Cochinensis, Birmanensis; in Perside, Mesopotamia, Corea, Iaponia et plerisque insulis Asiae. Exceptis igitur interioris Africae et Australiae quibusdam partibus, et muhammetanorum nonnullis regionibus, Ecclesia romano-catholica ubique terrarum exsistit, ideoque catholicitate simultanea morali praedita dicenda est, eaque non solum absoluta, sed etiam relativa. Haec enim diffusio nulli alteri christianorum religioso coetui competit. Id manifestum est de Russorum et Graecorum aliorumque orientalium schismaticorum coetibus; sed neque ullus protestantium coetus, immo ne omnes quidem protestantium coetus simul sumpti tanta diffusione gaudent. Praeterea catholici, cum in unam eandemque doctrinam omnes consentiant, unam eandemque societatem efficiunt, protestantes vero in tot sectas diversas prorsus doctrinas profitentes dissecti, unam societatem minime efficiunt, sed nomine collectivo protestantium multae societates comprehenduntur. Quapropter si societas cum societate comparanda est, recte non agis, si 270 millionibus catholicorum opponas 166 milliones protestantium, ac si hae 166 milliones in eandem doctrinam consentiant atque unam eandemque societatem constituant. Sed opponendi sunt numero catholicorum numerus lutheranorum, numerus calvinianorum, numerus anglicanorum, presbyterianorum etc. Quod praesertim tunc valet, si de anquirenda vera Christi doctrina et Ecclesia agitur. Tunc enim non potest inquiri, utrum protestantismus sit vera doctrina et Ecclesia Christi, nam hic plurimas doctrinas diversas et coetus in se complectitur, sed debet id inquiri de coetu lutheranorum, calvinianorum, anglicanorum etc. Omnes illi coetus enim sunt diversi et inter se oppositi.

Verum non modo ex eo tempore, quo alterum orbis terrarum hemisphaerium cognitum est, sed etiam antea semper catholicitas diffusionis Ecclesiae romano-catholicae *facto* convenit. Ut enim supra p. 438 ostendimus, de Ecclesiae universalitate quaeri tantum potest ratione orbis terrarum iam *cogniti;* et tametsi Ecclesia romano-catholica saec. XV in sola Europa dominabatur, ubique tamen gentium orbis cogniti filios obsequentes habuit. Certe „inter nestorianos in Chaldaea, inter eutychianos seu monophysitas in Aegypto et Armenia; ubique inter islamitas, in Indicis plagis, ut taceam de aliis regionibus occidentalibus et septentrionalibus, plures quovis tempore Christi in terris vicario obsecuti sunt et obsequuntur eandemque cum ipso fidem et

communionem professi sunt et profitentur“ [1]. Atque idem dicendum est de diffusione Ecclesiae romano-catholicae inter Graecos ab ipsa schismate disiunctos. Antequam autem hoc Graecorum schisma locum habuit, Ecclesia romano-catholica manifesto universalitate gaudebat non solum relativa, ita ut quamcumque sectam et numero sociorum et extensione longe superaret, sed etiam sufficienti absoluta simultanea morali, cum in longe maiore parte orbis terrarum tunc temporis cogniti filios haberet.

Atque id valet etiam de ipso *arianorum* et eusebianorum tempore. Tametsi enim ariani sat numerosi et late diffusi erant, numerosiores tamen et magis diffusos eos fuisse quam orthodoxos Ecclesiae romano-catholicae alumnos ostendi neutiquam potest. Nam primum occidentales longe maxima ex parte semper fidei ecclesiae Romanae adhaesisse patet ex synodo habita Romae a. 341, Mediolani a. 345 et alia a. 347 Romae vel Mediolani [2], necnon etiam ex synodo Biterris a. 356 celebrata, in qua numerosi episcopi Galli catholicam doctrinam duce S. Hilario Pict. probabant [3], et ex ipso concilio Ariminensi a. 359 congregato, cui plus quam 400 episcopi ex variis occidentis provinciis, nominatim ex Italia, Africa, Hispania, Gallia, Britannia et ex Illyrico, interfuerunt, et ex quibus tantum 80 arianae doctrinae favebant. Et quamdiu hoc concilium liberum erat, rectam fidem Nicaenam strenue propugnabat semperque tenendam docebat. Postea utique tum vi et vexationibus compulsi, tum rectae fidei simulatione ab arianis delusi, damnato tamen Ario totaque eius doctrina et appositis additamentis, quibus Christum Deum, Dei filium ante saecula genitum, aeternum cum Patre et de Deo Patre eique similem profitebantur, episcopi subscripserunt tandem fidei formulae, quae *ipsis* quidem videbatur rectam doctrinam continere, revera tamen, maxime propter additamentum, quo dicebatur, *Filium Dei non esse creaturam, ut sunt creaturae ceterae,* arianis favebat. Episcopi igitur illi plurimi Nicaenam fidem animis retinentes, minime *voluerunt* adhaerere haeresi arianae, sed tantum fidei formulae, quae catholicum sensum habere poterat, pacis causa subscripsere, putantes, eam etiam sensu catholico ab arianis intelligi, qui reconciliationem, pacis amorem ac rectam fidem simulantes eam proposuerant. Unde ipsi vicisse sibi videbantur [4]. Verum cum ariani mox victoriam canentes et Nicaenam fidem damnatam esse conclamantes declararent, quid ipsi illa fidei formula proprie voluerint, episcopis illis omnibus manifestum fiebat, sensum eorum fuisse haereticum, seque ab illis misero dolo fuisse deceptos. Ac tum utique, ut ait Hieronymus [5], „ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est“. Non enim is ex animo arianus erat, sed cum formula, quam probarat, falso explicaretur, arianum se publicari et audire obstupuit. Quare etiam mox imperatore Constantio mortuo, ex exsilio redeuntem laetabunda excepit et Athanasium Aegyptus et Hilarium Gallia et Eusebium Vercellensem Italia, et ut Hieronymus scribit [6], „concurrebant episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia haeretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, et quidquid in Ec-

[1] Perrone, Tract. de locis theol. P. 1, c. 3, prop. 2, diffic. 4 adv. not. cathol. n. 287.

[2] Cf. de his synodis Hefele, Konziliengesch. I² 499 637 sqq.

[3] Cf. ib. 665. [4] Cf. ib. 701 sqq.

[5] Dial. adv. Lucif. n. 19 (ML XXIII 172). [6] Ibid. p. 173.

clesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati, sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quae brevitatis studio praetereo, flentes asserebant: parati et subscriptionem pristinam, et omnes arianorum blasphemias condemnare“ [1]. Necnon S. Athanasius, oculatus istius rei testis et eruditione ac sanctitate clarus, fidem Nicaenam dicit [2] suffragio suo comprobare universas totius orbis ecclesias (πᾶσαι αἱ πανταχοῦ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι) „nempe Hispaniae, Britanniae, Galliae, totius Italiae, Dalmatiae, Daciae, Mysiae, Macedoniae, Graeciaeque et Africae universae, necnon Sardiniae, Cypri, Cretae, Pamphyliae, Lyciae, Isauriae, Aegypti, Libyae, Ponti, Cappadociae, vicinas quoque nobis necnon orientis ecclesias, *paucis* exceptis, qui Arii haeresim sequuntur“.

Occidentales fidei ecclesiae Romanae fideles adhaesisse manifestum etiam est ex synodo a. 360 aut 361 Lutetiae Parisiorum habita, in qua Galliarum episcopi epistula synodica ad orientales data fidem Nicaenam professi sunt [3]. Et non solum episcopos ita sensisse, sed etiam longe maximam populi occidentalis partem, liquet ex eo, quod, ut Hieronymus ait [4], Nicaenae fidei clarissimum propugnatorem „Hilarium de praelio revertentem Galliarum ecclesia complexa est“, atque „ad reditum Eusebii [Vercellensis] lugubres vestes Italia mutavit“; et ex eo, quod post concilium Ariminense secundum Hieronymum *totus orbis ingemuit* seque Arianum esse *miratus est*, quodque episcopos Nicaenae fidei defensores populus, uti v. g. Mediolani atque alibi in dissitis etiam provinciis, magno studio prosequebatur [5], et denique tum ex testimonio Athanasii de occidentalibus dicentis [6], populos per singulas ecclesias quam didicerant fidem retinuisse, ac Christo adversariam haeresim, quam coacti externe receperant, animo velut serpentem aversatos esse, tum ex verbis S. Hilarii dicentis [7]: „Sanctiores aures plebis quam corda sunt sacerdotum.“ Deinde etiam in oriente quam plurimos etiam diu post concilium Nicaenum fuisse semper et ubique fere Ecclesiae romano-catholicae filios fideles et ab arianis abhorrentes, compluribus argumentis constat. Nam huius rei testis est tum orthodoxum *concilium Sardicense* circiter a. 343 celebratum, in quo praeter episcopos ex omni paene occidente erant multi ex Aegypto, Creta, Arabia et Palaestina, tum Athanasius, qui testatur [8], iis quae in concilio Sardicensi decreta fuerant, suffragatos esse plus quam 300 episcopos, ergo ultra 200 praeter 94 illos, qui in synodo illa praesentes affuisse videntur [9], et ex pluribus aliis quidem orientalis imperii provinciis quam quas modo nominavimus, ut ex Libya, Pamphylia et aliis. Et ut Athanasius loco laudato refert, iam antea prope 100 episcopi Aegypti sibi, maximo Nicaenae fidei

---

[1] Multa alia testimonia vide apud Thomassinum, Dissert. in concilia, Lucae 1728, diss. 5, n. 1—12, p. 70 sqq.

[2] Ep. ad Iovinian. n. 2 (MG XXVI 815 sq).

[3] Harduin I 727 sqq; Mansi III 357 sq.

[4] Dial. adv. Lucif. n. 19 (ML XXIII 173).

[5] Cf. Hefele, Konziliengesch. I² 656 sqq; Athanas., Hist. arian. ad monach. c. 33 34 (MG XXV 731 sqq).

[6] Ibid. c. 41 (ib. 742). [7] C. Auxent. n. 6 (ML X 613).

[8] Apol. c. arian. c. 1 (ib. 249). [9] Cf. Hefele l. c. 539 sqq.

propugnatori, assenserant. Necnon S. Basilius eo tempore florens, quo arianorum secta quam maxime invaluerat, provocabat adversus eos ad argumentum ex catholicitate petitum, haec fidelibus scribens [1]: „State in fide: circumspicite orbem terrarum et videte exiguam (μικρόν) esse hanc partem, quae morbo laborat (μέρος τὸ νενοσηκός); reliquam autem Ecclesiam, quae a terminis usque ad terminos (ἀπὸ περάτων εἰς πέρατα) evangelium suscepit, in sana hac versari et incorrupta doctrina (ἐπὶ τῆς ὑγιοῦς ἐστι ταύτης καὶ ἀδιαστρόφου διδασκαλίας)." Idem confirmatur fortitudine, qua populus arianis arianos episcopos obtrudentibus restitit Constantinopoli post mortem Eusebii Nicomediensis [2], Antiochiae post Eustathium expulsum [3], aliisque in locis, maxime vero Alexandriae [4]; uti etiam ingenti laetitia, qua Athanasius ab Alexandrinis et, ut Gregorius Nazianzenus ait [5], a toto fere Aegypto post primum, et rursus post secundum exsilium receptus est. Confirmatur idem respectu Aegypti ingenti monachorum multitudine, qui istius provinciae deserta incolebant, quosque Athanasius ut strenuos fidei Nicaenae fautores ac defensores impense fovebat. Accedit, quod in synodo Seleuciae in Isauria a. 359 circiter a 160 episcopis celebrata, ut Athanasius [6] et Socrates [7] testantur, longe maior pars episcoporum integram concilii Nicaeni doctrinam recipiebat, sola voce *consubstantialis* (ὁμοούσιος) excepta, eo quod ipsis. falso utique, ea videretur errori Sabellii favere, secundum quem ὁ λόγος non esset persona a Deo Patre distincta. Semiarianis enim sive eusebianis multi episcopi accensebantur, qui a fide Nicaena nullatenus recedere volebant, sed tantum vocem ὁμοούσιος propter allatam rationem reprehendebant [8]. Atque ipsi eusebiani in concilio Antiocheno a. 341 in encaeniis celebrato congregati *illo tempore*, postquam orthodoxum fidei symbolum ediderunt et errores a concilio Nicaeno damnatos et ipsi reiecerunt, a *plerisque* habebantur legitimi episcopi, ita ut ipse R. Pontifex Iulius eos saepius dilectos fratres appellarit [9], et episcopi plane orthodoxi, ut Dianius Caesariensis, cum iis synodo interesset [10]. Et ut ex epistula synodica Athanasii, qui Tomus nominatur, manifestum est [11], quam

---

[1] Ep. 251, n. 4 (MG XXXII 938). [2] Cf. Hefele l. c. 530 sqq.
[3] Cf. Möhler, Athanasius II 5. [4] Cf. ib. 143 sqq.
[5] Orat. 21, c. 27 29 (MG XXXV 1113 1115).
[6] De synod. c. 12 (MG XXVI 701). [7] H. E. 2, 39.
[8] Scribit certe Hefele (Konziliengesch. I² 666): „Um so zahlreicher und mächtiger war dagegen das Lager der Eusebianer geworden, welches alle jene umfaßte, die aus irgend einem Grunde dem nicänischen ὁμοούσιος abhold waren und Bedenken gegen Athanasius trugen. In dieser Gesellschaft konnte man orthodoxe Bischöfe finden, welche einerseits dem nicänischen Glauben von Herzen anhingen, anderseits aber auch der tausendmal wiederholten Lüge der Eusebianer glaubten, als ob unter der Firma des ὁμοούσιος gar manche Sabellianer sich in die Reihen der Nicäner eingeschlichen hätten. Die Begebenheiten mit Marzell von Ancyra und seinem Schüler Photin bestärkten sie in diesem Verdachte, und da die theologische Schule die Distinktion zwischen Hypostasis und Usia noch nicht gehörig fixiert hatte, so konnte der Ausdruck Homousie leichtlich im Sinne der *Personal*-Einheit aufgefaßt, also in der Tat für antitrinitarisch gehalten werden. Ob solcher Befürchtungen und Mißverständnisse hielten sich selbst heilige Bischöfe, wie Maximin und Cyrill von Jerusalem, längere Zeit zur semiarianischen Sekte."
[9] Apud Athanas., Apol. c. arian. c. 21 25 26 30 35 (MG XXV 282 sqq).
[10] Cf. Hefele l. c. 512.
[11] C. 5 sqq (MG XXVI 802); cf. Möhler, Athanasius II 82 sqq.

plurimi tunc temporis existimabant haereticos eos, qui a Nicaena fide nullatenus defecerant, sed tantum verbis a sese differebant. Neutiquam igitur stricto sensu accipiendum est, quod vel Hieronymus dicit[1], arianorum et eunomianorum haeresim, excepto Athanasio et Paulino, totum orientem possedisse, vel Hilarius Pict. affirmat[2], neminem fuisse intra decem provincias Asiae, qui Deum cognosceret, praeter episcopum Eleusium et paucos cum eo, praesertim cum ad haec ipsa Hilarii verba respondens S. Augustinus scripserit[3]: „Quis nescit, illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent, hoc credi ab arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse et simulate consensisse?“ cumque addiderit non defuisse, qui fidei causa exsularent et in toto terrarum orbe latitarent, Hilarium ergo decem provinciarum Asiae aut zizania, non triticum, arguisse, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitaretur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum putasse. Denique quamprimum semiarianorum secta imperatorum vi iam non protegebatur, mox eorum plerique ad Ecclesiae romano-catholicae fidem et communionem redierunt[4].

Ergo etiam arianorum tempore Ecclesia romano-catholica nota catholicitatis non carebat, cum ubique etiam in oriente multi essent eius filii[5]. Priore autem aetate, etiam apostolica, Ecclesiam illam pariter, quantum fieri potuit, vere catholicam fuisse, de catholicitate ut Ecclesiae proprietate agentes iam probavimus.

Ipsa igitur, et sola quidem, tum *iure* tum *facto* semper catholica fuit et adhuc est. Quod insuper confirmatur unanimi populorum consensu, cum Ecclesiae catholicae nomen ab iis omnibus, etiam inimicis, et in monumentis quidem publicis, in legum latione, in particularibus cum R. Pontifice pactis quae vulgo Concordata vocantur, in libris et monumentis *soli romano-catholicae* Ecclesiae tribuatur. Omnium igitur iudicio huic Ecclesiae eique soli catholicitatis nota competit.

Coroll. Ex iis, quae de apostolicitate et catholicitate tum ut proprietate tum ut nota Ecclesiae diximus, evidens est, appellationem Ecclesiae Christi ut *romano-catholicae* esse solam veram ideoque rectam et iustissimam, cum ea nihil significet quam quod prorsus verum est, omnes scil. particulares ecclesias, ut Ecclesiae Christi sint vera membra, debere cum Romanae ecclesiae episcopo, Petri in primatu successore, ut totius Ecclesiae fundamento, centro ac capite necessario esse coniunctas[6].

---

[1] C. Ioan. Hieros. c. 4 (ML XXIII 358).

[2] De synodis c. 27, n. 63 (ML X 522).

[3] Ep. 93, n. 31 32 (ML XXXIII 337).

[4] Cf. Hefele l. c. 727 736 sqq.

[5] Plura de hac re vide apud Thomassinum, Dissert. 5, n. 13—18.

[6] Unde patet, quam a vero aberret irvingianus E. Rothe (Wo ist die Eine, heilige, katholische und apostolische Kirche? 2), dum haec scribit: „Das möchten wir vorläufig bemerken, daß römisch-katholisch schon einen Widerspruch in sich selbst enthält; denn wer römisch ist, kann nicht katholisch, und wer katholisch ist, nicht römisch sein.“ Eadem quae Rothe contra vocem „romano-catholicae“ profert Michelis, Der häretische Charakter der Infallibilitätslehre, Hannover 1872, 5.

§ 25.

Applicatio notae sanctitatis.

Thesis XXI.

Ecclesiae romano-catholicae denique etiam tota sanctitatis nota competit.

Quid sit sanctitas, iam supra p. 455 exposuimus.

Probatur thesis: Ecclesia Romana catholica

I. manifeste pollet sanctitate *originis et institutionis.* Est enim, ut monstravimus, origine apostolica, ergo Ecclesia illa a Christo instituta et per apostolos fundata, ideoque ratione huius institutionis atque originis plane sancta. Hinc

II. ipsa necessario est etiam sancta ratione *sui auctoris,* cum is sit Christus ipse, ut Deus sanctissimus fons et exemplar omnis sanctitatis, et ut homo incomparabili morum sanctitate insignis.

III. Quare evidens est, istam Ecclesiam ratione *essentiae* omnino sanctam esse. Est enim opus Christi, aedificium illud spirituale, quod sanctissimus religionis christianae auctor ad eam conservandam ipse exstruxit.

IV. Sancta est Ecclesia romano-catholica ratione *regiminis* sui et *magisterii,* ideoque etiam *doctrinae* et *fidei.* Et

1. quidem sancta est respectu regiminis et magisterii. Nam, ut iam demonstravimus, ab initio fuit semperque est *apostolica,* habet ergo habuitque semper regimen et magisterium a Christo ipso institutum, ideoque legitimam successionem ac missionem; ratione igitur *ipsius muneris* regendi et docendi semper fuit semperque manet eminenti modo sancta, ideoque verissimum de toto eius regimine et magisterio sacro est in perpetuum, quod Leo M. de Petri primatu dixit[1]: „Cuius dignitas etiam in indigno herede non deficit", sicut neque dignissimo et vere sancto herede in se illa dignitas augetur.

Ceterum qui supremo Ecclesiae magisterio funguntur, quacumque tandem ratione sunt ut homines morati, ut Ecclesiae magistri, si definitivo et infallibili modo de christiana doctrina iudicant, eatenus sunt sancti, quod sancto suo munere sancte funguntur veramque Christi doctrinam tradunt. — Quinimmo Ecclesiae romano-catholicae rectores maximam saltem partem vel sancti vel certe probi et virtutis studiosi fuerunt. Et vero quod ad R. Pontifices attinet, in longa ipsorum serie plus quam 250 pontificibus constante, ex iudicio eorum historicorum protestantium, qui vere historici et veritatis studiosi sunt, vix decem reperiuntur, quorum vita gravioribus vitiis maculata fuerit; sed quod notandum, horum plerique non libera et legitima electione, verum vel principum Tusciae vel tyrannorum Romae et ingruentium factionum opera, ut saeculo maxime X et XI accidit, ad Petri cathedram evecti sunt; et ex his

[1] Serm. 3, c. 4 (ML LIV 147).

ipsis valde pauci, postquam R. Pontifices constituti sunt, vitam priorem male actam continuarunt. Tantum etiam abest, ut eorum regimine recta Ecclesiae fides detrimentum passa sit, ut in Ecclesiae utilitatem ii singuli plura effecerint. Quare si non R. Pontifices, sed civiles principes fuissent, procul dubio bonis reipublicae rectoribus annumerarentur[1]. Sancti contra Pontifices Romani ab Ecclesia et ab illorum Pontificum successoribus declarati sunt et habentur, minimum 60—70, quamquam ii, qui aliis in munere succedunt, experientia teste, generatim non maximi suorum decessorum laudatores esse solent. Atque in horum vel sanctorum vel beatorum indicem nondum relati sunt Pontifices illi singulari virtute immortales Pius VI et Pius VII aliique multi et scientia et magna vitae puritate insignes. Ubi iam, quaeso, similes principum vel magistratuum civilium vel superiorum aliorum coetuum christianorum series ostendi potest, quae tam paucos male moratos ac tot egregie sanctos contineat? Num forte anglicanorum primates, reges atque reginae, vel Russorum imperatores ac protestantium Germaniae, Daniae, Sueciae principes et reges simili vitae puritate ac virtutum studio praestiterunt? Quinimmo num Henricus VIII, rex ille Angliae libidinosissimus atque crudelissimus, ecclesiastico primatu dignior fuit, quam qui Pontificum Romanorum omnium pessimus tot saeculorum longa aetate umquam fuit? Et liceat interrogare, si R. Pontificum censores ipsi ut Ecclesiae primates omnium oculis in illo pontificio solio constituti expositi essent: num omnino puri ac sancti invenirentur?

Idem porro, quod de R. Pontificibus diximus, servata debita proportione, habita scil. eorum multitudinis ratione, etiam de Ecclesiae romano-catholicae *episcopis* affirmandum est. Fuerunt utique inter eos iam multi mali, sed

[1] Solent protestantes, cum iis obicitur, Lutherum et reformatores minime sanctos fuisse, respondere, etiam de Summis Pontificibus quibusdam idem valere. At, ut ad haec respondeamus cum auctore libri „Kirche oder Protestantismus?“ (Mainz 1883, 136): 1. Catholici hoc etiam semper ingenue et cum dolore fassi sunt, neque umquam eis in mentem venit, his Summis Pontificibus statuas erigere vel in eorum honorem festa agere. 2. Hi Summi Pontifices, licet in vita sua privata variis peccatis maculati fuerint, tamen cum munere suo rectorum Ecclesiae fungerentur, numquam doctrinam vel legem bonis moribus contrariam docuerunt, vel hominibus imposuerunt. Reformatores vero doctrinas proposuerunt bonis moribus adversantes. 3. Sicut in iudicibus vel sacerdotibus distinguenda est dignitas et sublimitas muneris a malitia vel sanctitate eius, qui eo munere ornatus est, ita etiam in Summis Pontificibus eadem distinctio adhiberi debet. Nam si in iudice dignitas muneris non laeditur malitia eius, qui hoc munere fungitur, cur pereat dignitas summi pontificatus in malo Pontifice? Idem vero de reformatore religioso dici non potest. Eius munus enim extraordinarium est, ad quod Deum vocare homines malos improbabilissimum est neque ullo profecto exemplo demonstrari potest. Malitia moralis reformatoris igitur redundat in eius munus, ipsumque a Deo missum non esse satis clare ostendit. Malitia moralis Summi Pontificis, cum extraordinarius legatus Dei non sit, in eius munus non redundat. 4. Numerus Summorum Pontificum, qui propter malos mores vituperari debent, valde exiguus est, peccata, quae iis obiciuntur, plerumque ante summum pontificatum adeptum commiserunt, haecque a malevolis historicis interdum in immensum exaggerata sunt. Vel de ipso Alexandro VI hoc valet, cui v. g. incestum cum filia sua Lucretia affingere non erubuerunt aliqui (contra quos vide L. Pastor, Gesch. der Päpste III[4], Freiburg 1899, 476). 5. Si totam seriem Summorum Pontificum tibi ante oculos ponas, paucorum peccata longe maioris partis virtutibus quasi teguntur, ut vix appareant.

multo maior bonorum atque quam maxime illustrium numerus est. Quis enim, ut paucos nominem, nesciat SS. Cyprianum, Augustinum, Ambrosium, Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum et Nazianzenum, magnumque Athanasium? Quis non recentiorum temporum lumina suspiciat S. Carolum Borromaeum, Franciscum Salesium, Alphonsum de Liguorio? Sane quos vitae sanctimonia similes viros ecclesiasticos alii religiosi christianorum coetus protulerunt? — Atque eadem laus tribuenda esset etiam presbyteris, si, id quod hoc loco non iuvat, in ipsorum vitam inquireremus. Valuit certe ac porro omni tempore valet de Ecclesia romano-catholica, quod sua aetate Augustinus scripsit[1]: „Quam multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos et cuiuscemodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et maiore praedicatione dignior videtur, quo difficilius est, eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare! Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus praesunt."

Sed haec sufficiant, cum tandem qui Ecclesiae romano-catholicae rectores mali fuerunt, non huius Ecclesiae, sed sua ipsius culpa pro malo libertatis suae usu a sanctae et illibatae vitae studio defecerint, cumque sola essentialis *ipsius muneris* regendi ac docendi sanctitas eadem semper maneat sibique constet, etiamsi, qui eo munere funguntur, ipsi sancti non sint.

2. Sancta est Ecclesia romano-catholica etiam ratione doctrinae ac fidei. Hoc enim constat ex eo, quod in hac Ecclesia, ut monstravimus, exsistit institutum a Christo perenne atque infallibile magisterium, quod universam revelationis divinae doctrinam integram ac puram retinet et tradit, atque falsi quicquam non solum numquam docere, sed nec etiam admittere potest, ita ut eius praesidio et approbatione falsa atque perversa doctrina doceatur. Ex hac enim infallibilis magisterii exsistentia certum est, Ecclesiam credendum fide explicita vel implicita omnibus semper proposuisse atque proponere id omne et solum, quod Deus vere revelaverit, neque doctrinam a Christo acceptam umquam vere immutari permisisse, sed potius omnes mendacii atque erroris magistros procul a se abegisse. Et vero quot iam doctrinarum monstra gnosticorum, pelagianorum aliorumque innumerabilium haereticorum infallibilis iudicii gladio confodit atque peremit! Sane sine hoc ipsius praesidio et custodia Christi doctrina in terrarum orbe iamdudum dissipata evanuisset, eiusque locum omnis generis errores horrendaque morum corruptela occupassent.

Ex infallibilis magisterii in Ecclesia romano-catholica exsistentia certissimum pariter est, nullam doctrinam, quae originem ex divina revelatione sibi ascribat, esse posse, quam ista Ecclesia aut non diserte doceat, aut certe, si illa doctrina non sit vera, reiciat; certumque eodem modo est, nullam eius doctrinam sive dogmaticam sive moralem esse et demonstrari posse adversam vel sanae rationi vel

[1] De moribus Eccl. 1, 32, 69 (ML XXXII 1339).

morum sanctitati, sed, utpote puram et integram Christi Dei-hominis doctrinam, esse plane veram et sanctam, ad omnem sanctitatem efficiendam quam maxime aptam et efficacem. Atque sane istius Ecclesiae theologi tum dogmatici, praesertim scholastici, tum historici, id de singulis Ecclesiae romano-catholicae doctrinis et dogmaticis et moralibus iamdudum data opera demonstrarunt.

Quam bene Ecclesia romano-catholica homines mutua ipsorum officia doceat, S. Augustinus, eam affectuose alloquens, ita descripsit[1]: „Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem, casta et fideli oboedientia subicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate quam officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini, consideratione placabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces, ostendens, quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria."

Ceterum id etiam inde non minimum confirmatur, quod adversarii, ut Ecclesiae romano-catholicae doctrinas aliqua victoriae spe oppugnare valeant, prius rectum atque germanum earundem sensum plerumque negligentes, perversum omnino ei supponunt.

Ita certe notum est, protestantes saepissime opposuisse, catholicos eodem quo Deum cultu latreutico sanctos adorare, quamquam Ecclesia romano-catholica hunc errorem numquam docuit, sed in conciliis, catechismis, per theologiae professores ac sacri verbi praecones ubique et semper contrarium tradit, nullaque ratione permittit, ut beati in coelis a fidelibus vere ac proprie adorentur, sed tantum ut pio amoris et reverentiae affectu honorentur[2]. — Eadem etiam ratione protestantes insimulant Ecclesiae romano-catholicae doctrinam de utilitate indulgentiae, sive remissionis poenae temporalis post peccatorum remissionem residuae, poenitenti sub certis conditionibus factae a R. Pontifice et episcopis. Falsissimum enim est, eam ab Ecclesia umquam pretio venditam esse, cum id semper severe prohibuerit, uti v. g. in concilii Tridentini sess. 25 decreto de Indulgentia.

Eo autem quod Leo X tamquam conditionem lucrandae indulgentiae plenariae statuit, ut aliquid pecuniae daretur ad aedificandum in honorem S. Petri apostolorum principis magnificum templum Vaticanum, non magis illa indulgentia vendita est, quam alii Pontifices Romani indulgentias vendiderunt statuendo, ut aliquid pecuniae nosocomiis vel pauperibus daretur. Utramque

[1] Ibid. 1, 30, 63 (ib. 1336).

[2] Cf. Denzinger-Bannwart n. 342 984; Catech. Rom. P. 3, c. 29, n. 8 sqq.

enim largitionem si exegerunt, pecunia illa eleemosyna tantum erat, nullatenus vero pretium, quo indulgentia emeretur. Si qui tamen hac in re fuerint olim abusus, eorum causa non fuit ipsa Ecclesia eos severe damnans, sed perversa hominun singulorum cupiditas [1]. — Haec autem de indulgentiis doctrina libertati peccandi adeo non favet, ut manifesto ei repugnet. Ut enim secundum Ecclesiae romano-catholicae doctrinam, quae fidelibus saepe explicari solet, quisquam ullam indulgentiam lucrari possit, requiritur omnino, ut sit purus ab omni peccato gravi, ergo vel nullum eiusmodi peccatum eousque commiserit, vel, si commisit, sincera confessione et vera poenitentia ab illo sese prorsus purgaverit; atque ut indulgentiam plenariam homo plene consequatur, insuper requiritur, ut ne minimum quidem liberum affectum erga ullum vel levissimum peccatum admittat eo tempore, quo illam lucrari vult. Qui igitur lucrandarum indulgentiarum vere studiosi sunt, a peccatis committendis quam maxime abstinent, et vitam ab omni graviore saltem peccato liberam ducere summa ope nituntur. Quare haec de indulgentiis doctrina praeclarum subsidium est, quo Ecclesia romano-catholica fideles ad vitae christianae puritatem perducere efficaci modo potest; et vere, experientia teste. innumeri iam occasione iubilaei sive lucrandae indulgentiae plenariae a vita quam maxime turpi ad meliorem frugem redierunt.

Nec etiam alia, quae protestantes contra sanctitatem doctrinae Ecclesiae romano-catholicae opponunt, quidquam probant. Scil.

a) *quod multi dixerunt,* ex concilii Constantiensis doctrina fidem haereticis datam servandam non esse, verum non est.

Affert quidem Gieseler [2] ut hanc sententiam concilio illi ascribat, hoc illius decretum [3]: „Praesens sancta synodus ex quovis salvo conductu, per imperatorem, reges et alios saeculi principes haereticis, vel de haeresi diffamatis, putantes eosdem sic a suis erroribus revocare, quocumque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei catholicae, vel iurisdictioni ecclesiasticae praeiudicium generari, vel impedimentum praestari posse seu debere, declarat, quominus, dicto salvo conductu non obstante, liceat iudici competenti et ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, et alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos

[1] De Tetzelii circa indulgentias doctrina confer, quae accurate disputat Nik. Paulus, Joh. Tetzel, der Ablaßprediger, Mainz 1899, 114 sqq. Negari non potest, Tetzelium, ut *defunctorum* piorum animis prosint indulgentiae, nihil aliud requirere, quam ut opus meritorium pro indulgentia lucranda a Summo Pontifice praescriptum ponatur. Quia enim hae animae sunt in statu gratiae neque ullum impedimentum indulgentiae ponunt, multi theologi ad indulgentiam tali animae applicandam putabant sufficere, ut opus illud meritorium praestetur ab alio, licet hic alius non sit in statu gratiae. Horum opinionem, licet ei non omnes theologi assentiant, Tetzelius in praedicando secutus est, insuper illud addens, opere meritorio posito infallibiliter et statim animam, pro qua illud applicatur, ex purgatorio liberari. Quod pariter incertum est. Nullo vero modo est verum, id quod multi protestantes usque hodie affirmant, Tetzelium cuilibet vivo pro pecunia indulgentias vendidisse. Solis enim confessis et contritis indulgentias prodesse diserte affirmavit. Pauperes praeterea nulla eleemosyna tributa, solis precibus indulgentias poterant lucrari.

[2] Lehrbuch der Kirchengesch. II 4, 418. Ultima decreti verba: „nec sic ... obligatum“ Gieseler omittit.

[3] Sess. 19 (Harduin VIII 462 E; Mansi XXVII 799 B).

errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint iudicii, alias non venturi, nec sic promittentem, *cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo mansisse obligatum.*" Iam vero hoc decreto nullatenus indicatur, datam haereticis fidem servandam non esse, sed haec duo tantum statuuntur: *primum* Ecclesiae iurisdictionem ratione causae omnino ecclesiasticae, qualis fuit tunc causa haeresis Husii, prorsus liberam nulliusque alterius imperio obnoxiam esse, eius igitur exercitationem a civili potestate nec generatim nec speciatim concessione syngraphi, sive, ut concilium loquitur, salvi conductus iure impediri posse, quasi propter syngraphum legitimo iudici ecclesiastico non liceret in rei causam inquirere, eumque haeresis convictum ecclesiasticis censuris punire; *alterum*, principem, qui salvum conductum promiserit, debere id omne, quod sine laesione iurium alterius ad illum praestandum valeat efficere, reapse efficere, eumque tunc tantum, cum omnia, quae iure potuerit, effecerit, debito suo penitus solutum haberi posse. Manifesto igitur hoc decreto non declaratur, haereticis fidem habendam non esse, sed *contrarium* affirmatur, cum alioquin principes non ad ea omnia, quae promiserint, haereticis praestanda obligarentur[1].

Affert Gieseler ad sententiam suam confirmandam aliud insuper decretum, quod in recentioribus quidem concilii Constantiensi editionibus ad finem sess. 18 refertur[2], quodque haec pro hac nostra quaestione praecipue notanda continet: „cum tamen dictus Ioannes Hus fidem orthodoxam pertinaciter impugnans, se ab omni conductu et privilegio reddiderit alienum, nec aliqua sibi fides aut promissio de iure naturali, divino vel humano fuerit in praeiudicium catholicae fidei observanda". At hoc decretum certo atque manifesto non est concilii Constantiensis[3]. Nam *primum* alioquin concilium illud dicendum esset aperte et eodem quidem paene tempore contra se ipsum locutum esse, cum allata duo decreta manifesto inter se pugnent. Hoc enim decreto negatur, regem syngrapho dato ad ullam rem praestandam obligari, quia Hus is non sit, cui salvus conductus praestari possit, ideoque Sigismundum nullo prorsus iure ad promissum datum ipsi praestandum astringi. Decreto contra prius allato regis obligatio ad praestandam syngrapho datam fidem omnino comprobatur. Quis iam sibi persuadeat, concilium tot tantisque sapientissimis viris constans, aliaque decreta sua magna circumspectione, prudentia, verborum delectu consignans, de una eademque re et eodem ferme tempore duo inter se pugnantia decreta edidisse? *Deinde* huic decreto nullae appositae leguntur subscriptiones nullaque approbatio praesidis concilii et praelatorum, quae tamen aliis decretis et etiam illi priori a nobis allato apponi solebant; hoc igitur decretum videtur, ut etiam Hefele censet[4], pro-

---

[1] Decretum hoc totum bene defendit Nat. Alexander, H. E. saec. XV, diss. 7 (XVIII 402 sqq). Et Hefele (Konziliengesch. VII 227) de eo ait: „Ich wüßte nicht, was man hiergegen auf dem Standpunkt jener Zeit Gründliches vorbringen könnte."

[2] Harduin VIII 454 A; Labbe XVI 291; Mansi XXVII 791 C.

[3] Cf. Histor.-polit. Blätter IV 422.

[4] Konziliengesch. VII 228. — Hoc etiam invitus concedere videtur, qui secus Husio multum favet, concilium vero Constantiense mendaciis contra eum usum esse affirmat K. Müller in Historische Vierteljahrsschrift I, Leipzig 1898, 72, ubi dicit: „Schon deshalb [ob regis scil. Sigismundi reverentiam] hat das Konzil wahrscheinlich einen Antrag abgelehnt, wonach festgestellt werden sollte, daß man einem

babiliter ab aliquo in synodo propositum, sed ab ea nullatenus approbatum fuisse. *Denique* hoc decretum prorsus incognitum fuit, antequam protestans de Hardt illud Vindobonae in libro manuscripto, qui ab ipso Codex Dorrianus appellatus est, invenit, et prorsus arbitrario inter acta sess. 19 concilii Constantiensis in lucem edidit [1], cum in libro illo manuscripto nec tempus, quo conceptum, nec ordo, in quo ponendum sit, ulla ratione indicatum fuerit. Iam vero si synodus Constantiensis illud tam gravis momenti decretum revera tam sollemni modo ratum habuisset, minime sane intelligeretur, qui tamdiu ita latere et incognitum manere potuisset, ut eo nemo nec approbans nec improbans umquam usus sit, idque ab ipso concilio Basileensi in actionibus suis cum Husii asseclis ne verbo quidem memoretur. Scil. si illud decretum a concilio Constantiensi revera factum fuisset, ab husitis imprimis eius abrogatio petenda fuisset, cum alioquin quaecumque synodus Basileensis illis promisit, nihil valuissent. De eiusmodi autem husitarum petitione in concilii Basileensis actis prorsus nihil legitur. Itaque decretum hoc synodo Constantiensi nullatenus ascribi potest, totaque Ecclesiae romano-catholicae accusatio in se corruit.

b) *Pariter tantum abest,* ut Ecclesia romano-catholica sacerdotum arbitrio permittat, iuramenta aliasque obligationes remittere atque solvere, quibus de aliorum hominum iuribus agitur, ut *ea omnia sancte servanda doceat,* ut videre est in quocumque libro doctrinam moralem tractante et a catholico conscripto. Nec obligationes, quibus solutis nullius hominis ius violatur, sed quae Deum solum respiciunt, pro lubitu sacerdotum, sed prout postulat poenitentium salus, a praesulibus Ecclesiae tamquam Dei ministris eiusque voluntatis legitimis interpretibus nonnumquam relaxantur, aut cum aliis commutantur, tunc scil., quando aliquis aut temere iureiurando vel voto sese obstrinxit, aut propter rerum adiuncta obligationi susceptae satisfacere iam non potest. Quae sane solutio divinae bonitati bonisque moribus minime inconveniens videtur, et cum a vicaria Dei auctoritate facta sit, profecto minimum multo iustior et rectior dicenda est, quam si quis voto obstrictus suo ipsius se arbitrio ab illo liberare tentaret, quemadmodum Lutherus, Zwinglius aliique quam plurimi ab Ecclesia romano-catholica deficientes fecerunt et adhuc faciunt.

Quod porro in Decretalibus dicitur [2]: „Non iuramenta, sed periuria potius dicenda sunt, quae contra utilitatem ecclesiasticam attentantur", si vero sensu intelligatur, rectae morum disciplinae pariter nullatenus adversatur. Hoc enim

---

Ketzer das Wort nicht halten dürfe (vgl. Hefele 227 gegen Gieseler), und einen andern angenommen. Er lautet: ‚Die gegenwärtige heilige Synode . . .' (sequitur decretum supra positum 23 iunii 1415). Effert quidem Müller l. c., Ferdinandum regem Aragoniae ad Sigismundum regem Constantiam scripsisse, fidem servandum non esse ei, qui Deo fidem fregisset, atque in ipso concilio similia dicta haberi. Sed quidquid de hac re est, non curamus. Non enim defendimus omnia eorum dicta, qui umquam in concilio sederunt vel ad concilia scripserunt, sed Ecclesiam catholicam et ea quae in conciliis sunt *definita.* — De fide Husio fracta Constantiae scripsit quidam in Hallische Beiträge zur Geschichtsforschung, herausg. von Th. Lindner, Heft 5 (1894). Sed cum ipse Müller l. c. 52 absurde eum argumentari ac documentorum textum, si ad eius ideas non quadret, truncare ostendat, huic libello refutando supersedemus.

[1] Tom. IV rerum magni concilii Constantiensis, Francofurti et Lipsiae 1699, 522.

[2] C. Sicut 27 de iureiurando (II, 24).

loco „agitur de iuramento, sede vacante, a canonicis communi veluti consilio praestito, quo episcopi futuri iuribus praeiudicium inferebatur. Huiusmodi iuramenta in Ecclesiae damnum cessura reprobat merito Pontifex, et valere negat. Illud autem commune est omnibus ethicae sanioris patronis, quod iuramenta et promissiones de rebus illicitis vi careant.“ [1]

c) *Item sanctitati doctrinae* Ecclesiae romano-catholicae neutiquam obest *secunda pars canonis 17 concilii Toletani I* anno 400 celebrati, quae sic habet[2]: „Qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur.“ Nomine enim concubinae hic non intelligitur puella non maritali affectu, sed solius luxuriae causa ascita, sed vera uxor, viri tamen nobilitate propter vitae conditionem ex iuris Romani formula non digna ideoque minore etiam sollemnitate ducta, quaeque secundum ius civile Romanum rursus dimitti poterat. Secundum enim istud ius Romanum concubinatus habebatur quodcumque coniugium ab iis contractum, qui status ratione inter sese multum differebant[3], quale erat prioribus temporibus connubium inter patricios et plebeios, aut inter civem et libertinam. Post latas vero leges Canuleiam, Iuliam et Papiam Pappaeam (a. 11 p. Chr.) istius duplicis generis matrimonia legitima censebantur et omnia matrimonii iura obtinebant, ita ut in posterum concubinatus haberetur solum connubium primum senatoris eiusque filii cum libertina (aut eius filiae cum libertino), deinde civis cum scenica aut generatim cum puella, quae artem sordidam reputatam exercebat, denique patroni cum liberta, necnon liberi cum serva et servi cum libera. Simile porro connubium iam a tempore Callisti Pontificis Romani († 222) in Ecclesia verum ac legitimum habebatur[4].

d) *Doctrinam Ecclesiae romano-catholicae sanctam* non esse minime demonstrant aliquot theologorum, qui doctrinam moralem tractarunt, *sententiae nonnullae aut nimia lenitate aut nimio rigore peccantes.* Nam manifeste quae aliqui aut etiam complures theologi tradiderunt, toti Ecclesiae non sunt ascribenda, et eo minus quidem, quod, excepto solo S. Alphonso de Liguorio, nullius eorum doctrinam moralem diserte vel negative tantum approbavit, nonnullorum contra sententias nimium aut laxas aut rigidas damnavit. Ceterum „animadvertendum, iansenistarum fraude effectum, ut plures ad sanctam Sedem deferrentur propositiones damnandae, quas nullus ex theologis revera propugnarat“ [5]. Insuper quamvis prima moralis doctrinae principia sint clarissima et simplicissima, quilibet tamen rei peritus scit, si agatur de principiis illis ad res particulares applicandis, rem interdum valde obscuram fieri, ita ut difficillimum sit, quid licitum, quid illicitum sit definire. Quapropter mirum non est, in his rebus tractandis hodie etiam plures plus minusve diversas et probabiles sententias a theologis quam maxime religiosis et accuratis tradi; ideoque etiam illud adeo mirandum non est, eas non omnes ab illis, qui ex theologis primi eas tractarunt, recte omnino ac rite esse solutas. Accedit,

---

[1] Kenrick, Tract. 2, de Eccl. c. 9, n. 247, p. 163 sqq.

[2] Harduin I 992 B; Mansi III 1001 B.

[3] Hefele, Konziliengesch. II[2] 79; cf. Walter, Gesch. des röm. Rechts[2] P. 2, § 506, p. 133 sqq.

[4] Hippol., Philosophumena 9, 12 (MG XVI 338); cf. Döllinger, Hippolytus und Kallistus 158 sqq.

[5] Kenrick l. c. n. 243.

quod qui theologos catholicos laxioris doctrinae moralis accusare solent, ii fere sunt, qui hac ipsa sua accusatione se ipsos male moratos demonstrant, cum aut calumniantur, quae non intelligunt, aut mendaciis et fallaciis adversariorum suorum doctrinas pervertunt [1].

e) *Denique iure dici nequit,* praesules Ecclesiae romano-catholicae favere doctrinae persecutionis propter religiosam fidem iniustae, ideoque eam doctrinam non sanctam, sed sanguinolentam esse. Imprimis enim

α) Ecclesia semper docuit, neminem ad *suscipiendam* certam religionem, ergo *nullum gentilem vel iudaeum ad suscipiendam fidem catholicam vi esse cogendum.*

Certe Tertullianus gentilibus christianos iniuste persequentibus obicit haec [2]: „Humani iuris et naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere, nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi." Pariter Lactantius gentilibus dicit [3]: „Nos non expetimus, ut Deum nostrum, qui est omnium, velit nolit, colat aliquis invitus, nec si non coluerit, irascimur. Confidimus enim maiestati eius, qui tam contemptum sui possit ulcisci, quam etiam servorum suorum labores et iniurias." Et Hilarius Pict. ad Constantium imperatorem arianum haec [4]: „Intelligit, inquit, singularis et admirabilis sapientia tua, non decere, non oportere cogi et compelli invitos et repugnantes, ut se his subiciant et addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinae doctrinae corrupta semina aspergere." Et paulo post Hilarius ibidem haec addit [5]: „Deus cognitionem sui docuit potius, quam exegit, et operationum coelestium admiratione praeceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istiusmodi vis adhiberetur, episcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque: Deus universitatis est Dominus, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. . . . Nostra potius, non sua causa venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare." Item Chrysostomus affirmat [6]: „Neque enim fas est christianis necessitate ac violentia errorem subvertere, sed suadela, sermone et mansuetudine hominum salus curanda est." Alibi ait [7]: „Non potes facere signa, et sic persuadere? Quibus potes, persuade humanitate, patrocinio, mansuetudine, blanditiis aliis omnibus." Isidorus Pelus. scribit [8]: „Quoniam eos, qui ita conditi sunt, ut arbitrii libertatem habeant, invitos et repugnantes ad pietatem trahere nec honestum est nec videtur: idcirco da operam, ut suasione, ubi occasio se offert, adhibita, per tuam vitam ac mores eos, qui in tenebris degunt, illumines." Etiam Augustinus respectu donatistarum dicit [9]: „Scit Deus . . . neque me id agere, ut ad communionem catholicam quisquam cogatur invitus, sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, et per nostrum ministerium, Deo iuvante, manifestata se amplectendam atque sectandam satis ipsa persuadeat." Denique Concilium Tolet. IV a. 633 ha-

---

[1] Id egregie ostendit Ketteler, Die Angriffe gegen Gurys Moraltheologie in der „Mainzer Zeitung und der Zweiten Kammer zu Darmstadt", Mainz 1869.

[2] Ad Scapul. c. 2 (ML I 699). [3] Div. Instit. l. 5, c. 21 (ML VI 620).

[4] L. 1, n. 2 (ML X 557). [5] N. 6 (ib. 561).

[6] Liber in S. Babylam contra Iulian. et gentiles n. 3 (MG L 537): *Οὐδὲ γὰρ θέμις χριστιανοῖς ἀνάγκῃ καὶ βίᾳ καταστρέφειν τὴν πλάνην, ἀλλὰ καὶ πειθοῖ καὶ λόγῳ καὶ προσηνείᾳ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἐργάζεσθαι σωτηρίαν.*

[7] Hom. 18 in Act. apost. n. 4 (MG LX 147): *Οὐ δύνασαι ποιῆσαι σημεῖα καὶ πεῖσαι; οἷς ἔχεις πεῖσον· φιλανθρωπίᾳ, προστασίᾳ, ἡμερότητι, κολακείᾳ, τοῖς ἄλλοις ἅπασι.*

[8] Ep. l. 3, ep. 363 (MG LXXVIII 1016): *Ἐπειδὴ τὸ βιάζεσθαι καὶ ἕλκειν πρὸς εὐσέβειαν τοὺς αὐτεξουσίους γεγονότας, εὐτρεπὲς οὔτ' ἐστὶν, οὔτε δοκεῖ· τῷ πείθειν οὖ καιρός ἐστι χρησάμενος φώτιζε τῷ σαυτῷ βίῳ τοὺς ἐν σκότῳ διατρίβοντας.*

[9] Ep. 34 (ML XXXIII 132).

bitum vim iudaeis, ut christianam fidem amplecterentur, a Sisebuto Hispaniarum rege illatam ita improbat[1]: „De iudaeis autem hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre . . .: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. . . . Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi."

Quam quidem doctrinam Ecclesia romano-catholica ipsa etiam postea ad nostram usque aetatem semper tenuit et secuta est[2]. Certe Clemens III a. 1190 dixit[3]: „Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes iudaeos ad baptismum venire compellat." Et in decreto Gratiani legitur[4]: „De iudaeis autem praecepit sancta synodus [Toletana modo laudata], nemini deinceps vim ad credendum inferre. . . . Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi." Item Thomas Aquinas docuit[5], infideles, qui fidem nondum susceperint, iudaeos scil. et gentiles, nullo modo esse ad fidem compellendos; sed utique infideles, qui a fide catholica semel suscepta rursus defecerint, haereticos scil. et apostatas, esse cogendos, ut quod promiserint, adimpleant. Eius verba sunt haec: „Respondeo dicendum, quod infidelium quidam sunt, qui numquam susceperunt fidem, sicut gentiles et iudaei; et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis est; sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent non quidem, ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne fidem Christi impediant. Alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur, sicut haeretici et quicumque apostatae; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, et teneant, quod semel susceperunt", quia, ut paulo post[6] ait, „accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis", scil. non solum propter salutem aeternam, sed etiam propterea, quod illi vi ultrici Ecclesiae subiecti sint ita, ut ad fidem susceptam non deserendam poenis cogi possint. Item conc. Trid. declarat[7], Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Et ut ex posterioribus theologis unum tantum nominem, Gregorius de Valentia scribit[8]: „Certum est, infideles eos, qui neque Ecclesiae neque christianis principibus subiecti sunt, non posse compelli ad eum finem, ut fidem suscipiant. Nam in tales nullam plane potestatem habet Ecclesia aut christiani principes. . . . Ergo non possunt ab Ecclesia vel a christianis principibus ulla vi adigi ad officium suscipiendae fidei."[9]

Utique primi christiani imperatores imperii Romani ac maxime Theodosius M. eiusque filii multis legibus falsorum numinum cultum severe prohibuerunt plurimaque eorum templa vel dirimi vel christianis attribui iusserunt, hacque ratione causa fuerunt, cur multi gentilium religionem christianam amplecterentur[10]. Verum etiam est, in oriente et Africa monachos et episcopos saepius ad istam idololatriae

---

[1] Cap. 57 (Harduin III 590 C; Mansi X 633 A).
[2] Cf. etiam Hergenröther, Katholische Kirche und christlicher Staat 554.
[3] C. 9, de iudaeis (V, 6). [4] Can. 5, dist. 45.
[5] S. th. 2, 2, q. 10, a. 8 in corp. [6] Ibid. ad 3. [7] Sess. 14, c. 2.
[8] Disp. 1, de fide q. 10, punct. 6 (Commentarii theol. III. Ingolst. 1595, 526).
[9] Ecclesiam tamen et principes christianos posse cogere infideles sibi respectu rerum temporalium subiectos ad *audiendam* fidei christianae praedicationem, plerique theologi iure docent. Cf. De Lugo, De fide disp. 19, sect. 2, § 1, n. 63 sqq.
[10] Cf. Sozom., H. E. 7, 20 et Aug., Ep. 93, c. 8, n. 26 (ML XXXIII 334), ubi dicit: „Pagani . . . nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores christiani imperatores tulerunt; et tamen ex iis multa correcti et ad Deum vivum verumque conversi sunt et cotidie convertuntur."

destructionem templorum et simulacrorum eversione operam contulisse. Ita, ut alia[1] praeteream, Patribus concilii Carthag. V placuit[2], ab imperatoribus peti, „ut reliquiae idololatriae non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omnimode deleantur". — Sed *primum* cum illis presbyteris et episcopis, et iure quidem, persuasum esset, gentilium religionem esse falsam eiusque cultum divinum multis in templis esse plane impurum ipsosque idolorum cultores ad aeternam vitam ac felicitatem pervenire non posse, illud egerunt studio per se profecto minime malo, cum et res sua natura neutiquam mala, et consilium, quo eam agebant, in se bonum ac laudabile esset. *Deinde* etiam Patres Africani ad idololatriae reliquiarum destructionem petendam ab ipsis gentilibus quodammodo provocati sunt. Illo enim tempore gentiles ad suos in idololatria facilius retinendos iactaverant oraculum graecis versibus conceptum, quo praedicebatur futurum, ut in fine anni 365 post Christi mortem, ergo circiter anno 398 post eius nativitatem, christiana religio prorsus exstirparetur ac periret[3]. „Ut ergo vanitas et stultitia ethnicorum, falsitas oraculorum gentilium toti mundo innotesceret, atque adeo ipsi radicitus evellerentur, qui christianam religionem exstinctam exoptabant, per deputatam ad comitatum legationem petierunt, reliquias idololatriae exstirpari."[4] Quam quidem petitionem aequam esse iudicantes, imperatores Arcadius et Honorius idololatriam externam penitus deleri iusserunt. *Denique* tametsi cultus publici falsorum numinum abrogatione multi certe gentiles christianis se adiunxerunt, eorum tamen nullus ad Christi religionem amplectendam vi compulsus est, quemadmodum antea ethnici christianos ad defectionem a sua religione omnis generis tormentis ac mortibus cogere voluerant; sed poterant illi remanere gentiles occulti, vel in regiones, in quibus publicus idolorum cultus vigebat, emigrare, vel etiam, ut nostra aetate, proh dolor! quam plurimi faciunt, omnis religionis negligentes fieri. Quare illorum temporum gentiles imperii Romani nullatenus ab ipsa Ecclesia ad christiana sacra amplectenda coacti vere dici possunt. — Quidam etiam haeretici, ut ariani, et postea populi nonnulli gentiles, ut Saxones aliique ab imperatoribus et regibus catholicis iusto bello devicti, partim etiam vi ad religionem catholicam amplectendam compulsi sunt, id quod maxime tamen propter regnorum securitatem fiebat, quae perpetuis illorum vel invasionibus ac bellis, vel turbis et catholicorum vexationibus turbabantur. Verum nec etiam hi imperatores vi sola aut saltem praecipue usi sunt ad illos catholicos reddendos, sed simul etiam, et maxime quidem, pacifico Ecclesiae ministerio ac praedicatione. Quod autem saeculo XVI et initio XVII aliqui episcopi Germani, qui simul etiam imperii principes erant, secundum principum protestantium axioma: „Cuius regio, illius est etiam religio" pariter agebant et protestantes in ditione sua degentes etiam vi eatenus ad Ecclesiam romano-catholicam reducere studebant, ut, qui exposita ipsis per aliquod tempus doctrina catholica, protestantes manere nihilominus vellent, exsilio multarentur, ipsis certe a protestantibus vitio verti nequit, utpote qui, id quod notum est, secundum illud axioma ubique erga catholicos vel immo protestantes alterius confessionis multo etiam durius egerunt. Cogita v. g. populum Palatinatus ad Rhenum siti, qui principum suorum iussu intra breve tempus *ter* religionem protestanticam mutare coactus est.

β) *Quod ad Ecclesiae romano-catholicae agendi rationem erga illos attinet,* quos *haereticos* vel *schismaticos* habuit, *primum* notanda sunt haec. Ecclesia haec existimat, se esse solam veram, simulque docet, quemcumque hominem veritatem generatim spectatam et speciatim christianam ab ipsa traditam amplecti et sequi debere. Unde iure concludit, et extra ipsam ordinario modo aeternam salutem non posse acquiri, et suum gravissimum officium esse, ut

---

[1] E. Lasaulx, Der Untergang des Hellenismus, München 1854, 100 102 116 sqq.
[2] C. 15 (Harduin I 988 E; Mansi III 971 D).
[3] Aug., De civ. Dei 18, 53, 2 (ML XL 617).
[4] Binius in nota ad c. 15 conc. Carthag. V (Mansi III 972 C).

tum haereticos et schismaticos, quos, tametsi rebelles, semper tamen ut *filios suos* legitimo baptismo sibi soli genitos habet, pro viribus ad se rectamque salutis aeternae consequendae viam reducat, tum fideles suos ab haeretica corruptione et ab adversariorum hostili aggressione, quantum potest, defendat tutosque atque securos reddat. Quae sane conclusiones eae sunt, quas nullus christianus vere prudens probare non potest, cum eae ex ipsa verae Christi Ecclesiae natura necessario consequantur, atque unusquisque homo sententias suas defendere et aliis persuadere studeat. — *Deinde* Christi Ecclesia, ut p. 50 sqq monstravimus, a Christo accepit potestatem veram ac sibi propriam non solum leges de rebus religionis christianae ferendi, sed etiam earum transgressores puniendi; ideoque etiam Ecclesia romano-catholica hanc sibi potestatem ab ipsis primordiis suis semper attribuit, et ita quidem, ut etiam, id quod omnibus compertum et ex disciplina ecclesiastica respectu poenitentium abunde constat, poenas corporales, ut ieiunia variasque graves humiliationes fidelibus suis, qui gravia et publice nota peccata commiserant, infligeret. — *Denique* cum Ecclesia Christi sit societas perfecta et a civili potestate per se nullatenus pendens, haecque societas sit reapse Ecclesia romano-catholica, ut ex thesibus iam probatis de eius apostolicitate, unitate et catholicitate evidens est, ipsi necesse omnino est competere ius puniendi etiam poenis corporalibus auctores criminum, quae contra veram fidei ac morum doctrinam committuntur. Eiusmodi autem crimina sunt imprimis haeresis et schisma; ergo eorum auctores et asseclas, praesertim si alios fideles a vera fide seducere et ad partes suas trahere studeant, severe puniendi iure ac potestate Ecclesia romano-catholica omni tempore pollet.

Modus porro licitus, quo Ecclesia illo gravissimo officio et fideles ab haeresis contagione liberos servandi atque haereticorum vim repellendi, et simul filios rebelles pro viribus sibi rursus conciliandi, recte fungatur simulque puniendi potestate rite ac fructuose utatur, varius esse potest, et vero pro temporum locorumque varietate aliisque multis rerum adiunctis etiam esse debet. Certe ubi suprema civilis auctoritas ab ipsa plane aliena est, aut ea in aliquo regno non sola, sed alii insuper ab ipsa separati christianorum coetus per leges exsistunt atque asseclarum et numero et conditione praevalent, manifestum est, eam nec posse se suosque tueri, nec haereticos et schismaticos sibi reconciliare aliis quam mere spiritualibus subsidiis, poenas vero corporales vix alias peccatoribus eam infligere posse, quam quibus primis temporibus sub imperatoribus Romanis gravia peccata puniebat. Et de eiusmodi Ecclesiae statu omni tempore valet, quod Lactantius dixit[1]: „Defendenda religio est non occidendo, sed moriendo, non saevitia, sed patientia. . . . Nihil est enim tam voluntarium quam religio.“ Si contra vera Christi Ecclesia in aliquo regno, aut, ut olim, in magna orbis terrarum parte *sola* exsistat, si principes populique pro officio sint ei devoti et de ipsius veritate ac simul ad salutem aeternam necessitate omnino certi, si integritatem unitatemque fidei tamquam summum bonum et tamquam supremam ipsius quoque rei publicae legem habent, ita ut haeresis et schismatis rei publici etiam maiestatis rei declarentur, pariter evidens est, non solum secundum Ecclesiae ius, sed etiam secundum eiusmodi leges fieri omnino posse atque debere, ut, si opus sit, praeter excommunicationem etiam alia subsidia aliae-

[1] Div. Instit. l. 5, c. 20 (ML VI 616).

que poenae adhibeantur tum ad fidei unitatem integram servandam omnesque eius corruptores tamquam lupos ab Ecclesiae grege arcendos, tum ad haereticos nondum legitima exsistentia fruentes, sed potius tumultuantes et fidelium iura conculcantes plane reprimendos, eosque aut ad Ecclesiae unitatem reducendos, aut, si pervicaces et rebelles usque permaneant, e regno pellendos. Ab eiusmodi enim principibus ac populis recte quaecumque temporalia mala multo minora quam malum haeresis aut schismatis iudicantur. Patet etiam, Ecclesiae tum praesules, tum populos ac reges eiusmodi temporibus contra haereticos et schismaticos necessario mitius severiusque agere pro indolis suae varietate, pro temporum conditione, pro adversariorum doctrina ac moribus aliisque rerum adiunctis, multaque etiam pro humana infirmitate proque variis variorum hominum cupiditatibus fieri posse, quae minime sint laudanda, quaeque ab ipsa Ecclesia neutiquam approbantur, ideoque illi imputari nequeunt. — Eiusmodi porro Ecclesiae romano-catholicae tempus primum fuit sub imperatore Constantino Magno, qui periculosos Ecclesiae haereticos exsilio aliisque poenis, non tamen mortis supplicio, quominus nocerent, impedivit. Ita autem Constantinus M. egit hac duplici motus ratione, quod ut primarius Ecclesiae filius et simul protector, sive, ut ipse dixit, ἐπίσκοπος τῶν ἔξω sui muneris esse iudicabat, Ecclesiam ab hostibus defendere et perturbatorum exsilio sui ipsius regni ordinem et securitatem conservare, utpote quae contentionibus de religiosis veritatibus semper plus minusve turbetur[1]. Atque eadem fuit agendi cum haereticis ratio Theodosii Magni, ut patet ex ipsius codice iuris[2], Valentiniani III et aliquorum nonnullorum eius successorum antecessorum suorum exemplum sequentium[3], maxime vero medio quod vocatur aevo principum ac populorum Europae.

Et hanc quidem agendi rationem iam antiquitus celeberrimos Ecclesiae romano-catholicae Patres approbasse mirum non est, cum et de solius Ecclesiae suae veritate certi essent, et hac ratione scirent, posse tum fideles a corruptione haeretica melius defendi atque haereticorum multos ad veritatem viamque salutis aeternae reduci. „Multi enim", inquit Bellarminus[4], „quos impunitas faciebat torpentes, supplicia proposita excitant, ut cogitent, qualis sit haeresis, quam sequuntur, et videant, ne forte vitam praesentem misere finiant, et ad futuram beatitudinem non perveniant." Insuper compertum habebant, eadem immo multo duriore ratione arianos cum catholicis egisse,

[1] Hefele, Der Kardinal Ximenes 258. [2] L. 16, tit. 5, de haereticis.

[3] „Man muß", scribit Hergenröther (Kath. Kirche und christl. Staat 546) „die immense Bedeutung kennen, welche das römische Rechtsbuch erlangt hat, um die Grundsätze, nach denen man über ein Jahrtausend gegen die Häretiker verfuhr, und das Verfahren selbst richtig zu würdigen. Die Häresie erschien auch dem Juristen als Verbrechen an der menschlichen Gesellschaft; denn ‚quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur iniuriam' (Theodos. II 407; L. 4 Cod. Iustin. I, 5 de haeret.); sie war ein schwereres Verbrechen als Hochverrat; denn ‚longe gravius aeternam, quam temporalem laedere maiestatem'" (C. 10, de haeret. V, 7). Wer in die Anschauungen einer andern Zeit vertieft ist, welche die Vergehen gegen die irdische Majestät mit den schwersten Strafen ahndet, Vergehen gegen die Majestät Gottes aber teils ungestraft läßt teils mit sehr geringfügigen belegt, das Verbrechen der Blasphemie, das einst Todesstrafe traf, kaum kennt, der hat freilich Mühe, nur einigermaßen diese ältere, allgemein gebilligte und für notwendig erachtete Gesetzgebung zu begreifen."

[4] De laicis l. 3, c. 21.

utpote quorum multos morte affecerint[1], et haereticos generatim multis pravis facinoribus catholicos vexare sectamque suam non sola persuasione, sed etiam vi propagare, atque ita etiam rei publicae pacem graviter turbare.

Atque ut quorundam Patrum hac de re dicta referamus, S. Chrysostomus haereticos reprimendos quidem esse censuit, minime vero interficiendos. Illud enim Christi Domini verbum de zizaniis haud eradicandis, de haereticis explicans dicit[2]: „Neque enim haereticum occidere oportet (*οὐ γὰρ δεῖ ἀναιρεῖν αἱρετικόν*): nam sic irreconciliabile bellum in orbem induceretur. . . . Quid autem aliud sibi vult [Christus], cum dicit: ne eradicetis simul et triticum, quam hoc, quod dicimus: si arma moveatis, ut haereticos occidatis, multos etiam sanctorum una occidi necesse est; vel etiam: multi ex istis zizaniis, ut verisimile est, converterentur in frumentum? Si ergo prius illos eradicetis, frumento etiam venturo nocebitis, si illos, qui mutari et boni effici possunt, eradicetis. Non igitur prohibet haereticos reprimere, illorum ora obstruere, libertatem loquendi coercere, coetus eorum solvere, pacta respuere, sed occidere vetat (*οὐ τοίνυν κατέχειν αἱρετικοὺς . . . κωλύει, ἀλλ' ἀναιρεῖν καὶ κατασφάττειν*)." Augustinus vero mitissime cum donatistis agendum esse iudicavit, donec Circumcellionum in presbyteros grassantium furorem legibus coercitum, eorumque multos poenae timore ad bonam frugem reductos vidit[3]. Tunc enim sententia mutata mitiores poenas, pecuniarias plerumque, atque episcoporum ministrorumque exsilium probare visus est[4], sed ne sanguis funderetur, etiam atque etiam rogavit Donatum Africae proconsulem, inter alia dicens[5]: „Unum solum est, quod in tua iustitia pertimescimus, ne forte, quoniam quidquid mali contra christianam societatem . . . committitur, profecto gravius est et atrocius, quam si in alios talia committantur, tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis christianae consideratione censeas coercendum: quod te per Iesum Christum, ne facias, obsecramus. . . . Unde ex occasione terribilium iudicum ac legum, ne in aeterni iudicii poenas incidant, corrigi eos cupimus, non necari." Et alibi ait[6]: „Nullis tamen bonis in catholica hoc placet, si usque ad mortem in quemquam, licet haereticum, saeviatur." Amore igitur eorum salutis aeternae furibundos haereticos puniendos quidem Augustinus censuit, sed non usque ad mortem. Item S. Leo M. professus est, Ecclesiam sacerdotali iudicio contentam cruentam refugere ultionem, quamquam ex severis principum decretis referri aliquando bonos fructus, persuasum ipsi fuit. Scripsit enim Leo haec[7]: „Merito patres nostri, sub quorum temporibus haeresis haec [Priscilliani] nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem eius cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solvi, simulque divinum ius humanumque subverti, si huiusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium."

---

[1] Cf. Socrates, H. E. 4, 16; Sozom., H. E. 6, 14.

[2] Hom. 46 in Matth. n. 1 2 (MG LVIII 477).

[3] Alias insuper rationes, propter quas Augustinus suam hac de re sententiam mutaverit, allatas et defensas vide apud Hergenröther, Katholische Kirche und christlicher Staat 549 sqq.

[4] Ep. 185, c. 7, n. 26 (ML XXXIII 805); ep. 93, c. 4, n. 14 (ib. 328).

[5] Ep. 100, n. 1 (ib. 366).

[6] C. Crescon. l. 3, c. 50, n. 55 (ML XLIII 526).

[7] Ep. 15, ad Turrib. (ML LIV 679).

Et alibi ait[1]: „Imperialis est ... potestatis, tumultus publicos ac seditiones sacrilegas severius coercere"; attamen de imperatore haec addit: „Quem superna inspiratione ita instruendum esse confido, ut et disciplina inquietos revocari, et a sanguine eorum iubeat abstineri."

Itaque ex allatis testimoniis patet, Ecclesiae praesules mitius agi voluisse cum haereticis, quam nonnumquam magistratus civiles et quam ipsi haeretici, quando poterant, cum catholicis agebant, et tametsi illos poenis reprimendos iudicabant, id tamen propterea tantum censuisse, ut et aeternae haereticorum et publicae regni saluti prospiceretur, utque maleficia ab illis commissa debita poena vindicarentur. Teste enim historia haereticorum et schismaticorum crimina, turbae et motus civiles ab ipsis excitati fere semper legum contra eos latarum severitatem praecesserant, ideoque haec illis iure tribuenda erat.

Quod porro ad *medium aevum* spectat, graves quidem poenae in *publicos* haereticos eorumque defensores et receptores latae sunt in concilio generali Lateranensi III a. 1179[2] et Lateranensi IV a. 1215[3], in quo multi principes ac nobiles interfuerunt; necnon in synodo Veronensi a. 1184, praesente R. Pontifice atque imperatore Friderico I[4], uti etiam a tribunalibus institutae eo tempore *Inquisitionis* ecclesiasticae propriae dictae. Sed notandum est

α) *illorum temporum* haereticos non solum catholicos ad se trahere studuisse, sed etiam publicam securitatem bonosque mores gravibus facinoribus et sceleribus violasse. Id testantur Patres concilii Lateranensis III in decreto contra haereticos lato: „De Brabantionibus et Aragonensibus, Navariis, Bascolis, Coterellis et Triaverdinis, qui tantam in christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis nec monasteriis deferant, non viduis et pupillis, non senibus et pueris, nec cuilibet parcant aetati aut sexui, sed more paganorum omnia perdant et vastent: similiter constituimus ...; cunctisque fidelibus in remissionem peccatorum iniungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, et contra eos armis populum christianum tueantur." Quare inermium contra violentos aggressores protectio potius quam iniusta persecutio sanciebatur illo decreto, quod non sine assensu regum, quorum vicarii in illo concilio interfuerunt, ferebatur[5]. Illorum vero istius temporis haereticorum, qui se catharos (καθαρούς, puros) nominabant, alii furta et rapinas non damnabant, fornicationem et incestum laudabant; alii matrimonium tamquam stuprum reiciebant, alii illud post primi infantis generationem penitus dissolvendum esse docebant; leviores vero voluptatibus etiam quam maxime nefandis sine ullo pudore sese totos tradebant. Iusiurandum omne ut malum illi damnabant, nec umquam quidquam ut verum publice affirmabant, ideoque ambiguis sermonibus uti soliti; praeterea nulli homini potestatem vitae necisque concessam esse volebant[6]. Iam vero admissis eiusmodi doctrinis nullum regnum,

---

[1] Ep. 118, ad Iulian. Coens. c. 2 (ML LIV 1040).

[2] Cap. 27 (Harduin VI 2683 D; Mansi XXII 231 C).

[3] Cap. 3 (Harduin VII 19 C; Mansi XXII 986 E).

[4] Harduin VI 1878 C; Mansi XXII 476 E.

[5] „Cum quidam haereticus nomine Hainricus, chirothecarius in Xeroin duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: ‚Merito nos damnatis, quia si status noster non esset minoratus, potestatem, quam exercetis contra nos modo, hanc nos exercuissemus contra vos, omnes scil. clericos, religiosos et laicos" (Reinerus contra waldenses c. 3: Gretser, Opera XII 2, Ratisbonae 1738, 27).

[6] Hurter, Papst Innozenz III. II[2] 223—235; E. Michael, Gesch. des deutschen Volkes II, Freiburg 1899, 300.

nulla respublica stare potest; quare illa aetate imperator ac reges propter ipsas politicas easque iustissimas rationes istos haereticos punire ac persequi debebant.

β) *Ista porro aetate* Ecclesia et imperium ita consociata erant, ut occidentis populi unam quasi Dei familiam efficere deberent, cuius protector Dei nomine R. Pontifex esset, socius autem nemo, quin simul Ecclesiae filius esset. Quo posito haereticus necessario etiam ut maiestatis regiae reus habebatur, utpote qui erroribus suis religiosis contra Deum, illius foederis regem supremum, rebellabat. Quare etiam rex haereticus tunc temporis ab illis populis non admittebatur, et ipse imperator Fridericus II, Ecclesiae sane nullo modo fautor, pro Sicilia gravissimas poenas contra haereticos statuit.

Certe in lege die 22 febr. a. 1232 contra haereticos a Friderico lata haec leguntur[1]: „Catharos, patarenos, speronistas, leonistas, arnaldistas, circumcisos et omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad successionem eorum pervenire non possint, *cum longe sit gravius aeternam, quam temporalem offendere maiestatem*. . . . Credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si, postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat; nullus ei praeterea super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Qui si forte iudex exstiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem." Alia eiusdem imperatoris lex mense martio eiusdem anni lata haec habet[2]: „Commissi nobis coelitus cura regiminis, et imperialis, cui dante Domino praesidemus, fastigium dignitatis, *materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium* adversus hostes fidei et in exterminium haereticae pravitatis exigunt exserendum, ut vipereos perfidiae filios contra Deum et Ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in iudicio et iustitia persequamur; maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seductricem [al.: sententiam seducentem] mundus inficitur, et gregi fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela." Tertia eiusdem imperatoris eodem tempore promulgata lex haec continet[3]: „Statuimus imprimis, ut crimen haereseos, et damnatae sectae cuiuslibet, quocumque nomine censeantur, sectatores, prout veteribus legibus est indictum, inter *publica crimina* numerentur, immo crimine laesae maiestatis nostrae debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in *divinae maiestatis iniuriam* noscitur attentatum, quamvis iudicii potestate alterum alteri non excellat. Nam sicuti perduellionis crimen personas admittit damnatorum et bona, et damnat post obitum memoriam defunctorum, sic et in praedicto crimine, quo patareni notantur, per omnia volumus observari . . ., etiamsi levis superstitionis argumento tangantur, a viris ecclesiasticis et praelatis examinari iubemus. Per quos si inventi fuerint a fide catholica saltem in articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti . . . in erroris concepta instantia perseverent, praesentis nostrae legis edicto damnatos *mortem pati* patarenos aliosque haereticos, quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant; ut *vivi* in conspectu hominum *comburantur*, flammarum commissi iudicio. . . . Apud nos pro talibus nemo intervenire praesumat; quod si fecerit, in ipsum nostrae indignationis aculeos non immerito convertemus."

γ) *Illi haeretici* omnia sacramenta et cultum publicum Deo a catholicis tributum reiciebant, templa nonnumquam foedabant, ac sacerdotes crudeli modo

---

[1] Mon. Germ. Leg. II, Hannoverae 1837, 287 sq; cf. Michael l. c. 311 sqq.
[2] Mon. Germ. l. c. 288 326. [3] Ibid. 328.

tractabant, multos quoque S. Scripturae libros reiciebant, et in cruce non Christum, sed daemonem mortem passum esse contendebant, universamque Ecclesiam romano-catholicam tunc solam in Europa per leges publicas exsistentem et ab omnibus ferme eius populis admissam ut veram et unicam salutis aeternae assequendae viam ordinariam exsecrantes exstirpare atque delere studebant[1]. Talibus autem doctrinis medii aevi homines probe catholici, cum magis horrerent eos qui animam, quam eos qui corpus occiderent, minimeque essent vel indole et moribus molles, vel vitae nimium excultae aut sectarum haereticarum legali exsistentiae assueti, vel indifferentismi doctrinis imbuti, non poterant non vehementer commoveri ac excitari ad istiusmodi haereticos reprimendos Ecclesiamque suam, quam recte ut apostolicam et a Christo institutam agnoscebant, acriter defendendam et vindicandam.

δ) *Ergo cum crimen haeresis* propter imperii cum Ecclesia tunc temporis coniunctionem etiam ut crimen laesae maiestatis regiae declaratum esset, cum illud et natura sua sit et ea aetate ab omnibus catholicis haberetur maximum malum, cum universim tunc admissa esset veritas, quae iubet omnia potius sufferre omnibusque renuntiare, quam aeternum animae detrimentum pati, Ecclesiae illius aetatis cum haereticis agendi ratio mira videri non potest.

Hinc etiam patet, quomodo illius aetatis homines istam severitatem christianae caritati non contrariam existimare potuerint. Erga ipsos haereticos enim ea severitate se iudicabant caritatem exercere eatenus, quatenus volebant eos poenis, si aliter iam non possent, ad veram fidem et Ecclesiam, atque ita in viam salutis aeternae reducere et ab aeternis suppliciis liberare; erga eos vero, qui ab Ecclesia nondum defecerant, eo magis illa severitate caritatem sese exercere illis persuasum erat, quod ista ratione eos a contagione pessimi morbi liberos conservare et ab aeterno malo defendere sibi videbantur. Certe ipse S. Thomas Aq. postquam dixit, peccatum haeresis mereri mortem, quia multo gravius sit corrumpere fidem, per quam sit animae vita, quam falsare pecuniam, per quam temporali vitae subveniatur, haec addit[2]: „Resecandae sunt putridae carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est."

Illae denique leges Ecclesiae contra haereticos latae neque ad doctrinam fidei neque ad immutabilia de moribus praecepta Ecclesiae pertinere umquam iudicatae sunt, sed, id quod revera sunt, habebantur *applicatio* unius alteriusve doctrinae fidei et morum ad vitae usus pro vario loco et tempore et rerum adiunctis necessario varia, ideoque nonnumquam valde difficilis, uti omnis *conclusionis remotioris* rectus usus initio et interdum etiam diutius difficillimus saepissime est. Quare etiam homines vere sancti et eximie sapientes in eiusmodi rebus bona, ut dici solet, fide interdum errarunt, vel certe in varias sententias abierunt. Uti in re nostra S. Martinus Turon. et R. Pontifex Siricius cum aliis illius temporis viris ecclesiasticis episcopum Ithacium, cuius maxime suasione Priscillianus haeresis auctor capite plexus est, graviter vituperarunt, ita ut cum eo communionem servare iam nollent. Etiamsi igitur in ali-

---

[1] Cf. Hurter l. c

[2] S. th. 2, 2, q. 11, a. 3. Verba fere sunt S. Hieronymi (in ep. ad Gal. c. 5, v. 9: ML XXVI 403), quae S. Thomas recitando sua fecit.

quibus regionibus viri quidam ecclesiastici non semper optimo modo egissent, id tamen neutiquam universae Ecclesiae vitio verti, multoque minus constanti eius doctrinae fidei ac morum imputari potest, ita ut ea sanctitate sua privata dici debeat.

ε) *Ceterum* Inquisitionis ecclesiasticae tribunal nullibi tam *permanens* erat, ut postea tribunal Inquisitionis Hispanicae. Contra R. Pontifex Gregorius IX longiorem actionem inquisitorum, qui in meridionali Gallia constituti erant, impedivit (a. 1237—1241); Innocentius IV vero inquisitoribus relative saltem mitiorem agendi modum, et Bonifatius VIII (1298) ac Clemens V (1306) maiorem etiam clementiam ac lenitatem praescripserunt. Atque ita mitigatum Inquisitionis tribunal ab ipsis publicis regni comitiis etiam in Angliam inductum est anno 1400. Inquisitionis porro *Hispanicae* tribunal tametsi a R. Pontifice Sixto IV 1478 institutum et approbatum, tamen Hispaniae regum auctoritati multo magis obnoxium erat, quam id in ullo alio regno accidit, ubi illud institutum vigebat. Cuius tribunalis nimiam interdum severitatem R. Pontifices multis modis, maxime tamen accusatorum appellationes accipiendo mitigarunt[1]; unde quae ab his fidei inquisitoribus durius acta sunt, Ecclesiae romano-catholicae minime imputare licet. Ceterum etiam haec Inquisitio Hispanica a quamplurimis nimium falso iudicata est iam ideo, quod illis temporibus, uti etiam prioribus, poenae generatim ubique in Europa multo duriores erant statutae quam saeculo nostro[2].

Denique bene notandum est, protestantes, qui illam cum haereticis agendi rationem Ecclesiae romano-catholicae exprobrarunt, illa ipsa aetate haud mitius egisse cum iis, quos ipsi haereticos habuerunt, quamquam rationes, propter quas Ecclesia haec ab haereticis sese defendit, nullatenus pro suo agendi modo iure afferre poterant. Constat sane, Calvinum, Bezam, Melanchthonem iure gladii et poena mortis haereticos coercendos esse perspicue atque consulto docuisse[3], atque reapse a protestantibus ultimo supplicio aliisque gravibus poenis affectos esse quamplurimos, quos ipsi vel haereticos vel magos et magas esse iudicabant[4], id quod fiebat illo etiam tempore, quo inter catholicos

---

[1] Hefele, Ximenes 312. L. Pastor, Gesch. der Päpste II[4], Freiburg 1904, 625 sqq. [2] Hefele l. c. 305 sqq.

[3] De praecipuis quibusdam pseudoreformatoribus id ostendit Nic. Paulus, et de Luthero quidem libello: Luther und die Gewissensfreiheit, München 1905, et in Hist.-polit. Blätter CXLV (1910) 177 sqq 243 sqq (initio quidem Lutherus haereticos non esse puniendos dixerat [cf. Denzinger-Bannwart n. 773], post controversiam cum Carolostadio et Zwinglio mitioribus eos poenis, post a. 1530 morte puniendos dicit); de Melanchthone in Hist.-polit. Blätter l. c. 179 188 sq 245 sq; de Zwinglio ib. CXLIII (1909) 645 sqq; de Oecolampadio ib. 805 sqq; de Capitone aliisque libello: Die Straßburger Reformatoren und die Gewissensfreiheit, Straßburg 1895. Quid iudicarint reformatores de Serveto capitis damnato, idem docet in Hist.-polit. Blätter CXXXVI (1905) 61 sqq; quid senserit Lutherus de magis et sagis iisque puniendis, ib. CXXXIX (1907) 557 sqq; CXL (1907) 20 sqq 357 sqq.

[4] „Der Wiedertäufer Felix Mans wurde auf Zwinglis Veranlassung ersäuft (qui mergunt, mergantur), Servede wegen seiner Häresie in der Trinitätslehre auf den Antrag Calvins verbrannt, Gentilis enthauptet, Sylvan von Ladenburg auf dem Markte in Heidelberg mit dem Schwert hingerichtet, der Kanzler Crell wegen des Calvinismus gemartert und dann enthauptet, Henning Brabant wegen vermeintlichen Bündnisses mit dem Teufel furchtbar verstümmelt und zu Tode gequält;

Cornelius Loos episcopus († 1595) et Iesuitae Adamus Tanner († 1632) et maxime Fridericus Spee († 1635) serio iam monuerant, quam inhumanae et absurdae essent illae quaestiones de magis, compluresque principes catholici eas abrogabant. Et si opus esset, facile monstrari posset, quam crudeli modo anglicani catholicos, maxime Hibernos, et missionarios persecuti sint innumerosque omni suppliciorum genere affecerint; quam multos catholicos sacerdotes protestantes Batavi crudeli modo interfecerint; quam innumeri praeterea sacerdotes aliique catholici morte aut certe exsilio aliisque dirissimis poenis propter solum religionis cultum affecti fuerint a novae libertatis patronis tempore magnae perturbationis in Gallia, et ipso nostro adhuc tempore a Russis in Polonia etc. Sed quae pauca hactenus diximus, sufficere nobis iam satis videntur ad hoc, ut ipsa Ecclesiae romano-catholicae doctrina nullatenus sanguinolenta et mala dici possit[1].

Restat, ut quaedam addantur de *iureiurando*, quod novi episcopi, antequam consecrantur, R. Pontifici dant, in cuius formula inter alia haec leguntur: „Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo.“ Quae verba illi iurisiurandi formulae addita sunt a Sixto V (1587)[2]. Sed qualem haereticorum persecutionem episcopus ut talis his verbis promittat. Romana Cardinalium de propaganda fide Congregatio diserte ad episcoporum Hiberniae preces 23 iun. 1791 declaravit[3]: „Numquam Romana sedes docuit, heterodoxis fidem non esse servandam, violari posse iuramentum regibus a catholica communione disiunctis praestitum, Pontifici Romano licere temporalia eorum iura ac dominia invadere. Horrendum vero ac detestabile facinus etiam apud nos est, si quis umquam atque etiam religionis praetextu in regum ac principum vitam audeat quidpiam aut moliatur. Verum neque etiam in nullo pretio haberi voluit postulationes vestras SS. Pontifex Pius VI. Ut enim omnis carpendi ac calumniandi eradicetur occasio, quam quidam, ut scribitis, sumunt ex verbis formulae iuramenti oboedientiae apostolicae sedi praestandae, et ab episcopis in eorum consecratione adhibendae: ‚Haereticos etc. pro posse persequar et impugnabo‘ etc., quam quasi promissum ad bellum iis indicendum et tamquam hostes persequendos atque impugnandos malevole interpretantur; non intelligentes eam persecutionem atque impugnationem, quam contra haereticos episcopi suscipiunt, ad illud studium ac conatum referri, quo eos ad saniorem

---

Karlstadt und Heßhusius wurden vertrieben, der Astronom Kepler aufs heftigste wegen seiner Lehren verfolgt; es sei ferner erinnert an die Sternkammer in England; in dem kleinen Gebiete der freien Reichsstadt Nürnberg wurden von 1577 bis 1617 gegen 356 der Häresie und Zauberei verdächtige Personen hingerichtet und 345 gestäupt und verstümmelt“ (Alzog, Handbuch der allg. Kirchengesch., ed. F. X. Kraus II[10], Mainz 1882, 106).

[1] Qui plura de tota hac re, scil. de Ecclesiae romano-catholicae contra haereticos agendi ratione videre velit, legat Hergenröther, Kath. Kirche und christl. Staat 543 sqq.

[2] Binterim, Denkwürdigkeiten I 2, 291.

[3] Ex folio Analecta Iuris Pontificii, Série XXVI, Rome 1886, exscripsit decretum Aug. de Roskovány, Romanus Pontifex Ecclesiae princeps et princeps civilis XVII (Supplementum ad collectiones monumentorum et literaturae de matrimonio etc. tom. VII), Nitriae 1899, 63 sq. Cf. Alph. Bellesheim, Gesch. der kathol. Kirche in Irland III, Mainz 1891, 216; F. H. Vering, Lehrbuch des kathol., oriental. u. protest. Kirchenrechts[3], Freiburg 1893, 455.

mentem perducere, ac Ecclesiae catholicae reconciliare nituntur: Sanctitas Sua benigne annuit, ut loco praecedentis iuramenti formulae altera subrogetur, quae ab archiepiscopo Mohiloviensi [Stanislao Siestrzencewicz], tota plaudente Petropolitana Aula, ipsaque imperatrice [Catharina II] astante palam perlecta est. . . .“ Praeterea teste Fr. P. Kenrick[1], ut verba illa penitus omitterentur, etiam „concessum est ab initio episcopo Baltimorensi, Ioanni Carrol, et omnibus, qui ad sedes in Statibus Foederatis promoti sunt. Pius IX insuper concessit, ut verbis omnibus omissis, quae fidelitatem, qualis a vasallis exigebatur, sapiunt, vel eum Dominum designant, simplici omnino forma oboedientiam canonicam polliceremur, prout in actis concilii Baltimorensis videre est.“ Itaque nec hoc iusiurandum nec quidquam aliud obest, quin Ecclesiae romano-catholicae doctrina sit et dicatur vere sancta.

V. Ecclesia romano-catholica sancta est ratione finis, quem sibi proponit. Nam *ultimum* finem nullum alium agnoscit et assequi studet quam Dei gloriam hominumque salutem cum temporalem tum maxime aeternam; *proximum* vero, utpote subsidium necessarium ad illum ultimum consequendum, conservationem, cultum ac propagationem quam latissimam purae et integrae Christi religionis sibi commissae. Quod profecto non solum invicte constat ex apostolici regiminis et infallibilis magisterii in ipsa hac Ecclesia exsistentia, sed etiam longa saeculorum experientia et historia quam plurimum confirmatur et illustratur. Ac sane *primum* quanta Ecclesia haec tot saeculorum decursu passa est, quanta egit ad Christi religionem integram in terris conservandam! Quot ideo persecutiones et omnis generis molestias fortiter sustinuit! Quot errorum monstra vigilans semper atque attenta prostravit! Quot viros, quantumvis scientia, nomine, muneribus claros, sed a veritate pertinaciter aberrantes, e sinu suo reiecit atque damnavit! Quanto *deinde* studio quantisque laboribus Ecclesia romano-catholica semper et ubique in orbe terrarum cognito Christi religionem propagaverit, iam supra p. 911 sqq diximus. Hac autem propagatione etiam temporalem hominum populorumque felicitatem atque culturam aut primo fundatam aut certe mirum in modum auctam et conservatam esse, nemo nisi caecus religionis catholicae osor negare potest. Maxima denique cura Ecclesia haec semper studuit religionis Christi cultum in fidelium suorum animis promovere. Eo enim omnis labor eius studiumque tendit in praedicatione verbi Dei et administratione omnium subsidiorum, quae vel a Christo accepit vel ipsa invenit atque instituit, ut filii sui omnes moveantur ad Deum plus quam reliqua omnia amandum toto quidem animo ac tota mente omnibusque viribus, utque omnes inflammentur ad acquirendam veram vitae perfectionem, in plena voluntatis humanae cum divina voluntate concordia praecipue sitam.

---

[1] De Ecclesia I 167. Formula iuramenti ab episcopis Americanis SS. Pontifici praestandi, proposita a concilio Baltimorensi 1846 et approbata a Pio IX 1847, invenitur in Collectione Lacensi III 108 (cf. p. 105).

Atque hac ratione, et hac sola, Ecclesia romano-catholica christianorum animis dominari utique cupit, ut nimirum pro summo suo officio ut decet adoptivos filios Dei illi vivant, agentes per totam vitam semper et ubique, *quod* Pater coelestis ab ipsis exigat, et *quia* et *quomodo* ille ab iis agi voluerit, atque ita solam veram libertatem filiorum Dei consequantur, qua liberi ab omni malarum cupiditatum vinculo superiores sint et se gerant rebus omnibus creatis solique Deo ut ultimo suo fini vivant.

Quod enim Ecclesiae romano-catholicae adversarii nonnumquam dicunt, eam populis regibusque respectu rerum civilium dominari voluisse, falsissimum est, cum nihil aliud spectarit, quam ut etiam populi ceu populi, et reges ceu reges christiano modo, ut sane oportet, se gererent, i. e. ut inter christianos etiam omnis rei publicae disciplina omnisque civitatis constituendae sapientia non fallaciis et fraudibus, non iuris contemptu, non vi iniusta et ferro constet, sed secundum rectae rationis et Christi leges res suas omnes componerent et moderarentur. Quis autem christianus neget, hoc reapse primarium et plane gravissimum christianorum sive principum ac magistratuum, sive populorum in rebus etiam politicis officium esse? — Quod si dicimus, non negamus, etiam inter Ecclesiae praesules interdum fuisse, qui in vita sua publica non semper ista sola ratione aliis dominari voluerint. Sed qui hoc modo male se gesserunt, secundum Ecclesiae romano-catholicae consilia ac mentem non egerunt, sed ab illa etiam diserte et aperte reprobati fuerunt. Quorum vero R. Pontificum, ut Gregorii VII, Innocentii III aliorumque, politica agendi ratio diu ut iniustae dominationis studium impugnata fuit, recentiore aetate, id quod notum est, non solum ab historico catholico Gfrörer aliisque, sed etiam, et primum quidem, a protestantibus Voigt et Hurter tunc nondum catholico egregie defensa est.

VI. Sancta est Ecclesia romano-catholica ratione subsidiorum, quibus ad hominum sanctitatem efficiendam utitur. Nam

1. primum cum sanctitatis studium esse non possit, nisi, in quanam re ea consistat, ob quas rationes, quo modo acquiri debeat, cognoscatur, Ecclesia ad hanc cognitionem in animis fidelium gignendam subsidiis utitur, omnium quae usurpari possunt efficacissimis. Possidet enim, ut supra monstravimus, doctrinam apostolicam puram atque integram, totam igitur revelationem divinam, et infallibilis huius revelationis magistra a Christo est instituta. Et vere Christi doctrina ab Ecclesia romano-catholica proposita exhibet *primum* claram, certam, perfectam *sanctitatis notionem,* dum ut primarium mandatum docet, Deum ab homine amandum esse plus quam omnia alia, et amandum quidem toto animo, tota mente omnibusque viribus, quantum pro sua cuique conditione possibile est. In hoc autem Dei amore omnem sanctitatem sitam esse patet. Nam cum Deus ipse ideo solum infinite sanctus sit, quod se infinite perfectum et amabilem adaequate et infinite semper amat, omniaque creata propter se ipsum tantum amare potest, evidens est, etiam hominem, quo puriore et maiore amore Deum diligat, eo sanctiorem esse debere. Et vero Deum

quo quis magis amat, eo perfectius ei servit; quo vero perfectius Deo servit, eo liberior ac purior fit a peccatis etiam minimis, et ut homo rectus ac verus christianus ad Deum, omnium bonorum largitorem, omnia refert, eum solum vere ac proprie laudabilem laudando, ei soli, cui omnia vivant ac moriantur, ut vero omnium Domino serviendo, omnia propter ipsum et ipsum in omnibus amando. Cum quo Dei servitio et amore coniunctum est, ut homo circa res creatas quascumque debito modo se gerat, i. e. ut iis non inhaereat ad explendas cupiditates, sed utatur iis ceu subsidiis ad finem sibi propositum ultimum, Dei scil. gloriam animaeque salutem aeternam, consequendum. Quod fit, si homo utatur rebus creatis tantum quantum ad illud propositum inserviunt, nec plus nec minus, sive naturae humanae corruptae per se gratae, sive ingratae ac difficiles sunt.

Deinde Ecclesia romano-catholica etiam *rationes,* propter quas unusquisque christianus vitae sanctitati serio studere debeat, cum Christo clare ac definite explicat. Docet scil. imprimis, Deum esse totius mundi creatorem, ideoque omnium Dominum absolutum, atque ultimum finem. Quod cum praedicat, simul monet et inculcat, unumquemque ei semper et ubique perfecte eius praecepta observando et cum eius voluntate in omni vitae eventu plene concordando debere servire. Porro cum Deus creator et finis omnia in se habeat, quae iure bona nominantur, cumque sit fons ac dator omnium bonorum, quae in creatis rebus sunt, cum solus Deus sit *ὁ ὤν*, infinite amabilis tum in se ipso, tum propter nimiam bonitatem, qua hominis causa humanam naturam assumens Deus-homo fieri ac tanta pati dignatus est: hinc Ecclesia ante oculos ponere numquam cessat, amari debere Deum incomparabiliter magis quam quaecumque bona data ullamque creaturam; quantumvis enim amabiles et amantes eae esse possint, ex se tamen iure dici possunt *μὴ ὄντα* brevi pereuntia, quae Deo, summo bono, infinite sunt imperfectiores, quam est radius sole, et minimus nummulus innumerabili pecuniae summa. Atque hinc ulterius Ecclesia romano-catholica concludit, peccatum, sive liberam praecepti divini transgressionem, esse summum, immo unicum veri nominis malum, cum quaecumque tandem infortunia per se hominem a Dei amore non avertant, sed etiam ut summo suo hoc officio perfectius usque fungatur magnopere inservire possint. Non autem quamcumque etiam minimam voluntatis divinae violationem Ecclesia romano-catholica peccatum grave dicit, sed grave et leve accurate distinguens, illud tunc tantum committi affirmat, cum homo legem graviter obligantem sciens ac liber, licet solo animo ac cogitatione, transgreditur, sive cum Deum alicui bono creato ita postponit, ut potius Deo quam huius rei creatae possessioni vel usui renuntiare velit et in ea re creata tamquam in fine suo ultimo quiescat. Peccatum autem leve sive, ut vocatur, veniale, Ecclesia romano-catholica habet illud, quo homo legem Dei aut in re levi tantum aut certe non cum plena libertate

vel sufficienti cognitione violat, et hinc a Deo non vult recedere, sed tantum in Deum non tendit illa omni amoris intentione ac puritate, qua debet.

Esse autem peccata per se venialia, neque omnia peccata esse gravia, vehementer suadet vel ipsa ratio, cum certe homo minimum vel furti vel mendacii peccatum committens tam parum censendus sit velle amicitiae cum Deo prorsus renuntiare eumque absolute spernere et deserere, quam levissima res, qua amicus amicum offendit, eorum amicitiam prorsus dissociat. Et cum Christus Mt 7, 3, unum peccatum cum festuca, alterum cum trabe comparaverit, num censendus est voluisse utrumque grave dicere, ita ut etiam illud aeternam damnationem mereretur, et inter utrumque ratione solius gradus discrimen esset? Et cum apostolus S. Iacobus (ep. 3, 2) de se ipso aliisque christianis diceret: „In multis offendimus omnes", num iudicandus est voluisse id de peccatis gravibus intelligere, ita ut diceret, etiam se, et saepe quidem, Deum graviter offendere, ideoque inter iustos ac sanctos numerandum non esse? Quis hoc sibi persuadeat?

Quantum porro malum vel unicum grave peccatum sit, Ecclesia non solum eius naturae, sed etiam gravissimarum poenarum consideratione demonstrat, quibus Deus illud saepenumero iam in his terris manifesto puniverit, et vera poenitentia non deletum in futura vita aeternum semper puniat. Quae gravis peccati malitia et divinae legis sanctio aeterna gravissima sane ratio unicuique esse debet, cur sanctitatem, si minus summam, eam saltem sibi acquirere studeat, ut Deum conditorem suum, qui et pater eius est optimus et severus futurus iudex, numquam graviter saltem offendat, ideoque viam, quae ad sanctimoniam ducit, quamque verbo et exemplo Christus nos docuit et Ecclesia usque omnibus monstrat, serio ineat, in eamque, si forte aberraverit, quam primum redeat, observetque diligenter omnia, quae a Christo praescripta sunt et ab Ecclesia accurate singulis ut observanda *semper* et *ubique* proponuntur christiani hominis officia erga Deum, erga alios homines, erga se ipsum[1]. Atque utendo subsidiis, quae Ecclesia filiis suis, ut illis suis officiis satisfaciant, quam plurima et efficacia praebet, istam vitae puritatem sat facile illi sibi comparare valent. Et vero

2. Ecclesia romano-catholica a) *fideles* non solum ad omnium virtutum cultum usque hortatur et excitat tum privatim, tum publice quam saepissime sacris sermonibus, doctrinae Christi explicatione, traditione piorum librorum ad legendum, imagines et vitam heroum in via sanctitatis exhibendo, sed etiam complurium virtutum exercitationem omnino maximam ab omnibus exigit, qui filii sui esse volunt. *Primum* enim magnam sane *mentis subiectionem* animique demissionem ab omnibus postulat exigendo, ut firma ac simplici *fide* credant complura quae, tametsi certo vera ac divina sunt, ita tamen humanae mentis aciem excedunt, ut eorum interna veritas numquam plane ab homine in his terris attingi, sed tantum propter Dei loquentis auctoritatem credi possit. Quae fides, quantumvis iustissima, humanae tamen rationis,

[1] Cf. quae vol. I, p. 609—620 diximus de Christi doctrina morali.

quae omnia scrutari et intelligere studet, superbiam frangit multumque deprimit. *Praeterea* Ecclesia postulat singulorum gravium *peccatorum confessionem* sacerdoti faciendam, quae multo etiam magis hominem natura ad superbiam valde proclivem ad christianae humilitatis virtutem perducit. Nihil enim magis homo superbus refugit, quam ut occulta quae commisit scelera etiam quam maxime turpia vel uni homini, quantumvis audita tacenti, sincere atque aperte revelet. Iam vero quae nec maritus uxori, nec filia matri nec amicus amico umquam aperit, haec sacerdoti, utique tamquam benevolo Dei vicario, confiteri debet; ideoque ista peccatorum confessio humilitatis exercitatio maxima censenda est, praesertim pro viris, qui vel scientia vel conditione, vel divitiis, honoribus, dignitatibus, fama eminent, et tamen, id quod nonnumquam fit, peccatis maxime obstricti tenentur. — Ad eandem humilitatis virtutem exercendam etiam multum et nonnumquam quam plurimum confert debita *oboedientia* et submissio Ecclesiae tum regimini sacro tum magisterio praestanda.

Ecclesia romano-catholica *deinde* iis, qui sacerdotio initiari cupiunt, fere ubique perfectam atque perpetuam *virginitatis* observantiam, uti etiam singulis, qui in monasteriis Deo servire volunt, praecipit; fidelibus autem adultis universim omnibus saepius per annum ac maxime per quadraginta ante pascha dies *ieiunium,* et uno saltem hebdomadis die abstinentiam carnis praescribit, et hoc quidem tum ad imitationem et in honorem Iesu Christi, qui non solum verbo, sed etiam exemplo ieiunare nos docuit ac feria sexta turpissimam ac crudelissimam mortem pro nobis obiit, tum ut poenitentiam pro commissis peccatis agamus faciliusque illicitae voluptatis appetitum vincentes corpus, ut oportet, menti plene subiciamus. Iam vero nec virginitas perfecta, nec etiam illa abstinentia ciborum servari potest, quin homo vel libidinem vel gulae concupiscentiam coerceat, atque ita castitatis ac temperantiae virtutes exerceat.

Denique ut taceam, quod Ecclesia romano-catholica ad *stipem pauperibus dandam* non solum ut ad aliarum omnium virtutum cultum fideles frequenter hortatur, sed interdum etiam, v. g. tempore iubilaei, ad eam dandam eos omnes obligat, quicumque concessam indulgentiam lucrari volunt, ipsa quoque omnibus, qui vel inimicitias gerunt, vel quae fraude acquisiverunt possident, vel detrimentum aliis intulerunt, tamdiu peccatorum remissionem denegat, quamdiu *inimicitias* non penitus *deponunt,* iniuste acquisita non *restituunt,* illatum *damnum,* si possunt, non *compensant.* Atque eadem ratione peccatorum remissionem haec Ecclesia non indulget iis, qui vel voluptatibus, vel intemperantiae, vel aliis malis cupiditatibus dediti sunt, quamdiu seriam emendationem non promittunt. Ex quibus manifestum est, neminem sine impenso multarum virtutum cultu posse secundum Ecclesiae romano-catholicae leges vivere.

b) *Atque ut istae aliaeque* christianae virtutes reapse colantur, Ecclesia romano-catholica fidelibus *quam plurima subsidia praestat.*

Primum enim eos ad *precationem* cotidie pluribus vicibus faciendam excitat singulosque sub gravi peccato obligat, ut, si possint, diebus dominicis et festis cultui divino publico religiosi intersint, atque ita imprimis summo quo tenentur Deum adorandi, laudandi eique gratias agendi officio satisfaciant, subsidia quibus ad recte vivendum, salutemque cum temporalem tum aeternam consequendam opus habent, supplices a Deo petant, atque alius alio bono pietatis erga Deum exemplo sint. Quae ut quam perfectissime fiant, Ecclesia fideles statis illis diebus omnes in templis congregat, in quibus certe loci sanctitate, ornatu, tranquillitate, amplitudine, praecipue tamen ipso sollemni Dei cultu augustisque caeremoniis ac sacro sermone animus quam maxime ad Deum resque coelestes erigitur, grata divinorum beneficiorum memoria renovatur, pietas atque amor erga Deum et homines accenditur, maior omnium coniunctio fraterna et laetitia christiana promovetur. Porro cum in commune templum omnes congregantur, coram Deo homines non divitiis, nobilitate, scientia aliisque rebus naturalibus et mere humanis distingui admonentur, et praeterea hac templi continua frequentia memores redduntur, se in hoc templo continuis quidem a nativitate ad mortem usque, sed iisdem atque alios omnes beneficiis divinis ditari, immo post ipsam mortem aliquando fratrum precibus esse iuvandos. Quare ad pietatem erga Deum virtutesque omnes colendas et fovendas cultu divino Ecclesiae romano-catholicae melior atque aptior nullibi exsistit nec excogitari potest, praesertim cum infallibile huius Ecclesiae magisterium certissimo argumento sit, nihil in illo cultu esse vel agi, quod Christi doctrinae vel minimum adversetur. *Deinde* idem ex eadem ratione dicendum quoque est de doctrina, quam ista Ecclesia de *sacramentis* tradit, eam scil. non solum veram, sed etiam valde efficacem esse, et ita quidem, ut ii fideles, qui iis rite et quibusdam ex iis frequenter utuntur, facillime possint recte vivere et ad vitae sanctimoniam pervenire.

Quod ut de eorum uno, sacramento scil. *poenitentiae,* breviter ostendam, negari nequit, peccatorum confessionem, ut in Ecclesia romano-catholica fieri debet, ratione bonorum morum maximae et vere incomparabilis utilitatis esse. Ea enim manifesto praeclarissimum peccatorum remedium est. Emendat enim

α) *singulos quosque peccatores* confessio peccatorum sacramentalis. Nam

α′) *unicuique* peccata confitenti *sui ipsius cognitionem* parit. Peccata enim sensim sine sensu omnes quas homo habet boni malique notiones obnubilant, eumque hac ratione sui quasi non conscium reddunt, eo quod homo vix audet se ipsum ut peccatorem agnoscere malasque cupiditates atque flagitia et scelera singula eorumque malitiam et gravitatem penitius inspicere. Quia vero peccator ingentem suam moralem miseriam cognoscere sua sponte plerumque non vult, in ea usque maneret, si sibi soli relictus esset. Sed hoc confessionis necessitas non permittit, cogens peccatorem, ut animae suae statum graviumque peccatorum quae commisit speciem et numerum examinet, itaque sui ipsius, qualis coram omniscio et vindice Deo est, accuratam cognitionem sibi comparet. Haec autem cognitio quantum boni homini afferat,

nemo est qui ignoret. Celeberrimum certe est hoc antiquissimae Graecorum philosophiae dictum toties repetitum: γνῶθι σεαυτόν, cognosce te ipsum. Et vero qui se ipsum vere cognoscit, non superbit, itaque multo facilius religiosus et erga Deum pius est. Et maxime si homo christianus probe cognitum habeat, et quam religiosam atque ab omni gravi saltem peccato puram vitam ducere debeat, et quam multa tamen ac gravia peccata commiserit, procul dubio humilis, modestus, patiens fiet, Deique misericordiam et opem supplex implorabit. Hanc porro sui cognitionem unicuique, qui peccata rite in sacro tribunali confiteri vult, examen praevium parit, cum ad hoc recte peragendum homo intima animi sui secreta rimari sibique pandere debeat. Insuper etiam sacerdos, cui catholicus peccata confitetur, eum ad sui cognitionem plerumque saltem non minimum iuvat, immo nonnumquam ita, ut eius tantum interrogationibus et ope peccator veram sui notitiam acquirat, videatque tandem, se anima graviter aegrotare, qui antea sibi sanus semper videbatur.

β') *Cum homo natura* ita comparatus sit, ut peccatorum, quae committere non puduit, eum pudeat probe conscium fieri, hinc fit, ut, si sibi relinquatur, numquam aut certe admodum raro verum ac salutarem dolorem concipiat, coniunctum cum firmo emendationis proposito. Teste enim experientia ii, qui peccata sua sacerdoti non confitentur, si a peccatis se emendant, ad hanc emendationem plerumque inducuntur non tam propter dolorem de ipsis peccatis a se commissis, quam propter alias res, quae eos vel impediunt, quominus eadem peccata rursus committant, vel propter morbos, poenas civiles, aliaque infortunia, quae flagitiis suis sibi consciverunt. Unde quanti momenti sit praeceptum peccata confitendi, elucet. Peccatorum enim confessio, ut in Ecclesia romano-catholica in usu est, sat facile in confitente verum de peccatis dolorem excitat, tum in ipsa confessione propter monita sacerdotis peccati malum peccatori exponentis et emendationem seriam exigentis, tum iam antea propter ipsam accuratam peccatorum suorum notitiam, et verae contritionis atque se emendandi propositi necessitatem ipsi plane notam. Cum enim homo catholicus peccatis cognitis serio recogitat, quam male erga Deum creatorem suum ac patrem infinite iustum, bonum, amantem atque amabilem se gesserit, quantasque poenas divinas meritus sit, fieri non potest, quin commissa peccata detestetur firmumque emendationis propositum concipiat. Atque praeterea illud inducit ad peccaminum detestationem, quod peccator probe scit, peccata sua sine eorum detestatione sibi etiam in confessione remitti non posse. Quam saepissime enim catholici ab Ecclesia docentur, sacerdotes non posse homines non vere poenitentes a peccatis liberare, ideoque absolutionem homini poenitentiam simulanti datam nullam omnino esse, immo novum et gravissimum sacrilegii crimen tam indigna confitendi ratione committi. Unde manifestum est, tum quam bene peccatores per se et generatim confessionis necessitate ad gratiam remissionis peccatorum recipiendam et ad vitam vere emendandam disponantur, tum quam temere et falso multi Ecclesiae romano-catholicae adversarii contendant, catholicis confessione peccandi veniam et facilitatem praeberi.

γ') *Sed confessione peccator* non tantum ad poenitentiam et serium emendationis propositum per se quam optime disponitur, verum secundum infallibilis magisterii doctrinam homini vere poenitenti in ea etiam divina auctoritate peccata remittuntur. Ita autem a delictis liberari, etiam si solam vitae emendationem spectemus, quanti est momenti! Multi certe in peiora usque ruunt

ob hanc rationem, quod haud amplius animantur et eriguntur spe veniae peccatorum et sui emendationis vere possibilis ac, si modo velint, reapse futurae; sat raro etiam delinquentes solis poenis vere emendantur, eo quod poena sola crimen ipsum non delet, eius igitur tristem conscientiam non tollit amissamque animi dignitatem minime restituit. Contra cum in sacra confessione homini vere poenitenti omnia peccata remittuntur, eo ipso conscientia tranquilla et prior dignitas ei restituitur, ita ut poenitens fiat rursus filius Dei et de novo alacri animo et eo maiore spe viam virtutis ingredi possit, quo tristiore experientia optime scit, quam vana sint gaudia cum peccatis coniuncta.

δ') *Insuper confessio* poenitentem non solum purgat et emendat pro momento, verum etiam efficit, ut aut numquam amplius — id quod nonnumquam contingit —, aut certe non tam brevi tempore in gravia peccata relabatur. Ut enim nihil iam de ipsa poenitentia et emendationis proposito ad confessionem requisito dicamus, ipsa confessio poenitentem munit a peccatis in posterum committendis. Qui enim praeterita peccata confessione eluit, expertus scit, quantae difficultatis sit haec peccatorum revelatio; scit praeterea, novam humiliationem sibi esse subeundam, si in peccata relabatur, et ita ipso pudore, quo a revelandis delictis retrahitur, retrahitur a delicto ipso. Iuvatur praeterea, ne iterum labatur in peccata, gaudio purae conscientiae, quod parere solet confessio, et morali quasi continua praesentia sacerdotis, cui poenitens peccata confiteri solet; confessionis enim ope ille huius fit continuus quodammodo comes, omnia eius cogitationes, dicta, facta mala videns et audiens. Gravis autem viri praesentia quot peccata impedire valet! Maxime autem poenitens a peccatis rursus committendis munitur monitione et doctrina sacerdotis, cui ille peccata confessus est, adeo utili atque necessaria. Homines sane omnes et maxime qui gravibus peccatis tenentur irretiti, sunt plus minusve vani et leves, conscientiae monita facile negligunt et de rebus moralibus, quae ad se ipsos pertinent, male plerumque iudicant. Sacerdotes quidem catholici homines curae suae commissos saepe instruunt magno certe cum fructu publica christianae doctrinae declaratione et sermonibus sacris; sed publice docere possunt tantum *generatim*, quid cuique sit agendum, quid fugiendum, atque hoc ipsum vix bene praestarent, nisi peccatorum confessiones exciperent, ideoque sacerdotis monita publica generatim minoris utilitatis sunt, quam quae secreto poenitentibus singulis in confessionis tribunali dari possunt. In quo, quem sincere peccatorum poenitet, intima animi sui pandit secreta, omnesque eius morbos ac vulnera declarat; sacerdos vero, peritus talium morborum medicus salutisque hominis confitentis aeque ac suae studiosus, loquitur solus cum solo singulorumque graviorum saltem morborum remedia praebens poenitenti dicit, quae *ipsi* in praesenti vitae suae conditione atque in his vel illis occasionibus ac rerum adiunctis agenda et fugienda sint, ut modo vere christiano vivat salutemque aeternam non perdat. Quot vero nonnumquam hic malarum cupiditatum illecebrae et fallaciae pura veritatis luce dissipantur, quotque voluptatum tela repelluntur! Quoties hic primo occulta morbi spiritualis causa detegitur, tandemque peccator miseri sui status conscius fit! Itaque cum viri prudentis et benevoli commercium et consilium generatim multum sit aestimandum, multo maioris pretii est consilium sacerdotis in tribunali confessionis, qui quasi ex litore turbulenti huius vitae maris procellas et naufragia passim conspiciens varia eius pericula optime noscat. Quodsi non omnes omnino sacerdotes ii sunt, quos esse oportet, ubique tamen

locorum sunt multi vere egregii et in medendis animis optime ac diu versati, semperque de hominibus, qui sacrae confessionis beneficio carent, quam maxime respectu spiritualis vitae valet, quod Ecclesiastes 4, 10 generatim dixit: „Vae soli: quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se." — Sed non solum pro singulorum christianorum vita confessio utilis est, verum etiam

β) *sacra confessio societatem hominum universam emendat. Defendit* enim illa α') ratione quam maxime efficaci *singulorum hominum* iura, laesa ea reparat, ortas ex tali laesione in societate humana ordinis perturbationes componit. Praecipere enim et urgere debet sacerdos in confessione, ut data mala exempla corrigantur, restituantur bona aliena, calumniae revocentur etc., quia, ut iam diximus, nemo a peccatis absolvi potest, qui, cum debeat et possit, ista praestare nolit. Ideo nonnumquam vel ipsi acerrimi Ecclesiae romano-catholicae hostes confessionem multum laudarunt, et ideo etiam in nonnullis regionibus catholici famuli aliis omnibus ab ipsis protestantibus praeferuntur, utpote quibus persuasum est, famulos bene catholicos et magis fideles esse, et si quid tamen aliquando defraudent, ad restitutionem efficaci modo obligari. Insuper quot sacra confessione inimicitiae exstinguuntur vel impediuntur, causae alioquin saepenumero homicidiorum aliorumque gravium criminum.

β') *Bonum item familiae* quam maxime efficaciter confessio curat tuendo imprimis matrimonium ut indissolubile, cum vel ipsum adulterii desiderium arceat sub poena remissionis peccatorum denegandae. Et sane ubi confessio abolita est, etiam matrimonium haud amplius indissolubile habetur, et nimium saepe dissolvitur. Praeterea confessio liberos vel bonos conservat vel malos emendat, et pericula famulis et ancillis imminentia saepissime avertit; famulos quoque ipsos afflictos consolatur et ab iniquis dominis defendit, iisque ab omnibus derelictis verum amicum, sacerdotem, praebet.

γ') *Atque ipsam reipublicae salutem* sacra confessio tuetur conservando et promovendo *primum* bonos mores, qui fundamenta sunt omnis regni bene ordinati. Confessio *deinde* sola prorsus occulta et publicae securitatis custodes latentia, ideoque quam maxime nociva vitia et scelera, eorumque causas ac radices detegit atque exstirpat; quare haec etiam inter eos, qui peccata sacerdoti sincere confitentur, multo rariora sunt quam apud alios, qui confessionis beneficio aut omnino non, aut saltem non recte utuntur. *Tum* in confessionis tribunali severe quoque exigitur, ut poenitentes legitimae potestati civili omnibus in rebus, quae ad illam iure pertinent et licitae sunt, oboediant, et non coacte quidem, sed animo libenti. Purgat igitur sacra confessio societatem christianam a perniciosissimis vitiis, quibus qui dediti sunt, nihil nisi forte supplicia timent. Et cum hoc iudicium ad omnia animi arcana sese extendat, punit non solum homicidium, sed etiam occultam iram et odium, ac non tantum adulterium et fornicationem, sed etiam libidinosam cogitationem, innumerosque reos pronuntiat, antequam rei ab hominibus vel etiam a se ipsis habeantur. Quare de omni tempore verissimum est, quod *Catechismus Romanus* tradit[1]: „Omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem . . . hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse." [2]

[1] P. 2, c. 5, q. 36.

[2] Cf. hac de re maxime A. Nicolas, Études philos. II[3], Bruxelles 1849, chap. 16, p. 224; Wilmers, Lehrbuch der Religion IV[5], Münster 1895, 676 sqq;

Cum tamen ut sacra confessio hos fructus ferat necesse sit, ut fiat sincere et sat frequenter, hinc Ecclesia romano-catholica iamdudum sub poena gravis peccati praecepit, ut singulis annis saltem semel omnes peccata sacerdoti confiterentur; desiderat autem, ut id multo saepius faciant.

Opponunt adversarii sacerdotis de variis peccatis et maxime quidem de peccatis luxuriae interrogationibus poenitentes offendi, immo corrumpi posse. At secundum Ecclesiae voluntatem omnesque doctrinae moralis professores et scriptores catholicos, si de commissis peccatis, praesertim luxuriae, interrogari necesse sit, fieri id debet semper valde prudenter, omnino caste et non ultra illud quod ad integritatem confessionis requiritur, ita ut, si quis sacerdos hac in re umquam peccet, id Ecclesiae imputari minime possit. „Monet Rituale, inutilibus et curiosis interrogationibus non esse quemquam detinendum, praesertim iuniores, ne scandalum patiantur. Ex ipsa poenitentis accusatione pendet plerumque interrogatio; exquirit enim sacerdos pro plagae sibi iam detectae natura vel poenitentis nota conditione. Quae autem prudenter pro rei necessitate quaeri contigerit, non tantum habent periculum; humilitate quippe et animi compunctione poenitens ea profert, quae se reum ostendunt. Ceterum falluntur, qui putant, quae in libellis precum aliquando continentur interrogationes, a sacerdote fieri: proponuntur enim tantummodo, ut poenitens suae conscientiae ante confessionem instituat examen; nec auctoritate aliqua Ecclesiae sanciuntur, sed a privatis scriptoribus prodierunt. Qui adeo abhorrent ab omni peccatorum mentione et accusatione, debent perpendere, animae sicut et corporis morbos occulta quadam et fere pudenda tractatione indigere; et Deum ipsum in vetere lege enucleatius ea vetuisse, quae ab auribus et cogitatu hominum abesse alioquin velit." [1]

Adiungamus porro commemoratis vitae vere christianae subsidiis, quae Ecclesia romano-catholica filiis suis praebet, multis aliis omissis duo tantum, *pia sodalicia et ordines religiosos.*

Quibus sodaliciis aggregantur fideles, maxime laici, eo consilio, ut certas regulas praescriptas observando vitam vere christianam ac piam agant, frequentius sacrae confessionis beneficio et precatione utantur et quasdam virtutes, ut temperantiam, misericordiam erga pauperes tum vivos tum mortuos, hos scil. honorifice sepeliendo, aliasque praecipua quadam ratione colant; utque his aliisque vitae christianae officiis accuratius satisfaciant, saepius plerumque sacris sermonibus animantur. Quam efficacia autem haec sodalicia sint ad homines a vitiorum illecebris avertendos et magno christianarum virtutum studio inflammandos, tum ex subsidiis, quibus illorum socii ad hoc propositum consequendum uti debent, tum praecipue ex egregiis quos ubique terrarum tulere fructibus colligere licet.

Quod vero ad *ordines religiosos* attinet, finis generalis ipsis omnibus propositus est maius et perfectius Dei servitium atque absoluta sociorum ad Dei gloriam devotio. Quorum formae, ut notum est, sunt multum diversae, cum aliorum ordinum socii vel sociae ab aliis hominibus omnino fere segregati vitam contemplativam ducant; alii vero ordines, iique hodie numero longe plures, vitam contemplativam cum activa coniungentes vacent et rerum divinarum contemplationi multaeque precationi, et variis in hominum atque religionis bonum susceptis laboribus. Atque singuli utriusque generis ordines et congregationes rursus inter se quam maxima diversitate distinguuntur. Dum

---

J. H. Oswald, Die dogmat. Lehre von den heiligen Sakramenten der katholischen Kirche II[5], Münster 1894, 153 sqq.

[1] Kenrick l. c. n. 260, p. 168.

enim variis societatis humanae necessitatibus se accommodare student, alii ordines aliarum virtutum studium, humilitatis vel oboedientiae, vel paupertatis, vel misericordiae aliarumque sibi maxime praestitutum habent, non quod alias virtutes negligant, sed quod certas prae aliis virtutes sibi necessarias esse iudicant. Deinde ex eo oritur varietas, quod societati humanae profuerunt et adhuc prosunt alii captivorum redemptione vel aegrotorum, pupillorum aliorumque infantium derelictorum cura; alii vel rudium, vel puerorum, vel adulescentium institutioni se dant; alii librorum descriptioni aut confectioni, vel divini verbi inter catholicos aeque ac gentiles praedicationi, aliisque sacris ministeriis se impendunt. Omnibus autem his religiosis societatibus commune est, ut illarum socii vel sociae tribus paupertatis, castitatis, oboedientiae votis se Deo totos devoveant aut in perpetuum aut in certum tempus, quo praeterito, nisi aliter ipsis videatur, eadem renovent et provectiore quidem iam aetate iis etiam in perpetuum sese obligent. Quae vota ut valeant, e concilii Tridentini decreto [1] ante annum aetatis decimum sextum expletum in ordinibus tam virorum quam feminarum nuncupari non possunt, nec etiam antequam qui ea suscipere volunt, saltem per annum post susceptum ordinis habitum probati sunt. Insuper „libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus statuit atque decrevit, ut si puella, quae *habitum regularem* suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito eius vicarius aut aliquis eorum sumptibus ab iis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat.“ [2]

Sacros porro ordines religiosasque societates esse *insigne virtutum* vitaeque a peccatis, gravioribus saltem, purae *subsidium*, rei peritus et verax nemo negaverit. Certe de spirituali vita in eiusmodi societate religiosa, quamdiu eius primitiva disciplina ab Ecclesia approbata viget, verissimum est, quod vetus auctor homiliae in Mt 13, 45 de ea dicit [3]: in ea „homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius“. Enimvero homo in istiusmodi monasterio Deo devotus, praesertim si moribus innocens se illi aggregaverit, potest sat facile per integram vitam cavere ab omnibus peccatis gravibus, atque etiam levia multo rarius committit, quam si extra monasterium vitam degeret; si tamen umquam in quodcumque gravius peccatum cadit, cito bona eius confessione ac vera poenitentia ad pristinam vitae puritatem redit. Nam eiusmodi homo *primum* ipsa vitae huius religiosae professione ab innumeris peccatorum periculis, ut voluptatum illecebris, malis exemplis, sermonibus,

---

[1] Sess. 25, de regular. c. 15.

[2] Ibid. c. 17. — Istam autem permissionem, ut aetate sedecim annorum expleta vota nuncupari *possint*, non recte a protestantibus quibusdam dici imprudentem et minus bonam, non est cur multis probetur. Certe ea aetate atque etiam iuniore licitum est sponsalia atque ipsum matrimonium etiam perpetuum contrahere non solum in Indiis, sed etiam in pluribus Europae regionibus, quamquam hic status non minus gravis et plerumque molestiarum ratione multo gravior est quam status religiosi vel monialis, et insuper nullum tirocinium praecedit, quo coniuges debeant matrimonii onera experiendo gustare, antequam ea in se suscipiant.

[3] Inter Opera S. Bernardi II 770 (ML CLXXXIV 1131).

libris, societatibus, spectaculis aliisque pravis rebus remotus est ac plane tutus. Quantum autem ad vitae puritatem omnibus quidem, praesertim vero adulescentibus, ista periculorum absentia proficiat, evidens est. Tametsi enim semper etiam inter adulescentes nonnulli a gravibus peccatis immunes conservantur et in virtutum studio eo magis confirmantur, quo vehementius ad peccatum tentantur, spectata tamen humanae naturae infirmitate universim verissime dicendum est, homines plerumque occasione peccati reddi peccatores. In primum enim peccatum grave plerique incidunt non tam proprio nondum corruptae voluntatis studio, quam praesenti occasione et aliorum vel exemplo vel lenociniis illecti, periculorum vero fuga multi a gravibus peccatis liberos se servant. — *Deinde* qui in sacris eiusmodi societatibus vivunt, ad solidarum virtutum studium de industria ac multa opera a peritis magistris longo tirocinii tempore instituuntur, atque etiam postea usque incitantur cotidianis de vita et doctrina Christi meditationibus, lectionibus sacris, conscientiae examinibus, precationibus, bonis exemplis, sermonibus, frequenti sacramentorum usu, cultu divino, atque inprimis singulis annis per plures dies exercitationibus sacris, quae quam maxime aptae sunt ad homines in virtutum studio magis magisque perficiendos. — *Denique* trium votorum paupertatis, castitatis perfectae, oboedientiae nuncupatione, praesertim si ea fit in perpetuum, et eorum votorum observantia accurata altioris perfectionis virtutes manifeste insigni ratione coluntur.

Multa quidem contra haec a protestantibus *obiciuntur*. Dicunt enim 1. ipsum conceptum *sublimioris* perfectionis in se repugnare. Unam enim et eandem perfectionem omnibus hominibus tamquam finem propositam esse, neque posse duplicem distingui perfectionem, alteram sublimiorem in observatione trium votorum sitam pro monachis, alteram minus sublimem pro communibus hominibus. — At si votorum observantia duplex perfectio induceretur, eam Christus et apostoli induxissent, ipse enim Christus virginitatem et paupertatem discipulis suis commendavit. Praeterea ex catholicae Ecclesiae doctrina una perfectio essentialis omnibus hominibus assequenda proponitur, quae posita est in Dei dilectione. Maiorem autem et minorem hanc caritatem esse posse patet; porro altiores eius gradus non attinguntur sine conatu et studio: studium autem istud et conatus consistit in eo, quod efficaciora subsidia ad perfectionem consequendam adhibeantur. Inter quae subsidia non ultimo loco numeranda sunt tria vota et generatim consilia evangelica. Non igitur differunt monachi ab aliis hominibus in eo, quod tendant ad aliam essentialem perfectionem, sed ex eo, quod efficacioribus subsidiis ad eam consequendam utantur[1]. — Dicunt

2. monachos propriae tantum animae curam habere et sic oblivisci caritatis erga proximum. Hunc autem genuinum Dei amorem et timorem non esse, cum propriae utilitatis desiderio maculetur. — At ut propriae animae cura non sit perfectissimus Dei amor, est tamen verus Dei amor et incomparabiliter melior, quam salutis propriae et alienae vel negligentia vel etiam corruptio. Huius tamen tum negligentiae tum corruptionis innumeri, qui extra monasteria degunt, rei sunt atque rei fuissent multi eorum, qui intra religiosa

[1] De hac obiectione toties repetita fuse agit H. Denifle, Luther und Lutherium I [2], Mainz 1904, 138—181, ostendendo e Patribus et theologis medii aevi, quid catholica Ecclesia doceat de perfectione christiana. Cf. etiam F. J. Lutz, Die kirchliche Lehre von den evangelischen Räten, Paderborn 1907, 244 sqq.

claustra neminem quidem corruperunt, suae autem animae salutem aeternam optime curarunt. Ceterum nemo in coenobio saluti suae bene prospicit, quin etiam pluribus aliis prosit et frequenti precatione pro hominum salute, et optimo exemplo, quo tum fratres in eadem religiosa palaestra militantes ad forte pro animae perfectione ac salute certamen hortatur, tum homines saeculares licet tacite, significanter tamen docet, curam propriae salutis aeternae omnibus aliis rebus praeferendam esse. Certe si singuli homines saeculares tantum aliis prodessent, quantum monachus vel monacha quam maxime abscondita, moribus et saluti omnium multo melius consultum esset. Praeterea etsi quis ordini religioso sese addicere potest propriae praecipue salutis causa, minime tamen sequitur, eum tempore procedente eo perventurum non esse, ut Deum multo saepius, quam si inter homines saeculares remansisset, pura perfectaque caritate diligat; haec enim per se minime in eo sita est, quod homo in aliorum gratiam multum operatur, cum hoc etiam agere possit vano sui amore vel aliis minus rectis rationibus ductus, sed Dei amor in hoc consistit, quod Deus propter se ipsum, infinitam nimirum perfectionem et bonitatem suam, prae rebus aliis omnibus ametur. Quamquam quo ferventius ac purius homo Deum amat, eo plus, si tamen id officii sui est, in hominum salutem etiam agit; sed non omnes ad id divinitus vocatos se sentiunt, ut etiam operibus procurandae aliorum saluti allaborent. Nec etiam Christus industriosam Martham, sed sedentem ad ipsius pedes Mariam optimam partem elegisse dicit. Et nonne cor hominis occultum et placide efficax nobilius et maioris momenti est membrum, quam multis occupata manus? Porro si contra religiosos, qui contemplativae vitae dediti sunt, tam multa obiciunt eosque imperfectos, inutiles, otiosos vocant, cur ne verbum quidem dicunt contra eos homines saeculares, qui maximam temporis partem longissimo somno, saltationibus, cotidiana ferme praesentia in theatris, fictarum fabularum lectione, corporis cultu, comessationibus, venatione, otio inerti, inanibus et peccaminosis colloquiis, excursionibus voluptatis causa institutis et variarum malarum cupiditatum expletione terunt ac perdunt? — Dicunt

3. perfectionem moralem non consistere in fuga mundi vel fuga rerum humanarum, immo hanc imperfectae moralitatis esse; sed consistere moralem perfectionem in eo, ut res mundanae tractentur recto spiritu ac eo dignificentur et clarificentur. — At non exeunt eo sensu monachi et religiosi ex mundo, ut omnes occupationes humanas omittant, sed eo sensu, ut praesertim paupertati, castitati, oboedientiae votis se submittant. Hoc autem si imperfectae moralitatis est, Christus paupertatem ac virginitatem multum suadens atque Paulus eandem commendans eam imperfectionem primi docuissent; necnon S. Ioannes dicendus esset imperfectam morum doctrinam tradidisse, cum 1 ep. 2, 15 16 scriberet: „Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est.“ Nam si secundum hunc apostolum omnes christiani debent res mundanas non diligere et hac ratione „mundum“ fugere, num ex eiusdem apostoli sententia hic non recte omnino agit, qui ut facilius animum a concupiscentia carnis et oculorum ac superbia vitae liberum habeat, Deumque certius debita caritate diligat, etiam corpore „mundum“ fugit atque in monasterii solitudine ac trium votorum, quae diximus, nuncupatione et observantia praesidium quaerit? Utique hac

sola fuga corporali homo nondum animo plane perfectus est, nec id ullus umquam medii aevi monachus sibi finxit.

4. At, obiciunt, saltem vota perpetua aut sunt inutilia aut turpia. Scilicet votum aut oritur ex voluntate obiectum voti cum tali constantia amplectente, ut etiam sine voto per totam vitam illa voluntas maneat singulisque diebus sponte idem consilium capiat, aut ex tali voluntate non oritur. Si prius, ergo votum est inutile, si secundum, votum est turpe. Non enim licet, maxime adulescenti propter transeuntem irritati animi affectum, pro tota vita vinculis se astringere, cum nemo ius habeat, libertati divinitus acceptae renuntiandi. — At *primum* quidem nullum horum votorum *inutile* est, etiamsi quis virtutem, quae vovetur, sine voti sponsione per totam vitam sponte servaret. Nam „opus quo votum impletur, habet totam honestatem, quam per se haberet sine voto, et praeterea habet honestatem voti, per quam consecratur Deo et fit opus religiosum.... Nam servare Deo fidelitatem, est peculiaris honestas religionis, et quae in nulla alia relatione ad cultum Dei reperitur, nisi in observatione voti; ergo ceteris paribus actus ex voto ex hac parte melior est.“ [1] Accedit, quod, ut S. Thomas dicit [2], „ille, qui vovit aliquid et facit, plus se Deo subicit, quam ille, qui solum facit. Subicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cetero [in posterum] non potest aliud facere: sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum.“ [3] Ergo quamvis etiam sine voti sponsione homo possit habere firmum propositum servandae v. g. castitatis perfectae per totam vitam, illudque reapse servaret, ad eandem tamen virtutem servandam Deo voti nuncupatione sese obstringere nullatenus inutile foret. *Praeterea* vero quamquam etiam virginitate non vota homines inter ipsos saeculares perfecte casti esse possunt, propter maximas tamen rei difficultates sat rari ii sunt, si longiore vita fruantur et non in ipsa iuventute decedant. Contra qui, maxime innocentes, virginitatem in perpetuum Deo vovent, propter ipsum hoc votum multo facilius castitatem per vitam etiam longam ab omni gravi certe peccato illibatam conservant. Nam ipso voto in perpetuum nuncupato voventis voluntas in proposito servandae castitatis multum firmatur, quia vovens nova eaque perpetua et gravissima fidelitatis erga Deum ratione ad illam virtutem servandam sponte obstrictus, contrariae tentationi certius et maiore animi praesentia ac fortitudine resistit, sicque multo facilius constantiam in tuenda ea virtute acquirit atque ad eius perfectionem pervenit. Sicut enim peccare mente obstinata aggravat peccata, ita etiam servare castitatem vel aliam quamcumque virtutem voluntate in bono firmata pertinet ad perfectionem virtutis. *Insuper* qui eiusmodi votorum sponsione in perpetuum ordini religioso adiungitur, et ab innumeris virtutum ac castitatis praesertim periculis liberatur et ad virtutes omnes colendas efficacia adiumenta quam plurima habet. — Inutilia igitur vota non sunt, sed neque *turpia* dici possunt. Nam si ex allatis supra rationibus vota turpia appellanda essent, idem prorsus de sponsalibus dicendum foret. Certe monachus sacrat libertatem suam Deo, maritus gratificatur eam

[1] Suarez, De relig. tr. 6, sect. 1, c. 17, n. 5—6.

[2] S. th. 2, 2, q. 88, a. 6.

[3] Cf. de hac similitudine Eadmeri lib. de S. Anselmi similitudinibus c. 84 (inter Opera S. Anselmi: ML CLIX 655sqq).

homini. Num vero hoc licitum, illud autem illicitum sit? Accepit enimvero homo libertatem uti etiam vitam a Deo; ergo quemadmodum martyres heroico caritatis divinae actu vitam pro Deo profuderunt, ita cuilibet pro ipsa sua libertate licitum sit necesse est, ut possit, caritate Dei actus, libertatis suae usum Deo conditori ac domino suo supremo in perpetuum gratificari; qua gratificatione sane illud Christi praeceptum (Mt 22, 21), reddenda esse Deo, quae Dei sint, perfectissimo sensu observat.

5. At opponunt alii *paupertate* voluntaria homines ad *desidiam* adduci. Verum hoc nemo affirmare potest, nisi qui nullam quaestu nobiliorem industriam nullamque avaritia suaeque utilitatis studio meliorem agendi causam cognitam habet, cum omnium religiosorum ordinum regulae praeter rerum coelestium meditationem et precationem tantum temporis labori attribuant, ut somno et animi relaxationi corporisque refectioni necessarium dumtaxat supersit, ideoque generatim nullius status homines adeo multum laborent, ut religiosi. Certe huius rei luculentissimi testes sunt tot regiones olim incultae ac silvestres in arvorum formam redactae; innumeri ac difficillimi labores ad barbaras nationes Christo conciliandas et ad cultioris vitae usum traducendas suscepti; testes sunt innumerabiles labores scientifici omnis generis; testes labores in aegrorum, mente captorum, captivorum gratiam suscepti; item institutio et educatio puerorum et puellarum in scholis inferioribus, necnon adulescentium in literis et scientiis; testes denique illorum labores in cura animarum in sacris missionibus inter ipsos catholicos habendis et excipiendis per integros dies frigidissima hieme aeque atque calidissima aestate poenitentium confessionibus exantlati; necnon operae et multiplicia artificia, quae in monasteriis exercentur.

6. At dicunt vota obstare libertati evangelicae. Sed ea libertas minime significat, nos aut a legis moralis obligatione liberatos esse, aut nos ipsos non posse nos voluntario sacramento Deo obligare, sed significat tantum, nos non teneri lege caeremoniali iudaeorum et debere esse liberos a peccato, quemadmodum Rom 6, 18 dicitur: „Liberati a peccato, servi facti estis iustitiae", nec debere nos tam timore, quam amore actos Deo servire.

7. Quod autem protestantes iam a sui coetus origine ad nostram usque aetatem saepe opponere solent, *castitatem perfectam et perpetuam non esse possibilem, ideoque Deo licite non voveri,* pariter vanum est. Est ea quidem donum Dei, ita tamen, ut id homo, si modo velit, consequi possit. Alioquin cur Christus et Paulus eam laudantes commendarunt, si ea obtineri non posset? Quis enim umquam hortatus est homines ad id, quod in ipsorum potestate nullatenus positum est, v. g. ut fierent proceri ex parvis atque ex deformibus formosi? Et nonne Christus Mt 19, 12 dicendo: „Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum", aperte indicavit, virginitatem in hominis libertate positam esse? Si enim „continentia ita esset donum Dei, ut ab hominis electione non penderet, dicendum fuisset: sunt eunuchi, qui sunt facti a Deo, non autem, qui se castraverunt; ideo enim de abscissis dicitur: sunt enim eunuchi, qui sunt facti ab hominibus, non autem, qui se castraverunt, quia illa abscissio est opus alienum, non proprium" [1]. Sane qui virginitatem impossibilem dicunt, eo ipso etiam declarant, se plane nihil intelligere et scire de animo vere christiano, nihil de christiana tamque necessaria conti-

[1] Bellarmin., De monachis l. 2, c. 31, n. 8.

nentia et cupiditatum coercitione, nihil etiam de virtute auxilii divini, nihil denique de vi immensi illius amoris, quo Christus Deus nos dilexit, quoque vere accensus christianus vilem illum voluptatum animalium amorem facillime vincit ac spernit. Praeterea si casti esse non possint omnes, qui tamen casti esse serio volunt, sequitur, tum plerosque ante matrimonium castitatem necessario violare, tum hominibus omnino multis[1] „nullum peccatum esse fornicari aut moechari. Nam si quis, antequam uxorem ducat, gravissime urgeatur stimulis carnis et donum continentiae forte non habeat, quid aget? Fornicabiturne impune? Habet, inquiunt, paratum remedium, ducat uxorem. Sed quid, si non statim inveniat? Nec enim uno die contrahuntur matrimonia, immo multi menses plerumque intercedunt inter sponsalia et nuptias. Ad haec, si iam duxit, sed forte abest procul ab ea, ut saepe contingit, aut ea morbo gravi et diuturno laborat, ita ut non liceat viro debitum petere coniugale, quid aget? moechabiturne, si forte uritur et donum continentiae se habere non videt? Non licet, inquiunt, moechari: idcirco, qui eiusmodi est, pro continentiae dono Deum exoret; non enim negabit ille, quod fideliter petitur. Sed cur, quaeso, non idem facere poterit, qui continentiam vovit, si forte uratur, et donum se habere non videat? Respondent, magnum esse discrimen inter continentiam ab adulterio vel fornicatione, et continentiam ab uxore. Illa enim necessaria est, et a Deo imperata, idcirco numquam Deus eam petentibus negat. At continentia ab uxore nec necessaria est nec imperata; ideo non semper conceditur, etiamsi petatur.... Oratio (insuper) debet nasci ex fide, fides autem niti debet promissione Dei; promissio vero nulla est, qua coelibatum perpetuum alicui certo promiserit. Sed facile est, ratiunculas istas refellere. Nam etsi promissio particularis deest, sufficit tamen promissio generalis: petite et accipietis; quaerite et invenietis (Lc 11, 9), et: si quid petetis Patrem in nomine meo, dabit vobis (Io 14, 13 14). Alioquin enim, si requireretur particularis promissio, nec fides, nec spes, nec dilectio, nec continentia coniugalis, nec alia virtus peti posset: nusquam enim exstant promissiones horum donorum in particulari. Porro generales promissiones requirunt quidem certas conditiones: non enim quod quisque petit, semper impetrat, cum saepe contingat, minus utilia et minus bona peti, quae Deum nullo modo dare conveniat; sed conditio, quae requiritur, non est, ut adversarii fingunt, ut res, quae petitur, sit necessaria ad salutem vel imperata; id enim nulla ratione vel auctoritate confirmant; sed est, ut id, quod petimus, sit secundum eius voluntatem. Sic enim docet nos S. Ioannes 1 ep. 5, 14: haec est fiducia, quam habemus ad Deum [Christum]: quia quodcumque petierimus secundum eius voluntatem, audit nos. Non solum autem est secundum eius voluntatem id, quod est necessarium ad salutem, sed etiam id, quod est utile, et utilius quam eius oppositum; neque id solum, quod ipse imperavit, sed etiam quod consuluit et laudavit, et cui praemium maximum promisit.“ Talem autem esse coelibatum, supra p. 462 monstravimus.

8. De voto *oboedientiae* denique ut pauca dicamus, recte faciunt „homines, qui cupientes vitam communem agere, communi consensu eligunt sibi aliquem in praepositum, id enim et recta ratio suadet, et Scriptura etiam monet Prov. 3, 5: ‚Ne innitaris prudentiae tuae‘. Rursus praeposito constituto, bonum est et Deo gratum, ut illi oboediatur, cum scriptum sit: , . . oboedite

[1] Bellarmin. l. c. n. 18 sqq.

praepositis vestris.' Hebr. 13, 17. At omne quod Deo placere constat, testimonio ipsius recte voveri potest, ut adversarii concedunt; poterit igitur oboedientia exhibenda praeposito a nobis ipsis electo, et cui alioquin oboedire non teneremur, recte voveri" [1], ratione utique, id quod per se intelligitur, earum tantum rerum, quae malae non sunt. Atque hanc vitam religiosorum communem et hanc oboedientiam pariter magnopere in perfectionis studio adiumento esse clarum est. Qui enim in eiusmodi communitate vivit, perpetuo videt optima religiosae vitae exempla et audit quamplurima, quibus ad perfectam virtutem consectandam incitatur. Qui oboedientiam vovit, numquam sibi soli suaeque imprudentiae permissus est, sed perpetuo viri gravis ductu prudentia, virtute, amore praestantis suaviter regitur et in perfectionis via sapienter dirigitur, ita ut, si docilis sit, ut oportet, ad invia deviare vix possit. Eiusmodi autem ductus in via christianae perfectionis summe utilis est vix non omnibus, cum, experientia teste, viri etiam aetate iam satis provecti et literis ac doctrina eruditi sine eo iam saepius a veritatis et virtutis christianae via multum aberraverint; necessaria vero est imprimis adulescentibus, qui, nisi sapientis magistri auctoritate atque consilio in via perfectionis religiosae reguntur, iuvenili imprudentia et levitate a recta via facile deducuntur. Accedit, quod qui ad vitam in religioso ordine agendam a Deo vere vocatum se sentit, oboedientiae votum bene exsequendo certus redditur, se agere a primo mane usque ad vesperam semper *quae* Deus vult ab ipso agi; itaque si ipse etiam agere serio studeat, *quomodo* et *quia* Deus vult, gaudio et animi pace fruitur. Idque eo magis, quod tum consideratione parvitatis huius terrarum orbis comparati cum reliquo mundo universo, tum exemplo Christi Domini usque ad tricesimum aetatis annum vitam plane absconditam viventis et ex oboedientia erga matrem Mariam et nutritium S. Ioseph opera secundum hominum opinionem infima facientis recte persuasum habet, nihil omnium eorum, quae ab hominibus geruntur, vere magni aestimandum esse, nisi quod secundum divinam voluntatem sit, omnesque illos, qui huius terrae orbiculi reculas, divitias, honores, voluptates, scientias aliaque cuncta per se et sine ulla ad Deum relatione spectatas magni faciant, vanos esse ac terribili modo aliquando in aeternitate ab hoc suo errore liberandos fore. — Ceterum religiosus probe sibi conscius est, se superioribus suis tantum ut vicariis Dei, utpote solius Domini, oboedire, gaudetque se Deo sanctissimo immediate et unice posse servire. Unde tantum abest, ut hac sua plena oboedientia religiosus animi virtute ac nobilitate privetur, ut ad magna pro Deo agenda incitetur veramque voluntatis fortitudinem acquirat; quod sane quam plurima exempla, v. g. S. Francisci Xaverii, clare demonstrant. Et profecto si religiosus Dei amore superiori oboedientiam in re licita praestando sese abiceret, multo magis sese abicerent milites aliique multi, qui non sponte, sed plus minusve coacti praepositis obtemperant. Sed quis hoc affirmet?

Quare mirum non est, quod Leibnitius hoc praeclarum testimonium sacris religiosorum ordinibus Ecclesiae romano-catholicae dedit [2]: „Neque id [homines eam habere asceticos et contemplativos et in aliorum necessitates sublevandas plurimum intentos] ex minimis eorum est, quae Ecclesiam illam

[1] Ibid. c. 21, n. 10.

[2] System der Theologie lateinisch und deutsch ... von Räß und Weiß, ed. 3, Mainz 1825, 84 sqq.

commendant, quae una catholicae nomen et insignia retinuit: *in qua sola videmus excellentium virtutum, asceticaeque vitae eminentia exempla passim edi atque curari.* Itaque fateor, mihi semper religiosos ordines piasque confraternitates ac societates aliaque huiusmodi laudabilia instituta mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo remotis depravationibus et abusibus, secundum instituta fundatorum regantur, et a Summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari; interdicere sibi variis illecebris atque ipsa iucunditate colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum ac divinae meditationi vacetur; dedicare se educationi iuventutis ad spem doctrinae ac virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis, in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae caritatis officio deterreri: quicumque haec ignorant aut spernunt, hi nihil nisi plebeium et vulgare de virtute sapiunt, et hominum obligationem erga Deum sollemnium qualicumque obitione, ex frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur."

VII. Sancta pariter est Ecclesia romano-catholica ratione vitae suae internae et externae, et

1. quidem internae. Fovet enim ea internam vitam christianam docendo semper filios suos rectam fidem, celebrando concilia, sacros sermones habendo, catechesim et bonos libros tradendo aliisque modis instruendo eosque ab omnibus adversariorum erroribus summa vigilantia pro viribus defendendo. Et hanc ipsam Christi doctrinam puram praedicando fovet etiam continuo spem atque caritatem tum erga Deum tum erga homines, hasque duas virtutes insuper fovere studet frequenti et digno sacramentorum usu, cultu divino vere eximio atque institutione et approbatione omnis generis ordinum et sodaliciorum. In pauperum autem ac miserorum hominum gratiam quanta Ecclesia romano-catholica praestitit semperque praestat! Certe in singulis ferme orbis catholici urbibus atque saepius in ipsis vicis et montibus domos aedificavit, in quibus pauperes, aegroti, peregrini, pupilli, infantes derelicti et neglecti exciperentur, curarentur, religiose instituerentur. Atque non minore studio fideles suos ubique excitat ad colendam virtutem religionis in cultu Dei et pia precatione maxime sitae; item iustitiae, temperantiae, castitatis, fortitudinis, patientiae in tolerandis Dei amore omnis generis adversis et infortuniis. Praeterea hortatur ad perfectam oboedientiam erga parentes, erga reges aliosque superiores legitimos, hos vero ad moderationem, mansuetudinem, iustitiam subditis exhibendam. Verbo, nihil non agit, ut omnium virtutum cultus inter filios suos optimo quo fieri potest modo vigeat semper et ubique. Et eo magis quidem is viget, quo magis fideles Ecclesiae romano-catholicae doctrinam sequuntur eiusque praecepta atque instituta servare student. — Cui Ecclesiae studio eius filios, etsi non omnes, quam plurimos tamen omni aetate ita respondisse et adhuc respondere, ut ipsa

2. etiam ratione vitae suae externae sancta sit, negari non potest. Nam a primordiis suis ad hanc usque aetatem semper longe maxima fidelium pars sincere credidit ac publice professa est apostolicam doctrinam, quam haec Ecclesia ipsis credendam et profitendam proposuit. Multi etiam utriusque sexus adulescentes innocentes aut semper aut saltem diu vixerunt et adhuc vivunt; innumeri autem, qui aliquando gravia peccata etiam per longius tempus commiserunt, ideo tamen minime omni virtutum cultui dicendi sunt renuntiasse, sed unum alterumque praeceptum graviter violantes alia omnia sat bene observarunt, et quod maximum est, serius ocius sacrae praesertim confessionis beneficio ad meliorem frugem ita reducti sunt, ut postea numquam aut certe valde raro Deum graviter offenderent, atque vita vere christiana omnibus exemplo essent, prioraque peccata debitae castitatis, temperantiae, patientiae in adversis aliarumque virtutum studio serio expiarent. Ac certe, id quod sacerdotes optime cognitum habent, ubique terrarum in quamplurimis catholicorum familiis semper viguit et adhuc viget vita vere christiana, et nonnumquam quidem egregio modo, ita ut in illis omnium ferme virtutum exempla edantur. Reperiuntur haud raro etiam aegroti, qui tam admirabili patientia graves et valde diuturnos morbos tolerant, ut non solum humiles ac devoti, sed etiam laeti huic divinae voluntati sese submittant omnesque dolores atque molestias Christi crucifixi amore libenter sufferant. Reperiuntur nonnumquam virgines adultae, quae, tametsi ipsa vitae conditione innumeris castitatis periculis expositae sunt, tamen et animo plane puras et in parentes Deumque pias usque se conservant, officiisque suis omnibus optime funguntur. Item inter viros nobiles, inter literis eruditos, inter magistratus omni tempore fuerunt multi praeclaris christianae perfectionis virtutibus praediti, atque in ipsis illis locis, vicis et urbibus, in quibus est maxima hominum corruptorum multitudo, sunt plerumque pariter alii nonnulli vere religiosi, qui vitae christianae puritate mirum in modum excellunt.

Imprimis autem vitae externae Ecclesiae romano-catholicae sanctitatem testantur Pontifices Romani, episcopi, sacerdotes, missionarii, utriusque sexus religiosi. Horum enim omnium status eminet professione perfectae castitatis, altissimae igitur illius virtutis, quam Christus consuluit quidem, sed nemini praecepit; status religiosorum insuper observantia et voto voluntariae paupertatis et oboedientiae perpetuae. Iam inter hos omnes praeter eos, qui ab Ecclesia sollemni iudicio sancti vel beati declarati sunt, fuerunt omni aetate innumerabiles, qui illa vota bene servantes difficillimis Christi consiliis plane responderunt, atque insuper tota vita sua vere religiosos, probos, modestos, Dei hominumque amantes ita se probarunt, ut egregii Pontifices totius Ecclesiae, episcopi, presbyteri, religiosi fuerint et ut tales ab omnibus, qui probe eos cognoverunt ac veritatis studiosi ac sinceri erant, reapse etiam celebrarentur. Et ut taceam, quanta episcopi divenditis

saepe ad pauperes sublevandos ipsis templorum suorum thesauris, aliisque utilibus mirandae beneficentiae et zeli animarum operibus praestiterint, quantaque pariter presbyteri, missionarii, religiosi pro hominum praesertim pauperum cura et levamine proque puerorum et adulescentium institutione egerint, quis non miretur invictam animi fortitudinem tot utriusque sexus hominum, qui sine ulla spe terreni emolumenti ad exteras convolant missiones omnique studio et opera inter maximas omnis generis difficultates laborant, ut homines Christo concilient, conservent, excolant, quique ad martyrium pro Christo subeundum semper parati sunt! Et quis non suspiciat tot virgines et adulescentes, qui nobili genere nati et opibus atque aetate florentes spretis et abiectis deliciis, voluptatibus, honoribus omnique arridente sibi fortuna humana, se Christo totos devovent eiusque consilia professi aut in secreto soli, aut coadunati sive aegrorum curae sive puerorum puellarumque institutioni vivunt? Eiusmodi autem heroes Ecclesia romano-catholica omni aetate multos inter suos habuit. Semper igitur splenduit et splendet haec Ecclesia illustribus difficillimarum virtutum exemplis, seque iis solis ratione vitae suae externae vere sanctam egregie demonstrat. Ex quibus sane manifestum est, Ecclesiam romano-catholicam similem semper fuisse bonae omnino arbori, quae propria sua virtute fert fructus bonos atque optimos.

Fuerunt quidem omni aetate et hodie sunt et semper erunt inter catholicos etiam quamplurimi peccatores, atque mali interdum fuerunt inter ipsos Pontifices Romanos ac saepius inter episcopos, presbyteros et utriusque sexus religiosos, praesertim initio saeculi XVI et saeculo XVIII ad finem vergente et primis saeculi XIX decenniis. Sed haec corruptio ipsi Ecclesiae romano-catholicae minime imputari potest; non enim illa corruptio ex ipsius doctrina et agendi ratione ullatenus provenit, sed Ecclesia, quemadmodum ex conciliorum collectionibus maxime evidens est, singulis saeculis vitia exstirpare et tollere summopere studuit. Quod si impedire ea ac tollere non semper potuit, id temporum infelicitati hominumque praesertim libertati ac pravitati tribuendum est. Saepe etiam „obstitit reipublicae potestas, quae flagitiosos munere privari non est passa nisi iudicio tribunalis civilis, vel cum litis discrimine. Nonnumquam graviorum malorum metus effecit, ut pravi tolerarentur, exemplo evangelici domini agri, qui vetuit, ne zizania radicitus evellerentur, cum grani discrimine. Quodsi nonnumquam praesulum socordia vel exemplo gravissima mala invaluerint, non ideo Ecclesia desiit esse sancta, quae purissima morum praecepta legesque sanctissimas tradit“ [1], sed suo vitio illi praesules peccabant, eadem ratione, qua Iudas Iscariotes propria malitia Christum prodidit, eiusque perversitate nec Christi nec apostolorum collegii sanctitas violata et offuscata est. Item impietas saeculi XVIII et XIX non ex ipsa Ecclesiae romano-catholicae doctrina et agendi ratione enata est, sed ex Anglia orta et in Gallias aliasque regiones pessimorum hominum opera propagata et conservata in eam insurrexit et adhuc insurgit tamquam in maximum et unicum verum adversarium.

[1] Kenrick l. c. n. 266, p. 169 sqq.

Obiciunt protestantes aliqui, *teste scientia statistica certa peccata frequentius committi inter catholicos quam inter protestantes*, statum igitur moralem catholicorum inferiorem esse quam protestantium [1]. Dicunt scil.

a) numerum infantium illegitimorum multo maiorem esse apud catholicos quam apud protestantes, fornicationem igitur apud catholicos multo magis grassari.

Inter 100 neonatos scil. illegitimos esse in Austria 14,5, Bavaria 13,9, Saxonia 12,6, Mecklenburgio (Schwerin) 12,5, Lusitania 12,2, Suecia 11,0, Wurttembergio 10,2, Dania 9,6, Regno Germanico 9,1, Gallia 9,0, Hungaria 8,8, Belgio 8,4, Alsatia-Lotharingia 8,2, Badenia 8,1, Hassia 8,0, Borussia 7,7, Norvegia 7,3, Scotia 7,1, Finnlandia 6,7, Italia 6,6, Rumenia 5,7, Helvetia 4,7, Hispania 4,7, Anglia 4,2, Luxemburgi 3,13, Hollandia 3,0, Russia 3,0, Hibernia 1,6, Serbia 1,1. Praeterea nusquam plures illegitimos numerari quam in regionibus catholicis Carinthia, Austria inferiore, Styria.

Sed adverte, α) frequentiam fornicationis numero filiorum illegitimorum male diiudicari. Potest enim alicubi fornicatio quam maxime grassari, ita tamen ut filii non multi illegitimi nascantur. Quod ut magis pateat, haec brevissime annotamus: α′) ex meretricibus raro filios nasci notum est. Frequentia tamen meretricum fornicationis frequentiam sine dubio demonstrat. β′) Multi qui inter legitimos filios in tabellis statisticis numerantur, ex actu fornicatorio orti sunt. V. g. ex 10414 primogenitis (annis 1890—1894) Dresdae natis 4048 ante octavum post matrimonium initum mensem nati erant, ita ut in ea urbe circa 40 % omnium primogenitorum ex actu peccaminoso ortum duxerint. In Dania ex 999 primogenitis 389 intra septimum post initum matrimonium mensem, 481 ante nonum post matrimonium mensem completum nati sunt, et 163 sponsae ante coniugium pepererant. Inter protestantes ruricolas Germaniae 40 % omnium sponsarum post virginitatem peccato amissam matrimonium iniisse, virorum doctorum inquisitionibus a. 1895 sqq notum factum est. β) Interdum etiam in tabellis statisticis inter illegitimos recensentur ii, qui revera sunt legitimi. V. g. in Italia multi pauperes dicuntur matrimonium contrahere solum in facie Ecclesiae, non vero coram functionario civili. Horum filii in tabellis statisticis numerantur inter illegitimos. γ) Frequentia filiorum illegitimorum in Bavaria et Austria oritur ex eo, quod multi ibi difficulter matrimonium inire possunt. Certe in Bavaria australi rusticorum magna latifundia ex consuetudine uni tantum filio heredi traduntur, heredis vero fratres servi sunt in paterna domo, ita ut vix uxorem alere possint. Praeterea leges difficile pauperibus reddunt matrimonium, quibus quid efficiatur, hoc facto ostenditur. Sublata anno 1868 una ex legibus coniugium impedientibus statim numerus partuum illegitimorum, qui antea erat 22,2 %, ita decrevit, ut a. 1875 esset 12,6 %. In Austria vero solum agriculturae aptum divisum est inter relative paucos rusticos, qui permultis servis matrimonio non iunctis eius culturam committunt. Inter hos multi concubinatum ineunt eo animo, ut postquam satis pecuniae sibi acquisiverint, matrimonium contrahant. In regionibus protestanticis, ubi similes conditiones externae sunt, eaedem sequelae inveniuntur. In Mecklenburgio v. g. fere 300 loci sunt, in quibus paene media pars partuum est illegitima, 80 vero loci, in quibus omnes filii sunt illegitimi [2]. Quod etsi incredibile videtur, tamen pro certo a fide dignis affirmatur.

---

[1] Sequimur omnino H. A. Krose S. J., Religion und Moralstatistik, München s. a. [1906]; cf. Idem, Der Einfluß der Konfession auf die Sittlichkeit. Nach den Ergebnissen der Statistik, Freiburg 1900.

[2] v. Oettingen, Moralstatistik[3], Erlangen 1882, 314, apud Krose l. c. 22.

Ex his iam vides, cum magna cautela procedendum esse, si agatur de causis indagandis, cur in tabellis statisticis numeri sint maiores vel minores. Non quidem negamus, etiam ex statistica scientia inveniri posse, quid religio catholica vel protestantica efficere valeat ad corrigendos mores; sed si comparationem talem instituere velis, debes seligere duas communitates, alteram catholicam, protestanticam alteram, quae *sola* religione differant, ceteris *omnibus* rebus aequales sint. Sic enim concludere poteris, maiorem vel minorem frequentiam criminum soli religioni ascribendam esse. Si vero comparaveris communitates diversissimarum regionum, quarum incolae non solum religione, sed etiam indole, consuetudinibus, divitiis vel pauperie, legibus quam maxime differant, facile erraveris, si uni religioni tribueris, quod fortasse ex rationibus longe aliis ortum ducit.

Iam vero hoc principium si applicueris ad rem nostram, multo minorem esse numerum partuum illegitimorum apud matres catholicas quam apud protestanticas facile videbis. Inter annos enim 1875—1900 in regno Borussiae constat singulis millenis in matrimoniis protestanticis natis accessisse 105,0 infantes illegitimos matrum protestanticarum, singulis millenis in matrimoniis catholicis natis solum 67,2 illegitimos matrum catholicarum. Si consideraveris virgines utriusque religionis constitutas inter annos aetatis 15 et 50, in singulis earum millenis in Borussia apud catholicos invenis partus illegitimos 6,9, apud protestantes 16,3. Dicunt quidem, differentiam hanc oriri propter Polonos catholicos, quos cum aliis comparare non possis, quia indole et externis conditionibus longe diversi sint ab aliis. Sed Poloni, cum quartam partem tantum efficiant catholicorum in Borussia, quomodo ii possunt tantum discrimen efficere? Praeterea e contrario apud Polonos plures numerantur partus illegitimi quam apud Germanos.

Obiciunt b) numerum eorum, qui ex legibus variis poenis affecti sunt, plures complecti catholicos quam protestantes. Ergo protestantium statum moralem meliorem esse quam catholicorum. At hoc multo minus quidquam probat. Nam α) multi ex legibus puniuntur propter delicta, in quibus moralis culpa vix est. Ergo magnus numerus punitorum non demonstrat statum moralem deteriorem. β) Numerus delictorum, qui in tabellis statisticis indicatur, verus numerus delictorum commissorum non est. Sic v. g. putant periti iuristae, omnium furum 90 % non detegi, ergo multo minus omnium peccatorum commissorum numerus scientia statistica inveniri potest. Sed ut ex numeris statisticarum tabellarum quidquam concludas, ante omnia requiritur, ut ii manci non sint. γ) Praeterea catholicos generatim pauperiores esse quam protestantes, notum est. Facile igitur explicatur v. g. furta parva apud eos frequentius committi. δ) Accedit auctoritas virorum peritissimorum in scientia statistica, qui ex criminum tabellis statisticis demonstrari non posse statum moralem populi concedunt [1].

Ostensum igitur est, nihil facta quae nobis opponuntur, demonstrare contra sanctitatem Ecclesiae. Sed ultra progredi licet. Alia enim facta habentur, quae certissime probant, maiorem vim in refrenandis cupiditatibus

[1] Sic v. g. dicit H. v. Scheel, director Officii imperialis statistici: „Daß die Kriminalstatistik keinen Maßstab für die Moralität der Bevölkerung überhaupt abgeben kann, ist klar“ (Krose l. c. 55). Et in Kriminalstatistik für das Jahr 1890 (II 19) in influxum religionis in frequentiam criminum late inquiritur, et eum non posse demonstrari concluditur (Krose 65).

et peccatis catholicae religioni convenire quam protestanticae. Ex tabellis enim statisticis constat, suicidia et divortia apud catholicos multo rariora esse quam apud protestantes. Et raritatem hanc religioni ascribi debere certo ostendi potest. Nam habes hic facta, quae non ex parte, sed ex toto vel paene ex toto in tabellas statisticas referuntur, et potes ea in re comparare communitates, quae excepta religione prorsus inter se similes sunt.

Iam vero inter 1 000 000 eorum, qui sibi ipsi mortem consciverant, in Borussia erant [1]

	a. 1849—1855	a. 1869—1872	a. 1891—1900
Catholici	49,6	69	93
Protestantes	159,9	187	247
Iudaei	46,4	96	241
in Bavaria vero	a. 1849—1856	a. 1870—1879	a. 1890—1899
Catholici	49,1	73,5	92,7
Protestantes	135,4	194,6	210,2
Iudaei	105,9	115,3	212,4
in Wurttemberga	a. 1846—1860	a. 1872—1891	
Catholici	77,9	126	
Protestantes	113,5	182	
Iudaei	65,6	163	
in Badenia	a. 1864—1870	a. 1891—1900	
Catholici	121	159	
Protestantes	159	250	
Iudaei	95	229	

Divortia vero notum est etiam sine tabellis statisticis apud catholicos multo rariora esse quam apud protestantes. Diligenter in hanc rem inquisitum est a scientia statistica in Helvetia. In singulis millenis matrimoniorum solvebantur ibi divortio matrimonia

pure catholica	0,67	
pure protestantica	2,65	
mixta catholico-protestantica	3,36	4,02
mixta protestantico-catholica	4,81	

Ut recte iudices de his numeris, animadvertendum est, catholicos in Helvetia ruri, protestantes frequentius in urbibus degere. Notum autem est, ruri rarius divortia fieri quam in urbibus. Ergo ut influxum religionis in numerum divortiorum invenias, numeri pro catholicis supra positi paulo augendi, protestantium paulo minuendi sunt. Quod si feceris, cum divortia ruri facta se habeant ad divortia in urbibus facta ut 1,80 ad 3,82, loco numerorum 0,67, 2,65, 3,36, 4,81, 4,02 hi ponendi sunt: 0,77, 2,62, 3,48, 4,85, 4,11.

In imperio Germanico in tabellis statisticis non discriminantur catholicorum divortia a protestantium, sed diversarum provinciarum divortia numerantur. Inter 100 000 matrimonia divortia numerabantur in

	a. 1895—1899	a. 1900—1904
Borussia orientali	101	72
„ occidentali	92	75
Berolini cum circuitu	459	310

[1] Krose l. c. 73 sqq; cf. Idem, Der Selbstmord im 19. Jahrhundert, et Die Ursachen der Selbstmordhäufigkeit (90. et 91. Ergänzungsheft zu den Stimmen aus Maria-Laach), Freiburg 1906.

	a. 1895—1899	a. 1900—1904
Brandenburgia	129	112
Pommerania	103	86
Posnania	55	37
Silesia	84	65
Saxonia	113	98
Slesvigia-Holstenia	101	115
Hannoveria	50	54
Westfalia	41	44
Hassia-Nassovia	61	68
Provincia Rhenana	49	67
Hohenzollerania	16	23

Nulla ex his provinciis est pure catholica, sed eas in quibus multi degunt catholici, facile ex numeris appositis cognoscis.

Ergo scientia statistica, si recte ea usus fueris, testimonium non reddit contra Ecclesiam catholicam, sed pro ea.

VIII. Ecclesia romano-catholica sancta est ratione efficiendae sanctitatis prorsus eximiae et heroicae in nonnullis omni tempore alumnis suis. Sane Ecclesiae romano-catholicae, utpote solius apostolicae, filii sunt praeter sanctissimam Christi Domini matrem Mariam eiusque sponsum S. Iosephum sanctosque apostolos, qui ferme omnes pro Christi causa mortem subierunt, *primum* innumerabiles illi martyres, qui non solum tribus prioribus aerae christianae saeculis, sed postea quoque omni paene aetate ad nostrum usque tempus variis in regionibus ac maxime in Indiis, Sinis, Iaponia, regno Tonkinensi ac Cochincinensi et in Corea ex omni hominum statu, sexu, aetate Christum Deum tanto amore plus quam omnia reliqua prosecuti sunt, ut heroica fortitudine bonorum spoliationem, exsilium, dirissimos cruciatus ac denique crudelissimam mortem laeti et alacres ipsius causa paterentur. Dilectio autem maior hac, qua quis vitam pro alio libens ac sponte profundat, non est, ut Christus ipse dixit Io 15, 13. — *Deinde* Ecclesiae romano-catholicae alumnae pariter innumerabiles sunt magnanimae illae virgines, quae Christi amore per totam vitam perfectam castitatem servarunt eamque ipsa martyrii morte dedicaverunt, ut SS. Potamiaena, Apollonia, Agnes, Lucia aliaeque quamplurimae; atque eiusmodi perfectas virgines omnibus virtutibus ornatas, ut in sanctorum fastis legere est, Ecclesia haec nostra omni tempore, praesertim saeculo XVI, genuit atque formavit: cogita S. Theresiam miro Dei amore flagrantem. — *Tum* Ecclesiae romano-catholicae alumni sunt omnes sancti Patres et Ecclesiae doctores, non minus virtutibus quam religionis christianae scientia insignes: Ignatius, Iustinus, Irenaeus, Cyprianus, Athanasius, Gregorius Nyss., Gregorius Naz., Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Hilarius, Leo M., Gregorius M. aliique plurimi[1]. — Accedunt *denique* innumeri alii sancti, qui confessores vocantur, ex omni

[1] Protestantes hodierni, cum post saeculum II reicere non audeant originem Ecclesiae catholicae, negare iam non possunt martyres etiam huius temporis et Ecclesiae Patres pertinere ad eam Ecclesiam, quam tantopere oderunt, catholicam.

gente et hominum conditione ac sexu: reges atque reginae, nobiles et ignobiles, divites ac pauperes, docti et indocti; iuvenes et senes, caelibes et matrimonio iuncti; episcopi, presbyteri, religiosorum ordinum auctores et auctrices ac socii vel sociae[1]. Quorum auctorum unum tantum nomino, S. Vincentium a Paulo, qui immenso Dei hominumque amore permotus et sua ipsius opera et variorum sodaliciorum institutione solus incomparabiliter plura in miserorum solatium et salutem egit, quam omnes simul sumpti christianae religionis osores, qui se hominum amicos esse gloriantur.

Sanctitatis porro istorum Ecclesiae romano-catholicae filiorum quorum omni aetate nonnulli fuerunt, certissimi testes sunt celeberrima *Acta Sanctorum* a Bollando eiusque successoribus edita; item sincera Martyrum Acta, quae Ruinartius et Assemanus in lucem protulerunt[2], necnon examen, quod iam a saeculo circiter X[3] a R. Pontifice instituitur, antequam aliquis in beatorum vel sanctorum album sollemni modo referatur, primum de eius virtutibus ac doctrina, deinde de miraculis, sive de vera vitae sanctitate veris miraculis confirmata, longum omnino et quam maxime accuratum ac severum, ut in laudato Benedicti XIV opere[4] videre est.

Nimirum non quaevis hominis virtus vel probitas, etiamsi is miracula ediderit, sufficit, ut ab Ecclesia romano-catholica sollemni modo sanctus declaretur, sed requiritur virtus per se omnino eminens et heroica; quae si non affuisse cognoscitur, examen miraculorum, quae ille homo patraverit, non instituitur, sed ab ulteriore causae investigatione cessatur. — Nec dici potest, miracula si in sanctitatis iam per se satis notae testimonium adhibeantur, inutilia esse. Nam si homo miracula et ante et post mortem patrans virtutes modo vere eminenti coluerit, miraculis ipsius intercessione maxime post mortem editis ipse Deus censendus est velle eius sanctitatem comprobare ac magis etiam manifestam et certam reddere. Profecto Deum permittere sive potius efficere, ut intercessione mortui, qui nondum sit in coelis, gravissimi morbi subito curentur, caecis visus, surdis auditus reddatur aliaque vera ac proprie dicta miracula non in viventium tantum utilitatem, sed in illius mortui quoque gratiam edantur, christiano verisimile vix videri potest. Non autem absolute repugnat, quominus ab homine vivo, virtutum quidem studioso, neutiquam tamen sancto, in aliorum utilitatem quandoque vera miracula patrentur, cum id *interdum* etiam per malos homines fieri possit. Quare Ecclesia romano-catholica ad beatificationem et canonizationem imprimis virtutes per se heroicas requirit, nec ex solis miraculis hominis vivi sanctitatem diiudicat.

Atque non minus recte in causa beatificationis et canonizationis ante miraculorum examen inquiritur pariter, utrum homo, de quo agitur, sincere

---

[1] Cf. indicem infra p. 973 sqq.

[2] Dicit iam Cyrillus Alex.: *Αἱ δὲ ἐκκλησίαι Χριστοῦ μυρίας τε ὅσας ἁγίων ἔχουσι κεφαλάς*, ecclesiae vero Christi multa sanctorum capitum milia continent (Comment. in Amos 9, 13—15, n. 85: MG LXXI 580).

[3] Cf. Bened. XIV, De beatific. et canoniz. l. 1, c. 7 8.

[4] L. 3, maxime c. 11 sqq, c. 21 sqq, et l. 4, p. 1, c. 6 sqq.

crediderit et secutus sit veram et apostolicam doctrinam infallibilis magisterii in Ecclesia romano-catholica exsistentis. Nam si ille homo animo non illam, sed adversam haereticam credidisset, itaque plus minusve saltem occulte ab unitate Ecclesiae Christi defecisset, quaecumque mirabilia edidisset, ea aut non fuissent vera miracula, aut certe nihil prorsus iuvarent, ut beatorum catalogo ille ascriberetur. Sane non fuissent illa mirabilia vera miracula, si edita essent in confirmationem falsae doctrinae aut sectae, cuius ille homo socius vel solo animo fuisset, cum Deus non possit permittere, ut in confirmationem ipsius erroris vera miracula patrentur, sed tantum, ut mira opera fiant, quae sat facile a sana mente ut praestigiae vel diabolica opera agnoscantur. Si vero eiusmodi homo vera miracula in utilitatem aegrorum vel ad similem finem propositum edidisset, tamen sanctus neutiquam declarari posset, et si quidem non bona, sed mala fide haereticam doctrinam professus esset, sciens scil., eam non esse veram, manifesto nihil ad salutis aeternae consecutionem ei prodesset, etiamsi, id quod tamen vix credibile videtur, vera miracula ad bonum finem attingendum patrasset.

Unde rectissime iam S. Cyprianus de schismaticis dixit[1]: „Occidi talis potest, coronari non potest. . . . Nam et prophetare et daemonia excludere et virtutes magnas in terris facere sublimis utique et admirabilis res est, non tamen regnum coeleste consequitur quisque in his omnibus invenitur, nisi recti et iusti itineris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus et dicit: multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in tuo nomine daemonia exclusimus et in nomine tuo virtutes magnas fecimus, et tunc dicam illis: numquam vos cognovi, recedite a me, qui operamini iniquitatem.“ Atque in eandem sententiam etiam S. Augustinus de donatistis loquens catholicis dicit[2]: „Nemo ergo vobis fabulas vendat: et Pontius fecit miraculum et Donatus oravit, et respondit ei Deus de coelo. Primo aut falluntur aut fallunt. Postremo fac illum montes transferre. Caritatem autem, inquit, non habeam, nihil sum. Videamus, utrum habuerit caritatem. Crederem, si non divisisset unitatem.“ Addit, Christum praemonuisse nos circa huiusmodi prodigia, quae contra unitatem ipsius Ecclesiae ederentur, atque hisce concludit: „Teneamus ergo unitatem, fratres mei; praeter unitatem et qui facit miracula, nihil est.“ Alibi Augustinus de haereticorum operibus mirabilibus: „Removeantur ista, inquit, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quae dicuntur, aut si haereticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus. . . . Exaudiuntur ergo multi et multis modis, non solum christiani catholici, sed et pagani et iudaei et haeretici, variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur Deo sublimiter atque ineffabiliter iudicante, quid cuique tribuendum sit: sive ab ipso Deo, vel ad poenam malitiae, vel ad solatium miseriae, vel ad admonitionem quaerendae salutis aeternae“, quare veritas ipsorum religionis exinde nullatenus probari possit. Propterea idem S. Augustinus contendit[4], de veritate ecclesiae non esse iudicium ferendum ex prodigiis simpliciter sumptis, ita ut illa iudicanda sit vera, quae opera mirabilia utcumque sibi possit ascribere. Ita enim, inquit, controversia non felici successu moveretur, cum etiam in haereticorum coetu edi possint miracula, vel falsa vel etiam vera, tametsi non ad haeresis confirmationem, sed ad alium finem. Ergo potius, concludit, quoniam utrique S. Scripturas admittimus, ex iis effingamus nobis prius verae Ecclesiae speciem ac formam, Ecclesiae scil. illius catholicae, quae habeat infallibile a Christo institutum magisterium ideoque etiam veram Christi doctrinam.

---

[1] De unit. cath. Eccl. c. 14 15 (Hartel 223).
[2] Tract. 13 in Ioan. n. 17 (ML XXXV 1501).
[3] De unit. Eccl. c. 19, n. 49 (ML XLIII 428).
[4] Ibid. n. 50 (ib. 430).

Secundum hanc speciem deinde diiudicemus, num edita prodigia sint vera miracula necne, ideoque apta aut inepta ad confirmandam religiosi coetus, qui se Christi Ecclesiam dicit, veritatem. Si enim hic coetus est vera catholica Ecclesia, prodigia in eius veritatis confirmationem edita sunt vera miracula, ideoque pro omnibus, qui illa sufficienter cognoscunt, fiunt novum testimonium divinum pro istius Ecclesiae sanctitate in doctrina et moribus, sive ea iam cognita sive incognita fuerit. Si vero iste coetus non sit vera Christi Ecclesia, quaecumque mirabilia opera in eius confirmationem patrentur, ea non sunt vera miracula, cum nec Deus nec boni angeli possint errorem miraculis confirmare. Itaque „quaecumque talia", inquit, „in catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt" [1].

Sed etiam antequam R. Pontifices beatificationis et canonizationis causam sibi solis reservabant, nullus etiam martyr publice ut sanctus haberi et coli licite potuit, priusquam episcopus loci aut etiam metropolita, ut in Africa, severo prius instituto iudicio id permittebat [2].

Iuvat annectere catalogum sanctorum eorum, qui a *R. Pontificibus* canonizati sunt, ita tamen ut ex vetustiore tempore solae commemorentur eae canonizationes, de quibus exstat diploma in Bullario Romano Taurini edito a. 1857 sqq et eius continuationibus [3]. Quo in catalogo numerus singulis nominibus *ante*positus nominat annum quo singuli mortui sunt, numerus *post*positus annum indicat canonizationis. Quodsi bulla canonizationis incidit in alium annum ac ipsa canonizatio, bullae annus uncis inclusus additur.

779 Sturmius 1139.
800? Sebaldus 1425.
973 Udalricus 993.
994 Gerardus Tullensis. 1049 (1050).
1016 Simeon Padilironens. ante 1024.
1022 Bernwardus 1193.
1024 Henricus imp. 1146.
1035 Simeon Trevirensis 1041.
1038 Godehardus 1131.
1039 Cunegundis imp. 1200.
1066 Eduardus rex 1161.
„ Theobaldus ante 1073.
1073 Ioan. Gualbertus 1193.
1079 Stanislaus 1253.
1105 Petrus ab Anagnia 1109.
1106 Benno 1523.
1124 Stephanus a Tigerno 1189.
1136 Leopoldus dux 1485.
1139 Otto Bamberg. 1189.
1148 Malachias 1190.
1153 Bernardus 1174.
1160 Ubaldus 1192.
1170 Thomas Becket 1173.
? Isidorus agricola 1622 (1724).
1180 Laurentius O'Toole 1225.
1197 Homobonus 1199.

---

[1] Quomodo miracula probent, doctrinam revelatam et veram esse, quamquam istorum veritas ex proposita doctrina cognoscenda est, ostendimus vol. I, p. 257.

[2] Benedict. XIV l. c. l. 1, c. 2—5. Vacant-Mangenot, Dictionnaire de théol. cath. II, Paris 1905, 1627 sqq.

[3] Omissi igitur sunt 1. qui sine processu iudiciali et definitiva sententia formali sola cultus universalis pontificia iussione aequipollenter canonizati sunt, ut v. g. SS. Romualdus, Norbertus, Bruno Carthusianus, Petrus Nolascus, Raimundus Nonnatus, Gregorius VII etc.; 2. qui vetustiore tempore sola ossium sollemni elevatione R. Pontificum iussu facta canonizati sunt, v. g. S. Wolfgangus (Jaffé-Kaltenbrunner, Regesta Rom. Pontif. n. 4279); sola iussione Summi Pontificis sanctus declaratus est v. g. Hugo Cluniacensis † 1109, canonizatus 1120 (ML CLXVI 845); 3. ii antiquioris temporis sancti, de quibus diploma pontificium exstat, sed non invenitur in Bullario, v. g. S. Conradus episcopus Constantiensis † 975, can. 1123 (ML CLIII 1273), S. Remigius † 532, can. 1049 (ML CXLIII 616), S. Canutus rex † 1086, can. 1170 (ML CC 608); S. Anselmus † 1109, can. 1163 (ib. 235); Hugo Gratianopolitanus † 1132, can. inter 1134—1136 (ML CLXXIX 256). — Ex posterioris temporis sanctis sine diplomate emisso canonizati dicuntur S. Casimirus et S. Margareta a Cortona.

1203 Guilielmus Roeskildensis 1224.
1209 Guilielmus Bituricens. 1218.
1221 Dominicus 1234.
1226 Franciscus 1228.
1231 Elisabeth Thuring. 1235.
1231 Antonius Patav. 1232.
1240 Edmundus Canterbur. 1246 (1247).
1243 Hedvigis 1267.
1252 Petrus martyr 1253.
„ Clara Assis. 1255.
1253 Richardus a Cicestria 1262.
1257 Hyacinthus 1594.
1270 Ludovicus rex 1297.
1274 Thomas Aquin. 1323.
„ Bonaventura 1482.
1275 Raymundus a Peñaforte 1601.
1282 Thomas Herefordiensis 1320.
1285 Phil. Benitius 1671 (1724).
1296 Coelestinus 1313.
1297 Margareta a Cortona 1728.
„ Ludovic. Tolos. 1317.
1251—1310 VII fundatores Ordinis Servitarum 1888
1303 Ivo 1347.
1306 Nicol. a Tolentino 1447.
1308 Clara a Montefalcone 1881.
1317 Agnes a Montepulciano 1726.
1323 Eleazar 1369 (1371).
1336 Elisabeth Portugall. 1626 (1742).
1341 Iuliana Falconieri 1737.
1345 Peregrinus Latiosi 1726.
1373 Andreas Corsini 1629 (1724).
„ Birgitta 1391.
1380 Catharina Senensis 1462.
1383 (1393) Ioan. Nepomuc. 1729.
1419 Vinc. Ferrerius 1455 (1458).
1440 Francisca Rom. 1608.
1444 Bernardin. Sen. 1450.
1447 Coleta 1807.
1456 Laurent. Iustinianus 1690 (1724).
1456 Petrus Regalat. 1746.
„ Ioan. Capistran. 1690 (1724).
1457 Rita di Cascia 1900.
1459 Antoninus 1522 (1523).
1463 Catharina Bonon. 1712 (1724).
„ Didacus 1588.
1473 Ioan. Kantius 1767.
1476 Iacobus a Marchia 1726.
1479 Ioan. a S. Facundo 1690 (1691).
1484 Casimirus 1521.
1485 Petrus Arbues 1867.
1507 Franc. de Paula 1519.
1510 Catharina Genuens. 1737.
1537 Hieron. Aemilianus 1767.
1539 Ant. Maria Zaccaria 1897.
1540 Angela Merici 1807.
1547 Caietanus 1671 (1690).
1550 Ioan. de Deo 1690 (1691).
1552 Franc. Xaver. 1622 (1623).
1555 Thom. a Villanova 1658.
1556 Ignatius Loyola 1622 (1623).
1562 Petrus de Alcantara 1669 (1670).
1568 Stanislaus Kostka 1726.
1572 Franc. Borgia 1671 (1724).
„ Pius papa 1712.
„ XIX martyres Gorcomenses 1867.
1581 Lud. Bertrand 1671.
1582 Theresia 1622.
1584 Carol. Borrom. 1610.
1587 Felix a Cantalicio 1712 (1724).
1589 Bened. a S. Philadelphio (Niger) 1807.
1590 Cath. de Riciis 1746.
1591 Aloisius Gonzaga 1726.
„ Ioan. a Cruce 1726.
1592 Paschalis Baylon 1690 (1719).
„ Alexander Sauli 1904.
1595 Phil. Neri 1622.
1597 XXVI martyres Iaponenses 1862.
1601 Germana Cousin 1867.
1604 Seraphinus a Montegranario 1767.
1606 Turibius 1726.
1607 Magdalena de Pazzi 1669 (1670).
1608 Franciscus Caracciolo 1807.
„ Andreas Avell. 1712.
1610 Franc. de Solano 1726.
1612 Ios. a Leonissa 1746.
1614 Camillus de Lellis 1746.
1617 Rosa Limana 1671.
„ Alphonsus Rodriguez 1888.
1619 Laurentius a Brundusio 1881.
1621 Ioannes Berchmans 1888.
1622 Franc. Sales. 1665.
„ Fidelis a Sigmaringa 1746.
1623 Iosaphat Kuncevics 1867.
1625 Michael de Sanctis 1862.
1640 Hyacintha de Mariscottis 1807.
„ Franc. Regis 1737.
„ Petrus Fourier 1897.
1641 Ioanna Franc. de Chantal 1767.
1648 Ios. Calasanza 1767.
1654 Petrus Claver 1888.
1660 Vinc. a Paula 1737.
1663 Ios. a Cupertino 1767.
1702 Ios. Oriol 1909.
1716 Franc. de Hieronymo 1839.
1719 Ioan. Bapt. de la Salle 1900.
1721 Pacificus a S. Severino 1839.
1727 Veronica de Iulianis 1839.

1734 Ioan. Ios. a Cruce 1839.
1751 Leonard. a Portu Mauritio 1867.
1755 Gerardus Maiella 1904.
1764 Ioan. Bapt. de Rubeis 1881.
1775 Paulus a Cruce 1867.
1783 Bened. Ioseph. Labre 1881.
1787 Alph. Liguori 1839.
1791 Maria Franc. a Vulneribus D. N. I. Chr. 1867.
1820 Clemens Maria Hoffbauer 1909.

IX. Haec Ecclesia denique sancta quoque est ratione doni miraculorum. Sanctam enim esse eius doctrinam plurimorum filiorum eius quovis saeculo divinis prodigiis probatum est.

Certe S. Irenaeus, testis gravissimus, de miraculis in Ecclesia romanocatholica saeculo II patratis tamquam de frequentibus et publicis loquitur. Exprobrans enim haereticis, eos miracula edere non posse, scil. caecis visum et surdis auditum reddere, id quod in Ecclesia fieri testatur, subiungit[1]: „Tantum absunt ab eo, ut mortuum excitent: quemadmodum Dominus excitavit, et apostoli per orationem; et in fraternitate *saepissime* propter aliquid necessarium ea, quae est in quoquo loco Ecclesia universa, postulante per ieiunium et supplicationem multam, reversus est spiritus (*τὸ πνεῦμα*) mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum." Et rursus de sui temporis catholicis scribit[2]: „Alii daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum, et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt. Iam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt et perseverarunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerus dicere gratiarum (*χαρισμάτων*), quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Iesu, crucifixi sub Pontio Pilato, *per singulos dies* in opitulationem gentium perficit." Idem Tertullianus testatur, gentiles fidenter provocans[3], ut christianorum in daemones potestatis periculum faciant coram tribunalibus, consentiens, ut christiani, qui eos non valeat comprimere, fundatur sanguis. Et alibi ait[4]: „Daemones non tantum respuimus, verum et revincimus, et *cotidie* traducimus, et de hominibus expellimus, sicut *plurimis* notum est." Origenes quoque dicit[5], miraculorum „patrandorum vim ac potestatem penes christianos esse, cum ex multis aliis, tum inde maxime efficitur, quod eorum adhuc supersint vestigia apud eos, qui ex legis christianae praeceptis vitam suam moresque exigunt". Necnon S. Cyprianus multa prodigia refert[6], quibus in crimina lapsi christiani divinitus puniti sint, eorumque aliqua se ipso sacra faciente et teste oculato evenisse affirmat. Et Demetrianum, virum gentilem et probabiliter vel iudicem vel unum e conciliariis, qui praesidi solebant in iudiciis assistere, ita alloquitur[7]: „O si audire eos [gentilium deos] velis et videre, quando adiurantur a nobis, torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus eiciuntur, quando eiulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes venturum iudicium confitentur. Veni et cognosce vera esse, quae dicimus. . . . Videbis nos rogari ab iis, quos tu rogas, timeri ab iis, quos tu adoras: videbis sub manu nostra stare vinctos et tremere captivos, quos tu suspicis et veneraris ut dominos." Ac rursus Cyprianus ad Donatum dicit[8], veris ac ferventibus christianis divinitus dari facultatem, „castitate sobria, mente integra, voce pura in medelam dolentium posse venenorum virus exstinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, ut recedant duris ver-

[1] Adv. haer. 2, 31, 2 (MG VII 824).
[2] Ibid. c. 32, n. 4 (ib. 829).
[3] Apol. c. 23 (ML I 413).
[4] Lib. ad Scapul. c. 2 (ib. 700).
[5] C. Cels. l. 1, n. 2 (MG XI 655).
[6] Lib. de lapsis c. 24—26 (Hartel 254 sqq).
[7] Lib. ad Demetrian. c. 15 (Hartel 361 sq).
[8] Ibid. c. 5 (Hartel 7).

beribus urguere, conflictantes, eiulantes, gementes incremento poenae propagantis extendere, flagris caedere, igne torrere."

Qui porro et malorum daemonum exsistentiam et homines ab iis obsessos admittit — et quis Christi religionem sincere professus hoc neget? — non potest non confiteri, istam daemonum expulsionem non naturali vi, sed supernaturali divina virtute effectam esse, ideoque verum miraculum saepe repetitum fuisse. De S. Gregorio Neocaesariensi, qui a miraculis patratis Thaumaturgi nomen accepit, ait S. Basilius[1]: „Sed omnino perlongum fuerit, viri percensere miracula, qui propter donorum excellentiam, quae in ipso operabatur Spiritus *in omni virtute*, signis et prodigiis (*ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι*), ab ipsis veritatis hostibus alter Moses appellabatur"; et multa sane eaque magna miracula a Gregorio patrata refert Gregorius Nyss. in illius vita[2]. Acceperant autem Nyssenus et Basilius haec ab avia sua Macrina, quae utrumque educavit et adulescens Gregorium Thaumaturgum noverat et christianam religionem praedicantem audierat; necnon ab aliis, maxime Neocaesareensibus, apud quos diutius fuerant. Miracula etiam tribus primis saeculis in christianorum martyriis edita passim leguntur in sinceris martyrum actis apud Ruinartium et Assemanum. Eusebius refert[3] pariter miraculum a Narcisso episcopo Hierosolymitano patratum; item quamplurima tum miracula tum vaticinia S. Athanasius de S. Antonio in huius vita[4]. A S. Hilarione in eius vita Hieronymus scribit[5], tres nobilissimae matronae filios a medicis prorsus desperatos crucis signo et Iesu invocatione extemplo sanos parentibus restitutos esse; atque alia insuper quamplurima miracula et publica quidem ac magna eundem patrasse deinceps tradit[6]. Postea S. Augustinus de suo tempore testatur[7]: „Etiam nunc fiunt miracula in eius [Christi] nomine sive per sacramenta eius, sive per orationes vel memorias sanctorum eius; sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta quanta illa [a S. Scriptura relata] gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem definitum [al.: diffamatum] esse oportebat, illa facit ubique recitari, et memoriae cunctorum inhaerere populorum: haec autem ubicumque fiunt, ibi sciuntur vix a tota ipsa civitate vel quocumque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus ceteris, maxime si magna sit civitas; et quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis christianis fidelibus a fidelibus indicentur. Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est caecus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis est civitas, et ibi erat tunc imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii et Gervasii: quae cum laterent et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt; ubi caecus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit." Plurima deinde pergit Augustinus eodem loco referre alia miracula atque etiam complurium mortuorum ad vitam resuscitationem, quorum miraculorum aliqua se ipsum vidisse affirmat, ex illis maxime, quae, cum S. Stephani reliquiae transferrentur, edita sunt[8], quaeque etiam ab aliis illius temporis scriptoribus referuntur. Quod igitur Augustinus alibi dicit[9]: „Cum Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quaereret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum", in hanc tantum sententiam accipere licet, quod tunc temporis miracula non tam frequenter patrabantur quam Christi et apostolorum

---

[1] De Spiritu Sancto c. 29, n. 74 (MG XXXII 206). [2] MG XLVI 915—931.
[3] H. E. 6, 9, 2. [4] N. 54 57 67 (MG XXVI 919 sqq).
[5] N. 14 (ML XXIII 34). [6] Ibid. n. 14—23 et rursus n. 32 39 40 42 43.
[7] De civ. Dei 22, 8, 1—2 (ML XLI 760).
[8] Cf. de his Aug., Serm. 323 324 (ML XXXVIII 1445 sqq), et Anonymi de S. Stephani miraculis libri duo (ML XLI 833 sqq).
[9] De vera relig. c. 25, n. 47 (ML XXXIV 142). Scripsit Augustinus hunc librum ca a. 390, ergo longe ante reliquias S. Stephani a. 415 inventas.

aetate. S. Ambrosius etiam testatur multa miracula tempore inventionis reliquiarum SS. Protasii et Gervasii edita. Scribens enim ad sororem suam Marcellinam refert[1], se ad populum Mediolanensem illa occasione dixisse: „Cognovistis, immo vidistis ipsi multos a daemoniis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus absolutos: reparata vetusti temporis miracula, quo se per adventum Domini Iesu gratia terris maior infuderat, umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis." Et de caeco illo, de quo Augustini verba iam retulimus, quique nomine Severus homo omnino notus erat, Ambrosius nominatim dicit[2]: Ariani „negant caecum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: video, qui non videbam. Ille dicit: caecus esse desivi, et probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt." Atque idem miraculum testatur Paulinus, in vita S. Ambrosii dicens[3]: „Caecus etiam, Severus nomine, qui nunc usque in eadem basilica, quae dicitur Ambrosiana, in quam martyrum corpora sunt translata, religiose servit, ubi vestem martyrum attigit, statim lumen recepit." Quapropter recte dicitur in Actis Sanctorum[4]: „Nulla res humanis testimoniis certior magisque indubitata videtur reddi posse, quam sit miraculum illud caeci illuminati coram immensa multitudine patratum, a tribus gravissimis viris assertum, clarisque rationibus contra arianorum calumnias ab Ambrosio confirmatum." Item in vita S. Martini Turonensis Sulpitius Severus quam plurima praeclara miracula ab ipso patrata refert, ex quibus praecipue hic memoranda videtur duorum mortuorum ad vitam resuscitatio[5]. Medio saeculo V S. Leo M. dixit[6], *omnibus „fere ubique martyribus* pro susceptarum tolerantia passionum hoc ad merita ipsorum manifestanda donatum" esse, „ut opem periclitantibus ferre, morbos abigere, immundos spiritus pellere et innumeros possint curare languores".

Clarum autem in fidei catholicae comprobationem miraculum contigit anno 484 in Tipasensi Mauritaniae maioris civitate. Ut enim aequalis scriptor et in Byzacena Africae provincia episcopus Victor Vitensis scribit[7], rex Hunericus in illam civitatem „comitem quendam cum iracundia dirigens praecepit, ut in medio foro congregata illuc omni provincia, linguas iis [catholicis] et manus dexteras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto praestante, ita locuti sunt et loquuntur, *quomodo antea loquebantur.* Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconum Reparatum, sermones *politos sine ulla offensione* loquentem." Idem testatur imperator Iustinianus[8]: „Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis suas poenas miserabiliter loquebantur." Eiusdem rei testis Procopius Caesar. scribit[9]: „Christianos Africae tam crudeliter tamque iniuste nemo vexavit quam Honoricus. Cum enim illos ad sectam arianam compelleret, quoscumque parum ad obsequendum promptos deprehendebat, igne aliisque suppliciis excruciatos necabat. Multis linguam faucium tenus abscidit, qui nostra etiam aetate superstites Byzantii *explanate loquebantur, nullum capientes sensum illius poenae.* Ex his duo rem habere ausi cum meretricibus, sermonis usum amiserunt." Haud minoris auctoritatis testimonium est Aeneae Gazaei, philosophiae platonicae sectatoris, qui in dialogo, quem Theophrastum inscripsit, de immortalitate animae et corporum resurrectione locutus de illa linguae

---

[1] Ep. 22, n. 9 (ML XVI 1022). [2] Ibid. n. 17 (ib. 1024).
[3] N. 14 (ML XIV 32). [4] Ad diem 9 sept. (VI 854, n. 421).
[5] N. 7 8 (ML XX 164 sq). [6] Serm. 5, c. 4 (ML LIV 155).
[7] De persec. vandal. l. 5, n. 6 (ML LVIII 245). [8] Cod. l. 1, tit. 27.
[9] Hist. vandal. l. 1, c. 8 (Dindorf 344: Corp. script. hist. Byzantinae P. 2, vol. I, Bonnae 1833): *Πολλῶν δὲ καὶ τὰς γλώσσας ἀπέτεμεν ἀπ' αὐτῆς φάρυγγος, οἳ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ περιόντες ἐν Βυζαντίῳ ἐχρῶντο ἀκραιφνεῖ τῇ φωνῇ οὐδ' ὁπωστιοῦν ταύτης δὴ τῆς τιμωρίας ἐπαισθανόμενοι· ὧν δὴ δύο, ἐπειδὴ γυναιξὶν ἑταίραις πλησιάζειν ἔγνωσαν, οὐκέτι φθέγγεσθαι τὸ λοιπὸν ἴσχυσαν.*

catholicorum in Africa excisione dicit[1]: „Ipse ego hos viros vidi, et loquentes audivi, et *vocem adeo articulatam esse posse miratus sum:* instrumentum vocis inquirebam, et auribus non credens, oculis iudicandi munus remisi, atque ore aperto linguam totam radicitus evulsam vidi, ac stupefactus mirabar, non sane quo pacto vocem conformarent, sed quomodo conservati essent." Idem refert etiam Marcellinus comes, simul addens aliud eiusdem generis aeque mirandum. Scribens enim in Chronico Ind. 7, Theodorico et Venantio Coss., i. e. ad a. 484 de Hunerico vandalorum rege catholicos Africae persequente ait[2]: „Tunc rex Hunericus unius catholici adulescentis, vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam praecepit excidi, idemque mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox praecisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suae exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros praecisis linguis, manibus truncatis apud Byzantium integra voce conspexi loquentes." Atque ut his duos alios testes saeculi VI addamus, Victor Tununensis in Chronico ad consulatum Zenonis Augusti (a. 479) de iisdem confessoribus ait[3]: „Quod linguis abscissis *perfecte* finem adusque locuti sunt, urbs regia [Constantinopolis] attestatur, ubi eorum corpora iacent". Gregorius M. vero de rege vandalorum et illis confessoribus dicit[4]: „Raptus in furorem eorum linguas abscidi radicitus fecit. Res mira et multis nota senioribus, quia ita post pro defensione veritatis [catholicae] etiam sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguam consueverant. . . . Hi itaque eo tempore profugi, ad Constantinopolitanam urbem venerunt. Eo quoque tempore, quo pro explendis responsis Ecclesiae ad principem ipse transmissus sum, seniorem quendam episcopum reperi, qui se adhuc eorum ora sine linguis loquentia vidisse testabatur, ita ut apertis oribus clamarent: ecce videte, quia linguas non habemus et loquimur. Videbatur enim a respicientibus, ut ferebat, quia abscissis radicitus linguis, quasi quoddam barathrum patebat in gutture, et tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur."

Ceterum idem miraculum iam priore tempore editum esse testatur Aurelius Prudentius, de martyre S. Romano Antiochiae martyrio coronato haec canens[5]: „Nam scis et ipse posse mutos eloqui. Plectrum palati et faucium saevus tibi Tortor revulsit, nec tamen silentium Indixit ori, quo fatebaris Deum. Vox veritatis testis exstingui nequit, Nec si recisis palpitet meatibus."

Quod idem testantur Pseudo-Eusebius[6] et S. Chrysostomus Antiochiae illum martyrem laudans[7], quodque ut certum referunt etiam Ruinartius[8] et Assemanus[9].

---

[1] MG LXXXV 1001: *Εἶδον ἔγωγε τοὺς ἄνδρας, καὶ λαλούντων ἤκουσα, καὶ τῆς φωνῆς τὸ ἔναρθρον θαυμάζων, τὸ τῆς φωνῆς ὄργανον ἐζήτουν· καὶ τοῖς ὠσὶν ἀπιστῶν, τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐπέτρεπον τὴν κρίσιν, καὶ τὸ στόμα διανοίγων, ὅλην ἐκ ῥιζῶν ἀνασπασθεῖσαν ἐθεώρουν τὴν γλῶτταν· καὶ ἐκπλαγεὶς ἐθαύμαζον, οὐχ ὅπως τὸν λόγον συνήρμοσαν, ἀλλ' ὅπως ἐσώθησαν.*

[2] ML LI 933. [3] ML LXVIII 946.

[4] Dial. l. 3, c. 32 (ML LXXVII 293 sq).

[5] Peristeph. hymn. 10, v. 5—10 (ML LX 445).

[6] L. 2, de resurr. (MG XXIV 1099 sqq).

[7] MG L 610. [8] Acta martyrum 359.

[9] Ibid. 180. — Evidens est, linguam non eodem modo necessariam esse ad loquendum, atque auris vel oculus sunt necessaria ad audiendum vel videndum. Nam etiam sine lingua soni varii edi possunt atque integra verba formari; referuntur etiam varia exempla hominum, qui amissa lingua ita ut intelligi possent loquebantur (E. Twisleton, The tongue not essential to speech; with illustrations on the power of speech in the African confessors, London 1873). Sed haec nota fuisse etiam testibus, quos supra produximus, ex ipsis eorum testimoniis elucet; non enim in hoc reponunt miraculum, quod confessores illi loquebantur, sed in eo, quod eodem modo vel melius ut antea loquebantur.

Saeculo VI R. Pontifex Agapetus, teste Gregorio M.[1], hominem mutum simulque claudum ita, ut nec ullum verbum dicere nec umquam e terra surgere valeret, coram magna populi multitudine miraculo prorsus sanavit. Atque idem Gregorius in dialogis passim quam plurima miracula sua aetate patrata refert; unde quod in sermone dixit[2], miracula initio Ecclesiae necessaria fuisse nullaque iam fieri nisi spiritualia, absoluto sensu minime intelligi potest. Potuit utique esse, ut quos alloquebatur auditores, *ipsi* nulla miracula ederent, sed Gregorium ea universim de tota Ecclesia neutiquam intellexisse, ex modo dictis omnino constat.

Quae porro a S. Augustino Anglorum apostolo miracula edita Gregorio M. referebantur, huic adeo certa et magna visa sunt, ut ei ipse haec scribenda esse duxerit[3]: „Scio, quod omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. . . . Gaudeas, quia Anglorum animae per exteriora miracula ad internam gratiam pertrahuntur; pertimescas vero, ne inter signa, quae fiunt, infirmus animus in sui praesumptionem se elevet, et unde foris in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat.“ Hibernia quoque et Scotia saec. VI innumeris S. Columbae miraculis ac veris vaticiniis claruit[4]. Angliam pariter saec. VIII S. Cuthbertus et sanctus episcopus Ioannes miraculis, teste Beda[5], illustrarunt. In Italia autem saec. X S. Romualdus, ut refert Petrus Damiani[6], miraculis insignis fuit. Saec. XII duo magni thaumaturgi, S. Malachias in Hibernia et S. Bernardus in Gallia, innumeris miraculis Ecclesiam romano-catholicam illustrarunt. Certe in illius vita S. Bernardus, qui Malachiam plus semel in monasterio suo recipiens probe novit ab eiusque comitibus aliisque viris illius stupenda ideoque longe lateque celebrata miracula quam optime cognita habere potuit, multa refert[7].

Innumera vero miracula imprimis S. Bernardus in sacra sua expeditione per Germaniam 1146—1147 patravit. Quae scripta sunt in Vitae S. Bernardi libro VI[8] ab ipsis Bernardi in eo itinere comitibus. Dividitur is liber in tres partes, quarum tertia scripta est a solo Gaufrido, S. Bernardi notario, cum prima et secunda ita ortae sint, ut comites sancti viri, quae cotidie viderant et scripserant[9], inter se conferrent et in unum totum componerent. Ita pars I decem, pars II septem testium

---

[1] Dial. l. 3, c. 3 (ML LXXVII 224).

[2] Hom. 29 in evang. n. 4 (ML LXXVI 1215).

[3] Ep. l. 11, ep. 28 (ML LXXVII 1139; Mon. Germ. Ep. II 306).

[4] Greith, Gesch. der altirischen Kirche 199 sqq.

[5] Hist. eccl. Angl. 4, 28—32; 5, 2—6. [6] Maxime c. 54 (ML CXLIV 997).

[7] C. 17 20 sqq (ML CLXXXII 1095 sqq).

[8] ML CLXXXV 369—416. Ex principiis artis criticae haec miracula ut revera facta debere agnosci, optime ostendit G. Hüffer, Der hl. Bernard von Clairvaux I, Münster 1886, 74—99, et contra Druffel defendit in Histor. Jahrbuch X, München 1888, 23—46 748—807. De controversia hac inter Druffel et Hüffer sic iudicat Ottokar Lorenz, Leopold v. Ranke, die Generationenlehre und der Geschichtsunterricht, Berlin 1891, 324: „Derselbe Streit führte den dankenswerten Beweis, daß man nach den anerkanntesten Grundsätzen der historischen Kritik annehmen müsse, der hl. Bernhard von Clairvaux habe wirklich viele Wunder gewirkt. Und wenn sich die Weisesten der Weisen sonst einbilden zu können glaubten, sie dürften hier ohne weiteres zweifeln und leugnen, so zeigt Prof. Hüffer dagegen deutlich, daß die historische Schule dies nicht gestatte, da nach den Regeln der Kritik in der Tat kein leisester Grund vorliegt, das zu verwerfen, was hier überliefert worden ist.“ Nihilominus Lorenz non admittit, S. Bernardum miracula patrasse.

[9] Cotidie eos quae viderant scripsisse, et accurata omnino narratio et hic locus (P. 1, c. 5—19, p. 384) probat: „Multa quidem et hac die et sequenti collata beneficia languentibus vidit rex ipse. . . . Nostra quidem schedula, ubi haec annotaveramus, negligentia cuiusdam fratris amissa est: parcat ei Deus.“

oculatorum narrationes continet ita, ut singulis narrationibus nomen testis oculati ascribatur. Sunt autem testes illi viri graves: episcopus Constantiae Hermannus, eius capellanus Eberhardus, abbates Balduinus et Frowinus, monachi Claraevallenses Gerardus et Gaufridus etc. Speciminis gratia sequentia seligimus[1]: „*Episcopus:* Herzeretheim [i. e. Heitersheim] quarta feria mane post missarum sollemnia puellam, cui restituta manus est, ego obtuli. *Philippus:* Et ego puerum surdum et mutum ab utero, quem protinus audistis recte loquentem et audientem clare. *Episcopus:* Ego ipse allocutus sum puerum, ubi signatus est: et libere statim respondit, et omnes audistis populi vociferationem. *Gaufridus:* Unde ei verba quae numquam audierat? *Episcopus:* Ab eo qui linguas infantium facit disertas. *Gerardus:* Hoc erat, quod praecedente vespera secreto colloquentibus Pater dixerat, neminem adhuc mutum in hac vita se vidisse loquentem. Et post paululum: Cum soleant, inquit, qui muti sunt a nativitate, etiam surdi esse, mirum valde est, an aliquando sic curentur, ut linguam, quam penitus ante non noverant, subito intelligant et loquantur. *Philippus:* Puellam claudam, quae ibidem erecta est et gressum recepit, et puerum illuminatum omnes vidimus. *Frowinus abbas:* Infantulum caecum mater attulerat et signatus receperat visum, sed illa adhuc nesciebat, donec ego puero pomum obtuli et extensa manu apprehendit illud." Gaufridus[2] vero, S. Bernardi comes et notarius, Bernardum in illa expeditione versantem aliquando uno die viginti vel etiam plures ab incommodis variis sanasse scribit, nec facile ab huiusmodi operibus vel unum diem vacasse, additque: „Denique plures eo tempore Christus per servi sui tactum et orationem ex ipsis etiam matrum uteris caecos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire et mutos loqui", idque deinde probat[3] referendo quam plurima istiusmodi miracula, nominandoque urbes et loca, in quibus S. Bernardus ea, subito plerumque et publice coram multis testibus, patraverit.

Atque haec relative pauca ex innumeris miraculis, quae in Ecclesia romano-catholica patrata sunt, speciminis gratia commemorasse sufficiat, cum, ut diximus, circiter a saeculo X beatificationis et canonizationis causas R. Pontifices sibi reservaverint, qui exceptis fortasse illis, de quorum martyrio certo constat, nullum umquam vel beatum vel sanctum sollemni ratione declararunt, quin eius sanctitas pluribus probe examinatis ac ceu veris agnitis miraculis confirmata esset[4], singulis autem saeculis plures paucioresve in illorum album retulerunt. Insuper ab anno 1625 ex decreto Urbani VIII miraculorum examen in beatificationis et canonizationis causis magis etiam accurate quam antea, et ita quidem severe instituitur, ut maior severitas cum ratione postulari non possit. Scil. „confecto examine ac per decretum Pontificis dubio de virtutibus resoluto, aliud proponitur a Sacrorum Rituum Congregatione: *an et de quibus miraculis constet* ad effectum, *de quo agitur?* Hic iam supponitur confectus iuridicus processus de facti *veritate*, et inquiritur in eius valorem ac naturam et gradum miraculorum, quae patrata ad invocationem alicuius servi Dei perhibentur. Ut porro felix huius resolutionis exitus contingat, requiritur a) ut constet per testes de visu aut etiam de auditu . . ., de utroque ut vocant miraculi extremo, mortis e. g. et excitationis, morbi et sanationis. b) Cum de hoc posteriori miraculorum genere sermo est, constare praeterea debet de septem concurrentibus ad vere et proprie dictum miraculum constituendum: quod scil. morbus sit gravis, vel impossibilis vel curatu difficilis; quod mor-

[1] P. 1, c. 2, n. 3—4 (ML CLXXXV 375).
[2] Ibid. l. 3, c. 4 (ib. 308 sqq).
[3] Ibid. l. 4, c. 5 sqq (ib. 338 sq).
[4] Cf. Bened. XIV, De beatific. et canonizat. l. 1, c. 20 33.

bus, qui depellitur, non sit in ultima parte status, ita ut haud multo post declinare debeat; quod nulla adhibita fuerint medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit, ea minime profuisse; quod sanatio subita sit atque instantanea; quod sanatio sit perfecta, non manca vel concisa; quod nulla notatu digna crisis praecedat temporibus debitis, et cum causa; postremo quod sublatus morbus non redeat. c) Ut vero tuto de iis constare possit, praeter testes, de quibus diximus, asciscuntur a causae postulatoribus medici, pharmacopolae, chirurgi etc., ii nimirum omnes, qui curam aegroti susceperunt; deinde his adiciuntur ab iisdem postulatoribus alii ad minus duo medici doctrina praestantes, ut circa morbi naturam et sanitatem suffragium ferant; praeter quos duo alii a sacra Congregatione deputantur, ut pro rei veritate iterum rem expendant et suffragium in scriptis emittant, qui omnes et singuli nonnisi interposito iurisiurandi sacramento suam possunt aperire sententiam. d) Ut constet de invocatione sive expressa sive tacita per applicationem imaginis aut reliquiarum servi Dei, vel ab infirmo vel ab alio aliquo. e) Haec omnia ad trutinam ter revocantur, appositis semper novis promotoris fidei seu oppugnantis animadversionibus, et donec cuiusvis dubitationis vel levissima haud fuerit depulsa nubecula, non pronuntiat sancta sedes veritatem miraculi, scil. de eo constare. Si vero vel unus supersit in recensitis defectus, qui tolli non possit, miraculum plane reicitur." [1]

Unde minime mirum est, multa quae in sanctorum vitis referuntur miracula, quaeque secundum communes certitudinis humanae regulas vera videntur et communiter etiam habentur, a sacra Congregatione Romana non fuisse tamquam prorsus certa approbata, ut videre est apud Benedictum XIV [2]. Et ut ex pluribus unum certum exemplum nominemus, in vita b. Andreae Bobolae martyris 107 miracula perhibentur, ex quibus septem in causa beatificationis illius examinata sunt et ex his propter defectum testium pro aliis *unum solum* velut indubitatum admissum est [3]. Saepissime etiam fit, ut beatificatio vel canonizatio ideo diu differatur, quod ex relatis miraculis, quantumvis multis, duo dumtaxat tamquam plane certa non possunt admitti. Nemo enim, saltem si non fuerit verus martyr, in beatorum catalogum refertur, cuius ope post ipsius mortem non duo saltem prorsus indubia miracula patrata demonstrentur. Et pariter sanctorum numero nullus ascribitur, nisi rursus post eius beatificationem alia duo non minus certa miracula eius invocatione et ope edita sint. Cum iam ab anno 1625 ad nostram usque aetatem R. Pontifices quam plurimos sanctos vel certe beatos sollemni modo declaraverint, conici inde potest ac debet, quot vera et omnino certa miracula his ultimis saeculis in Ecclesia romano-catholica patrata sint.

Nec obest, quod sollemnis declaratio, qua quis beatis et sanctis publice adnumerari solet, diu tantum post eius mortem a R. Pontifice datur. Hac enim agendi ratione miracula, quae homo ille vel vivus vel mortuus edidisse perhibetur, neutiquam incerta ac dubia redduntur, sed tantum sapienter cautum est, ne in re adeo gravi ullus vel deceptioni vel studio vehementiori sit locus. Nam quando homo fama sanctitatis et miraculorum insignis vita fungitur, mox, saltem intra decem annorum spatium, ab episcopo loci, impetrata ab apostolica sede facultate, instituitur actio tum de vitae ipsius sanctimonia tum de miraculis, quae ad illius servi Dei

---

[1] Sic breviter de illo examine Perrone, De locis theol. P. 1, c. 3, prop. 2, n. 236. Late de hac re agit Bened. XIV l. c. l. 4, P. 1, c. 8.

[2] L. c. l. 4, P. 1, c. 8, et alibi. [3] Perrone l. c. n. 270, nota 4.

intercessionem patrata dicuntur; quae si eo successu instituta fuerit, ut illa miracula vera ac certa videantur, eius acta Romam mittuntur. Ibi vero postquam causa de novo iudicata est, huius iudicii acta sedulo asservantur, donec causa beatificationis vel canonizationis coepta iterum severo illo examine retractetur, id quod ad omne errandi periculum evitandum plerumque tantum post 50 annos fit.

Etiam hodierno tempore multa et certissima quidem ac valde illustria miracula in Ecclesia romano-catholica edita legi notum est[1]. Illustris valde est sanatio Petri Iacobi de Rudder († 1898), cuius tibia die 16 febr. 1867 fracta subito sanata dicitur ab idoneis testibus 7 aprilis 1875, apud sacellum B. Virginis Mariae in Oostacker (in Belgio)[2].

Nihilominus adversarii omnes miraculorum post-apostolicorum narrationes fraude vel fictione orta esse putant. Phantasiam scil. popularem cum tempore procedente res a sanctis gestas vel supra naturae possibilitatem exaggerare, vel etiam prorsus nova et impossibilia iis affingere. Clarissime hoc elucere in eorum sanctorum historia, de quibus et narrationes ab aequalibus conscriptae et posterius elaboratae exsistant. V. g. de S. Ignatio de Loyola primum eius vitae scriptorem Petrum Ribadeneiram in Sancti vita 1572 edita non solum nulla miracula narrare, sed etiam ita loqui, ut nulla ei nota fuisse concludi debeat. S. Franciscum Xaverium vero in epistulis ex India datis nullam miraculorum a se patratorum mentionem facere, priores de eo narrationes pauca, posteriores valde multa miracula tradere. Immo Ios. Acostam S. J. in libro 1571 scripto sibi ponere quaestionem: cur miracula in conversione gentium non fiant nunc ut olim a Christi praedicatoribus. Ita quaerere eum non potuisse, si Xaverii miracula cognita habuisset[3].

At 1. homines eorum virorum, quorum memoria delectantur, res gestas extollere notum est, neque hoc verum est in solis sanctis, sed in heroibus omnium temporum. Omnia igitur quaecumque narrantur miracula vera esse minime affirmamus, sed solummodo ea, quae ab idoneis testibus tradita sunt.

2. Si adversariis revera adeo firmiter persuasum est, omnes miraculorum narrationes inter fabulas esse numerandas, qui fit, ut nemo ex iis id seriis argumentis demonstrare studuerit? Fac enim, revera omnes miraculorum narrationes, etiam eas, quibus catholici et docti viri fidem adhibent, esse meras fabulas, nonne esset opus maximi meriti coram Deo et hominibus, hoc serio et singillatim solidis argumentis ostendere? Si scriberetur liber, quo solide demonstraretur, omnia vel praecipua miracula, quae v. g. hodie in oppido Lourdes patrata dicuntur, meris fraudibus et fictionibus inniti, quanto putas studio haec demonstratio emeretur et legeretur, quantasque divitias et honores scriptori afferret? Cur igitur animi hominum ad omnes disquisitiones scientificas et criticas hodie adeo proni in hac sola re demonstranda torpescunt? Praeter vagas enim assertiones, quae miraculorum falsitatem non demonstrant, sed supponunt, praeter ambiguas locutiones et argumenta, quae facilem solutionem habent, fere nihil afferunt.

[1] Cf. v. g. H. Lasserre, Notre-Dame de Lourdes[80], Paris 1870; Boissarie, Lourdes. Histoire médicale 1858—1891, Paris 1891; G. Bertrin, Histoire critique des évènements de Lourdes. Apparitions et guérisons, Lourdes-Paris 1905.

[2] Cf. E. Wasmann in Stimmen aus Maria-Laach LVIII, Freiburg 1900, 113—128.

[3] Scepticus Bayle (Dictionnaire hist. et crit. II, Rotterdam 1720, 1740) primus hanc contra Ignatii miracula obiectionem movit, quem multi protestantes secuti sunt

3. Hoc ut ostendamus exemplo, videamus, quae contra Ignatii et Xaverii miracula obiciunt. Atque Ribadeneiram anno 1572 praeter miracula, quae vivo Ignatio acciderunt, nulla alia afferre ultro concedimus. Sed audiamus ab ipso, cur ita egerit. Post maiorem enim Ignatii vitam a. 1572 editam et saepius recusam, anno 1609 edidit compendium eius libri, e cuius versione latina anni 1612 haec ponimus e capite 18, quod inscribitur: De miraculis divinitus per eum factis:

„Quia vero postremo quinti libri capite de miraculis breviter egimus, quasi nulla fecisset aut ad demonstrandam eius sanctitatem necessaria non essent, statui nunc ea paulo fusius exponere, non omnia quidem (res enim nimis in longum excurreret), sed partem dumtaxat eorum, quae Deus efficere per servum suum dignatus est. Quamvis enim cum anno 1572 primum vitam eius latine scriberem, alia nonnulla miracula ab eo facta novissem, tamen adeo mihi certa et explorata non erant, ut in vulgus edenda mihi persuaderem: postea vero quaestionibus de eius in divos relatione publice habitis gravibus et idoneis testibus fuerunt comprobata. Enimvero Deus ut servum suum extollat in terris, tam frequentibus eum in dies miraculis dignatur, ut mearum partium esse ducam literis hic mandare nonnulla, e publicis actionibus sumpta, quas habuerunt complures antistites, iuratis etiam eorum, quibus ipsa haec admiranda contigerunt aliorumque locupletissimorum et certissimorum testimoniis.“ [1]

Noluit igitur Ribadeneira de Ignatii miraculis referre, priusquam in ea publice inquisitum esset, secutus in hac re concilii Tridentini decretum[2]: „nulla etiam admittenda esse nova miracula . . . , nisi . . . recognoscente et approbante episcopo“. Praeterea maior miraculorum a Ribadeneira 1609 narratorum pars post a. 1572 contigit; denique non omnia quae ab eo narrantur, iuridica inquisitione ab Ecclesia agnita sunt.

4. De Xaverii vero miraculis[3] cur ipse nihil narraverit, res in promptu est, facile enim id explicatur ex sancti viri humilitate. Neque S. Paulus de iis miraculis, quae Actus apostolorum ei ascribunt, quidquam in epistulis suis commemorat. Immo studiose Xaverius abscondebat, quae Deus per eum operabatur. Cum Antonius Cardoso secretarius status eum interrogasset, verene infantem, qui ceciderat in puteum, ad vitam revocasset, respondit: „Verum est, me recitasse evangelium super infantem illum, sed vivus erat infans, non mortuus.“ Alii tamen infantem fuisse mortuum iudicabant. Alia occasione similiter interrogatus respondit: „Me miserum peccatorem resuscitasse mortuum? Portabant adulescentem, qui fuit vivus, *dixi ei ut surgeret* in nomine Dei, surrexit et homines hanc rem admirationi habebant.“ [4] Deinde quod priores relationes pauca miracula Xaverii narrant, posteriores plura, mirum non est; vivo enim Xaverio eius miracula minus nota fuisse quam postea,

---

[1] Vita b. P. Ignatii, qui religionem clericorum Societatis Iesu instituit, nuper a R. P. Petro Ribadeneira eiusdem Societatis hispanice conscripta, et ab eodem rebus memorabilibus illustribusque miraculis ita locupletata, ut alia ab illa priore quam ante aliquot annos in lucem edidit, videri possit, a P. Gaspare Quartemont eiusdem Societatis latine conversa, Ipris Flandrorum 1612, c. 18, p. 121.

[2] Sess. 25, de invocatione sanctorum.

[3] Cf. Analecta Bolland. XVI, Bruxellis 1897, 52—63; L. Michel, Vie de S. François Xavier, Paris-Tournai s. a. [1908], 469 sqq; Th. Hughes S. J., Dr White on the warfare of science with theology (League Tracts XII), Philadelphia 1897.

[4] Michel l. c. 469. Narrantur duo haec miracula in processu anno 1556 instituto.

facile explicatur. Semper scil. fere in itineribus erat, et plerumque quidem sine comitibus. Ipse miracula sua tacebat, alii vero, cum de his rebus iudicare sit auctoritatis ecclesiasticae, suum non esse putabant, miras eius res vera esse miracula pronuntiare; commercium praeterea inter loca Indiae varia facile non erat. — Ad locum vero Ios. Acostae S. J. ex libro de procuranda salute Indorum a. 1571 edito l. 2 c. 9 adeo frequenter adversarios provocare, revera valde mirum est. Nam in eodem c. 9 narrat Acosta miracula in Florida perpetrata, et in sequenti c. 10 dicit: „Convertamus oculos in nostri saeculi hominem b. magistrum Franciscum, virum apostolicae vitae, cuius tot et tam magna signa referuntur per plurimos eosque idoneos testes, ut vix de alio, exceptis apostolis, plura aut maiora legantur. Quid M. Gaspar aliique socii non pauci in India orientali, quantam divinae magnificentiae laudem novis convertendis populis operibus admirabilibus pepererunt? Quod in aliis s. ordinum viris perspectum etiam est, et in nostra quoque occidentali India non omnino inusitatum.“ [1]

Denique prorsus falsum est, a coaevis Xaverii de miraculis ab eo patratis non fieri commemorationem.

Certe a) iam *vivo* Xaverio scribit Gaspar Barzaeus Conimbricam 10 dec. 1548: „Subito hic rumor ortus est, Patrem Magistrum Franciscum esse mortuum, et alii alio genere mortis eum interiisse narrabant. Devoti eius adeo tristes incedebant, ut vix credi possit. Dicebant, si 30 000 cruciatos deberent impendere, ut canonizaretur, se eos daturos esse, narrabant miracula eaque grandia, quae fecit hic in vita sua, quae nunc omitto narrare, quia ad nos non pertinet de iis loqui, nisi ad hoc, ut gratias agamus Deo.“ [2] Michael Perez scribit Conimbricam, Franciscum in spiritu prophetico cognovisse et in publica praedicatione nuntiasse tum victoriam de Mauris a Lusitanis reportatam, tum alia occasione mortem alicuius amici [3]. Balthasar Nuñez in epistula a Travancor 1548 data dicit de S. Francisco: „In regionibus, ubi fuit et iter fecit, tanta eius fama relicta est, ut sit impossibile credere (que é impossivel poderse crer), quas res vobis nolo scribere, quia in tanta aestimatione sunt, ut non possint cartae committi. . . . Equidem multo magis doleo quam vos, me non posse per singula scribere miracula, quae de eo narrantur. Scitote et tenete secreto, Dominum multa per eum operari, de quibus, ut iam dixi, licitum non est loqui.“ [4] — b) Post Xaverii mortem Ioannes III rex Lusitaniae 28 martii 1556 praecepit, ut diligenter inquireretur in res gestas Francisci, et ea quae testes iurati de eo enuntiassent, literis consignarentur. Narratur in eo processu [5] saepe, prophetice cognovisse et annuntiasse Franciscum etiam publice, quae in aliis regionibus valde dissitis eveniebant [6], sanasse graviter aegrotantes [7], suscitasse mortuos [8], interdum donum linguarum ei concessum fuisse [9]. Sed in paucis locis Indiae ea occasione in sancti viri gesta tunc inquisitum est. Plura miracula anno 1616, cum iussu Summi Pontificis inquireretur in Xaverii vitam, per testes idoneos, licet maximam partem non iam oculatos, probata sunt. Notum denique est, corpus mortuum sancti viri licet viva calce obrutum

---

[1] Utor editione libri (cum alio eiusdem auctoris de natura novi orbis) Coloniae 1596, ubi habes istum locum p. 224.

[2] „. . . contam alguns milagros e grandes que fez aqui em sua vida“ (Selectae Indiarum epistulae nunc primum editae, Florentiae 1887, 54).

[3] Ibid. 67 sq. [4] Ibid. 38.

[5] Typis impressus nondum est; habes excerpta ex eo apud Michel l. c. et apud Emm. Acosta, Rerum a Soc. Iesu in oriente gestarum commentarius, Dilingae 1571, fol. 4.

[6] Michel l. c. 174 188 190 191 203 208 etc. [7] Ibid. 177 345 396.

[8] Ibid. 157; vide supra p. 983. [9] Ibid. 477.

sepulturae mandaretur, post quindecim menses incorruptum repertum fuisse, et usque hodie in cineres redactum non esse.

Ex eo praeterea, quod interdum a vulgo atque etiam a nonnullis scriptoribus nimium credulis falsa miracula vulgata sunt, manifesto non magis sequitur, vera et certa non patrata esse, quam ex adulterina moneta, quae nonnumquam fabricatur et divenditur, concludere licet, nullos aut non multo plures esse veros nummos. Denique quod miracula in Ecclesia romano-catholica quidem, non vero in aliis christianorum coetibus eduntur, profecto nihil aliud probat, quam nullum istorum coetuum esse veram illam Ecclesiam, cui Christus donum miraculorum promisit.

Thesis XXII.

Contra nota haec sanctitatis tota nulli prorsus religioso christianorum coetui ab Ecclesia romano-catholica separato convenit.

Probatur thesis. I. Nulli istorum coetuum competit sanctitas originis sive institutionis, utpote quae minime apostolica est, ideoque non a Christo, sed a separatione ab Ecclesia sola apostolica, scil. romano-catholica repeti potest.

II. Illi coetus pariter ratione auctorum suorum sancti non sunt. Quod ut aliquatenus pateat, in mores praecipuorum auctorum tum schismatis graeci et anglici, tum protestantismi paululum inquiri cogimur. De moribus enim auctorum aliorum coetuum religiosorum haud opus est quidquam dicere, cum horum coetuum alii plurimi iam dudum primitus interierint, alii surculi tantum sint protestantismi vel schismatis graeci, alii denique, ut illi qui a Nestorio et Eutychete originem repetunt, in Europa non exsistant, ideoque pro nobis atque etiam per se magni momenti iam non sint, defectusque sanctitatis horum coetuum aliis rationibus, quae in thesis demonstratione contra omnes eiusmodi religiosas societates afferuntur, luculenter iam pateat. Atque idem omnino valet de coetu iansenistarum, ceterum nimis exiguo, quam ut vel speciem Ecclesiae Christi prae se ferre possit. Iam vero

1. quales fuerint istorum schismatum auctores, notum est. a) Photius enim, praecipuus schismatis Graecorum auctor, minime fuit sanctus, tametsi a quatuor circiter saeculis ut talis a schismaticis Graecis colitur[1]. Fuit enim vir quam maxime superbus, honoris ac dominationis cupidus et dolosus simulator. Cuius accusationis argumenta tota quidem eius vita praebet, praecipue tamen sunt haec. *Primum* cum legitimus Constantinopolitanus patriarcha S. Ignatius contra omne fas a civili potestate sede sua privatus et in exsilium missus esset, Photius non pro officio repudiavit serio et absolute, sed acceptavit delatam sibi ab eadem civili potestate illam patriarchae urbis regiae dignitatem, altam sane et magnificam. Dicit quidem in epistulis suis quam saepissime atque etiam ad R. Pontificem scripsit[2], se ad dignitatem illam acceptandam coactum esse. At si ulla coactio vere locum habuit et nisi potius tota res ab ipso eiusque fautoribus fallendi vulgi causa

[1] Cf. Hergenröther, Photius II, Regensburg 1867, 718 sqq; Byzant. Zeitschrift 1899, 657—671.

[2] Ep. l. 1, ep. 1 (MG CII 588).

composita erat, propriam ac veri nominis coactionem locum non habuisse ex eo maxime patet, quod permisit, ut sibi, eousque homini laico, contra antiquae Ecclesiae canones et contra ipsum Iustiniani Codicem [1] intra sex dies omnes sacri ordines, episcopatu non excepto, conferrentur, idque ab episcopo Gregorio Syracusano, qui a patriarcha suo Ignatio a sede iure deiectus et schismaticus declaratus, atque etiam Romae a munere remotus habitus erat, quique insuper etiam alias legitimus non fuisset, non solum quia Ignatius nondum vita functus erat, sed etiam quia secundum consuetudinem patriarcham Constantinopolitanum consecrandi ius archiepiscopo Heracleensi competebat. Photius igitur ad patriarchatus dignitatem modo illegitimo pervenit. Nihilominus in literis ad R. Pontificem datis non erubuit se legitime ad eam evectum fallaciter praedicare [2]. Praeterea ut etiam episcopos, qui a parte Ignatii stabant, sibi conciliaret, scripto promisit, se non modo nullum detrimentum Ignatio illaturum, sed eum ut patrem veneraturum eiusque consiliis in obeundo munere pariturum esse, ita ut Ignatii tantum quasi adiutor esse velle videretur. Verum duobus mensibus vix elapsis fidem episcopis illis datam aperte violans, literarum testimonium sub quodam praetextu dolo praeripuit eoque continuo vi deleto declaravit, sese Ignatium metropolitasque ei fidem servantes non ut episcopos agnoscere. Atque ab hoc tempore horum uti etiam Ignatii persecutio incipiebat plane indignissima [3].

Deinde cum Nicolaus I R. Pontifex, antequam Photii et Ignatii causa Romae rite diiudicata esset, Photium legitimum patriarcham Constantinopolitanum agnoscere nollet, cumque Bulgarorum rex Michael dimissis presbyteris a Photio missis a R. Pontifice proprium patriarcham pro gente sua ad religionem christianam vix perducta petivisset et, si minus patriarcham, archiepiscopum tamen proprium obtinuisset, ira incensus Photius omni opera orientales ab Ecclesia romano-catholica schismate separare studuit et reapse synodo asseclarum coacta turpissima audacia R. Pontificem complurium falsissimorum criminum reum damnans munere indignum ac privatum et anathemate perculsum declaravit sibique ipsi Ecclesiae totius primatum arrogavit, utpote qui Constantinopolim una cum imperio translatus esset. Item ratione illius synodi, ut concilii oecumenici speciem habere ea videretur, tantam fraudem commisit, ut falsos legatos trium orientis patriarcharum in ea constitueret, vota et acta fingeret et magnum numerum falsarum subscriptionum actis apponeret. Actaque ita adulterata ad occidentis imperatorem Ludovicum II misit, quem Nicolao I aliquatenus iratum in partes suas trahere studebat [4].

Quamvis autem Photius adeo mendax et dolosus esset et cum R. Pontifice, cui in prima epistula ad eum data amicum se probare studuerat, coniunctionem omnino necessariam tam foede dirupisset, nihilominus tamen, cum initio imperii Basilii mendaciorum argueretur, haec ad Theophylactum patricium et Armeniacorum tum ducem scribere non dubitavit [5]: „Tria odio [me] per-

[1] Novella 123, c. 1, § 2: „Si laicus hoc modo ad episcopatum eligatur, non repente episcopus ordinetur, sed primo clericis non minus tribus mensibus connumeretur et ita sanctas regulas et cotidianum Ecclesiae ministerium edoctus episcopus ordinetur." [2] MG CII 588.

[3] Demonstrat ea quae hactenus diximus Hergenröther l. c. I 376—382 403 419—438.

[4] Cf. ib. 551—580 594—666.

[5] Ep. l. 3, ep. 6 (MG CII 929): *Τρία μισεῖν οἶδα, καὶ τοὺς ἄλλους μισεῖν παραινῶ, ψεῦδος, καὶ δόλους, καὶ ἀγάπης διαφθοράν.*

sequi certum est, et alios hortor, ut similiter exosa habeant, mendacium, dolos, interitum amoris [amicitiae]." Quare plures episcopi, qui prius quidem Photii partes secuti erant, sed postea in concilio oecumenico a. 869 habito ab ipso defecerunt, in libello in actione 2 huius concilii praelecto eum rectissime perfectum simulatorem et in arte alios decipiendi versatissimum dixerunt his verbis[1]: „Vir erat alia quidem loquens, et alia cogitans, et operam dans mendacio: ex arte gentilium semper proponebat bona, deveniebat autem in mala; et erat potens ad superandum et decipiendum, *ut non est factus nec fiet ullus hominum.*"

Tum ab hoc oecumenico concilio damnatus Photius et patriarchae dignitate privatus pluribus literis[2] in hoc quam indignissime invectus est, comparans illud cum concilio Annae, Caiphae, Pilati contra Iesum congregato cumque aliis iudaeorum conciliis contra S. Stephanum, S. Iacobum, S. Paulum habitis, declarans sui damnationem esse iniquissimum crimen ponensque, se plane legitimum esse patriarcham, factionemque suam solam esse veram ecclesiam, adversarios autem suos omnes Christo haud amplius adhaerere. Praeterea quantum poterat, patriarchae muneribus fungens episcopos et presbyteros ordinavit et asseclas suos in monasteriis muneribus praeposuit[3].

Denique cum Photius mortuo Ignatio rursus patriarchae Constantinopolitani dignitate potiretur et R. Pontifex Ioannes VIII eum sub certis conditionibus agnosceret, huius literas ad se ipsum et ad imperatorem eiusque filios datas sibi ut in graecum sermonem converterentur traditas sive propria sive adiutorum manu quam plurimum depravavit, supprimendo omnes illas conditiones omniaque alia sibi minus grata, interpolando contra multa, quae sibi suaeque causae favebant; quae ita depravatae postea in synodo in sui ipsius maxime illustrationem a se celebrata publice praelectae sunt[4].

b) *Qualis porro schismatis anglici auctor* Henricus VIII fuerit, nimis notum est, quam ut multis monstretur. Constat enim, eum se suumque regnum ab oboedientia R. Pontifici in rebus religionis debita praestanda subtraxisse seque ipsum eius loco pro regno suo summum pontificem constituisse, solius luxuriae et adulterii quidem causa. Nam postquam per septendecim annos cum Catharina, Ferdinandi Castiliae et Aragoniae regis filia, in legitimo matrimonio vixit et filios ac filias procreavit, adultero Annae Boleyn amore captus eamque uxorem ducere cupiens, inopinato simulavit, matrimonium cum Catharina initum non esse licitum, utpote contractum cum vidua fratris sui, quamquam hoc Catharinae prius matrimonium non fuit umquam consummatum, et quamquam illud coniugium tum Catharinae tum ipsius Henrici parentes simul cum eius consiliariis uno consensu et sine cunctatione approbarant et ipse R. Pontifex Clemens VII sanxerat. Petiit igitur rex adulter a Clemente facultatem repudiandae Catharinae; quam cum ille negaret, rex libidine abreptus se suumque regnum a subiectione R. Pontifici debita ideoque ab universa Ecclesia romano-catholica separavit, se ipsum supremum ecclesiae anglicae caput constituens eiusque bona partim sibi adiudicans, partim aliis distribuens. Postquam autem per triennium cum Anna libidinose

---

[1] Harduin V 783 AB; Mansi XVI 38 E.

[2] Ep. l. 2, ep. 18 42 43 ac praesertim 83 et 84 (MG CII 833 860 890 892). Cf. Hergenröther l. c. 189 sqq.

[3] Ibid. 278. [4] Ibid. 396 sqq.

vixit, eam tandem ab ipso iam praegnantem sibi matrimonio iunxit; sed post paucos annos ut adulterii et incestus ream morte multavit. Postea successive alias quatuor uxores duxit, quarum unam mox repudiavit, aliam, Catharinam Howard, una cum multis eius cognatis et amicis pariter capitis supplicio affecit. — Patet igitur, Henricum non tantum fuisse libidinosum, sed etiam valde crudelem tyrannum. Quod quidem inde comprobatur, quod innumeros eorum, qui ipsius agendi modum reprehendebant vel non approbabant, inter hos etiam eos, qui, ut Thomas Morus et episcopus Ioannes Fisher aliique plurimi, probitate praecipue eminebant, maximis poenis atque ipsa morte affecit, et ita quidem, ut integras familias earumque cognatos exstingueret nec consanguineis parceret.

2. Qui porro auctores protestantismi primi fuerunt, Lutherus, Zwinglius, Calvinus, imprimis omnes sancti esse debuissent; nam non tantum schisma inducebant, sed christianae religionis reformatores, extraordinaria missione divina instructi, sese iactitabant et ab ipso initio doctrinas in christiano terrarum orbe vel numquam vel tantum ab haereticis priscorum temporum propositas et iam dudum haud auditas docebant; legatus autem ad religionem revelatam fundandam vel eius doctrinas reformatione vere immutandas divinitus missus, id quod iam probavimus vol. I, p. 164 sqq, debet esse ita moratus, ut Dei sanctissimi minister dignus censendus sit[1]. Inquirendum igitur est breviter, utrum isti protestantismi auctores ratione divino legato digna morati fuerint necne. Qua in re

a) primus considerandus nobis est Lutherus, de quo α) hoc dicendum est, quod *fidem Deo libere et sollemni modo datam violavit.* Constat enim, eum tum ut sacerdotem tum ut monachum publice, et ut monachum quidem sollemni ratione Deo perpetuam castitatem vovisse, postea vero cum iam plus quam 41 annos natus esset, Catharinam Borensem monacham ideoque perpetuae virginitatis voto pariter obstrictam instar uxoris duxisse ac filios filiasque procreasse, quamquam anno 1521 ipse ad Spalatinum scripserat[2]: „Bone Deus, nostri Wittembergenses etiam monachis dabunt uxores? At *mihi non* obtrudent uxorem. . . . Cave, ne tu quoque uxorem duxeris, ne incurras in tribulationem carnis."

Quodsi porro ille gravis improbitatis reus iure habetur, qui quod alteri homini iureiurando promisit, quamquam praestare potest, non praestat, quanto magis improbus censendus est, qui fidem ipsi Deo sollemni voto datam non servat? Quod enim Lutherus saepe scripsit[3], virum nec posse esse sine

[1] Ipse Lutherus dicit: „Sonderlich denen, die das Wort führen, will es vonnöten sein, daß sie nicht allein als Christen reden können, sondern auch als Christen leben, und mit dem Werk der Lehre Zeugnis geben. Wo Lehre und Werk zusammenstimmen, da schafft es Frucht; dagegen jedermann sich ärgern muß, wenn das Leben böse ist und sich mit der Lehre nicht reimet" (Predigt am 3. Sonntag nach dem Ostertag: Werke Erl. I² 169).

[2] De Wette, Dr Martin Luthers Briefe II 40 sq.

[3] Ita ipse ait in sermone publice habito (Vom Eelichen Leben, Wittemberg 1522, f. 1 b: Werke Erl. XX 58; Weim. X 2, 276): „Alßo wenig als ynn meyner

uxore nec mulierem sine marito, hominemque ita prorsus subiectum esse libidini, ut sine eius expletione non magis quam sine victu, potu, somno vivere possit, falsum est et inter christianos eousque inauditum. Sed hac ipsa sua doctrina Lutherus consulto effecit, ut alii quam plurimi monachi et sacerdotes et virgines Deo sacratae pariter eam quam Deo voverant castitatem prorsus violarent. Atque illud matrimonium suum, quod tunc temporis inter christianos lege et ecclesiastica et civili vetitum ac tamquam merus et sacrilegus concubinatus habebatur, Lutherus repetitis vicibus in epistulis suis Dei opus nominavit, addens tamen semel, se propter illud ab ipsis suis asseclis sat multis valde despici. Scripsit certe ad Spalatinum[1]: „Sic me vilem et contemtum his nuptiis feci, ut angelos ridere et omnes daemones flere sperem. Necdum mundus et sapientes agnoscunt opus Dei pium et sacrum, et in me uno faciunt id impium et diabolicum."

Praeterea Lutherus non erubuit et in nonnullis epistulis, quas eo tempore scripsit[2], et in ipso sermone in templo coram numeroso utriusque sexus auditore habito necnon in aliis nonnullis opusculis rudi prorsus ratione de rebus luxuriosis loqui.

β) Superbiae vitio inquinatus erat Lutherus. Nam *primum* non solum magnum doctorem et superiorem quidem omnibus episcopis, sacerdotibus et monachis sese dixit[3] doctioremque S. Scripturae inter-

macht steht, das ich keyn manß bild sey, *alßo wenig* stehet es auch bey myr, das ich on weyb sey. Widderumb auch, alßo wenig als ynn deyner macht stehet, das du keyn weybs bild seyst, alßo wenig stehet es auch bey dyr, das du on man seyest. Denn es ist nitt eyn frey willköre odder radt, ßondern eyn nöttig naturlich ding, das alles was eyn man ist, muß eyn weyb haben, und was eyn weyb ist, muß eyn man haben. Denn diß wort, da gott spricht: Wachsset und mehret euch, ist nicht eyn gepot, ßondern mehr denn eyn gepot, nemlich eyn gottlich werck, *das nicht bey uns stehet tzuverhyndern odder noch tzulassen,* ßondern ist eben alßo nott, alß das ich eyn mannß bild sey, und *nöttiger denn essen und trincken,* fegen und außwerffen, schlaffen und wachen. Es ist eyn eyngepflantzte natur und artt, eben ßo wol als die glidmaß die datzu gehören. Drumb, gleych wie gott niemandt gepeut, das er man sey oder weyb, ßondern schaffet das sie ßo mussen seyn, Alßo gepeutt er auch nicht, sich mehren, ßondern schafft, das sie sich mussen mehren. Und wo man das wil weren, das ists dennoch ungeweret, und gehet doch durch hurerey, ehebruch und stummen sund seynen weg, denn es ist natur und nicht willkore hier ynne." — Et eodem anno in libello: Wider den falsch genantten geystlichen stand des Bapst und der bischoffe (Wittemberg 1522, f. 30b: Werke Erl. XXVIII 199; Weim. X 2, 156) haec scripsit: „Eyn dyrne, wo nicht die hohe seltzame gnade da ist, kan sie eyns manß eben ßo wenig geratten alß essen, trincken, schlaffen vnnd andere naturliche notturfft. Widderumb auch alßo eyn man kan eyns weybs nicht geratten. Ursach ist die: Es ist eben ßo tieff eyngepflantzt der natur, kinder tzeugen, alß essen vnd trincken. Darumb hatt gott dem leyb die gelide, oddern, fluß vnd alles, was datzu dienet, geben vnnd eyngesetzt. Wer nu dißem weren will und nicht lassen gehen, wie natur wil vnnd muß, Was thutt der anders, denn er will weren, das natur nicht natur sey, das fewr nicht brenne, wasser nicht netze, der mensch nicht esse noch trincke noch schlaff?"

[1] Apud De Wette III 3. Cf. Kirsch, Melanchthons Brief an Camerarius über Luthers Heirat: Katholik 1900, I 385 sqq.

[2] Apud De Wette III 53 93 118 et alibi.

[3] Warnunge D. Martini Luther an seine lieben Deudschen, Wittemberg 1531, f. 4a: „Denn er [Luther] ist ein großer Doctor über alle Bischöwe, Pfaffen und Münche" (Werke: Erl. XXV 7; Weim. XXX 3, 279).

pretem, quam sint omnes „sophistae et papistae“ [1], sed etiam contendit [2], ante se Christum eiusque religionem, immo legem ipsam naturalem a nullo fuisse intellectam, a se vero Christi et evangelii rectam intelligentiam primum et clarissime quidem esse apertam.

Quare Lutherus saepe affirmavit, et quemcumque suorum asseclarum, vel puerum, multo melius Christi religionem cognoscere quam omnes simul sumptos R. Pontifices et episcopos et doctores catholicos [3], sanctos vero Patres ac concilia gravissime errasse, iisque necnon etiam ipsis angelis minime credi posse, si verbo Dei, *ut nimirum ipse illud intellexit*, contraria doceant [4].

Deinde Lutherus, quantumvis omnem Christi doctrinam explicandi libertatem in conflictu cum Ecclesia romano-catholica et sibi sumeret

---

[1] Eyn brieff an die Fürsten zu Sachsen von dem auffrürerischem Geist, Wittemberg 1524, f. 5a (apud De Wette II 544): „Ich weys auch und byns gewis von Gottes gnaden, das ich ynn der schrifft gelerter byn denn alle sophisten und papisten. Aber fur dem hohmut hat mich Gott noch bisher gnediglich behut“ (Werke: Weim. XV 216).

[2] Warnung f. 28b (Werke: Erl. XXV 47; Weim. XXX 3, 317): „*Unser* Euangelion hat, Gott lob, viel großes gutes geschafft. Es hat zuvor niemand gewußt, was das Euangelion, was Christus, was Tauffe, was Beichte, was Sacrament, was der Glaube, was Geist, was Fleisch, was gute werk, was die zehen gebot, was Vater unser, was beten, was leiden, was trost, was weltliche öberkeit, was ehestand, was eltern, was kinder, was herrn, was knecht, was fraw, was magd, was Teufel, was Engel, was welt, was leben, was tod, was sünde, was recht, was vergebung der sünde, was Gott, was Bisschoff, was Pfarherr, was Kirche, was ein Christ, was Creutz sey. Summa, wir haben gar nichts gewust, was ein Christ wissen sol, Alles ists durch die Bapstesel vertunkelt und unterdruckt. Es sind ja Esel und große, grobe, ungeleerte Esel ynn christlichen sachen. Denn ich bin auch einer gewest, und weis, das ych hierin die wahrheit sage. . . . Aber nu ists, Gott lob, dahin kommen, das man und weib, jung und alt den Catechismum weis, Und wie man gleuben, leben, beten, leiden und sterben soll. Und ist ja eine schöne unterricht der gewissen, wie man sol Christen sein und Christum erkennen. Man predigt doch nu von glauben und guten werken recht, Und summa, die obgenanten stück sind widder aus liecht komen und predigstüle, altar und tauffstein widder zu recht bracht.“

[3] Cf. De Wette IV 21.

[4] Ita Lutherus a. 1523 in publico sermone „Von der Kraft, so die heiligen Evangelien über die Concilia haben“ (Werke: Erl. XIII² 230) dixit: „Was liegt mir daran, Gott gebe, es sage Augustinus oder Hieronymus, S. Peter oder S. Paul, ja gleich der Erzengel Gabriel vom Himmel, das ist noch vielmehr, so hilft michs nicht, ich muß Gottes Wort haben, ich will hören, was Gott saget.“ Et in Commentario in ep. S. Pauli ad Galatas (ed. Irmischer I, Erlangae 1843, 103) Lutherus dicit: „Esto sane, Ecclesia, Augustinus et alii doctores, item Petrus, Apollo, immo etiam angelus e coelo diversum doceant, tamen mea doctrina est eiusmodi, quod solius Dei gratiam et gloriam illustrat et praedicat, et omnium hominum in sua sapientia iustitiam (in causa salutis) damnat.“ Item in libro Wider den falsch genannten Stand des Papstes und der Bischöfe dicit: „Derohalben lass ich euch hie mit Wissen, das ich hynfurt nicht mer euch die ehre thun wil, das ich mich unterlassen wolle, euch oder auch eynen engel vom hymel uber meine lere tzu richten oder tzu verhören“ (Werke: Weim. X 2, 107). Quam contemptim ex parte de Patribus Ecclesiae dicat in Colloquiis (Tischreden) suis, cf. Nachlese aus M. Luthers Schriften, Mainz 1827, 115.

et aliis suis asseclis concederet (cf. supra p. 903), alte statuens ac proclamans illam doctrinam, secundum quam suo cuique proprio spiritu S. Scripturam interpretari liceret, tamen a sua doctrina recedendi libertatem nulli concedebat, sed ut omnes eadem secum crederent seque totius, ut putabat, reformatae ecclesiae caput agnoscerent atque honorarent postulabat.

Certe principem christianum, heredem regni Daniae et Norvegiae, cum in eius ditionibus Melch. Hofmann a Luthero nonnihil dissentiret, a. 1528 hortatus est[1], ut severe unitatem doctrinae lutheranae a subditis exigeret et aliter sentiendi libertatem haud magnam concederet. De aliis autem, qui in tradenda et intelligenda doctrina christiana Luthero obnoxii esse nolebant, conquestus est, suam sibi gloriam auferri famamque suam obscurari: „Cum sectarii, inquit, viderent, inclinari et ruere papatum ac pisces congregari ad rete, volebant semel everso ac prorsus deleto papatu praeripere nobis gloriam, et pisces ad rete congregatos omnes pariter manibus suis prehendere.... Sed κενοδοξίᾳ agitabantur, libenter enim audissent praedicari de se, quod ipsi evertissent papatum.“[2] Sed quod maius etiam est, cum Carolostadius omnino ex Lutheri principiis[3] agens et magis quam ille sibi constans ultra procederet, quam Luthero gratum erat, et instar huius et ipse desiderans magni fieri[4], seque pariter divino lumine illustratum ac divino spiritu ductum iactans nonnulla Luthero contraria docere coepisset, Lutherus illum, suum olim magistrum, adeo vehementer tamquam lupum et minime a Deo vocatum pastorem persecutus est, ut ipsius maxime opera e Saxonia is pelleretur[5]; nec prius permisit, ut in Saxoniam redire posset, quam ille aerumnis fractus miserum in modum veniam supplicabat, testatus, se a Lutheri doctrina numquam vere dissensisse. Ea tamen lege tantum, teste Cochlaeo[6], permissus est redire Carolostadius, ut „suas contra Lutherum opiniones neque verbo neque scripto publice assereret“. Simili ratione Lutherus egit cum anabaptistis Zwickaviensibus, qui spiritu prophetico gloriabantur. Immo Lutherus ab hisce adversariis petiit, ut miraculis divinam suam vocationem et S. Scripturas interpretandi rationem probarent, dum contra sibi nulla prorsus miracula facienti

---

[1] Apud De Wette III 362.

[2] Commentarius in ep. S. Pauli ad Galatas, ed. Irmischer I 323.

[3] Cf. Riffel, Christl. Kirchengesch. der neuesten Zeit I[2] 351 sqq. „Nitebatur exsequi, quaecumque verbo doceret Lutherus“, ait Cochlaeus, Hist. de actis et scriptis M. Lutheri ad a. 1525, Coloniae 1568, f. 127b.

[4] Cf. Riffel l. c. 353.

[5] Id ipse Lutherus fassus est, in libro Wider die himml. Propheten, (s. l.) 1525, f. 14a (Werke: Erl. XXIX 162; Weim. XVIII 86) haec scribens: „Mit meym jungen Herrn Hertzog Johans Fridrich hab ich davon geredt (das bekenne ich) und D. Carlstads frevel und thurst angezeygt. Aber weyl sich der geyst so hell und weys bornet, will ich hie her zölen die vrsachen, der auch etliche heutts tags die Fürsten zu Sachssen nit merken, warumb mir lieb sey, das D. Carlstad auß dem lande ist, und so vil ich mit bitten vermag, nicht wider hinein soll, und noch herauß müßte, wo er drinne were.“ Et paulo post (ib. f. b) haec de eo addit: „Man solt wol fürsten funden haben, wenn er solche stück in yrem lande fürneme, mit solchem frevel und durst, die ym sampt seyner rotte den kopff hatten über aine kalte klingen lassen hüpffen“ (Weim. XVIII 91).

[6] L. c. f. 128b.

tamquam infallibili novatori fidem ab omnibus haberi voluit [1]. Cum autem Muenzerus Luthero non obsecundaret atque plura Luthero ingrata aperte pronuntiaret, ut v. g. illum principibus adulari, in R. Pontificem insurrexisse, ut eius loco supremum reformatae religionis caput fieret: hic auctoritatis suae contemptus Luthero adeo intolerabilis fuit, ut ipse, qui pugnans contra apostolicam Ecclesiae romano-catholicae auctoritatem toties ad illud apostoli dictum: „Verbum Dei non est alligatum“ (2 Tim 2, 9) pro sua causa provocaverat, Muenzerum libertate verbi, quantum poterat, privaret [2].

Lutherum porro saepius sat clare scripsisse et generatim credi voluisse, se a Deo extraordinaria ratione ad Christi Ecclesiam reformandam constitutum esse, sufficienter certum est. Item Ecclesiasten, Prophetam, Evangelistam, Apostolum Lutherus se nominavit divina gratia constitutum. — Atque his aliisque nominibus Lutherus se ipsum honorando, et insuper dicendo [3], se non ab hominibus, sed solum e coelo per Iesum Christum evangelium accepisse, idque ineffabili Dei gratia et misericordia per se iterum in terras reductum sive potius prima vice inventum esse, voluit profecto tamquam Dei legatus ad reformandam Christi Ecclesiam extraordinario modo missus haberi. Atque fideles eius sectatores eum ut talem semper agnoverunt. Nominant enim eum virum Dei ac singulare eius instrumentum aliisque similibus nominibus, repraesentant ut sanctum et a Spiritu Sancto inspiratum.

Iam vero *Lutherum nulla ratione legatum Dei extraordinarium fuisse,* iam ex iis quae diximus constat et facile ita demonstrari potest. Necessarium enim est, ut α′) talis legatus divinus divinam suam missionem veris miraculis demonstret, sitque β′) illius missionis ab ipso eius initio probe conscius et omnino certus; alioquin enim nec iure se certo tamquam legatum divinitus missum declarare potest, nec auditores ei fidem habere est licitum. Item eiusmodi legatus γ′) numquam potest S. Scripturam irreverenter tractare et temere mutare, nec δ′) ullo tempore doctrinas vere inter se repugnantes tradere, et tempori ita servire, ut modo hoc modo illud, etiam contrarium, doceat, nec ε′) omnia paene mala et infortunia, etiam physica, diabolo tamquam causae ascribere, nec denique ζ′) adversarios dicendi et scribendi genere insolenti ac plus quam plebeio et quam maxime maledico persequi ac refutare, neque etiam η′) seditiones et bella contra eos et legitimos dominos excitare. Ista enim omnia manifesto non decent legatum a Deo, sibi numquam contradicente, edoctum eiusque sanctissimi et infinite benigni ac patientissimi nomine agentem. Iam vero Lutherus et illis veri legati divini quali-

[1] De Wette II 179. [2] Riffel l. c. 586.

[3] Brief an den Kurfürsten Friedrich (apud De Wette II 138 sqq): „Daß ich das Evangelium nicht von Menschen, sondern allein vom Himmel, durch unsern Herrn Jesum Christum habe, daß ich mich wohl hätte mögen (wie ich den hinfort thun will) einen Knecht und Evangelisten rühmen und schreiben.“ In alia ep. ad eundem (ib. 142) ait Lutherus: „Denn ich weiß, daß mein Wort und Anfang nicht aus mir, sondern aus Gott ist“ Et Tischreden I, Frankfurt 1567, f. 24b: „Ich weis gewis, daß dasjenige so ich lere vnnd halte, Gottes der hohen Maiestat im himel einiges wort und endlicher beschlus und die ewige vnwandelbare warheit, das ander alles, was mit dem nit vbereinstimmet, oder dawider ist, das ist eitel Teuffelslügen, falsch und vnrecht.“ Necnon in Vorrede über den Unterricht der Visitatoren (Werke: Erl. XXXIII 5; Weim. XXVI 197): „Demnach so uns jetzt das Euangelion durch unaussprechliche Gnade Gottes barmherziglich wieder kommen, oder wol auch zuerst auffgangen ist“ etc.

tatibus prorsus caruit, et istis vitiis sane gravibus laborabat; ergo etsi christianae religionis tempore legatio divina extraordinaria huius ipsius religionis reformandae causa locum habere posset, Lutherus tamen nullo modo tamquam istiusmodi legatione functus agnosci posset.

Demonstremus porro singula, quae in propositione minore enuntiantur. Certe Lutherum α') virtute patrandi *miracula* nullatenus praeditum fuisse nulloque plane miraculo iactatam suam legationem divinam vel veritatem suae doctrinae probasse, constat et supra iam dictum est (cf. p. 875). Ergo iam propter hunc defectum ut legatus divinus admitti non potuit. — Sed etiam β') vera *de divina sua legatione certitudine* Lutherus caruit. Tametsi enim saepius extraordinariae divinae legationis munus ad reformandam Christi Ecclesiam sibi ascribebat, de hac tamen missione ipsum minime certum fuisse eius scripta luculenter ostendunt. Certe Lutherus die 25 nov. a. 1521, diu igitur post coeptum dictae reformationis opus, declaravit[1], se saepe diro modo vexatum esse hac cogitatione: Num tu solus es prudens? Num omnes alii errent et tamdiu quidem erraverint? Quid, si tu ipse erres et tot homines in errorem inducas, qui omnes aeternum damnentur? Item Lutherus testatus est[2], a diabolo se gravibus tentationibus respectu suae ad evangelium praedicandum vocationis ita vexatum esse: Quis te iussit praedicare evangelium? quis te ad hoc vocavit? ac praecipue ad praedicandum hoc modo, quo a tot saeculis nemo umquam evangelium docuit? Quid, si hoc Deo non placeret et tu igitur reus esses damnationis tot animarum? Et alibi de se refert[3], se *paene* vicisse has animi sui cogitationes et tentationes: Num tu solus habes purum verbum Dei? Num alii omnes id non habent? Quae Ecclesia hucusque decrevit et a tot annis ut recta tenuit, tu evertis, quasi ea non recta essent, et utrumque, ecclesiasticum et civile, regimen nova tua doctrina labe-

---

[1] Vom miszbrauch der Messen, Wittemberg 1521, Vorrede oder Brief an die Augustiner zu Wittemberg f. 1 sqq (De Wette II 107; Werke: Weim. VIII 442 sq): „Ich entpfinde teglich bey myr, wie gar schwer es ist, langwerige gewissen und mit menschlichen satzungen gefangen, ab tzulegen. O wie mit viel grösser mühe vnd arbeyt, auch durch gegründte heylige schrifft, hab ich meyn eygen gewissen kaum konnen rechtfertigen, das ich, eyner alleyn widder den Bapst habe dürffen auff tretten, yhn fur den Antichrist hallten, die Bisschoff fur seyn Aposteln, die hohen schulen für seyn hurr heußer! Wie offt hatt meyn hertz getzappelt, mich gestrafft vnd myr furgeworffen yhr eynick sterckist argument: Du bist alleyn clug? Sollten die andern alle yrren unnd ßo eyn lange tzeitt geyrret haben? Wie, wenn du yrrest und ßo viel leutt ynn yrthum verfurest, wilche all ewiglich verdammet wurden?“

[2] Tischreden I, f. 681b: „Er [der Teufel] kan vns fein fürwerffen, vnnd mit diesen gedancken plagen: Ja warlich jr predigt das Euangelium. Wer hats aber geheissen? Wer hat euch beruffen? Vnnd sonderlich auff die weise, wie es kein Mensch inn so viel hundert Jaren nicht gelehret hat. Wie wenn es Gott nicht gefiele, vnd jr weret also schüldig an so vieler Seelen verdamnis?“

[3] Ita ib. f. 24b: „Vnd hab diese schwere gedancken vnd anfechtungen *schier* vberwunden, da mein Herz ein weil also sagte: Bist du denn allein der so das rechte Wort Gottes rein hat? Vnd die andern alzumal habens nicht? Also fichtet vns der Sathan auch an, vnd stürmet mit gewalt zu vns ein mit dem namen vnd titel der Kirchen. Ja, spricht er, was die Christliche Kirche bißher beschlossen, vnd so viel Jar für recht gehalten, dasselbige stössestu vmb, als were es vnrecht, vnnd zurrüttest beide, das geistliche vnnd weltliche Regiment mit deiner newen leere.“

factas. Et omnium gravissimam tentationem sibi fuisse testatur[1] illam, quae ex praedicatione sive doctrina sua, timore scil. de eius veritate, ipsi orta sit. Anno vero 1521 Lutherus declaravit, sperare se quidem, se Dei nomine Ecclesiae reformationem coepisse, de hac tamen re certum non esse, nec gratum sibi fore, si a Deo hac de re iudicaretur; anno autem 1522, eos omnes esse mendaces et diabolos, qui coelitus in Ecclesiam involare et a Deo ipso sive immediate vocati esse velint, iisque minime credendum, nisi miracula edant[2]. Multum igitur abest, ut Lutherus de divina missione, quam iactabat, certus fuerit. Praeterea coepti saepe eum paenituit, adeo ut diceret, se modo reformationis opus, nisi coeptum esset, non iam incepturum esse[3]. Quod divino legato non convenit, utpote qui suae legationis munus non temere sibi sumit, sed Deo iubente suscipit et sustinet, ideoque munere suo bene functus semper tranquillus et animo laetus esse potest, sive parvus sive magnus successus labori suo respondeat, cum successus non ab ipso solo, sed a Deo in eiusmodi re pendeat, et malus per se ex ista ipsa legatione divina oriri non possit. — Quemadmodum autem Lutherus necessariis legati divini qualitatibus prorsus caruit, ita *vitiis* inquinatus erat quam plurimis, quibus legatus divinus contaminatus esse posse neutiquam videtur. Nam

γ') S. Scripturam, licet eam verbum Dei non solum continere, sed esse crederet, non ea reverentia Lutherum tractasse, quae decet legatum divinum, multis locis germanicae suae Scripturae versionis apparet. V. g. quosdam locos ita vertit, ut rudem populum in eam opinionem induceret, prophetas Veteris

---

[1] Tischreden I, f. 704a: „Ich hab keine grösser noch schwerer [anfechtung] gehabt, denn von meinem predigen, daß ich gedachte, diß wesen richtestu alles an. In der Anfechtung bin ich offt dahin gangen, in die Helle hinein, biß mich Gott wider heraußgerückt vnnd getröstet hat, daß meine Predigt das ware Wort Gottes vnd die rechte Himlische Lere ist. Aber *es kostet viel, ehe einer* diesen Trost bekömpt." — Et ib. f. 703a: „Er [der Teufel] hat mich einmal mit dem Spruch S. Pauli an Timotheum recht geplaget, vnd schier erwürget, das mir das Herz in Leibe zuschmeltzen wolte. Denn er hilt mir für vnd klagte mich an: Ich were ein vrsach, daß so viel Mönche vnd Nonnen weren auß den Klöstern gelauffen etc. Vnd nam mir den Heuptartickel von der Gerechtigkeit, die für Gott gilt, fein auß den Augen vnd Hertzen, daß ich nicht daran gedachte, vnd hielt mir den Text für I. Timoth. 5 von den jungen Witwen, welche, wenn sie geil vnnd fürwitzig worden sind, daß sie das Futter sticht, so wöllen sie freien, vnd haben ihr vrtheil, daß sie den ersten glauben gebrochen haben etc. Vnnd ich kam auß Gottes Gnade in die Disputation von dem Gesetz, da hatte er mich bloß, vnd in ein Winckel bracht, daß ich nirgent kondte hinweichen. Da war D. Pomer bey mir, dem hielt ich es für, der gieng mit mir auff den Gang, da fieng er auch an zu zweifeln vnd wancken, denn er wuste nicht, daß mirs so hefftig angelegen war. Da erschrack ich allererst sehr, vnd muste es darzu die gantze Nacht mit schwerem Hertzen verbeissen."

[2] Döllinger, Die Reformation III 205 sqq. J. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes II[18], Freiburg 1897, 190 sqq.

[3] Döllinger l. c. 258 sqq. Tischreden I, f. 18b legitur: „D. Luther sagte einmal, hette ich in der erste gewust, da ich anfieng zu schreiben, daß ich jetzt erfaren vnd gesehen hab (nemlich das die Leute Gottes wort so feind weren, vnnd setzten sich so hefftig dawider) so hette ich fürwar stille geschwiegen, denn ich were nimmermehr so küne gewesen, daß ich den Bapst und schier alle menschen hette angegriffen vnd sie erzürnet. . . . Also bin ich zur Lere vnd Predigampt mit den haren gezogen, hette ich aber gewust, das ich jetzt weis, so hetten mich kaum zehen Roß dazu ziehen sollen."

Testamenti contra catholicos sacerdotes et monachos prophetasse et eos tamquam idololatras damnasse. Nomina enim, quae catholicis sacerdotibus, eorum vestibus etc. a populo tribuebantur, sacerdotibus idololatricis applicat[1]. Voce „Ecclesiae" (Kirche) utitur tantum in Vetere Testamento ad designanda loca, ubi idola colebantur, in Novo Testamento vero ad designandam Ecclesiam Christi adhibet vocem „communitas" (Gemeinde). Qua re effecit, ut rudi popello vocem Ecclesiae odiosam redderet, et noceret adversariis suis, qui auctoritatem Ecclesiae obiciebant novationibus reformatorum. Sed talis pugnandi modus Dei legatum non decet. Praeterea locum 1 Cor 9, 5: „Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi", ut coelibatum impugnaret, ita vertit, ac si sensus sit „sororem loco mulieris" vel „pro muliere" circumducere[2]. Sed praecipue verba S. Scripturae novae suae ac praeiudicatae opinioni de hominis iustificatione vario modo accommodavit. Quia scil. Lutherus putabat, numquam hominem interne iustum fieri, sed in iustificatione tegi tantum peccata, quae ceteroqui maneant, valde molesti ei erant loci, ubi homines praedicantur iusti a S. Scriptura. Mutavit igitur illos ita, ut homines ii tantum „pii" (fromm) dicerentur. Sic Lc 1, 6 apud ipsum legitur: „Erant autem ambo pii apud Deum"; sic Ioseph nutricius, Simeon, Ioseph ab Arimathaea (Mt 1, 19. Lc 2, 25; 23, 50) dicuntur „fromm", ubi Scriptura eos vocat iustos. Magis etiam eum incommodabant verba Rom 3, 26: „ut sit ipse [Deus] iustus et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi"; hic enim propter comparationem iustitiae hominis cum iustitia Dei dubium esse non potest, quin de interna hominis iustitia agatur. Audacter igitur Lutherus sic vertit, ac si scriptum esset: „ut sit ipse *solus* iustus"[3], ita ut locus iam nullam difficultatem moveat lutheranae iustificationis theoriae. Item quod in Ioannis Apocalypsi 22, 11 scriptum est: „Qui iustus est, iustificetur adhuc (δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι), et sanctus sanctificetur adhuc (ἁγιασθήτω ἔτι)", Luthero placere non potuit. Vertit igitur locum ita, ut difficultas evanescat[4]. — Sed

---

[1] Dicit protestans Riehm (Theol. Studien und Kritiken LVII [1884] 312): „Wenn er [Luther] das Wort ‚Pfaffen' für Götzenpriester und Wahrsager gebraucht, wenn eine dem Priester gegebene Ritualvorschrift (3 Mos. 21, 5) bei ihm lautet: ‚Er soll auch keine Platte machen auf seinem Haupt', wenn wir in der Beschreibung der Götzenpriester Bar. 6, 30 f lesen: ‚Und die Priester sitzen in ihren Tempeln mit weiten Chorröcken, scheren den Bart ab und tragen Platten, sitzen da mit bloßen Köpfen, heulen und schreien vor ihren Götzen', so liegt vor Augen, wohin das zielt. Versteckter sind andere polemische Beziehungen, wie z. B. die Beibehaltung des hebräischen Wortes Maüssim, worin Luthers Witz [!] im Zusammenhang mit seiner sehr ernstlich gemeinten Deutung der Charakteristik des Antiochus Epiphanes auf den Papst als den Endechrist eine Anspielung auf die Messe fand." Primo ausus erat vertere locum Ion 2, 9: „Aber die sich verlassen auf ihre Werke, die doch nichts sind, achten der Gnade nicht"; et locum Os 4, 8: „Sie geben Ablass für ihre Sünden." Sed ob prorsus falsas has interpretationes a Wicelio vituperatus, eas postea emendavit (Riehm l. c. 301).

[2] „Haben wir nicht Macht, ein Schwester zum Weib mit umher zu führen?"

[3] Praeterea h. l. verba: „ad ostensionem (εἰς ἔνδειξιν) iustitiae suae" vertit: ut offerret iustitiam, quae coram ipso valet, ita ut locus sonet: „auf daß er zu diesen Zeiten darböte die Gerechtigkeit, die für ihm gilt, auf daß er allein gerecht sei und gerecht mache den, der da ist des Glaubens an Jesu".

[4] „Wer fromm ist, der sei immerhin fromm, und wer heilig ist, der sei immerhin heilig."

non solum difficultates erant removendae, sed etiam curandum, ut iustificatio per solam fidem enuntietur in textu sacro. Etiam hoc praestitit Lutherus. Legitur Act 13, 38 sq: „Per hunc [Christum] vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis, qui credit, iustificatur (ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται)." Posuit Lutherus punctum post vocem „iustificari", et ultimum incisum sic vertit: qui autem in hunc credit, iustus est[1]. Dicit S. Paulus Phil 3, 9: „Et inveniar in illo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Iesu: quae ex Deo est iustitia in fide." Vertit ultima verba Lutherus: scil. iustitiam, quae a Deo fidei imputatur[2]. Ut notum est, iustificationem ex sola fide ipsum Paulum facit Lutherus enuntiantem Rom 3, 28: „Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis." Quo loco apostolus de fide tantum incidenter loquitur, scil. non vult efferre, fidem conferre ad iustificationem, sed iustificationem fieri sine operibus legis; „confirmare enim apostolus vult, gloriationem esse exclusam, atqui exclusa est non tam quia iustitia est ex fide, quam quia non est ex operibus"[3]. Lutherus autem transponendo verba, et vocem *solam* addendo[4], principalem vim effati ponit in iustificatione per fidem. Averte tamen, Paulum l. c. opera legis intelligere ea, quae ante fidem et gratiam acceptam fiunt. Haec non iustificare, sed solum ea quae ex fide fiunt, verum est, et hoc sensu utique recte dici potest, solam fidem iustificare[5]. Sed Lutherus opera legis etiam ea opera intelligit, quae post gratiam acceptam fiunt, et haec inutilia esse versione sua textus Rom 3, 28 inculcare vult legentibus. Omitto, quod Lutherus, ipsis protestantibus fatentibus, locutionibus ex trivio sumptis in versione sua usus est. Simili modo Lc 1, 28: „gratia plena (κεχαριτωμένη)" germanice dicit: „Holdselige" i. e. gratiosa, amabilis, ac si angelus aulicis et amatoriis phrasibus usus esset, et matrem Christi laudaverit non a virtutibus animi, sed a dotibus externis et corporeis[6]. — Constat etiam atque omnibus notum est, Lutherum epistulam S. Iacobi ut partem S. Scripturae antea semper atque etiamnum vel ab ipsis protestantibus habitam reiecisse et vere stramineam atque apostolo indignam vocasse ideo maxime, quod suae doctrinae de salute aeterna sola fide in Christum obtinenda contraria ipsi videbatur[7]. — Insuper

[1] „. . . daß euch verkündigt wird Vergebung der Sünden durch diesen, und von dem allen, durch welches ihr nicht konntet im Gesetz Mosi gerecht werden. Wer aber an diesen glaubet, der ist gerecht."

[2] „Daß ich nicht habe meine Gerechtigkeit, die aus dem Gesetz, sondern die durch den Glauben an Christus kommt, nämlich die Gerechtigkeit, die von Gott dem Glauben zugerechnet wird."

[3] Cornely in ep. ad Rom. 200.

[4] „So halten wir es nun, daß der Mensch gerecht werde, ohne des Gesetzes Werke, allein durch den Glauben."

[5] Cornely l. c. F. X. Reithmayr, Kommentar zum Briefe an die Römer, Regensburg 1845, 173.

[6] Cf. Döllinger, Die Reformation 139 sqq; Janssen-Pastor, Gesch. des deutschen Volkes VII [14], Freiburg 1904, 654 sqq. — „Es ist bekannt, daß Luther die einzelnen Bücher der Bibel seiner Zensur unterwarf und ihren Wert an der Zusammenstimmung mit seiner Theologie maß. Ja er ging noch einen Schritt weiter, indem er den Text korrigierte, wo derselbe nicht mit der nötigen Entschiedenheit das Theologem von der Rechtfertigung durch den Glauben ‚allein' zu lehren schien" (Fr. Paulsen, Gesch. des gelehrten Unterrichts, Leipzig 1885, 147).

[7] Döllinger l. c. 356 sqq.

δ') merito reprehenditur, quod pro vario tempore variisque rerum adiunctis de eadem re *varia et inter se plane repugnantia docuit* sibique numquam constans fuit. De qua re pauca quaedam referre sufficiat, cum legatus divinus in nulla re ad eam doctrinam spectante, quam ut legatus divinus credendam proponit, sibi ipse contrarius esse possit. Lutherus porro sibi ipse aperte contradixit respectu baptismi sub conditione collati. Nam anno 1531 die 12 maii literis ad W. Link datis [1] illud prorsus reiecit dicens: „De quaestione ... proposita de baptismo conditionali ... contuli cum magistro Philippo, et re diligenter perpensa definimus, baptismum conditionalem simpliciter tollendum esse de Ecclesia, et ubi vel dubitatur vel ignoratur, baptizatum esse hominem, ibi simpliciter baptizetur absque conditione, ac si numquam esset baptizatus", hancque sententiam continuo argumentis probare studuit. Ipso autem altero die (13 maii eiusdem anni) literis ad Andr. Osiandrum datis [2] contrariam plane doctrinam tradidit scribens: „Conditionalem vero baptismum nati et editi pueri, si de baptismi privatim dati certitudine dubitatur, non possum damnare." — Ratione autem necessitatis *vocationis* ad evangelium Christi praedicandum ab anno 1521 usque ad annum 1538 sententiam suam saltem *decies* mutavit [3], et ita quidem, ut necessitatem istius vocationis modo negaret, modo affirmaret, atque vocationem suam nunc hominibus, nunc Deo ascriberet, et divinam, nisi miraculis sit demonstrata, rursus ut impossibilem reiceret, humanam vero modo a magistratu, modo a populi multitudine, modo ab hoc utroque fonte derivaret, vocationem autem suam saepe etiam a doctoris theologiae dignitate, qua ornatus erat, repeteret, ita ut diceret, se alia vocatione quam doctoris non gaudere, quamquam prius hunc vocationis titulum ut prorsus vanum damnaverat et gavisus erat, excommunicationis poena in ipsum lata doctoris omnesque alios papisticos titulos sibi fuisse ablatos. Lutherus igitur modo hac, modo alia ratione de vocationis necessitate loquebatur, prout nimirum confligebat aut cum Ecclesia romano-catholica, aut cum adversariis protestantibus Muenzero, Carolostadio aliisque, vel ordinem inter adversarios suos, maxime catholicos, turbare vel in suo coetu qualemcumque ordinem instituere volebat; verbo, hac in re tempori plane serviebat, ita ut sumptum sibi reformandi ius honoremque suum et gloriam diligenter semper studeret sibi vindicare atque defendere. Hinc etiam, ut ostendimus p. 875, Lutherus ab adversariis suis exigebat, ut miraculis vocationem suam ostenderent, dum in suae vocationis gratiam nulla miracula necessaria esse dicit [4].

Pariter respectu doctrinae de ecclesia Romana, purgatorio et cultu sanctorum Lutherus quam maxime inter se pugnantia docuit. Anno 1519 post disputationem Lipsiae habitam, eo igitur tempore, quo iam diutius novas doctrinas sparserat et, quae vocatur, reformationem iam coeperat, in libello, quo ad adversariorum accusationes respondebat [5], docuit, sanctos et honorandos et invocandos esse [6], animas in purgatorio detentas ineffabiles poenas pati,

[1] Apud De Wette IV 254. [2] Ibid. 256.

[3] Cf. Döllinger l. c. III 205. [4] Ibid. 210 sqq.

[5] Underrichtung vff etlich artikel, dye von seynen abgünern auffgelegt vnd tzugemessen werden, (s. l.) 1519.

[6] Ibid. f. 1 b (Werke: Erl. XXIV 3; Weim. II 69): „Von der lieben heiligen furbit. Sag ich und halt fest mit der gantzen Christenheyt, das man die lieben heyligen eeren vnd anruffen sol. Dan wer mag doch das widderfechten, das noch heutigis tagis sichtlich bey der lieben heiligen corper vnd greber got durch seyner heyligen namen wunder thut?"

christianosque debere illis succurrere precibus, ieiuniis, stipe in egenos collata aliisque quibus valeant modis [1]; ecclesiam autem Romanam esse prae omnibus aliis honoratam et dilectam a Deo, nullamque umquam, quantumvis gravem rationem esse posse, propter quam ab ea quisquam recedere et schismate ab eius unitate separare se debeat [2]. Et quod ad primatum cathedrae Romanae attinet, quamvis iam tunc diceret, doctorum esse de ea disputare, ac Christum Ecclesiam suam non super potestate externa et visibili fundasse, sed super animorum amore, humilitate, coniunctione, addidit tamen, R. Pontificis potestatem omnibus gratam esse debere, ipsiusque mandatis nullatenus obsistendum, sed sanctae Romanae cathedrae in omni re obtemperandum esse [3]. Et eodem anno ad Leonem X R. Pontificem scribere sibi proposuerat [4]: „Plenissime confiteor huius [Romanae] Ecclesiae potestatem esse super omnia: nec ei praeferendum quidquam sive in coelo sive in terra praeter unum Iesum Christum Dominum omnium." Anno 1520 deinde Lutherus in „Epistula Lutherana" ad eundem Pontificem data eum multum laudavit eiusque vitam ita inculpatam dixit, ut a nemine „vel maximi nominis possit quavis arte impeti" [5]. Verum eodem anno Lutherus eundem Pontificem antichristum esse contendit [6], et postquam ipsius scripta a R. Pontifice damnata erant, libellum edidit, in cuius ipsa inscriptione Leonem X antichristum vocavit [7], hancque opinionem numquam deinceps abiecit. Ipsam autem ecclesiam Romanam Lutherus non solum deseruit, sed vel in ipsa illa epistula ad Leonem X appellavit „speluncam latronum licentiosissimam, lupanar omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis et inferni" [8]. — Purgatorii porro exsistentiam negavit anno 1530 integro libello ad eam impugnandam et hinc etiam ad preces pro

[1] Underrichtung etc. f. 2 a (Erl. 4; Weim. 70): „Von dem Fegfeur. Sol man fest glauben, und ich weyß das war ist, das die armen seelen unsegliche peyn leyden, und man yhn helffen schuldig ist mit Beeten, fasten, almoßen vnd was man vormag."

[2] Ibid. f. 3 b sq (Erl. 8; Weim. 72): „Das die Römische kyrche vonn gott für allen andern geeret sey, ist keyn zweyffel, dan doselb Sanct Peter vnd Paul, 46 bebste, darzu vyl hundert tausent martyrer yhr blut vergossen, die hel vnd welt vberwunden, das man wol greiffen mag, wie gar einen besondern augenblick got auff dieselbe kirchen habe. Ob nu leyder es zu Rom alßo steht, das woll besser tuchte, ßo ist doch die vnd keyn vrsach so groß, noch werden mag, das man sich von derselben kirchen reyßen odder scheyden soll. Ja yhe übeler es do zugeht, yhe mehr man zulauffen vnd anhangen soll, dann durch abreyßen odder vorachten wirt es nit besser. Auch soll man gott vmbs teufels willen nit lossen, noch die vbrigen frumen vmbs des bösen hauffen willen meyden. Ja vmb keynerley sünd oder vbel, das man gedenken oder nennen mag, die lyeb zertrennen vnd die geystliche eynikeyt teylen, dann die lieb vermag alle dinck, vnd der eynickeit ist nichts zu schwer. Es ist eyne schlechte liebe vnnd eynickeyt, dye sich leßt fremde sünde zueteylen."

[3] Ibid. f. 4: „Darumb die gewalt, sey wie sie sey, ... soll sie uns gefallen vnd wir zufriden seyn; wie sie gott außteylet, gleich wie wir zufrieden seyn sollen, wye er ander zeytliche güter, eere, reychtumb, gunst, kunst etc. außteylet, allein der eynickeyt sollen wyr acht nemen, *vnd bey leyb nit widder streben Bepstlichen gepoten.* ... Den heyligen Römischen stuel soll man ynn allen Dingen folgen."

[4] De Wette I 234. Epistulam enim hanc Lutherus, quamquam in chartam coniecerat, papae non misit (cf. Paulus in Der Katholik 1899, I 476 sqq).

[5] De Wette I 498.

[6] An den Christlichen Adel teutscher Nation, Wittemberg 1520, saepius, sed maxime f. 36 a sqq (Werke: Erl. XXI 338; Weim. VI 453 sq).

[7] Widder die Bullen des Endchrists (Werke: Erl. XXIV 35; Weim. VI 614).

[8] De Wette I 500.

defunctis fundendas penitus abolendas foras dato[1]. Sanctorum autem invocationem postea constanter reiecit, immo idolorum cultum esse dixit[2]. Habemus ergo Lutherum in pluribus maximi momenti rebus aperte contra se ipsum pugnantem, id quod argumentum est evidens, quo nullatenus eum Dei legatum fuisse patet. Quemadmodum enim Deus sibi ipse contradicere non potest, ita nec permittere potest, ut legatus a se ad novam religionem docendam missus in ea proponenda umquam contra se ipse pugnet, cum alioquin eiusmodi contradictionis vitium in ipsum Deum caderet.

Nec quidquam iuvat dicere, Lutherum temporis successu et accuratiore S. Scripturae studio melius fuisse edoctum et ita quibus prius fuerit captus erroribus paulatim sese liberasse. Quos enim Deus ipse extraordinarios legatos ad praedicandam novam religionem aut ad reformandam et perficiendam iam exsistentem mittit, *ipse instruit*, minime vero eos sibi suoque studio solos relinquit. Quinimmo si quis ad Ecclesiam reparandam divinitus mitteretur, maxime ipso praedicationis initio opus esset, ut proposita doctrina plane vera esset, omnique errore omnique cum posterioribus pugna careret.

Iam cum Lutherus Dei legatus non esset ideoque nullo divino lumine illustratus, facile intelligitur, cur in definienda et defendenda doctrina sua tam saepe incertus fuerit sibique non constiterit ac secum ipse pugnarit. Id iam prius ostendimus respectu ipsius sententiae de invisibilitate Ecclesiae (cf. supra p. 479). De auctoritate ecclesiasticae traditionis et ipsius Ecclesiae romano-catholicae similes mutationes apud ipsum certissime constant. Cum enim in hanc Ecclesiam insurgeret, eius et traditionis auctoritate prorsus spreta, S. Scripturam regulam fidei christianae unicam esse contendit, ad eamque solam semper provocavit, ita ut nullam refutationem ex SS. Patrum et conciliorum vel R. Pontificum auctoritate admitteret atque Ecclesiae usum sive praxim et infallibile magisterium prorsus respueret[3]. Iam cum ipsius doctrina de Eucharistia a Zwinglio huiusque et Muenzeri sectatoribus impugnaretur, continuo Lutherus instar catholici ad argumentum ex traditionis testi-

---

[1] Ein Widderruff vom Fegefeuer, Wittemberg 1530 (Werke: Erl. XXXI 185; Weim. XXX 2, 367 sqq).

[2] Cf. v. g.: Das 14. Cap. S. Johannis durch D. M. Luther gepredigt und ausgelegt (Werke: Erl. XLIX 24); Ein Sendbrieff von Dolmetschen vnd Fürbitte der Heiligen (1530) f. 10b sqq (Werke: Erl. LXV 119; Weim. XXX 2, 643).

[3] Sendbrieff von Dolmetschen etc. f. 11b sqq (Erl. 121; Weim. 643 sq): „Ja sprechen sie, damit verdampstu die gantzen Christenheit, die allenthalben solchs bißher gehalten hat. Antwort: Ich weis fast [= valde] wol, das die Pfaffen vnd Münich solchen deckel yhrer grewel suchen, und wöllen auff die Christenheit schieben, was sie verwarloset haben, Auff das, wenn wir sagen, die Christenheit yrre nicht, so sollen wir auch sagen, das sie auch nicht yrren, und also kein lügen auch yrthum an yn müge gestrafft werden, weil es die Christenheit so helt. . . . Darümb solt yr hie zu so sagen: Wir handeln ytzt nicht, wer verdampt odder nicht verdampt sei. Dise frembde sache mengen sie da her, das sie uns von unser sache furen. Wir handeln ytzt von gottes wort, was die Christenheit sey oder thue, das gehöret auff ein ander ort. Hie fragt man, was gottes wort sei odder nit. Was gottes wort nit ist, das macht auch keine Christenheit. . . . Vnd ob die Christen gleich haben etlich stücke der Bäpstlichen grewel gethan, so haben die Bapstesel damit noch nicht beweiset, das die lieben Christen solchs gern gethann haben, vil weniger ist damit beweiset, das die Christen recht gethan haben. Christen können wol *yrren* und sundigen *allesampt*."

monio et Ecclesiae infallibili auctoritate petitum confugit[1], idque adeo validum esse dixit, ut si nullum aliud suppeteret, per se solum ad illam veritatem demonstrandam ita luculenter sufficeret, ut qui huic infallibilis Ecclesiae testimonio non crederet, etiam ipsum Christum una cum apostolis et prophetis damnare deberet, Christum nimirum dicentem Mt 28, 20: ecce ego vobiscum sum etc., et Paulum 1 Tim 3, 15 Ecclesiam columnam et firmamentum veritatis vocantem.

Praeterea Lutherus docens, opera bona ad iustitiam quidem et ad salutem aeternam consequendam nullatenus necessaria, nihilominus tamen necessarios et certo secuturos fidei christianae fructus esse, hanc necessariam bonorum operum cum fide coniunctionem ita declaravit et probare studuit, ut sibi usque contradiceret[2], sive potius probe sentiens, nullam suam explicationem esse sufficientem, novas usque excogitaret itaque destrueret, quod paulo ante aedificaverat. — Atque ut alias Lutheri inter se pugnantes doctrinas omittam, hoc unum addiderim, eum anno 1541 per Christum iurasse[3], se cum contra

---

[1] Sendbrief Dr. Martin Luthers wider etliche Rottengeister an Albrecht, Marggrafen zu Brandenburg (De Wette IV 354), ubi Lutherus anno 1532 scripsit: „Zudem, so ist dieser Artikel [de vera et reali Christi in Eucharistia praesentia] nicht eine Lehre oder Aufsatz ausser der Schrift von Menschen erdichtet, sondern klärlich im Evangelio durch helle, reine, ungezweifelte Wort Christi gestift und gegründet, und von Anfang der Christlichen Kirchen in aller Welt bis auf diese Stund einträchtiglich gegläubet und gehalten. Wie das ausweisen der lieben Väter Bücher und Schrift, beyde Griechischer und Lateinischer Sprache, dazu der täglich Brauch und das Werk mit der Erfahrung bis auf diese Stund. Welches Zeugniß der ganzen heiligen Christlichen Kirchen (wenn wir schon nichts mehr hätten) soll uns allein genugsam seyn, bey diesem Artikel zu bleiben, und daruber keinen Rottengeist zu hören, noch zu leiden. Denn es fährlich ist und erschrecklich, etwas zu hören odder zu gläuben widder das einträchtig Zeugniß, Glauben und Lehre der ganzen heiligen Christlichen Kirchen, so von Anfang her nu uber funfzehen hundert Jahr in aller Welt einträchtiglich gehalten hat. Wenns ein neu Artikel wäre, und nicht von Anfang der heiligen Christlichen Kirchen, odder wär nicht bey allen Kirchen, noch bei der ganzen Christenheit, in aller Welt so einträchtiglich gehalten, wäre es nicht so fährlich noch schrecklich, davon zu zweifeln oder disputiren, ob es recht sey. Nu er aber von Anfang her und so weit die ganze Christenheit ist, einträchtiglich gehalten ist, wer nu dran zweiffelt, der thut ebensoviel, als gläubet er kein Christliche Kirche und verdampt damit nicht allein die ganze heilige Christliche Kirche als eine verdampte Ketzerin, sondern auch Christum selbs mit allen Aposteln und Propheten, die diesen Artikel, da wir sprechen: Ich gläube eine heilige Christliche Kirche, gegründet haben, und gewaltig bezeuget, nämlich Christus Matth. 28: Sieh ich bin bey euch bis an der Welt Ende. Und S. Paulus I. Timoth. 3: Die Kirche Gottes ist eine Säule und Grundveste der Wahrheit." Nihilominus Dorner (Gesch. der protest. Theol., München 1867, 119) haec de Luthero affirmat: „In seinem Kampf gegen die Sektierer und Schwärmer hat er sich nicht Reste römischen Wesens vorbehalten wollen, um damit gegen sie zu operieren, sondern aus der innersten Mitte seines vom Anfang an eingenommenen Standpunktes, des Glaubens, heraus hat er auch gegen sie, wie zuerst gegen die römische Kirche, den Kampf geführt."

[2] Döllinger, Die Reformation I 95 sqq.

[3] Wider Hans Worst, Wittemberg 1541, f. 14b (Werke: Erl. XXVI 50): „Als viel Volkes von Wittemberg lieff dem Ablas nach gen Jütterbock vnd Zerbest etc. Und ich (so war mich mein Herr Christus erlöset hat) *nichts wußte was das Ablas were*, wie es denn kein mensch nicht wuste, fieng ich seuberlich an zu predigen, man köndte wol bessers thun, das gewisser were, weder Ablas lösen."

doctrinam Tetzelii de indulgentiis praedicare inciperet, ne scivisse quidem, quid nomine indulgentiae esset intelligendum. Manifeste autem non est legati divini, doctrinam impugnare atque ut falsam reicere, quam ipse non novit. — Diximus supra

ε′) legatum divinum non posse omnia paene *mala et infortunia etiam physica diabolo tamquam causae ascribere,* cum certe nemo prudens contendat, haec omnia ab eo originem ducere. Iam vero Lutherus id fecit. Certe conscientiae morsus, quibus propter innovationes suas excruciabatur, diabolicas tentationes dixit, id quod ex allatis testimoniis satis liquet patetque etiam ex hoc, quod doctrinam et opinionem, secundum quam Christus etiam legislator fuerit, quaque usque recurrente vexabatur, diabolo ascripsit. In Commentario enim maiore in ep. S. Pauli ad Gal. Lutherus scripsit: „Discamus igitur diligenter discernere non verbo tantum, sed opere et vita Christum a legislatore, ut, veniente diabolo sub larva Christi et fatigante nos sub nomine eius, sciamus, eum non esse Christum, sed vere diabolum.“ [1] Item Lutherus finxit, omnes morbos ac pestilentiam, immo tristitiam a diabolo immitti [2], ab ipso homines occidi ideoque aërem veneno infici [3], dormientes alios ab ipso gravibus somniis et visis vexari ac terreri, alios (somnambulos) e lecto et dormitorio in alta et periculosa loca educi, ut si boni angeli eos non tutarentur, inde ab ipso praecipitati morirentur [4]. Hinc iam satis intelligitur, quomodo Lutherus etiam haec scribere potuerit [5]: „De phreneticis sic sentio, omnes moriones et quicumque usu rationis privantur, a daemonibus vexari vel occupari, non quod damnati sint ideo, sed quod variis modis Satan

---

[1] Ed. Irmischer I, Erlangae 1843, 261. Cf. Riffel, Christl. Kirchengesch. I 309—322; Döllinger l. c. III 248.

[2] Tischreden I, f. 653a: „Ich halte, daß der Sathan alle schweren Seuchen vnd Kranckheiten den Menschen zuschicke“; et f. 654a: „Gott verhenget dem Teufel, daß er die welt umb jrer Sünden . . . willen durch mancherley Kranckheit, Trübsaln vnd Widerwertigkeit, als Pestilentz, Krieg, tewre zeit engstet vnnd plaget, also daß *alles jammers vnnd vnglücks der Teufel,* nicht Gott, ein *Stiffter* vnd *Vrsacher* ist“; et f. 664b: „Alle Trawrigkeit, Seuchen unnd Schwermut kömpt vom Satan. In solchem Fall der Trawrigkeit oder Kranckheit schliesse ich vnd halts gewiß dafür, es sey des Teufels Werck vnd Getrieb.“ Denique ib. f. 669a refertur Lutherus dixisse: „*Keine* Krankheit kömpt von Gott, als der gut ist, vnd jederman alles gutes thut, sondern ist vom Teufel, der alles vnglück stifftet vnd anrichtet, vnd sich in alle Spiel vnd Künste menget, scheusset aus Pestilentz, Frantzosen, Fieber etc. Kömpt er vnter die Juristen, so macht er vnglück, vneinigkeit, auß Recht unrecht, vnd auß Unrecht recht.“

[3] Ibid. f. 653a: „Ebenso beschediget vnnd tödtet auch der Teufel die Menschen durch Mittel, die jm dazu dienen, vergifftet die Lufft“ etc.; et f. 664b: „Der Satan weiß wol, daß wir sterben müssen, gleichwol wütet und tobet er so hefftig wider uns, daß er alle augenblick (so vil an jm ist) mit allem fleiß, on ablassen, damit umbgehet, daß er vns vmbbringe vnd morde, auch alsbald wir geborn werden.“

[4] Tischreden I, f. 654b: „Der Satan engstet und plaget auff allerley weise die Leute, also daß er auch etliche im Schlaff mit schweren Treumen vnd Gesichten vexirt vnd erschreckt, daß zuweilen für grosser angst des Hertzen der gantze Leib schwitzet. Zudem füret er auch etliche schlaffend auß den Betten und Kammern an hohe fehrliche örte, daß wo sie durch der lieben heiligen Engel dienst und schutz, die vmb sie sind, nicht bewaret und behütet würden, stürtzte er sie herab, daß sie sich zu tode fielen.“

[5] Apud De Wette III 348.

homines sic tentat, alios gravius, alios levius, alios brevius, alios longius. Nam quod medici multa eiusmodi tribuunt naturalibus causis, et remediis aliquando mitigant, fit, quod ignorant, quanta sit potentia et vis daemonum.... Denique pestes et febres, atque alios graves morbos esse daemonum opera, non licet dubitare, *cum ipsi sint, qui et tempestates, incendia, frugum et fructuum dispendia operentur*. Summa, mali angeli sunt, quid mirum, si *omnia* mala faciunt, et humano generi *omnia* noxia et pericula intentent, quatenus permittit Deus?" Contendit Lutherus etiam [1], serpentes et simias prae omnibus aliis animalibus diabolo esse subiectos, ipsumque sese in eos immittere eosque occupare ad homines fallendos et laedendos. — Unde facile etiam intelligitur, quare Lutherus multum de incantationibus et magis locutus sit [2], morbosque suos maxima ex parte satanae incantationibus ascripserit [3], stultissimas artis magicae fabulas veras esse crediderit [4] et quas publica fama sagas dicebat, sine longa inquisitione et sine ulla misericordia igne cremari voluerit [5]. — Legatum divinitus missum non fuisse Lutherum confirmatur insuper

ζ) *ex Lutheri dicendi scribendique genere.* Nam omnes, quotquot sibi contradicebant, Pontifices Romanos, cardinales, episcopos, reges, principes, inter hos maxime Henricum VIII et Georgium Saxonum ducem, SS. Patres, theologos etiam doctissimos, adversarios protestantes aeque ac catholicos dicendi scribendique genere persequebatur nullatenus docto et aequo, sed ultra omnem modum rudi, plebeio, maledico, vocando eos passim in libris suis stultos, asinos, hircos, boves, porcos, viperas, fanaticos, nequam, diabolis plenissimos atque ipsos diabolos, aliisque plane innumerabilibus quam maxime ignominiosis et maledicis nominibus et modis dicendi [6], quibus nostra aetate ne homo quidem plebeius inter aequales suos uteretur [7], nedum ullo umquam tempore ullus Dei legatus uti potuerit.

Nec profecto istud dicendi scribendique genus excusari potest eo, quod loquendi ruditas Luthero cum aetate sua communis fuerit. Quemadmodum enim Döllinger, qui

---

[1] Tischreden I, f. 684 b: „Die Schlangen vnd Affen sind für allen andern Thieren dem Teufel vnterworffen, in die er feret vnd sie besitzt. Braucht derselbigen die Leute zu betriegen vnd zu beschedigen."

[2] Ibid. f. 716 a: „Doctor Mart. [Luther] sagte vil von Zauberey, vom Hertzgespan vnd Elben."

[3] Ibid.: „Ich gleube, das meine Kranckheiten nicht allwege natürlich seien, sondern das Juncker Satan seinen mutwillen an mir vbet durch Zeuberey."

[4] Ibid. f. 690 sqq 766 sqq et deinceps.

[5] Ibid. f. 717 a: „Darauff sprech D. Martin: Da solte man mit solchen zur straffe *eilen*, die Juristen wollen *zu viel zeugnusse vnd beweisunge* haben, verachten diese offentliche. . . . Anno 38, den 25. Augusti ward viel geredt von Hechsen vnd Zeuberin, die Eier auß den Hünernesten, Milch vnd Butter stelen. Sprach Doct. Mart.: Mit denselben sol man keine Barmhertzigkeit haben, ich wolte sie selber verbrennen."

[6] Hac de re Döllinger (Freib. Kirchenlexikon VI[1] 676): „Die Art, wie er in diesen Streitschriften die Personen seiner Gegner behandelt, ist wirklich beispiellos. Nie ist es die trauernde Liebe, die, nur den Irrtum hassend, den Irrenden zu gewinnen sucht, sondern es ist schmähender Groll, trotziger, wegwerfender Hohn und eine massenhafte Häufung von Invektiven, oft der persönlichsten, oft zugleich der pöbelhaftesten Art, die wie ein Strom aus unversiegbarer Quelle sich ergießen."

[7] Necessitate coactus multa huius generis ex Lutheri libris collegit H. Denifle O. Pr., Luther und Luthertum I[2], Mainz 1904, 813 sqq.

temporis illius scriptores multum legit, scribit[1], contrarium ita certum est, ut insolens et plus quam plebeia Lutheri scribendi ratio omnium, qui non devoti eius asseclae essent, animos offenderet. Certe Cochlaeus v. g., Lutheri aequalis, Lutherum propter maledicum et vilissimum scribendi genus graviter reprehendit[2] et indignum habuit, cui responsum daretur. Atque haec ita se habere ipse Lutherus fatetur, cum scribit[3]: „Omnes ferme in me damnant mordacitatem. . . . Praesens male iudicat aetas, iudicium melius posteritatis erit." Rudem plebem tunc dicendi genere spurcissimo usam esse concedi debet, item poetas, ut Rabelais, Fischart, humanistas fines honesti et pudici egressos esse. Sed numquid legati divini est, imitari in loquendo vilem plebeculam aut poetas lascivos?[4]

η') Sed Lutherus adversarios non tantum conviciis et criminationibus affecit, sed etiam *Deum precatus* aliosque ad precandum hortatus est, *ut perderet contrarios sibi principes,* et ad denegandam debitam dominis et principibus legitimis, sed sibi adversis oboedientiam, immo ad seditiones et bella contra eos excitanda multa contulit. Certe, ut nihil dicam de furiosis eius scriptis contra iudaeos in lucem editis, Lutherum contra principes catholicos Deum precatum esse, negari nequit, cum ipse hoc testatus sit. Scripsit enim a. 1528 ad Link de Saxoniae duce Georgio catholico inter alia[5]: „Deus confundet istum morotaton moron, qui sicut Moab plus audet quam possit, et non secundum vires suas superbit, sicut semper fecit. Orabimus contra istos homicidas, atque hactenus iis sit indultum. Si denuo aliquid moliti fuerint, orabimus Deum, deinde monebimus principes, ut absque misericordia perdantur, quandoquidem sanguisugae insatiabiles quiescere nolunt, nisi Germaniam sanguine madere sentiant." Et cum hic princeps ad sui aliorumque principum catholicorum defensionem libellum contra Lutherum ederet, hic ad eundem Link scripsit[6]: „Ego vero furtim exemplari accepto respondi, quod simul, non sperante illo, evulgabitur: forte furia rumpetur, et morietur miserrimus moros. . . . Te quaeso, ut cum ecclesia tua ores contra furiosum istum homicidam sanguinariumque latronem, ut plane non ab uno daemone possessum, nihil nisi caedes et minas spirantem, ut Christus vel servet eum, sicuti Paulum, vel *de medio tollat:* ut quid enim divexat coelum et terram organum hoc satanae noxium et inquietum?"

Lutherum etiam multa contulisse ad debitam dominis et principibus sibi adversis oboedientiam denegandam atque ad seditiones et bella contra eos excitanda, negari non potest. Certe cum anno 1523 et 1524 in comitiis regni Norimbergae habitis quaedam Luthero ingrata statuta essent, ea decreta detrectavit[7], in Caesarem et principes ei consentientes maximis

---

[1] L. c.: „Es ist durchaus unwahr, daß Luther in dieser Beziehung nur einer in jener Zeit überhaupt herrschenden Unsitte gefrönt habe; das Gegenteil weiß jeder Kenner der gleichzeitigen und unmittelbar vorausgegangenen Literatur: Luthers Schriften erregten gerade durch diesen Charakter allgemeines Erstaunen."

[2] Hist. de actis et scriptis M. Lutheri ad a. 1533, Coloniae 1568, f. 90 b sq. Graviter etiam vituperant Lutheri scribendi genus v. g. Mathias Bredenbach († 1559); cf. Der Katholik, Mainz 1893 II, 460; Sadoletus apud F. Dittrich, Kardinal Contarini, Braunsberg 1885, 371; W. Pirkheimer, Bullinger, Billicanus, Zasius, apud Janssen, Gesch. des deutschen Volkes II[13], Freiburg 1897, 195 sqq.

[3] Apud De Wette I 479.

[4] Cf. Denifle l. c. 846 sq.

[5] Apud De Wette III 340.

[6] Ibid. 409.

[7] Cf. Riffel l. c. I 469 sqq.

conviciis invectus, atque Germanos adhortatus est[1], ne imperatori ullum vel pecuniae vel militum subsidium darent contra Turcos, qui multo sapientiores et magis pii sint quam principes Germani.

Lutherum etiam ad magnam et tristissimam rusticorum seditionem a. 1525 tum indirecte ac generatim doctrina sua, tum etiam directe multum contulisse, aeque certum est et invicte multis rationibus et documentis probatur[2].

Quid quod Lutherus iam a. 1520 in ultimo suo responso ad Prieriae libellum haec scripsit[3]: „Mihi vero videtur, si sic pergat furor romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam ut imperator, reges et principes vi et armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum remque non iam verbis sed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines etiam communi sensu privati quam id quod antichristus facturus praedicitur, ac si nos insensatiores quam trunci sunt, habeant? Si fures furca, si latrones gladio, si haereticos igne plectimus, cur non magis hos magistros perditionis, hos cardinales, hos papas et totam istam Romanae Sodomae colluviem quae ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus et manus nostras in sanguine istorum lavamus, tamquam a communi et omnium periculosissimo incendio nos nostrosque liberaturi? O felices christianos, ubiubi fuerint, modo sub tali Romano antichristo, sicut nos infelicissimi, non fuerint!“

Idem Lutherus eodem anno in epistula ad Spalatinum dixit[4], evangelii (sui) rem *„sine tumultu, scandalo, seditione“* geri non posse. Atque eodem anno in alio libello scripsit[5]: Num igitur mirum foret, si principes, nobiles et laici papam, episcopos, presbyteros et monachos caederent et ex sua quemque regione eicerent? Clarissime autem ad seditionem contra ecclesiasticos

---

[1] Zwei Kaiserliche uneinige und wiederwertige Gebot Luther betreffend (Werke: Erl. XXIV 236 ff; Weim. XV 277): „Am Ende bitt ich alle lieben Christen wollten helffen Gott bitten fur solch elende verblente Fursten, mit wilchen uns ohn Zweiffel Gott geplaget hatt ym grossem Zorn, *daß wyr ya nicht folgen wiedder die Turken zu ziehen* odder *zu geben*, Syntemal der Turck zehen mal klüger und frummer ist, denn unsere Fürsten sind. Was sollt solchen Narren wider den Turcken gelingen, die Gott so hoch versuchen und lestern? Denn hie sihestu, *wie der arme, sterbliche madensack, der Keyser*, der seyns lebens nicht eyn augenplick sicher ist, sich unverschampt rhümet, Er sey der wahre öbrister beschirmer des Christlichen Glawbens. . . . Solchs klage ich aus herzen grund allen frommen Christen, das sie sich mit myr uber solche *tolle, törichte, unsynnige, rasende, wansynnige narren* erbarmen. . . . Gott erlöse uns von yhnen, und gebe uns aus gnaden andere Regenten. Amen.“

[2] Riffel l. c. 510 563. K. E. Jarcke, Studien und Skizzen zur Gesch. der Reformation, Schaffhausen 1846, 238 255 312 sqq; J. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes II[18], Freiburg 1897, 519 sqq 611 sqq.

[3] Epitoma Responsionis. M. Lutherus ad Lectorem (Werke: Weim. VI 347).

[4] „Obsecro te, si de evangelio recte sentis, noli putare rem eius posse sine tumultu, scandalo, seditione agi. Tu ex gladio non facis plumam, nec ex bello pacem; verbum Dei gladius est, bellum est, ruina est, scandalum est, perditio est, venenum est, et (ut Amos ait) sicut ursus in via et leaena in silva, sic occurrit filiis Ephraim“ (De Wette I 417). „Verbum pietatis numquam sine turbine, tumultu, periculo tractari potuit . . . pingues Israel occidit et electos eius impedit“ (ib. 425).

[5] Widder die Bullen des Endchrists, Viittembergh 1520, f. 5b (Werke: Erl. XXIV 43; Weim. VI 621): „Was were es nu wunder, ob fursten, adel vnd leyen den Bapst, Bischoff, pfaffen unnd Munch ubir die kopff schlugen unnd zum land außjagten?“

principes Germaniae vulgus excitavit Lutherus a. 1522 in libello, quem contra statum clericalem scripsit[1]. In quo postquam initio se divina gratia Ecclesiastem vocavit, addens, evangelium suum esse evangelium Christi[2], eumque, qui doctrinam suam non amplectatur, non posse aeternam salutem consequi, suumque iudicium esse etiam Dei iudicium[3], et postquam dixit, ecclesiasticos superiores, nisi sancti sint et Dei verbum, scil. Lutheri doctrinam, praedicent, esse lupos et animarum interfectores atque instar diaboli, ideoque non minus quam diabolos cavendos[4], sibi ipse opponit, ita timendum fore, ut contra ecclesiasticum regimen seditio oriatur. Ad quod haec respondit[5]: Num ideo verbum Dei non praedicandum est, num omnes homines pervertendi? Num aequum est, ut animae aeternum pereant, ne istarum larvarum temporalis fulgor turbetur? Melius certe foret, ut omnes episcopi interficerentur, omniaque instituta sacra et monasteria exstirparentur, quam ut vel una anima periret, nedum omnes pessumdarentur propter inutiles illas larvas atque idola. Cui enim bono sunt, quam ut aliorum sudore ac labore voluptuosi vivant et verbum Dei impediant? Timent hominum seditionem et spernunt spiritualem perniciem. Num igitur homines prudentes et probi sunt? Si Dei verbum susciperent et animarum vitae studerent, Deus, qui est Deus pacis, illis adforet, nullaque rebellio timenda foret. Si vero Dei verbum audire nolunt, sed potius contra id furiunt anathemate, igni, caede omnique malo, quid iustius ipsis accidet quam magna rebellio, quae eos omnes omnino deleat? Ea certe, si fieret, ridenda tantum foret. — Eodem libello Lutherus addit, ut ipse loquitur, hanc bullam[6]: Omnes, qui omnia sua, opes, honorem, vitam

[1] Widder den falsch genanntten geystlichen stand des Bapst und der bischoffen, Wittemberg 1522 (Werke: Erl. XXVIII 142 sqq; Weim. X 2, 105 sqq).

[2] F. 1b (Erl. 143; Weim. 105 sq).

[3] F. 2a (Erl. 144; Weim. 107): „Denn syntemal ich ihr [der Lehre] gewiß byn, wil ich durch sie ewr und auch der Engel (wie S. Paulus spricht) richter seyn, Das wer meyne lere nicht an nympt, das der nicht müge selig werden. Denn sie ist gottis und nicht meyn, Darumb ist meyn gericht auch gotis und nicht meyn."

[4] F. 4a (Erl. 148; Weim. 111): „Aber geystlich hohe, wo sie nit heylig ist unnd gottis wortt treybt, sind sie wolff vnnd seel mörder, gillt gleych ßo viel, alß wenn der teuffel selbs da sesse vnnd regirete. Darumb ist sich nit weniger für dem Bischoff tzu hüten, der nit gottis wort leret, denn für dem teuffell selbs."

[5] F. 4a et b (Erl. 148; Weim. 111): „Sagen sie aber. Es sey tzu fürchten eyn auffrhur widder die geystliche ubirkeytt, Anttwortt: Soll drum gottis wort nach bleyben unnd alle wellt verterben? Ists billich, das alle seelen ermordet werden ewiglich, auff das dißer larven tzeyttlich prangen rugelich bleybe? Es were besser, das alle Bischoff ermordet, alle stifft unnd klöster außgewurtzelt würden, denn das *eyne* seele verterben solt, schweyg denn, das alle seelen solten verloren werden vmb der unnützen potzen unnd götzen willen. Wo tzu sind sie nütz, denn das sie ynn wollust leben, von der andernn schweyß unnd erbeytt, unnd hyndernn das wortt gottis? Sie fürchten leyplichen auffruhr, und verachten geystlich vorterben. Sind es nit weyß, redlich leutt? Wenn sie gottis wortt auffnehmen unnd suchten der seelen leben, ßo were gott da bey, der eyn gott des friden ist, unnd were keyner empörung tzu fürchten. Wenn sie aber nit hören wollen gottis wortt, ßondernn wüten unnd toben mit bannen, brennen, morden unnd allem ubel. Was begegnet yhn billicher, denn eyn starcker auffruhr, der sie von der wellt auß rotte? Und das were nur tzu lachen, wo es geschech."

[6] F. 19b (Werke: Erl. XXIV 381; Weim. X 2, 140): „D. Luthers Bulla vnd Reformation: Alle die da tzu thun, leyb, gutt und ehre dran setzen, das die Bistum

ad id conferunt, ut episcopatus deleantur et episcoporum regimen destruatur, sunt cari filii Dei et veri christiani, servant Dei mandatum et pugnant contra diaboli ordinem; et si hoc non valent, debent saltem illud regimen damnare eique sese subtrahere. Contra omnes, qui episcoporum regimini adhaerent iisque libenti animo oboedientiam praestant, sunt proprii famuli diaboli et contra Dei ordinem et leges pugnant. Dicit quidem Lutherus etiam, se istam regiminis episcoporum destructionem non ita intelligere, ut pugna et gladio efficienda sit; hoc tamen non ideo affirmat, quod eiusmodi destructionem per se illicitam et iniustam censuit, sed quod et episcopi istiusmodi poena ne digni quidem sint et gladio efficaciter res componi non possit; ergo, ait, Dei verbo contra auctoritatem pugnandum est, usquedum omnino contempta ipsa cadat. At qui hic eius dicendi modus conciliari potest cum eius sententiis supra allatis? — Atque haec pauca sufficiant, ut optimo iure dicamus, Lutherum ad excitandas illas rusticorum turbas contra legitimum episcoporum regimen tum ecclesiasticum tum civile multum, immo quamplurimum contulisse, atque hac sua dicendi scribendique ratione summopere seditiosa divinae legationis munere ad reformandam Christi religionem se indignum exhibuisse.

Itaque constat, Lutherum nequaquam divinitus ad reformandam Christi Ecclesiam missum fuisse. Ergo eum, nisi plane fatuum et vesanum dicere volueris, fatearis necesse est, non mediocriter superbum fuisse. Ergo ipse etiam tantum afuit, ut sanctus esset, ut a christiana et vera sanctitate, cuius veluti radix et fundamentum est verae humilitatis virtus, quam longissime abesset.

b) Neque Zwinglius sanctus erat. Nam

a) *cum sacerdotium* libere ineundo perpetuam castitatem Deo vovisset, pariter ut Lutherus matrimonium contrahendo hanc fidem Deo datam violavit atque ita eiusdem improbitatis reum se fecit.

β) *Sed etiam constat,* Zwinglium sacerdotem diu ante initum matrimonium libidinose vixisse, ita ut castitatem gravissime laeserit.

Certe cum primo animarum pastoris munere vix 22 annos natus Glaronae parochus constitutus fungeretur, iam in suspicionem vitae non castae venit. Scripsit enim eius amicus Myconius Tiguro ad eum die 3 decembris a. 1518 inter alia haec[1]: „Sunt, apud quos ingenium tuum ad musicam promptum nocet: hinc enim te dicunt voluptarium.... Dein anteactam vitam quidam vituperant, quod nimis fueris addictus his, qui voluptatibus studuerunt.... De virgine stuprata responde, te in primis rogo. Non quod nesciam, non ita esse, sed ut audacter contradicere malevolis queam." Atque Zwinglium apud quosdam etiam nobilioris conditionis viros Glaronenses in eandem suspicionem incidisse, et ita quidem, ut cum pluribus mulieribus eum rem habuisse ipsis videretur, proximus illius in munere antistitis successor Bullinger quoque con-

---

verstöret und der Bischoff regiment vertilget werde, das sind liebe gottis kinder und rechte Christen, hallten ubir gottis gepott vnd streytten wider des teuffels ordnung, oder ßo sie das nit vormügen, doch das selb regiment verdammen und meyden. Widerumb, alle die da halten ubir der Bischoff regiment, unnd sind yhn unterthan mit willigem gehorsam, die sind des teuffels eygen Diener, und streytten widder gottis ordenung und gesetz."

[1] Opera Zwinglii VII 53 sq; Werke VII 102 sq. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes III[18], Freiburg 1899, 94.

firmat[1]. Et hanc suspicionem non falsam fuisse, testatur non solum aequalis fere Zwinglii et respectu rerum Helvetiae fide dignissimus Ioannes Salat[2], sed et ipse Zwinglius ad H. Utingerum haec scribens[3]:

„Principio non te lateat, abhinc ferme triennium, me in animo proposuisse, mulierem non tangere, quod Paulus bonum dixerit esse, mulierem non tangere; id vero parum feliciter cessit. Nam Claronae dimidium inde annum, Eremi annum, haud diutius, in proposito perstiti. Quippe neminem Eremi habens comitem huius instituti, scandalizantes vero non paucos, heu cecidi et factus sum is canis ad vomitum, de quo Petrus apostolus . . . Adde, quod huius rei tantus nos semper tenuit pudor, ut etiam dum Claronae essemus, si quid peccabamus in hanc partem, tam illud committebamus occulte, ut etiam familiares vix rescirent."

Non diu postea autem cum Zwinglius Einsidliae adiutor sacrorum antistitis esset, libidini adeo indulsit, ut etiam cum nota meretrice rem haberet; nec ipse hoc turpe commercium negavit, sed defensionis causa hoc unum protulit, non virginem se violasse; atque adeo omnem pudorem abiecit, ut famam, quae illam meretricem potentis viri filiam dicebat, in ridiculum vertere auderet. Scribit enim Zwinglius in eadem epistula ad Utingerum data:

„Quod autem ad stuprum attinet, en nihil moror satisfactionem parare. Potentis aiunt filiam stupratam. Potentis esse filiam non inficiar: nam id genus hominum est potens, cui impune vel imperatoris barbam attrectare licet, nempe tonsor. . . . Haec [tonsoris scil. filia] unum et alterum experta virum tandem et me passa est. . . . Nos tandem statum in hanc sententiam explicuimus: non modo illam aut aliam, sed nullam, quoad viximus, virginem a nobis stupratam; quod autem haec ex nobis se ventrem ferre affirmat, non inficiamur; culpam apud Deum O. Max. dudum deprecati sumus."[4]

Quam deprecationem morum emendatio secuta non est. Certe Tiguri fratribus germanis, qui auditis malis de eius vita rumoribus solliciti ipsi scripserant, haec (17 sept. 1522) rescripsit[5]: Si vobis dicitur, me peccare superbia, intemperantia, libidinibus, credite hoc *facile;* his enim aliisque vitiis, proh dolor! deditus sum. — Insuper antequam viduam Annam Reinhard, rei suae domesticae curatricem, publice instar uxoris ducebat, cum ea tamquam uxore

---

[1] Reformationsgeschichte, herausg. von J. J. Hottinger und H. H. Vögele, I, Frauenfeld 1838, 8. Hic enim de Zwinglio Bullinger haec scripsisse refertur: „Hinwiderumm hat er von etlichen fürnemmen des landts vngunst vnd vffsatz, daß er *ettlichen wybern* verargwohnt was. Wie dann dazumal das Bapstthum den priestern kheine Eewyber ließ, vnd hiemitt die priesterschafft in schweren argwohn vnd ouch in Ebruch vnd Hury bracht. Zudem daß Zwingly's Musica, vnd anerborne früntlichkeit in ouch verdachter machten, dann er aber der that halben erger oder schuldiger was."

[2] Chronik der Schweizerischen Reformation: Archiv für die schweizerische Reformationsgesch. I, Freiburg (Schweiz) 1869, 28, ubi de Zwinglio Glaronae degente Salat hoc scripsit: „Da er ouch vil siner bubery vnd bubenstück, mit vil üppigen Dingen (dess von eren wegen zu geschwigen) volbracht vnd getriben."

[3] Werke VII 110. Textus, qui habetur Opera VII 55, corruptus est.

[4] Salat refert (l. c.), Zwinglium propter malam vitam ex Eremo discedere coactum esse. Scribit enim: „Vnd als er ouch Einsidlen verwürrt durch sein üppig schantlich läben vnd handlen *an fromer ererlütten kinder, desshalb dannen müßt,* kam er gen Zürich."

[5] „Seit man üch, ich sünd mit hoffart, fressen, unluterkeit, glaubend es lychtlich, denn ich den und andern lastren leider underworfen bin" (Opera I 86; Werke I 395, ubi editor his claris verbis alium sensum subicere conatur).

clam iamiam vixerat, ut ex hoc patet, quod Myconius iam 21 iulii a. 1522 eam salutavit[1] tamquam Zwinglii uxorem. Et Glareanus iam circa tempus paschale eiusdem anni Zwinglio scripsit[2]: „Uxorem istic me, hic te duxisse aiunt. Utrinque credo mentiri famam.“ Antequam etiam illam viduam publice et secundum ecclesiasticum ritum (2 apr. 1524) Zwinglius sibi instar uxoris adiunxit, composuit supplicem libellum, quo tum suo tum aliquot aequalium sacerdotum nomine ab Helvetiae magistratibus petens, ut ipsis evangelium libere praedicare et simul matrimonium contrahere liceret, dixit[3], cognitam ipsis esse suam turpem et ignominiosam vitam, quam eousque cum mulieribus duxerit, quaque magnam infamiam sibi intulerit aliisque malo exemplo fuerit; se quidem castitatis virtutem magni facere, sed experientia scire, non posse se a luxuria continere, non obstante mala conscientia, qua cotidie et quidem sine ullo dolore ex peccatorum recordatione suscepto munere oratoris sacri functus sit et sacramenta distribuerit. Item in „supplicatione quorundam apud Helvetios *evangelistarum* ad R. D. Hugonem episcopum Constantiensem“ suo suorumque sociorum nomine de eadem utraque illa re scripto Zwinglius haec fassus est: „Arsimus proh pudor tantopere, ut multa indecore gesserimus“, „dum“, ut postea addit, „non usque adeo incivilibus moribus simus, ut ullum ob flagitium male audiamus apud gregem nobis creditum, hoc uno excepto“[4]. Prius igitur, ut fieri fere assolet, Zwinglius moralia decalogi praecepta votumque perpetuae castitatis libere nuncupatum gravissime laesit, quam dogmatibus Ecclesiae adversari ab eaque deficere coepit. Et haec quidem ratio fuit, qua Zwinglius Ecclesiae reformatorem sese formavit![5] Hunc porro virum quis credat vel a Deo sanctissimo con-

---

[1] Opera VII 210; Werke VII 543. [2] Opera VII 197; Werke VII 516.

[3] Ein freundlich bitt und ermanung (Opera I 39; Werke I 225): „Üwer eersam wysheit hat bis har gesehen das uneerbar schandlich leben, das wir leider bishar gefürt habend (wir wellend allein von uns selbs geredt haben) mit frowen, damit wir männiglich übel verärgret und verbösret habend.“ Ibid. Opera 41; Werke 230: „Wir verbünnend ouch die selbigen tugend [castitatem] nieman, sunder alle, die also blyben mögend, schätzend wir vil werter weder uns; wir begerend aber daby das: sytmal wir leider erfaren hand, daß wir nit [uns] behalten mögend, darum daß es uns gott nit geben hat, daß ouch uns nit verschlagen werde die ee.“ Et post allatas aliquot rationes, quibus vult probare, sacerdotum coelibatum legi divinae repugnare, Zwinglius haec subdit (Opera 48; Werke 243): „Dise und vil ander gründ der geschrift habend uns bewegt, o eerenfeste, eersame, wyse herren, üwer wysheit anzelangen von der ee wegen, die wir in willen sind ze beziehen, ja etlich under uns *die bezognen* ze offnen, wo das üwer wysheit nit treffenlich wider syn wirt, angesehen die grossen schand, so wir bishar unverschamt über uns habend lassen gon, angesehen die grossen verärgernuß allen menschen damit geben, angesehen unser verwundten conscienzen, mit denen wir täglich die göttlichen verwaltungen des gottsworts und anderer sacramenten verhandlet, doch allweg unser unabläßliche blödigheit erkennt, und rüw nie gehabt.“

[4] Opera III 22 24; Werke I 204 206.

[5] Zwinglii asseclae J. L. Heß (Lebensbeschreibung Ulrich Zwinglis. Aus dem Französischen übersetzt, Zürich 1811), J. M. Schuler (Huldreich Zwingli. Geschichte seiner Bildung zum Reformator des Vaterlandes, Zürich 1818), Güder (in Herzogs Realenzyklopädie XVIII[1] 701 sqq) de Zwinglii luxuria tacent. R. Stähelin (in eadem encyclopaedia XVII[2], Leipzig 1886, 587) quae Glaronae commisit Zwingli, studet excusare; p. 600 de eius ad viduam Reinhard relatione dicit, quod fecerit Zwingli, ex temporum difficultate explicari posse, plene probari id vix posse

stitutum fuisse ad reformandam Christi Ecclesiam ratione tum doctrinae tum *morum*, vel sanctum fuisse ita, ut coetus ab ipso institutus ratione huius sui auctoris sanctus dici possit?

γ) *Fuit praeterea Zwinglius compluribus aliis vitiis ac maxime superbia et fraudulentia* contaminatus. Et eum quidem *valde superbum* fuisse, patet abunde primum iam ex hoc, quod ipse, adeo impurus cum esset, nihilominus munus legati divinitus ad reformandam Ecclesiae Christi doctrinam et mores missi sibi arrogavit.

Atque evangelistam ipse se vocavit[1] et ab aliis vocari passus est. Ita certe eum vocarunt eius amicissimus Myconius[2], M. Humelbergius[3], Ioannes Iacobus abbas Tavarinus[4], M. Macrinus[5], Haggaeus[6] aliique; alii vero ipsum evangelicae veritatis strenui recuperatoris, Ecclesiastae, aliisque similibus nominibus appellabant[7], quae eum rectae Christi doctrinae praeconem designabant; nec ullibi Zwinglius ista nomina sibi data repudiasse legitur. In supplicatione autem iam nominata ad episcopum Constantiensem postquam dixit[8]: „Non ignoramus, vitam nostram ab evangelii norma longe lateque dissidere", paulo post haec subdit: „Quandoquidem, ut praefati sumus, Deus, velut olim per prophetas suos aliis atque aliis temporibus Israel admonere solitus est, nostra nos tempestate evangelio suo illustrare dignatur, ut testamentum suum, quod aboleri non potest, instauraret, occasionem hanc duximus minime negligendam esse; quin perpetuo conatu laborandum potius, ut quam plurimi salutis huius et splendoris participes fiant." Suam etiam doctrinam in eodem et in aliis scriptis semper simpliciter evangelium dixit.

Deinde Zwinglii superbia etiam manifestatur ratione, qua adversarios catholicos appellavit, nominando eos antichristos, daemones, fatuos, tortuosos serpentes.

Scripsit enim de illis iam ad finem anni 1519 haec[9]: „Quod antichristorum turpis ille grex tum imprudentiae, tum impudentiae nos accusat, gratis te oportet audire; iam enim incipimus esse non haeretici, cum illi interim fortiter dicant, ne dicam, mentiantur. Non enim soli sumus: Tiguri plus duobus

---

ei, qui ex altioris moralitatis specula rem consideraverit: „ein Verhalten, das allerdings in den Zeitverhältnissen eine Erklärung findet, aber von einem höheren sittlichen Standpunkte aus sich schwerlich vollkommen wird rechtfertigen lassen". — Postea Stähelin in libro: Huldreich Zwingli. Sein Leben und sein Wirken nach den Quellen dargestellt I, Basel 1895, 110 sqq 221 sqq, etiam ante a. 1524 Zwinglium cum ista vidua in vero matrimonio fuisse probare studet ex eo, quod matrimonia clandestina illo tempore ex iure canonico valida esse potuerint, et quod, ut supra retulimus, a. 1522 iam illa mulier „uxoris" nomine honoretur a Myconio. Sed Zwinglium ipsum rem non ita considerasse, probant varia ea, quae a. 1522 de vita sua confessus est (cf. supra p. 1007). Cf. de Stähelin sententia quae scripsit N. Paulus in periodico Der Katholik 1895, II 475—480, qui recitat etiam Butzeri epistulam ad Zwinglium datam, in qua de Zwinglio post *publicum* matrimonium marito, ante illud „male coelibe" loquitur (Opera VII 335).

[1] In nominata supplicatione ad Hugonem episc. Constant. missa, ut paulo ante retulimus; item Apologeticus Archeteles appellatus (Opera III 27 32; Werke I 256 263) atque saepius alibi.

[2] Opera VII 212. [3] Ibid. 219. [4] Ibid. 239. [5] Ibid. 267.

[6] Ibid. 127. [7] Ibid. 220 244 et alibi. [8] Opera III 19; Werke I 199 sq.

[9] Werke VII 245; Opera VII 104.

milibus parvulorum et rationalium, qui lac iam spiritale sugentes mox solidum cibum perficient, illis misere esurientibus. Quod diaboli doctrinam nostram vocant (quae tamen Christi est, haud nostra), bene habet: in hoc enim Christi doctrinam agnosco, et nos veros eius praecones. Sic pharisaei Christum aiebant habere daemonium, et se id recte facere asseverabant. Non convenit fatuo huic mundo cum Εὐαγγελίῳ; non possunt tacere daemones praesente Christo . . ., tortuosus est serpens, cui sunt cum femina, h. e. ecclesia [scil. Zwinglii] immaculata Christi sponsa, odia internecina." [1]

Denique Zwinglius, quamquam sibi ipse innovandi summam libertatem sumpserat omnibusque S. Scripturam interpretandi et verbi divini diiudicandi facultatem tribuerat, postea anabaptistis illo iure contra suam voluntatem uti ipsique contraria tamquam divinitus revelata docere nullo modo concessit.

Ipsius enim maxime opera factum est, ut e regione Tigurina ii pellerentur [2]. Quorum multi, ipso nullatenus repugnante, in carceres coniecti sunt atque aliqui morte etiam puniti [3]. Catholicos vero Tigurinos, qui a fide sua deficere nolebant, Zwinglius „ne quid durius" diceret, „sive imbecilliores sive rudiores" appellabat [4], eosque pariter in pago Tigurino tolerare noluit, sed libertate cultus catholici privavit, adeo ut in nulla regione catholico Dei cultui interesse iis liceret [5]. Adeo impatiens contradictorum erat ipse ille, qui ausus est toti Ecclesiae et antiquitati catholicae in multis et gravissimi momenti doctrinis pertinaciter contradicere.

Sed Zwinglius non minus *fraudulentus* et *mendax* fuit.

Quamvis enim probe sciret, R. Pontificem nec a se ipso nec a catholicis ulla ratione instar Dei haberi, non tamen dubitavit contendere [6], eum velle ut Deum vere adorari, itaque animas perdere et antichristi scelera in loco sancto committere. — Et quamvis sciret eos, qui missam verum sacrificium esse iudicarent, post consecrationem Christum in hostia tamquam revera prae-

[1] Cum Luthero etiam, suo in doctrina de Eucharistia adversario, Zwinglium contumelioso scribendi genere non leviter certasse, clare patet ex eius contra illum scripto: Uiber D. M. Luthers buch, bekenntnuß genannt, antwurt H. Zwinglis (Opera II 3, 95 sqq). Certe, ut pauca ex eo afferam, Zwinglius hic p. 111 ait: „Sölich hübsch ding kummt us Luthers zürlimürrli. So aber die rüdigen sophisten (damit jnen ouch der buggel gejuckt werd) sagen möchtind . . . Antwurt: Wol kummt das füchslin noch vor dem märzen, bringt den balg selbs wider." Pag. 170 vero haec habet: „Hie sehend, fromme wyse fürsten, wel ein schöns sophistisch pößlin Luther ryßt; wie er vom accidens, wiechtigkeit, zur substanz oder wesen folgert, und jagt aber den Schultheissen mit den roten hosen im bad umhar." Et p. 172 Lutheri dicta vesana et blasphema appellat. Pag. 192 autem de Lutheri libello ait: „Mir ist in disem buch glych, als sähe ich ein suw im blumengarten; so unsuber, so untheologisch, so uneigentlich redt er von gott und allen heiligen dingen." Denique p. 221 ait, Lutherum alterum librum scribere incepisse cum diabolo, alterum vero cum eodem finivisse.

[2] Ita ipse Vom tauf (Opera II 2, 235) de iis dicit: „Ich habe jnen die bränd geschürt, daß man jnen statt und land verschließe."

[3] Cf. Riffel, Christl. Kirchengesch. III 521 sqq; N. Paulus in Histor.-polit. Blätter 1909, I 661 sqq.

[4] Subsid. de Euchar. a. 1525 foras data (Opera III 341).

[5] Cf. Riffel l. c. III 131—134 146—148.

[6] Opera I 228 sq; Werke II 105.

sentem adorare, ergo secundum ipsius sententiam verae et pessimae quidem idololatriae crimen committere, nihilominus, ut dicebat, propter scandalum oriturum, scil. ex metu turbarum, quas contra se ipsum propter subitam missae abolitionem nascituras putabat, consuluit [1], ut missae celebratio ad tempus pro lubitu permitteretur, et ita quidem, ut unusquisque sacerdos eam celebrare posset, prout placeret, i. e. ita, ut quilibet sacerdos preces in ea dicendas ac maxime canonem, quem Zwinglius prius iam ut „monstrum" ac „chimaeram" reiecerat, continentem „tot impia quot orationes" [2], pro arbitrio mutilaret atque omitteret, et tamen populus antiquam Ecclesiae catholicae fidem retinens crederet, missam uti prius celebrari, itaque merum panem tamquam Christum Deum adoraret [3]. Et eo magis haec agendi ratio fraudulenta et mendax fuit, quod postea a. 1528 Zwinglius scripsit, missae abolitionem tam necessariam esse, ut si aliter ea fieri non posset, etiam episcopi et sacerdotes interficiendi essent [4]. Nonne ita Zwinglius diserte probavit et secutus est detestabilem illam sententiam, secundum quam finis propositus si bonus putetur, sancta faciat adiumenta quaecumque, etiam pessima? Atque eadem fallaci ratione egit Zwinglius etiam respectu Eucharistiae ut sacramenti. — Intellexit enim bene, quanti momenti sit haec doctrina; quare scribit [5]: „Si verba ista [consecrationis] recte non sunt hactenus intellecta, peccatum est hic magis quam ulla in re, ac ipse nescio, an maior fuerit abominatio adoravisse aureum in Dane vitulum, quam adoravisse panem istum benedictum; si modo panis solummodo adest." Et alibi ait [6]: „Mihi crede, pontificios nihil ferme spei habere reliquum, quam si superstitionem istam edendi corporaliter Christi corporis retineant." Iudicavit autem Zwinglius, Eucharistiam constare solo pane sat diu, antequam ausus est hanc suam opinionem populum docere.

Sane in epistula ad Alberum scripta 16 novembris 1524 negavit, aliud quam panem in Eucharistia esse, et tamen de illa epistula in alia ad eundem mense martio 1525 scripsit [7]: „Adiuro te per Christum Iesum, qui iudicaturus est vivos et mortuos, ut hanc epistulam nulli hominum communices, quam ei, quem constet sincerum esse in fide eiusdem Domini nostri." Et alibi haec habet [8]: „Fuimus ante annos plures, quam nunc conveniat dicere, huius opinionis de Eucharistia, quam et per epistulam [ad Alberum] et in Commentario promulgavimus. Sed consilium erat, eam non temere in vulgum dissipare, ne margaritas ante porcos, nisi cum doctis ac piis hominibus crebro contulissem: quo res omnium ferme opinionibus maxima, cum aliquando prodiret et patronos haberet multos, et invidiam istam clamosam declinare

[1] Ratschlag von den bildern und der meß (Opera I 580; Werke II 812).

[2] De canone missae epicheresis (Opera III 85 sqq; Werke II 558).

[3] Riffel l. c. III 121.

[4] Ad Ambrosium Blaurer die 4 maii 1528 scripsit: „Cur non debebit magistratus christianus imagines tollere . . . et missam? etiamsi non debeat istud, ut sacerdotes simul contrucidet, cum videlicet citra tam crudele factum consilium obtineri possit? Sin minus, iam nihil cunctabimur exempla etiam durissima sequi, dummodo spiritus illa *πληροφορία* sic adest, ut heroibus istis [Iosiae, Ezechiae etc.] affuit. Ego enim, ut interim hoc dicam, video episcopos non cessaturos esse a suis artibus et turbis concinnandis, donec aliquem inveniant Heliam, qui mucrones in eos pluat. At interim dum caritas iubet bona spe illis parcere, parcendum erit. Cum contra eadem caritas (!) monet, interficiendos esse propter salutem reliqui corporis, iam consultius est, oculum caecum erui, quam totum corpus perire" (Opera VIII 182 sq).

[5] Ep. ad Matth. Alberum de Coena Domini (Opera III 597).

[6] Amica exegesis Eucharistiae negotii ad M. Luther. (Opera III 469).

[7] Ibid. 603. [8] Subsid. de Euchar. (Opera III 329 sq).

posset, quae a legendo, audiendo, iudicando solis quiritationibus insanis deterret pias mentes. Procedebat ex sententia consilium: nam quibuscum conferebam, pedibus concedebant ad nostras partes, immo plerique non aliter respirabant, quam qui longa captivitate liberati e tenebris ac profunda solitudine in lucem et amicorum amplexus redierunt." Atque idem fere in commentario de vera et falsa religione ita dicit[1]: „Deum enim testor, quod ad eius solius gloriam iam annis aliquot rem hanc cum multis doctis clam contuli ad hunc usum, quod nollem imprudenter quicquam ac temere in vulgum dissipare, quod turbam aliquam immanem dare posset; quanto vero cum pluribus contuli, tanto plures inveni, qui in hanc sententiam concederent."

Itaque Zwinglius per multos annos, quae de Eucharistia sentiebat, vulgus non docuit, quia timebat, ne, si ea aperte omnibus proderet, ut reformator a populo reiceretur; atque ideo, quamquam persuasum sibi habebat, populum in Eucharistiae cultu horrendum gravissimae idololatriae crimen committere, huic noluit obsistere, antequam multos alios minoris momenti usus et ritus catholicos atque doctrinas destruxisset[2]. Quinimmo per illos „plures annos" hostiam consecratam exhibebat procul dubio et permittebat aliis exhibere populo adorandam, et secundum populi fidem tamquam Christum ipsum sub specie panis exsistentem fidelibus in sacra communione sumendum aeque probabiliter non semel distribuebat et distribuere aliis sacerdotibus permisit. Iam vero haec agendi ratio nonne est legato divinitus ad Christi Ecclesiam reformandam misso prorsus indigna, mendax ac fraudulenta? Egit igitur Zwinglius in re ista omnino instar hominum mendacium, „qui", ut ipse ait[3], „quod domi sciunt non sic habere, foris tamen asserunt seque esse in hac sententia". Insuper, ut doctrinam suam de Eucharistia hominibus persuaderet, Zwinglium non puduit, ipsa S. Scripturae verba aperte corrumpere et adulterare, ponendo loco verbi *est* verbum *significat*. Scribit certe[4]: „Sic ergo habet Lucas, quo ex evangelistis contenti erimus: et accepto pane gratias egit, fregit, et dedit iis dicens: hoc *significat* corpus meum."[5]

[1] Opera III 269.

[2] Atque etiam Lutherus eadem fere ratione se gessit respectu sacrificii eucharistici. Postquam enim in libello: Kurtz bekenntniß Doctor Martini Luthers vom heiligen Sacrament, [s. l.] 1544, f. 18b dixit, se istud prorsus reicere, sibique in animo fuisse illud abrogare propter papistas, qui illud verum sacrificium esse putent, haec subdidit (Werke XXXII, Erlangen 1842, 420): „Aber weil zu der Zeit vnsere Lere new vnd vber die massen ergerlich war in der ganzen welt, mußte ich seuberlich faren, vnd vmb der schwachen willen vil nachlassen, das ich hernach nicht mehr that, ließ also die *Elevation bleiben*, weil sie doch eine gute Deutung haben kundte, wie ich Büchlin de Capt. Babylonica schreib, nemlich, das es were ein alter brauch aus Mose genommen und bei den ersten Christen für vnd für blieben." Ergo in gratiam infirmorum, i. e. eorum, qui firmiter credebant, tempore elevationis se adorare Christum praesentem et eo momento verum sacrificium Deo offerri, Lutherus, qui hoc negabat et illam adorationem gravissimum idololatriae crimen esse pariter finxit, illam elevationem, abrogata vera consecratione, permisit, ut scil. infirmi illi externa antiqui ritus specie decepti crederent Christum repraesentari et ab ipsis adorari etiam in lutherana religione.

[3] Amica exeg. ad M. Luth. (Opera III 481).

[4] De vera et falsa religione (Opera III 257).

[5] Qua de re scribit protestans theologus Conr. Schlüsselburg (Theologia calvinistica, Francofurti ad M. 1592, l. 2, f. 43b): „Nec potest hoc scelus Zwinglii ullo colore excusari: res est manifestissima. In graeco textu non habetur *significat*, sed *ἐστί*." Quibus idem haec addit (ib. f. 44a), Zwinglii asseclas alloquens: „Nec potestis rem inficiari aut occultare, quia exemplaria Francisco regi Galliarum a

Potest *postremo* monstrari, Zwinglium et ad perduellionem contra imperatorem multum contulisse et ultra modum durum erga quinque Helvetiae pagos catholicos fuisse bellumque ad eos supprimendos vehementer promovisse [1].

Sed quae hactenus diximus, abunde sufficiunt ad id, quod nobis proposuimus monstrandum: Zwinglium neutiquam vel sanctum vel divina legatione ad reformandam Christi Ecclesiam ulla ratione dignum fuisse, protestantium ergo coetum a Zwinglio institutum *ratione sui auctoris* pariter *nullatenus sanctum esse.*

c) Restat, ut videamus, qualiter moratus fuerit Calvinus[2]. Fuit is vir *ingentis superbiae, maledicae arrogantiae, tyrannicae crudelitatis.*

Nam et ipse reformatoris Ecclesiae Christi munus sibi sumpsit, et ita quidem, ut non minus quam Lutherus et Zwinglius sibi solus videretur christianae revelationis veritatem veramque ecclesiam invenisse, diceretque, doctrinam suam non esse suam, sed „Dei viventis ac Christi eius“ [3], seque saepe „prophetam“ vocaret sibique infallibilem auctoritatem vindicaret [4]. Iam vero etsi daremus, istiusmodi legationem novae legis tempore fieri posse, Calvinum tamen ea prorsus caruisse dicendum esset. *Primum* enim divina missio extraordinaria miraculis probanda est (cf. supra p. 388), numquam autem Calvinus eam ullo miraculo probavit. *Deinde* Calvinus non iis insignitus erat donis et virtutibus, quibus divinae legationis fidem facere posset. Quamvis enim nec sacerdotio nec alio sacro ordine initiatus esset, ideoque nulla ordinaria ab Ecclesia recepta missione fungeretur, et in scholis ne theologiae quidem, sed iuris scientiae et literis studuisset, nulloque signo divino se divinitus ad reformandam Ecclesiam vocatum demonstrasset, tamen vix 26 annos natus composuit librum, quem inscripsit: „Christianae religionis institutio, totam fere pietatis summam et quidquid est in doctrina salutis cognitu necessarium com-

---

Zwinglio dedicata sunt in plurimorum hominum manibus, excusa Tiguri a. 1525 in mense martio in octavo.“ Et „ego in Saxoniae oppido Mundera a. 60 apud scholae rectorem, Humbertum, non sine insigni admiratione et animi perturbatione vidi exempla germanicorum Bibliorum, quae Tiguri erant impressa, ubi verba Filii Dei ad imitationem Zwinglii somniatoris depravata esse deprehendi. Nam in omnibus illis quatuor locis [scil. Mt 26, Mc 14, Lc 22 et 1 Cor 11], ubi verba institutionis Filii Dei recensentur, in hunc modum textus erat falsatus: Das bedeutet meinen Leib, das bedeutet mein Blut“, hoc significat corpus meum, hoc significat sanguinem meum.

[1] Cf. Salat l. c. 288 sqq; Riffel l. c. III 616 sqq.

[2] Cf. F. W. Kampschulte, Joh. Calvin, seine Kirche und sein Staat in Genf I, Leipzig 1869; J. B. G. Galiffe, Quelques pages d'histoire exacte, soit les procès criminels intentés à Genève contre A. Perin et Laurent Maigret: Mém. de l'Institut national Genévois 1862; Idem, Nouvelles pages d'histoire exacte, soit le procès de P. Ameaux: Mém. 1863; Calvin à Genève. Quelques pages de sa vie, à l'occasion du 300e anniversaire de sa mort. Par un Genévois, Genève 1864.

[3] Instit., Praef. ad regem Galliae (Opera I 12).

[4] Flor. Raemundus, Hist. de ortu . . . haeresum l. 7, c. 10.

plectens“ [1], doctrinamque hoc libro contentam per totam vitam ut veram defendit.

In huius porro libri ipsa praefatione non dubitavit de catholicis suam suorumque asseclarum doctrinam *novam* appellantibus ad catholicum Galliae regem haec scribere [2]: „Illis quidem novam esse minime dubito, quibus et Christus novus est et evangelium novum. Sed qui illam Pauli concionem (Rom 4) veterem esse noverunt: Iesum Christum mortuum propter peccata nostra, resurrexisse propter iustificationem nostram, nihil apud nos deprehendent novum. Quod diu incognita sepultaque latuit, humanae impietatis crimen est; nunc cum Dei benignitate nobis redditur, saltem postliminii iure suam antiquitatem recipere debebat. Ex eodem ignorantiae fonte pro dubia incertaque ipsam habent; hoc profecto est, quod Dominus per prophetam suum conqueritur, bovem cognovisse possessorem suum et asinum praesepe dominorum suorum: se non agnosci a populo suo.“ „Praeterea“, addit paulo post [3], „calumniose nobis Patres opponunt (antiquos et melioris adhuc saeculi scriptores intelligo), ac si eos haberent suae impietatis suffragatores: quorum auctoritate si dirimendum certamen esset, melior victoriae pars ad nos inclinaret Verum cum multa praeclare ac sapienter ab illis Patribus scripta sint, in quibusdam vero iis acciderit, quod hominibus solet: isti pii scil. filii, qua sunt et ingenii et iudicii et animi dexteritate, eorum tantum lapsus et errores adorant: quae bene dicta sunt, vel non observant, vel dissimulant, vel corrumpunt: ut dicas, prorsus illis curae fuisse, in auro legere stercora.“

Adulescens igitur viginti sex annorum et theologica scientia privato vix trium annorum studio eruditus affirmat, Christum eiusque evangelium toti Ecclesiae romano-catholicae incognitum esse, sanctos Patres in multis errasse, seque eos multo melius intelligere, quam omnes simul theologi catholici per longissimum tempus theologicis studiis dediti eousque eos intellexerint. Iam vero eiusmodi hominis novi et ut divinum legatum se nullatenus probantis affirmatio nonne ingentis superbiae et maledicae arrogantiae est argumentum?

Sed ipse ille Calvini liber etiam clariora ac maiora superbiae documenta praebet.

Sane de satisfactione loquens dicit Calvinus [4]: „Parum autem me movent, quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter, omnes fere, quorum libri exstant) hac in parte lapsos esse.“ Ita adulescens loquitur, mira profecto modestia! De Ecclesia autem romano-catholica ait [5]: „Pro verbi ministerio perversa et mendaciis conflata illic regnat institutio, quae puram lucem partim exstinguit, partim suffocat. In locum coenae Domini foedissimum sacrilegium subiit; cultus Dei varia et non ferenda superstitionum congerie deformatus. Doctrina (citra quam christianismus non constat) tota sepulta et explosa. Publici conventus idololatriae et impietatis scholae. Quare nullum est periculum,

[1] Basileae 1536 (Opera I 6—251). [2] Opera I 15. [3] Ibid. 16.

[4] Instit. c. 5; in posterioribus editionibus l. 3, c. 4, n. 38 (Opera I 174; II 490). In ed. 2 (Argentorati 1539) et deinceps Calvinus addit: „(aut . . . lapsos esse) aut nimis aspere ac dure locutos“ (Opera I 729).

[5] Instit.[2] c. 4, postea l. 4, c. 2, n. 2 (Opera I 553; II 768).

ne ab exitiali tot flagitiorum participatione desciscendo, ab Ecclesia Christi divellamur." Quae omnia adulescens Calvinus intra triennium privato studio intellexit, dum alii innumeri viri, virtutibus et doctrina conspicui, horum nihil videbant. Secundum ipsum [1] „Romanenses magistri" etiam „nihil in religione curandum putant praeter ventrem". Atque ex locis 2 Thess 2, 4 et Dn 7, 25 Calvino quoque certissimum fuit [2], Ecclesiae Christi visibile fundamentum et caput, Pontificem Romanum, esse ipsum antichristum, et qui hoc negent, eos Paulum „immodestiae insimulare, post quem nos loquimur, immo ex cuius ore sic loquimur". Quare mirum non est, quod Calvinus de sui temporis Pontificibus Romanis scribit: „Crudelis fuit Leo [X], sanguinarius Clemens [VII], truculentus est Paulus [III]." [3] Quos postquam nihil aliud de Christo existimasse ac tenuisse dixit, nisi quod didicerint „in schola Luciani", haec addere non erubuit [4]: „Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero? Quasi vero dubium sit, qualem religionis speciem professi sint iam pridem Pontifices cum toto cardinalium collegio, et hodie profiteantur. Primum enim arcanae illius theologiae, quae inter eos regnat, caput est: nullum esse Deum. Alterum: quaecumque de Christo scripta sunt ac docentur, mendacia esse et imposturas. Tertium: doctrinam de futura vita et ultima resurrectione meras esse fabulas. Non omnes ita sentiunt, et pauci ita loquuntur, fateor. Iam pridem tamen haec ordinaria esse coepit Pontificum religio", hocque addit esse „notissimum omnibus, qui Romam noverunt". Et haec quidem horrenda mendacia protulit Calvinus, qui se evangelicam veritatem, Deo docente, denuo invenisse et e tenebris eruisse gloriatus est.

Nomina autem, quibus doctissimos quosque, si sibi aversabantur, Calvinus fere appellare solebat, sunt haec: fatui, stulti, asini, blaterones, sophistae, nugatores, nebulones, phrenetici, insulso cavillo ludentes, ore rabido latrantes, insulse stridentes, rabulae, nequam, sacrilegi, blasphemi, impii, nebulones prodigiosi, sycophantae, calumniatores, helleboro magis quam argumentis digni, canes, canes impuri, angues, angues tortuosi, furiosae belluae, porci [5]. Adversariorum vero doctrinas stultitias, deliramenta, absurditatum monstra, blasphemias vulgo dicebat. Et ita Calvinus scribebat, multo minus quam Lutherus ferventis animi vehementi impetu abreptus, sed magis frigida ratione atque consilio ductus.

Verum hic Calvini superbia nondum substitit; ipse enim, qui in oppugnanda Ecclesia romano-catholica omnem libertatem et sibi sumpsit et aliis concessit, quamprimum Genevae dominabatur, tantam omnium

---

[1] Inst.[3], Argentorati 1543, c. 8, n. 70, postea l. 4, c. 5, n. 4 (Opera I 585; II 801).

[2] Ibid. l. 4, c. 7, n. 25 (Opera II 842); eadem fere ib. c. 2, n. 12 (p. 776) et in ed. 3 c. 8, n. 33 (Opera I 560).

[3] Instit.[3] c. 8, n. 129, postea l. 4, c. 7, n. 23 (Opera I 624; II 842).

[4] Ibid. c. 8, n. 132, postea l. 4, c. 7, n. 27 (Opera I 625; II 843).

[5] De Ioan. Eckio nobili illo theologo 1541 Ratisbonae aegrotante Calvinus Farello scripsit: „Ekcius, ut aiunt, convalescet: nondum meretur mundus ista bestia liberari" (Opera XI 217). — Atque teste J. B. G. Galiffe, Nouvelles pages 56 64, „Calvin avait, *du haut de la chaire*, traité les habitants du quartier de St.-Gervais de *bêtes*, de *batteurs* de *pavé*, de *pendards* etc.", et „prêchant à St.-Gervais le dimanche 28 mars, qualifia ceux qui ne venaient pas au sermon de *‚plus que bêtes, loups insatiables*, et *chiens*'".

in sua profitenda doctrina unitatem et consensionem exegit, ut institutum a se iudicium ecclesiasticum, cuius verus praeses ipse erat[1], omnes puniret, quicumque ulla ratione ad religionem catholicam inclinare iudicabantur[2].

Et ut facilius hanc unitatem fidei et simul eam quae sibi probabatur morum disciplinam stabiliret, non solum ministris ecclesiasticis iura et privilegia fere omnia, quae catholicis sacerdotibus vehementer exprobraverat et denegaverat, ultro tribuit; non solum iis iniunxit, ut singulos fideles suos inviserent et multo magis quam lenitatem imitarentur severitatem et vehementiam, qua Paulus in pseudo-apostolos invectus sit[3], sed etiam voluit, ut evangelii sui praecones alii aliorum custodes essent[4], ideoque singulis ternis mensibus inspicerent, utrum inter ipsos aliquid vituperandum et tollendum esset, atque singuli singulis annis eiusdem rei causa a quatuor viris partim ecclesiasticis partim laicis semel inviserentur. Calvinus praeterea presbyterorum collegium instituit, qui singuli singulorum asseclarum vitam, fidem imprimis et mores, accurate et diligenter observare et explorare debebant[5], et quovis tempore poterant, et semel saltem singulis annis debebant singulas civium domos obire, in earum incolarum fidem et mores inquirere, eos alicuius novitatis reos admonere et ad emendationem adhortari; quod si non iuvabat, aut si quis contra agnitam Calvini doctrinam locutus erat, debebant singuli presbyteri ea de re ad integrum collegium referre, quod dein et accusatorum et testium et iudicum partes simul agens de delicto iudicabat poenasque infligebat non solum ecclesiasticas, sed hac ratione etiam civiles, ut pro peccati qualitate reus civilibus iudicibus puniendus traderetur[6]. Quibus qui traditus erat, vix umquam impunitus abibat. Qui vero pertinaciter Calvino in rebus doctrinae contradixerant aut contrariam doctrinam docuerant, gravissime et saepe quidem exsilio, carcere, morte durissima, Calvino motore, puniebantur[7].

---

[1] Kampschulte, Calvin I 439.

[2] V. g. cum in coemeterio femina quaedam in sepulcro mariti sui genua flexisset et terram super illud spargens dixisset: Requiescat in pace. Amen, coram Consistorio comparere debuit, ubi reprehensa est propter stultitiam (bestise) et admonita, ut omitteret „superstitiones idololatricas“ (Annales Calviniani 15 mart. 1548: Opera XXI 422). Similiter quos suspicabantur observasse ieiunia, dixisse preces rosarii (chapelet), ante Consistorium trahebant (ib. 22 martii 1543: p. 309). In „Ordonnances sur la police des églises de la campagne 3 févr. 1547“ vetantur ruricolae habere rosaria vel imagines (patenostres ou idoles pour adorer), instituere peregrinationes religiosas, observare festos dies et ieiunia papistica. Hoc interdicto qui non oboediverant, corrigendi erant aut admonitione aut etiam carcere et extraordinariis mulctis (Calvini Opera X 1, 55; cf. Kampschulte I 451).

[3] Kampschulte I 401—405. [4] Ibid. 408 sqq.

[5] Kampschulte I 436. — Consentit Stähelin (Realenzyklopädie für protest. Theologie und Kirche III[3] 667): „Dazu kam die Größe der dem Consistoire eingeräumten Befugnisse. Die gesamte Lebensführung der Bürgerschaft . . ., ihre Handlungen, ihre Reden, ja ihre Meinungen waren unter seine Aufsicht gestellt. Den Mitgliedern sollte der Zutritt in jedes Haus offen stehen“ etc.

[6] Kampschulte I 437 sqq.

[7] J. A. Galiffe (Notices généalogiques sur les familles Genévoises III 565) de Calvino scribit: „Il faisait soigneusement enregistrer depuis des années les moindres propos tenus contre lui et contre sa doctrine de la prédestination, avec

Ita anabaptistae ex republica Genevensi in perpetuum et sub comminatione poenae capitis, si rediissent, expulsi sunt iam anno 1537. — Sebastianus Castellio, rector Gymnasii et antea Calvini amicus, cum in aliquibus doctrinis ab ipso dissentiret et in conventu collegii ecclesiastici Calvini adiutorum mores iure reprehenderet, Calvinus eum apud iudices accusavit remque eo deduxit, ut Castellio munere privaretur, immo Geneva excederet[1]. Petrus Ameaux[2], cartarum lusoriarum confector, sed simul senator et rei tormentariae magister, cum post morbum feliciter superatum 26 ianuarii 1546 cum quatuor amicis convivium instituisset et vino excitatus dixisset, „Calvinum malum hominem eiusque doctrinas falsas esse", ab uno convivarum ad magistratus delatus, continuo in carcerem coniectus est tamquam blasphemus et maledicus, in eoque detentus ultra tres menses. In cuius causa tractanda postquam pro reo cognati eius veniam rogarunt, et ipse Ameaux humili modo dolere se declaravit, quod male de Calvino locutus esset, seque illo momento mentis non plane compotem fuisse, postquam praeterea populus illis ipsis diebus eum in omnibus publicis muneribus nova publica electione rursus confirmando, benevolentiam ipsi suam publice manifestavit, maior ipsorum iudicum numerus 2 martii veniam ipsi dare decreverunt hac conditione, ut in „Magno Consilio" coram Calvino crimen suum confiteretur et illud deprecaretur. At Calvinus respondit[3], se non ascensurum in sacrum suggestum, priusquam *publice* satisfecisset Ameaux, eo quod nomen Dei blasphemasset, ac tamdiu non acquievit, usquedum causa iterum retractata iudices territi 8 aprilis eum ad turpissimam poenam damnarent[4].

Et cum Bolsecus[5], qui Genevae libertatem doctrinae esse arbitratus, eo confugerat, 16 octobris 1551 in religioso conventu Calvini doctrinam de divina hominum

---

laquelle il s'était tellement identifié, qu'il était aussi dangereux de parler contre ce dogme que contre lui, les pauvres étaient traînés dans les cachots, fouettés, bannis, promenés par la ville en chemise et nu-pieds, une torche à la main, pour expier ce qu'il lui plaisait d'appeler des blasphèmes." Stähelin l. c. 665: „Er [Calvinus] identifizierte sein Werk und seine Auffassung ohne weiteres mit dem Willen Gottes und der Wahrheit selbst. Andersdenkende sind ihm darum unmittelbar die Feinde Gottes und die Werkzeuge des Teufels, für deren Unschädlichmachung auch gewaltsame Mittel nicht nur erlaubt, sondern geboten sind."

[1] Kampschulte I 483. Annales Calviniani (Excerpta ex „Registres du Conseil" etc.): Calvini Opera XXI 336 sqq. Calvini ep. ad Farellum (Opera XI 721).

[2] Annales Calviniani l. c. 370—377. Opusculum: Calvin à Genève 68 sq. Galiffe, Nouv. pages 21 sqq.

[3] Galiffe l. c. 31: „Lequel [Calvin] a répondu: qu'il n'y assisterait point, et que jamais il ne monterait en chaire jusques il soit été faite réparation et justice *patente*, à cause du blâme du nom de Dieu." Sic acta publica 4 martii; cf. Calvini Opera XXI 372.

[4] Iudicum sententiam sic refert Galiffe l. c. 60: „Vu le contenu des réponses [de Pierre Ameaux], par lequel nous appert, qu'il a méchamment parlé contre Dieu, le magistrat et M. Calvin ministre . . ., ordonné, qu'il soit condamné à devoir faire le tour de la ville en chemise, tête nue, une torche allumée en sa main, et depuis, devant le tribunal venir crier merci à Dieu et à la justice, les genoux en terre, confessant avoir mal et méchamment proféré les dites paroles vilaines, en étant déplaisant d'icelles avoir dites, le condamnant aussi à tous dépens, et que la sentence soit proférée publiquement." Cf. Calvini Opera XXI 377. — Epistulis 13 et 20 febr. 1546 Calvinus clementiam suam erga Ameaux laudat (Opera XII 284 295).

[5] Calvin à Genève 94 sq. Actes du procès intenté par Calvin et les autres ministres de Genève à Jérôme Bolsec de Paris (Calvini Opera VIII 141—248). Haec documenta „ipsi Calvino auctori tribuenda sunt. . . . Haec ipsa causa Bolseci a

praedestinatione absoluta aut ad vitam aut ad poenam aeternam tamquam falsam et Deo iniuriosam reiecisset, continuo in carcerem coniectus est, et quamvis et magistratus et novae doctrinae praecones tum Bernenses tum Tigurini pro ipso clementiam postularent[1], quamvis iudices ipsi Genevenses ei protinus libertatem concedere vellent, auctore tamen Calvino etiam tum post plures hebdomadas e carcere liberatus non est, usquedum tandem in exsilium pellebatur; et cum Bernae consistere vellet, instigante Calvino etiam inde expulsus est. Bolseci autem causa Calvino occasionem praebuit praecones Genevenses congregandi et ex horum unanimi sententia postulandi a magistratibus, ut calviniana de praedestinatione doctrina publice omnibus proponeretur credenda. Concessit postulationi magistratus.

Infelicior Bolseco alius fugitivus fuit, Michael Servetus. Qui doctrinam suam rationalisticam cum commentatione longa exposuisset, hancque bibliopola consilii accipiendi causa privatim Calvino legendam tradidisset, iam 13 februarii 1546 ad Farellum Calvinus scripsit[2]: „Si venerit [Genevam], modo valeat mea auctoritas, vivum exire numquam patiar." Postquam vero commentatio Serveti, quae inscribebatur „Christianismi restitutio", 1553 in lucem edita est sine nomine auctoris, Calvinus amicum suum De Trie instigavit, ut epistula missa inquisitores gallicos attentos redderet, hisque literas quasdam a Serveto antea ad se datas transmittendas curavit, quibus Servetus convinceretur[3]. Qua de re cum rumores in vulgus spargerentur, Calvinus ita mentitur: „Verum quidquid de iure magistratuum probatum sit, me propria invidia, qua gravor apud multos, non levat. Nihil minus decuisse aiunt, quam ut Servetum professis Christi hostibus quasi immanibus bestiis obicerem. Mea enim opera factum fuisse affirmant, ut Viennae in provincia Lugdunensi captus fuerit. Sed unde mihi tanta cum papae satellitio repente familiaritas? unde etiam tanta gratia? Scil. credibile erit, literas inter eos ultro citroque volitare, quibus non minus est inter se dissidium quam Christo cum Belial. Quare pluribus verbis tam futilem calumniam refellere nihil attinet; quae simplici negatione fracta concidit."[4] Ex carcere Viennensi fugiendi opportunitatem nactus Servetus, cum fugitivus transiret Genevam, ibi agnitus et Calvini opera captus, in iudicium tractus, haeresis convictus est[5].

---

primo statim initio ad finem usque, tam manifeste, tam evidenter, tam confesse calviniana res est, ut merito tota inter Nostri [Calvini] opera referri posse immo debere videretur" (ib. Proleg. XXI).

[1] Calvini Opera VIII 230 238. Calvinus valde aegre tulit, quod illi tam frigide respondissent (cf. eius epistulas: Opera XIV 251 272; XX 408).

[2] Opera XII 283. Mosheim aliique dubia de epistulae huius authentia moverunt. Sed novissimi Calvini editores „nobis, inquiunt, qui authenticum et autographon exemplar Parisiis inspeximus et descripsimus, dubium ullum exsistere nequit" (Opera XII 284).

[3] Epistulas quas scripsit G. de Trie, habes in Calvini Opp. VIII 835 sq 840. Scribit ille 26 martii 1553 (ib. p. 842): „Je vous mettray en main plus pour le convaincre, assavoir deux douzaines de pieces escriptes de celluy dont il est question, où une partie de ses heresies est contenue. Si on luy mettoit au devant le livre imprimé il le pourroit regnyer [renier], ce qu'il ne pourra faire de son escripture . . . Je vous confesseray une chose: que j'aye eu grand peine à retirer ce que ie vous envoye de M. Calvin." Etiam priorem epistulam (26 febr. 1553) Calvino instigante missam esse, iam ex eo iure concluditur, quod De Trie nomen eius, qui scripsit librum illum sine nomine editum, certo scit. De iudicio Viennensi ipse Servet dicit, „que Monsieur Calvin la [l'a] poursuyvi tellement, quil na tenu audict Calvin . . ., quil . . . nayt este brusle tout vifz" (Opera VIII 738; cf. p. 805).

[4] Calvini defensio orthodoxae fidei (Opera VIII 479).

[5] „Nec sane dissimulo, mea opera consilioque iure in carcerem fuisse coniectum. Quia recepto huius civitatis iure criminis reum peragere oportuit, causam hucusque me esse prosecutum fateor" (Calvini Defensio l. c. 461). „Libenter

Tandem post longam causae actionem rogo addictus est 27 octobris 1553, qua sententia exsecutioni mandata contra obmurmurantes Calvinus a. 1554 emisit librum, qui inscribitur „Defensio orthodoxae fidei de sacra trinitate, contra prodigiosos errores Michaelis Serveti Hispani: ubi ostenditur haereticos iure gladii coercendos esse et nominatim de homine hoc tam impio iuste et merito sumptum Genevae fuisse supplicium“ [1].

Atque ita quidem egit Calvinus, ipse, qui in praefatione Institutionum suarum suae protestantiumque causae et doctrinae contra catholicos patrocinatus ad regem Galliae de fidei iudicibus scripserat [2]: „Qui ad iudicandum sedent, praeiudicia, quae domo attulerunt, pro sententiis pronuntiant. Et se rite perfunctos suis partibus putant, si neminem ad supplicium trahi iubent, nisi aut sua confessione aut solidis testimoniis convictum. At cuius criminis? Damnatae, aiunt, istius doctrinae. At quo iure damnata est? Id autem erat defensionis praesidium: non doctrinam ipsam abnegare, sed pro vera tueri.“ Ipse ita egit, qui non maiore iure praedicandae suae doctrinae quam Servetus et adversarii sui omnes instructus erat, atque ita eodem illo tempore egit, quo senatoribus tot tantaque narravit de asseclarum suorum in Gallia vexatione, ut ipse legatus mitteretur Bernam, Basileam, Turigium, horum Helvetiae pagorum publicam intercessionem pro illis fidei suae sociis imploraturus [3]. — Cum duorum Calvini adversariorum supplicium a. 1555 in longum extractum esset carnificis imperitia tanta, „ut senatus publicae indignationi morem gerens eum exsilio mulctarit“, Calvinus adeo non commotus est hac re, ut ad Farellum scriberet: „Et certe mihi persuasum est non absque certo Dei iudicio sub manu carnificis praeter iudicum sententiam ambos longum cruciatum pertulisse.“

Verum non solum in defendendis suis dogmatis suisque rebus Calvinus crudelis fuit, sed etiam totam *legumlationem reipublicae Genevensis* tam inhumanam et *crudelem effecit*, ut similis nullo umquam tempore nulloque religionis christianae loco pacis tempore visa sit. Non solum enim magistratibus magna severitas in inquirendis et puniendis criminibus vehementer ab ipso commendabatur, et usus quaestionis per tormenta sub eo multo frequentior et durior quam umquam antea fuit [4], sed etiam capitis poena, eaque saepissime

---

fateor . . ., ex me prodiisse accusatorem [Gebennensem], nec inficior meo consilio dictatam esse formulam, qua patefieret aliquis in causam ingressus.“ Calvinum eum convicisse haereseos, confer v. g. Defensio l. c. 496 498 611.

[1] Opera VIII 453—644. Quo libro perlecto Phil. Melanchthon 14 oct. 1554 Calvino scribit: „Tibi quoque ecclesia et nunc et ad posteros gratitudinem debet et debebit. Tuo iudicio prorsus assentior. Affirmo etiam vestros magistratus iuste fecisse, quod hominem blasphemum re ordine iudicata interfecerunt“ (Calvini Opera XV 268). Eodem fere modo locutus est Melanchthon in colloquio Neoburgensi (ib. 235) et in epistula ad Bullingerum data (ib. 734). Bullingerus literis 28 nov. 1553 ad Calvinum datis: „Cum scribere, inquit, de rebus Serveti coeperis, ne obliviscaris demonstrare, iure ultimo affici supplicio blasphemos et omnes, qui Serveto similes sunt“ (ib. XIV 684). Etiam Musculus probavit Serveti supplicium (ib. 709). Quae hic adiungimus, ut appareat, longe afuisse, ut primi protestantes unicuique quod vellet sentire concederent. Cf. N. Paulus in Der Katholik 1897, I 546 sqq.

[2] Opera I 10.

[3] Vide Annales Calviniani (Excerpta ex „Registres du Conseil“ 4 maii 1554: Calvini Opera XXI 352 sq).

[4] Cf. opusc.: Calvin à Genève 54 sqq et Kampschulte, qui I 426 scribit: „Die Behandlung der Gefangenen war eine entsetzliche. Um Geständnisse zu erpressen, wurden die scheußlichsten Mißhandlungen angewandt. Die alten Marterwerkzeuge in ihrer Einfachheit genügten nicht mehr; man erfand neue Qualen. Es ist vorgekommen, daß Angeklagte neunmal die Marter der Estrapade bestanden

durissima, incomparabiliter plures quam antea umquam Genevae affecti sunt, idque nonnumquam propter solam commissi criminis suspicionem; insuper res sub multa aliisque poenis aut praeceptae aut vetitae sunt, quae alibi atque etiam Genevae sub episcoporum regimine aut prorsus liberae erant aut certe non sub tali poena praeceptae vel vetitae [1]. Num, quaeso iam, vir adeo

---

haben, man zwickte sie mit glühenden Zangen, man ließ sie einmauern. ‚Aber welche Pein man ihnen auch antat', klagt das Ratsprotokoll einmal, ‚sie wollten die Wahrheit doch nicht bekennen.' Mehrere der Unglücklichen endeten während oder bald nach der Tortur unter Beteuerungen ihrer Unschuld. Andere gaben sich, um den furchtbaren Qualen zu entgehen, in der Verzweiflung selbst den Tod ‚auf Eingebung Satans', wie der amtliche Bericht fromm hinzufügt."

[1] Kampschulte scribit I 425 sqq: „Achtundfünfzig Todesurteile, welche der Rat während des gedachten Zeitraumes [1542—1546] vollstrecken ließ, und 76 Verbannungsdekrete bewiesen, daß Calvins Predigt nicht auf einen unfruchtbaren Boden gefallen war. . . . Man quälte die Angeklagten so lange, bis sie gestanden, schmiedete sie an Ketten, nötigte Kinder, gegen ihre Eltern Zeugnis abzulegen. Bloßer Verdacht genügte zur Verhaftung, ja selbst zur Verurteilung; unter jenen 76 Verbannten befanden sich nach Ausweis der Protokolle nicht weniger als 27, gegen welche nur der Verdacht, ein Verbrechen begangen oder ‚beabsichtigt' zu haben, vorlag. Und doch ist es geschehen, daß solche Unglückliche, als sie zurückkehrten, wie überwiesene Verbrecher sofort dem Galgen oder Scheiterhaufen überantwortet wurden. Einen wahrhaft furchtbaren Charakter nahm das Verfahren der Gerichte gegen die angeblichen ‚Pestbereiter' an, die unglücklichen Opfer jenes traurigen Wahnes, welcher in der seit dem Jahre 1542 Genf heimsuchenden Seuche das Werk einer geheimen Verschwörung erblickte. Ähnliche Gerüchte waren bei gleichen Heimsuchungen wohl auch in früheren Zeiten aufgetaucht, aber nie hatten sie so schreckliche Folgen wie dieses Mal. ‚Zauberei, Bündnis mit dem Satan, Pestbereitung' bildeten den Inhalt der Anklagen, durch welche zahllose Arme, Männer und Frauen, in langdauernde Haft, auf die Folter, in die Verbannung, auf Schafott und Scheiterhaufen gebracht wurden. . . . Der Arm des Henkers ermattete unter der Last seiner Arbeiten, die Eines Mannes Kraft überstiegen. Wurden doch in den wenigen Monaten vom 17. Februar bis 15. Mai 1545 vierunddreißig jener Unglücklichen — und unter ihnen des Scharfrichters eigene Mutter — durch Schwert, Scheiterhaufen, Galgen und Vierteilung vom Leben zum Tode gebracht. Und selten war es, daß der letzten Exekution nicht noch grausame körperliche Verstümmelungen vorhergingen. Wahrlich, Calvin durfte mit der Strenge der Genfer Behörden zufrieden sein. Er sah sich sogar einmal veranlaßt, gegen die übermäßige Verlängerung der Todesqualen seine Stimme zu erheben; und auf seine Vorstellung geschah es, daß der Rat den Scharfrichter anwies, die Exekution mit mehr Sorgfalt vorzunehmen und die Qual des Feuertodes abzukürzen. (Huius supplicii usum frequentem fuisse liquet ex hoc, quod, ut in opusc.: Calvin à Genève 53 refertur, ex illis 58 capitis damnatis 35 igne combusti sunt.) Im übrigen war er mit den schauerlichen Urteilssprüchen völlig einverstanden, und an die wirkliche Schuld der Angeklagten glaubte auch er. Der ruhige Gleichmut und die geschäftsmäßige Kürze, womit er im März 1545 seinem Freunde Myconius von den eben stattgehabten grausamen Massenhinrichtungen und der angeblichen Verstocktheit der Bösewichter, von denen mehrere sich im Kerker selbst das Leben genommen, Mitteilung macht, läßt erkennen, bis zu welchem Grade menschliches Fühlen und Erbarmen diesem strengen Geiste abhanden gekommen. Ja Calvin hat es nicht unter seiner Würde gehalten, in eigener Person sog. Zauberer und Häretiker der Obrigkeit zur Anzeige zu bringen, ‚damit dieses Geschlecht ausgetilgt werde'. Das Menschenleben schien in dem neuen Genf seinen Wert verloren zu haben." — Etiam J. B. G. Galiffe (Nouv. pages 105 sq) scribit: „Dans *l'ancienne* Genève, comme ailleurs, on brûlait bien de temps à autre quelque malheureux sorcier; l'en-

crudelis tantusque tyrannus divinitus electus et missus censeri potest ad docendam et in integrum restituendam legem Christi?

---

quête sur ces questions, qui se confondaient alors avec le crime d'hérésie . . ., appartenait à l'inquisition représentée chez nous par des fonctionnaires spéciaux, le plus souvent étrangers au pays, et qui, à en juger par l'extrême rareté rélative des procès et des supplices dans cette matière comme dans les autres, s'étaient inspirés, autant que leur office le comportait, des sentiments d'humanité et de bon sens qui distinguaient nos ancêtres. Ainsi, bien loin de chercher à prolonger les souffrances des victimes, on avait coutume d'étrangler le patient au moment ou avant d'allumer le bûcher. Quant au nombre de ces auto-da-fé, on peut assurer qu'il n'était pas à beaucoup près par *année* ce qu'il fut par *mois*, on pourrait dire par *semaine*, sous le règne de Calvin, où l'on eut fréquemment plusieurs spectacles de ce genre dans la même journée. Quant à la superstition relative aux ‚semeurs et engraisseurs de peste', superstition qui fit peut-être autant de victimes que le fléau lui-même, elle était complètement inconnue dans *l'ancienne* Genève; et il est très-certain, que ce fut de la *nouvelle* Genève *calviniste* qu'elle passa dans les pays voisins." Quibus subicit auctor opusculi Calvin à Genève 55: „Encore les procès pour magie et sorcellerie des temps antérieurs à la réforme s'appliquaient-ils à tout l'ancien diocèse genèvois, attendu que les supplices de l'époque calviniste ne concernaient que les habitants de la ville et de quelques villages, qui en dépendaient. L'ancien diocèse de Genève comprenait quatre cent cinquante paroisses, et le territoire de la république sous Calvin était restreint à une douzaine de communes." — Et apud J. B. G. Galiffe, Quelques pages 92 haec leguntur: „Sous l'ancienne municipalité épiscopale, on rencontre bien de loin en loin, tout au plus de dix ans en dix ans, quelque exécution pour magie ou sorcellerie, qui accuse l'existence, sans cela presque ignorée chez nous, de l'inquisition romaine. . . . La loi censée *divine* condamnait ces gens-là à la peine du feu; mais la justice humaine cherchait au moins à leur épargner les horreurs du supplice en les étranglant avant d'allumer le bûcher. Cela se passait promptement, sans grand apparat, et surtout sans toutes ces tortures préliminaires, pires encore que la mort qui devait les terminer. Sous les grands émancipateurs des consciences et de la pensée [Calvin etc.] . . . nous voyons les supplices pour sorcellerie s'élever à un nombre considérable par année, voire à plusieurs par mois, s'appliquer à tous les âges, à toutes les classes de la société, et le plus souvent aux personnages les plus inoffensives des deux sexes. Ici plus de ménagements: la sentence ordonne invariablement de brûler *tout vif*, et elle est exécutée à la lettre. . . . On érigeait en matière de foi la croyance aux plus stupides aberrations de l'esprit humain, on punissait comme ‚superstitions abominables' les choses du monde les plus innocentes et les plus sages." Ibid. p. 93 idem scriptor haec dicit: „A la question de sorcellerie se rattache celle, plus mystérieuse encore, des *ingraisseurs* et des *semeurs de peste*, dont l'intérêt à répandre le fléau au moyen de linges, de poudres ou d'autres objets infectés, devait être bien grand, pour qu'ils s'exposassent à en être les premières victimes et à braver les épouvantables supplices qui les attendaient. Ces exécutions commencèrent, il est vrai, déjà en 1530; mais elles s'accrûrent ensuite en nombre et en cruauté d'une manière inouie, sans aucun égard pour l'âge ou le sexe de la victime. Les malheureux traînés sur une claie par la ville, étaient tenaillés, avec des pinces rougies au feu, sur toutes les places publiques et devant chaque maison qu'ils étaient censés avoir infectée. Arrivés au Molard, on leur coupait les poignets, puis on les traînait de là au lieu de supplice . . ., où ils étaient brûlés tout vifs, ou bien décapités et mis en quartiers. Ces sanglantes dépouilles étaient ensuite *affichées*, c'est-à-dire clouées ça et là dans les lieux les plus apparents de la ville et de la banlieue. . . ." — „Il était de l'époque d'être superstitieux, et Calvin . . . le fut à un point dont on ne se fait aucune idée, lui, qui", ut idem Nouv. pages 110 nota 1 ait, „croyait aux sorciers, aux devins,

Sed quam alienus a Christi pro hominibus in cruce mortui animo et caritate Calvinus fuerit, quam parum caritatis suis inspiraverit, evidenter patuit, cum Geneva pestilentia invaderetur.

---

au chien noir Murguet (i. e. au diable sous la forme de ce chien), à l'enchantement des sources minérales, aux semeurs de peste et à l'intervention du diable sous toutes les formes, autant qu'à la prédestination des élus et des damnés!" Item J. A. Galiffe (Notices généalog. III 544) scribit: „Deux années du règne de Calvin virent éclore 414 procès criminels. . . . Il y a des *centaines* de procès de ce genre pour *chaque* année de cette époque que l'on a osé appeler les plus belles pages de notre histoire." Necnon J. B. G. Galiffe (Nouv. pages 97 sqq) postquam retulit, ab a. 1542 ad a. 1546 58 capitis damnatos et 76 in exsilium missos („la plupart sous peine de la vie et précédée de l'amende honorable en chemise, torche au poing"), haec addit (p. 97): „Il va sans dire, que nous ne nous occupons pas ici des condamnations, en nombre triple ou quadruple, à des peines moins graves, quoique souvent précédées de la torture — telles que le fouet, le carcan, l'amende honorable en chemise, tête et pieds nus, l'emprisonnement simple ou au pain et à l'eau etc. etc.; les emprisonnements se monteraient au moins de *huit à neuf cents* pendant cette même période." Et postquam Galiffe retulit, 21 in exsilium missos esse „pour délits de mœurs, la plupart *non prouvés*, parmi lesquels quinze femmes ou filles", addit p. 98: „preuve nouvelle, et nous en verrons bien d'autres, de ce que nous avons dit plus haut de la barbarie du système, qui punissait toujours plus rigoureusement le sexe le plus faible pour des délits égaux." Et in nota 3 Galiffe subicit: „Le 7 novembre 1543, un homme de St.-Genis, qui avait commis adultère avec une femme de Cartigny, fut relâché en payant simplement les dépens, tandis que sa complice était condamnée à 3 ans de banissement." De supplicio porro aliorum loquens idem scriptor dicit p. 100: „Ces exécutions, dont 30 concernent des hommes et 28 des personnes du sexe, se répartissent ainsi selon la nature du supplice: 13 personnes pendues, 10 décapitées, dont 5 écartelées par-dessus le marché, et 35 brûlées vives après l'amputation du poignet droit, quelques-unes après avoir été, en outre, tenaillées avec des pinces rougies au feu." Inter quos fuerunt quatuor Genevenses, quorum unus, ut Galiffe p. 101, nota 1 testatur, potuisset mortis poenam evadere, si certam pecuniae summam solvere valuisset: „car", addit Galiffe, „la justice de l'époque était aussi vénale que partiale". Addit Galiffe p. 105: „Nous pensons qu'en voilà assez pour édifier le lecteur sur la douceur, l'intégrité et les prétendues hautes lumières' de la justice calviniste, à une époque où elle avait encore, dans son propre intérêt, des ménagements à garder. On peut, d'après cela, se faire une idée de ce qu'elle fut lorsque son chef [Calvinus] se vit maître absolu de la situation, lorsque le bourreau eut ordre ‚de porter toujours son glaive sous le bras', à l'époque, enfin, où la moyenne des procès criminels n'était plus seulement de 40 à 50, mais de 200 à 300 par année."

Sub multa aliisque poenis praecepta aut vetita Genevae fuisse, quae alibi aut libera aut certe sub tali poena praecepta vel vetita non erant, quam plurimis Calvini legibus probatur in libro cit. Calvin à Genève 46 sqq: „Calvin impose *à tous* l'obligation de ‚révéler et rapporter promptement aux seigneurs tout ce que pourrait être pratiqué contre icelle, à peine aux contrevenants de perdition et confiscation de corps et biens' (Ordonnances art. 2), ‚que nul n'ait à jurer le nom de Dieu, à peine pour la première fois de demande pardon à Dieu, de baiser terre et payer 60 sols. Pour la seconde fois de baiser terre, payer 10 florins et tenir prison trois jours au pain et à l'eau. Et s'il retourne pour la troisième fois, d'estre, outre ce que dessus, puni *arbitrairement* (art. 10). Que nul n'ait à jouer, à aucun jeu, à or ni argent ou monnoye, sur peine de confiscation d'icelui, de trois jours de prison et 60 sols, et du double en cas de récidive et de la prison (art. 20). Que nul n'ait à jouer à cartes, tarots ni dés, à peine de trois jours en prison et de 60 sols pour

Cum autumno a. 1542 morbus primo urbem invasisset, viri laici plures, ut servirent aegris in nosocomio iacentibus, se obtulerunt; ex praedicantium vero collegio cum destinandus esset unus qui aegrotis adesset, solus Petrus Blanchetus se obtulit [1], id quod, ut scribit Calvinus Vireto [2], praedicantes reliqui „facile omnes passi sunt". „Si quid ei acciderit", addit Calvinus de se ipso, „vereor ne mihi post eum sit periclitandum. Nam, ut dicis, quia sumus singulis membris debitores, non possumus iis deesse, qui prae aliis nostrum ministerium desiderant. Neque tamen meum consilium est, ut dum volumus parti consulere, ipsum ecclesiae corpus deseramus." Anno 1543 pestilentia

---

une chacune fois (art. 21). Ceux qui tiennent des cabarets ou tavernes, ne peuvent donner à boire et à manger qu'aux étrangers, sous peine de 25 florins d'amende. Défense leur est faite de loger quelqu'un plus de 24 heures sans une permission expresse de la seigneurie, sous peine de trois jours de prison et de 25 florins d'amende. S'il ne donnent pas les noms des passants, 25 florins d'amende et menace d'être chastiés plus outre." Et ut ib. p. 48 sqq refertur, omnis etiam chorea atque omnis usus auri, argenti et lapillorum in corporis ornatu erat utriusque sexus hominibus vetitus, necnon crinium ornatus et comptus atque usus certarum vestium erat mulieribus prohibitus; item inventio et imitatio novi moris vestium sine magistratuum permissione, aliaque eiusmodi quam plurima sub gravi multa interdicta erant. Quinimmo art. 141 hic erat: „Sont défendue aux noces ou banquets toutes confitures, excepté la dragée, à peine de 60 sols." Ut Kampschulte I 444 sqq refert, interdicta erant aut ad minimum reducta omnia sollemnia popularia, necnon festa domestica, vetiti etiam omnes lusus scenici populo valde grati, etiamsi omnino religiosi erant; atque ipsis pueris ludere prohibitum erat! Scribit certe Kampschulte p. 425: „Wie weit die calvinische Anschauungsweise bereits im Jahre 1543 in Genf durchgedrungen war, ersehen wir z. B. daraus, daß in diesem Jahre selbst schon Knaben, weil sie gespielt, in Haft genommen wurden." Et ut opusc. Calvin à Genève 46 refertur, art. 3 des Ordonnances hic erat: „Il veut que chacun soit tenu de fréquenter bien devotement les sermons et prêches, principalement le dimanche et le jeudi jour de la prière, sous peine d'être repris de justice." Tam multi autem sermones sacri diebus dominicis et aliis, ut vix umquam alibi, Genevae tunc temporis habebantur (cf. Kampschulte I 457). Ipse quoque J. A. Galiffe (Notices généal. III 381) ait: „Toute espèce d'amusement fut proscrite [per Calvinum] comme invention du diable, sous de peines très-sévères, et surtout le jeu, les chansons et la danse." Quinimmo J. B. G. Galiffe (Quelques pages 92) scribit: „Il y avait sur l'une des montagnes des environs une source d'eau minérale qui produisait des effets très-salutaires. En 1556, on mit en prison une foule de personnes pour y avoir recouvré la santé ou pour avoir recommandé ce remède; et l'on défendit sous les peines les plus graves, d'aller boire de cette eau ‚enchantée'." Atque non obstante hac *intolerabili* tyrannide non licebat contra magistratus et verbi divini praecones vel mutire. Ita enim habebat art. 15 des Ordonnances: „Que nul n'ait à parler ni mesdire contre l'honneur des magistrats ni des ministres du saint Évangile, à peine d'estre punis et châtiés rigoureusement selon l'exigence du cas" (Opusc. Calvin à Genève p. 48). Quod praeceptum certe durissimum fuit, praesertim cum institutum esset a Calvino inquisitorum collegium ad omnes subditorum et suspectorum maxime hominum actiones et verba quam diligentissime observanda, et cum, id quod Kampschulte I 425 nota 1 refert, Calvinus postularet, ut vis suarum legum, e. g. contra stuprum, etiam ad scelera *prius* iam commissa extenderetur.

[1] Janssen-Pastor, Gesch. des deutschen Volkes VII[13] 444 sq; Kampschulte I 484 sqq.

[2] Calvini Opera XI 457.

recrudescente, Castellio pro brevi tempore patitur ad nosocomium se mitti, alios praedicantes senatus dixisse audivit, potius ad diabolos se ituros quam ad nosocomium [1]. Petro Blanchet, qui tandem iterum aegrotos curabat, mortuo, iubet senatus constitui ei successorem a praedicantibus, Calvinum tamen ipsum aegrotis se impendere, „cum ecclesiae sit necessarius", nolle senatum. Nihilominus 5 iun. 1543 cum Calvino praedicantes comparent coram senatu et explicant, „neminem eorum habere hanc constantiam, ut audeat ad nosocomium pestilentia infectorum ire, quamvis officium suum hoc annexum habere sciant, ut serviant Deo et ecclesiae tempore tam bonae quam malae fortunae usque ad mortem". Quapropter proponunt advenam Gallum, qui paratus sit ad servitium aegrotorum. Quod postquam senatus audivit, admonuit praedicantes officii. Qui cum repeterent, „Deum nondum sibi fecisse gratiam habendi fortitudinem et constantiam" necessariam, decernitur tandem a senatu, „Deum precandum esse, ut illis det meliorem in futuro constantiam" [2]. Itaque dum catholici sacerdotes et religiosorum ordinum socii in praeclara ista caritatis christianae palaestra innumeri omni tempore omnique loco eminent, Calvinus, qui ex singulari Dei voluntate germanam Christi religionem restaurasse se gloriabatur, non erubescit ignaviam suam publice fateri aliorumque ignaviae ducem se praebere. Et generatim pauperum et egenorum cura nullo modo conspicuum se dedit. Et hunc virum caritatis et misericordiae illius, quam Christus et verbo et exemplo tam saepe tamque graviter discipulos docuit, adeo expertem quis credat fuisse a Christo Domino ad doctrinam suam restaurandam Ecclesiamque reformandam singulariter electum ac missum?

Ergo etiam religiosus Calvini sectatorum coetus *ratione sui parentis et auctoris* nullatenus sanctus est.

III. Sed neque ulli religioso coetui ab Ecclesia romano-catholica separato competit sanctitas ratione essentiae suae. Ex iis enim, quae demonstravimus, evidens est, eiusmodi coetum ceu talem sive ceu separatum schismate vel haeresi ab Ecclesia romano-catholica, neque esse neque esse posse *opus Christi,* cum eorum nullus originis sit apostolicae. Sed omnis coetus, saltem si immediate ab ista Ecclesia discessit, quam pessimus et tristissimus variarum malarum cupiditatum, praesertim teste historia superbiae et libidinis, effectus habendus est.

---

[1] Annales Calviniani (Opera XI 311): „M. Calvin a refferus comment Me Bastian Chastillion est tout prest pour alle en lhospital pestilencial. . . . Et pour aultant que illya des predicans quil hont diest que plustout que aller a lhospital il vouldroyent estre aux dyables."

[2] Annales (ib. 314): „Messieurs les ministres [sequuntur 6 nomina] predicans en Geneve hont comparus en conseyl et a propose comment nul deulx non [n'ont] la constance dalle a lhospital pestilencial. . . . Appres les remonstrances que cella [ire ad aegrotos pestilentia affectos] estoyt de leur office, . . . hont confesse quil est vray et quil est de leur office; mes Dieu encore ne leur a donne la grace de havoyer la force et constance pour alle audit hospital. . . . Resoluz de prier Dieu de leur donner mellieur constance." — Protestantium ministros sacros generatim zelum in invisendis et consolandis aegrotis pestilentia infectis non ostendisse, etiam aliis saec. XVI testimoniis constat (cf. Janssen-Pastor, Gesch. des deutschen Volkes VII 436 sqq; N. Paulus in Der Katholik 1895, II 280 sqq).

IV. Neque ullus istiusmodi coetuum sanctus est sanctitate aut regiminis et magisterii, aut totius doctrinae et fidei. Nam

1. ut iam prius probavimus, istorum omnium coetuum regimen et magisterium sub *formali* sua ratione, sive ut schismaticum spectatum, nullatenus est a Christo institutum et apostolicum, sed originem suam rebellioni quam maxime illegitimae debet, ideoque *legitima* et successione et missione caret, hincque infallibilitate a Christo legitimis apostolorum in regimine et magisterio successoribus concessa penitus destitutum est. Istorum igitur coetuum omnium regimen et magisterium, utpote schismaticum, *ut tale* debita sua (sive *muneris* quam maxime propria et requisita) sanctitate caret, utut fortasse sub alio respectu, ordinationis scil. sacrae in se spectatae, plus minusve ac praesertim apud Graecos et Russos aliosque schismaticos orientales sanctum est et dici potest.

2. Ratione vero doctrinae ac fidei etiam omnes isti coetus partim saltem et plus minusve debita sanctitate carent. Eorum enim nullus est, qui non respectu unius saltem alteriusve doctrinae doctrinis infallibilis magisterii in Ecclesia romano-catholica exsistentis prorsus contradicat, falsa igitur ideoque minime sancta affirmet; singuli certe eorum istius magisterii doctrinam de primatu iurisdictionis in universam Christi Ecclesiam R. Pontifici iure divino competente impugnant et temere reiciunt.

Praeterea primi protestantismi auctores nonnulla docuerunt aperte falsa et sanae rationi repugnantia vel etiam bonis moribus nociva. Atque ut de Muenzero aliisque pluribus illius temporis similibus fanaticis taceamus, *primum* Calvinus, Zwinglius, Lutherus, id quod iam retulimus, unanimes contenderunt, *R. Pontifices* ut tales, ut pontificio igitur munere fungentes eiusque dignitate ornatos, *esse ipsum antichristum,* quem Paulus 2 Thess 2, 3 sqq designarit; immo Lutherus hanc doctrinam etiam ut articulum fidei in libros symbolicos assumpsit.

In articulis enim Smalcaldicis plus semel Lutherus docet, R. Pontificem esse antichristum; ita ibi dicit[1]: „Haec doctrina praeclare ostendit, papam esse ipsum verum antichristum, qui supra et contra Christum sese extulit et evexit, quandoquidem christianos non vult esse salvos sine sua potestate, quae tamen nihil est, et a Deo nec ordinata nec mandata est. Hoc, proprie loquendo, est *se efferre supra et contra Deum,* sicut Paulus 2 Thess 2 loquitur. Et hoc profecto nec Turcae nec Tartari faciunt, quantumvis sint christianorum atroces hostes, sed permittunt, ut credat in Christum, quicumque voluerit. . . . Papa vero prohibet hanc fidem. . . . Iure divino voluit esse summum caput christianae ecclesiae. Ideo se ipsum Christo aequiparavit et supra Christum tandem extulit et se caput, deinde Dominum ecclesiae, postea totius mundi, et simpliciter terrestrem Deum praedicari voluit, donec etiam ipsis

[1] P. 2, art. 4, de papatu n. 10 sqq, apud Müller, Die symbolischen Bücher der evang.-luther. Kirche 308 sqq.

angelis in coelo praecipere haec et illa conaretur. . . . Sicut diabolum ipsum non possumus adorare et pro Domino et Deo colere, ita nec eius apostolum, papam seu antichristum, in regno eius ut caput et dominum ferre possumus." Idem repetitur ibidem in appendice de potestate et primatu papae n. 39 sqq[1].

Illi itaque tres protestantismi auctores ausi sunt ipsum Ecclesiae fundamentum a Christo positum et opus institutione sua vere divinum atque praeclarum designare opus ipsi Ecclesiae maxime adversum et vere diabolicum. Falsissima igitur haec illorum novatorum doctrina est, et non solum falsa, sed etiam vere absurda videatur necesse est cuicumque, qui vel historiae R. Pontificum vel interpretationi 2 Thess 2, 3 sqq sincere et sine praeiudicatis opinionibus studuerit. Et paucis exceptis, ipsos protestantes iamdudum istius parentum suorum doctrinae puduit, et ita quidem, ut eam recentiores non solum negligant, sed et data opera refutent.

Deinde iidem protestantismi auctores *peccato* quod vocant *originali humanam naturam ita totam corruptam* esse docuerunt, ut per se nihil agere valeat, quod vel naturaliter in ordine morali bonum sit. Quare hominis voluntatem in rebus ad Deum et ad salutem aeternam consequendam spectantibus libertate omnino carere atque aut a Deo aut a diabolo veluti necessitate interna agi putant.

Certe quod ad humanarum actionum bonitatem moralem attinet, Calvinus scripsit[2], „totum hominem quasi diluvio a capite ad pedes sic fuisse obrutum, ut nulla pars a peccato sit immunis: ac proinde *quidquid* ab eo procedit, *in peccatum imputari*". — Zwinglius pariter scripsit[3]: „Mala mens, malusque est animus hominis ab ineunte aetate: quia caro est, quae sui amans est, gloriae, voluptatis, reique cupida, utcumque dissimulet, quaecumque praetexat. Omnes enim sumus hypocritae (Is 9, 15) et nequam, et omnium ora stultitiam loquuntur." Et alibi[4] ait: „Ut arena propter ingenium ac formam necti nullo modo potest: sic Belial, sic homo effici non potest, ut ille lucis angelus fiat qui tenebrae est, mendacii, fraudis peccatique auctor; hic autem ut manum ad bonum extendat, nisi istud fortasse cupiditas amorque sui bonum esse dictent spe delectationis." Paulo vero post affirmat[5]: „Fixum ac immotum stat, quod omnia hominis cuiusvis consilia peccatum sunt, quatenus ut homo consulit: omnia enim ad se ipsum refert, sibi uni studet, de se ipso honoratius sentit quam de alio." Et alibi[6] Zwinglius docet, hominem, qui non sit cum Christo coniunctus, non posse Dei voluntati obtemperare eiusque praecepta servare, nec etiam Deum id postulare[7]. Ex Zwinglii igitur sen-

---

[1] Müller l. c. 336 sqq. Appendicem hanc scripsit Melanchthon.

[2] Instit. l. 2, c. 1, n. 9 (Opera II 184).

[3] Cons. de vera et falsa relig. (Opera III 169). [4] Ibid. p. 170.

[5] L. c. 171.

[6] Uslegen und gründ der schlussreden oder artikel (Opera I 184 sqq; Werke II 36).

[7] Opera I 185; Werke II 37 ait: „Welche nun us dem willen des menschen oder us dem willen des fleischs geborn sind, die druckt alles gesatzt und mögend es nit abthun und nit erfüllen; noch so will gott nach siner grechtigheit von uns söliche unschuld haben."

tentia *omnia* cuiusvis hominis non christiani opera sunt peccata, si minus natura sua, saltem consilio, quo homo illa facit. — Lutherus quoque omnia etiam bona hominis opera peccata letalia esse dixit[1]: „Porro tantum abest, ut omnia mortalia possimus nosse, nedum confiteri, ut etiam bona opera nostra, si Deus per rigorem iudicet, et non misericordia ignoscente agnoscat, sint damnabilia et mortalia. Ideo si omnia mortalia sunt confitenda, brevi verbo id fiet, si semel dixerimus: En totum quod sum, vivo, ago, loquor, tale est, ut mortale sit et damnabile." Et alibi[2] ait, „nihil in homine Spiritus inani reliquum esse, quod ad bonum sese verti possit, sed tantum ad malum"[3].

Quae quidem doctrinae cuinam sapienti et veritatis studioso viro non falsa et improba ideoque divina revelatione prorsus indigna videatur? Quis enim fingat et filios, etsi non christianos, officia oboedientiae ac pietatis erga parentes bene servando graviter peccare? Atque idem dic de parentibus aliisque hominibus rite colentibus officia, quibus tenentur erga filios, subditos, cognatos, amicos, aegrotos aliosque. Et quis dicat, hominem gentilem stipem pauperi dando vel alia ratione egenis et afflictis succurrendo, et militem in iusto bello pro patriae iuribus fortiter pugnando vitamque profundendo gravia peccata committere? Num vero, ut Zwinglius voluit, ullo modo probabile est, fieri plane nihil ita posse, ut homo ut talis non solum re, sed etiam consilio bene agat? Quis enim sibi persuadeat, nullos gentilium filios parentes puro amore prosequi, sed omnes filiali reverentia, pietate, oboedientia eos colere consilio semper malo atque perverso? Et si quis, postquam peccavit, cum Deo reconciliari serio velit, ideoque divinam opem imploret, nonne recte agat? Num eo remotior fieri a Deo dicendus sit, quo propius ad eum accedere studeat? Sane qui haec doceat, tum peccatores a vitae emendatione, tum alios omnes homines ab officiis suis explendis et generatim a bene agendo deterret, ideoque doctrinam bonis moribus prorsus adversam et nocivam tradit.

Hanc autem illos protestantismi auctores tradidisse, ex iis quae diximus sequitur, et magis patebit ex iis, quae iam de *negata ab ipsis hominis libertate* in rebus ad animae salutem spectantibus dicenda sunt. Hanc enim libertatem ab iis homini denegatam esse, patet quidem iam ex modo dictis; si enim homo nihil boni agere valet, nec libertate bene agendi instructus est; attamen iuverit id paucis saltem ipsorum testimoniis comprobare.

Ita Calvinus integro Institutionum suarum capite[4] studet probare, quod in illius inscriptione sic effert: „Hominem arbitrii libertate nunc esse spoliatum et miserae servituti addictum"; et rursus ait[5]: „Qua igitur peccati

[1] Confitendi ratio, 1520 (Werke: Weim. VI 162). Cf. Kurze Unterweisung wie man beichten solle, Wittemberg 1519, fol. 3a (Werke: Erl. XXI 247; Weim. II 60).

[2] De servo arbitrio (Werke: Weim. XVIII 786).

[3] Multa alia similia Lutheri dicta vide apud Riffel, Christl. Kirchengesch. I[2] 39 sqq.

[4] L. 2, c. 2. [5] Ibid. c. 3, n. 5.

servitute vincta detinetur voluntas, ad bonum commovere se non potest, nedum applicare." Et totam hac de re tractationem hisce concludit[1]: „Stet ergo nobis indubia ista veritas, quae nullis machinamentis quatefieri potest, mentem hominis sic alienatam prorsus a Dei iustitia, ut nihil non impium, contortum, foedum, impurum, flagitiosum concipiat, concupiscat, moliatur; cor peccati veneno ita penitus delibutum, ut nihil quam corruptum foetorem efflare queat. Quodsi quippiam interdum boni in speciem ostentant, mentem tamen semper hypocrisi et fallaci obliquitate involutam, animum interiori perversitate illigatum manere." — Zwinglius non solum, ut diximus, ex humana natura colligit, hominem semper peccare nihilque boni umquam agere posse, sed ipsum etiam Deum facit peccatorum auctorem dicitque, Deum peccatum velle ideo, ut homo fide renovata ad illum confugiat, in ipso solo spem suam ponat atque meditationes et opera sua nihili faciens in ipsum transformetur[2]. Dicit praeterea[3], Deum omnia in nobis operari et efficere, nosque nihil esse nisi instrumenta, quibus a se factis Deus utatur ad operandum eadem ratione, qua faber ferrarius non malleo, sed sibi ipsi attribuit fabricationem dentis aratri, cum reapse etiam malleum ipse fecerit. Et alibi ait[4]: „Providentia Dei simul tolluntur et liberum arbitrium et meritum: nam illa omnia disponente, quae sunt partes nostrae, ut quicquam ex nobis ipsis fieri possimus arbitrari? Cum autem omnia ipsius opera fiant, quomodo nos quidquam merebimur?" Hinc in ipsa inscriptione capitis 3 de providentia Dei dicit[5]: „Causas secundas iniuria causas vocari", et ad eiusdem capitis finem ait[6]: „Hoc toto isto capite volumus: cum ex uno atque in uno universa sint, consistant, vivant, moveantur et operentur, unum istud solam ac vere causam esse rerum universarum; et viciniora ista, quibus causarum nomen damus, non iure causas esse, sed manus et organa, quibus aeterna mens operatur et sese in iis fruendam exhibet." Quinimmo Zwinglius hanc *pantheisticam* sententiam protulit[7]: „Cum igitur unum ac solum infinitum sit, necesse est praeter hoc nihil esse. Et secundum hoc sequitur, ut quidquid est, in illo sit, immo quod est et quod exsistit, ex illo sit; cum autem non sic sit ex

---

[1] Instit. l. 2, c. 5, n. 19.

[2] Ait enim (Uslegen art. 13: Opera I 207; Werke II 73): „Willt du gottes syn: so laß dich fry an jn, laß jn verwalten und wysen din leben, narung, rat und alle sachen! Dann lebt gott in dir. Und ob du schon us blödigheit in sünd fallest, *verhängt Gott das selb,* daß din gloub und zuflucht zu jm ernüwret werde und gestärkt. Dann ie alle ding (ouch die sünd) helfend gutes würken den frommen Christen. Also muß man zu gott zogen werden und in jn verwandlet, das wir gar usgelert, gesübret und unser selbs verlöugnet syind, und uf unser sinn und denk, werk nüt haltind, sunder daß das verhoffen in gott unser einige zuversicht sye, dero wir uns haltind. Denn so werdend wir in gott verwandlet; dann das nit ein werk des fleischs ist, sunder des geists gottes."

[3] Uslegen art. 20 (Opera I 278; Werke II 184): „Wir hand das stark wort gottes an unser syten ston, das sy nit stürmen mögend mit allem jrem züg [= heer], namlich daß gott alle ding würkt in uns, und wir nüt sind weder handgeschirr, durch die gott würkt und ouch die handgschirr selbs gemacht hat. Glych als der schmid dem hammer nit zugibt, daß er den wägis [Pflugschar, vomer] gemacht habe, sunder jm selbs. Denn er hat den hammer ouch gemacht, und ist der hammer und der wägis ein gmächt des schmids."

[4] Comm. de vera et falsa relig. (Opera III 283).

[5] Opera IV 86. [6] Ibid. 97. [7] Ibid. 89.

illo, quasi esse et exsistere aliud vel diversum ab illo sit, iam certum est, quod quantum ad esse et exsistere attinet, nihil sit quod numen non sit; id enim est rerum universarum esse.“ Et alibi, postquam dixit, divina providentia gubernari atque disponi omnia, ita ut extra eius curam et dispositionem nihil omnino fiat, haec Zwinglius scribit[1]: „Hic ergo proruunt quidam: libidini igitur indulgebo; quidquid enim egero, Deo auctore fit; qui se voce produnt, cuius oves sint. Esto enim, Dei ordinatione fiat, ut hic parricida sit, alius adulter: eiusdem tamen bonitate fit, ut qui vasa irae ipsius futuri sint, his signis prodantur, cum scil. latrocinantur, scortantur, potant citra poenitentiam. Quid enim aliud quam gehennae filium his signis deprehendimus? Dicant ergo, Dei providentia se esse proditores ac homicidas, licet: nos enim idem dicimus, sed simul hoc iungimus: quod qui ista sine correctione ac poenitentia faciunt, Dei providentia aeternis cruciatibus, propter iustitiae illius exemplum, mancipentur. Habes nunc canonem nostrum, quo contra omnia tela munimur, quae ex Scripturis pro libero arbitrio promuntur. Sed heus tu, caste ista ad populum et rarius etiam; ut enim pauci sunt vere pii, sic pauci ad altitudinem huius intelligentiae perveniunt.“[2]

Nec minus Lutherum omnem hominis libertatem in rebus ad Deum salutemque aeternam spectantibus negasse, tam certo ex eius praesertim libello De servo arbitrio constat, tamque omnibus notum est, ut probatione vix opus sit. Dicit v. g. versus finem illius libelli[3]: „Si enim credimus verum esse, quod Deus praescit et praeordinat omnia, tum neque falli neque impediri potest sua praescientia et praedestinatione [sic!], deinde nihil fieri, nisi ipso volente, id quod ipsa ratio cogitur concedere; simul ipsa ratione teste nullum potest esse liberum arbitrium in homine vel angelo aut ulla creatura.“ Et in eodem libello antea dixerat[4]: „Sic humana voluntas in medio posita est ceu iumentum. Si insederit Deus, vult et vadit, quo vult Deus, ut psalmus dicit: Factus sum sicut iumentum et ego semper tecum (Ps 72 [73], 22). Si insederit Satan, vult et vadit, quo vult Satan, nec est in eius arbitrio ad utrum sessorem currere aut eum quaerere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum.“ Quam quidem imaginem Lutherus etiam postea rursus affert[5]. Atque ex hac sententia sua rite omnino colligebat[6], tantum abesse, ut homo peccator aliquid agere debeat, quo ad meliorem

---

[1] Opera VIII 21.

[2] Nec minus notatu dignus est *modus*, quo Zwinglius sententiam, secundum quam Deus ipse auctor peccatorum sit, probare atque defendere studet (Comm. de vera et falsa relig.: Opera III 283).

[3] De servo arbitrio (Werke: Weim. XVIII 786). [4] Ibid. 635.

[5] Ibid. p. 709.

[6] „Wer da fromm will werden, der sage nur nicht: Ich will anheben und gute Werk thun, daß ich Gnade erlange, sondern also: Ich will warten, ob Gott durch sein Wort mir seine Gnade und Geist wöllt geben. Das muß es thun, sonst ist Alles verloren“ (Predigten über das erste Buch Mosis, Kap. 12: Werke: Erl. XXXIII 254; Weim. XXIV 244). — „Fragst du aber, wie muß man thun, daß Gott in uns anfange? Antwort: Ey hörst du nicht, daß kein Thun, kein Anfangen in dir ist, fromm zu werden, so wenig als auch Zunehmen und Vollenden in dir ist. Gottes allein ist Anfangen, Fördern und Vollenden. Alles, was du anfängst, ist Sünde und bleibt Sünde, es gleiße, wie hübsch es wolle, du kannst nichts denn sündigen, thu' wie du willst“ (Der Kirchenpostille Evangelienpredigten. Erster Adventssonntag: Werke Erl. X² 11).

frugem redeat, ut, tametsi omnibus innata, simulatio vere exsecranda sit, si quis in sui ad Deum conversione non mere passive se habere, sed etiam aliquid ad eam conferre velit, cum tamen quodcumque homo incipiat, peccatum sit. Necnon ex eo, quod statuerat, omnia per Deum fieri, Lutherus necessario concludebat [1], eum per nos etiam mala facere, non utique ipsius, sed nostra culpa, cum nos natura mali simus, et Deus bonus nos actione sua instar omnipotentis suae efficaciae movens aliter facere non possit, quam quod ipse bonus malo instrumento malum faciat, quamquam hoc malo pro sapientia sua utatur bene ad gloriam suam et salutem nostram. Insuper tum ad probandam suam de servo arbitrio opinionem, tum consequentia necessaria ex allata iam sua doctrina motus, docebat Lutherus, malam hominis voluntatem a Deo ipso vere ac proprie excaecari et in malo durari, quod Pharaonis exemplo confirmabat [2].

Porro quam prava, Deo indigna mentique humanae repugnans sit haec doctrina, vix opus est annotare. Ea enim manifeste non solum cum infinita Dei sanctitate nostraque conscientia directo et aperte pugnat, sed etiam legibus a Deo latis et communi hominum sensui atque testimonio contradicit. Si enim voluntas nostra libera non esset, cur umquam homo recte agens laudaretur et praemio donaretur, malefactor vero vituperaretur et puniretur? Et quomodo Deum homini praecepta etiam positiva, quae ille servare non potest, dare putemus, eorumque praevaricatores pariter increpare poenisque afficere? Quare Deus pro sua omnipotentia malorum hominum voluntatem non mutaret? Ad haec aliaque eiusmodi Lutherus respondet modo, rationem humanam omnino fatuam, Dei vero voluntatem inscrutabilem non examinandam, sed timendam atque adorandam esse; modo, Dei verba: „Si vis servare mandata mea, potes; serva ea“ idem significare atque haec: videamus experimenti causa; si potes ea servare, serva, sed non potes; ea igitur intelligenda esse eadem ratione, qua verba patris vel medici infantem vel aegrotum aliquid agere iubentis, quod ipse probe norit, fieri non posse: ut nimirum Deus hoc modo clarissime nos doceat absolutam nostram imbecillitatem [3]. Mira profecto et Deo

---

[1] De servo arbitrio (Werke: Weim. XVIII 711): „Sed ita cogitet, qui utcumque talia volet intelligere: In nobis, id est, per nos Deum operari mala, non culpa Dei, sed vitio nostro, qui cum simus natura mali, Deus vero bonus, nos actione sua pro natura omnipotentiae suae rapiens, aliter facere non possit, quam quod ipse bonus malo instrumento malum facit, licet hoc malo pro sua sapientia utatur bene ad gloriam suam et salutem nostram.“

[2] Ibid. 711: „Haec autem voluntas eius [Pharaonis] mala se sola non moveretur aut induraretur, sed omnipotens actor cum illam agat inevitabili motu ut reliquas creaturas, necesse est eam aliquid velle. Tum simul foris offert, quod naturaliter illam irritat et offendit, fit, ut Pharao non possit vitare indurationem sui, sicut vitare non potest et omnipotentiae divinae actionem et aversionem seu malitiam suae voluntatis.“ Plura de hac re apud Döllinger, Die Reformation III 21 sq; Riffel, Christl. Kirchengesch. III 269 sq; Evers, Martin Luther, Lebens- und Charakterbild I, Mainz 1883, 84 sqq 102 sqq.

[3] De servo arbitrio (l. c. 673 sqq 691).

prorsus indigna ratio nos humilitatem docendi, nec ullatenus necessaria, cum unusquisque sensu christiano et unice vero humilitatis virtutem colere possit, etiamsi intime persuasum sibi habeat, Deum infinite sapientem et bonum impossibilia non praecipere seque posse, Deo utique adiuvante, servare praecepta divina. Ratio autem humana quam dire pro iniuriis a Luthero sibi ideo inflictis, quod absurdae ipsius doctrinae assentiri non vult, se ipsa iamdudum inter Lutheri alumnos ulta est! Eorum enim quam plurimi nullam omnino doctrinam religiosam admittere iam volunt, quae ipsorum rationem ullo modo excedat, sicque parentis sui doctrinam putido suo rationalismo longe lateque magis usque depellunt.

Atque ex his trium protestantismi auctorum placitis etiam sequitur, *Deum,* nulla prorsus vitae hominum ab ipso praevisae habita ratione, ab aeterno ex mero suo beneplacito singulos homines aut ad vitam aeternam aut ad aeternae pariter damnationis poenam *immutabili decreto praedestinasse,* ita ut quidquid agant, praedestinatam iis aut salutem amittere aut poenam evitare absolute non possint. Si enim omnia omnino Deo auctore ut a causa efficiente fiant, et homo in ordine morali arbitrii libertate prorsus careat, necesse sane est affirmare, eos omnes, qui salutem aeternam consecuturi sint, eam ex mero, aeterno, immutabili Dei beneplacito consequi, alios autem, qui aeternum damnentur, pariter mero arbitrio a Deo damnari, cum, utpote non liberi, aliter vivere non potuerint, quam ipso Deo eos excaecante et in peccatis indurante reapse vixerint.

Et vero compertum est, Calvinum hanc praedestinationis aeternae doctrinam dedita opera et aperte docuisse ac multis vindicare studuisse[1]. Dicit v. g.[2]: „Praedestinationem vocamus aeternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praedestinatum dicimus." Hinc concludit[3], Dei beneplacitum esse unicam electionis et praedestinationis causam, ita ut nulla plane in ea hominis operum sive bonorum sive malorum ratio habeatur. Et rursus Calvinus ait[4]: „Vides, ut in solum Dei arbitrium utrumque [misereri et indurare] conferat [Paulus]? Ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quam eius voluntatem. Cum enim dicitur Deus vel indurare, vel misericordia prosequi quem voluerit, eo admonentur homines nihil causae quaerere extra eius voluntatem." Et haec quidem praedestinatio ex Calvini sententia, ut ex allatis locis satis iam patet, non est generalis, qualis esset v. g. totius alicuius populi, sed particularis, extendens se ad singulos homines; idque amplius exponit[5], inter alia scribens: „Dicimus, aeterno et immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel

[1] Instit. l. 3, c. 21—23. [2] Ibid. c. 21, n. 5. [3] Ibid. c. 22, n. 2 3.
[4] Ibid. n. 11. [5] Ibid. c. 21, n. 7.

assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanae dignitatis respectu; quos vero damnationi addicit, his iusto quidem et irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio, vitae aditum praecludi", „ad gloriam eius", ut alibi ait [1], „sua damnatione illustrandam". Nec causa huius damnationis a Deo tantum permittitur, sed a Deo ordinatur, cum, ut Calvinus scribit [2], angeli et homines, tum boni tum mali, nihil agant, nisi quod a Deo constitutum est, cumque secundum ipsum [3] „frigidum commentum" sit negare, „decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam". „Quaero, addit, unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus aeternae morti involveret *lapsus Adae absque remedio, nisi quia Deo ita visum est?*... Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin praesciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, et *ideo praesciverit, quia decreto suo ordinarat.*" Et rursus ait [4]: „Minime consentaneum est, *praeparationem ad interitum* alio transferre quam *ad arcanum consilium Dei*.... Unde sequitur, *absconditum Dei consilium* obdurationis [et hinc damnationis aeternae] esse causam."

Atque etiam Lutherus, tametsi praedestinationis nomen non adhibet, idem plane docuit [5], Deum homines alios aeternum beatos reddere, alios vero damnare pro mero suo beneplacito sine ullo eorum merito vel eius ratione habita, et quamvis in hac vita hoc rationi humanae iniustum videatur, in aeternitate tamen nos visuros esse, rem ita se habere. Distinxit enim, ut Calvinus, ita et ipse et saepe quidem atque aperte, voluntatem Dei occultam ab eius voluntate nobis manifestata, et ita quidem, ut quod Deus hac voluntate velit, illa nolit, et viceversa. Dicit [6], Deum voluntate nobis declarare, nolle se mortem, aeternam scil., sive damnationem peccatoris, occulta autem eam omnino velle, hancque occultam nos debere metus et terroris plenos adorare, minime autem in eam inquirere. Et alibi dicit [7], Deum nolle, volun-

[1] Instit. l. 3, c. 24, n. 14. [2] Ibid. l. 1, c. 18, n. 1 sqq.

[3] Ibid. l. 3, c. 23, n. 7. [4] Ibid. n. 1.

[5] De servo arbitrio (l. c. 730 sq): „At cum immeritos damnat, quia incommodum sibi est, hoc iniquum hoc intolerabile est, hic expostulatur, hic murmuratur, hic blasphematur.... At si placet tibi Deus indignos coronans, non debet etiam displicere immeritos damnans. Si illic iustus est, cur non hic iustus erit? Illic gratiam et misericordiam spargit in indignos, hic iram et severitatem spargit in immeritos, utrobique nimius et iniquus apud homines, sed iustus et verax apud seipsum. Nam quomodo hoc iustum sit, ut indignos coronet, incomprehensibile est modo, videbimus autem, cum illuc venerimus, ubi iam non credetur, sed revelata facie videbitur. Ita quomodo hoc iustum sit, ut immeritos damnet, incomprehensibile est modo, creditur tamen, donec revelabitur filius hominis."

[6] Ibid.: „Illud autem sese Diatribe [Erasmi, quam impugnat Lutherus] ignorantia sua, dum nihil distinguit inter Deum praedicatum et absconditum, hoc est, inter verbum Dei et Deum ipsum. Multa facit Deus, quae verbo suo non ostendit nobis. Multa quoque vult, quae verbo suo non ostendit sese velle. Sic non vult mortem peccatoris, verbo scil., vult autem illam voluntate illa imperscrutabili. Nunc autem nobis spectandum est verbum relinquendaque illa voluntas imperscrutabilis.... Satis est, nosse tantum, quod sit quaedam in Deo voluntas imperscrutabilis. Quid vero, cur et quatenus illa velit, hoc prorsus non licet quaerere, optare, curare aut tangere, sed tantum timere et adorare."

[7] An die Christen zu Antorff (Werke: Weim. XVIII 549; De Wette III 63): „Aber da wolt er [der „Rumpelgeist"] nicht hinan, daß Gott, wiewol er die Sünde

tate scil. manifestata, peccatum, et tamen, id quod sine eius voluntate, occulta scil., fieri non possit, ut peccetur efficere; eum enim a nemine ad id cogi, et si nollet efficere, ut peccaretur, id profecto effecturum esse. Quomodo autem hae duae voluntates possint simul in Deo consistere, utique a nobis non posse intelligi. Quod verissime dixit. Qui enim mens humana cogitare sibique persuadere possit, Deum infinite perfectum et veracem secum ipso pugnare, et revelatione sua nos fallere, ita ut ea contrarium illius iubeat, quod reapse velit? Nec tamen Lutherus hanc doctrinam umquam revocavit, sed tantum postea in Commentario in Gen. 26, 9 dixit, de occulta illa Dei voluntate neminem sollicitum esse debere, sed secundum illud dictum: „Quae supra nos, nihil ad nos", de ea cogitandum esse. — Atque secundum ea, quae hactenus diximus, mirum videri nequit, Lutherum docuisse, Deum etiam in ordine morali, indurando scil. peccatores in peccatis, cogendo ad peccandum, damnando homines, plane *exlegem* esse, quamquam bene sensit, id a ratione humana adeo non posse capi, ut ei prorsus repugnet[1].

Zwinglius pariter probe novit, doctrinam suam, quam descripsimus, cum absoluta et ex mero beneplacito Dei pendente praedestinatione hominum aeterna cohaerere, nec tamen hanc umquam reiecit, sed potius sat aperte docuit. Cum enim sibi opposuisset, cur homines, cum nihil boni efficere valeant, tamen aeternum damnentur, respondit tantum[2], Deum ideo iniuste

---

nicht will, so verhängt er doch, daß sie geschicht, und solch Verhängnis geschicht ja nicht ohn seinen Willen. Denn wer zwinget ihn, daß er sie verhänget? Ja wie künd ers verhängen, wenn ers nicht wollte verhängen? Hie fuhr er mit seinem Kopff hinauf und wolt begreiffen, wie Gott Sünde nicht wolt, und doch durchs verhängen wolt und meinet den Abgrund göttlicher Majestät, wie diese zwei Willen möchten miteinander bestehen, auszuschöpfen."

[1] Auslegung über das 9. Kapitel des 2. Buchs Mosis (Werke: Erl. XXXIV 165; Weim. XVI 140): „Hie wird nu wieder erreget diese Frage: ob Gott derjenige sey, der die Menschen verhärte und zwinge zum bösen und zur Sünde? Warum verdammet er denn die Menschen? . . . Er hat nicht Maß oder Gesetze, warumb er diesen erleuchtet oder jenen verstocket. Solt ich hierinn Gott messen und urtheilen nach meiner Vernunfft, so ist er ungerecht und hat viel mehr Sünde denn der Teufel, ja er ist erschrecklicher und greulicher denn der Teufel. Denn er handelt und gehet mit uns umb mit Gewalt, plaget und martert uns, und achtet unser nicht. Hierüber möcht einer thöricht werden, wenn er nicht seine Vernunft gefangen nimmet, und aus dem kopf ihm treiben lässet alle solche Gedanken, und beruget nur darauff, daß Gott niemands messen, oder ihm Gesetz fürschreiben solle, denn Gott sey gar Exlex, wie man saget. Aber man kann dies die Vernunfft nicht bereden, vil weniger kann man sie es überreden, oder ihr aus den Augen reißen das heillose, verfluchte grübeln und forschen in so hohen unbegreiflichen Sachen, da sie stets spricht: Quare? Cur? Warumb? Denn ist das Gesetze da, wenn Gott dis oder jenes darnach thät, dann wäre es recht. Aber mit diesem messen bringt man sich umb Leib, Leben und umb unsern Herrn Gott, da heißet es: Miss ins Teufels Namen hin."

[2] Uslegen und gründ der schlußreden Art. 20 (Opera I 275 sqq; Werke II 179 sq): „Ynred: Warum verdammt uns dann gott, so wir nit guts thund? als er spricht Matth. 7, 19: Ein ieder boum, der nit gute frucht bringt, der wirt usgehouwen und ins für geworfen. Mögend wir nun nüt guts thun; und so wir es aber nit thund, so werdend wir verdammt. So mag ie nüt folgen, dann daß gott ungerecht sye, so er sinen zorn, das ist, verdammnuß uf mich leit um ein ding, das ich nit vermag. Dergestalt ouch Paulus strytet Röm. 3, 5. Antwurt: Ein guter boum bringt gute

non agere; cur autem homines non bonos fecerit, se plane ignorare; scire se modo, Deum posse creatura sua uti pro arbitrio, eam facere mundam vel immundam, misereri huius, illum vero in peccatis suis indurare; quapropter curandum non esse, utrum boni an mali evadamus; Deum ipsum facere bonos et malos, prout sibi placuerit, atque in malis et damnatis iustitiam suam ostendere.

Iam quis vir sapiens et veritatis amans has istorum trium protestantismi auctorum doctrinas vere horribiles et Deo infinite sancto, sapienti, veraci ac bono, simulque nostrae rationi tam evidenter prorsus adversas et bonis moribus ac peccatorum emendationi quam maxime nocivas fingat esse veras et divinitus revelatas? Quis igitur credat, istos qui vocantur reformatores S. Scripturam hac in re recte ac vere interpretatos esse, ac non potius verum eius sensum foede depravasse?

Sed ex variis istis protestantismi parentum placitis consequitur necessario ac manifesto etiam, ipsius *christiani hominis actiones*, quantumvis optimas et ex pura caritate Dei peractas, *nullius apud Deum meriti esse,* ideoque ad aeternam salutem consequendam prorsus nihil conferre. Nam cum secundum illos homo in ordine morali non sit liber et ex mero Dei beneplacito aut ad vitam aut ad mortem aeternam praedestinatus, eiusque actiones insuper sint omnes malae, quid, quaeso, secundum Dei iudicium nostrae actiones valere quidve ad coelestem beatitudinem conferre possint?

Et sane constat, Lutherum istud consectarium diserte docuisse, adeo ut non satis proclamare posse sibi videretur, opera bona esse ad iustitiam et ad aeternam salutem consequendam prorsus inutilia, solamque in Christum fidem sive fiduciam, qua credatur ipse pro nostris peccatis satisfecisse et merita

---

frucht, er mag ouch nit böse frucht bringen. Es mag ouch der bös boum nit gute frucht bringen Matth. 7, 18. So du nun nit gute frucht bringst, ist es ein zeichen, daß du ein böser boum bist; darum wirst du usgerütet und verbrennt. Sprichst: so ich aber nit us miner eignen kraft mag gut syn, sunder Gott muß mich gut machen: warum machet mich gott nit gut, oder aber laßt mich unverdammt? Antwurt: Warum dich gott nit gut mache, must du jn um fragen; ich bin nit in sinem rat gsessen. Ich hab aber das von dem heiligen Paulo gelernet Röm. 9, 20—23, daß Gott darum nit ungerecht ist, daß er sin creatur brucht nach sinem willen, glych als ouch ein hafner unrechts von sinen gschirren nit gescholten werden mag, so er us einem schollen ein gschirr macht zu subren brüchen [Gebrauch], das andre aber zu unsubren; dann khein seichkachel [Nachttopf] spricht: Warum hast du mich nit ouch zu einem eerlichen trinkgschirr gmacht? Also warlich handlet gott mit uns on verletzen siner grechtigkeit: denn wir sind, gegen jm ze rechnen, minder denn der leimscholl gegen den hafner. Darum ordnet er sine gschirr, das ist, uns menschen, wie er wil: einen erwälet er, daß er zu sinem werk und bruch geschickt wirt, den anderen will er nit. Er mag sine gschöpft ganz machen und brechen, wie er will; er erbarmt sich über wen er will; er verhärtet ouch wen er will. ... *Gott will us dir machen ein gschirr des zorns, das ist, [der] verdamnus, daran er sin grechtigkeit erzeigt. Hab nit sorg, wie man gut oder bös werde! Gott wirt wol gute oder böse machen, wie ers haben will.*“ Cf. insuper hac de re Theol. Studien und Kritiken 1870, 498 sqq, ubi pluribus aliis Zwinglii testimoniis probatur, eum absolutam praedestinationem tum ad vitam tum ad poenam aeternam docuisse.

sua in nos transferre, luculentissime sufficere, tum ut iusti et sancti simus in hac vita, tum ut beati efficiamur in altera. Quod omnibus notissimum est et a multis [1] luculenter demonstratum [2].

Zwinglius item omne bonorum operum meritum negavit, hominemque sola Dei gratia per Iesum Christum effusa et fide in ipsum aeternam felicitatem adipisci docuit. Scribit v. g. de Abrahamo [3]: „Hoc cogitandum est, id quod Abraham fecit [custodiendo scil. praecepta et leges Dei], opus fuisse Dei, non hominis. Nam quod credit in Deum, quod omnia propter Deum relinquit, quod mandata et leges Dei servat, non ex se facit, sed ex gratia et misericordia Dei. Fides ergo Abrahami, innocentia Abrahami, non fuit opus Abrahami, sed Dei. Remuneratur ergo Deus in nobis non nostra, sed sua ipsius opera." Si tibi haec sano modo intelligi posse videntur, audi quae alibi ait [4]: „Sunt sane quaedam in Scripturis divinis, quae nonnihil operibus et meritis nostris polliceri *videntur;* sed ita spiritus divinus nostrae imbecillitati sese accommodat." Et in alio opere [5], postquam multis S. Scripturae locis probare studuit, „nos sola gratia Dei, non nostris meritis felicitate donari", haec subiunxit: „Quod autem in contrarium multi loci, quibus meritum asseri videatur, adduci possint, non inficiamur, sed ad eam semper confugiendum est regulam, quod sicubi eadem res et Deo et nobis accepta feratur, eam semper sententiam sequamur, quae ad gloriam Dei spectat, et nomen eius sanctificans illi omnia refert; non contra, istam quae nobis aliquid tribuit: tametsi Deus per benignitatem, qua nos numquam destituit, nonnumquam nobis tribuat, ut ministris et filiis suis, quae eius solius sunt." Praeterea cum sibi opposuisset, fidem ipsam esse meritoriam, cum aeternam felicitatem nobis ea acquirat et Christus saepius dixerit: *fides tua te salvum fecit*, Zwinglius respondit [6], fidem non esse opus, sed tantum quandam securi-

[1] Döllinger, Die Reformation III 88 sqq. (Libellus tamen, in quo Döllinger imprimis insistit: „Die Häuptartikel, durch welche die gemeine Christenheit bissher verführt worden ist", quamquam inter Lutheri Opera [Altenburg 1661, II 230 sqq; Eisleben 1536, I 120 sqq] interdum editus, Lutheri esse non videtur.) Riffel, Christliche Kirchengesch. I 42 sqq. Denifle, Luther I², Mainz 1906, 503 673 sqq.

[2] Omnia, quae apostoli de operibus iustitiae *legalis* Veteris Testamenti *ut talibus* dixerunt, Lutherus etiam ad opera christianorum bona et Dei amore perfecta transtulit, temere omnino sumens, idem de his ac de illis et eodem iure dicendum esse.

[3] Annotat. in Genes. (Opera V 118). [4] Annotat. in Exod. (ib. 275).

[5] Adv. Hieron. Emserum Antibolon (Opera III 140).

[6] Uslegen art. 20 (Opera I 277; Werke II 182): „Sprichst: Nun muß doch ie der gloube ouch ein verdienstlich ding syn: dann welcher gloubt, der wirt selig. Dann Christus spricht oft: din gloub hat dich gsund oder heil gmacht. Antwurt: Der gloub ist nüt anders weder ein gwüsse sicherheit, mit dero sich der mensch verlaßt in den verdienst Christi, und ist nit ein werk (wiewol jn Christus ein werk nennt Joh. 6, 29: hat ein ander meinung), sondern ein ruw und sicherheit in dem verdienst Christi. Welche sicherheit und vertruwen ouch nit von menschen kummt, sunder von gott: dann das wort Christi Joh. 6, 44 mag nit brechen, da er spricht: Nieman kummt zu mir, es habe jn denn min vater, der mich gesendet hat, gezogen." Ad quae Riffel (l. c. III 63) annotat: „Hier bemerken wir zu deutlich, wie die gerade bei dem Hauptpunkte der neuen Lehre, daß der Glaube allein selig mache, sich aufdringende Wahrheit gewaltsam niedergedrückt wurde. Oder glauben wir denn ohne unser Zutun? Dann ist aber auch der Unglaube nicht verdammungswürdig."

tatem et fiduciam in meritis Christi, non provenientem ab homine, sed a Deo solo. Rursus dixit[1], omnem nostram iustitiam esse Christum, ideoque nostra opera eatenus tantum bona esse, quatenus sunt Christi; quatenus vero nostra, non recta et bona esse. Christum autem nostram iustitiam esse hoc sensu ait[2], quod omnes legum partes, utpote quas nos non servare valeamus, ipse pro nobis tamquam nostri vicarius impleverit; quare eum, qui firmiter credat, tantam salutem per Christum nobis paratam esse, haud amplius premi lege, Deum plus quam alia omnia et toto quidem animo amandi, non irascendi, non concupiscendi alterius uxorem, cupiditates coercendi aliisque legibus, quamvis sciat, se eas non servare; Christum enim omne defectuum ipsius damnum sarcire, ipsumque nos a legis vindicta liberasse, atque etiam a peccato tum „quatenus morbus est", ita „ut nocere amplius nequeat, si Christo fidimus", tum quatenus „transgressio" est[3].

Similiter Calvinus hominum operibus etiam optimis quodcumque meritum directe abiudicavit, solique Dei benignitati aeternam hominis salutem ascripsit. Sane de ipso *meriti* nomine scripsit[4]: „Quicumque primus illud operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptavit, eum fidei sinceritati

---

[1] Uslegen art. 22 (Opera I 312; Werke II 238): „So nun Christus allein unsre grechtigheit ist, so sind ie unsere werk nit gerecht, nit gut, wie der ander teil diß artikels anzeigt: daß unsre werk so vil gut, so vil sy Christi; so vil sy aber unser, nit recht, nit gut sind."

[2] Uslegen art. 5 (Opera I 187; Werke II 39 sq): „Wenn ich nun festiglich gloub, ja weiß so groß heil mir in Christo Jesu behalten syn, so drucket mich das erst gebot nümmen: Du solt gott lieb haben us allen kräften, herz, seel, gmüt; so ich schon weiß, daß ichs nit erfüll: dann mine bresten ersetzt Christus all. Sunder das gebot richt mich uf in ein heilige verwundrung der göttlichen güte, und sprich in mir selbs: Sich, so hoch, wert und gut ist das höchste gut gott, daß alle unsere begirden nach jm angsten [sich sehnen] söllend, und das allein uns zu gutem. Daby tröst allweg nebend ynhin die gut botschaft: Ach, was du nit vermagst, als du warlich nüt vermagst, das thut alles Christus, er ist's alles, er ist vorder und hinder gransen [Vorder- und Hinterschiff]. Derglychen ist ouch ze reden von den andren gsatzen, namlich nit zornig werden, nit begeren ein ander wyb, gar nüt uf sich selbs halten, sich selbs verlöugnen und derglychen gsatze, von denen sich etlich klagend, sy syind schwerer denn im alten testament. Dann dise gsatz die beschwerend mich nümmen, sunder ich erlerne zum ersten an jnen, wie ein luter, unbefleckt gut gott sye, so ich sich, jn erforderen, daß nit nun böse werk vermiden werdind, sunder ouch, daß die gemüt und begirden von inwendigem zum aller reinsten und lütersten syind, daß er frylich daruf das wort hat geredt: Selig sind die da sind eins reinen herzens: dann sy werdend gott sehen; daß by jm niemans wonen mag, denn der nach sinem willen luter und los ist der fleischlichen anfechtungen und begirden. Und so ich min onmacht ermiß und find, daß ich der gstalt nit syn mag, noch nieman von jm selbs: so louft hie nebend ynher in mitten diser angst die gwüß gut botschaft: Christus ist din heil. Du bist nüt, du vermagst nüt, Christus ist anfang und end, er ist's alles, vermags' alles, dem getruw gwüßlich all din heil; sust werdend dich alle creaturen betriegen: dann sy mögend vor gott nit rein erkennt werden, und deßhalb für dich nit bezalen. Aber Christus der grecht, der unschuldig, macht dich rein, er ist die grechtigheit unser und aller dero, die ie vor gott sind gerecht worden."

[3] Comment. de vera et falsa relig. (Opera III 205).

[4] Instit. l. 3, c. 15, n. 2.

pessime consuluisse. . . . Certe ut est fastuosissimum, nihil quam *obscurare Dei gratiam* et homines prava superbia imbuere potest." Et paulo post haec addit[1]: „Gratiam Dei esse non dubium est quidquid in operibus est, quod laudem meretur: nullam esse guttam, quam proprie nobis ascribere debeamus: id si revera serioque agnoscimus, evanescit quaelibet meriti non fiducia tantum, sed opinio. Bonorum, inquam, operum laudem non, ut sophistae faciunt, inter Deum et hominem partimur, *sed totam, integram ac illibatam Domino servamus.* Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa quae bona erant, sua impuritate polluit et contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in iudicium, quae in humanis operibus optima sunt: suam in illis quidem iustitiam agnoscet, hominis vero dedecus et probrum." Et rursus dicit[2]: „Porro Scripturae doctrina est, aspersa esse perpetuo sordibus multis bona nostra opera, quibus merito Deus offendatur ac nobis succenseat: tantum abest, ut vel conciliare illum nobis queant, vel eius erga nos beneficentiam provocare . . .; quidquid ergo nunc in salutis adminiculum piis confertur, tum *ipsa beatitudo, mera est Dei beneficentia:* tamen et in hac et illis testatur se operum habere rationem, quia ad testandam erga nos dilectionis suae magnitudinem, non modo nos, sed *quae nobis largitus est dona,* tali honore dignatur." Et de Christo Calvinus ait[3]: „Utcumque simus adhuc in nobis stulti, ipse nobis coram Deo sapientia est; ut peccatores simus, ipse nobis iustitia; ut immundi simus, ipse *nobis puritas;* ut infirmi simus, ut inermes et satanae expositi, nostra tamen est quae ipsi data est in coelo et in terra potestas, qua pro nobis satanam conterat et inferorum portas confringat; ut corpus mortis adhuc nobiscum circumferamus, ipse tamen nobis vita est. Breviter, quod *omnia illius nostra sunt,* et nos in illo omnia habemus, *in nobis nihil.*" Addit praeterea Calvinus[4]: „Dicimus [eos homines] non iustificari *ex operibus, nec salutem mereri.*" Et de libertate christiana ait[5]: „Ubi conscientiae sollicitantur, quomodo Deum habeant propitium, quid responsurae sint, et qua fiducia constaturae, si ad eius iudicium postulentur: ibi non subducendum est, quid lex requirat, *sed unus Christus pro iustitia proponendus,* qui omnem legis perfectionem superat."

Quam porro falsa sit haec protestantismi auctorum doctrina de aeterna salute sola in Christum fide obtinenda, fusius demonstrare nec huius loci nec opus est, cum et ipsi plerique iam protestantes eam prorsus reiciant. Revera eius falsitas manifesta est vel ex hoc solo, quod Christus de iudicio ultimo et generali locutus (Mt 25, 31 sqq) non dicit, se interrogaturum esse homines, utrum in ipsum crediderint necne, sed ait, se iudicaturum esse secundum opera, quae fecerint aut omiserint; et ita quidem, ut, qui bene egerint, aeternam propterea vitam consequantur, qui vero bona opera non fecerint, *propterea* ad aeterna supplicia condemnentur. Solam enim bonorum operum omissionem iam ut sufficientem aeternae damnationis causam a Christo indicari, monstrat particula γάρ versu 42 adhibita. Qui autem Christus propter solam bonorum operum omissionem homines damnaturus esset,

[1] Ibid. n. 3. [2] Ibid. n. 4.
[3] Ibid. n. 5. [4] Instit. l. 3, c. 16, n. 1. [5] Ibid. c. 19, n. 2.

si Lutheri aliorumque protestantismi auctorum doctrina vera esset, qua solam fidem in Christum tamquam ad salutem aeternam consequendam necessariam dicebant? Num forte Christus in illo universali et magno iudicio inutilia exquiret, ipse qui vel otiosum verbum damnavit? Et aeque manifesto falsa apparet illa reformatorum doctrina ex hoc, quod Christus docuit (Mt 22, 37—38), primum et maximum mandatum in hoc consistere, ut homo Deum toto animo totaque mente diligat; ut autem huic suo Deum plus quam alia omnia diligendi officio homo satisfaciat, necessario Dei mandata observare et non violare debet. Quod patet tum per se, tum ex Christi verbis Io 14, 15: „Si diligitis me, mandata mea servate", et Mt 19, 17: „Si vis ad vitam ingredi, serva mandata", ac rursus ib. 7, 21: „Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum" necnon ex his, quae S. Ioannes 1 ep. 2, 4 5 dicit: „Qui dicit se nosse eum [Christum], et mandata eius non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est"; et ib. 5, 3: „*Haec est enim caritas Dei,* ut mandata eius custodiamus." Et quomodo secundum adversariorum doctrinam S. Paulus 1 Cor 6, 9 10 iure dixisset, neque fornicarios, neque fures et ebriosos etc. salvos fieri posse, nisi se penitus ad Deum convertant, cum etiam istiusmodi peccatores credere possint, Christum pro ipsis satisfecisse?[1]

Nec minus falsum est, quod illi protestantismi auctores saepe dixerunt, *Ecclesiae romano-catholicae doctrina meritum Christi* et Dei honorem *obscurari,* cum secundum hanc Ecclesiam ipsa virtus, qua opera nostra per se naturaliter bona Deo grata et meriti plena reddantur, sit ipsa Christi virtus, et omnium operum merita sint Dei dona.

Certe ait concilium Tridentinum[2]: „Cum ille ipse Christus Iesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent" etc. Et paulo post addit: „Absit, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse *merita,* quae sunt ipsius dona." Opera enim humana, quantumvis in ordine naturali bona, ad supernaturalem beatitudinem, quae secundum omnes christianos homini sola proposita est, assequendam adeo nihil per se valent, ut sint instar zero, quae, utut plurima, per se vel minimam summam numquam efficiunt. Sed quemadmodum illa zero, quamprimum iis unitatem praeponas eamque cum illis coniungas, continuo ab ea

---

[1] Cf. de hac re etiam Aug., De diversis quaestionibus quaest. 75 (ML XL 87); De Dulcitii quaestionibus quaest. 1 (ib. 1503 sqq); De fide et operibus c. 15 (ib. 212 sqq).

[2] Sess. 6, decr. de iustific. c. 16 (Denzinger-Bannwart n. 809 sq).

numeri virtutem mutuantur, et eo maiorem quidem numerum efficiunt, quo plura ipsa sunt: ita et ipsa christiani opera per se naturaliter tantum bona, ideoque in ordine supernaturali et coram Deo invalida, cum *unitate*, quae Christus cum infinito suo merito nobis est, vere coniuncta etiam ab ipso omnem virtutem, qua Deo grata sint et valeant, accipiunt et mutuantur. Itaque cum secundum Ecclesiae romano-catholicae doctrinam solo merito Christi omnibus hominum meritis sua constet virtus et efficacia supernaturalis, illa doctrina merito Christi nullo modo derogat, sed illius virtutem tam validam et efficacem exhibet, ut etiam infinite multa christianorum opera per se sola prorsus invalida coram Deo valida et grata efficiat, hincque eam maxima omnino in luce ponat. — Neque ista Ecclesiae catholicae doctrina hominum superbiam fovet, cum secundum allata Tridentini concilii verba opera Deo grata et meritoria non ex sola propria hominis virtute proficiscantur, sed maxime ex Dei gratia, benigna quoque promissione et venia, qua iustificati a Deo accipiunt virtutem peragendi opera ista bona et vincendi diabolicas tentationes, haud utique a Deo ad id coacti, sed ipsius adiutorio adiuti, libera voluntate bene agentes. Sed haec breviter dixisse sufficiat.

Proprie autem huic loco convenit annotare quantam *morum corruptionem ex istis reformatorum doctrinis exoriri necesse fuerit.* Negandum quidem non est, protestantismi auctores, et maxime Calvinum et Lutherum, admonuisse suos asseclas, ut bonam et honestam vitam agerent, licet hae admonitiones aperte pugnarent cum reformatorum doctrina de servo arbitrio, praedestinatione absoluta, incuria emendationis, bonorum operum inutilitate. Quinimmo Calvinus bona opera adeo necessarios fidei fructus dixit, ut hanc sine illis nullam esse affirmaret. Atque etiam Lutherus nonnumquam docuit, fidem quae bona opera non producat, veram non esse, quamquam deinde rursus concedebat, rectam fidem ita adesse posse, ut bona tamen opera negligantur [1].

Pessimam autem morum corruptionem ex allatis supra protestantismi parentum doctrinis sequi debuisse patet. Nam cum homines natura ad peccandum sint valde proclives eorumque plerique variis malis cupiditatibus pleni multisque ac magnis omnis generis peccandi illecebris ac periculis circumdati, fit sane, ut etiam eorum, qui et libertatem humanam admittunt et opera bona ad aeternam salutem consequendam iis, qui rationis usus compotes sunt, plane necessaria esse agnoscunt, quam plurimi malae vitae se dedant, qui quamvis abundent subsidiis et ad meliorem frugem redeuntes ad Deum sese convertere facile possint, nonnumquam tamen aut admodum sero, aut etiam prorsus numquam a gravibus peccatis abstineant. Quae cum ita sint, quales quaeso, mores erunt illorum, qui illas quas enumeravimus protestantismi doctrinas secuti persuasum habent, ad bona opera facienda penitus se ineptos esse, omni libertate se carere, morum suorum emendationi non debere se studere, sed hanc curam

[1] Cf. Döllinger, Die Reformation III 101.

soli Deo esse relinquendam! Qui porro a Deo aut ad salutem aut ad poenam aeternam immutabili decreto se praedestinatos esse existimant, fidem etiam solam in Christum ut redemptorem ad beatitudinis consecutionem ita plene sufficere putant, ut bona opera nec necessaria sint, nec quidquam ad eam conferant? Nam si considerantur homines non quales esse debent, sed quales reapse sunt: leves, delectationum, voluptatum, divitiarum et gloriae cupidi, invisibilis Dei obliviosi rerumque fluxarum oculis praesentium malisque cupiditatibus faventium studiosi: num putandum est, si illas doctrinas persuasas habeant, eos vitae a peccatis purae bonorumque operum curam habituros? Nonne potius dicant: fruamur, quantum possumus, huius vitae bonis et voluptatibus, ac rerum futurae vitae incurii rebus huius praesentis vitae pro lubitu utamur: nihil enim peccata nobis nocebunt, nihil etiam virtutes et bona opera proderunt; quid iam de his vel illis solliciti esse debemus? Si damnamur in altera vita ad poenas, praesentis saltem vitae gaudiis fruamur. Si vero ad vitam aeternam electi sumus, eo melius: tum enim gravissima quoque peccata nostra eam electionem non irritam reddent, atque ita et in hac et in altera vita felices erimus. Certe hac vel simili ratione ad peccandum animati isti, si forte non omnes, plerique tamen peccata gravia plurima, quamdiu ipsis licet, committent, evadentque homines pessime morati[1].

Nec opponas, amore certe et animo grato erga Deum tam benevolum et misericordem ipsos ad bonam et honestam vitam permoveri posse et debere. Licet enim aliqui forsitan his rationibus moti honeste non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo omniscio vivere studeant, sunt illi tamen relative valde pauci, cum maior hominum pars adiuvari etiam debeat metu aeternae damnationis, quam si velint, evitare possint. Et ii ipsi, qui perfectione illa erga Deum amoris ad virtutum studium efficaciter et continenter ac semper moventur, sunt fere hi soli, qui in ipsius perfectionis christianae

---

[1] Neque ipse Zwinglius dissimulavit, ex doctrina de solius fidei in Christum sufficientia ad salutem facile consequi, ut maxima hominum levitas oriatur bonaque opera ad delendas peccatorum poenas alias suscepta prorsus omittantur. Nec tamen quidquam aliud habuit, quod responderet, quam hanc esse summam evangelii, et ubi vera sit fides, quae a caritate non plane possit esse separata, ibi esse etiam Deum, et ubi Deus sit, ibi non peccari nullamque levitatem reperiri. Ait enim Uslegen art. 5 (Opera I 187sqq; Werke II 40): „Hie werfend aber die fürwitzigen diser zyt herfür dise ynred: Dise leer macht lychtferig lüt. Dann stat es alls in dem bezalen Christi, so wirt ein ieder in den hof zeeren [sich darauf zu gut tun], das ist hufechtig [haufenweise] sünden: dann Christus bezale es alls. Zum andren, so wirt vil guts ungethon blyben, mit dem die menschen jr sünd pflegend abzetilgen, das aber dem nächsten ouch schaden und nachteil bringen wirt: dann vil mit almusen und handreichung dem nächsten ze hilf kummend, das alles underlassen wirt der wys [auf diese Weise], so sich iedermann allein an Christus halten soll. Antwurt: Wirf du herfür, was du willt us diner fürwitz; us liit nüt daran: das ist die summ des evangelii. . . . Sich [sieh], wo der war gloub ist (der von der liebe nit abgescheiden, sunder on gewüsse hoffnung und liebe dhein gloub ist), da ist gott. Wo nun gott ist, was darf ich da sorgen, daß man sünde oder lychtferig werd?“

palaestra dudum multumque exercitati ad magnam iam vitae puritatem solidamque virtutem pervenerunt, quique etiam secundum S. Scripturae consilium „novissima“ sua, si non „in omnibus operibus suis“, saepe tamen et serio meditantur, nec umquam eorum memoriam abiciunt. Quotus autem quisque in hominum vulgo talis invenitur christianus? Ergo qui homines spectat, quales vere sunt, et ita quidem illis protestantismi parentum doctrinis imbutos, ut revera secundum eas vitam suam instituant, nonne fateatur necesse est, eos non posse non in deterius iis doctrinis immutari?

Quae cum ita sint, istae doctrinae *dogmaticae* atque *morales* adeo non possunt *sanctae* vocari, ut vere impiae et bonis moribus exitiosae habendae sint. Quare illae solae sufficiens argumentum sunt, quo probetur, protestantismi auctores nullatenus ad reformandam Christi Ecclesiam divinitus missos esse.

Vitae autem *christianae* et *doctrinae asceticae* praecipue Lutherus nonnulla documenta reliquit, quae magistrum divinitus missum certissime prorsus dedeceant.

Primum enim docuit Lutherus [1], christianum, si modo credat in Christum redemptorem, liberum prorsus esse *ab omni lege morali caritatis Dei et hominum*, ita ut, quemadmodum iam a. 1519 in prima editione Commentarii in ep. S. Pauli ad Galatas dixit [2], fide illa excepta, ipsi „cetera omnia liberrima, neque praecepta amplius neque prohibita“ sint. Evangelium enim, ait ibidem [3], non praedicat instar legis facienda et omittenda, sed tantum „peccata remissa et *omnia* impleta factaque“, nec Christum fuisse legislatorem, sed solum „legis impletorem“ [4]. Unde conclusit, Moysem, in quem vehementissime invehitur, cum lege sua omnino ablegandum esse, et firmissime tenendum, si Christus ipse videatur specie irati iudicis aut legislatoris rationem vitae anteactae exigentis apparere, eum furiosum esse diabolum, non Christum. Qua doctrina Lutherus id maxime spectavit, ut omnes conscientiae morsus exstingueret, immo impediret, quominus homo peccatorum suorum umquam conscius fieret; voluit igitur, ut homo fide sola in Christum salutis suae aeternae omnino certus ideoque securus viveret, evitans tantum peccatum hoc unum diffidentiae illius, qua certa illa fides et fiducia amitteretur [5].

Deinde a. 1521 Melanchthoni, qui, ut ex initio epistulae apparet, ipsi scripserat, „idem esse de sacerdotum et monachorum voto statuendum“, scil. sacerdotibus aeque ac monachis non licere matrimonium inire, Lutherus respondens, sacerdotibus licitum esse matrimonium, dubium autem sibi videri, utrum idem etiam monachis aetate iam provectis permissum sit, aliisque de Eucharistiae sub utraque specie sumptione interiectis, ad finem epistulae haec scripsit [6]: „Si gratiae praedicator es, gratiam non fictam, sed veram praedica, si vera gratia est, verum, non fictum peccatum ferto. Deus non facit salvos ficte peccatores. Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi: peccandum est, quamdiu

---

[1] Döllinger l. c. 34—51. Riffel l. c. I 43—50.
[2] Fol. 16b (ed. Irmischer III, Erlangen 1844, 210; Werke: Weim. II 485).
[3] Fol. 7b (Irmischer 171; Weim. 466).
[4] Fol. 20b (Irmischer 227; Weim. 494).
[5] Cf. hac de re Döllinger l. c. 43 sqq.
[6] De Wette II 36 sqq.

sic sumus. Vita haec non est habitatio iustitiae, sed exspectamus, ait Petrus, coelos novos et terram novam, in quibus iustitia habitat. Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriae Dei agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies uno die fornicemur aut occidamus. Putas, tam parvum esse pretium et redemptionem pro peccatis nostris factam in tanto ac tali agno? Ora fortiter: es enim fortissimus peccator." Quibus verbis Lutherus licet non simpliciter, sed sub conditione Melanchthonem ad fortiter peccandum hortatus sit, et vim redemptionis ac gratiae divinae voluerit extollere, ea tamen ratione id fecisse dicendus est, quae per se ad peccandum graviter ac saepe incitabat quam maxime. Quare Lutherus, qui tanta vehementia Ecclesiae romano-catholicae de indulgentiis doctrinam impugnavit, mira profecto sorte, indulgentiam omnium, quae cogitari possunt, plenissimam et quam maxime quidem insolentem ipse statuit, eam nimirum, qua non solum, ut indulgentiis Ecclesiae catholicae, peccatorum iam vere remissorum superstites poenae temporales, sed etiam *ipsa peccata eaque gravissima et innumera* facillime, scil. sola fide in Christi meritum et satisfactionem remitterentur. Quinimmo haec Lutheri indulgentia fuit verissima immunitatis tabula pro peccatis etiam omnibus futuris, utut gravibus ac multis, excepto uno tantum infidelitatis peccato, illo scil., quo christianus illam plenam fiduciam in Christum redemptorem abiecisset.

Tum cum Hassiae princeps Philippus, homo adulter, a Luthero et Melanchthone petiisset, ut vivente priore uxore alteram ducere sibi liceret, et in literis suis supplicibus etiam indicasset se, si ab ipsis hanc licentiam non obtinuisset, velle „apud Caesarem pro hac re instare per mediatores" et per eum R. Pontificis dispensationem obtinere, Lutherus cum Melanchthone aliisque sociis, quamquam polygamiam generatim inter suos induci nolebat, pro Hassiae principe tamen veniae locum esse censuit, sed ita, ut secundum istud Philippi matrimonium *secreto*, paucis hominibus tamquam testibus adhibitis et ad silentium „sigillo confessionis" obstrictis contraheretur semperque secretum servaretur [1]. Ipse igitur, qui alias adeo reclamaverat, quod R. Pontifex dispensationem certarum legum ab *Ecclesia* latarum concederet, cum nulla prorsus a lege solvendi potestate iure instructus esset, solvere ausus est Philippum a lege, quae ab omnibus christianis divinae originis habetur. Sed nimirum, ut Lutherus in responso ad Philippi supplicem libellum dixit [2], sua ecclesia „paupercula et misera, exigua et derelicta" erat „indigens *probis dominis regentibus*", nec etiam ipse volebat, ut res apud Caesarem tractaretur, „utpote", ut ait, „perfidum ac fallacem virum morisque germanici oblitum" [3], scil. catholicum et ipsius innovationi adversum. Et cum de his adulteris nuptiis fama brevi vulgaretur, Lutherus simulavit, se nihil de iis scire [4]. Praeterea Lutherus

---

[1] De hac re cf. J. Janssen, Gesch. des deutschen Volkes III [18], Freiburg 1899, 450 sqq.

[2] Apud De Wette V 237. [3] Ibid. 241.

[4] Cf. Lutheri ep. ad Lauterbach (De Wette V 290 292). — Obiciunt aliqui, Lutherum ita egisse nixum doctrina catholicorum de sigillo confessionis. Confessario scil. licere, ea quae ex sola confessione sciat, palam interrogatum, sibi cognita esse negare. Sed sigilli sacramentalis obligatio restringitur ad ea, quae in confessione declarata sunt. Nullo modo autem Philippus Luthero sacramentaliter confessus erat; atque Lutherus expresse edicit, ob bonum finem mendacium licitum esse (cf. N. Paulus in Histor.-polit. Bl. CXXXV, München 1905, 317 sqq).

etiam Henrico VIII regi Angliae repudium uxoris suae Catharinae meditanti scripserat[1]: „Antequam tale repudium probarem, potius regi permitterem, alteram reginam quoque ducere et exemplo patrum et regum duas simul uxores seu reginas habere.“ Praeterea Lutherus generatim polygamiam etiam christianis non esse vetitam docuit[2].

---

[1] Apud De Wette IV 296. Idem suaserat regi Melanchthon (Janssen l. c. 452).

[2] Sic v. g. dicit 1528 in disputatione de digamia episcoporum: „Nota sunt iura mosaica de fratris defuncti uxore et de filia corrupta invito patre, quae cogunt plurium esse uxorum virum. Quae non magis sunt abrogata quam reliqua omnia, i. e. libera, nec prohibita nec praecepta“ (Opera lat. varii argumenti IV, Francof. ad M. 1867, 368; Werke: Weim. XXVI 523). Et explicans Gn 16 quaerit: possitne vir plures uxores habere, et concludit, id licet non sit consulendum, non esse prohibitum: „Aber es ist nicht verboten, daß ein Mann nicht mehr denn *ein* Weib durfte haben. Ich künnte es noch heute nicht wehren, aber rathen wollt ichs nicht“ (Predigten über das erste Buch Mosis I: Werke Erl. XXXIII 324; Weim. XXIV 303 sq). Cum Karlstadt alicui permisisset, ut alteram uxorem vivente priore duceret, Lutherus hac de re consultus 27 ianuarii 1524 respondit: „Ego sane fateor, me non posse prohibere, si quis plures velit uxores ducere, nec repugnat sacris literis; verumtamen apud christianos id exempli nollem primo introduci“ (De Wette II 459; Luthers Briefwechsel, bearb. von E. L. Enders IV, Calw-Stuttgart 1891, 283). Verum est, cum anno 1541 Philippus Hassiacus dialogum fecisset scribi, quo polygamia defendebatur, Lutherum contra hunc libellum scribere et iterum contra se ipsum dicentem, demonstrare coepisse, exempla ex Vetere Testamento allata pro polygamia christianorum nihil probare. Sed Philippo vetante libellum suum Lutherus in lucem non edidit, atque in colloquio cum eo se tantum argumenta dialogi agressum esse, non vero ipsam liceitatem bigamiae dixit. — Obiciunt protestantes, etiam cardinalem Caietanum docuisse, polygamiam non contra legem naturae esse, ac legem de unitate matrimonii nullibi in canonicis libris esse scriptam. At cardinalis Caietanus polygamiam licitam non putabat, sed expresse contrarium statuit. Agens enim in sua summula de peccatis (Paris. 1530, f. 211) de impedimentis matrimonium dirimentibus, cum omnibus theologis agnoscit impedimentum ligaminis. Obiciunt porro, etiam Clementem VII R. Pontificem Henrico VIII bigamiam suasisse. Quod verum non est. Summum illud fortasse dici potest, Clementem in colloquio privato aliquando dubium hac de re haesitasse. Cf. de tota hac re Pastor, Gesch. der Päpste IV 2, Freiburg 1907, 508; N. Paulus in Histor.-polit. Blätter CXXXV, München 1905, 87 sqq.

Nec dici debet, hunc reformatorum errorem posterioribus protestantibus non nocuisse; eo enim id effectum est, ut non pauci principes protestantes bigamiam sibi licitam esse defenderent. Princeps elector Saxoniae Georgius IV († 1694) concubinam, quam vivente uxore sibi elegerat, legitimam uxorem habuit, et de ea scripsit, sibi secundam uxorem habere et ex ea liberos generare licitum esse, cum in Sacra Scriptura duae uxores non vetentur et exempla exstent, quae „a nostris ecclesiis“ id concedi demonstrent (K. A. Menzel, Neuere Gesch. der Deutschen seit der Reformation IV, Breslau 1855, 519). Cum rex Borussiae Fridericus Guilelmus II († 1797) vivente uxore aliam superducere vellet, pastores protestantes provocantes ad reformatores et Philippum Hassiacum id regi concesserunt et matrimonio assistentiam suam praestiterunt. Cum vero mortua illa secunda uxore, vivente priore, iterum aliam idem rex duceret, iterum a ministro protestante hoc matrimonium benedictum est (Allgem. deutsche Biographie VII 699). Eberhardus Ludovicus dux Wirttembergicus († 1733) licet matrimonio ligatus concubinam suam 1707 altero matrimonio sibi iungere attentavit, quam a. 1710 imperatoris praecepto saltem ut uxorem dimittere coactus est (ib. V 562). Carolus Ludovicus princeps elector

Denique Lutherus non minus singularem prorsus doctrinam asceticam tradidit respectu *modi, quo et animorum morbi curandi et tentationes fugandae ac vincendae essent.* Certe ad Hieronymum Weller, animi moestitia praecipue afflictum, Lutherus a. 1530 haec scripsit[1]: „Quoties istis cogitationibus te vexaverit diabolus, illico quaere confabulationem hominum, aut largius bibe, aut iocare, nugare aut aliquid aliud hilarius facito. Est nonnumquam largius bibendum, ludendum, nugandum, atque adeo peccatum aliquod faciendum in odium et contemptum diaboli, ne quid loci relinquamus illi, ut conscientiam nobis faciat de rebus levissimis; alioqui vincimur, si nimis anxie curaverimus, ne quid peccemus. Proinde si quando dixerit diabolus: noli bibere, tu sic fac illi respondeas: atqui ob eam causam maxime bibam, quod tu prohibes, atque adeo largius in nomine Iesu Christi bibam. Sic semper contraria facienda sunt eorum, quae satan vetat. Quid causae aliud esse censes, quod ego sic meracius bibam, liberius confabuler, commesser saepius, quam ut ludam diabolum ac vexem, qui me vexare et ludere paraverat. Utinam possem aliquid insigne peccati designare modo ad eludendum diabolum, ut intelligeret, me nullum peccatum agnoscere ac me nullius peccati mihi esse conscium. Omnino totus decalogus amovendus est nobis ex oculis et animo, nobis, inquam, quos sic petit ac vexat diabolus." Et rursus Lutherus dixit[2]: „Quisquis satanicas illas cogitationes aliis cogitationibus, ut de puella pulchra, avaritia, ebrietate etc. pellere potest, aut vehementi aliquo irae affectu, huic suadeo; quamvis hoc summum est remedium in Iesum Christum credere illumque invocare." Alios insuper tentationes contemptu vincendi modos, suum aliorumque exemplum proponendo, docuit Lutherus non solum quam maxime ridiculos, sed etiam vere absurdos ac turpes[3].

Itaque ex omnibus religiosis christianorum coetibus ab Ecclesia romano-catholica separatis et adhuc exsistentibus illi protestantium quam maxime sanctitate doctrinae destituti sunt.

V. Nulli istorum coetuum vere competit sanctitas finis propositi. Nam finis eorum omnium *proximus* ac *primarius* manifesto hic est, ut se tales, quales sunt. i. e. ut *schismaticos* vel *haereticos* conservent latiusque diffundant, i. e. ut impugnent et impediant, quantum valent, apostolicam Ecclesiam romano-catholicam eiusque regimen et magisterium a Christo institutum. Hic autem finis secundum ea, quae hactenus diximus, evidenter tantum abest, ut sanctus sit et dici possit, ut sanctitati et *ultimi* finis consecutioni, scil. gloriae Dei

---

Palatinus († 1680) prius quam a legitima uxore separaretur, aliam ducere ausus est (ib. XV 329). Etiam Daniae rex Fridericus IV († 1730), fundator primae missionis lutheranae inter gentiles, superstiti uxori alteram superduxit (G. Plitt, Kurze Gesch. der luther. Mission, Erlangen 1871, 96).

[1] Apud De Wette IV 188.

[2] Döllinger, Die Reformation III 257. Locus ille invenitur in ea colloquiorum (Tischreden) Lutheri editione (latina), quam compilavit Rebenstock, usus in compilatione hac notis ex ipsius Lutheri ore ab eius discipulis scripto exceptis. In ipsis illis notis originalibus (partim saltem adhuc exstantibus et nuperrime publici iuris factis) similia et vel magis turpia inveniri ostendit H. Denifle, Luther und Luthertum I², Mainz 1906, 779 sq.

[3] Tischreden l. c. P. 1, f. 650 665a 674b 675b 680a 405a 711b sq.

et aeternae hominum saluti, per se repugnet. Illum tamen finem suum proximum singuli illi coetus ingenti cura ac diligentia omni loco omnique tempore assequi studuerunt et hodie magis quam umquam assequi ubique gentium student. Quis igitur satis aestimare valeat, quantum ipsi verae religionis Christi propagationem hominumque aeternam salutem impedierint praedicando falsam doctrinam et impugnando omnibus quibus poterant rationibus apostolicam Ecclesiam, romano-catholicam? Quantumvis igitur singuli istorum socii possint bona fide subiectiva atque moti rationibus, quae bonae iis videntur, multa agere ad suae religionis propagationem et conservationem hominumque salutem procurandam, propositus tamen *illis singulis et universis coetibus* finis *primarius ac proximus* est perversus, ideoque maxime ineptus ad ultimum Ecclesiae Christi finem consequendum.

VI. Neque ullus istorum coetuum ratione subsidiorum ad homines sanctos reddendos perfecta illa sanctitate pollet, quae Ecclesiae Christi propria est. Nam

1. ratione eius subsidii, quod situm est in integra ac pura Christi doctrina, id patet ex iis quae modo diximus. Eorum enim nullus illam doctrinam totam ac puram possidet, et veteres protestantes insuper professi sunt doctrinas, quae non solum ipsius hominis sanctitatem impossibilem reddunt, sed etiam morali necessitate vitiorum fontes sunt. Recentiores autem protestantium coetus a Luthero, Calvino aliisque primis protestantismi auctoribus plus minusve recedentes nihilo magis respectu doctrinae sancti sunt, utpote qui positivam christianae religionis doctrinam magis magisque dereliquerunt et vel rationalismo imbuti sunt, vel aliis erroribus interdum turpissimis, uti v. g. mormones. Insuper distinctionem inter peccatum grave et veniale Calvinus et Lutherus penitus reicientes falsissime omnia, etiam minima peccata gravia esse docuerunt[1] sicque erroris quam maxime vitae christianae nocivi auctores fuerunt.

2. Nec melior est protestantium coetuum conditio ratione aliorum subsidiorum, quibus eorum socii ad sanctitatem adipiscendam uti possint. Certe non solum ieiunia, voluntariae virginitatis et generatim omnium evangelicorum consiliorum observantiam reiecerunt, sed etiam carent tum sacrae confessionis instituto ad hominum sanctitatem promovendam quam maxime efficaci, tum sacrificio et augusto Dei cultu atque salutari matrimonii indissolubilitate. Immo cultus divinus apud protestantes generatim tam ieiunus atque exiguus est, ut maxima

[1] Calvini Instit. l. 3, c. 4, n. 28; Lutheri Confitendi ratio, ubi f. 3a (Opera lat. varii argumenti IV 161; Werke: Weim. VI 163) haec leguntur: „Quin hoc est mortalium [peccatorum] mortalissimum, non credere se esse damnabili et mortali peccato obnoxium coram Deo. Ad quam insaniam isti theologi hac regula sua nituntur data opera et perditissime trahere hominum conscientias, dum docent, venialia esse distincta a mortalibus, suo scil. more.“ Cf. hac de re etiam Schenkel, Wesen des Protestantismus II 73 sqq.

eius pars constet sermone sacro, qui insuper, cum concionatores totam doctrinam apostolicam non cognoscant, et quid doctrina apostolica contineat incerti sint, generatim iam valde aptus esse non potest, ut homines ad sanctitatem adducat. Praeterea cur protestantes, literati praecipue, istas conciones frequentare debeant, cum ex primariis religionis suae principiis ipsi singuli instructi sint non solum iure, sed etiam officio singulas doctrinas examinandi, in S. Scripturam proprio examine inquirendi, nihil quod ipsorum rationi non probetur, admittendi, de omnibus tandem definitivam sententiam ferendi? Quae cum ita sint, sane minime mirum videtur, quod protestantes magis magisque a vero Dei cultu atque etiam ab omni positiva religionis christianae doctrina deficiunt, quodque multis in locis ac maxime in urbibus eorum multitudo maxima cultum divinum iam non frequentat.

Schismatici porro et haeretici coetus Russorum, Graecorum aliorumque orientalium possident quidem multa, tametsi non omnia istiusmodi subsidia, quae Ecclesia romano-catholica habet; sed eorum praecipua ita sunt apud eos comparata, ut nullius aut certe multo minoris efficaciae sint quam apud catholicos.

Primum enim ipsorum sacerdotes, exceptis episcopis et iis qui in monasteriis degunt, omnes, antequam sacerdotio initiantur, matrimonium contrahunt atque ideo multis molestiis, curis atque negotiis saecularibus implicati pastorali suo officio, ut decet, vacare vix possunt. *Deinde* illorum omnium coetuum sacerdotes literis et theologiae doctrina scientifica valde parum instructi sunt. Unde fit, ut nec munere oratoris sacri atque catechistae nec confessarii bene fungantur, atque raro sermones sacri habeantur pariterque usus sacramenti poenitentiae rarus sit. Praeterea sacerdotes cum pauperes valde sint, res ecclesiasticas pro pretio vendunt vel artibus sordidis victum quaerere coguntur. Accedit, quod filius sacerdotis rossiaci et ipse sacerdos fieri quasi cogitur, uxoremque item ex filiabus sacerdotum sibi quaerit. Unde sacerdotes saeculares veram tribum segregatam constituunt, quae etiam a moribus non bene audire dicitur. Ordines autem religiosi vero perfectionis christianae studio non excellunt, atque vix ex iis vir scientia vel probitate vel rebus gestis insignis nominari potest[1].

VII. Nullis istorum coetuum debita ac plena Christi Ecclesiae sanctitate vitae internae et externae insignitus est. Nam

1. quod ad vitam internam spectat, plena eius sanctitate ne unus quidem istorum coetuum ornatur, eo quod eorum nullus perfectam et omnem doctrinam apostolicam profitetur, sed singuli plures paucioresve doctrinas docent, quae doctrinis infallibilis a Christo instituti magisterii repugnant ideoque falsae sunt, insuper protestantismi

[1] Plura de his vide apud J. Wiggers, Kirchl. Statistik I, Hamburg-Gotha 1842, 242 255 264; Döllinger, Kirche und Kirchen², München 1861, 161 sqq; Silbernagl, Verfassung und Bestand sämtlicher Kirchen des Orients², Regensburg 1904, 236 297 312; Schlosser, Die morgenländ. orthodoxe Kirche Rußlands und das europäische Abendland, Heidelberg 1845; Gagarin, Le clergé russe, Bruxelles 1871; Anatole Leroy-Beaulieu, L'empire des tsars et les Russes. III: La religion, Paris 1889, deutsch von L. Pezold und Joh. Müller, Sondershausen 1890 (etiam in periodico Revue des deux mondes, mars 1874 usque juin 1875).

auctores plura docuerunt, quae cum ipsa sana ratione pugnant et bonis moribus periculosa sunt. Praeterea in compluribus certe coetibus orientalium schismaticis fideles aut numquam aut raro verbi divini praedicatione instruuntur. Vix ulla etiam in illis coetibus celebrantur concilia et sacerdotum conventus, quibus tum sacerdotes ipsi, tum fideles ad fervorem in vita christiana et ad virtutum cultum incitentur. Atque hinc consequitur

2. neque respectu vitae externae coetus illos debita sanctitate insignitos esse. Tametsi enim libenti animo ultro concedimus, in singulis christianorum coetibus a romano-catholica Ecclesia separatis multos adultos esse, qui non solum vera persuasione bonaque fide credant, religionem suam veram esse, sed etiam honesto et christiano modo vivant, ideoque aeternam salutem consequantur, tamen ex iis, quae de clero et monachis in Russia, Turcia aliisque orientalibus coetibus referuntur, satis concludere licet, externam illorum coetuum vitam generatim non esse admodum sanctam. Cum vel in iis Ecclesiae romano-catholicae regionibus, in quibus et fideles frequenti verbi Dei praedicatione et bono ac frequenti confessionis usu bene in religione instituuntur atque ad vitiorum fugam ac virtutum cultum multum vehementerque excitantur, et sacerdotes ac monachi egregii illustri christianae vitae exemplo fidelibus praelucent, nonnulli tamen breviore aut longiore tempore male vivunt: quot necesse est sint homines moribus corrupti ac pessimi christiani, ubi ista bonae vitae exempla et incitamenta fidelibus fere desunt, mala vero abundant? Nec sane obest, quod isti schismatici et haeretici certos externos christianorum ritus religiose observant; haec enim sola observantia non magis eos bonos et animo puros christianos esse probat, quam olim iudaeorum ac maxime pharisaeorum observantia externa legis mosaicae eos coram Deo omniscio probos effecit. Tametsi enim istorum rituum observantia negligenda non est, christianum tamen verum ea sola non efficit, sed solum coniuncta cum interna vera et vivida fide et caritate Dei et hinc cum vitiorum fuga, malarum cupiditatum superatione et studioso christianarum virtutum cultu. Idque de Russis et orientalibus eo magis valet, quod illi natura et institutione in acceptis semel ritibus externis observandis sunt tenaces ac constantes. Nota vero est etiam Russorum ebrietas et magistratuum praesertim venalitas necnon, et praecipue quidem hominum altioris conditionis, luxuria; nota mala Graecorum et Armenorum fides et fraudulentia.

Quod porro ad protestantes attinet, laudabiles nonnullorum ex ipsis mores publicos non modo non negamus, sed etiam miramur, idque eo magis, quod omni paene religionis positivae auxilio destituti, non obstante malo longe maioris multitudinis exemplo, ducti bona indole, sana ratione, lege, pudicitia naturali, adiuti insuper bona educatione et magno Dei auxilio, atque nonnumquam saltem occulta

et ipsis ignota Ecclesiae romano-catholicae in eorum vicinia existentis efficacia atque exemplo, *sua ipsorum primitiva religione longe meliores* evaserunt. Haec enim religio cum nativam vim in primordiis suis, ut fieri assolet, maxime proderet atque omnibus manifestam faceret, eos asseclarum suorum mores produxit, qui a vitae sanctitate longissime absunt, ita ut vel ipsos protestantismi auctores suae doctrinae effectuum summopere puderet. Et vero, ut nihil dicam de reiecta virginitate, de Ecclesiae romano-catholicae spoliatione, sacerdotum et monachorum aliorumque catholicorum vexatione ac caede non rara: nihil de impudenti primorum protestantium quaelibet sentiendi, dicendi agendique libertate; nihil de Muenzeri et anabaptistarum, qui omnes ex nova libertate evangelica originem duxerunt, deliriis, perditissimis moribus ac tumultibus[1]; nihil etiam de rusticorum rebellione aliisque malis ex illa religionis innovatione exortis: ipsis Lutheri aliorumque protestantium testimoniis luculentissime constat, ex ficta tantumque iactata religionis reformatione pessimos mores ortos esse, hominesque ei adhaerentes multo peiores evasisse, quam antea fuerant[2]. Quae quidem res novum invictumque argumentum est, quo

[1] Cf. de iis Riffel l. c. II 580 sqq.

[2] Certe J. B. G. Galiffe (Nouv. pages d'histoire exacte 89 nota 2) de Geneva scribit: „Sans doute les édits calvinistes contenaient contre les paillards et les adultères des dispositions très-sévères . . ., mais l'effet de ces lois allait à fins contraires de leur but par les exceptions continuelles qu'on leur faisait subir, soit en faveur des membres influents du parti régnant, qui s'en tiraient avec une légère amende, soit surtout en faveur du Refuge français. . . . Trop souvent on vit des époux adultères, des deux sexes, non pas condamnés, mais autorisés, *à leur demande*, à épouser leurs complices, mariés ou non: ou bien des femmes, prétextant l'impuissance de leurs maris, réussir à se faire livrer en mariage au double adultère qui avait su faire ses preuves avec elles; ou encore, et c'était le cas le plus fréquent, des réfugiés, sciemment mariés, convoler à de nouvelles noces pour ainsi dire le lendemain de leure arrivée, lorsqu'ils étaient arrivés seuls. Trop souvent aussi on découvrit par les plaintes des intéressés lésés, que tel ou tel ménage, aux dehors parfaitement respectables, ne datait que des incidents de la route ou de circonstances encore moins recommandables. . . . Le plus simple bon sens fera comprendre qu'un pareil état des choses ne pouvait manquer d'augmenter l'immoralité dans des proportions effrayantes, et c'est ce qui eut lieu." Et ibidem paulo post Galiffe de Beza haec addit: „S'il réussit à diminuer le nombre des scandales publics, ce fut au profit de l'immoralité secrète, dont les preuves ne furent jamais plus fortes et plus nombreuses que précisément à l'époque où l'on aurait dû arriver enfin aux résultats tout opposés, si le système calviniste avait été ce qu'il aurait dû être." Et ib. p. 88 idem scriptor dicit: „Nos historiens ecclésiastiques eux-mêmes déclarent que, pendant toute la première époque calviniste jusqu'à plusieurs années après le retour de Calvin, ainsi donc pendant que les Genévois proprement dits se trouvaient encore en majorité, les manquements contre les édits sur les mœurs furent rélativement rares, exceptionnels pour ainsi dire et de peu d'importance. Mais ce que ces historiens se gardent bien de nous dire, c'est que ces exceptions concernent déjà alors avant tout les familles calvinistes par excellence, sans en excepter celles des principaux magistrats de ce parti", idque in subiecta nota multis exemplis monstrat. Necnon Quelques pages d'histoire exacte p. 95 idem scriptor ait: „Vers la fin de a carrière du réformateur, alors qu'il s'agit de rendre compte de la lutte des Cal-

protestantismi falsitas demonstratur. Quemadmodum enim, ut Christus dixit, ex malis fructibus necessario concludendum est arborem non

---

vinistes et des Libertins, l'immoralité . . . a tout à coup atteint son apogée; puis d'un saut ils arrivent à l'époque où la moyenne des procès criminels s'élève de 200 à 300 par année! Le système de répression avait donc bien mal réussi." Et ib. p. 96 rursus haec leguntur: „Jamais l'immoralité *secrète* ne fut plus grande à Genève que précisément à l'époque qui devait plus que toute autre servir de pierre de touche à ce même système, appliqué exclusivement à ceux qui étaient censés s'y être volontairement soumis. En parcourant les Régistres du Conseil et du Consistoire, ceux de l'état civil, les minutes des notaires et surtout les documents judiciaires, on est stupéfait, par exemple, en voyant la multitude d'enfants exposés dans les rues, sur les ponts, sur les privés publics, sur les degrés des monuments etc., et en songeant à la foule d'infanticides que cela fait nécessairement présumer." Lege ibidem reliqua, quae usque ad p. 98 mediam de malis Genevensium calvinistarum moribus referuntur, si plura videre hac de re velis. — Quae cum ita sint, quis non miretur, a quam plurimis aliis protestantibus tum illius tum nostrae aetatis morum emendationem a Calvino effectam adeo celebrari, ut illius temporis Genevam tamquam vitae christianae normam admirentur!

Lutherus vero saepissime conquestus est, evangelii, i. e. doctrinae suae, maxime eius quae est de sufficientia solius fidei ad iustitiam et salutem aeternam consequendam, sectatores *pessimos* esse, adeo ut propterea finem mundi proximum illamque iam esse aetatem crederet, in qua Christus maximam impietatem futuram praedixit. Ita Tischreden I, Frankfurt 1567, f. 185 b legitur: „Den 15. September thet D. Martin. eine ernste vermanung zum gebett wieder die künftigen straffen vnd plagen, so Deudschland sonderlich vbergehen werden, vom Türcken, Bapst vnd den Rotten, welche wir mit vnser vnbußfertigkeit reitzen. Darumb muß die straffe kommen. . . . Denn die gantze welt ist nichts anders, denn ein vmbgekehrter Decalogus, vnd des Teufels Larue vnd contrafeit, eytel verachtung Gottes, eytel Gotteslesterung, eytel vngehorsam, Buberey, Hoffart, Dieberey, Mord etc. wirt schier reiff zur schlachtbanck, so feiret der Teufel nicht durch den Türcken, Bapst, Rotten vnd Secten." Et paulo post f. 186: „Es ist ein wunder vnnd sehr ergerlich Ding, das (nachdem die rechte reine leere des Euangelij wider an tag ist kommen, aus sonderlicher gnade vnd offenbarung Gottes) die Welt immer erger worden. Jederman zeuhet die Christliche freiheit nur zum fleischlichen mutwillen, als hette ein jeglicher nu macht zu thun, was in gelüstet. Darumb ist des Teufels vnnd Bapsts reich, was das eusserliche regiment belangt, am besten für die Welt, denn damit wil die Welt regiret sein, mit strengen Gesetzen vnd Rechten, Superstition vnd aberglauben. Durch die leere vonn gottes gnade wird sie erger." Et ib. f. 191 b: „Doct. Martin. zeigete mit grossem tieffen seufftzen an, dass grosse grewliche Plagen vnnd Strafen vorhanden weren, die würden vber die Welt gehen, denn sie ist, sprach er, so böse vnnd vnbendig, dass sie keine Disciplin, Zucht, Strafpredigt vnnd Reformation mehr leiden wil. Es ist die Welt gar rege worden, nachdem das Wort des Euangelii offenbaret ist, sie knackt sehr. Ich hoffe, sie werde bald brechen, vnd in ein hauffen fallen durch den Jüngsten tag, auff den wir mit Sehnen warten. Denn alle Laster, Sünde vnd schande sind nu so gemeine worden, vnd in brauch kommen, dass sie nicht mehr für Sünde vnd schande gehalten werden, darumb lasst uns bitten: Zukomme dein Reich, erlöse vns vom vbel." Item f. 193 a haec leguntur: „Darauff sprach D. Martinus: zur selben zeit [tempore ducum Saxoniae Ernesti, † 1486, et Alberti, † 1504] sind fromme leute gewesen, jetzund ists der Teufel, das niemand dem andern darff trawen. Die Fürsten sind sehr Tyrannisch, faren mit gewalt." . . . „Gleichwie die Israeliten Mosi gethan haben, der sie aus Egypten gefüret hatte, also thun vns jetzt die leute auch, die auß dem Gefencknis vnd Diensthauß des Antichrists zu Rom gefüret sind; doch er bat für sie. Ich bete das die Buben gestraffet werden." At-

esse bonam, ita etiam mali mores ex ipsa aliqua doctrina orti hanc pariter malam ideoque falsam demonstrant. Nec Lutherus quidquam

---

que ib. f. 662a haec Lutheri verba habentur: „Es lest sich der Bösewicht [der Teufel] zu vnser zeit, da das Liecht des Euangeliums scheinet, nicht so außtreiben, wie im Bapsthumb, da er sich stellet, als füre er auß, wenn er beschworn ward, weil er vnns nicht so effen vnnd bethören kan, wie vor dieser zeit. Ja er beweist zur letzten zeit seine höchste Macht vnd List, spielet vnd geuckelt nicht wie vormals im Bapsthumb. Wie man an den Leuten wol sihet, die zusehens teglich erger werden, vnd doch Christen wöllen sein, vom Euangelio viel wissen zu reden etc. Dagegen stellet sich Christus allerding schwach, lesset die Gottlosen in jrem fürnemen fortfaren vnd nimpt sich, wie es scheinet, seiner kleinen Herde nit an etc. Darauß ich abneme vnd schliesse, daß vnsers lieben Herrn Christi selige Erscheinung vnd Zukunfft nicht ferner muß sein. Da Er widerumb seine Göttliche krafft wider den Teufel vnnd seine Schupen sehen lassen vnd beweisen wird, Er lesset jn jetzt wol außbossen biß zu seiner Stunde."

Nominatim Lutherus frequenter queritur, evangelium a suis asseclis contemni et nihili haberi, opes ab omnibus quaeri et solum explendae libidinis libertatem sumi. Tischreden I, f. 10b haec legitur dixisse: „Es ist Tauffe vnd kresem an der Welt verloren, denn man kan sie doch durch keinerley weise Gott gewinnen; zuuor vnd ehe das Euangelium kam, legete man grosse arbeit vnd vnkosten darauff, vnd man begab sich in gefahr leibes vnd lebens, das man einen gnedigen Gott möchte haben. . . . Nu aber Gott vergebung der sünde umb sonst, aus lauter gnaden, in seinem Wort anbeut vnd verheisset . . . vnnd mit ernsten Dreuworten schrecket, da er spricht: Werdet jr nit gleuben, so werdet jr umbkommen, das wöllen wir nicht haben, vnd werden entweder die ergesten Buben, oder die grewlichsten Werckheiligen." Et ib. f. 11a: „Also sind jetzt vnser Epicurer auch, wir Prediger setzen jnen in vnsern kirchen die allerbeste und herrlichste speise für, als ewige seligkeit, vergebung der sünde vnd Gottes gnade, so werfen sie die Rüssel auff, vnnd scharren nach Talern, vnd was sol der Kue Muscaten, sie isset wol Haberstro. — Also geschahe einmal einem Pfarherrn Ambrosio R. vonn seinen Pfarkindern; da er sie zu Gottes Wort vermanete, dass sie es fleissig höreten, sagten sie: Ja, lieber Herr Pfarherr, wenn jr ein faß Bier in die kirche schroten vnd vns dazu beruffen liesset, so wolten wir gerne kommen. — Das Euangelium ist zu Wittenberg, wie der regen der ins wasser fellet, da der regen wenig nutz schaffet." Ibid. f. 194b Lutherus dixisse perhibetur: „Doch achten wir das liebe Euangelium Christi, den grossen thewern Schatz, so geringe, als were es irgends ein Spruch aus dem Terentio oder Virgilio." Et in praefatione ad Catechismum maiorem dixit a. 1529 Lutherus (Werke: Erl. XXI 27; Müller, Symb. Bücher[4] [1876] 376): „Ja man findet wol etliche Rülze vnd Filze, auch unter dem Adel, die fürgeben, man dürfe hinfort weder Pfarrherr noch Prediger, man habs in Büchern, vnd könne es von ihm selber wohl lernen, vnd lassen auch die Pfarren getrost fallen vnd verwüsten. Dazu beide Pfarrherr und Prediger weidlich Noth und Hunger leiden, wie sich denn gebührt zu thun den tollen Deutschen. Denn wir Deutschen haben solch schändlich Volk, und müssens leiden." Et ibidem paulo ante allata modo verba scribit de ipsis sui evangelii praeconibus Lutherus: „Ach das sind zumal schändliche Fresslinge und Bauchdiener, die billicher Säuhirten oder Hundeknechte sein sollten, denn Seelwarter und Pfarrherrn. Und dass sie doch . . . sich schämeten ein wenig, dass sie gleich wie die Säw und Hunde nicht mehr vom Euangelio behalten, denn solche faule, schädliche, schändliche, fleischliche Freiheit. Denn der Pöbel leider ohne das allzugeringe achtet des Evangelii, und wir nichts sonderliches aussrichten, wenn wir gleich allen Fleiss fürwenden." Et Tischreden I, f. 199b, Lutherus de suis ait: „Es ist solch scharren, kratzen, schinden vnnd schaben, geitzen, nemen, stelen vnnd rauben vnter dem deckel des Euangelii, daß

habuit, quo hoc argumentum sibi a fanaticis, ut ait, obiectum refutaret aut enervaret, sed respondit, hac obiectione *Dei verbum contemni*[1]. Quinimmo contra eosdem, Muenzerum scil. huiusque asseclas, eodem hoc argumento usus est. Interrogat enim eos, num ipsorum spiritus meliores fructus quam suus tulerit, cum spiritus sine fructibus esse non possit; quodsi vero dicerent, se non secundum doctrinas suas vivere nec spiritum habere, id ipsum testimonio esse dicit, hunc eorum spiritum non esse bonum[2].

Hodie vero ex iis, qui protestantium nomine comprehenduntur, innumerabilis multitudo ab omni religione christiana ita defecit, ut etiam infantes suos ne baptizari quidem, et ipsi nec christiano more sepeliri velint. Ex iis vero protestantibus, qui adhuc christiani esse

---

ich michs scheme." Anno 1525 Lutherus ad Ioannem ducem Saxoniae haec scripsit (apud De Wette III 39): „Das erst, daß die Pfarrer allenthalben so elend liegen, da gibt niemand, da bezahlt niemand. Opfer- und Seelpfennige sind gefallen, Zinsen sind nicht da, odder zu wenig, so acht der gemein Mann widder Prediger noch Pfarrer, dass wo hie nicht ein tapfer Ordnung und stattlich Erhaltunge der Pfarren und Predigstuhlen wird furgenomen von E. K. F. G., wird in kurzer Zeit widder Pfarhofe, noch Schulen, noch Schuler etwas sein und also Gotts Wort und Dienst zu Boden gehen." Et anno 1527 ad eundem scripsit (apud De Wette III 160): „Es klagt N. N. Pfarrherr zu Waltershausen, wie er sich mit den Leuten treiben müsse, so ihm sollen zinsen, und bitt mich, an E. K. F. G. zu schreiben, dass E. K. F. G. wollten verschaffen, dass ihm nicht noth sey zu treiben. Denn es ärgerlich ist, als sey es der Geiz, so es doch Noth ist. . . . Wo dem so ist, so ists aus mit Pfarren, Schulen und Evangelio in diesem Land; sie müssen entlaufen. Denn sie haben nichts, gehen und sehen, wie die dürren Geister." Cf. etiam ep. ad Spalatinum, apud De Wette II 567, in qua simile exemplum refertur. — Ex quibus patet, per doctrinam primitivo protestantismo propriam longe maximam multitudinem protestantium peiorem evasisse, quam antea fuerit. Plura de his rebus vide apud Döllinger, Die Reformation III 229 sqq; Riffel, Christl. Kirchengesch. II 1 sqq; Janssen, Gesch. des deutschen Volkes II [18], Freiburg 1897, 325 sqq; III [18], ib. 1899, 70 sqq 200 sqq; IV [16], ib. 1896, 177 sqq; V [16], ib. 1902, 142 sqq; VIII [14], ib. 1903, 370 sqq.

[1] Sane Tischreden I, f. 48a haec leguntur: „Die Schwermer, sagt D. M. Luther, sind vnsinnige Narren, vnd felen weit, vnd werden sampt alle denen, die Gotteswort aus den früchten der Zuhörer vrtheiln vnd richten wollen, schendlich betrogen. Denn also schreien sie: Ja zu Wittenberg werden die Leute nicht frömer aus der predig des Euangelii, vnd dieweil die Leute nichts frömer werden, so mus die leere nit recht sein. Darumb sprechen sie, das Euangelium hören ist nicht gnug, sondern man muß auch etwas mehr thun . . .; das, sagen sie, ist die rechtschaffne rechtfertigung, also wird man für Gott from vnd gerecht. Verachten also Gottes wort, dieweil es nicht in allen frucht bringet."

[2] Certe in libello: Eyn brieff an die Fürsten zu Sachsen von dem auffrürischen geyst [Thomas Münzer], Wittemberg 1524, f. 6a (Werke: Weim. XV 217; De Wette II 545 sq) haec Lutherus scripsit: „Gern möcht ich aber wissen, weyl der geyst nicht on früchte ist, vnd yhrer geyst so viel höher ist denn unser, ob er auch höher früchte trage denn vnser. Ja er mus wahrlich ander vnd besser früchte tragen denn vnser, weyl er besser vnd höher ist." Et ib. f. 6b haec addit: „Wöllen sie aber sagen: Wyr leben nicht wie wyr lehren, vnd haben solchen geyst nicht, der solche früchte bringt. Solchs möcht ich wol leyden, das sie sagten, denn dabey künd man greyflich spüren, das nicht ein guter geyst ist, der aus yhnen redet."

volunt, admodum pauci primitivam ipsorum religionis doctrinam integram profitentur, sed omnes fere ab ea in multis, uti v. g. in doctrina de Christi divinitate aliisque dogmatibus, ita dissentiunt, ut si protestantismi parentes Lutherus, Calvinus, Zwinglius e mortuis resurgerent suamque hodiernam sobolem aspicerent, minimam profecto eius partem, et etiam hanc vix tamquam suam agnoscerent. Sufficit autem, ut iam diximus, ad nostrum propositum demonstrasse, protestantismum primitivum non fuisse Christi Ecclesiam; si enim ostenditur, radicem fuisse malam et non a Christo positam, de surculis ex radice surgentibus curandum non est.

VIII.—IX. Nullus istorum coetuum sanctus est vel ratione efficiendae sanctitatis prorsus eximiae et heroicae in nonnullis omni tempore sociis, vel ratione doni miraculorum. Qua in re

1. quod quidem ad protestantium coetus spectat, nullum eorum socium monstratum hucusque est aut demonstrari potest in vita non tantum probum et religiosum, sed etiam vere eximio et heroico modo sanctum fuisse, hancque sanctitatem miraculis divinitus confirmatam esse. Et vero tantum abest, ut protestantes ipsi suorum quemquam vere sanctum umquam praedicaverint, ut contrarium vel ultro confessi sint[1].

Ex antiquioribus quidem protestantibus voluerunt quidam, ut anglicanus Fox aliique[2] coetibus suis vindicare *martyres*. Sed quos Fox recensuit „martyres", dicit protestans W. Cobbet fuisse omnes nebulones, periuros aut raptores et plerosque etiam perduelles, idque partim saltem diserte probat; atque insuper ostendit, Fox fide nullatenus dignum esse[3]. Nec melior est aliorum protestantium, qui dicti sunt martyres, conditio, licet hi forsan non omnes tam mali et moribus corrupti homines fuerint atque illi, quos Fox laudat[4]. Nam, ut cum pluribus aliis Patribus[5], dixit S. Augustinus[6]:

---

[1] Ita protestans Lavater ad F. L. Stolberg ad Ecclesiam romano-catholicam iam reversum haec scripsit: „Ihr habt Heilige, ich leugne es nicht; *wir haben keine, wenigstens keine, wie Ihr habt*" (Rosenthal, Konvertitenbilder aus dem 19. Jahrhundert I, Schaffhausen 1866, 21; cf. J. Janssen, Friedrich Leopold Graf zu Stolberg seit seiner Rückkehr zur kathol. Kirche, Freiburg 1877, 14). Ipse Stolberg in epistula 8 iulii 1801 scribit: „Ich sehe in der katholischen Kirche Männer und Frauen, welche trotz des allgemeinen Spottes, den der Name *Heilige* beim großen Haufen unter den Protestanten erregt, doch unter frommen Protestanten Bewunderer, aber nicht ihresgleichen gefunden haben. Es ist doch merkwürdig, daß der wahrhaft fromme Protestant Tersteegen, welcher das Leben heiliger Seelen in einem großen Quartbande beschrieben hat, keinen einzigen seiner Glaubensgenossen diesen heiligen Seelen zugesellen konnte. Merkwürdig ist auch die sichtbare Verlegenheit, mit welcher er sich in der Vorrede über diesen nicht glücklichen Umstand erklärt" (apud Janssen l. c. 10).

[2] Cf. Perrone, Tract. de vera relig. adv. incredulos c. 4, prop. 5, n. 431.

[3] Gesch. der protest. Reform in England und Irland, Brief 8, Nr 248 sqq.

[4] Cf. Perrone l. c.

[5] Cf. Bened. XIV, De beatific. et canonizat. l. 3, c. 19.

[6] C. Crescon. l. 3, c. 47, n. 51 (ML XLIII 525) et alibi saepe.

„Christi martyrem non facit poena, sed causa." Alioquin etiam christianus propter latrocinium occisus et atheista propter negatam Dei exsistentiam morte punitus verus sive Christi martyr dicendus esset. Et nonne iam S. Paulus scripsit 1 Cor 13, 5: „Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest." Unde sancti Patres saepissime concluserunt, non posse esse martyrem, qui in vera Christi Ecclesia non sit, ideoque haereticos et formales saltem schismaticos numquam esse posse Christi martyres, eo quod a debita unitate cum Ecclesia Christi, et hinc a vera iustitia et caritate Dei, omnem haeresim omneque schisma severe prohibentis, defecerint [1]. Et vero si haereticus et formalis schismaticus, sive schismatis ut talis, i. e. illegitimi, conscius morte puniatur propter suam in errore pertinaciam, „talis mors", dicit Benedictus XIV [2], „martyrium esse non potest, cum sanguis non effundatur pro Christo, nec mortis acceptio pia et recta voluntate proveniat, quam verum martyrium exposcit". Atque etiamsi quis ab Ecclesia Christi schismate separatus se credat esse in vera Ecclesia et insuper doctrinas religiosas, quas falsas et haereticas profitetur, putet esse veras, ac propter hanc fidem mortem violentam patiatur, is tamen non magis esset verus martyr, quam miles transfuga aut rebellis subditus, qui morte multetur; nam in gratiam doctrinae, utut ab ipso verae habitae, reapse tamen falsae, moritur, et hinc eius mors, obiective saltem, non pro Christo et secundum eius voluntatem, sed contra eam subitur. Homo igitur etiam materialiter tantum haereticus verus Christi martyr esse numquam potest. Iam vero quicumque protestantes propter propriam ipsis fidem umquam morte affecti sunt, fuerunt minimum haeretici materiales sive homines, qui profitebantur, bona licet fide, doctrinas falsas et haereticas, utpote infallibilis magisterii et hinc ipsius Christi doctrinis prorsus adversas, ideoque etiamsi moribus quam maxime innocentes fuissent, numquam tamen Christi martyres fieri et vere nominari potuerunt.

Pariter respectu *doni miraculorum* nullus protestantium coetus religiosus sanctitate Ecclesiae Christi debita instructus est, cum, ut supra p. 875 ostendimus, non solum istorum coetuum auctores nullum miraculum ediderint, sed nec ipsi illi coetus miracula a sociis patrata sibi ascripserint, quin potius ipsorum plerique ea tamquam impossibilia abhorreant.

2. Quod porro ad schismaticos attinet, etiamsi, ut plerumque fit, in una alterave fidei doctrina a vera Christi Ecclesia dissentiant, si bonae tamen fidei sint, i. e. sincere credant, se verae Ecclesiae socios esse veramque ac totam Christi doctrinam profiteri, nihil *absolute* repugnare videtur, quin aliquam sanctitatis speciem prae se ferre atque etiam miracula patrare possint, non tamen *in ipsius sui coetus schismatici gratiam* vel directo vel etiam oblique, i. e. ita ut ea miracula per se, et non tantum facile vitanda hominum culpa, eam persuasionem confirment, qua illi schismatici coetum suum veram Christi Ecclesiam esse credant. Non enim Deus, qui est

---

[1] Cf. Bened. XIV l. c. c. 20; necnon Gotti, De vera Ecclesia Christi I, c. 3, § 6. [2] L. c. n. 3.

sanctitas et veritas ipsa, donum miracula patrandi ulli homini concedere potest in confirmationem erroris. Minime autem prorsus impossibile videtur, ut in gratiam hominis aegroti vel aliorum miserorum propter bonum propositum finem supernaturalem, item in testimonium alicuius fidei doctrinae vere apostolicae, aut etiam in laudem alicuius verae virtutis, v. g. castitatis, inter schismaticos quoque vel a vivis vel a mortuis iam beatis edantur miracula iis vestita quasi adiunctis, ut ea tantummodo satis manifesta temeritate dici possint ipsius etiam coetus ut schismatici et nonnulla falsa docentis veritatem confirmare. Nihilominus *certa omnino* miracula a vere schismaticis patrata nulla adhuc leguntur.

Schismaticos autem bonae omnino fidei etiam aliquam sanctitatis speciem prae se ferre posse, non quidem ita, ut a vera Christi Ecclesia colantur et in sanctorum album sollemni modo referantur, sed ita tamen, ut tametsi non vere et perfecte, aliquatenus tamen sancti sint coram Deo, negandum neutiquam videtur, tum quia ipsi illi bonae fidei homines animo et voluntate ad veram Christi Ecclesiam pertinent et tantum materiali modo ex ignorantia non culpabili in schismaticorum coetu versantur, tum quia, si forte non omnia, pleraque tamen subsidia habent, quae Christus ad efficiendam sanctitatem Ecclesiae suae commisit. Ergo si istiusmodi homines istis adiumentis strenue semper utantur, nihil videtur obesse, quin etiam ipsi ad aliquantam vitae sanctitatem perveniant, quamquam propter rationes supra allatas eiusmodi homines multo rariores quam in Ecclesia romano-catholica in coetu schismatico sint necesse est, et quamquam istorum sanctitas undequaque et vere perfecta esse non potest, tum quia, ut prius de notis Ecclesiae loquentes iam diximus, si vere et perfecte sancti essent, Deus procul dubio eos illustraret ac permoveret, ut veram Ecclesiam cognoscerent eique sese etiam externe adiungerent; tum quia falsitas omnium ab Ecclesia romano-catholica separatorum coetuum tam aperta est, ut qui ipsorum socius vere ac perfecte veritatis religiosae studiosus sit et de Ecclesia Christi deque sua secta vel paululum serio recogitet, huius suae sectae falsitatem ante mortem certissime cogniturus sit. Ergo si eiusmodi homo, utut ceteroquin virtutibus excellens, usque ad mortem in sua secta bona fide remaneat, adest in ipso sane defectus veri ac perfecti veritatis religiosae studii, ideoque vere ac perfecte sanctus esse neutiquam potest.

Porro ut passim videre est in „Anno ecclesiastico graeco-slavico“, quem Martinov typis in lucem edidit[1], Graeci et Slavi, et procul dubio pariter alii, qui ab Ecclesia romano-catholica separati sunt in oriente, reapse gloriantur, ex tempore sui schismatis fuisse inter ipsos plures sanctos et martyres, multaque in ipsorum coetibus patrata esse miracula. Nihilominus, etsi forte haec gloria non penitus iis deneganda sit, ea tamen neutiquam tanta est,

[1] Acta Sanct. Oct. XI 25—328.

quantam ipsi fingunt, vel ea, ut cum Ecclesia romano-catholica ullatenus ratione tum numeri sanctorum, tum ipsius sanctitatis comparari possit. *Primum* enim multi ex recentioribus sanctis, quos Russi colunt, fuerunt Ecclesiae romano-catholicae filii [1]. *Deinde* quam plurimi suorum, quos sanctorum cultu venerantur, bona quidem vitae christianae fama gaudebant, sed quantum ex eorum vitis, quas in opere laudato Martinovii legere est, cognosci potest, nullatenus virtutibus heroicis aut miraculis praestiterunt; unde certe minima eorum pars, nulla etiam schismatis habita ratione, ab Ecclesia romano-catholica sanctis ascripta fuisset.

Certe, ut unum alterumque exemplum afferam, praedicatur et colitur ut sanctus Artemius Vercoliensis, de quo apud Martinov nihil nisi haec leguntur [2]: „Artemius in vico Vercola, patre agricola a. 1532 natus, cum quadam die in agris cum parente versaretur, violenta tempestate subito exorta, viribus destitutus, supremam diem obiit duodennis, die 23 iunii a. 1543. Corpus eius postquam diu in silva iacuerat insepultum, in ecclesiam Vercoliensem delatum est a. 1577, quo fuerat inventum sub Macario metropolita." Quae, quaeso, causa est, hunc puerum ut sanctum colendi? Incolae vero Montis nigri Petrum I, archiepiscopum simulque principem, qui 1782—1830 feliciter et magno populi sui bono regnavit, sed nulla heroica sanctitate insignis erat, a. 1836, quo eius corpus integrum repertum fuit, in sanctorum numerum retulerunt, eiusque sepulcrum exinde per totum annum frequentant. Ipsum, ait Martinov [3], „certe virum in media barbarie magnum fuisse, gentis suae columen et patrem, nemo iure negabit: sed simul id dandum, eum non ab omni ambitione fuisse vacuum, adeoque in id incubuisse, ut patriarchatus Ipekiensis iura subvicarii titulo sibi sumeret et in omnes Serbos dominationem aucuparetur. Quare vicinorum fiducia aliquando caruit; verumtamen numquam peccavit in socios ea perfidia, quam ab iisdem saepius expertus erat."

Tum ut sancti coluntur etiam homines gravibus vitiis, et imprimis formali schismate inquinati, ut Photius patriarcha Constantinopolitanus; item Ionas, qui metropolita Mosquensis a Basilio Caeco duce auctoritate propria neglectaque patriarchae Constantinopolitani approbatione constitutus, imperium Mosquense ab Ecclesia romano-catholica schismate separavit. Eiusdem generis est alius Photius, a Russis in sanctorum album relatus, cuius gesta Ign. Kulczynski ex Ord. S. Basilii hisce breviter perstringit [4]: „Photius, genere Graecus, ad Kioviensem promotus sedem a. 1408, coepit Russiam schismate graecanico inficere, thesauros S. Sophiae expilare, census ecclesiae metropolitanae emungere ac dilapidare; iamque cum omnia fere sacra cimelia, et praecipue mappam, scutellas et scandalia b. Virginis auro gemmisque pretiosis affabre exornata in Graeciam exportasset, episcopi Rutheni tam gravibus occurrentes damnis celebrata synodo Novogrodeci in Lithuania, praesente Alexandro Vitoldo, magno Lithuanorum duce, Photium, multorum et magnorum criminum reum, sede metropolitana removerunt. Acta sunt haec anno 1415, die 15 decembris."

[1] Cf. ipsum laudatum annum eccles. graeco slavicum variis in locis, necnon Acta Sanct. Oct. X 868, ubi a P. Martinov probatur, b. Aretham et generatim metropolitas Kiovienses et hegumenos Cryptenses saeculo XII fuisse romano-catholicos.

[2] Acta Sanct. Oct. XI 252.

[3] Ibid. 161. Alia sanctorum neo-graecorum exempla habes in Échos d'Orient VIII, Paris 1905, 350 sqq; IX (1906) 288 sqq 363 sqq; X (1907) 151 sqq.

[4] Specimen Ecclesiae Ruthenicae ... cum sancta sede apost. Rom. semper unitae, ed. Martinov, Paris. s. a. (1859), 120 sq.

Denique neque omnes Graeco-Slavorum martyres sanctorum cultum certo merentur. Sane neomartyrum Graecorum mons Atho „quasi officina est; inofficioso verbo utimur, ut culpemus imprudentem disciplinam, qua miseri peccatores excitentur ad sponte se offerendos truculentae neci, ut sanguine suo priora scelera eluant. Ad haec si impellat Spiritus Sancti impetus, bene est; sed ex institutione humana nequaquam fieri debent.“ [1] Fieri enim solet, ut si quis schismaticus fide christiana abiurata ad Muhammedis sacra transierit, et postea magna huius rei poenitentia motus in montem Atho secedat, is aliquo vitae monasticae tempore peracto Turcis ultro se sistens Muhammedis religionem damnet fidemque christianam profiteatur, et ut hanc rursus eiuraret, frustra tentatus tandem morte plectatur. Plura certe eiusmodi exempla in „Anno ecclesiastico graeco-slavico“ referuntur [2]. Quare „magnum profecto apud Graecos numerum exstare eorum, qui recentiori aetate a Turcis crudeliter perempti sint, facile dabit catholicus quisque, quin eos propterea inter martyres Christi recensere velit: contra veluti veros martyres eos venerantur cultuque ecclesiastico honorant Graeci“ [3]. Quinimmo Russi et Graeci colunt etiam plures ut sanctos martyres, quorum necis causa aut nullatenus, aut saltem non certo fuit fidei christianae professio. Ita certe ab iis ut martyr colitur Demetrius, princeps Uglicensis, quem puerum Borisus, magister equitum, ideo occidit, ut ipse thronum securius occupare posset [4].

Nec maior est Graeco-Slavorum, qui ab Ecclesia romano-catholica dissident, gloria ratione *miraculorum,* quae inter eos patrata dicuntur.

Adverte enim, Slavos ac reliquos recentiores orientales plane nullas sanctorum suorum habere vitas *historicas* [5], quales latini legunt multas, sed eas quas illi versant et amant, panegyres esse verbosas, communibus laudibus plenas, ex quibus vix quidquam de sanctorum gestis vel ipsa eorum indole cognoscatur. Miracula vero in iis narrata „saepe prima specie fabulosa apparent; alia autem, quae miraculorum loco habentur, hoc nomine nequaquam digna sunt, siquidem mere naturalia sint: quo referas imprimis corporum integritatem, quae fundamentum est plerarumque canonizationum slavicarum recentiorum [6]. Quis enim nescit, multis in locis corpora sponte et naturaliter servari integra? Aliquando vero corpora sponte siccari, non corrumpi? [7] Verbo, nil tam incertum esse quam hoc prodigium? Quare inter

---

[1] Acta Sanct. Oct. XI v: Monitum hagiographor. n. 14.

[2] L. c. 29 sqq 96 et alibi saepius. [3] Ibid. 29.

[4] Ibid. 129; cf. etiam p. 219 de Macario Obrucensi. [5] Ibid. Monit. v.

[6] Ita v. g. cum Petri I principis Montis nigri corpus a. 1836, ut iam diximus, integrum repertum fuisset, „satis fuit“, ait Martinov l. c. 161, „incertissimum hoc prodigium, ut populus dilectissimum suum *praesulem* in sanctorum numerum referret“. Item incorruptio corporum in cryptis Kioviensibus habebatur olim a Russis maximum miraculum, et saeculo XVIII etiam proponebatur tamquam indicium, veram Christi Ecclesiam inter Russos esse constitutam. Quae conclusio, etiamsi illa corporum integritas verum miraculum esset, quam falsa fuerit, luculentissime patet ex iis, quae hactenus in applicandis variis notis iam diximus. Accedit insuper, pleraque, si minus omnia illa cadavera fuisse monachorum *catholicorum;* quae si fuissent schismaticorum, inde *ipsorum* utique bona fides et sanctitas declarata fuisset, minime vero inde effici posset ipsius Russorum ecclesiae veritas.

[7] Ut unum locum nominem, in crypta templi in Monte crucis prope Bonnam plura monachorum cadavera iamdudum prorsus incorrupta iacent, sed utique non mollia sed siccata.

catholicos pro miraculo nequaquam admittitur corporis integritas, nisi carnes molles maneant et elasticae, nisi membra plane mobilia sint, nisi annos duret incorruptio quadraginta aut quinquaginta, intra quos (nisi digitus Dei adsit) carnes non possint non exsiccari [1]. Sed horum omnium nil curant Slavi et Graeci; quibus persuasum est, omnem corporis conservationem prodigiosam esse: si enim mala fama accedat, signum esse, mortuum excommunicatum esse; si bona fama, eum esse sanctum. *Neque ullum aliud miraculum novimus, quod serio examinatum fuerit.* Hinc intelligitur, quam parum fidei videantur nobis mereri laudes, quibus qui sanctorum albo Russiaco inscripti sunt, a suis onerantur, et miracula, propter quae complures vocantur thaumaturgi, aut novi thaumaturgi." [2] Certe thaumaturgi nomine a Russis insignitus est etiam Ionas metropolita Mosquensis, de quo paulo ante iam locuti sumus. Sed qualia ipsius miracula fuerint, satis conicere licet ex hoc uno. Narratur nempe, „virum quendam nobilem, qui gravi dentium dolore laborabat, violento ictu alapae a Iona in ipsomet sanctuario impactae, ab omni dolore illico liberatum fuisse" [3].

Quae cum ita sint, certum omnino est, coetibus illis Graeco-Slavorum aliorumque orientalium ab Ecclesia romano-catholica schismate seiunctis licet forte non penitus desit vitae sanctitas donumque miraculorum, quae utique non in schismatis sui gratiam patrentur, istam tamen sanctitatem et frequentiam miraculorum minime eam esse, quae Ecclesiae Christi competat necesse est, quaeque cum Ecclesiae romano-catholicae sanctitate et miraculorum dono ullo modo comparari possit. In veritatem autem miraculorum, quibus coetus ab Ecclesia romano-catholica separati et primis christianae aerae saeculis iam exorti olim gloriati sunt, cum illi iamdudum interierint, inquirere opus hic minime est, nam hoc ipso suo interitu se satis demonstraverunt non esse Christi Ecclesiam ad finem mundi usque exstituram; eoque minus id opus est, quod antiqui Patres Ecclesiae, Irenaeus, Tertullianus, Augustinus aliique, ut iam plus semel retulimus, iactata ab ipsis signa et prodigia fallacia nominaverunt, addentes, eos non potuisse caecis visum reddere, mortuos ad vitam revocare aliaque vera miracula patrare, quae in Ecclesia catholica patrentur; quodque idem vel ipse protestans Bingham fatetur [4]. Atque idem prorsus iudicium ferendum est de prodigiis, quae olim iansenistae ad tumulum diaconi Paris patrata iactabant. Ea enim nullatenus vera miracula fuisse, invicte a Lafitau [5], Ios. Languet, archiepiscopo Senonensi [6], aliisque demonstratum est ipsique iansenistae ad ea iam non provocant [7].

---

[1] Cf. Bened. XIV, De beatific. et canonizat. l. 4, c. 30, ubi hac de re agit et ostendit, quam severum ab Ecclesia romano-catholica de hoc prodigio instituatur examen, antequam ut miraculum agnoscatur.

[2] Acta Sanct. l. c. Monit. n. 13, p. v. [3] Acta Sanct. l. c. 141.

[4] Orig. antiq. Eccl. l. 16, c. 5, § 7.

[5] Histoire de la constitution Unigenitus, Besançon 1820, l. 6, p. 537 sqq.

[6] Opera IV: „Instruction pastoral" a. 1734 edita, quae est initio illius voluminis.

[7] Perrone, Tract. de vera relig. c. 3, a. 1, n. 167.

Itaque verissimum et invicte demonstratum est, etiam sanctitatis notam nulli omnino religioso christianorum coetui, qui ab Ecclesia romano-catholica prorsus separatus est, plene integre convenire.

Coroll. I. *Certissimum igitur est,* nullam prorsus notam plene et integre convenire ulli religioso christianorum coetui, qui ab Ecclesia romano-catholica vere separatus est; istiusmodi ergo coetuum plane nullum esse Ecclesiam Christi, sed sectas vel schismaticas vel etiam haereticas, palmites igitur a vite abscissos, membra a corpore seiuncta, ideoque natura sua dissolutioni et putredini obnoxia, viasque per se non ad vitam, sed ad perniciem aeternam ducentes. Atque inde facillime intelligitur, cur recentiores theologi protestantes, ubi in suis libris dogmaticis de Christi Ecclesia loquuntur, ne tentent quidem probare, coetum suum religiosum esse veram Christi Ecclesiam[1].

Coroll. II. Evidens quoque est ex iis, quae hactenus diximus, quam insigniter falso alii theologi protestantes[2], maxime in Anglia, contendant, christianorum varios coetus religiosos, puta romano-catholicorum, lutheranorum, reformatorum aliorumque, omnes simul sumptos veram Christi Ecclesiam formare atque constituere, ita ut ipsorum singuli sint instar variorum eiusdem domus cubiculorum[3].

§ 26.

Conclusio.

Ex hactenus allata demonstratione certissime constat, Ecclesiae romano-catholicae competere, et perfecte quidem, singulas et universas notas, ideoque etiam proprietates, quibus Christus Ecclesiam suam ornavit; romano-catholicam igitur Ecclesiam solam esse veram Christi Ecclesiam, et ut talem quidem, sive ut veram eminenti modo visibilem, sive evidenter credibilem, evidentia scil. morali, ita ut ipsa ceu vera sat facile ab unoquoque cognosci possit. Itaque Christi Ecclesia hoc loco iam definiri potest: *societas hominum supernaturalis atque perfecta veram Christi religionem sub episcoporum ac praesertim sub R. Pontificis, totius Ecclesiae primatis, regimine atque infallibili magisterio profitentium, a Christo ipso in perpetuum ac pro universo genere humano ad supernaturalem sanctitatem colendam aeternamque salutem consequendam instituta.* Ecclesia igitur romano-catholica est immediatum opus atque institutum Dei, et civitas illa Christi in monte posita et ut talis, sive ut vera Christi Ecclesia eminenti modo visibilis, purissimo ac plenissimo divinae revelationis lumine illustrata et per universum terrarum orbem effulgens, dum extra ipsam omnia gravium errorum caligine plus minusve obscurata atque operiuntur, omnesque aliae

---

[1] Ita certe praeter alios agunt J. H. Aug. Ebrard, Schenkel, J. P. Lange, Wegscheider, Hase etc.

[2] V. g. Bretschneider, Handbuch der evang.-luther. Kirche II[2] 821; Martensen, Die christl. Dogmatik. Aus dem Dänischen, 3. Aufl., Kiel 1853, 393.

[3] Martensen l. c. 394 scribit: „Die verschiedenen Konfessionen des Christentums müssen als verschiedene Gemächer, verschiedene Wohnungen im Hause des *einen* Herrn angesehen werden."

religiosae societates, quae se falso Christi Ecclesiam dicunt, nihil sunt nisi opera mere humana malarumque cupiditatum ope fundata.

Romano-catholica Ecclesia est igitur societas superna et invincibilis in colenda ac conservanda pura Christi religione, prorsusque libera nullique hominum potestati ut talis subiecta; est sola quoque illa salutis aeternae arca, tam necessaria, ut perpetua coniunctio cum illa omnibus hominibus sit *sola ordinaria via* ad illam salutem consequendam, ideoque extra eam *gravi sua culpa* morientibus nulla speranda sit salus, eo utique sensu, quo istam Ecclesiae necessitatem tractantes fusius explicavimus. Quo sensu rectissime scripsit Lactantius[1]: „Sola catholica Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita et salute: cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa et exstincta erit." Et S. Irenaeus de Ecclesia romano-catholica multo prius iam dixerat[2]: „Cuius [Spiritus Sancti] non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia[3]. Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiae, ne traducantur, reicientes vero Spiritum, ut non erudiantur." Optime igitur de eadem Ecclesia S. Augustinus scripsit[4]: „Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portae inferorum non vincent eam." Felix itaque, qui in huius Christi Ecclesiae gremio est

---

[1] Instit. l. 4, c. 30 (ML VI 542 sqq). [2] Adv. haer. 3, 24, 1 (MG VII 966).

[3] Rationalista F. Chr. Baur (Der Gegensatz des Katholizismus und Protestantismus[2], Tübingen 1832) de ista Irenaei sententia scribit: „Sagt der Katholik, um dies mit den bekannten Worten des Irenäus (l. c.) auszudrücken: ‚Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei', kann nicht der Protestant mit den Worten fortfahrend, die Irenäus in derselben Stelle unmittelbar folgen läßt, mit demselben Rechte dagegen geltend machen: Ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia? Mit welchem Rechte kann man daher behaupten, daß nicht auch eine reformatorische Bewegung, wie die von Luther ausgegangene, eine von göttlichem Geist angeregte und hervorgerufene anzusehen sei?" Quam falso autem ac perperam haec dicta sint, non est quod amplius monstretur, cum ex iis quae hactenus, et maxime quidem de immutabilitate Ecclesiae Christi et de defectu sanctitatis in protestantismo dicta sunt, id luce clarius sit.

[4] Sermo de symb. ad catech. c. 6, n. 14 (ML XL 635).

vivitque semper secundum eius leges atque doctrinam! Summe autem infelix atque miserandus ille, qui aut serio dubitans de sectae suae veritate, veram Christi Ecclesiam indagare et invenire non studet, aut agnita iam romano-catholicae Ecclesiae veritate, propter causas quascumque, levissimas profecto, si cum *aeternae* salutis iactura comparentur, ideoque non sine gravi sua culpa, ei sese non adiungit!

Romano-catholica Ecclesia itaque est illa, quam Christus *suam* vocavit (Mt 16, 18), quamque audiri iussit (ib. 18, 17); ipsa est illud *unum ovile,* cuius supremus et invisibilis pastor ipse Christus est (Io 10, 16); ipsa corpus ipsius et plenitudo eius (Eph 1, 23); ipsa denique est infallibilis illa divinitus constituta christianae religionis magistra. Ipsa igitur tum omnia a Christo sibi commissa perfectionis et salutis aeternae adipiscendae adiumenta integra conservat et administrat, omniaque subsidia praebet, quae hominem non solum innocentem conservare vel a peccatorum servitute liberare, sed ad ipsam summam vitae perfectionem perducere valent, ita ut libenti animo veroque Dei amore semper et ubique agat et sufferat, quae ex divina voluntate vitaeque conditione ei agenda et sufferenda sunt, ut omnia huius vitae bona propter Deum et in Deo solo tamquam eius potentiae, sapientiae et bonitatis infinitae dona amet, iisque solum tamquam adiumentis ad augendam Dei gloriam suaeque animae salutem bene curandam utatur. Ita autem qui agit, perfectam illam libertatem filiorum Dei possidet, qua qui fruitur, in Dei summi boni amore, ultimo illo ac perfectissimo rectae voluntatis obiecto, perfecte acquiescit. Deinde vero infallibilis haec magistra Ecclesia Christi humanae etiam mentis desiderium explet ac satiat, integram atque ab omni erroris labe immunem veritatem religiosam, singulari Dei ipsius interventu generi humano allatam, clare ac certo ubique praedicando. Ut enim bonum voluntati propositum est, in cuius solius, veri utique ac summi, possessione acquiescit debitaque sibi libertate gaudet, ita etiam quod mens usque persequitur et in cuius solius possessione acquiescit, est *verum;* verissimum autem est, quod Deus, veritas ipsa, dicit; locutus est autem Deus summi momenti veritates easque clare ac certo revelavit; quam suam revelationem omnem Ecclesiae suae romano-catholicae commisit, hancque divino infallibilitatis dono instruxit. Quare illi omnis homo potest, sicut oportet, vere et securus credere, mensque humana ex officio quidem, sed libere tamen ei se subiciens, in hac ipsa sua subiectione veritatem, eamque puram ac summam, invenit, itaque in hoc suo regno mira illa libertate et tranquillitate fruitur, qua fit, ut haud iam, ut apostolus loquitur Eph 4, 14, agitetur et incerta circumferatur omni vento doctrinae, sed laeta experiatur, quam vere Christus Io 8, 32 dixerit: „Veritas liberabit vos."

Haec igitur infallibilis magistra omnibus, qui modo dociles ad ipsam accedunt, religionis christianae solius verae doctrinam integram ac puram ab omni erroris macula instar parentis sollicita praebet, ita

ut qui eam modo audiat et sequatur, certus ac securus sit de possessione religiosae veritatis, ac tametsi literis excultus non est, magis tamen eruditus et sapiens sit in regno *summae et prae ceteris aestimandae veritatis,* verae nimirum religionis, quam omnium temporum philosophi aliique literis et doctrinis eruditi, sed a fide Ecclesiae romano-catholicae alieni, umquam fuerint[1].

Quapropter qui Ecclesiae romano-catholicae filius hanc suam parentem, totam illam formam omniaque illa lineamenta, quae divinus infiniteque sapiens ipsius auctor Christus olim ei indidit perfecte adhuc referentem probe cognoscit, simulque vere sentit, quae quantaque bona ab ipsa usque accipiat, quantumque bonum sit secundum huius suae divinae parentis voluntatem perfecte vivere: nonne de hac nova et maxime vera in terris Ierusalem optimo iure grato atque exsultanti animo dicat, quod de vetere multo imperfectiore Ierusalem vir Israelita quondam cecinit (Ps 136, 5 6): „*Si oblitus fuero tui, Ierusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio laetitiae meae.*“

[1] Ut enim de supernaturalibus religionis catholicae dogmatis quam plurimis plane eximiis ac summi momenti et utilitatis nihil dicam, de aliis primariis veritatibus fere naturali tantum modo spectatis puer catholicus interrogatus, si catechismo probe instructus est, multo *clarius* ac praecipue *certius* et *verius* respondet quam ullus philosophus incredulus. Quod ipse philosophus Th. Jouffroy, utut minime christiano sensu religiosus, fassus est optimeque exposuit in Mélanges philosophiques[2], Paris 1860, 330 sqq (Du problème de la destinée humaine): „Il y a un petit livre qu'on fait apprendre aux enfants, et sur lequel on les interroge à l'église. Lisez ce petit livre, qui est le catéchisme: vous y trouverez une solution de toutes les questions que j'ai posées, de toutes, sans exception. Demandez au chrétien, d'où vient l'espèce humaine, il le sait: où elle va, il le sait; comment elle va, il le sait. Demandez à ce pauvre enfant, qui de sa vie n'y a songé, pourquoi il est ici-bas, et ce qu'il deviendra après sa mort: il vous fera une réponse sublime, qu'il ne comprendra pas, mais qui n'en est pas moins admirable. Demandez-lui comment le monde a été créé et à quelle fin; pourquoi Dieu y a mis des animaux, des plantes; comment la terre a été peuplée; si c'est par une seule famille ou par plusieurs, pourquoi les hommes parlent plusieurs langues; pourquoi ils souffrent, pourquoi ils se battent, et comment tout cela finira: il le sait. Origine du monde, origine de l'espèce, question des races, destinée de l'homme en cette vie et en l'autre, rapports de l'homme avec Dieu, devoirs de l'homme envers ses semblables, droits de l'homme sur la création: il n'ignore rien; et quand il sera grand, il n'hésitera pas d'avantage sur le droit naturel, sur le droit politique, sur le droit des gens: car tout cela sort, tout cela découle avec clarté et comme de soi-même du christianisme. Voilà ce que j'appelle une grande religion: je la reconnais à ce signe qu'elle ne laisse sans réponse aucune des questions qui intéressent l'humanité.“

A. M. D. G.

Addenda et corrigenda.

ag. 2, not. 1, lin. 3 loco 1^8 *lege:* I^4.
„ 39, not. 2 loco 1867 *lege:* 1887.
„ 52, lin. 6 *lege:* אסרא.
„ 66, not. 2, lin. 8, quae uncis inclusa sunt *lege* ita: (In evangelium Matth., Zwinglii Opera VI 1, Turigi 1836, 321). Lin. 9 pro: Germanico *lege:* Germanica; lin. 10 pro: excludit *lege:* excludunt.
„ 102, lin. 12 *adde:* Locum Mt 16, 18 etiam significare videtur Irenaeus Adv. haer. 4, 21, 3, ubi comparans Christum Novi Testamenti auctorem cum Iacobo patriarcha dicit: „Peregre nascebantur XII tribus, genus Israel, quoniam et Christus peregre incipiebat duodecastylum firmamentum Ecclesiae generare." Scil. „incipiebat" Christus firmamentum Ecclesiae apostolicum constituere, cum constituit Petrum fundamentum Ecclesiae et apostolorum; id autem fecit „peregre", i. e. extra Palaestinam Caesareae Philippi.
„ 161, not. 4 *lege:* MG LXXXII.
„ 189, lin. 16 ab infra loco „disputaret" *lege:* „disceptaret".
„ 247, *dele* lin. 9—14 (cf. p. 309 sq).
„ 268, not. 9 *lege:* J. T. Müller.
„ 302, not. 2 *adde:* St. de Dunin-Borkowski, art. Hierarchy in The Catholic Encyclopedia VI, New York s. a. [1910], 326—344.
„ 509 loco Thesis VII *lege:* Thesis XV.
„ 582, not. 7, lin. 3 *adde:* P. Imbart de la Tour, Les origines de la Réforme II, Paris 1909, 57.
„ 694 *adde:* Georg Graf, Die arabischen Schriften des Theodor Abû Qurra, Paderborn 1910, 112 sqq.
„ 801, not. 3, lin. ultima *lege:* auctoritatis sunt nec canones ... dici possunt.
„ 805, lin. 8 *lege:* iure DIVINO obiective spectato.

B. HERDER, TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS,
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE).

Theologia fundamentalis.

Auctore **I. Ottiger** S. J. Cum approbatione Archiep. Friburg. et Superiorum Ordinis. Tres tomi. 8°

Prius prodiit:

Tom. I. **De revelatione supernaturali.** (XXIV et 928) *M* 12.— = *Fr* 15.—; a dorso corio relig. *M* 14.— = *Fr* 17.50

Tom. III. tractabit: **De exercitatione infallibilitatis Ecclesiae Christi.** Caput I: De infallibilitatis subiecto. Caput II: De infallibilitatis obiecto. Caput III: De fontibus revelationis divinae. Caput IV: De regula fidei catholicae. Caput V: De externa fidem catholicam inter et rationem humanam mutua relatione.

Iudicia aliqua de tomo primo huius operis.

«. . . Le P. Ottiger trace **de main de maître** le plan rigoureusement logique et les frontières de la théologie fondamentale; pour lui, aucune proposition ne doit être avancée dont les antécédents n'aient été solidement établis; aucune ne doit faire double emploi et empiéter sur le domaine d'un autre enseignement. . . .

C'est, en effet, un traité complet que le P. Ottiger a voulu écrire, mais, sous sa conduite, la longueur du voyage ne fait qu'en multiplier l'intérêt. Les thèses, au nombre de trente-neuf, sont clairement énoncées; la portée de chacune est aussitôt précisée par un exposé soigneux de l'état de la question: vient ensuite la preuve, qui, donnée avec un véritable luxe d'arguments et une érudition peu commune, présente le sujet sous toutes ses faces et **ne laisse sans réponse aucune objection actuelle de quelque importance.** . . .»

(Revue des Sciences Ecclésiastiques, Lille.)

«. . . Unser Gesamturteil über das Werk lautet dahin, daß es **vom Anfange bis zum Ende eine mit größter, fast peinlicher Sorgfalt und Gründlichkeit durchgeführte Arbeit** ist, die zumal in jenen Partien, wo wichtige Schrifttexte aus dem Alten und Neuen Testament behandelt und verteidigt werden, nicht wenige Resultate zu Tage gefördert hat, für die man dem Verfasser zum Danke verpflichtet ist. . . .»

(Zeitschrift für kathol. Theologie, Innsbruck.)

«Questo primo volume già dà a conoscere che l' op era de P. Ottiger è di **genere monumentale e grandioso,** non solo per **l' ampiezza dell' opera,** ma, specialmente, per la **solidità e per il metodo** di essa. . . .» (La Civiltà Cattolica, Roma.)

«The first volume may be said to **exhaust all that has been written so far** on the subject of supernatural revelation. It is chiefly in point of completeness that it differs from the other numerous treatises on scholastic apologetic which are swarming into existence at present. Needless to say, no difficulty of modern times has failed to receive attention.» (The Month, London.)

«Método rigurosamente lógico, claridad en la exposición, encadenamiento de doctrinas y proposiciones, que las hace depender unas de otras, y todas de los primeros principios; estudio profundísimo de la materia y de los autores que la han tratado, erudición copiosa y variada: tales son las cualidades que resplandecen en el magnífico tratado. La obra del P. Ottiger merece ser leída y meditada por cuantos se dedican á la enseñanza de la Teología, y constituirá seguramente, cuando se publiquen los dos últimos volúmenes, **una de las mejores apologías del Cristianismo que se han escrito en el siglo XIX.**» (La Ciudad de Dios, Madrid.)

«. . . We unhesitatingly record it as our opinion that, provided the two remaining volumes which are in preparation attain to the very superior level already reached in the first, it will far outstrip most, if not all, competitors—it being **a truly brilliant addition to this branch of sacred science.** In practically every page we come across evidence of the distinguished Jesuit's aim, which was not to compose a mere manual, but to place at the service of professors **a veritable mine of theological lore.**»

(The Dublin Review, London.)

«Cette première partie de la Théologie fondamentale est **une œuvre magistrale,** et l'auteur y fait preuve d'une rare compétence. Ce n'est pas aux commençants qu'elle s'adresse mais à ceux qui ayant terminé le cours élémentaire veulent aller plus loin. Les professeurs de séminaire seront heureux d'y trouver le solide et riche développement de ce qu'ils doivent enseigner en raccourci.»

(Polybiblion, Paris.)

«Klarheit, Sorgfalt und Besonnenheit machen das Buch zu einer lehrreichen Lektüre auch für den evangelischen Theologen. In der Tat gewinnt er heute aus katholischen Werken am leichtesten noch das Verständnis der älteren Gestalt unserer eigenen Dogmatik und der Begriffe, um deren Behandlung die Anfänge der Religionsphilosophie der Aufklärung sich dreht.»

BEGUÉ & C.
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA (117)

(Theologische Literaturzeitung, Leipzig.)

1816

210.2
OT 8

AUTHOR Ottiger, Ignatio

TITLE Theologia Fundamentalis
Tom. II

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. ~~DONOVAN~~	
	Fr Sullivan	
	J. Healy	
	Mara	
	STORAGE - CBEL	

1816